Digitized by Google

12. e

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
20 K
25

M Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

III. 12. e

III
13
B

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IACOBI
ARMINII
VETERAQVINATIS BATAVI
S.S. Theologiæ Doctoris eximii,

OPERA
THEOLOGICA.

Contenta poſt Præfationem, vide.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI BATAVORVM,

Apud GODEFRIDVM BASSON,

cIↄ. Iↄc. xxix.

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTIANO LECTORI.

S. P.

OPuſcula IACOBI ARMINII, S.S. Theologiæ Doctoris, uno tibi volumine exhibemus, Lector Chriſtiane. Deſiderio illorum ſatisfactum oportuit, quibus author vel placuit, vel diſplicuit. Sunt tales hic, & alibi. qui ne temere virum aut amaſſe aut damnaſſe credi poſſint, ipſum in libris ſuis loquentem audire deſiderant. Scriptorum omnium hæc ſors eſt, laudari ab his, vituperari ab illis. Non ſapiunt omnibus eadem fercula. nec facile cuivis ſententiam ſuam probaverint doctores dogmatici. Sunt, quos præceptorum nimius amor ita excæcat, ut nihil non ab ipſis dictum ſuſpiciant, &, velut è cælo lapſum ancile, venerentur. Sunt, quibus præjudicia & præconceptæ opiniones bonam mentem pervertunt, ut non ratione verum, ſed perſonis, temporibus, addo etiam, privatis commodis

 metian-

metiantur. Non huius ſolum, ſed & priorum ſeculorum vitia queror. Ab utriſque diſſentio. Etiam, dum viveret Arminius, vacuum ab affectu omni auditorem maluit, quam impenſius partibus addictum. Non minus cæleſtis reipublicæ civem ſua decet libertas, quam mundanæ huius & politicæ ſocietatis. In ſervitute omnia dura & difficilia. Vbi ſentire licet, quæ Deus, ratio, & pia antiquitas ſuaſerint, eademque ad Dei gloriam & Eccleſiarum ædificationem proferre; ſine fuco pietas, ſine ſuperſtitione religio, ſine hypocriſi veritas magnis incrementis adoleſcunt. Quid ſcriptor hic ſenſerit, quid docuerit libere, pari libertate lege & perpende. Damus omnia, quæ vivus vel edidit, vel probavit. Ea, quæ ad Malachiam dixit, in Antichriſtum & Socinum ſolide & ex profeſſo in Batavorum Academia diſputavit, diſcipulorum hic illic chartis adſervantur. Publici illa juris facere religio fuit, quia cum ex ore dicentis excepta fuerint, facile auditorum culpam & in ſcribendo incuriam luat immeritus profeſſor.

Præ-

Præludit operi P. Bertii viri doctiſs. *Oratio*, in qua multa pro authore, iiſq; Eccleſiis dixit quæ poſtea eidem diſplicere cœperunt. Opus ipſum à quatuor Orationibus auſpicor, quas magno auditorum applauſu de *Sacerdotio Chriſti, Theologiæ objecto, Auctore & Fine*, ac *Certitudine* habuit, omnes muneris Theologici inaugurales, & profundis ſcripturæ ſenſibus ſubnixas. Excipit eas quinta de *Componendo religionis diſſidio inter Chriſtianos*, cuius formulam facilius dari poſſe credidit, quam praxin. Huic proxime annectitur *Declaratio, qua ſententiam* ſuam profitetur de *Prædeſtinatione, Providentia Dei, Libero arbitrio, Gratia Dei, Divinitate Filii Dei, & de Iuſtificatione Hominis coram Deo*; in qua contendit, nec prorſus ſe in aliorum verba juraſſe, & tamen longè citra Pelagianiſmum & Socinianiſmum ſtare. Accedit *Apologia ad Articulos* in vulgus ſparſos, velut inter actorem & reum arbitra. Poſt hæc univerſæ fere Theologię compendium *Diſputationibus* variis comprehenſum exhibetur, in quo ſacros ſenſus à latere tuentur Scripturæ loca, magno dilectu

 & judi-

& judicio annotata. Subeunt *privata*, in quibus ſalutis noſtræ Oeconomiam & divinarum actionum ſeriem eruditè & appoſitè pertexit. Subjungimus his, *Amicam Collationem* eiuſdem *de Prædeſtinatione*, quam cum graviſſimo, maximique nominis Theologo, *Franciſco Iunio*, per litteras, habuit, acutam ſenſibus, denſam argumentis, in qua animo concordes, diſcordes ſententiâ ſummi Theologi exemplum præbuere ſuis, uti ſalva charitate ventilare oporteat ſcholarum placita. Idem docet *Examen Libelli Perkinſiani*, quo Theologo nec doctiorem, nec candidiorem habuit Britannia. *Analyſis capitis noni ad Romanos* ardua illa & adoranda Dei conſilia de hominum æterna ſalute & damnatione pertractat; & quæ aliis placet perſonarum eſſe ſimpliciter, fidelium ac infidelium eſſe docet diſcrimina.

Ad libri metam ſtat *Diſſertatio de vero & genuino ſenſu Capitis* VII. *ad Romanos*, in qua Ideam exhibet hominis regeniti & irregeniti, quibuſque gradibus tempora ſua decurrat prior, ad vivum depingit. Oſtendit

eadem

eadem, quantis paſſibus Lex & Gratia, Iuſtitia & Peccatum, diſtent: quam differant indole & ſtudiis ratio & appetitus, caro & ſpiritus, totoque opere, quæ veterum pleriſque placuit, ſententiam recognoſces. In quibus deſino, *Articuli*, non autoris ubique decreta, ſed problemata continent, de quibus non inutiliter forte diſputaverint rerum ſacrarum periti.

Hæc operis totius perioche eſt, hæc ſumma. Diſtractis, quæ antea edita erant, exemplaribus, conjunxi opuſcula, & ex multis volumen unum feci, ut & precii parte emptorem, & librorum mole levarem. Tu operam meam, quiſquis es, boni conſule, & Autorem ſi noviſti, judicio tuo fruere; ſi non noviſti, ex ſcriptis hiſce virum, doctrinam, inſtitutum diſce. *Vale.*

CONTENTA HOC OPERE SVNT,

Oratio de Sacerdotio Christi. pag. 9.
Orationes tres de Theologia, quarum Prima de Objecto Theologiæ. pag. 26.
Secunda de Authore & Fine Theologiæ. pag. 41.
Tertia de Certitudine S.S. Theologiæ. pag. 56.
Oratio de componendo religionis inter Chriſtianos diſſidio. pag. 71.
Declaratio ſententiæ I. Arminii *de Prædeſtinatione, Providentia Dei, Libero arbitrio, Gratia Dei, Divinitate Filii Dei, & de Iuſtificatione hominis coram Deo.* pag. 91.
Apologia adverſus Articulos XXXI. pag. 134.
Reſponſio ad quæſtiones novem. pag. 184.
Diſputationes Publicæ. pag. 197.
Diſputationes Privatæ. pag. 339.
Iacobi Armini *amica collatio cum* Fr. Iunio. pag. 458.
Eiuſdem notæ ad Theſes D. Fr. Iunii *de Prædeſtinatione.* pag. 611.
Examen modeſtum libelli Perkinſiani. pag. 634.
Analyſis cap. 9. ad Romanos, cum Aphoriſmis. pag. 778.
Diſſertatio de vero ſenſu cap. 7. ad Romanos. pag. 824.
Articuli nonnulli perpendendi. pag. 948.

PETRI

PETRI BERTII
DE
Vita & Obitu
Reverendi & Clariſſimi Viri
D. IACOBI ARMINII
ORATIO.
Dicta poſt triſtes illius exſequias XXII. Octob. Anno CIↃ.IↃ.C.IX. in Auditorio Theologico.

Magnifici, Reverendi, Ampliſſimi, Nobiliſſimi, Eruditiſſimi Auditores,

QVAM ſit difficile quamque arduum, de Viris præſtantibus in conſeſſu clarorum virorum verba facere, id ego cum antehac aliquoties expertus ſum, tum nunc imprimis ſentio, quum de Reverendo Viro Domino IACOBO ARMINIO S. Theologiæ Doctore poſt triſtes ejus exſequias hoc loco mihi dicendum eſt. Nam quum vir bonus canon ſit & menſura rerum, curandum ei qui virum talem deſcribere voluerit, ut ea excerpat proponatque, quibus vita humana in virtutis ſtudio poſſit proficere. Producenda in theatrum latentia bona, & quæ vel modeſtia celavit, vel livor attrivit, vel calumnia diſtorſit, vel imperitia non obſervavit, remoto ſipario luceque admota, oſtendenda ſunt palàm, verbiſque declaranda, ut quid in quoque laudandum maximè quidque imitandum ſit, omnes conſpiciant. Quo fit, ut quo maior cuiuſque eſt virtus; eò difficilius ſit de ipſo dicere; Maximam enim virtutem maxima comitatur invidia: & quum ſapiens ſine ratione nihil agat, difficile autem ſit, principia & cauſſas ſingularum actionum ſemper explicare: ex his autem pendeat judicium de re omni; efficitur, ut de præſtantibus viris, quorum vita omnis plena eſt diverſis recte ſentiendi agendique exemplis difficillimum ſit judicare. Accedit huc, quod qui id facere inſtituerit, neceſſe habeat quam frequentiſſimè recurrere à lege ad vitam, à vita ad legem:

altera enim alterius ope indiget; & ut lex monet quid faciendum ſit, ita vita oſtendit quid fieri poſſit. Habet autem in ſe ſapiens utrumque: plane ad exemplum Chriſti Domini & Servatoris noſtri, qui primus dixit, *Diſcite à me:* Et Apoſtoli, qui ſuos monet, *Imitatores eſtote mei ſicut ego ſum Chriſti*: Atque ut Polycletus olim non contentus librum ſcri ſiſſe, in quo omnia notaverat quæ ſtatuam humanam adfabrè ſculpturo obſervanda ſunt, poſtea ne præcipere videretur aliis, quod non ipſe obſervaſſet, ſtatuam humanam ipſe fecit, eamque publicè propoſitam vocavit Canonem, lineamenta artis ex ea velut lege peti jubens: ita Vir bonus quum monuerit alios quid faciendum ſit, ipſe quod præſcripſit aliis, primus exſequitur. Eſt autem difficile, vel omnes ſapientis actiones ad normam ſuam legemq; propriam exigere; vel omnium legum in uno invenire exempla. Mihi vero de vita & obitu Reverendi atque incomparabilis viri D. Doctoris IACOBI ARMINII hodierno die in hoc celeberrimo eruditiſſimorum hominum conſeſſu dicturo, non illæ tantum, quas dixi, officiunt difficultates, ſed & aliæ complures. Premit me recens adhuc amici erepti dolor: conturbat triſtis familiæ conſideratio, uxor adflicta, liberi novem patre orbi: movet Academiæ luctus, percellit Reip. & Eccleſiæ tanto viro deſtitutæ recordatio: quæ omnia, in tam recenti vulnere, nondum obducta cicatrice, diſertiſſimo cuique & cordatiſſimo conſilium facile poſsint expectorare. Accedit, quod ipſe etiam hoc omne choragium externi apparatus circa defunctos vehementer, dum vixit, improbavit. Sciebat enim, primum hinc ad venerationem ſanctorum gradum olim factum eſſe: nec decere nos exiſtimabat, quum pericula iſtiuſmodi celebrationum videremus, ipſas celebrationes ſectari. Sed quum ea ſit hodie rerum facies, ut ab iſtà parte minimè nobis metuendum ſit, (huc enim, prô dolor, devenimus, ut de religione conſtituenda potiùs quam de pellenda ſuperſtitione deinceps deſpiciendum videatur) quumque omnium interſit, virtutis exempla protracta in medium, omnibus hominibus ſpectanda proponi; ſuſcepi, ex more, amicorum rogatu, volente Senatu, provinciam, quam niſi violata Chriſtiana charitate & fracta amicitia jam inde à primâ ætate cum ipſo ſincerè cultæ conteſſeratione, detrectare non potui. Quæ quum ita ſint, ſpero, in iſto diſertiſſimorum hominum conſeſſu, in quo nemo eſt qui non me & gravius & luculentius hoc munus obire poſſit, fore neminem, qui officium meum culpaturus ſit. Vos interea Magnifici, Reverendi, Ampliſſimi, Doctiſſimique Auditores rogo obteſtorque, ut ijs quæ dicam fidem autoritatemque apud vos eſſe patiamini:

Commiſimus terræ gremio, Reverendi viri D. IACOBI ARMINII corpus, ſeu templum verius Spiritus ſancti, laboribus, vigilijs, certaminibus, morbis, ærumnis, quaſſum, attritum, fractum: commiſimus inquam in certam beatæ reſurrectionis ſpem: quam ipſe dum vixit credidit, & in quam cogitationes ſuas & conſilia direxit. Patria ipſi fuit Oudewatria, opidulum interfluente Iſala & agri circumiacentis amœnitate fertilitateque, & civium frugalitate atque induſtria, iampridem nobili-

ſatum.

tatum. In hoc ille opido Solem primum conſpexit; eo ipſo quo in Gallia colloquium Poſſiacenum inſtitutum fuit anno, qui fuit quigenteſimus ſexageſimus ſupra milleſimum: in quo colloquio deputati noſtri cauſſam agebant bis mille centum & nonaginta Eccleſiarum, pacem, tranquillitatemque & fidei ſuæ libertatem a Rege ſuppliciter flagitantium. Hic igitur annus, hæc Sparta, hunc terris Laconem dedit: quæ tamen alias quoque ediderat Ioannem de Veteri aqua, Cornelium Valerium, & eum quem hic conſpicitis Cl. ſenem D. Rudolphum Snellium non patriæ tantum ſuæ, ſed etiam totius Academiæ atque imprimis ordinis Senatorij decus. Patrem infans amiſit; Mater vidua tribus onuſta liberis parce vitam & caſtè dum vixit egit.

Erat tunc in illo opido Preſbyter quidam, vir honeſtus & gravis, Theodorus Æmylij, cuius, propter ſingularem eruditionem & ſanctimonia, benedicta eſt hodieque inter vivos memoria. Is quum guſtum melioris purioriſque in religione doctrinæ percepiſſet, decrevit ſemel abominandum illud miſſæ ſacrificium nolle celebrare, itaque ſedes ſuas varie commutabat, & modò Lutetiæ, modo Lovanij, modo Coloniæ, modò Vltrajecti agebat. Hic ergo puerum Patre orbatum ſimul atque ætas inſtitutionis capax fuit, primis utriuſque linguæ rudimentis, & veræ pietatis ac religionis principijs inbuendum curavit. Quumque deprehenderet in eo egregiæ indolis ſpecimina, ſæpè illum exhortatus eſt, ut ſepoſita ſpretaque omni rerum terreſtrium conſideratione, ſe Deo & conſcientię ſuæ adhæreret: exiguum id eſſe quod hic vivitur, ſequi ſtatum poſt hanc vitam, qui non compede aut pileo, ſed beatitudinis vel morti, æternitate eſſet æſtimandus. Inſedit ipſius animum iſta exhortatio, confirmata poſtea lectione adſiduâ ſacrarum litterarum, & pijs meditationibus. Itaque ex eo nullum non laborem, nulla non diſcrimina ſpe vitæ illius, læto atque hilari animo ſubivit. Sed ipſum poſt aliquot annos Vltrajecti ita agentem inopinata oppreſſit calamitas, ob mortem boni illius & religioſi ſenis: quam tamen clemens & benignus Deus haud multo poſt lenijt. Vix enim ille obierat, quum ex Haſſia in patriam forte excurrit D. Rodolphus Snellius, qui iampridem tyrannidem fugiens Hiſpanorum Marpurgum conceſſerat. Is igitur civem ſuum humana omni ope ac præſidio deſtitutum ſecum in Haſſiam abduxit, Anno 1575. Vix autem illic conſederat, quum menſe Auguſto rumor adfertur de patriæ excidio: opidum ab Hiſpano captum, militem præſidiarium occiſum; cives iugulatos, domos incenſas eſſe. Quo rumore in tantum perculſus eſt, ut totos dies quatuordecim in fletu perpetuo & lacrymis conſumpſerit. Itaque impatiens relicta Haſſia in Bataviam excurrit, certus vel patriæ ruinas videre, vel mortem oppetere. Vbi venit, nihil offendit præter rudera, cives pleroſque, matrem, ſororem, fratres, conſanguineos, miſere interemptos, *Et campos ubi Troia fuit.* Redijt ergo Marpurgum itinere ex patria in Haſſiam uſque pedibus confecto. Interea Illuſtriſſimi Principis Auriaci auſpicijs erecta apertaque eſt nova hæc Batavorum Academia: quod ille ſimul atque in Haſſia intellexit, ſtatim cœpit domuitionem adornare. Roterodamum igitur venit, quo cives pleri-

que Oudewaterani, (reliquiæ Danaum atque immitis Achillei) & fideles multi Amſterdamo exſules conceſſerant. Agebat tunc illius Eccleſiæ paſtorem Pater meus, Petrus Bertius; Principi vero a concionibus Gallicis & conſilijs erat D.Ioannes Taffinus: utrique mirifice placuit adoleſcentis indoles, alacritas, promptitudo, ingenium. Pater quum eſſet ὀψιμαθὴς (neque enim ante annum trigeſimum Latinas litteras attigerat) rogatus ab amicis domo ipſum ſua libentiſſime excepit. Conſilium autem erat amicorum ipſum in novam iſtam Academiam ablegare, quam occaſionem pater non negligendam ratus, me qui tunc in Anglia litteris operam dabam, evocat. Simul ergo in hanc Scholam miſſi, ex eo ſemper animis, ſtudijs, voluntatibus fuimus conjunctiſſimi. Neque vero hic ego ætatem tunc temporis actam commemorabo. Vnum hoc dicam: Tantam fuiſſe juventutis in litteris & ſapientię ſtudio contentionem, tantam in doctores reverentiam, tantum zelum atque impetum pietatis, ut vix maior eſſe potuerit. Sed unus præ reliquis eminebat in noſtro ordine Arminius; Si quid ſcribendum eſſet, ſi quid dicendum, quærebatur Arminius. Si diſceptatio oborta Palæmonem requireret, conſulebatur Arminius. Memini quum Dominus Lambertus Danæus doctor & profeſſor noſter publice illum ab ingenij dotibus & profectu, & virtute laudaret; noſque illius exemplo ad S. Theologiam alacriter capeſſendam excitaret. Quid ego hic Poëticæ ſtudium referam, in quo excelluit? quid Mathematicæ? quid reliquæ Philoſophiæ? Nihil ille iſtorum attigit, quod non penetraverit; nihil adgreſſus eſt, quod non feliciter abſolverit. Atque hæc quidem uſque ad annum M. D.LXXXII. quo anno Ampliſſimus Senatus Amſterdamenſis ipſum Genevam, profectus uberioris capiendi cauſſa ablegavit. Quo quum veniſſet, audivit Reverendum & beatæ memoriæ ſenem D. Theodorum Bezam explicantem epiſtolam ad Romanos, cum ingenti omnium hominum admiratione. Erat enim in Beza ſupra cæteros mortaleis flexanima oratio, dictio expedita, ſermo perſpicuus, vox ſuavis, doctrina vero omnium eruditorum hominum judicio excellens. Hunc igitur ſibi præ alijs omnibus ſequendum atque imitandum delegit. Sed quum non poſſet ſibi ſtatim præcipuorum quorundam virorum in ea Schola gratiam & favorem parare, idque (dicendum enim quod res eſt) ob ſolam Philoſophiam Petri Rami, quam ille publice quidem magna contentione defendebat, privatim vero etiam ſuos auditores docebat, coactus eſt Baſileam concedere: ubi quantus juveni honor delatus ſit, quæ fuerint omnium ordinum de illius virtute ſuccreſcente præſagia, teſtari poſſunt ij, qui illius peregrinationis comites fuerunt. Atque hæc quidem judicia & acclamationes ita ille admiſit, ut nunquam ad arrogantiam animum deflexerit, ſed reipſa oſtenderit, nolle ſe ambitu eniti, ſed verâ virtute velle eo contendere, ad quod erat DEI benignitate deſtinatus.

Solent Baſileæ ferijs vindemialibus doctiores ſtudioſi publice interdum in Academia exercitij gratia aliquid extra ordinem docere. Eum laborem Arminus noſter haud invitus ſuſcepit, laudatus ob id à Reverendo viro D. Iacobo Grynæo, qui etiam lectiones ipſius præſentia ſua aliquoties cohone-

honeſtavit: Idem quoq; in diſputationibus publicis, ſi quid gravius proponeretur a ut dignus vindice nodus occurreret, nō eſt veritus honoris cauſa Arminium noſtrum media in ſtudioſorum turba ſedentem citare, & (ut Grynæi candorem agnoſcas) dicere, Reſpondeat pro me Hollandus meus. Eo ipſo tempore Arminius tanta in gratia & fama eruditionis erat, ut ei Genevam diſceſſuro facultas Theologica titulum Doctoris etiam publico ſumptu detulerit: quem ille ut digniorem, quam qui in eam ætatem conferri poſſet, tunc quidem temporis actis gratijs modeſte recuſavit.

Genevam reverſus, offendit animos amicorum in P. Rami Philoſophiam ſedatiores; ipſe quoque de impetu remittendum ratus, ita ſe comparavit, ut facile omnes intelligerent, ſummo ingenio pietatē conjunctam magnum adferre ętati ornamentū. Erant eodem tempore in illa urbe præcipuorum patriæ noſtræ procerum liberi, qui nunc plerique eximijs in Rep. noſtra honoribus funguntur. Horum alij quum in Italiam abijſſent, alij domum eſſent revocati, ipſe ſe ſolum & à ſodalibus reliquis, uno excepto ampliſſimæ nunc in Batavia dignitatis viro, deſtitutum videns, in Italiam quoque excurrere decrevit, motus imprimis fama Iacobi Zabarellæ, qui tunc Philoſophiā Patavij ingenti hominum concurſu profitebatur. Hujus igitur cauſa ſubſtitit Patavij, ubi Germanos quoſdā nobiles docuit Logicam. Poſtea vero curſim reliquā Italiam luſtravit, in eamque profectiunculam ſeptē, non amplius, menſes, impendit; neque Romæ unquam ab Achatis illius ſui latere receſſit: ita enim convenerat priuſquam Geneva diſcederent. Vtebantur eodem hoſpitio, eadem menſa, eodem lectulo: ingrediebantur una, egrediebantur una, & ad pietatis exercitia Græcum Teſtamentum & Pſalterium Hebraicum ſecum una aſportarant. Sæpe illum narrare memini; Italiam ſibi & commoda multa, & damna attuliſſe. Inter cōmoda illud pręcipue ponebat, quod Romæ vidiſſet myſteriū iniquitatis, longe fœdius magiſq; deteſtandum, quā unquam animo concepiſſet: nam quæ vel narrantur de Romana Antichriſti Curia vel leguntur, nugas eſſe ajebat, prę ijs quæ vidiſſet. Inter damna, iſtud: quod in Ampliſſimi Senatus Amſterdamenſis offenſiunculam ob id factū tunc temporis incurriſſet, ſuffundentibus frigidam quibuſdam, quos omnino præſtitiſſet judicia in ipſius reditū ſuſpendere. Hinc ergo ſumpta occaſione: ſpargebatur in vulgus, illū Pontificis ſoleam deoſculatum, quem non niſi in conferta turba, ut reliqui ſpectatores, vidiſſet; nec ſoleat bellua honorem iſtum niſi Regibus ac Principibus deferre. Ieſuitis adſueviſſe; quos nunquam audiviſſet: Bellarmino innotuiſſe, quem nunquam conſpexiſſet: Religionem orthodoxam abjuraſſe, pro qua paratus eſſet ad ſanguinis uſque profuſionem decertare. Hoc interea alieno periculo diſcat pia & Chriſti Eccleſiæ devota juventus: præſtare, Italiā nunquam attigiſſe, quā tanto cum famæ diſcrimine Antichriſti myſteria cognoviſſe: non quod plus habeat periculi, Italiam videre, quam vicinam Antwerpiam, aut Bruxellam, aut Brugas (multo enim plus & illis locis eſt libertatis & iſtis ſuperſtitionis; tutiuſque illic luſtrare omnia licet, quam in Brabantia vel Flandria: ſed quod expediat adverſarijs omnes maledicendi incautis omnes male ſuſpicandi anſas præripere: & ſcandalum potius non dare, quam admiſſum excuſare.

Reduxt ex Italia Genevæ conſedit, ac poſt aliquot menſes revocatus, Amſterodamum ad Męcenates ſuos & Dominos reverſus eſt, inſtructus luculento, *per Chriſti gratiam*, Genevenſium *teſtimonio, & animo ad faciendum officium optimecomparato, ſi Domino Deo placeret, ipſius uti ad opus ſuum in Eccleſia ſua miniſterio*: Hęc enim totidem verbis D. Beza in epiſtola, cujus autographum adverſo.

Amſterodami facile ſe apud viros graves & prudentes de itinere Italico purgavit: ſed infirmi quidem fratres factum illud perpetuo inſectari, & in circulis ſugillare, donec ipſe in Eccleſia audiri cœpit, in qua ſimul atque conſpectus eſt, dici non poteſt, quanto favore omnium ordinum homines ad illum audiendum concurrerint. Fuit enim, (ut ſcitis) in illo incredibilis quædam gravitas lepore temperata, vox gracilis quidem, ſed ſuavis, & canora, & penetrans: ſuada vero admirabilis. Si quid exornandum eſſe, faciebat ita, ut verum non excederet: ſi docendum, perſpicuè: ſi differendum, diſtincte. Iam cantus ille & flexus vocis ita erat rebus accommodatus, ut ex ijs fluere videretur. Quumque Rhetorico apparatu, & Gręcorum myrothecijs non uteretur, vel quod natura ab ijs abhorreret, vel quod indignū divinarum rerum majeſtate judicaret, cincinnos illos & ornatum adſcititium adhibere, quum nuda ſibi veritas ad ſui defenſionem ſufficiat: tamen ita efficaciter vi & pondere argumentorum & ſententiarum gravitate, & ſcripturę ipſius autoritate perſuadebat, ut nemo illum unquam audiverit, qui non ſe commotum eſſe, confeſſus ſit. Itaque alij tunc ipſum limam veritatis, alij ingeniorum cotem, alij novaculam ſuccreſcentium errorum appellabant, nihilque in Religione, aut ſacra Theologia ſapere credebatur, cui Arminius non ſaperet. Ipſi quoque paſtores & concionatores illius urbis, viri & docti & diſerti, adſurgentes illius eruditioni, plurimum ſe ex ipſius concionibus quotidie proficere ingenue agnoſcebant. Atque ita Arminius noſter diductis velis, ſecundis ventis, pleno remigio, faventibus omnibus qui ipſum norant, ad famam & gloriam ferebatur; quum Deo viſum eſt, ſervum ſuum adverſis etiam rebus exercere & patientiam ipſius modeſtiamque per crucem & afflictiones explorare. Quibus id principijs quoque ſucceſſu factum ſit, operæ eſt pretium cognoſcere. Circumferebatur forte quorundam piorum manibus libellus à quibuſdam fratribus in Eccleſia Delfenſi ſcriptus adverſus D. Bezam, hoc titulo, *Reſponſio ad argumenta quædam Bezæ & Calvini ex tractatu de Prædeſtinatione in caput* IX. *ad Romanos*. Eum libellum beatæ memorię D. Martinus Lydius qui antea paſtorem egerat in Eccleſia Amſterdamenſi, tunc vero Profeſſorem agebat in nova Friſiorum Academia, tranſmiſerat ad D. Arminum, rogaveratque adverſus fratres Delfenſes patrocinium ſuſciperet D. Bezę. Credebatur à D. Lydio perquam idoneus huic rei Arminius; cujus & ingenium ſagax, & judicium acre, & vim in docendo ac refutando mirificam partim fama acceperat, partim ipſe expertus fuerat: Neque erat omnino ab hoc inſtituto Arminius alienus; recens enim ex Schola Genevenſi auribus circumferebat ſonum lectionum & argumentorum D. Bezæ. Accingit ergo ſeſe operi. Sed dum molitur refutationem, dum argumenta utrimque expendit, dum confert ſcrip-

ſcripturas, dum ſe torquet ac fatigat, vero victus, primum ſequutus eſt ſententiam illam ipſam quam oppugnabat: poſtea in eam divina virgula & Spiritus ſancti ductu, delatus eſt, quam ad finem uſque vitæ conſtanter adſeruit. Decretum ſcilicet Dei æternum in Prædeſtinatione non eſſe, eligere præciſe & abſolute ad ſalutem quoſdam, quos nondum decreviſſet creare; quod voluit D. Beza: neque vero, poſito decreto creationis & præviſo lapſu, quoſdam, citra antecedentem rationem Ieſu Chriſti; quod volebant fratres Delfenſes: ſed ex creatis & lapſis eos, qui vocanti Deo vera fidei obedentia reſponſuri eſſent, quod ab eruditiſſimo Melanchthone, & Nicolao Hemingio, & alijs permultis Theologis adſertum eſt. Et licet ea jam olim Eccleſiarum noſtrarum fuerit libertas, atque etiam nunc permultis locis ſit, ut in hoc argumento, in quo nulla unquam priſca Synodus quicquam definivit, unam aliquam è pluribus, & doctorem eligere ſine alicujus offenſa ſemper licuerit: (nam, ut alios omittam, Doctor Ioannes Holmanus Secundus, qui graviſſimo pręſtantium Theolorum, atque imprimis DD. Curatorum conſilio, poſt ſollicitatos fruſtra D. Pezelium, & Mollerum, alioſque evocatus, ex hoc ipſo loco docuit; ſententiam Hemingij, ut ſcimus, amplexus eſt, eamque acriter defendit) tamen non defuere Amſterodami, qui negotiũ Arminio in hac cauſſa faceſſerent, accuſarentque ipſum, quod à communi receptaque in Eccleſijs noſtris ſententia recederet; quorum tamen repreſſa eſt ſubito Senatus auctoritate & fratrum æquanimitate vehementia: adeo, ut tranquille, addo etiam amice & fraterne ſemper Amſterodami cum Collegis vixerit, ſine ulla ſimultatis, vel odij vel invidiæ nubecula. Et erat alioqui vir iſte Dei non tantum ad candorem factus, ſed ſanctis quoque Chriſti præceptis, & ſpiritu, ita inſuper efformatus, vt placide diſſentientem ferret; neque facile de quoquam deſperaret, qui modo Chriſtum in ſcripturis loquentem audire vellet, quam illius divinam moderationem & æquanimitatem omnes & novimus & admirati ſumus, tanto magis, quo nos ipſos ab iſtis bonis proprio conſcientię noſtrę teſtimonio ſentimus adhuc abeſſe longius.

Quum autem obitu Clariſſimorum & præſtantiſſimorum virorum D. Doctoris Iunij & D. Lucæ Trelcatij ſenioris orbata Profeſſoribus Academia Herculem requireret, qui ſuſtinere hunc orbem poſſet, (quem interea ſolus, & à Collegis deſtitutus fulciebat Atlas, Reverendus vir Doctor Franciſcus Gomarus) una omnium voce, & publico patriæ conſenſu itum eſt ad Arminium, qui nihil minus cogitans, Eccleſiam Chriſti jam decimum quintum annum Amſterodami curabat. Sed quum Amſterdamenſes negarent ſe illius opera carere poſſe, quod hunc pręcipue dicerent habere ſe, quem ſuccreſcentibus hæreſeon monſtris opponerent, dici non poteſt quanta tunc bonorum fuerit conſternatio. Deliberatum eſt varie nihil nõ tentatũ. Profecti ſunt publico nomine ipſi Academię noſtræ Curatores, Nobiliſſimus Douſa. & D. Neoſtadius, una cum Ampliſſimo viro Reip. noſtræ Syndico D. Nicolao Zeyſtio: miſſus eodem ab Illuſtriſſimo Principe D. Ioannes Vtenbogardus paſtor Eccleſiæ Hagienſis, & ex ſuprema Curia D. Nicolaus Cromhoutius. Hi omnes varie Prudentiſſimum ejus Reip. Sena-

Senatum, & Synedrium paſtorum ſeniorumque permovere atque impellere. Vix tandem multis laboribus, precibus, ipſa quoque Illuſtriſſimi Principis interceſſione obtentum eſt, ut dimiſſus operam præſtaret Academiæ. Obſtabant nihilo ſecius, qui optimos conatus plerumque ſolent ſubvertere, ſuſpicionum rumuſculi, quibus innocentiæ ſuæ & candoris & eruditionis clypeum oppoſuit. Hoc fretus, Dei in reliquo benedictionem ſecurus exſpectabat. Ergo re Hagæ Comitis apud DD. Curatores audita diſceptataque in præſentia gravium quorundam Theologorum, deprehenſum eſt, *ſuſpiciones illas male fultas fuiſſe, neque cauſam fuiſſe, cur de fideli Chriſti ſervo quiſquam iniquius ſentiret: libertate enim prophetandi in Eccleſia conceſſa uſum, nihil docuiſſe quod Religioni Chriſtianæ eſſet inimicum.* Doctoris ergo gradum Deo hominibuſque faventibus conſequutus eſt publice in hac ipſa Academia primus, conferente eum ſolenniter ex hoc ipſo loco Anno M. DCIII. Reverendo viro D. Doctore Fr. Gomaro. Sic igitur Iacobus Arminius in Fr. Iunij locum jubentibus ita Curatoribus ſurrogatus eſt. Et ne quid ipſius hic fidei atq; autoritati deeſſet, ob ea quæ Amſterodami aliquando ſparſa fuerant, placuit presbyterio Eccleſiaſtico illum diſcedentem luculentiſſimo teſtimonio exornatum, omnibus pijs, probis, & doctis viris cõmendare. Quod ita ſonat,

TESTIMONIVM ECCLESIÆ
AMSTERDAMENSIS.

SI ipſa æquitatis ratio, in communi hominum ſocietate, pro lege jam diu ratum voluit, ut commendatione præclara, veritatiſque teſtimonio honeſtiore digni judicarentur, qui uſpiam de repub. optime meriti eſſent: multo magis honore iſto digni ſunt, qui in verbo Dei laborantes, ſacroſancto Euangelij miniſterio, in Eccleſia Domini noſtri Ieſu Chriſti pluribus annis, ſingulari, cum fructu, tum laude præfuerint. Quare quum idipſum nunc à nobis, Reverendus in Domino Frater D. D. Iacobus Arminius petierit, huic nullo modo denegandum duximus.

Hoc itaque ſcripto, omnibus ac ſingulis teſtatum velimus, prænominati viri ornatiſſimi ac in Chriſto ſymmyſtæ omnium Chariſſimi, cum vitæ inculpatæ, tum ſanæ doctrinæ, tum denique morum ſummam integritatem, ita nobis jam diutina conſuetudine eſſe perſpectam & exploratam, ut nihil antiquius nobis ſit, quam illius conſilio, opera familiaritate & neceſſitudine ſemper frui, amicitiamque, quæ jam multo tempore inter nos fuit, colere. Cæterum, quandoquidem aliud Deus Opt. Max. de ipſo nobiſque conſtituiſſe videtur: eſt, de quo ipſi Domino Deo noſtro maximas agamus gratias, pro ſumma hactenus ſua erga nos, totamque hanc Eccleſiam noſtram benevolentia, qua confectum eſt, ut ex hujus prædicti Domini, ac cooperarij in vinea Chriſti omnium dilectiſſimi ſtudio & labore, inter

noſtros

noſtros hic indefeſſe nobiſcum & alacriter exantlato, fructus & videre & jucundiſſime percipere potuerimus non pœnitendos. Dilectiſſimo autem huic in Domino Fratri, pro conjunctis ſuis in Domino viribus, pro alacritate in æquis paribuſque nobiſcum functionis ſuæ partibus ſedulo tuendis, pro promptiſſimo ubivis nobis communicato conſilio, nihil non ſine debere, omnes, animo lubentiſſimo confitemur. Quare, ut breviter verbo uno omnes dicamus, (quandoquidem ipſius & pietas & ſumma probitas, nec non eruditio ſingularis, ſuo id ſibi jure quodammodo, vendicare videtur) ita Ampliſſimum hunc Dominum ac Fratrem in Chriſto maxime venerandum, omnibus piis, probis, doctiſſimiſque viris commendamus, ut majori ſtudio, magiſve ex animo commendare non poſſimus. Datum in Synedrio noſtro Amſtelrodami viij. Septembris 1603.

Omnium nomine,

Verbi Adminiſter divini Ioannes Vrſinus Præſes Synedrij.
Ioannes Hallius Eccleſiaſtes Amſtelrod.
Ioannes Halsbergius ejuſdem Eccleſię Paſtor.

Sed & claſsis univerſa συςατικὰς ipſi dedit in hanc formam.

TESTIMONIVM CLASSIS AMSTERDAMENSIS.

VNiverſis & ſingulis præſens hoc noſtrum teſtimonium lecturis vel audituris, ſalus & pax per unicum Mediatorem Chriſtum: Quoniam Ornatiſſimus Doctiſſimuſque vir D. Iacobus Arminius ab Illuſtribus & doctrina clariſſimis Dominis Curatoribus Academiæ quæ eſt Lugduni Batavorum à Miniſterio ſancto (quo multis jam annis ſumma cum laude in Eccleſia Amſterdamenſi functus eſt) ad publicam profeſſionem ſacroſanctæ Theologiæ vocatus & publice inauguratus eſt: nos diſcedentem præſenti hoc noſtro ſcripto, licet exiguo, iiſdem, & omnibus probis commendare, noſtroque teſtimonio, (ut moris eſt) cohoneſtare voluimus. Teſtamur itaque nos ſervi Ieſu Chriſti, una cum Senioribus ejuſdem Claſſis Amſterodamenſis, prædictum D. Doctorem Arminium jam ante annos quindecim fuiſſe membrum noſtræ claſſis, quo tempore ſanam doctrinam pure, magno cum fructu docuit, Sacramenta juxta inſtitutionem Domini adminiſtravit, & veram Chriſtianamque Religionem magno cum Zelo propagavit, ſuaque diligenti præſentia Claſſicalem cœtum ſemper ornavit, ſuo quoque prudenti conſilio, res arduas magnique momenti cum aliis compoſuit, onera omnia impoſita ad ædificationem Eccleſiarum

ſpectantia, prompte ſemper ſuſtinuit, ſanctamque ſuam vocationem honeſtate & probitate vitæ in hunc uſque diem ornavit. Breviter, ſeſe talem cum in munere ſancto, tum in vitæ conſuetudine erga omnes, qualem verum Chriſti ſervum decet, præſtitit: ut pro ſua erga nos benevolentia & humanitate qua quemque noſtrum complexus eſt, maximas & immortales ipſi agamus gratias. Rogamus itaque univerſos, & ſingulos, cujuſcunque ſint Ordinis, ut prænominatum D. D. Iacobum Arminium, talem quem diximus, habeant, agnoſcant, complectantur, foveantque. Eum quoque tali honorequo dignus eſt (propter eximia eius ingenij, & ſingularia in illo lucentia dona) afficiant, ac pro virili ſanctos ejus conatus adjuvent, ad Dei nominis gloriam, nec non Scholæ & Eccleſiæ ædificationem. In quem finem nos eius Collegæ & conſervi multiformem Spiritus ſancti gratiam illi ex animo omnes comprecamur. Amſterodami, è Claſſicali noſtro conventu, Calendis Septembris, 1603.

Ioannes Halsbergius, Præſes Claſſis.

Ioannes Hallius, Eccleſiaſtes Amſterodamenſis Scriba Claſſis, ejuſdemque nomine.

Satiſne honeſte ac laudabiliter de Arminio fratres teſtati ſunt? Sic ergo ille in Academiam venit. Ex eo tempore Collegæ omnes amicum conjunctiſſimum, Scholæ Senatorem, Profeſſorem, Rectorem, Studioſi omnes patrem humaniſſimum experti ſunt.

Vix pedem intulerat in Academiam, quum ſtatim deprehēdit S. Theologiæ conſecraneos quæſtionum dumetis ſeſe implicare, & neglectis ſcripturis ſpinoſa quædam Theoremata & Problemata ſectare. Hoc ille malum, re cum Collegis communicata emendare ſtuduit; & fecit magnâ ex parte: revocavit enim priſcum illud, & maſculum & toroſum ſtudendi genus, juveneſq; palabundos ad fontes ſalutis, (puros illos atque illimes fontes) retraxit, quantum potuit, ut ex ijs religio quæreretur: non illa quæ altercationibus aut nuda ſpeculatione contenta ad animos paſcendos comparata eſt ſed quæ charitatem ſpirat, quæ veritatem eam ſectatur quæ eſt ſecundum pietatem: quâ diſcunt adoleſcentes juveniles cupiditates fugere, domitiſque carnis illecebris vitare mundi inquinamenta, eaq; facere & pati; quæ Chriſtianum à Gentili diſcernunt. Illud identidem inculcans Servatoris noſtri,

Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, nequaquam ingrediemini in regnum cælorum.

Afficiebat ipſum interea Chriſtianitatis tam miſere divulſæ & diſtractæ conſideratio, de qua raro ſine lacrymis, nunquam ſine altis gemitibus loquebatur. Oſtendebat, optare ſe, ut diſiecta Eccleſiæ membra in unum aliquando corpus ex præcepto Domini coaleſcerent. Iudicabat, id quod res eſt, Curiam Papalem non quærere ea quæ ſunt Chriſti, ſed voluptates, honores, lucrum, pompam hujus ſeculi, & tyrannidem in animas pariter & in corpora. Proinde de rebus ſalutis & communi pace conſtituenda non

poſſe

poſſe aut debere quemquam cum illa meretricula inire conſilia. In alijs magna parte eſſe ſtudium conſcientiæ & pietatis; ac non tam intentione aut propoſito peccari, quam dubijs ambagibus in quibus multos ignorantia, multos majorum autoritas; multos dogmatum vel à ſe poſitorum vel diu defenſorum pertinacia; multos ſcripta revocandi vel retractendi pudor, multos denique iniquum de fratribus judicium à concordia arcerent; Quibus omnibus medicinam putabat adferri poſſe, non a gladio, cruce, laqueo, vivicomburio ſed a precibus & placida atque amica inſtitutione, & ſanctę converſationis exemplo. Itaq; cum omnes ad pietatem hortabatur, tum illud imprimis curabat ut reſectis ſpinoſis quæſtionibus & ingenti inanium adſertionum pondere, quibus Scholæ perſtrepunt, ea duntaxat ex ſcripturis peterentur, quæ ad fidei neceſſitatem facerent, & ad vitam bene beateque in Chriſto tranſigendam. Quem ipſius conatum eluſurus Satan, incautis perſuadere ſtuduit, fieri hæc ab ipſo ad gloriam aucupandam, ad oſtentandam ingenij vim, ad res innovandas, ad ſerram contentionum & altercationum reciprocandam. Movit igitur veterem Camarinam iterum maleſuada ſuſpicio; ſed eam Profeſſores ipſi & Collegæ prudenti Curatorum conſilio in ipſa herba oppreſſere: cujus in rei fidem hoc inſtrumentum proferendum putavi.

EX GESTIS ACADEMICIS.

Profeſſores facultatis Theologicæ, quum ipſis relatum eſſet, Claſſem Dordracenam hâc gravamen formâ conceptum inter cætera poſuiſſe,

Quum in Eccleſia & Academia Leidenſi rumor ſit, controverſias quaſdam circa doctrinam reformatarum Eccleſiarum obortas eſſe, cenſuit Claſſis, neceſſarium eſſe, ut de ijs controverſijs quam tutiſſimeque componendis Synodus deliberet, ut ſchiſmata omnia & offendicula quæ inde oriri poſſunt, tempeſtive amoveantur, conſerveturque unio Eccleſiarum reformatarum contra adverſariorum calumniam;

D. D. Curatoribus & Conſulibus ſciſcitantibus, num quæ ipſis controverſiæ iſtiuſmodi eſſent perſpectæ: re inter ſe primum examinata ſeorſim perpenſaque, unanimiter reſponderunt: Optaſſe ſe, à Claße Dordracena melius ordinatiuſque in hac re actum eſſe: Inter ſtudioſos quidem opinari ſe plura diſputari, quam ipſis gratum ſit; inter ſe vero, hoc eſt inter facultatis Theologicæ profeſſores, nullum diſcrimen, quod quidē conſtet eſſe in fundamentis doctrinæ. Daturos quoque operam, ut quæ inter ſtudioſos diſputationes iſtiuſmodi obortæ ſunt, minuantur. Actum X. Aug. A°. 1605. Subſcripſere,

Iacobus Arminius pro tempore Rector Academię.
Franciſcus Gomarus.
Lucas Trelcatius.

Eo ipſo die, quum idem quoque propoſitum eſſet D. Iohanni Kuchlino Regenti Collegij Theologici, reſpondit, ſe ijs quæ à D. D. profeſſoribus dicta erant, ſuffragari. Subſcripſit

Ioannes Kuchlinus Regens.

Atque hæc quidem tunc ita acta. Poſtea cognitionem eorum quæ ferebantur, Hagæ Comitis ſuſcepere Illuſtrium Ordinum voluntate Senatores Curiæ Auguſtæ: qui quid de re omni ſenſerint, referrem, niſi id omnes quotquot adſunt, ſcire arbitrarer. Sed dum ſic luctatur, collecto tandem ex laboribus, pertinaci ſeſſione, adſiduis ſtudijs, & certaminibus ſine ulla miſſione intercurrentibus, morbo athleta Chriſti lectulo tandem defixus eſt: Quid autem mirum ſi commotus fuerit famę ſuæ, ſalutis, & laborum diſpendio; quum neque viro bono quicquam fama ſua ſit antiquius, neque Chriſtiano ſalute, neque S. Theologiæ doctori petitis ex ſcriptura demonſtrationibus. *Oppreſſio*, inquit Siracides *inſanire facit ſapientem.* eadem huic dolorem, ex dolore morbum conciliavit, ex morbo mortem. O tetrum, & viperium, exque imo tartaro excitatum malum! Quoties illum ex Propheta privatim etiam cum gemitu exclamantem audivimus? *Væ mihi mater mea, quare genuiſti me, Virum diſcordiæ in univerſa terra? nec fœneravi, nec fœneravit mihi quiſquam: & tamen omnes maledicunt mihi.* Revocavit tamen ſeipſe ad rationis & tranquillitatis ſepta, animo nunquam non excelſo, nunquam non in fratres ſuos æquo & comi: quorum cauſſa paratus erat quaſlibet malevolorum contumelias devorare & concoquere, ſtomacho non Catonis, ſed Spiritus Chriſti. Erupit autem latens visceribus malum præcipuè VII. Februarij hujus anni: quod quidem tunc ita ſe prodidit, ut medici ſtatim lenta & cauta curatione opus eſſe judicarent. Etſi vero initio æger vix corpus traheret: tamen per intervalla, quum liceret, lectionum & vocationis ſuæ labores non intermiſit; neque cauſſæ ſuæ, ubi opus fuit, defuit. Itaque Hagam iterum iterumque evocatus excurrit, & præclaram fidei ſuæ profeſſionem edidit coram multis teſtibus, & poſt ultimam illam amicam collationem hoc uno ſecundum Deum & conſcientiæ ſuæ teſtimonium ſe ſolatus eſt, quod in panegyri totius Hollandiæ eſſet à Dominis ſuis Clementiſſimis patienter auditus: quorum ille prudentiæ tantum tribuebat, ut, ſi quid ſibi humanitus eveniret, non defuturos ſperaret, qui cauſſę æquitatem quam ſemel cognoviſſent, eſſent ſapientiæ ſuæ & favoris patrocinio defenſuri. Haga domum delatus, vix ſe compoſuerat ad Dominorum ſuorum mandata exſequenda, conſignandaque accurratè quæ à ſe fuerant in amica collatione propoſita; quum iterum illum vis morbi adorta eſt, tanto vehementius, quanto plus incrementi ex mora & virium imbecillitate contraxerat. Itaque morbo preſſus litteris ad Illuſt. Ordines ſcriptis, ſeſe modeſte excuſavit, quod ipſorum voluntati dicto die parere non poſſet: *Se lectulo ægrum detineri, conſignaſſe jam magnam partem, quam nunc Deo ita volente cogatur abrumpere. Alias ſe auditum, remque omnem tunc ſcripto fuiſſe exhibitam; Poſſe illud neceſſitati ſatiſfacere.*

tere. Si tamen ea ipſa, quæ conſignarat omnino cuperent, curaturum, ut ſe vel reſtituto per Chriſti gratiam integra omnia & perfecta haberet, vel defuncto abrupta. Quã vero confeſſionem edidiſſet, tantum abeſſe, ut de ea quicquam dubitaret, ut contra conſtanter judicet, eam per omnia ſacris litteris convenire. Proinde ſe in ea perſtare: Paratum cum hac ipſa fide coram tribunali Ieſu Chriſti Filij DEI *judicis vivorum & mortuorum, vel eo ipſo momento comparere.* Interea invaleſcebat indies morbi vis, obnitentibus quidem quantum per artem atque induſtriam fieri potuit, naturæque vires prolectantibus Clariſſimis & exercitatiſſimis medicis, D. Doctore Pavio, D. Sebaſtiano Egberti, D. Henrico Saelio, D. Reinero Bontio: ſed fruſtra; quum indomita mali pertinacia ipſi quoque arti faceret opprobrium: Altius enim defixa quam ut evelli poſſet, nova indies excitabat ſymptomata: febres, tuſſim, hypochondriorum extenſionem, exſpirandi difficultatem, oppreſſionem a cibo, laborioſos ſomnos, atrophiam, arthritidem; nullamque ægro pauſam vel requiem concedebat: acceſſere poſtea dolores in inteſtinis, ilio, & colo, cum obſtructione nervi optici ſiniſtri, & ejuſdem oculi obfuſcatione: nihilo interea minus deſæviente calumnia, aut de conſueta atrocitate remittente; cujus hoc loco immane, ſtupendum, tetrum, atque horribile & ad poſterorum memoriam tranſmittendum commemorabo exemplum. Quum de alterius oculi obfuſcatione innotuiſſet; fuere, qui hoc inter pœnas quas Deus hoſtibus ſuis, & impijs contemptoribus ſui nominis comminatur, referre auderent: adfirmarentque, hunc præ alijs inſignite improbum vel ex ſupplicio iſto. Et ne ſchema vel color huic tam fœdo atque immani facinori deeſſet, conſulti ſunt libri ſacri, quos nunquam Chriſtiano niſi cum veneratione & precibus adire licuit. Inventus eſt apud Zachariam Prophetam locus de oculorum & totius corporis tabe, ita ſonans.

> *Hæc erit plaga qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnaverint adverſus Ieruſalem. Tabeſcet caro uniuſcujuſque ſtantis ſuper pedes ſuos, & oculi ejus contabeſcent in foraminibus ſuis, & lingua eorum contabeſcet in ore ſuo.*

Et alter.

> *O paſtor idoli, derelinquens gregem, gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dexterum ejus: brachium ejus ariditate ſiccabitur, & oculus dexter ejus tenebreſcens obſcurabitur.*

Is locus in ſanctum Chriſti ſervum corpore quidem adflictum, ſed animo nunquam non felicem, nunc vero etiam feliciſſimum contortus eſt. Horreſco tam enormis, & deteſtandi, & impij facti memoria. Quis tu es ô homo qui fratrem tuum condemnas propter quem Chriſtus ſanguinem ſuum profudit? quid ſervũ Dei petitis quaſi ex ipſo cœlo oraculis inſectaris, quem preclare de Eccleſia univerſa meritum non ingrata poſteritas agnoſcet? quid judicium tibi uſurpas in fratrem, quem amari præcepit Dominus? Audi ipſum.

Non peccavit iſte, neque parentes ejus, ſed hæc fiunt ut manifeſtentur opera Dei.

Audi iterum eundem.

Nolite judicare, ne judicemini.

Audi Apoſtolum.

Mihi pro minimo eſt quod judicer a vobis, aut ab humano judicio. Qui judicat me, Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus judicare, quoaduſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc erit laus unicuique a Deo.

Adeone tu ſecurus es eventus tui, ut conſtet te non vel acerbiore dolore cruciandum. Et tamen non dexter oculus laboravit, ſed lævus, neque excœcatio fuit, ſed obfuſcatio duntaxat, neque exſiccatum eſt brachium, ſed intumuit. Lingua vero ad extremum uſque articulum vitæ officio ſuo expedite functa eſt. Ita miſeris hierophantis ſupera, infera, dextera, læva, divina, humana, pariter quum volunt ancillantur. Fuere etiam qui de nomine ludentes VANI ORBIS AMICVM, comminiſcerentur: quaſi non idem aliquando impietas in ſancto Chriſti nomine auſa fuerit? Abite ſcarabæi, ſæculi incommoda. Quid non tentabitis in ſervo, qui ipſi Deo & Domino vitæ non pepercistis? Sed redeo ad id unde digreſſus fueram. Hiſce omnibus malis fatigatus, conſtantem tamen animum & placidam mentem ſemper ſervavit. Itaque de feſtivitate illa & lepore, & conſueta hilaritate frontis, & pectoris candore nunquam quicquam remiſit, accedentibus ad Deum pro ſe & pro Eccleſiæ concordia precibus ardentiſſimis. Quam crebræ fuerunt, quam ferventes illius ad I. Chriſtum in morbo eiaculationes? quę gaudia ſibi pollicebatur? qua fidei perſeverantia extremum illum ſibi in terris diem exſpectabat? Si fratres ſe ad preces componerent, ipſeque dolore impediretur, jubebat ſubinde exſpectare, donec ad ſe redijſſet ut una poſſet hoc fraternitatis officio defungi. Precum formulæ è pluribus paucę iſtę notatæ ſunt. *Magne Paſtor ovium, qui per ſanguinem æterni fœderis reductus es ex mortuis, Domine & Servator Ieſu, adeſto mihi ovi infirmæ atque aflictæ.*

Domine Ieſu, fidelis & miſericors Pontifex, qui in omnibus ſimiliter tentari voluiſti abſque peccato, ut ipſa experientia edoctus quam grave ſit Deo per paſſiones obedire, poſſes noſtrarum infirmitatum ſenſu affici, miſerere mei, ſuccurre mihi ſervo tuo decumbenti, & tot malis preſſo. Deus ſalutis meæ, redde animam meam idoneam regno tuo cœleſti, corpus vero reſurrectioni.

Quum autem invaleſcente vi mali à medicis eſſet admonitus, ut ob incertos vitę exitus diſponeret domui ſuæ, & ſi quid ultima voluntate mandatum vellet, curaret; tanta ęquanimitate ſed ad mortem compoſuit, ut amici adſtantes qui in omni vita mores ipſius obſervaverant, tantam tamque heroicam in extremo actu moderationem fuerint admirati, petierintque ab eo ultimum beatè moriendi exemplum, à quo jampridem multa didicerant recte vivendi. Quum igitur ſentiret tempus imminere reſolutionis ſuæ, neque ignoraret Diaboli inſidias, nihil prius habuit, quam ut in

condendo

condendo teſtamento brevem ipſe conſiliorum ſuorum vitæque rationem dictaret. Eam, quia fidelis doctoris officium continet, in exemplum inque teſtimonium recitabo.

EX TESTAMENTO.

Ante omnia commendo animam meam quando ea ex corpore ſuo emigrabit, in manus Dei creatoris ſui, & fidelis Salvatoris, coram quo teſtor me bona conſcientia in munere meo & vocatione ſimpliciter & ſincere ambulaſſe: ſollicite admodum & curioſe hoc cavens, ne quid proponerem aut docerem, quod non adhibita ante diligenti ex ſcripturis ſacris diſquiſitione comperiſſem cum iiſdem ſcripturis ad amuſſim convenire: quæque ad propagationem amplificationemque veritatis, Religionis Chriſtianæ, veri Dei cultus, communis pietatis, & ſanctæ inter homines converſationis, denique ad convenientem Chriſtiano nomini tranquillitatem & pacem iuxta verbum Dei poſſent conferre, excludens ex iis Papatum, cum quo nulla unitas fidei, nullum pietatis aut Chriſtianæ pacis vinculum ſervari poteſt.

His igitur ita peractis, dies aliquot in invocatione Chriſti, & gratiarum actione & meditatione vitę melioris tranſmiſſi ſunt: quibus D. Ioannes Vtenbogardus & D. Hadrianus Borrius ipſum prę aliis frequenter inviſerunt: uterque veteris amicitiæ & variorum diſcriminum ſocietate ipſi conjunctiſſimi: hic vero etiam in quotidiano precum apud ægrum officio præſtando adſiduus. Tandem vero XIX. Octobris, circa meridiem, fidelis iſte Dei ſervus, defunctus ſtrenue omnibus militiæ ſuæ ſtipendiis, conſummato curſu, decertato bono illo certamine, ſervata fide, animam ſuam jam pertæſam curarum, jam ſaturam ærumnarum hujus mundi, jam liberationem exoptantem, jam ſanctorum gaudia prægustantem, jam Chriſtum Deum ſuum ac redemptorem cernentem, oculis in cœlum ſublatis, placide inter ſanctas eorum qui aderant, preces, Deo Patri creatori ſuo, Filio redemptori ſuo, Spiritui Sancto ſanctificatori ſuo reddidit, acclamantibus omnibus, *Moriatur anima mea morte juſtorum.*

Ita occidit nobis etiam iſte Sol: ita mortuus eſt juſtus, quo mundus iſte dignus non fuit: ita ſublatus eſt Pater tot Prophetarum: ita curru Iſraëlis & equitibus ejus in altum à nobis ſubvectus eſt IACOBVS ARMINIVS, & nunc immunis, liber, atque expeditus ærumnis, habet coronam tot laboribus, tanta perſeverantia fidei, tanta ſanctimonia expetitam, fruiturque cœleſti Ieruſalem, inter frequentiam multorum millium angelorum, & Eccleſiam primogenitorum qui conſcripti ſunt in cœlis: videtque judicem omnium, & ſpiritus juſtorum perfectorum

& Teſta-

& Teſtamenti novi mediatorem Ieſum, & ſanguinem adſperſionis melius loquentem quam Abel: exſpectat vero diem illum, quo Deus mortuum illud & à nobis depoſitum corpus conforme redditurus ſit glorioſo corpori Filij ſui, ſecundum potentiam qua ſibi poteſt ſubjicere omnia.

Nos vero, quantiſper viſum erit Deo fluctibus iſtis jactabimur, donec ille miſertus etiam aliquando noſtri, ſuo quemque ordine ex hoc cœno in cœleſtia gaudia evocabit: benedictam interea in Eccléſia ſanctorum ſervantes memoriam D. IACOBI ARMINII, cum hoc elogio, FVISSE IN BATAVIA VIRVM, QVEM QVI NORANT NON POTVERVNT SATIS ÆSTIMARE: QVI NON ÆSTIMARVNT, NVNQVAM SATIS COGNOVERVNT. Quod reliquum eſt, Mag. Rev. Ampliſſ. Nobiliſſ. Eruditiſſimi auditores, ad amabilem Eccleſię concordiam contra ſcandala & ſuſpiciones hujus ſeculi vos exhortaturus, non utar alijs, quam Apoſtoli Ioannis verbis:

Dilecti, diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit fratrem ſuum, ex Deo natus eſt, & cognovit Deum. Qui non diligit, non novit Deum; quoniam Deus charitas eſt.

DIXI.

IACOBI ARMINII
S. S. Theol. Doct.

ORATIONES
ITEMQVE

TRACTATVS
aliquot inſigniores:

In quibus quidnam ſentiat de quamplurimis in S Theologia hoc tempore controverſis quæſtionibus, ingenuè atque apertè profitetur.

Horum omnium ſeriem proxima pagina indicat.

Index eorum quæ hoc libro continentur.

Oratio de Sacerdotio Ieſu Chriſti, habita cum Auctor Doctor S. Theologiæ crearetur.

Orationes tres de Theologiâ,

Prima, de Objecto Theologiæ:

Secunda, de Auctore & fine Theologiæ:

Tertia, de Certitudine S. S. Theologiæ:

Oratio de Componendo Religionis diſſidio inter Chriſtianos.

Declaratio quâ Auctor ſententiam ſuam profitetur de Prædeſtinatione, Providentia Dei, Libero Arbitrio, Gratia Dei, Perſeverantia Sanctorum, Certitudine ſalutis, Perfectione fidelium in hac vita, Divinitate Filij Dei, & de Iuſtificatione hominis coram Deo, apud Nob. & Præpotent. Ordines Hollandiæ & Weſt-Friſiæ.

Reſponſio ad XXXI. Articulos in vulgus ſparſos.

Quæſtiones novem cum reſponſionibus & anterotematis Auctoris alijs.

Nobiliſſimis & Ampliſſimis viris

DOMINIS

CVRATORIBVS ACADEMIAE,

ET

CONSVLIBVS

Civitatis Lugdunenſis apud Batavos.

NObiliſſimi atque Ampliſſimi Viri, *ut in eo omni, in quo veritas aliqua militat (quippe quæ una in ſe atq; omnino ſimpliciſſima eſt) idem omnes inter nos ſentiamus; votum debet certe noſtrum omnium eſſe, quotquot a contentione & diſſidijs animos alienos gerimus: quin vero in Religione atque S. Theologia res hac expetenda ſit multo adhuc magis, atque alibi ullibi, hicque maxime in id allaborandum atque omni ope enitendum ſit, nemo ignorare poteſt, niſi qui aut quid Religio ſit, prorſus ignoret, aut quantum mali diſſidia in Religionem invehant, quantumq; eam impediant, morentur, aut lædant.*

Nihilo tamen minus tam non inter ſe diſſident qui alias ſcientias atq; artes tractant, quin qui S. Theologiam tractant, multo inter ſe diſſideant acrius: dolendo utique exemplo, cum, utut cæteri maxime inter ſe committerentur, eos tamen id facere multo indigniſſimum ſit, quorum totum propemodum officium in eo conſiſtit, ut pacem euangelizent, pacem ipſimet colant cæteriſque omnibus ſuadeant, atque ſub ſalutis ſuæ æternæ periculo colendam dictent, ut filij pacis ſub eo qui Deus pacis eſt. Si quis vero porro horum atque illorum contendendi inter ſe modum accuratius cum animo ſuo ulterius expendat, illos quidem diſſidere ſententijs inter ſe nullibi fere non experietur, ſed nihil mutuo in ſe tentare aut ſtatuere atrocius: Deus vero bone, quo non uſque protumpimus, qui in eadem ipſa Chriſtiana Religione alij ab alijs diverſam ſententiam ſequimur! Calamis nocentius quam ferro inter nos diſcernimus: neque intra diſſidia, odia atque æternas inimicitias ſeſe lites noſtræ coërcent, a Religionis no-

pationum ſuarum quotidianarum mole, etiam quam habent aciem atque ἀγχίνοιαν mentis ad abſtruſas haſce diſquiſitiones convertere non poſſunt, & tamen nemo horum omnium in ſalute ſua periclitaretur libenter vel minimum; utrum inquam ſuos illæ Magiſtros atque Anteſignanos mox illico ſequi, ſibi invicem libellum repudij mittere debeant, fratrumque ſibi invicem renunciare jus? quibuſcum quotidie eundem ipſum in ſolo Jeſu Chriſto Patrem invocant, atque eodem ipſo baptiſmate ablutæ, ſub eadem ſpe, in eodem ipſo fidei obſequio ambulare, quantum per Dei gratiam poſſunt, ſatagunt? Tandem vero videturne etiam hoc jure merito quæri poſſe, quouſque in intimos atque penitiſſimos S. Scripturæ ſenſus ad aphoriſmos in Religione conſtituendos, penetrare liceat, atque utrum non alicubi meditari debeamus illud Apoſtoli, μὴ ὑπερφρονεῖτε παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν ἀλλὰ φρονεῖτε εἰς τὸ σωφρονεῖν, atque

Rom. 12. *quærendi alicubi limites nobis circumſcribere, maxime cum res Scripturæ divinæ ſint, nos autem homines ſimus; gloria Dei ſit, ſua quædam occulta habere Prov. 25. ſimplicitas ſæpe ſe extricet, unde non extricet ſe ſubtilitas: charitas juxta Apoſtolum ædificet, ſcientia inflet, fereque hodie ejuſcemodi controverſias tractemus, unde exitus non pateat; niſi Deus ipſe e cælo verborum ſuorum interpretem ſe edat, ut olim per Vrim & Tummim factum: quod tamen ipſum ſi fieret, contra quæ non multo poſt haberemus quæ obijceremus alia poſt alia. Mirum vero ſi non in Theologia quoque quamplurima ſint, ad quæ quum ſuper ijs conſulimur æquum ſit ſalvo meliore judicio, & ſua juxta Scripturas prophetandi libertate cuique relicta, ſæpenumero ſententiam nos dicere, indeque ſiquis diſſentiat, illum placide ferre atque perpeti: quidquid autem rimando ex jugi ſacrarum Scripturarum lectione eruimus, id omne citra contentionem ad noſtram, & quam maxime multorum aliorum pietatem promovendam referre non magis expediat. Credimus, ſi eodem Spiritu duceremur, facile idem ſenſuros nos, atque eodem modo animatos fore.*

Matth. 11. *Arcana Iehovæ patefiunt timentibus ipſum Pſal. 25. Myſteria Regni Cælorum parvulis revelantur, optimaq; Dei cognitio, imo totum hominis, timor & obedientia Jehovæ ſunt Eccl. 12. Contendere ſi placet, in hoc contendamus ut alter altero pientiores ſimus.*

Ex hoc genere cogitationes quamplurimæ, cum præter lachrymas quas ſæpe ei excutiebant, Parentis noſtri animum, ſupra quam quidquam aliud mirifice exercerent, pro ſua incredibili ſagacitate diſſidia amicorum, ipſorum diſpendia, hoſtium compendia eſſe judicantis (quæ omnia in ſua hac de re elucubratiſſima oratione, omnino tractavit ipſe accuratiſſime:)

tiſſime:) atque hoc modo Eccleſijs ſaltem quæ minimum inter ſe diſſident, ad offenſionem ac ſectarum in Chriſtianiſmo repurgato averruncationem & regni Antichriſtici deſtructionem, inter ſe coadunandis (veritate qua aut ſtamus, aut cadimus, ſemper illæſa) cum bono Deo placide, atque ſarto tecto ſuo quibuſque quorum intereſſet nomine; gnaviter ſeduloque pro ſuo modulo incumberet, viam potius ad hanc rem per tranſennam, quo aliorum laudi ſtuderet, parce præmonſtraturus: quam ipſus eam proterve ſuis, quibus ſe libenter ſubijciebat, magiſtris atque ſymmyſtis in Domino, quaſi propriæ laudi velificans, præſcripturus; ſed contra quam opinabatur, quorundam fortaſſe nimio zelo in partes raperetur: ecce factum eſt, ut Deo ſic res humanas adminiſtrante, Nobiliſſimi atque Ampliſſimi Viri, Academiæ noſtræ antiſtites honorandi: Scholæ veſtræ, Eccleſiis, ea, cui ille incumbebat, opera graviter laborantibus, nobiſque privatim novem ipſius liberis etiam ipſis, triſtiſſima utique calamitate ſupremum ſuum diem clauderet. Atque Academia quidem & Eccleſia quas dixi, quid damni ex reverendi atque colendiſſimi Parentis noſtri obitu paſſæ ſint, utut ſententia excellentium aliquot Virorum nos minime lateant, rectius tamen honeſto quodam ſilentio modeſte nos præterimus, nempe quod in noſtra ipſorum cauſa teſtimonium dicere videremur, qui in veſtris Ampliſſimis judicijs, quæ multis argumentis luculenter comprobaviſtis, quam libentiſſime nobis acquieſcimus.

Quod vero nos privatim attinet, quæ calamitas nobis potuit accidere luctuoſior? cum amiſimus Parentem, qui decus atque columen familiæ noſtræ fuit. Ea illum ætate amiſimus, qua etiamnum florente neque provecta uſque adeo utebatur, quin ſi Deo ita viſum fuiſſet, ut vulgo vivitur, multo longiore uti potuiſſet; noſtrum vero quotquot ſumus, nemo decimum octavum adhuc ætatis annum exceſſit, ut rebus noſtris quiſquam noſtrum per nos ipſemet vel minimum proſpicere poſſit. Tunc quidem, cujus laus ſoli Deo debetur, quidnam tandem omnium nobis deerat, quod optare maxime poteramus? ſi inſtitutione opus habebamus, ille nos jugiter inſtituebat; ille animos noſtros timore Domini omnique pietate imbuebat, ille mores noſtros formabat. Si ab officio diſcedebamus, ille nos in gyrum revocabat. Si conſolatione indigebamus, ille nos omni conſolationum genere conſolabatur. Atque ſi quidem diutius illum nobis ſuperſtitem per Dei gratiam habuiſſemus, ſub illo domeſtico noſtro formatore in quales arbores Dei benedictione ſuccreviſſemus? erepto vero eo nunc nobis, omnes noſtræ nobis ſpes una conciderunt, ſortiſque humanæ ſpectaculum præbemus; atque infeliciſſimi mortalium evaderemus

(utut

(utut fælices tali parente ſati, cujus memoria non poteſt non per omnem vitam calcar nobis ad omnem pietatem addere) niſi clementiſſimo atque benigniſſimo Deo viſum fuiſſet veſtras A. A. nobis patronos ſuccenturiare illi, vobiſque nos in clientelam veſtram ſuſcipere. Atque hoc quidem nomine gratos nos veſtris A. A. per omnem vitam noſtram pollicemur, utque non intra ſola verba pollicitatio hæc noſtra conſiſtat, ecce hoc ipſo jam illico tempore aliquod gratitudinis noſtræ teſtimonium A. A. veſtris exhibemus: Lucubrationes nempe aliquot Reverendi parentis noſtri, quas ſub Ampliſſimis veſtris auſpiciis in Academia veſtra elucubravit, cum partim Doctoratus titulum poſt acerrimam promeridianam & pomeridianam diſputationem ſuſcepturus erat, profeſſionemque ſuam auſpicaturus, partimque cum Rectoris Magnifici munus depoſiturus eſſet, honorifice eo perfunctus: Sed maxime declarationem illam, in qua ſuam de Prædeſtinatione ceteriſque id genus articulis ſententiam inter ipſos profeſſionis ſuæ labores apud Illuſtriſſimos DD. Ordines luculentiſſime profeſſus eſt, latine quantum fieri potuit, fideliſſime redditam. Deus vero nobis concedat ut ſicuti devotiſſimis animis hæc nunc vobis qualiacunque offerimus, ita quoque benigne quaſo ea a nobis accipiatis. Interea vero Deum Opt. Maximum precamur ut veſtras A. A. ab omnibus undecunque malis tueatur ac defendat, vobiſque prolixe in eo omni, quod Illuſtriſſimorum Dominorum Ordinum nomine inſtituitis, quodque vero etiam privatim unquam ſuſcipietis, prolixiſſime benedicat.

Veſtris A. A. addictiſſimi

D. IACOBI ARMINII
Veteraquinatis Liberi orphani
novem.

ORATIO

ORATIO DE SACERDOTIO CHRISTI

habita à

D. IACOBO ARMINIO cum publicè Doctor S. Theologiæ crearetur.

Magnifice D. Rector, Clariſſimi, Reverendi, Conſultiſſimi, Peritiſſimi, Doctiſſimique Viri, Celeberrimæ hujus Academiæ Patres, vos reliqui omnium ordinum Hoſpites digniſſimi, tuque Nobiliſſima & ſtudioſa juventus, ſeminarium Reipublicæ & Eccleſiæ magis magiſque indies efflóreſcens.

SI ullus ordo eſt, quẽ parum deceat honores hujus mundi, præſertim quos pompa & adplauſus comitantur, affectare, is certe eſt Eccleſiaſticus; eorum, quos & Dei ipſius & apud Deum obtinendæ gloriæ zelus totos occupare debet. Interea tamẽ, quum laudabili majorum inſtituto hæc in omnibus bene conſtitutis Academiis obtinuerit conſuetudo, ut ad munus in illis docendi non admittantur, niſi qui publico aliquo & ſolemni teſtimonio probitatis & ſcientiæ ſunt inſigniti, non reſpuit iſte ſanctus ordo hæc judicia publica, modò ſanctè, decorè & ſecundum Deum uſurpentur; imò unicè illorum obſervationem, tanquam Eccleſiæ Chriſti in primis neceſſariam, expetit & deſiderat. Memor enim eſt dicti Apoſtolici: *Ne cui cito manus imponito;* & alterius: *Oportet Paſtorem & Doctorem Eccleſiæ aptum eſſe ad docendum, tenacem fidelis ſermonis, qui ad doctrinam facit, ut poſſit etiam exhortari per doctrinam ſanam, & contradicentes convincere.* Neminem itaque in celeberrimo hoc conſeſſu tam ignarum arbitror publicorum rituum hujus Academiæ, aut tam iniquum eorundem æſtimatorem, ut præſens inſtitutum noſtrum vel admirari poſſit, vel ſiniſtrius interpretari velit. Cæterùm quum & hoc in more poſitum ſit, ut in hujuſmodi feſtivitatibus Academicis thema aliquot ad Dei gloriam & auditorum fructum piamque obteſtationem in Domino tractetur, & ego cauſam nullam videam, cur iſti mori morem gerere ex conſcientia non debeam (quamquam ad conſpectum Ampliſſimi & Doctiſſimi hujus conſeſſus infantiæ meæ mihi conſcius non parum extimeſcam) ſumſi etiam mihi thema aliquod profeſſioni conveniens pertractandum, grande, ſublime & adorandæ plenum Majeſtatis, nihil veritus edictum Horatianum:

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, aquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

Cui in Theologicis materijs locus eſſe non poteſt, quæ omnes dignitate & gravitate ſua omnium hominum, quin & Angelorum, captum & vires exſuperant, eouſque, ut Apoſtolum Paulum, qui in tertium cœlum raptus verba ineffabilia audiverat, in hanc exclamationem erumpere coëgerint: Quis idoneus ad iſta? Quare aut extra profeſſionis metam vagandum mihi erit, quod indecorum eſt, aut omnino tacendum; ſi edicti iſtius authoritatem defugere non liceat. Sed licet & fas eſt.

2. Cor. 2. 16.

Quæ enim Deo glorioſa ſunt & hominibus ſalutaria, in cœtibus ſanctorum pia mente celebranda ſunt, & grata voce prædicanda. Propoſui itaque de Sacerdotio Chriſti dicere, non quod mihi perſuadeam, de illo à me enunciari poſſe, quę vel rei dignitas vel hujus cætus amplitudo exigit (ſuffecerit enim & abunde meo functum me officio arbitrabor, ſi pro neceſſitate ad communem utilitatem aliquid protulero:) ſed ut gratiam aliquam fœnerer orationi à materiæ præſtantia, quam illi dictionis elegantia præſtare non poſſum. Verum enimvero quia de tam ſublimi myſterio quæ vera & ſancta ſunt, neque mente concipere neque voce proferre poſſumus, niſi propitium Dei Numen mentibus & linguis noſtris adfuerit, hujus præſens auxilium ſupplice prece, in nomine Sacerdotis noſtri Ieſu Chriſti imploremus. Tu itaque ſancte & miſericors Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Fons omnis gratię & veritatis, dignare nos frequenti hoc cœtu in nomine ſancto tuo congregatos favoris tui pręſentia; immenſę ſanctitatis tuę gratioſiſſimo rore animas ſpiritus & corpora noſtra adſperge, ut grata tibi inter ſanctificatos tuos ſit converſatio; Spiritus tui ſancti gratia adſiſte, qui mentes noſtras vera tui & Filij tui cognitione imbutas magis magiſque illuminet, corda noſtra ſyncero glorię tuę zelo accendat, os meum aperiat, linguam dirigat, ut quę vera, juſta & ſancta ſunt de Sacerdotio Filij tui dicere poſſim ad nominis tui gloriam, & omnium noſtrûm aggregationem in Domino, Amen.

Iam vero debitis inſtituto noſtro votis decenter premiſſis, rem propoſitam cum bono Deo aggrediar, ubi tamen & vos omnes, qui ſolennem hunc actum noſtrum veſtra præclara, erudita & gratiſſima nobis pręſentia cohoneſtare voluiſtis, obſecravero, ut de re graviſſima dicturo attentionem, quam materia meretur, & favorem benevolentiamque, quæ mihi prorſus neceſſaria eſt, pro ſolita veſtra benignitate, pręſtetis; ſpondeo, ne patientia veſtra abutar, brevitati, quantum res patietur, operam daturum. Illa autem à primordijs Sacerdotii deducenda eſt, ut inde ad Chriſti, de quo agimus, Sacerdotium commodè decurrat oratio.

Primus omnium, qui inter Deum & Homines reſpectus eſt, dati & accepti conſtat rationibus; hic alterum ſibi ſuccedaneum poſtulat, qui ab hominibus initium ſumat, in Deum deſinat, agnitionem ſcilicet beneficij accepti ad munifici datoris honorem: debitum quidē ob beneficium jam collatum, ſed non pręſtandum niſi ex poſtulato & pręſcripto datoris;

ris: Cujus & illa ſemper mens fuit, ut creaturę arbitrium menſuram honoris ſui eſſe noluerit; & tanta eſt benignitas, ut à beneficiarijs ſuis gratam beneficij primitus communicati recognitionem poſtulare nolit, niſi altero inſuper longè majore mutuę fęderationis illos ſibi devinxerit, & quę benignitatis extrema linea eſt, ſe quoque ijſdem ad beneficia infinitis partibus excellentiora conferendum obſtrinxerit, & quidem hoc ordine, ut ſe prius illis, quam illos ſibi obligatos velit. Conſtat enim fœdus omne Dei cum hominibus initum duabus partibus, promiſſione Dei priore, quâ ſe hominibus ad officium aliquod & officij actus convenientes obſtringit, & pręſcriptione poſteriore officij, quod ab hominibus viciſſim ſtipulatur, & de quo homines Deo mutuum reſpondent: pollicetur ſe illis Regem & Deum fore, omniaque regis boni munia erga illos obiturum, reſtipulans ut illi populus ipſius ſint, ideoque ex pręſcripto ipſius vivant, & ab illius bonitate omnia bona petant & exſpectent: quibus duobus actibus hominum erga Deum officium conſtat, ex fœdere cum illis primum inito.

Duo itaque ſunt in univerſum munera inter Deum & homines ipſi fœderatos obeunda: unum Regium & authoritatis ſupremę, alterum religioſum & devotę ſubmiſſionis. Illius uſus eſt in bonorum neceſſariorũ communicatione, malorum averruncatione, legiſque latione, ſub quo prophetiam complectimur, quę nihil eſt aliud quam voluntatis Regię adnunciatio vel ab ipſo Deo vel ab aliquo ipſius mandatario & legato ceu fœderis internuncio facta: nequis arbitretur iſtud munus, cujus creberrima in Scripturis eſt mentio, inſuper habitum à nobis eſſe, locum illi ſuum adſignamus ſub iſto architectonico ſuccenturiatum. Sed Regio in præſentiarum omiſſo; ad Religioſi penitiorem intuitum progrediemur: Cujus originem ex fœderatione deduximus, debitum in Regij uſurpatione poſuimus, actionem propriam in gratiarum actione & precatione collocamus. Hæc actio omnibus in univerſum fœderatis ex vocatione communi religioſe præſtanda incumbit, & horſum verbo fœderis ſanctificati ſunt & conſtituti omnes Deo Sacerdotes ut donaria & preces offerant altiſſimo. Cæterum quia ordinis amans eſt Deus, ipſe unicus & merus ordo, voluit ex ſanctificatorũ numero unum aliquem peculiariter ſibi ſegregari, & ad Sacerdotij munus ſingulari vocatione inſtrui, qui familiarius ad thronum ejus accedens, pro conſortibus ejuſdem fœderis & religionis curaret quæ apud ipſum erant illorum cauſa peragenda. Atque hinc exiſtit Sacerdotij munus apud Deum pro alijs obeundum, ingentis ſane dignitatis & præcipui honoris inter homines. Et quamquam ex hominibus ſit aſſumendus & pro hominibus conſtituendus, tamen penes homines ipſos non eſt deſignare quem velint iſti muneri præfectum, non etiam cujuſpiam eſt honorem illum ſibi uſurpare, ſed ut munus ipſum divini eſt arbitrij, ita quoque perſonæ ad ejus adminiſtrationem delectus penes ipſum eſt, voluitque ab illo obiri, qui juſta aliqua de cauſa primas tenebat inter conſanguineos. Is erat paterfamilias, quem excipiebat primogenitus. Hujus exemplum

habemus in ſanctis patribus tum ante tum poſt diluvium: in Noacho, Abrahamo, Iobo expreſſe id videmus. Sunt etiam non imi ſubſellij, qui Cainum & Abelum ſua ſacrificia ad patrem Adamum adtuliſſe dicunt, ut ipſe illa Deo offerret, id colligentes ex verbo הביא ibidem uſupato. Hęc quanquam ex deſcriptione temporis, quo peccatum jam in mundum ingreſſum erat, deſumantur, tamen veritatem ſuam obtinent in primęva generis humani inſtitutione, de qua jam agimus. Illius enim temporis proprium eſt, ut totum Sacerdotium ſolius Euchariſtici ſacrificij & precum oblatione circumſcribatur. Hiſce ergo muneribus ritè functus Sacerdos ſuorum conſortium nomine, in familiarem cum Deo communicationem à benigno numine eſt admiſſus, obtinuitque ab illo munus ipſius Dei nomine apud conſanguineos ſuos adminiſtrandum, velut Angelus Iehovę exercituum. Voluntatem enim ſuam illi Deus aperuit, quo illam porro ad ſuos à commercio Dei reverſus enunciaret: eamque duplicem, tum quam à ſuis fœderatis expleri volebat Deus, tum quam ipſe illorum bono perficere: in quo prophetiæ ſita eſt adminiſtratio, cujus cauſa Lex dicitur ab ore Sacerdotis requirenda: quumq; poſterior illa ex certa fiducia de veritate divinorum promiſſorum, & ſancto erga congeneres adfectu pronuntianda eſſet, hinc quoque ipſi benedicendi partes impoſitę ſunt. Atque hoc modo duplici fungens legatione, hominum ad Deum, & Dei ad homines, velut Mediator fœderis initi fuit utrinque. Verumenimvero non contentus munificus Deus iſto honore ſuum ſanctificatum affeciſſe, in Regij quoque muneris vicariam dignitatem illum evexit, ut jam Dei imaginem inter ſuos gerens, illius nomine ius ipſis diceret, & commune illorum procuraret.

Ex hoc fonte orta eſt Sacerdotij & Regij muneris velut nativa conjunctio, quæ etiam poſt peccatum obtinuit in ſanctis patribus, & in Melchizedecho expreſſe eſt adnotata. Quod & à Patriarcha Iacobo generatim ſignificatū eſt, quū Rubeno primogenito ſuo dignitatis & roboris excellentiam propter jus primogenituræ debitam pronunciat. Verum poſtea certis de cauſis Regium a ſacerdotali ſeparatum eſt ex voluntate Dei, qui in populo ſuo Regium munus in Iudam, & Sacerdotium in Levi, velut bipartiens, tranſtulit. Decuit autem iſtum ad Deum acceſſum per ſacrificij Euchariſtici & precum oblationem fieri pura mente, ſancto adfectu, & manibus reliquiſque corporis membris incontaminatis. Obtinuit enim illud etiam ante peccatum: *Sanctificamini, nam ego ſanctus ſum: Deus peccatores non exaudit: Ne addatis offerre ſacrificium, manus enim veſtra plenæ ſunt ſanguine.* Eſt enim conſtans & perpetua hæc Dei voluntas. Cæterum primus Homo & Sacerdos Adam non diu illud munus ut decuit adminiſtravit: inobediens enim Deo factus de fructu arboris vetitæ comedit, & ſanctificatam Deo animam & corpus turpi inobedientiæ & defectionis crimine commaculavit. Quo facto & jure Sacerdotij excidit, & eodem reipſa per divinam ſententiam eſt privatus, quod per ejectionem extra Paradiſum, ubi coram Deo comparebat in typo habitaculi ipſius, claræ eſt ſignificatum: juxta immotam

1.Sam. 2. 3. regulam juſtitiæ divinæ: Abſit à me ut Sacerdotio fungaris mihi, honorantes enim me honorabo, & contemnentes me contemnentur. Neque ipſe tantum excidit, ſed & omnes, quorum tunc perſonam gerebat, cauſamque agebat, licet nondum exiſtentium, una cum ipſo de tantæ dignitatis faſtigio ſunt dejecti. Neque Sacerdotio tantum, ſed & fœdere, cujus Mediator & internuncius erat Sacerdos, exciderunt; deſijtque Deus hominum Rex & Deus eſſe, & ipſi populus ipſius deſijt ipſum quoque Sacerdotium, nemine exiſtente, qui id obire poſſet ex fœderis iſtius ratione: deſijt ſacrificium Euchariſticum: deſijt invocatio nominis divini: deſijt communicatio gratioſa inter Deum & homines. Miſera prorſus & miſeranda Humani generis conditio fuit illo rerum ſtatu; ſi beata illa gens rectè prædicatur, cujus Deus eſt Iehova. Et incumbet hæc ineluctabilis miſeria noſtro generi in æternum, niſi miſericors & miſerator Iehova illos in gratiam recipere dignetur, & fœdus aliud, non ſecundum id, quod transgreſſi erant, quodque jam inveteraverat, imò abolitum erat, ſed novum gratiæ, cum ijſdem inire ſtatuat. Verum hoc obſtante juſtitia & veritate non poteſt, niſi ſequeſter & ſponſor interveniat, qui Mediatoris partes inter Deum offenſum & peccatores obeat; non jam acceſſurus ad Deum cum ſacrificio Euchariſtico pro beneficijs humano generi collatis, neque cum precibus quæ eorundem continuationem & augmentum tantummodò impetrent: ſed offerendi ſacrificij cauſa pro maleficio, quod Deo intulerant præceptũ illius transgrediendo, & precium pro impetrandi remiſſione peccatorum: Hinc extitit neceſſitas ſacrificij expiatorij, & propterea aliud fuit Sacerdotium conſtituendum, cujus functione peccatum admiſſum expiaretur & homini peccatori acceſſus ad gratiæ Dei thronũ fieret, quod eſt ſolius Chriſti noſtri Sacerdotium. At noluit Deus temporum diſpenſator ſapientiſſimus, ut iſtud Sacerdotium ſtatim ab initio mundi & peccati obiretur. Voluit prius neceſſitatem illius rectè intelligi per conſcientiarum de peccatorum multitudine & gravitate convictionem: voluit animos hominum ſerio illius deſiderio tangi, ſic tamen, ut interea certâ ſpe Sacerdotij illius aliquando obeundi fulcirentur adverſus deſperationem ex peccatorum conſcientia, quæ niſi per illud Sacerdotium tolli non poterant: Hæc omnia obtinuit Deus inſtituto ad tempus Sacerdotio typico, quod homines infirmi & peccatores ex lege carnalis mandati per animalium ad id ſanctificatorum immolationem, primitus ſparſim per totum terrarum orbẽ, inde in populo Iſraëlitico, peculiariter in Sacerdotale regnum electo, obiverunt. Quum enim animalium ſanguis funderetur, in quo vita illorum erat, ſuum meritum in morte illorum contemplabantur; neque enim peccaverant illa, ut morte ſua peccatum luerent. Quod ipſum diligentius intuentes & æqua judicij lance penſitantes, intellexerunt, peccata ſua per illa ſacrificia, aliena nempe & humanis longe viliora, expiari non poſſe. Vnde concludi neceſſe erat, quum nihilominus iſta offerrent, nihil aliud quã chirographum ſe Deo tradere, quo ipſi peccata ſua coram illo obſignabant, & debitum confitebantur. Attamen quoniam inſtituta à Lev. 17. 14.

ſtra cultu alij alios arcemus, alij alijs ſalutem abjudicamus, imo vero ad
reſtes atque exquiſitiſſima ſubinde uſque ſupplicia annuentibus nobis cæco
Zelo Magiſtratibus odia noſtra promovemus: eſtque hujus rei nimis
recens adhuc memoria, quam uti eam refricare opus ſit: zelo ſcilicet
Chriſti quoties ſanguinem eorum fudimus, qui toti ipſimet Chriſto ſtu-
duerunt, pietati & ſaluti incubuerunt, innocentiſſime ſemper vixerunt,
neminique nocuerunt, cum ne ſanguis aliorum funderetur, ſuum pro illis
Chriſtus effuderit! Hic vero aliquoties valde mirari ſubijt, quid rei
eſſe poſſit, quod quum ubique veritas una ſolum ſit, falſitas autem quam
maxime deteſtanda ſemper veniat, tamen qui in alijs ſcientijs atque ar-
tibus verſantur, eos quos apud ſe certo errare & quod falſum eſt, adſe-
rere atque urgere cum animis ſuis perſuaſiſſimum ſibi habent, pro ſuo
merito ſaltem ex ſua ſententia atque opinione non inſectentur acrius ode-
rintque magis; quum nempe falſitas tanto videatur ferenda minus eſſe,
quanto conſiſtit in ſcibili aliquo nobis propinquiore minuſq; ab appreben-
ſione atque captu noſtro remoto. Hoc quidem ſi ita ſe habet, jam ratio
aliqua eſſe videtur, cur in eo, quod Religioni dediti ſcire quidem inten-
1. Cor. 13. dimus, contentionem debeamus fovere minus: maxime cum præterea di-
1. Cor. 12. ctum ſit, notitiam noſtram ex parte hic ſolum eſſe, Deumque nobis non
omnibus ex æquo dona ſua admetiri. Sed nimirum hoc præcipue ſemper
oggeri ſolet, errori in Religione plus periculi ſubeſſe, ideoque minimum,
aut potius nihil alios nos alijs indulgere hic debere. Quomodo nos gerere
debeamus contra eos, qui Religionis animam atque vitam petunt, de eo
nunc non dicemus quidquam; avertat bonus Deus, ut, præterquam quod
homines ſumus atque eſſe debemus, quidquam amplius commune cum
illis habeamus. Sed quod eos attinet, qui iiſdem nobiſcum principijs
Religionem ſuperſtruunt, qui Pontificiam εἰδωλομανίαν una nobiſcum
ejuraverunt, tyrannidem in ſe mutuo exercere, operam ſuam commo-
dante gladio ſeculari, non volunt, ſolumque ſententijs in rerum quarun-
dam abſtruſiorum perſcrutatione inter ſeſe diſſident, atque, ut verbo di-
cam, a Pontificia Religione quam longiſſime, a nobis vero quam mini-
mum abſunt, videturne jure merito diſquiri poße, quis ſit ſententiæ, cui
errorem ſubeſſe putamus, genius, & quoad uſque quemque eam ſequen-
tem certo damnet, quum ſe per pœnitentiam nunquam ab ea apud Deum
purget, ſed citra pertinaciam, malitiam, atque ullum conſcientiæ re-
morſum, æque ſibi recte ſentire videtur, imo æque firmiter, eademque
animi fiducia in integritate cordis ſui ſolo Dei verbo fretus in ea ſibi ad
extremum uſque vitæ ſpiritum acquieſcit, atque maxime quiſquam no-
ſtrum.

ſtrum ulla in re ipſi poſſumus? quod quidem non omnis, ut ſæpe de ea nobis videtur, Hæreſis damnet, quotidie adverſus multa Patrum Conciliorumque anathemata adſtruimus. Sed rurſus, videturne quidquid ad ſalutem præciſe creditu, ſperatu, factu neceſſarium eſt, non ſolum, quatenus verum eſt, ſed etiam quatenus ſic neceſſarium eſt, tam clare ex Scripturis probari debere, uti omnes, etiam indocta plebs, quotquot legis & conſcientiæ ſuæ prædicatione de miſeria ſua convicti, ſalutem ſuam avide ſitire incæperunt, mox illico id intelligere, adſequi, atque manibus quaſi palpare poſſint, idque ſic Ieſus Chriſtus ſuis ipſiuſmet verbis citra omnem omnino obſcuritatem enuntiaverit? cujus autem dogmatis neceſſitas ad ſalutem liquido, perſpicue atque irrefutabiliter inter ipſoſmet Chriſtianos probari non poſſit, de eo aut non videri contendendum, aut cum magna placiditate conferendum citra læſionem pacis, qua commune Eccleſiæ continetur? maxime cum pars alterutra præ teneritudine conſcientiæ aliquo uſque ulterius ſententiam ſuam promovere non audet, periculi conſcia ubi a littore longius receditur? Quæ certe hujus generis ſunt, nunquam in ullo illa Chriſtiano concilio aut in dubium vocari, aut determinari primum debuerunt, cum ante omnia concilia exploratiſſima, imo omnibus concilijs priora hæc fuiſſe debuerint. Hæc certe ratio componendorum diſſidiorum ſi adhibita jam olim fuiſſet, pauciora ſchiſmatum notaremus tempora, ſententijſque aut præpediendis aut terminandis aliter obviam itum fuiſſet. Præterea videturne jure merito diſquiri poſſe, utrum, quod propemodum fatale Theologiæ eſt, qualis per accuratas atque indefeſſas S. Theologiam profitentium in Academijs atque ſcholis διατριβὰς, (quæ præ inſita omnibus nihil non ſciendi libidine nullibi metam ſibi ponunt) S. Theologia vel invita propemodum eſſe cogitur, ſcholaſtica nempe atque ἐριστικὴ, immenſam perplexiſſimarum concluſionum ex ſe mutuo pullulaſcentium atque dependentium ſegetem catenamque complexa; talem etiam neceſſe ſit religionem eſſe, quæ omnium communis ſtatui debet eſſe eorum, quos ſervare per eam atque ſibi in peculium ſanctum aſſerere, ſine macula & ruga Deo Optimo Maximo viſum eſt? ac proinde utrum cum ſubactiſſimi judicij atque perſpicaciſſimi captus Theologi in diluta alicujus quæſtionis deciſione, (in cujus dijudicationem haud facile admitterent, niſi inter mille, imo millia aliquot multa unum) convenire inter ſe non poſſunt, ſed potius ſeſe a ſe invicem dirimere atque diſſeparare deprehenduntur, Eccleſiæ quoque illico, quæ Ieſu Chriſto colliguntur, atque maxima ex parte ex ſimpliciore hominum genere conſtant, quorum præterea non pauci præ occu-

pationum ſuarum quotidianarum mole, etiam quam habent aciem atque ἀγχίνοιαν mentis ad abſtruſas haſce diſquiſitiones convertere non poſſunt, & tamen nemo horum omnium in ſalute ſua periclitaretur libenter vel minimum; utrum inquam ſuos illæ Magiſtros atque Anteſignanos mox illico ſequi, ſibi invicem libellum repudij mittere debeant, fratrumque ſibi invicem renunciare jus? quibuſcum quotidie eundem ipſum in ſolo Jeſu Chriſto Patrem invocant, atque eodem ipſo baptiſmate abluta, ſub eadem ſpe, in eodem ipſo fidei obſequio ambulare, quantum per Dei gratiam poſſunt, ſatagunt? Tandem vero videturne etiam hoc jure merito quæri poſſe, quouſque in intimos atque penitiſſimos S. Scripturæ ſenſus ad aphoriſmos in Religione conſtituendos, penetrare liceat, atque utrum non alicubi meditari debeamus illud Apoſtoli,
Rom. 12. *μὴ ὑπερφρονεῖτε παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν ἀλλὰ φρονεῖτε εἰς τὸ σωφρονεῖν, atque quærendi alicubi limites nobis circumſcribere, maxime cum res Scripturæ divinæ ſint, nos autem homines ſimus; gloria Dei ſit, ſua quædam occulta habere Prov. 25. ſimplicitas ſæpe ſe extricet, unde non extricet ſe ſubtilitas: charitas juxta Apoſtolum ædificet, ſcientia inflet, fereque hodie ejuſcemodi controverſias tractemus, unde exitus non pateat, niſi Deus ipſe e cælo verborum ſuorum interpretem ſe edat, ut olim per Vrim & Tummim factum: quod tamen ipſum ſi fieret, contra quæ non multo poſt haberemus quæ obyceremus alia poſt alia. Mirum vero ſi non in Theologia quoque quamplurima ſint, ad quæ quum ſuper ijs conſulimur æquum ſit ſalvo meliore judicio, & ſua juxta Scripturas prophetandi libertate cuique relicta, ſæpenumero ſententiam nos dicere, indeque ſiquis diſſentiat, illum placide ferre atque perpeti: quidquid autem rimando ex jugi ſacrarum Scripturarum lectione eruimus, id omne citra contentionem ad noſtram, & quam maxime multorum aliorum pietatem promovendam referre non magis expediat. Credimus, ſi eodem Spiritu duceremur, facile idem ſenſuros nos, atque eodem modo animatos fore.*
Matth. 11. *Arcana Jehovæ patefiunt timentibus ipſum Pſal. 25. Myſteria Regni Cælorum parvulis revelantur, optimaq; Dei cognitio, imo totum hominis, timor & obedientia Jehovæ ſunt Eccl. 12. Contendere ſi placet, in hoc contendamus ut alter altero pientiores ſimus.*

Ex hoc genere cogitationes quamplurimæ, cum præter lachrymas quas ſæpe ei excutiebant, Parentis noſtri animum, ſupra quam quidquam aliud mirifice exercerent, pro ſua incredibili ſagacitate diſſidia amicorum, ipſorum diſpendia, hoſtium compendia eſſe judicantis (quæ omnia in ſua hac de re elucubratiſſima oratione, omnino tractavit ipſe accuratiſſime:)

tiſſime:) atque hoc modo Eccleſijs ſaltem quæ minimum inter ſe diſſident, ad offenſionem ac ſectarum in Chriſtianiſmo repurgato averruncationem & regni Antichriſtici deſtructionem, inter ſe coadunandis (veritate qua aut ſtamus, aut cadimus, ſemper illæſa) cum bono Deo placide, atque ſarto tecto ſuo quibuſque quorum intereſſet nomine, gnaviter ſeduloque pro ſuo modulo incumberet, viam potius ad hanc rem per tranſennam, quo aliorum laudi ſtuderet, parce præmonſtraturus quam ipſus eam proterve ſuis, quibus ſe libenter ſubjiciebat, magiſtris atque ſymmyſtis in Domino, quaſi propriæ laudi velificans, præſcripturus; ſed contra quam opinabatur, quorundam fortaſſe nimio zelo in partes raperetur: ecce factum eſt, ut Deo ſic res humanas adminiſtrante, Nobiliſſimi atque Ampliſſimi Viri, Academiæ noſtræ antiſtites honorandi: Scholæ veſtræ, Eccleſiis, ea, cui ille incumbebat, opera graviter laborantibus, nobiſque privatim novem ipſius liberis etiam ipſis, triſtiſſima utique calamitate ſupremum ſuum diem clauderet. Atque Academia quidem & Eccleſia quas dixi, quid damni ex reverendi atque colendiſſimi Parentis noſtri obitu paſſæ ſint, utut ſententia excellentium aliquot Virorum nos minime lateant; rectius tamen honeſto quodam ſilentio modeſte nos præterimus, nempe quod in noſtra ipſorum cauſa teſtimonium dicere videremur, qui in veſtris Ampliſſimis judicijs, quæ multis argumentis luculenter comprobaviſtis, quam libentiſſime nobis acquieſcimus.

Quod vero nos privatim attinet, quæ calamitas nobis potuit accidere luctuoſior? eum amiſimus Parentem, qui decus atque columen familiæ noſtræ fuit. Ea illum ætate amiſimus, qua etiamnum florente neque provecta uſque adeo utebatur, quin ſi Deo ita viſum fuiſſet, ut vulgo vivitur, multo longiore uti potuiſſet; noſtrum vero quotquot ſumus, nemo decimum octavum adhuc ætatis annum exceſſit, ut rebus noſtris quiſquam noſtrum per nos ipſemet vel minimum proſpicere poſſit. Tunc quidem, cujus laus ſoli Deo debetur, quidnam tandem omnium nobis deerat, quod optare maxime poteramus? ſi inſtitutione opus habebamus, ille nos jugiter inſtituebat; ille animos noſtros timore Domini omnique pietate imbuebat, ille mores noſtros formabat. Si ab officio diſcedebamus, ille nos in gyrum revocabat. Si conſolatione indigebamus, ille nos omni conſolationum genere conſolabatur. Atque ſi quidem diutius illum nobis ſuperſtitem per Dei gratiam habuiſſemus, ſub illo domeſtico noſtro formatore in quales arbores Dei benedictione ſuccreviſſemus? erepto vero eo nunc nobis, omnes noſtræ nobis ſpes una conciderunt, ſortiſque humanæ ſpectaculum præbemus; atque infeliciſſimi mortalium evaderemus

(utut

(utut felices tali parente ſati, cujus memoria non poteſt non per omnem vitam calcar nobis ad omnem pietatem addere) niſi clementiſſimo atque benigniſſimo Deo viſum fuiſſet veſtras A. A. nobis patronos ſuccenturiare illi, vobiſque nos in clientelam veſtram ſuſcipere. Atque hoc quidem nomine gratos nos veſtris A. A. per omnem vitam noſtram pollicemur, utque non intra ſola verba pollicitatio hac noſtra conſiſtat, ecce hoc ipſo jam illico tempore aliquod gratitudinis noſtræ teſtimonium A. A. veſtris exhibemus: Lucubrationes nempe aliquot Reverendi parentis noſtri, quas ſub Ampliſsimis veſtris auſpiciis in Academia veſtra elucubravit, cum partim Doctoratus titulum poſt acerrimam promeridianam & pomeridianam diſputationem ſuſcepturus erat, profeſsionemque ſuam auſpicaturus, partimque cum Rectoris Magnifici munus depoſiturus eſſet, honorifice eo perfunctus: Sed maxime declarationem illam, in qua ſuam de Prædeſtinatione ceteriſque id genus articulis ſententiam inter ipſos profeſſionis ſuæ labores apud Illuſtriſſimos DD. Ordines luculentiſſime profeſſus eſt, latine quantum fieri potuit, fideliſſime redditam. Deus vero nobis concedat ut ſicuti devotiſſimis animis hæc nunc vobis qualiacunque offerimus, ita quoque benigne quæſo ea a nobis accipiatis. Interea vero Deum Opt. Maximum precamur ut veſtras A. A. ab omnibus undecunque malis tueatur ac defendat, vobiſque prolixe in eo omni, quod Illuſtriſſimorum Dominorum Ordinum nomine inſtituitis, quodque vero etiam privatim unquam ſuſcipietis, prolixiſsime benedicat.

Veſtris A. A. addictiſſimi

D. IACOBI ARMINII
Veteraquinatis Liberi orphani
novem.

ORATIO

ORATIO
DE
SACERDOTIO CHRISTI

habita à

D. IACOBO ARMINIO cum publicè Doctor S. Theologiæ crearetur.

Magnifice D. Rector, Clariſſimi, Reverendi, Conſultiſſimi, Peritiſſimi, Doctiſſimique Viri, Celeberrimæ hujus Academiæ Patres, vos reliqui omnium ordinum Hoſpites digniſſimi, tuque Nobiliſſima & ſtudioſa juventus, ſeminarium Reipublicæ & Eccleſiæ magis magiſque indies efflorescens.

SI nullus ordo eſt, quẽ parum deceat honores hujus mundi, præſertim quos pompa & adplauſus comitantur, affectare, is certe eſt Eccleſiaſticus; eorum, quos & Dei ipſius & apud Deum obtinendæ gloriæ zelus totos occupare debet. Interea tamẽ, quum laudabili majorum inſtituto hæc in omnibus bene conſtitutis Academijs obtinuerit conſuetudo, ut ad munus in illis docendi non admittantur, niſi qui publico aliquo & ſolemni teſtimonio probitatis & ſcientiæ huic inſigniti, non reſpuit iſte ſanctus ordo hæc judicia publica, modò ſanctè, decorè & ſecundum Deum uſurpentur: imò unicè illorum obſervationem, tanquam Eccleſiæ Christi in primis neceſſariam, expetit & deſiderat. Memor enim eſt dicti Apoſtolici: *Ne cui cito manus imponito*; & alterius: *Oportet Paſtorem & Doctorem Eccleſiæ aptum eſſe ad docendum, tenacem fidelis ſermonis, qui ad doctrinam facit, ut poſſit etiam exhortari per doctrinam ſanam, & contradicentes convincere.* Neminem itaque in celeberrimo hoc conſeſſu tam ignarum arbitror publicorum rituum hujus Academiæ, aut tam iniquum eorundem æſtimatorem, ut præſens inſtitutum noſtrum vel admirari poſſit, vel ſiniſtrius interpretari velit. Cæterum quum & hoc in more poſitum ſit, ut in hujuſmodi feſtivitatibus Academicis thema aliquot ad Dei gloriam & auditorum fructum piamque obteſtationem in Domino tractetur, & ego cauſam nullam videam, cur iſti mori morem gerere ex conſcientia non debeam (quamquam ad conſpectum Ampliſſimi & Doctiſſimi hujus conſeſſus infantiæ meæ mihi conſcius non parum extimeſcam) ſumſi etiam mihi thema aliquod profeſſioni conveniens pertractandum, grande, ſublime & adorandæ plenum Majeſtatis, nihil veritus edictum Horatianum:

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, aquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

Cùi in Theologicis materijs locus eſſe non poteſt, quæ omnes dignitate & gravitate ſua omnium hominum, quin & Angelorum, captum & vires exſuperant, eouſque, ut Apoſtolum Paulum, qui in tertium cœlum raptus verba ineffabilia audiverat, in hanc exclamationem erumpere coëgerint: Quis idoneus ad iſta? Quare
2.Cor.2.16. aut extra profeſſionis metam vagandum mihi erit, quod indecorum eſt, aut omnino tacendum; ſi edicti iſtius authoritatem defugere non liceat. Sed licet & fas eſt.

Quæ enim Deo glorioſa ſunt & hominibus ſalutaria, in cœtibus ſanctorum pia mente celebranda ſunt, & grata voce prædicanda. Propoſui itaque de Sacerdotio Chriſti dicere, non quod mihi perſuadeam, de illo à me enunciari poſſe, quę vel rei dignitas vel hujus cætus amplitudo exigit (ſuffecerit enim & abunde meo functum me officio arbitrabor, ſi pro neceſſitate ad communem utilitatem aliquid protulero:) ſed ut gratiam aliquam fœnerer orationi à materiæ præſtantia, quam illi dictionis elegantia præſtare non poſſum. Verum enimvero quia de tam ſublimi myſterio quæ vera & ſancta ſunt, neque mente concipere neque voce proferre poſſumus, niſi propitium Dei Numen mentibus & linguis noſtris adfuerit, hujus præſens auxilium ſupplice prece, in nomine Sacerdotis noſtri Ieſu Chriſti imploremus. Tu itaque ſancte & miſericors Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Fons omnis gratię & veritatis, dignare nos frequenti hoc cœtu in nomine ſancto tuo congregatos favoris tui pręſentia; immenſę ſanctitatis tuę gratioſiſſimo rore animas ſpiritus & corpora noſtra adſperge, ut grata tibi inter ſanctificatos tuos ſit converſatio; Spiritus tui ſancti gratia adſiſte, qui mentes noſtras vera tui & Filij tui cognitione imbutas magis magiſque illuminet, corda noſtra ſyncero glorię tuę zelo accendat, os meum aperiat, linguam dirigat, ut quę vera, juſta & ſancta ſunt de Sacerdotio Filij tui dicere poſſim ad nominis tui gloriam, & omnium noſtrûm aggregationem in Domino, Amen.

Iam vero debitis inſtituto noſtro votis decenter pręmiſſis, rem propoſitam cum bono Deo aggrediar, ubi tamen & vos omnes, qui ſolennem hunc actum noſtrum veſtra præclara, erudita & gratiſſima nobis pręſentia cohoneſtare voluiſtis, obſecravero, ut de re graviſſima dicturo attentionem, quam materia meretur, & favorem benevolentiamque, quæ mihi prorſus neceſſaria eſt, pro ſolita veſtra benignitate, pręſtetis; ſpondeo, ne patientia veſtra abutar, brevitati, quantum res patietur, operam daturum. Illa autem à primordijs Sacerdotii deducenda eſt, ut inde ad Chriſti, de quo agimus, Sacerdotium commodè decurrat oratio.

Primus omnium, qui inter Deum & Homines reſpectus eſt, dati & accepti conſtat rationibus; hic alterum ſibi ſuccedaneum poſtulat, qui ab hominibus initium ſumat, in Deum deſinat, agnitionem ſcilicet beneficij accepti ad munifici datoris honorem: debitum quidē ob beneficium jam collatum, ſed non pręſtandum niſi ex poſtulato & pręſcripto datoris:

ris: Cujus & illa ſemper mens fuit, ut creaturę arbitrium menſuram honoris ſui eſſe noluerit; & tanta eſt benignitas, ut à beneficiarijs ſuis gratam beneficij primitus communicati recognitionem poſtulare nolit, niſi altero inſuper longe majore mutuę fęderationis illos ſibi devinxerit, & quę benignitatis extrema linea eſt, ſe quoque ijſdem ad beneficia infinitis partibus excellentiora conferendum obſtrinxerit, & quidem hoc ordine, ut ſe prius illis, quam illos ſibi obligatos velit. Conſtat enim fœdus omne Dei cum hominibus initum duabus partibus, promiſſione Dei priore, quâ ſe hominibus ad officium aliquod & officij actus convenientes obſtringit, & pręſcriptione poſteriore officij, quod ab hominibus viciſſim ſtipulatur, & de quo homines Deo mutuum reſpondent: pollicetur ſe illis Regem & Deum fore, omniaque regis boni munia erga illos obiturum, reſtipulans ut illi populus ipſius ſint, ideoque ex pręſcripto ipſius vivant, & ab illius bonitate omnia bona petant & exſpectent: quibus duobus actibus hominum erga Deum officium conſtat, ex fœdere cum illis primum inito.

Duo itaque ſunt in univerſum munera inter Deum & homines ipſi fœderatos obeunda: unum Regium & authoritatis ſupremę, alterum religioſum & devotę ſubmiſſionis. Illius uſus eſt in bonorum neceſſariorũ communicatione, malorum averruncatione, legiſque latione, ſub quo prophetiam complectimur, quę nihil eſt aliud quam voluntatis Regię adnunciatio vel ab ipſo Deo vel ab aliquo ipſius mandatario & legato ceu fœderis internuncio facta: nequis arbitretur iſtud munus, cujus creberrima in Scripturis eſt mentio, inſuper habitum à nobis eſſe, locum illi ſuum adſignamus ſub iſto architectonico ſuccenturiatum. Sed Regio in præſentiarum omiſſo; ad Religioſi penitiorem intuitum progrediemur: Cujus originem ex fœderatione deduximus, debitum in Regij uſurpatione poſuimus, actionem propriam in gratiarum actione & precatione collocamus Hæc actio omnibus in univerſum fœderatis ex vocatione communi religioſe præſtanda incumbit, & horſum verbo fœderis ſanctificati ſunt & conſtituti omnes Deo Sacerdotes ut donaria & preces offerant altiſſimo. Cæterum quia ordinis amans eſt Deus, ipſe unicus & merus ordo, voluit ex ſanctificatorũ numero unum aliquem peculiariter ſibi ſegregari, & ad Sacerdotij munus ſingulari vocatione inſtrui, qui familiarius ad thronum ejus accedens, pro conſortibus ejuſdem fœderis & religionis, curaret quæ apud ipſum erant illorum cauſa peragenda. Atque hinc exiſtit Sacerdotij munus apud Deum pro alijs obeundum, ingentis ſane dignitatis & præcipui honoris inter homines. Et quamquam ex hominibus ſit aſſumendus & pro hominibus conſtituendus, tamen penes homines ipſos non eſt deſignare quem velint iſti muneri præfectum, non etiam cujuſpiam eſt honorem illum ſibi uſurpare, ſed ut munus ipſum divini eſt arbitrij, ita quoque perſonæ ad ejus adminiſtrationem delectus penes ipſum eſt, voluitque ab illo obiri, qui juſta aliqua de cauſa primas tenebat inter conſanguineos. Is erat paterfamilias, quem excipiebat primogenitus Hujus exemplum

habemus in ſanctis patribus tum ante tum poſt diluvium: in Noacho, Abrahamo, Iobo expreſſe id videmus. Sunt etiam non imi ſubſellij, qui Cainum & Abelum ſua ſacrificia ad patrem Adamum adtuliſſe dicunt, ut ipſe illa Deo offerret, id colligentes ex verbo הֵבִיא ibidem uſupato. Hęc quanquam ex deſcriptione temporis, quo peccatum jam in mundum ingreſſum erat, deſumantur, tamen veritatem ſuam obtinent in primęva generis humani inſtitutione, de qua jam agimus. Illius enim temporis proprium eſt, ut totum Sacerdotium ſolius Euchariſtici ſacrificij & precum oblatione circumſcribatur. Hiſce ergo muneribus ritè functus Sacerdos ſuorum conſortium nomine, in familiarem cum Deo communicationem à benigno numine eſt admiſſus, obtinuitque ab illo munus ipſius Dei nomine apud conſanguineos ſuos adminiſtrandum, velut Angelus Iehovę exercituum. Voluntatem enim ſuam illi Deus aperuit, quo illam porro ad ſuos à commercio Dei reverſus enunciaret: eamque duplicem, tum quam à ſuis fœderatis expleri volebat Deus, tum quam ipſe illorum bono perficere: in quo prophetiæ ſita eſt adminiſtratio, cujus cauſa Lex dicitur ab ore Sacerdotis requirenda: quumq; poſterior illa ex certa fiducia de veritate divinorum promiſſorum, & ſancto erga congeneres adfectu pronuntianda eſſet, hinc quoque ipſi benedicendi partes impoſitę ſunt. Atque hoc modo duplici fungens legatione, hominum ad Deum, & Dei ad homines, velut Mediator fœderis initi fuit utrinque. Verumenimvero non contentus munificus Deus iſto honore ſuum ſanctificatum affeciſſe, in Regij quoque muneris vicariam dignitatem illum evexit, ut jam Dei imaginem inter ſuos gerens, illius nomine ius ipſis diceret, & commune illorum procuraret.

Ex hoc fonte orta eſt Sacerdotij & Regij muneris velut nativa conjunctio, quæ etiam poſt peccatum obtinuit in ſanctis patribus, & in Melchizedecho expreſſe eſt adnotata. Quod & à Patriarcha Iacobo generatim ſignificatū eſt, quū Rubeno primogenito ſuo dignitatis & roboris excellentiam propter jus primogenituræ debitam pronunciat. Verum poſtea certis de cauſis Regium a ſacerdotali ſeparatum eſt ex voluntate Dei, qui in populo ſuo Regium munus in Iudam, & Sacerdotium in Levi, velut bipartiens, tranſtulit. Decuit autem iſtum ad Deum acceſſum per ſacrificij Euchariſtici & precum oblationem fieri pura mente, ſancto adfectu, & manibus reliquiſque corporis membris incontaminatis. Obtinuit enim illud etiam ante peccatum: *Sanctificamini, nam ego ſanctus ſum: Deus peccatores non exaudit: Ne addatis offerre ſacrificium; manus enim veſtra plena ſunt ſanguine.* Eſt enim conſtans & perpetua hæc Dei voluntas. Cæterum primus Homo & Sacerdos Adam non diu illud munus ut decuit adminiſtravit: inobediens enim Deo factus de fructu arboris vetitæ comedit, & ſanctificatam Deo animam & corpus turpi inobedientiæ & defectionis crimine commaculavit. Quo facto & jure Sacerdotij excidit, & eodem re ipſa per divinam ſententiam eſt privatus, quod per ejectionem extra Paradiſum, ubi coram Deo comparebat in typo habitaculi ipſius, claræ eſt ſignificatum: juxta immotam

1.Sam. 2. 3. regulam juſtitiæ divinæ: Abſit à me ut Sacerdotio fungaris mihi, honorantes enim me honorabo, & contemnentes me contemnentur. Neque ipſe tantum excidit, ſed & omnes, quorum tunc perſonam gerebat, cauſamque agebat, licet nondum exiſtentium, una cum ipſo de tantæ dignitatis faſtigio ſunt dejecti. Neque Sacerdotio tantum, ſed & fœdere, cujus Mediator & internuncius erat Sacerdos, exciderunt; deſijtque Deus hominum Rex & Deus eſſe, & ipſi populus ipſius: deſijt ipſum quoque Sacerdotium, nemine exiſtente, qui id obire poſſet ex fœderis iſtius ratione: deſijt ſacrificium Euchariſticum: deſijt invocatio nominis divini: deſijt communicatio gratioſa inter Deum & homines. Miſera prorſus & miſeranda Humani generis conditio fuit illo rerum ſtatu; ſi beata illa gens rectè prædicatur, cujus Deus eſt Iehova. Et incumbet hæc ineluctabilis miſeria noſtro generi in æternum, niſi miſericors & miſerator Iehova illos in gratiam recipere dignetur, & fœdus aliud, non ſecundum id, quod tranſgreſſi erant, quodque jam inveteraverat, imò abolitum erat, ſed novum gratiæ, cum ijſdem inire ſtatuat. Verum hoc obſtante juſtitia & veritate non poteſt, niſi ſequeſter & ſponſor interveniat, qui Mediatoris partes inter Deum offenſum & peccatores obeat; non jam acceſſurus ad Deum cum ſacrificio Euchariſtico pro beneficijs humano generi collatis, neque cum precibus quæ eorundem continuationem & augmentum tantummodò impetrent: ſed offerendi ſacrificij cauſa pro maleficio, quod Deo intulerant preceptũ illius tranſgrediendo, & precium pro impetranda remiſſione peccatorum: Hinc exſtitit neceſſitas ſacrificij expiatorij, & propterea aliud fuit Sacerdotium conſtituendum, cujus functione peccatum admiſſum expiaretur & homini peccatori acceſſus ad gratiæ Dei thronũ fieret, quod eſt ſolius Chriſti noſtri Sacerdotium. At noluit Deus temporum diſpenſator ſapientiſſimus, ut iſtud Sacerdotium ſtatim ab initio mundi & peccati obiretur. Voluit prius neceſſitatem illius recte intelligi per conſcientiarum de peccatorum multitudine & gravitate convictionem: voluit animos hominum ſerio illius deſiderio tangi, ſic tamen, ut interea certâ ſpe Sacerdotij illius aliquando obeundi fulcirentur adverſus deſperationem ex peccatorum conſcientia, quæ niſi per illud Sacerdotium tolli non poterant: Hæc omnia obtinuit Deus inſtituto ad tempus Sacerdotio typico, quod homines infirmi & peccatores ex lege carnalis mandati per animalium ad id ſanctificatorum immolationem, primitus ſparſim per totum terrarum orbẽ, inde in populo Iſraëlitico, peculiariter in Sacerdotale regnum electo, obiverunt. Quum enim anima- *Lev.17.14.* lium ſanguis funderetur, in quo vita illorum erat, ſuum meritum in morte illorum contemplabantur; neque enim peccaverant illa, ut morte ſua peccatum luerent. Quod ipſum diligentius intuentes & equa judicij lance penſitantes, intellexerunt, peccata ſua per illa ſacrificia, aliena nempe & humanis longe viliora, expiari non poſſe. Unde concludi neceſſe erat, quum nihilominus iſta offerrent, nihil aliud quã chirographum ſe Deo tradere, quo ipſi peccata ſua coram illo obſignabant, & debitum confitebantur. Attamen quoniam inſtituta à

Deo erant, uſque illa velut grati odoris incenſa ex illorum manibus acciperet, inde ſpem gratiæ & veniæ concipiebant, ratiocinantes apud ſe cum matre Samſonis: ſi Iehova nos occidere vellet, non ſuſciperet de manu noſtra holocauſtum & oblationem. Illa vero ſpe animum labaſcentem fulciebant & ardente deſiderio in fide promiſſionis divinæ, adminiſtrationem Sacerdotij, quod per illum typicum figurabatur, exſpectabant; ſcrutantes in quem aut cujuſmodi temporis articulum prænuntius ille, qui in ipſis erat Spiritus Chriſti declararet, quæ ad Chriſtum, paſſiones, & gloriam illas conſequuturam. At iſtius Sacerdotij dulciſſimam conſiderationem quia anhelat animus, feſtinat oratio, hujus prolixiori tractatu, tẽporis & veſtri rationem habentes, ſuperſedebimus.

Tribus autem partibus illius tractatum circumſcribemus; & primum de muneris impoſitione, inde de ejus exſecutione & adminiſtratione, denique de fructibus adminiſtrati muneris & utilitate, quæ inde ad nos redundat, agemus: Si tamen, quod ſpero & opto, eadem qua cæpiſtis benevolentia & attentione dicentem proſequamini. De impoſitione tria nobis res ipſa ex ordine tractanda offert: de imponente, de illo cui imponitur vel demandatur, de injunctionis & ſuſceptionis modo.

Perſona imponens eſt Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quũ enim id opus ad œconomiam & diſpenſationem ſalutis noſtræ pertineat, perſonæ, quæ una monarchia continentur, diſtinctim conſiderandæ ſunt ex Scripturæ ritè præeuntis amuſſi, & Patrum orthodoxorum adſtipulante præſcripto. Ille eſt Iehova qui Meſſiæ ſuo, fruſtra ringentibus principibus tenebrarum, dicit. *Filius meus es tu, ego hodie genui te, pete a me & dabo gentes hereditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terra.* Ille, qui Meſſiæ ad dexteram ſuam adſidere juſſo, venerandum ſuum ſermonem cum juramento ingeminavit: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchizedec.* Ille eſt qui imponit, & jure meritiſſimo. Cum illo enim nobis eſt negotium, ille lucem habitans inacceſſam perpetim in ſede Majeſtatis ſuæ conſidet; ille authoritatem ſibi ſuam ſartam tectam citra ullum ſuæ perſonæ condeſcenſum, ut antiquitas loquitur, ſervat, & jus repetundarum a peccatore injuriarum ſibi retinet integrum, de quo concedere vel remittere ipſi viſum non fuit, propter inflexibilem juſtitiæ rigorem, ſecundum quam iniquitatem odio habet, & impium coram ſe habitare non permittit. Ille itaque eſt, penes quem imponendi jus fuit & poteſtas. An etiam voluntas, id facta declarat muneris impoſitio. Sed cauſa ejus inquirenda, quam non niſi in juſtitiæ & gratioſæ miſericordiæ primum conflictu, deinde amico per ſapientiæ conciliatricem operam conſenſu, imo, & concurſu inveniemus. Poſtulavit juſtitia pœnam a creatura peccatrice ſibi debitam & tantò rigidius quantò illam denunciarat æquius, & verius pronunciarat. Miſericordia gratioſa viſcera miſerationum, piæ matris inſtar, aperiens, pœnam illam, in qua extrema creaturæ miſeria poſita erat, avertere deſideravit, arbitrata, licet cauſæ id non deberetur, ſibi tamen æquiſſimo jure id tribuendum, cujus proprium ſit adverſus judicium

gloriari

gloriari. Excepit juſtitia tenax propoſiti, fateri ſe quidem gratiæ thronum juſtitiæ tribunali eſſe ſublimiorem; at æquanimiter ferre non poſſe, ut nulla ſui ratio habeatur, authoritate totius rei gerendæ miſericordiæ transſcripta: concedere tamen ipſi, quia ſuum cuique tribuere ſit devota, ſi modus inveniri queat, quo ſua declaretur inflexibilitas, & odij adverſus peccatum magnitudo. Sed illa miſericordiæ opera non fuit. Advocanda fuit ſapientia, quæ tantam litem componeret, & duas iſtas ſupremas in Deo omnis æqui & boni præſides amice conciliaret. Vocata venit & ſimul modum invenit, ſuumque utrique tribui poſſe aſſeveravit, ſi pœna peccato debita, juſtitiæ deſiderata, miſericordiæ exoſa, in ſacrificium verteretur expiatorium; cujus oblatio propter mortis, pœnæ peccato debitæ, voluntariam perpeſſionem, placaret juſtitiam, & miſericordiæ locum faceret ipſi deſideratum. Adnuit extemplo utraque, & ex ſapientiæ arbitrio decretum fecit. At quærendus fuit offerendo ſacrificio Sacerdos. Hæc enim functio erat Sacerdotij, ut ad ſecundum veniamus, imò & ſacrificium quærendum fuit, & hac lege ut idem eſſet Sacerdos & ſacrificium: quod ratio veri poſtulat Sacerdotij & ſacrificij, à quo recedit typicum & ſymbolicum. In ordine creaturarum neque hoc inveniri potuit, neque ille. Angelus Sacerdos eſſe non potuit. Ex hominibus enim aſſumendus fuit, qui pro hominibus, in his quæ apud Deum agenda erant, conſtitueretur. Neque ſacrificium eſſe potuit Angelus, quia fas non fuit ut mors Angeli eſſet expiatio criminis, quod homo perpetrarat: neque ſi decuiſſet maxime, adduci potuiſſet homo, ut crederet, Angelicum ab Angelo pro ſe ſacrificium impenſum eſſe, & profuiſſe impenſum. Ad homines ergo abeundum fuit. At neque inter illos inveniri potuit, quem deceret, qui poſſet, qui vellet, Sacerdotio fungi. Omnes enim erãt peccatores, omnes delicti conſcientiâ terrebantur, omnes ſub peccati & ſatanæ tyrannide captivi detinebantur. Peccatori ad Deum, qui pura lux eſt, accedere fas non erat offerendi cauſa; delicti conſcientia territus irati Dei vultum ſuſtinere non poterat, coram quo tamen erat comparendum; ſub Dominio peccati & ſathanæ conſtitutus officium ex amore pro alijs præſtandum obire nec voluit, nec velle potuit. Eadem ratio etiam humanum omne ſacrificium repudiat. Fuit tamen ex hominibus aſſumendus Sacerdos, & humana hoſtia litandum. Et huc igitur ſapientia vocanda fuit in conſilium. Illa hominem ex hominibus procreandum dixit, qui naturæ cum alijs communionem haberet quidem, ut tentatus ſimiliter in omnibus compati reliquis poſſet; ſed nec reliquorum ordine conſereretur, nec juxta primævæ creationis & benedictionis legem homo fieret; & qui ſub Dominio peccati non eſſet, in quo ſathanas nihil inveniret damnabile, qui conſcientia peccati non urgeretur, imò qui peccatum non noſſet, hoc eſt, qui in ſimilitudine carnis peccati naſceretur, ſine tamen peccato. Talis enim decebat nos Pontifex, pius, ſanctus, innocens, ſeparatus a peccatoribus. Ut autem cum hominibus naturæ communionem haberet, naſci debuit ex homine: ut non haberet communionem criminis, ſed ſanctus eſſet, quum ſancti-

ctifica-

ctificatio ſit proprium opus Spiritus ſancti, ex illo concipi debuit: quo nativitas, quæ erat ſupra naturam, ſed pro naturâ, miraculi excellentia naturam ſuperans, eandem virtute myſterij repararet. Cæterum major fuit Sacerdotij iſtius dignitas, functio gravior, quam ut puro homini conveniret; beneficia per illud impetranda puri hominis pretium infinitè excedebant. Debuit ergo ſermo ipſe Dei; qui ab initio apud Deum erat, per quem mundus, ſecula, viſibilia & inviſibilia condita ſunt, caro fieri, & Sacerdotij munus ſuſcipere, ſuamque carnem Deo in ſacrificium pro vita mundi offerre. Habemus itaque jam perſonam, cui demandatum eſt Sacerdotium, & cui datæ partes communis criminis expiandi, Ieſum Chriſtum Dei & hominis filium, tantæ excellentiæ Sacerdotem, ut felix videri culpa poſſit, quæ tantum meruit habere redemtorem. Ad impoſitionis & ſuſceptionis modum progrediamur.

Ille eſt ex pacto, & quidem ex parte Dei per juramentum confirmato. Quod ex pacto, id ſolemne eſt Deo Sacerdotium imponenti. Nam & Levi ſuum Leviticum ex pacto eſt impoſitum, dicente Deo apud Malachiam; *Pactum meum eſt cum illo vitæ & pacis.* Quod pactum juramento confirmatum, id huic Sacerdotio eſt peculiare. De utroque ſtrictim videamus. Pactum Dei cum Sacerdote noſtro Ieſu Chriſto conſtitit ex parte Dei poſtulatione actus, & immenſæ remunerationis promiſſione: ex parte Chriſti Sacerdotis, acceptione promiſſionis, & actus pollicitatione. Poſtulavit Deus ab illo ut animam ſuam poneret hoſtiam pro peccato, ut carnem ſuam daret pro mundi vita, ut pretium redemtionis ſolveret pro humani generis peccatis & captivitate: promiſit, ſi id faceret, viſurum ſemen longævum, futurum æternum Sacerdotem, & quidem ſecundum ordinem Melchizedec, id eſt, ad Regiam dignitatem per Sacerdotij functionem evectum iri. Accepit Sacerdos noſter Chriſtus conditionem, & partes expiandi noſtri criminis dari ſibi paſſus eſt; dicens: Ecce adſum Deus ut faciam voluntatem tuam; ſed hac lege, ut eo facto Melchizedeci inſtar Sacerdotij honore in æternum poiretur; & in ſolio Regio collocatus populos ſibi ſubditos in juſtitia adminiſtraret, ſuiſque pacem procuraret, ut Rex juſtitiæ & Princeps pacis. Suſtinuit enim crucem, & ignominiam contemſit, pro gaudio ſibi propoſito conſequendo, ut unctus ſupra conſortes ſuos oleo lætitiæ in ſolio æquitatis ad dexteram throni Dei in æternum conſideret. Magna certè dignatio præpotentis Dei, qui non ex authoritate, ſed ex pacto cum Sacerdote noſtro agere voluit. Magna Sacerdotis noſtri pietas, qui arduum & moleſtiæ miſeriæque plenum munus obire noſtrâ cauſa non detrectavit. Euge Chriſte optime, Sacerdos maxime; macte iſta pietate tua, perge iſta via graſſari ad gloriam; ad ſalutis noſtræ conſecrationem perfectam! Voluit nempe Deus ut ex voluntario & puro puto erga ſuam gloriam zelo & peccatorum ſalutem affectu munus adminiſtraretur, & decuit illius amplam benignitatem, ut tam promtam voluntatem ingenti præmio remuneraretur. Addidit pacto juſiurandum, tum illi confirmando, tum immutabilitati dignitatiq; Sacerdotij iſtius demon-

ſtrandæ

ſtrandæ. Quamquam enim jurisjurandi neceſſitatem naturæ ipſius conſtantiſſima veracitas decenter removeat, hominum tamen morem in firmandis pactis ſecutus juramento illud confirmare voluit: ut Sacerdos noſter certa ſpe, duplici anchora immota promiſſionis & juramenti innixus, ignominiam contemneret & crucem ſuſtineret.

Immutabilitas & æternitas Sacerdotij iſtius per juramentum pacto additum eſt commonſtrata. Quidquid enim juramento confirmat Deus id æternum eſt & immutabile. Sed an non omnia Dei verba, promiſſa, pacta, etiam citra juramentum dicta, facta, inita ſunt ejuſdem naturæ? Liceat mihi diſcrimen in ijs ponere, idque graviſſimo exemplo comprobare. Quum duplex ſit ratio & modus, quo homo juſtitiam apud Deum & vitam ab illo adipiſci poteſt, unus ſecundum juſtitiam per legem, per opera, ex debito: alter ſecundum miſericordiam per Evangelium, per fidem ex gratia: qui modi ita ſunt comparati, ut ſimul obtinere non poſſint, ſed ut irrito facto priore alteri locus eſſe queat: voluit Deus initio priorem illum homini præſcribere, ſic poſtulante ipſius juſtitia & hominis primæva inſtitutione: ſed viſum illi non fuit ex illius legalis fœderis formula ſtrictè cum homine agere, & peremtoriam de illo ſententiam ex legis rigore pronuntiare: quapropter juramentum illi pacto non adpoſuit, ne eo ipſo immutabilitas illius oſtenderetur, quam illi ineſſe noluit. Hinc factum, ut illo per peccatum irrito facto, alteri meliori locus fuerit ex Dei beneplacito, in cujus patefactione, quia illud poſtremum & peremtorium eſſet futurum, de juſtitia & vita obtinenda, juramentum adhibuit. Per memetipſum juravi, quod benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. *Gen. 22.17, 18.*

Vivo ego dicit Dominus: Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat: Iuravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam: quibus autem juravit non ingreſſuros in requiem ſuam? niſi ijs qui non obedierant; & videmus non potuiſſe ingredi propter incredulitatem. qua de cauſa, ira Dei, a qua per fidem in Chriſtum liberari potuerunt peccatores, ſuper incredulos manere dicitur. *Ezech. 18. Heb. 3.11.* Eodem modo res habet Sacerdotij. Leviticum enim ad tempus uſque correctionis impoſitum juramento non confirmavit, hoc vero quia æternum eſſe voluit, jurejurando ſanxit. Quam totam rem Apoſtolus ad Hebræos ex Pſalmo centeſimo decimo nervoſiſſimè demonſtrat. Felices nos quorum cauſa Deus jurare voluit, miſeros ſi ne juranti quidem credimus. Dignitas etiam iſti Sacerdotio per juramenti adpoſitionem conciliata eſt maxima, longe ſupra Levitici Sacerdotij honorem. Lex enim mandati carnalis homines infirmos & peccatores conſtituit Sacerdotes ad offerendum ſacrificia, quæ non poterant in conſcientia ſanctificare cultorem, peccatum abolere, & cæleſtia bona adferre. At ſermo jurisjurandi poſt legem, Filium conſtituit Sacerdotem in æternum ſanctificatum, qui ex vi indiſſolubilis vitæ & per Spiritum æternum ſeipſum Deo inculpatum offerat, & unica oblatione in perpetuum conſecret qui ſanctificantur, purgatis conſcientiis illorum ad ſerviendum Deo vivo; tanto præſtantius fœdus eo con-

eo confirmare debuit quod præſtantioribus promiſſis eſt ſancitum; & magni omnino momenti eſſe debet, quod Deus juramenti religione eſt dignatus.

De impoſitione diximus quantum temporis permiſit brevitas; videamus de executione, in qua partes obeundas & in illis affectum ſtatumque exſequentis conſiderare habemus. Munia obeunda ſunt oblatio ſacrificij expiatorij, & precatio. Oblationem præceſſit præparatio per exinanitionem profundiſſimam, obedientiam devotiſſimam, ſupplicationes vehementiſſimas, & humanarum infirmitatum experientiam exquiſitiſſimam, de quibus ſingulis dicere non eſt neceſſe. Oblatio iſta duabus partibus conſtat ſibi ſuccedentibus. Prior eſt immolatio corporis Chriſti per ſanguinis in ara crucis effuſionem, quam mors eſt inſecuta, pretium redemptionis pro peccatis, per pœna peccatis debitæ perpeſſionem. Altera eſt oblatio corporis redivivi & ſanguine effuſo adſperſi, in cœlis, ſymbolum pretij ſoluti & impetratæ redemptionis. Prior iſta extra ſanctum ſanctorum peragenda fuit, in terra nempe, quia in cœlo effuſio ſanguinis fieri nequit, quæ mortem habet neceſſario ſubſequentem. Mors enim non magis in cælo coram Majeſtatis Dei veri conſpectu locum habet, quam ipſum peccatum mortis in ſe meritum continens, ut illa pœnam peccati. Sic enim dicit Scriptura: *Filius hominis venit, ut miniſtraret, daretque animam ſuam pretium redemptionis pro multis.* Item: *Hoc poculum eſt Novum Teſtamentum in meo ſanguine, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Item: *Qui dedit ſemetipſum redemptionis pretium pro omnibus.* Altera vero in cælo in ſancto ſanctorum fuit perficienda. Nam corpus illud jam pœnam mortis perpeſſum & in vitam revocatum, debuit comparere coram Majeſtate Dei, ſanguine proprio adſperſum, ut illius continua apud Deum memoria, peccatorum eſſet expiatio perpetua. De iſta ſic loquitur Apoſtolus: *In ſecundum autem ſemel quotannis ſolus ſummus Sacerdos ingreditur, non ſine ſanguine quem offert pro ſe ipſo & populi erratis. Adveniens autem Chriſtus futurorum bonorum Pontifex, non per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſacrarium, æternam redemtionem nactus:* per proprium ſanguinem nempe jam effuſum & ipſi adſperſum, ut cum eo coram Deo comparare poſſet. Illa ſemel facta eſt & deſiit fieri. Nam quod mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel. Hæc autem perpetua eſt; nam *eo quod in æternum manet, perpetuum habet Sacerdotium:* illam peregit agnus mactandus, iſtam mactatus & a morte in vitam reſuſcitatus: illam in ſtatu infimæ humiliationis, hanc in ſtatu gloriæ; utramque ex ſummo adfectu erga gloriam Dei & peccatorum ſalutem. Illam perfecit ſanctificatus unctione Spiritus, hanc conſecratus inſuper per paſſiones & unctus ſanguine proprio; adeoq; per illam ſe ſanctificavit & velut præparavit in terra, ut hujus functionem in cælo obire poſſet. Rom 6.10. Heb. 7.24.

Altera pars eſt precatio & interceſſio, iſta priore innitens. Precatio quam pro ſe ipſo offert, & interceſſio quam pro fidelibus: quæ utraque nobis a Ioanne cap. 17. luculentiſſime deſcribitur. Continet enim illud caput perpetuum canonem

precum

precum & interceſſionis, quas Chriſtus Patri offert in cælis; quamquam enim Chriſtus adhuc in terra exiſtens illam precationem recitaverit, tamen ad ſtatum illius ſublimem in cælis pertinet propriè; at deſcribi voluit, ut perpetuo nobis eſſet in terris ſolatio. Precationem offert Chriſtus Patri pro ſeipſo, juxta mandatum & promiſſum Patris: *Pete a me & dabo gentes hæreditatem tuam*: ad quod promiſſum Patris reſpiciens Chriſtus dixit: *Pater glorifica Filium, ut & Filius glorificet te, ſicut dediſti illi auctoritatem in omnem carnem; ut quotquot dediſti ei, det eis vitam æternam.* Ab hac precatione diſtinguendæ ſunt ſupplicationes iſtæ, quas cum *lachrymis & clamore valido* Patri obtulit *in diebus carnis ſuæ*: per illas enim liberari petijt ab angore, per hanc poſtulat ut *ſemen longævum* videat, utque *voluntas Domini per manum ſuam proſperetur*. Interceſſio fit pro fidelibus, de qua Apoſtolus: *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus eſt qui mortuus eſt, imò verò qui etiam excitatus eſt, qui etiam ad dextram Patris eſt, qui etiam interpellat pro nobis*: & ad Hebræos: *Unde etiam prorſus ſervare poteſt eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper vivens ut interpellet pro illis*. Dicitur autem pro fidelibus intercedere excluſo mundo, quia poſt ſacrificium ſufficiens tollendis omnium hominum peccatis oblatum, conſecratus eſt *Sacerdos Magnus*, ut ſit *præfectus domui Dei, quæ domus illi ſunt*, qui *fiduciam & gloriam ſpei ad finem uſque firmam* retinent. Totam hanc functionis ſuæ partem in cœlis obit coram faciè Majeſtatis divinæ: ibi etiam thronus, & ſolium Dei eſt, quo & nos mentes & oculos attollere jubemur precaturi. Obit autem non per anguſtias ſpiritus & humilem genuflexionem, velut Patris genibus advolutus, ſed in fiducia effuſi ſanguinis ſui, quem corpori adſperſum Patri perpetuo intuendum præbet, ſemper illius ſacroſancto adſpectui obverſans: cujus etiam ſanguinis fuſi & corpori adſperſi dignitate & pretio, tota hujus functionis efficacia nititur, utpote per quem aditum ſibi *in ſancta ſanctorum ad interiora veli* patefecerit. Unde certo certius concludere nobis licet, illius preces nunquam rejectum iri, & nos, ſi illius nomine quidpiam petierimus, vi iſtius interceſſionis exauditum iri.

Sacerdotij munijs ita peractis, Deus Pater pacti ſui & juramenti ſancti memor, non modo Sacerdotium ipſi in æternum continuavit, ſed illum ad Regiam etiam dignitatem evexit, data ipſi omni poteſtate in cœlo & in terra, authoritate in omnem carnem, nomine collato quod eſt ſupra omnem poteſtatem, imperium & nomen, quod in hoc & futuro ſeculo nominatur, ſubjectis illi omnibus principatibus & Magiſtratibus, ut eſſet Chriſtus & Dominus totius Iſraëlis, Rex regum & Dominus dominantium. Mirabili ergo fœdere duo iſta ſumma munera Sacerdotale & Regium in uno Ieſu Chriſto conjunxit, & ſic promiſſo ſe exſolvit; quo juraverat illum Sacerdotem futurum æternum ſecundum ordinem Melchizedechi, qui Rex ſimul & Sacerdos fuit, & huc uſque citra temporis initium & finem, quia illius genealogia in Scripturis typo ſervientibus non deſcribitur. Hæc conjunctio omnium operum divinorum ſupremus apex eſt & extrema clauſula, ſymbolum temperatæ ad ſalutis noſtræ œconomiam

miam juſtitiæ & miſericordiæ Dei nunquam intermoriturū, judicium gloriæ Dei glorioſiſſimę luculentiſſimū, & certitudinis de ſalute per hunc Regium Sacerdotem obtinenda firmamentum immotum. Si homo extremus creationis colophon, propter corporis & animę conjunctioné, microcoſmus, Epitome totius mundi & univerſi Hymenęus rectè adpellatur; quid de hac conjunctione cenſebimus, in qua totius Eccleſiæ fidelium & Dei ipſius lucem inacceſſam habitantis unio unitiſſima & nunquam ſeparanda conſiſtit! qua nominis amplitudine illius divinitatem indigetabimus? Nomé habet illa ſupra omne nomen quod nominari poteſt. Ineffabilis eſt, inimaginabilis, incomprӕhenſibilis, ſi dixero hujus potiſſimum reſpectu Chriſtum ſplendorem gloriæ paternæ, characterem hypoſtaſeos illius & imaginem Dei inconſpicui appellari, quantum poteſt, illius excellentiam enunciavero.

Quod poteſt illuſtrius eſſe documentum juſtitiæ & miſericordiæ temperatæ, quam quod ipſe Filius Dei exinanitus, forma ſervi aſſumta, Rex fieri non potuit, niſi per Sacerdotij functionem, quodque bona illa quæ ut Rex ſubditis ſuis impartiri habuit, non niſi per Sacerdotium impetrari potuerint, & impetrata a Deo, non niſi interveniente hoc Rege Mediatorio, communicari per vicariam illius ſub Deo diſtributionem? quod ſalutis per Chriſtum certò obtinendæ certius judicium, quam quod eandem hominibus, Sacerdotio pro illis fungens, impetravit, & per Sacerdotium Rex conſtitutus illis dandam a Patre accepit? Atquę in hiſce gloriæ Dei ſumma conſiſtit. Verum, ut video, hæc conſideratio nos ultro ad tertium & poſtremum tractatus noſtri thema deducit, quo de fructibus adminiſtrati muneris Sacerdotalis acturos recepimus; quos licet innumeros, omnes tamen ad quatuor ſumma capita reducemus, & breviter, quia ad finem properamus, perſtringemus. Iſta ſunt: Novi fœderis pactio & confirmatio: Omnium bonorum ad ſalutem humani generis neceſſariorum impetratio, adeptio, & adplicatio: Sacerdotij novi Euchariſtici, imo & Regij inſtitutio: Denique ſumma & extrema fœderatorum ad Deum adductio.

Prima utilitas eſt novi fœderis pactio & confirmatio, in qua directum eſt ad ſolidam fœlicitatem compendium.

Hanc peractam Sacerdotio Chriſti & gaudemus & gloriamur. Quū enim prius fœdus imbecille factum eſſet per peccatum & carnem, juſtitiamque & vitam adferre non poſſet, aliud neceſſario ineundum fuit, aut nos in æternum a conſpectu Dei abarcendi. Iniri inter Deum juſtum & homines peccatores non potuit, niſi reconciliatione facta. Viſum autem eſt Deo parti offenſæ, ut illa per Sacerdotis noſtri ſanguinem in ara crucis effundendum, perficeretur. Effudit ille Sacerdos ſimul & agnus ſanguinem ſuum, & reconciliationem apud Deum impetravit. Hoc peracto fœdus iniri poterat inter reconciliatos. Inde placuit Deo, ut idem Sacerdos, qui reconciliationis Mediator fuerat & Sequeſter, eodem, quo illam perfecerat, ſanguine, medius & velut fecialis interveniret: ſanguine quo fœderatorum *conſcientiæ* adſperſæ a *mortuis operibus* purgarentur & ſanctificarentur: ſanguine

quo ipſe adſperſus in conſpectu Dei ſemper compareret: ſanguine quo omnia cæleſtia adſpergerentur & purificarentur. Hoc itaque interveniente ſanguine fœdus ſancitũ eſt aliud: non operum, ſed fidei; ſed legis, ſed gratiæ; non vetus, ſed novum, & novũ non ob id quod priore poſterius eſſet, ſed quod nunquam eſſet antiquandum, quia in perpetuum vis & vigor illius eſſet duraturus. *Nam quod antiquatur & ſeneſcit, prope eſt ut evaneſcat.* Tale ſi rurſus iniretur, multis ſibi ſuccedentibus ſeculis crebræ fœderis mutationes incidere debebant, & antiquatis prioribus poſteriora ſuccedere. At fuit tandem in aliquo conſiſtendum, & ſemel tale ineundum, quod in æternum duraret. Et ſanguine fuit ſanciendum. Quo autem pretioſiore ſanguine confirmari potuit, quam Sacerdotis illius, qui Dei ſimul & hominis filius eſſet; Hoc autem, de quo agimus, iſto ſancitum eſt ſanguine. itaque Novum & nunquam antiquandum. Tanti enim Sacerdotis proprio ſuo ſanguine adſperſi perpetuo præſens intuitus non patietur paternam mentem immemorẽ fieri, ſanciti per illam fœderis, aut pium pectus ejus pœnitentia duci. Quo alio ſanguine poterunt fœderatorum conſcientiæ, ſi poſt fœdus gratiæ initum aliquo ſe commaculent crimine, mundari & Deo ſanctificari? *Nulla pro peccatis reliqua eſt hoſtia*, ſi quis hunc Sacerdotem conculcaverit, & *ſanguinem fœderis, quo ſanctificatus eſt, profanum* duxerit. Fœdus ergo quod hoc interveniente ſanguine & Sacerdote eſt percuſſum, novum eſt & in ſecula duraturum.

Alter fructus eſt bonorum omnium, quæ fœderatis ad ſalutem animæ & corporis ſunt neceſſaria, impetratio, adeptio, & adplicatio. Quũ n. fœdus omne certis promiſſis ſit ſanciendum, & hoc bona ſua habere debuit, quibus & ſanciretur ipſum, & fœderati bearentur. Inter hæc primo ſe offert peccatorum remiſſio, juxta fœderis novi formulam: *Ero propitius iniquitatibus illorum.* Hanc autem Chriſtum ſanguine ſuo impetraſſe teſtis eſt Scriptura, dicens: *Hoc eſt ſanguis Novi Teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* De adeptione per ejuſdem muneris functionem teſtatur Scriptura eadem his verbis: *Chriſtus per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſancta ſanctorum, æternam redemtionem adeptus.* Adplicationi teſtimonium perhibet, dicens: *In Chriſto habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, nempe remiſſionem peccatorum ex divite ipſius gratia.* Hoc neceſſarium bonum excepit adoptio in filios & jus hæreditatis cæleſtis, cujus impetrationem, adoptionem, & communicationem etiam Sacerdotio Chriſti noſtri debemus. Ille enim *Filius Dei proprius & unigenitus* exiſtens, ſolus hæres bonorum paternorum, tantis bonis ſolus potiri noluit, conſortes habere voluit, quos *oleo lætitiæ*, ſuæ perfunderet, & in participationem iſtius hæreditatis aſſumeret. Obtulit itaque animam ſuam pro delicto, ut exacto animæ ſuæ labore, ſemen longævum videret, ſemen Dei, quod in nominis ſui & hæreditatis conſortium veniret. Factus eſt ſub Lege, ut illos qui ſub Lege ſunt, redimeret, ut adoptionem acciperemus. Petijt ex mandato Patris ut Gentes ſibi darentur in hæreditatem. Hiſce ergo ſuis actibus Sacerdotio proprijs jus illud fidelibus ſuis impetravit, & cum ijs communicandum

nicandum adeptus eſt, imo & reipſa dedit. *Quotquot enim in nomen eius crediderunt, dedit hanc dignitatem ut filij Dei fierent.* Per illum & illius reſpectu adoptavit nos Deus in Filios, dilectos in Filio dilectionis ſuæ. Ille itaque eſt unicus hæres, per cujus mortem hæreditas venit ad alios; quod perfidi agricolæ, quamquam ignari tanti myſterij, veraci tamen ore, quia Sacerdotes & Scribæ erant, prædixerunt. Cæterum quia bona tanta non niſi in unione cum ipſo Sacerdote obtineri poſſunt, Spiritus quoque Sancti donum, vinculum iſtius unionis, impetrare, adipiſci & in ſuos effundere debuit. Impetrare autem, quia Spiritus gratiæ eſt, Index, & Teſtis amoris Dei erga nos & arrhabo hæreditatis noſtrę, non potuit, niſi reconciliatione facta, & hoc erat Sacerdotis. Facta vero reconciliatione petijt a Patre pro ſuis alium paracletum, & impetravit. Evectus àd dexteram Dei, eundem ex pacto Sacerdotij promiſſum, a Deo adeptus eſt, acceptumque effudit in ſuos copioſiſſime, Scriptura dicente: *Itaque dextra Dei evectus & promiſſum Spiritum ſanctum adeptus, effudit, quod videtis.* Horum vero bonorum omnium impetrationem, adeptionem & communicationem ex Sacerdotij functione profluxiſſe, ſigillo quodam ſacroſancto conteſtatus eſt Deus, quum illum Teſtatorem conſtituit eorundem bonorum, quod munus plenam bonorum Teſtaméto legandorum poſſeſſionem, & abſolutam diſtribuendi authoritatem junctim complectitur.

Tertius fructus eſt novi Sacerdotij Euchariſtici, imo & Regij inſtitutio, noſtrique ad illud obeundum ſanctificatio, novo enim fœdere inito, novum Sacerdotium Euchariſticum, quia vetus interciderat, fuit inſtituendum, & Sacerdotes ad illud obeundem ſanctificandi. Chriſtus illud inſtituit per ſuum Sacerdotium, & nos ſanctificavit per ejuſdem functionem. Et hoc quidem ordine inſtituit. Primum conſtituit nos propter ingentiâ beneficia Sacerdotio ſuo nobis impetrata & donata, gratiarum agendarum debitores. Inde ſacrificijs Deo offerendis inſtruxit, animabus & corporibus noſtris ſanguinis ſui adſperſione & Sp. ſancti unctione ſanctificatis & conſecratis, ut Deo grata eſſe poſſint ſacrificia ſi offerantur. In cælis coram throno gratiæ altare curavit erigi, quod ſanguine ſuo adſperſum Deo conſecravit, ut fidelium ſuorum ſacrificia iſti impoſita coram facie Majeſtatis & Throno illius perpetim adpareant. Denique altari iſti ignem æternum & nunquam interiturum impoſuit, Dei immenſum favorem, quo ſacrificia altari impoſita accendantur & in cinerem redigantur. Sed conſecrandi erant Sacerdotes: conſecravit ille ut Sacerdos ſummus per ſanguinē ſuum: ille dilexit nos & lavit a peccatis noſtris per ſanguinem ſuum, fecitque nos Sacerdotes Deo & Patri ſuo: ille nos redemit Deo per ſanguinem ſuum ex omni tribu, linguâ, populo, natione: & fecit nos Deo Sacerdotes, inquit Ioannes in Apocalypſi ſua. Non contentus fuit habere nos conſortes in participatione hæreditatis ſuæ, voluit ut ejuſdem quoque dignitatis participes eſſemus. Verum ita nos ſibi conſortes fecit iſtius dignitatis, ut interea primas ſemper teneat, ceu caput corporis Eccleſiæ, primogenitus inter multos fratres,

Sacerdos Magnus *& præfectus toti Domui Dei*. Cui nos ſecundo geniti, ſacrificia noſtra tradere debemus, ut per ipſum porro Deo offerantur grato ſacrificij ipſius expiatorij odore perfuſa, ut Deo accepta ſint per illum. Hac de cauſa inquit Apoſtolus: *per ipſum igitur aſſidue offeramus Deo ſacrificium laudis*, id eſt fructum labiorum, confitentium nomini ejus. Sumus quidem illius beneficio Sacerdotium ſanctum ad offerendum *ſpirituales hoſtias*, ſed illæ Deo acceptæ non ſunt, niſi per Ieſum Chriſtum. Neque dignitatis tantum, ſed & æternitatis in Sacerdotali dignitate participes eſſe voluit, ut nos quoque ſecundum ordinem Melchizedechi Sacerdotio fungamur, quod juramento ſancto conſecratum eſt immortalitati. Quamquam enim Sacerdotio expiatorio poſt hac ſecula temporaria non ſit functurus amplius, Sacerdotij tamen Euchariſtici munere pro nobis in æternum fungetur, & nos in illo, & per illum; niſi velimus in media bonorum per illum acceptorum functione, memoriam intercidere, quod per illum ea obtinuerimus, perque illum effecti ſimus Sacerdotes ad gratias condignas, præcipuo omnium datori Deo reddendas. Verum enimvero quia debita ſacrificia, quamdiu in hoc mortali corpore verſamur, Deo offerre non poſſumus, niſi per ſtrenuam luctam adverſus Sathanam, mundum, peccatum, carnemque propriam, & per victoriam ab illis reportatam, quod utrumque regium eſt; quumque poſt hanc vitam Sacerdotio functuri ſimus elevati cum illo in ſolium patris, ſubjectis nobis omnibus hoſtibus noſtris, fecit etiam nos *Reges* & *Sacerdotium regale* Deo noſtro, ne quidpiam in typico Melchizedechi Sacerdotio inveniatur, cujus nobis communionem non impartiatur.

Quartus atque poſtremus Sacerdotij Chriſti fructus a nobis propoſitus eſt totius Eccleſiæ fidelium adductio ad Deum: qui etiam velut finis eſt & complementum trium precedentium. Horſum enim fœdus initum inter Deum & homines, horſum remiſſio peccatorum, adoptio in Filios, Spiritus gratiæ collata in Eccleſiam, hac fini Sacerdotium novum Euchariſticum & Regium inſtitutum, Sacerdotes & Reges facti, ut ad Deum adducerentur fœderati. Hunc fructum Apoſtolus Petrus diſertis verbis Sacerdotio Chriſti adſcribit his verbis, *Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos ad Deum adduceret*. De iſta eadem adductione verba ſunt Apoſtolici: *Et nunc erit finis, poſt quam tradiderit Regnum Dei ac Patri*. Liceat in ore adducentis Chriſti & Patrem alloquentis hæc verba Eſaie collocare: *Ecce ego & pueri quos dedit mihi Deus* non ut portentum ſint populo, ſed peculium Domino. Adducet ergo Chriſtus Eccleſiam ſuam quam ſanguine ſuo redemit ſibi, ut cæleſtem hæreditatem morte ipſius partam, verbo promiſſam, Spiritu ſancto obſignatam, ex benigniſſimi Patris manu accipiat, atque fruatur perpetim. Adducet Sacerdotes ſuos, quos ſanguine ſuo adſperſos, ſanctificavit Deo, ut ipſi ſerviant in ſeculum. Adducet Reges ſuos, in quibus virtute Spiritus ſui ſancti Sathanam principem, & manipularem ejus mundum, peccatum, carnemque ipſorum propriam, quin & mortem, hoſtium poſtremam debellavit & ſuperavit

ſuperavit, ut regno cum Deo potiantur in æternum. Adducet Chriſtus, & excipiet Deus & Pater. Excipiet Eccleſiam Chriſti, illamque velut agni ſponſam, in thalamum cæleſtem introductam perpetuum cum agno feſtum celebrare jubebit, ut pleno gaudio fruatur ante conſpectum throni gloriæ ſuæ. Excipiet Sacerdotes, illoſque decoris perfectæ ſanctitatis veſtimentis induet, ut canticum Euchariſticum & novum Deo canant in ſecula. Excipiet denique Reges, & in ſolio Majeſtatis ſuę collocabit eos, ut regnum cum Deo & agno obtineant, & dominentur in æternum.

Atque hi ſunt fructus, quos Chriſtus Sacerdotij ſui adminiſtratione impetravit, adeptus eſt & nobiſcum communicat. Ingentis ſane dignitatis & utilitatis. Quid enim abalienatis a vita Dei, extraneis teſtamentorum, gratius accidere poteſt, quam in fœdus gratiæ à Deo recipi, & in populo Dei cenſeri? Quid conſcientijs onere peccatorum intolerabili preſſis, & ſub irę Dei pondere deficientibus dulcius, omnium delictorum remiſſione & indulgentia? Quid hominibus, terræ exſecratæ Filijs, inferni conſectaneis, acceptius, quam a Deo in Filios adoptari & cælo inſcribi? Quid, ſub dominio ſathanæ & peccati tyrannide jacentibus, obvenire poteſt jucundius, quàm ab iſta teterrima & miſerrima ſervitute liberari & in veram aſſeri libertatē? Quid glorioſius quam in partem Sacerdotij & regni adſciſci, & Deo in Sacerdotes & Reges, imo in Sacerdotes Regios & Reges Sacerdotales conſecrari? Quid denique optabilius, quam ad Deum ſummum bonum & fontem omnis beatitatis adduci, ut beati & glorioſi æternum cum illo ſeculum exigamus? Quum itaque Sacerdotium hoc à Deo ipſo, cum quo nobis eſt negotium, impoſitum ſit Chriſto Ieſu Dei & hominis Filio, Fratri noſtro primogenito, infirmitatibus quondam circumdato, tentato in omnibus, miſericordi, pio, fideli, ſancto & ſegregato a peccatoribus; & quidem juramento ſancto, quod revocari nefas eſt, impoſitum ſit, recumbamus certa fide in illud Sacerdotium Chriſti, nihil dubitantes quin omnia, quæ Sacerdos ex nobis ſumtus & pro nobis apud Deum ipſo Deo aſſumente conſtitutus, noſtra cauſa peregit, peragit, & uſque ad conſummationem ſeculi hujus peraget, rata & firma Deus habuerit, habeat, & habiturus ſit in æternum. Quumque idem Chriſtus Sacerdotij ſui adminiſtratione peccatorum perpetuam obtinuerit expiationem & purgationem, æternam redemtionem nactus ſit, & thronum gratiæ nobis in cælo erexerit: accedamus ad thronum gratiæ cum vero corde & immota animi fiducia, adſperſis cordibus a conſcientia mala, purgatiſque conſcientijs ab operibus mortuis, certo ſtatuentes quod miſericordiam ſimus conſecuturi & gratiam inventuri ad auxilium oportunum.

Quum denique tot & tam præclara beneficia nobis adminiſtratione iſtius Sacerdotij impetrata ſint & parata, quorum partem jam ceu primitias accepimus, partem potiſſimam & totam velut maſſam eamq; completiſſimam in cælo exſpectamus; quid reddemus Deo noſtro pro tanta dignatione, quas gratias Sacerdoti noſtro Chriſto & Agno reddemus? Calicem ſalutare accipiemus & nomen

nomen Domini invocabimus. Vitulos labiorum noſtrorum Deo offeremus, corpora, animas & Spiritus noſtros ipſi hoſtias vivas, ſanctas, & placentes ſiſtemus. Canticum hoc cæleſte Deo & Patri omnium, etiam in hiſce terris poſiti, una cum viginti quatuor ſenioribus throno adſiſtentibus canemus: dignus es Domine qui accipias gloriam, honorem & virtutem, quia tu creaſti omnia & per voluntatem tuam ſunt & creata ſunt. Sacerdoti noſtro Chriſto & Agno, cum iiſdem ſenioribus accinemus: Dignus es Domine qui accipias librum & aperias ſigilla ejus, quoniam mactatus es & redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum ex omni tribu, lingua, natione, populo: Et feciſti nos Deo Reges & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram; utriq; junctim cum omni creatura cantabimus: Seſſori Throni & Agno benedictio & honor & gloria & robur in ſecula ſeculorum. DIXI.

Poſt Promotionis actum.

Quandoquidem omnis fauſtæ actionis auſpicium & initium eſt à Deo, fas eſt ut in illo omnis quoque actio noſtra deſinat. Quum itaque divina illius clementia & benignitas placido ſub lumine nos huc uſq; reſpexerit, & ſucceſſum optabilem noſtro huic actui conceſſerit, gratias illi pro tanta benevolentia agamus, & laudes ſacro ſancto ipſius nomini dicamus.

Omnipotens miſericors Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias tibi agimus pro infinitis tuis in nos miſeros peccatores collatis beneficiis. Imprimis vero quod Filium tuum Ieſum Chriſtum hoſtiam & redemtionis pretium pro peccatis noſtris eſſe voluiſti: quod tibi per verbum tuum & Spiritum ſanctum Eccleſiam ex tota humano genere collegiſti: quod nos quoque ex regno tenebrarum & Sathanæ ereptos, in regnum lucis & Filii tui tranſtuliſti: quod Hollandiam dulciſſimam patriam noſtram ad agnitionem & communionem Filii tui vocaſti: quod eandem huc uſque adverſus machinationes & inſultus potentiſſimi hoſtis, ſartam tectam conſervaſti: quod Academiam hanc veræ ſapientiæ, pietatis, juſtitiæ ſeminarium, in hac inclyta urbe inſtituiſti: quod hæc quoque ſcholaſtica exercitia favore tuo huc uſque es proſecutus. Rogamus te ſancte & benigne Deus, ut hæc beneficia nobis perpetua eſſe velis: ne patiare ut ingratitudine noſtra mereamur illis abs te privari; quin adauge illa potius & opus quod cœpiſti confirma. Fac ut iſta ſemper memori mente recolamus, & æternas ſanctiſſimo nomini tuo pro illis laudes dicamus, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Amen.

Tibi etiam, Franciſce Gommare, vir Clariſſime & Promotor Doctiſſime, gratias ago habeoque maximas pro ingenti hoc beneficio, quo immerentem affeciſti: ſpondeo me id ipſum grato ſemper animo agniturum & operam daturum, ut te honoris iſtius mihi collati numquam jure pœnitere poſſit.

Tibi quoque, Magnif. D. Rector, & Ampliſſ. Senatui Academico, niſi me ingrati animi crimine commaculare velim, gratias debeo majores quam eloqui poſſum, pro honeſto quod de me feciſtis judicio, & liberali quod nullo meo facto meritus ſum, teſtimonio: promitto autem & recipio me pro virili enixurum, ut iſto non prorſus indignus aliquando comperiar; quod ſi fecero, ſcio vos idipſum in pleniſſimam debiti ſolutionem accepturos.

Ad vos venio Viri Nobiliſſimi, Ampliſſimi Clariſſimi.

Quibus omnibus & ſingulis plurimum me debere profiteor ob prolixam veſtram

erga me benevolentiam, quam eo ipſo commonſtraſtis abunde, quod hunc noſtrum actum veſtra Nobiliſſima, Ampliſſima, Clariſſima & Digniſſima præſentia cohoneſtare voluiſtis: pollicerer gratias aliquando relaturum, niſi verbi iſtius amplitudinem & virium mearum tenuitas reſpueret, & conditio veſtra eminentior repelleret.

Neque vos mihi in hoc gratiarum agendarum quo fungor officio prætereundi eſtis, Nobiliſſ. & Studioſiſſimi adoleſcentes: ita enim meretur propenſum veſtrum erga me ſtudium, quod honeſta & modeſta præſentia, qua huic noſtro actui interfuiſtis, ſatis ſuperque declaraſtis; promitto & ſancte recipio, ſi occaſio, quod ſpero & opto, bene de vobis merendi offeratur, omnibus officijs veſtrum id ſtudium me compenſaturum eſſe.

Sequuntur Orationes tres de Theologiâ, quas ordine habuit Auctor cum Lectiones ſuas auſpicaretur, quarum prima eſt.

DE

Objecto Theologiæ.

QVum Deo Opt. Max. penes quem jus & arbitrium eſt αὐτοκρατορικὸν de nobis ſtatuendi, viſum fuerit me indignum famulum ſuum ab Eccleſiaſtica functione, quam in Eccleſia Filij ipſius apud frequentiſſimum Amſteldamenſium populum aliquot jam annos obivi, ad profeſſionis Theologicæ in hac celeberrima Academia munus vocare, officij mei eſſe putavi vocationi iſti non nimium reluctari, quamquam me imparem tanto numeri probe cognoſcerem, atq; etiamnum, quod libens & ſincerè profiteor, agnoſcam. Suadebat ſanè propriæ inſufficientiæ conſcientia, aurem vocationi ne præberem, cujus meæ conſcientiæ teſtem citare poſſum inſpectorem & judicem illius Deum, & nonnullos viros probos & doctos, qui mihi primi authores fuerunt capeſſendæ iſtius functionis, ſi quidem legitimo ordine & via offerretur: ſed quum illi ipſi ſuggererent & experientia ipſa me crebro docuiſſet, rem periculi plenam eſſe, proprio judicio pertinaciter ſtare, & ſuæ de ſe ſententiæ pluſculum tribuere, eo quod in proprijs negotijs plerique cæcutimus omnes, illorum autoritate & judicio paſſus ſum, me permoveri ad difficilem hanc & oneroſam provinciam ſuſcipiendã, quod utinam cum bono Deo ſit & Numine propitio.

De quo tamen ipſo (quamquam ſupra modum ad ſolam functionis iſtius recordationem percellar & tantum non cohorreſcam) dubitare vix poſſum, quum apud animum meum attentè conſidero, quibus de cauſis decreta ſit vocatio, quomodo exſecutioni mandata, & quibus medijs & rationibus ad finem perducta; unde mihi perſuadeo divinitus illam inſtitutam eſſe & perfectam.

Quapropter de perpetua divini auxilij præſentia ſpem certam concipio, & cum debita animi ſubmiſſione munus illud in ſacroſancto ipſius nomine ſuſcipio & adgredior: vos omnes & ſingulos cordicitus obſecrans, imo, ſi id per benevolentiam veſtram, quam huc uſque mihi expoſitiſſimam multis indicijs cognovi,

gnovi, liceat, obteſtans: quin &, neceſſitate mea præſente ſic poſtulante, adjurans, ut ardentibus votis & precibus apud Deum, luminum Patrem, mecum decertetis, quo donis ad functionem neceſſarijs famulum ſuum, veſtris uſibus ex puro affectu ſervire paratum, gratioſe inſtruere, & in toto vocationis curſu benevolo ſuo favore proſequi, dirigere, & tueri dignetur.

Cæterum non abs re facturus videor, ſi in functionis initio nonnulla generatim de ipſa ſacroſanctâ Theologiâ proœmij inſtar præmittam, & de illius amplitudine, dignitate, & præſtantia explicem. Serviet tractatus iſte ſtudioſorum animis, qui ſe conſecraneos divinæ illius ſapientiæ profitentur, magis magiſque incitandis, ut in ſuſcepto curriculo animoſe progrediantur, profectus ſuos diligentur urgeant, & ad finem conſtanter contendant; ut aliquando ſalutaria Dei organa in Eccleſia ſanctorum eſſe poſſint, apta ad nominis divini ſanctificationem, & conformata ad corporis Chriſti exædificationem in Spiritu. Quod ſi effecero, arbitrabor cum Socrate, me in ipſo muneris ingreſſu bona illius parte non inutiliter defunctum eſſe. Dicere enim Sapientiſſimus ille Gentilium ſolebat, ſe ſuum docendi munus pulchrè abſolviſſe, ubi modo auditorum animos ad ardentem diſcendi cupiditatem impuliſſet. Neque immeritò, Volenti enim nihil eſt difficile: præſertim ſpondente Deo clariſſimam ſecretorum ſuorum revelationem ijs, qui *in lege* ipſius *noctes dieſq; meditabuntur*. Quæ Dei promiſſio efficit, ut & in hiſce captum humanæ mentis longe ſuperantibus Iſocraticum illud uſurpare liceat, ἐὰν ἦς φιλομαθὴς ἔσῃ καὶ πολυμαθής: ſi fueris cupidus diſcendi, plurima diſces.

Mihi quoque ipſi non parum ſerviet explicatio iſta. Eo enim ipſo, quod ſtudium illud tantopere commendo, legem mihi & regulam præſcribo, ſecundum quam in illius profeſſione incedere debeo; quin & neceſſitatem mihi impono in eo ſanctè, modeſtè, & omni bona conſcientia verſandi; ne ſi alicubi (quod Deus bonus avertat) exorbitem, ſtudij iſtius tam ſolemnis commendatio in faciem mihi ad ignominiam meam objiciatur.

Dum hanc rem ago, non arbitror mihi proteſtatione utendum apud conſultiſſimos juriſprudentiæ, peritiſſimos Medicinæ, ſubtiliſſimos philoſophiæ & literatiſſimos linguarum Profeſſores, quâ ſuſpicionem a me amoliar ſtudij, quod colunt ſinguli, neglecti aut inſuper habiti. Suum enim & honeſtum ſingulis ſtudij generibus in auguſtiſſimo ſcientiarum theatro decenter adtribuo locum: quo contenta, huic, de qua in præſentiarum ago, ſcientiæ præſidatum concedunt lubentiſſime.

Nudo ac ſimplici orationis genere utar, quale veritatis proprium eſſe docet Euripides: non quod neſciam cognationem aliquam orationi & ijs rebus quæ oratione tractantur intercedere oportere, & propterea, ad res divinas pro dignitate tractandum divinum quoddam orationis genus requiri; ſed quia res ipſa ornari non indiga, contenta doceri eſt, & ego ne conatum quidem ad dictionem rei convenientem conquirendam adhibere poſſum.

De dignitate itaque & præſtantia ſacræ Theologiæ acturus, quatuor

illam titulis circumſcribam: ſequens morem in humanis diſciplinis uſurpatum, quæ ex objecti, authoris, finiſque præſtantia, & ex rationum, quibus quæq; ſcientia nititur, pondere æſtimantur. Eadem ego inſiſtens viâ primum de *Theologiæ objecto*, *inde de authore, tum de fine*, denique *de certitudine* ejuſdem dicam.

Precor Deum ut mihi dicenti Spiritus ſui ſancti gratia adeſſe velit, & mentem, os, linguamq; meam ita dirigat, ut quæ vera, ſancta & ipſo digna ſunt, vobiſque ſalutaria, proferre poſſim, ad nominis ipſius gloriam & Eccleſiæ ædificationem.

Vos etiam, Auditores Clariſſimi & Humaniſſimi, oro, ut mihi res graviſſimas explicaturo exigui temporis attentionem benignè concedatis, & rem potius in qua verſabor, quam quo in illa pertractanda artificio utar, inſpiciatis.

De *objecto* primum & hac quidem hora diſpiciemus; ita rei natura poſtulante. Intimum enim id eſt ſcientijs, atque adeò *οἰκεῖον*, ut inde etiam nuncupationem ſuam ſortiantur.

Theologiæ autem *objectum* eſt ipſe *Deus*. Indicat hoc vox ipſa: Theologia enim ſermonem ſive rationem de Deo ſonat. Indicat idem definitio hujus ſcientiæ ab Apoſtolo uſurpata, quum deſcribit illam, quod ſit
Tit. 1. 1. *veritas ſecundum pietatem*, quæ iſthic *εὐσέβεια* dicitur, ſoli Deo debitum cultum ſignificans. quod ipſum clarius Apoſtolus indicat, quum hanc pietatem ſtrictiore *θεοσεβείας* voce adpellat. Habent aliæ omnes ſcientiæ ſua objecta, nobilia certè & digna in quibus humana mens conſiderandis tempus, otium & diligentiam adhibeat. *Metaphyſica generalis* ens qua ens, *ſpecialis* intelligentias & mentes à mortali contagione ſecretas: *Phyſica* corpora, quà principium motus in ſe habentia; *Mathematica* quantitates: *Medicina* corpus humanum, quà capax ſanitatis: *Iuriſprudentia* juſtitiam cum ſocietate humana: *Ethica* virtutes: *œconomica* familiare regimen: *Politica* civitatem. At omnia iſta infra Deum conſtituta, imo ab illo originem ſortita, ab illo uno dependentia, & viciſſim in illum retro commeantia & tendentia. Hæc una circa ens entium & cauſam cauſarum, circa principium naturæ, & gratiæ in natura exſiſtentis, naturæ adſiſtentis, & naturam circumſiſtentis verſatur. Digniſſimum itaque hoc eſt objectum & plenum venerandæ Majeſtatis, eouſque præcellens reliquis, ut quum nemini, quamquam omnium iſtarum ſcientiarum certiſſima cognitione inſtructo, vel tantillum gloriari fas ſit; hujus unius notitia ſeriò & ſolidè gloriari poſſit quiſquis illam eſt adeptus, ipſo Deo illud vetante, hoc præcipiente apud Hieremiam, his verbis: *Ne iactet ſeſe* Ierem. 9.
ſapiens in ſapientia ſua, ſed in hoc ſe iactet, qui gloriatur, quod me intelligat & cognoſcat.

Sed conditiones, quæ objectum alicujus ſcientiæ commendare ſolent, intueamur. *Obiectum* illud eſt præſtantiſſimum, quod in ſe *optimum maximum* & *immutabile* eſt, quod relatione ad mentem *lucidiſſimum* eſt, & menti expoſitiſſimum: quod actione ſua in mentem, illam implere poteſt, ejuſque infinitum deſiderium explere. Tres iſtæ conditiones in Deo, Theologici ſtudij ſubjecto, maximè, imò & ſolo inveniuntur. Ille *optimus* eſt: ille *primum, ſummum & ipſum bonum eſt*, & *ſolus*

bonum

bonus: tantum bonus, quantum bonum, tam *promptus communicare*, quam *communicari potens; tanta liberalitatis quantas habet opes, infinitus utrobique, ſola circumſcriptus recipientis capacitate*, quæ finem & modum ponit naturæ bonitati & communicationi ipſius. Ille *maximus* eſt, & *ſolus magnus*, ſubigere ſibi potens nihilum ipſum, ut capax ſit boni divini per communicationem ipſius; *vocans ea quæ non ſunt tanquam ſi ſint*, & eo ipſo in entium numero illa conſtituens, licet ex tenebris emergere & exiſtere juſſa; *cujus comparatione omnes gentes tanquam nihilum ſunt, habitatores terræ ut locuſtæ, principes pura inanitas*. Totum hoc cæli & terræ ſyſtema vix puncti inſtar ſe habet coram eo, cujus centrum ubique eſt, peripheria nuſquam. Ille immutabilis eſt, ſemper idem, in æternitate ſua perſtans: *illius anni non conſumuntur*: illi nihil accedere, nihil decedere poteſt; apud illum *nulla eſt transmutatio, neque converſionis obumbratio*: ab illo mutuatur, & precario accipit, quidquid vel momēti unius obtinet ſtabilitatem. *Iucunda* ergo & amœna illius conſideratio eſt propter *bonitatem*; *glorioſa* propter *magnitudinem*; *certa* propter *immutabilitatem*.

Rom. 4. 17.

Eſaie 40.

Pſal. 102.

Iac. 1. 17.

Ille eſt lucidiſſimus, imò lux ipſa; ille menti expoſitiſſimus, juxta dictum Apoſtoli: *ut quærerent Deum, ſi forte palpando eum invenirent: quamquam profectò non longè abeſt ab unoquoque noſtrum; per ipſum enim vivimus, movemur, & ſumus, imò ipſius & progenies ſumus*: & alio loco: *Deus non eſt paſſus ſe expertem eſſe teſtimonij benefaciendo, dans cœlitus pluvias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda noſtra*. Auſim dicere, ſuffragante mihi vero ipſo, nihil in ulla re videri & verè ſciri poſſe, niſi antea in illa Deum ipſum viderimus & cognoverimus.

Actor. 17.

Actor. 14.

Entitas ipſa primum eſſe dicitur, quod intellectui cognoſcendum ſe offert. At clamant omnia entia, viſibilia & inviſibilia, corporea & incorporea, quod ab alio eſſentiæ ſtatuſque ſui nacta ſint principium, neque prius quod ſunt, quam quod ab alio ſunt, enuntiant, juxta Regij prophetæ dictum. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius annuntiat firmamentum*, hoc eſt, firmamentum ebuccinat, quod ſit *opus dexteræ excelſi*. Plura enim & multò plura in rebus creatis ſigna invenias indicantia, quod ab alio habeant, quidquid poſſident, quam quod ipſæ ſint in entium numero & ordine. Neque mirum, quum nihilo ſemper propinquiores ſint, quam creatori ſuo, à quo infinitis differunt ſpatijs, finitis tantum proprietatibus à nihilo, primæva matrice ſua, diſtinctæ, utpote in quod recidere poſſunt, nunquam autem Deo æquiparari. Rectè ergò dictum ab antiquis, *Iovis omnia plena*. Pſal. 19.

Ille denique ſolus mentem implere poteſt, & deſiderium ejus alias inſatiabile explere. Eſt enim *eſſentia ſua, ſapientia, potentia, & bonitate infinitus*: eſt veritas prima & ſumma, & ipſum verum; mens autem naturâ materiâ ſuâ eſt finita, & hoc tantum nomine infinitatis particeps, quod infinitum ens & ſummum verum adpræhendit, quamquam compræhendere non valeat. Ideoque David exclamatione gratulabunda palam profitetur; *ſe ſolius Dei poſſeſſione* (per notitiam autem poſſidetur & amorem) *contentum eſſe*: *Quis mihi*, inquiens, *in cœlo? & tecum nolo quemquam in terra*. Pſal. 73. 24.

Cętera ſi noris omnia, hunc unum ignores, ſemper tendis ulterius, creſcitque ſciendi irrequietus amor, quantum ipſa ſcientia creſcit. Hunc qui novit unum, ignarus reliquorum, conquieſcit, & velut inventâ *pretioſâ margaritâ* quamvis *totam ſubſtantiam in illa coëmenda* profuderit, ſibi gratulatur, & feriò triumphat.

Facit ergo objecti iſta *claritas*, ut nunquam inveſtigetur & inquiratur, quin inveniatur. Facit *plenitudo* ejuſdem, ut nunquam niſi cum uberrimo fructu inveniatur.

Verum enimverò ſtrictè magis hoc *objectum* nobis eſt conſiderandum: agimus enim de illo quatenus noſtræ Theologiæ, ſecundum quam Deum in hac vita novimus, eſt objectum. Itaque modo quodam & formali, ut loquuntur, ratione veſtiendum eſt, atque ſic noſtræ ſcientiæ ſubſternendum. Cujus rei *triplex* ſe offert *ratio*. *Prima* eſt, quod illud objectum in infinitate naturæ ſuæ capere non poſſumus; unde noſtra neceſſitas poſtulat, ut proponatur modo capacitati noſtræ accommodato. *Secunda*, quod neque fas eſt, ut primo revelationis momento tanta menſura patefiat lumine gratiæ, quanta capi poteſt ab humana mente gloriæ lumine colluſtrata, & per illud ipſum ad majorem capacitatem ampliata: per rectum enim uſum ſcientiæ gratioſæ ad ſublimiorem illam glorioſam, ex norma juſtitiæ divinæ, eſt progrediendum; juxta dictum: *Habenti dabitur*. *Tertia eſt*, quod objectum illud non objiciatur noſtræ Theologiæ ut cognoſcatur tantum, ſed etiam uti cognitum colatur: Eſt enim *practica* hujus ſeculi Theologia, & per fidem; alterius ſeculi *Theoretica* eſt, & pura claraque viſione conſtans, juxta illud Apoſtoli: *per fidem incedimus, non per adſpectum*: & alterius Apoſtoli: *Tunc ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Quapropter objectum noſtræ Theologiæ tali veſtiendum eſt modo, qui nobis cultum Dei ſuadeat, & perſuadere queat. Atque hæc poſtrema ratio, norma eſt & amuſſis formalis rationis, ſecundum quam Deus noſtræ Theologiæ ſubjicitur. 2.Cor.5.7. 1.Ioan.3.2.

Cæterum ut homo ad cultum Deo, ex voluntaria animi obedientia & ſubmiſſione præſtandum, adducatur, neceſſe eſt ut certa cordis perſuaſione credat, 1. Deum coli velle & debere; 2. cultum ipſius fruſtraneum non fore, ſed præſtantiſſimo remuneratum iri premio. 3. cultus modum ex præſcripto ipſius eſſe inſtituendum; quibus accedere debet & ipſa modi præſcripti notitia. *Tria* itaque ut horſum neceſſaria & ſufficientia, de hoc objecto tradit cognoſcenda Theologia noſtra. *Primum* eſt de *Natura Dei*, *alterum* de *actionibus*; *tertium* de *voluntate eius*. Et de *Natura* quidem: quod ſit digna coli propter juſtitiam; quod ſit idonea de cultu judicare, ob ſapientiam; quod prompta & potens remunerari, ob bonitatem & perfectionem beatitatis ſuæ. *Actiones* duæ eodem fini Deo ſunt attribuendæ: Creatio & Providentia. Creatio omnium rerum, & præſertim hominis ad imaginem ipſius; cui innititur Dominium in Hominem, & propterea jus & poteſtas cultum ab illo poſtulandi & obedientiam præſcribendi; juxta Dei juſtiſſimã apud Malachiam querelam: *Si Pater ego ſum ubi eſt honor mei, & ſi Dominus ſum, ubi eſt timor mei?* Providentia illa adſcribenda, Mal.1.6.

qua

qua omnia gubernat, ſecundum quam de homine ipſo, deque ijs quæ ad illum pertinent, & potiſſimum de cultu & obedientia, quam Deo ſuo præſtare tenetur, ſanctè, juſtè & ſapienter curat. Tractat *denique* de *voluntate* Dei certo fœdere cum homine inito expreſſa: quæ *duplex* eſt. *Vna*, qua declarat ſe coli ab homine velle & ſimul modum cultus præſcribit; ex obedientia enim coli vult non ex hominis arbitratu. *Altera*, qua ſe cultum ipſius abunde pollicetur compenſaturum: poſtulans cultum non tantum ob beneficia jam in hominem collata, ad gratitudinis experimentum; ſed etiam, ut infinitè majora cum illo communicare queat ad felicitatis ipſius complementum. Quemadmodum n. primas in benefaciendo partes occupavit, & occupare debuit, ſiquidem homo in creaturarum numero eſſet extiturus: ita quoq; poſtremas ſibi, juxta infinitam bonitatis & beatitatis ſuæ perfectionem, cupit reſervatas: ipſe fons boni & clauſula beatitatis: creator ſimul & glorificator cultorum ſuorum. Secundum quam poſtremam ſuam actionem a nonnullis objectum Theologiæ dicitur, non inconcinnè, quatenus in poſtremo antecedentia omnia ſunt incluſa.

Atque hâc via compendio monſtrata infinitæ Scholaſticorum de ratione formali, qua Deus objectum Theologiæ eſt, diſceptationes componi & decidi, meo quidem judicio, poſſunt. de quibus, quia patientiâ veſtra abuti nefas arbitrór, plura dicere ſuperſedebo.

Imprimis autem ſatagit ſacroſancta Theologia noſtra, ut attributa iſta, Natura, inquam, Actiones, & voluntas, de quibus egimus, uni vero Deo tribuantur, illi cui ſoli verè competunt. Neque enim ſufficit ſcire, eſſe aliquam Naturam ſimplicem, infinitam, ſapientem, bonam, juſtam, omnipotentem, ſeipſa beatam, conditricem & gubernatricem omnium, quæ coli digna ſit, coli velit, & cultores ſuos beare poſſit: Accedat oportet certus conceptus, fixus in illud numen, & ſtrictè alligatus iſti [illegible], cui uni & ſoli verè iſta conveniunt. Hinc enim eſt illud ſæpiſſime inculcatum in ſacra paginâ: *Ego Iehova ſum Deus tuus, Ego & non alius*: Inde illud Heliæ: *Si Iehova eſt Deus, colite illum; ſin Baal eſt Deus, ſervite illi.* 1. Reg. 18. 21. Et hoc quidem tanto inculcat diligentius Scriptura, quanto proclivius eſt à vero numine, quam à verâ Deitatis ratione deviare. Gentiles enim, qui utcunque probam divinitatis notionem mente erant complexi, in hoc primum impegiſſe videntur, quod illam non cui debebant, adtribuerunt, ſed vel individuo vago, quemadmodum ille apud Poetam; *Tu Iupiter ſive cælum es, ſive æther, ſive terra*: vel commentitio alicui numini, ſive illud ſit in rebus creatis, ſive purum putum cerebri εἴδωλον, quod neque divinæ, neque ullius naturæ ſit particeps, quemadmodum Apoſtolus ad Romanos & Corinthios Gentilibus exprobat: ſive denique *ignoto Deo*, ignoti titulo ab ipſis cultoribus ſuo [illegible] adſcripto, quod de Athenienſibus narrat Apoſtolus: alioqui de omnibus omnino à vero numine aberrantibus, & tamen numen aliquod colentibus dici poteſt, quod Christus Samaritanæ objicit: *Vos colitis quod neſcitis.*

Rom. 1. 1. Cor. 8.

Act. 17.

Ioan. 4.

Quamvis autem gravi errore teneantur qui hic impingunt, adeò ut à Scri-

à Scriptura merito ἄθεοι appellentur; tamen intolerabilius multo inſaniunt, qui extremam impietatis transgreſſi lineam, nulla Numinis ullius conſcientia tenentur; quos etiam peculiari ratione ἀθέους appeſlandos cenſuit priſca gentilitas. Proximum contra ad ſanitatem gradum occupant illi, qui inſcitiæ ſuæ ſibi ſunt conſcij. Vna enim tantum cura illis inſtruendis eſt adhibenda; dedocti quippe falſitatem, ſolùm docendi ſunt veritatem: quam tantò cupidius arripient commonſtratam, quantò dolentius ferunt, quod errore perniciosiſſimo longis annorum ſeculis fuerint obſeſſi.

Sed ut conceptus noſtros, de quibus paulo ante diximus, figat in illud Numen quod verum eſt, & a falſis Numinibus comminiſcendis fingendiſque avertat Theologia; quatuor mihi potiſſimum facere videtur. *Primò*, ipſam Deitatis rationem eleganter & copioſe explicat, ne quid ipſius naturæ exoticum tribuamus aut proprium adimamus. Hinc illud: *Vocem audiſtis, ſed imaginem nullam*
Deut. 12. *vidiſtis: Cavete ergo diligenter animabus veſtris ne ullam imaginem faciatis.* *Deinde* actiones unius veri Dei deſcribit, tùm univerſales, tùm ſpeciales, ut per illas verum Numen a falſis ſecernat. Hinc illud: *Dij qui non*
Ier. 10. 11. *fecerunt cælum & terram, eradicentur de ſub cælis.* Hinc Ionas: *Ego Iehovam*
Ion. 1. 9. *Deum cæli timeo, qui fecit mare & aridam:* Item. *Progenies ergo Dei quum*
Act. 17. 27. *ſimus, non debemus exiſtimare auro aut argento, aut lapidi ſculptili artificij aut commentionis hominum numen eſſe ſimile:* Et, *Ego Iehova, ſum Deus tuus, qui eduxi*
Deut. 5. 6. Gen. 31. Ier. 23. 7. *te ex AEgypto: Ego Deus qui apparui tibi in Bethel.* Et alibi: *Ecce dies, veniunt, dixit Iehovah, & non dicent ultra, vivit Iehovah qui adſcendere fecit Iſrael de terra AEgypti: Sed vivit Iehovah, qui adduxit ſemen domus Iſraelis de terra Aquilonis, &c.* *Tertiò*, fœderis, quod verum numen cum ſuis cultoribus inijt, creberrimam injicit mentionem, ut illius recordatione mens hominis ſiſtatur in illo Deo, cum quo fœdus inivit. Hinc illud: *Sic dices* Exod. 3. 15.
filiis Iſraelis; Iehova Deus patrum veſtrorum, Deus Abrahami, Deus Iſaaci, Deus Iacobi miſit me ad vos; Hoc nomen meum in ſeculum, & hoc memoriale meum in ge- Gen. 31. 53.
nerationem & generationem. Hinc Iacob cum Labano ſocero fœdus initurus jurat *per pavorem patris ſui Iſaaci.* Hinc ſervus Abrahami filio Herili uxorem quæſiturus ita Deum invo- Gen. 24. 12.
cat: *O Iehovah Deus heri mei Abraham.* *Quartò*, vel maximè propria & individua nota verum numen inſignit, quum perſonarum, quæ divinitatis ſunt ejuſdem participes, mentione injectâ, mentem colentis figit in Deum illum, qui *Pater eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti*, quod obſcurius ſub Vetere Teſtamento, clariſſime in Novo Teſtamento eſt patefactum. Hinc illud: Eph. 3. 14.
flecto genua mea coram Deo & Patre Domini noſtri Ieſu Chriſti. Atq; hæc omnia Theologi ſummatim compræhendunt, quum dicunt, *illum Deum invocandum, qui ſe verbo ſuo manifeſtavit.*

Cæterum, quæ huc uſque de *Objecto* Theologiæ nobis dicta ſunt, ad Theologiam legalem ſpectant propriè, quæ primævo hominis ſtatui fuit accommodata. Quum enim homo in primigenia ſua integritate ſub boni & juſti Dei favore & benevolentia ageret, potuit Deo ſuo cultum, quem ex juſtitiæ legalis normâ (quæ dicit; *Hoc fac & vives*) præſcripſerat Deus, exhibere, potuit illum bonum & juſtum *ex toto corde & animo diligere;*

gere;

gere; potuit in illo bono & juſto fiduciam, conſcientia integritatis ſuæ, collocare; potuit illi, ut tali, filialem timorem præſtare, honorem ipſi gratum & debitum, ut ſervus Domino, impendere: potuit Deus viciſſim, citra juſtitiæ ſuæ læſionem, ex præſcripto juſtitiæ legalis, cum tali homine agere, illius cultum ex juſtitia remunerari, vitam illi ex pacto legis, atque ſic ex debito, conferre; juxta bonitatem ſuam, cujus ſuaſu illam promiſit, & juſtitiam ſuam quæ promiſſi ſolutionem exigebat. Nulla alia naturæ ipſius proprietas advocanda fuit, quę operam ſuam horſum conferret; nullus ulterior bonitatis progreſſus fuit neceſſarius, quã quæ bonum rependeret pro bono, bonum felicitatis perfectæ, pro bono integræ obedientiæ: nulla alia actio, præter iſtam creationem, quæ jam tum patrata erat, & providentiam conſervantem & gubernantem ex conformitate ſtatus iſtius requirebatur: nulla alia volitio Dei, quam qua & perfectam legis obedientiam requireret, & vitam eidem rependeret æternam, poſtulabatur. Quare, illo rerum humanarum ſtatu, iſta naturæ ex illis proprietatibus deſcriptæ, iſtarum actionum, & illius voluntatis cognitio ſola, accedente numinis notitiâ, cui iſta vere competebant, ad cultum Deo præſtandum neceſſaria erat, & ſola ſufficiebat.

Aſt quum homo ab iſta primævâ ſua integritate per legis inobedientiam decidiſſet, ſeque *iræ filium* & condemnationis conſectaneum feciſſet; non potuit iſta bonitas juſtitiæ legali mixta, non iſta creatio & providentia, non iſta voluntas; & propterea non iſta legalis Theologia ſervando homini ſufficere. Peccatum enim, quod condemnandum erat, ſi homo abſolveretur, *per legem* (ut ait Apoſtolus Rom. 8.) *condemnari non potuit*. Homo juſtificandus erat; at per legem, quæ peccati index eſt & virtus, iræque conciliatrix, juſtificari non potuit. Ioh.

Nulli itaque ſalutari uſui, tum temporis, ſervire potuit iſta Theologia; horrendæ tantum fuit efficaciæ ad hominem peccati convincendum, & certæ morti addicendum. Infelix ſane permutatio, & infauſtæ rerum vices culpa & vitio peccati introductæ: quo factum eſt, ut lex quæ *ad vitam* & decus *data* erat mortifera ſit generi noſtro, & æternæ procuratrix ignominiæ. Rom. 7. Aliæ ergo divinæ naturæ proprietates adhibendæ fuerunt; omne Dei bonum fuit explicandum; proferendæ fuerunt ex bonitatis primigeniæ matrice *miſericordia, longanimitas, manſuetudo, patientia, clementia*, atque illarum uſurpanda opera, ſiquidem homo peccator Deo reconciliari, & in favore ipſius poni deberet. Fuerunt etiam actiones producendæ aliæ; *Nova creatio* inſtituenda fuit; *Nova providentia*, & quidem novæ iſti creationi accommodata, uſurpanda fuit. *Redemtio* peragenda, *remiſſio peccatorum* adipiſcenda, *juſtitia amiſſa* reparanda, *ſpiritus gratiæ* impetrandus, *ſalus perdita* reſtituenda. Quin & decretum aliud de hominis ſalute faciendum fuit, aliud & *novum fœdus* cum homine incundum; *non ſecundum prius illud*, quia in eo non perſtiterant fœderati; alia & gratioſiore *voluntate ſanctificandi* fuerunt, *qui conſecrarentur*. Atque hæc omnia veluti fundamenta præſtruenda erant Novæ patefactioni.

Alia ergo revelatio, & aliuſmodi Theologia neceſſaria fuit, quæ iſtas

proprietates naturæ divinæ, ſapientiſſimè ad ſalutis noſtræ reparationem adhibitas, declararet; actiones illas uſurpatas prædicaret, & in decreto iſto & novo fœdere explicando occuparetur.

Verum enimvero quū Deus, peccatorum vindex & ultor juſtiſſimus, illas ſuas proprietates explicare, iſtas actiones producere, hoc decretum facere, vel noluerit, vel, obſiſtente juſtitia & veritate primitus in lege patefacta, non potuerit, niſi interventu Mediatoris, in quo circa læſionem juſtitiæ & veritatis ſuæ, proprietates iſtas ſuas explicaret, actiones illas perficeret, bonaque neceſſaria per illas produceret, & decretum iſtud gratioſiſſimum concluderet; hinc *Mediator* ordinandus fuit, qui *ſanguine* ſuo pro peccatoribus litaret, peccatum humani generis morte ſua expiaret, impios Deo reconciliaret, & ab irâ ejus ſervaret; miſericordiam, longanimitatem, & patientiam Dei expoſitam redderet, *redemptionem æternam* adipiſceretur, *remiſſionem peccatorum* obtineret, *iuſtitiam ſeculorum* repararet, ſpiritum gratiæ impetraret, decretum gratioſæ miſericordiæ firmaret, *fœdus novū* cruore ſuo ſanciret, ſalutem æternam recuperaret, & ad Deum tandem ſalvandos adduceret.

Conſtituit ergo Deus juſtus & miſericors Mediatorem, *Filium ſuum dilectum Ieſum Chriſtum.* Ille munus a Patre impoſitum obedienter ſuſcepit, & animoſe eſt exſecutus; quin etiamnum exſequitur. Hic ergo à Deo ordinatus eſt Redemptor, Salvator, Rex, & Caput ſalvandorum, ſub Deo. Porro, iniquum fuiſſet illum tantis defunctum laboribus & moleſtiis, tanta operatum miracula, tanta nobis promeritum beneficia, inglorium & ignobilem manere inter nos; inhonoratum a nobis dimitti. AEquiſſimum fuit, ut viciſſim à nobis agnoſceretur, coleretur, invocaretur & debite illi gratię ageretur.

At quomodo illum adorare, colere, invocare poterimus, *niſi in illum credamus?* quomodo *credere* poſſimus in illum, *niſi de ipſo audiamus?* quomodo audire de ipſo, niſi per verbum nobis reveletur? Hinc ergo exſtitit revelationis de Ieſu Chriſto faciendæ neceſſitas; & propterea Theologiæ, quæ peccatorum ſaluti ſerviet & ſufficiet, *duplex obiectum*, ſubſternendum, *Deus & Chriſtus eius*, juxta dictum ipſius Salvatoris noſtri Chriſti: *Hæc eſt vita æterna, ut te ſolum cognoſcant verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Et objectum quidem duplex, non quorum unum ab altero ſit diſſeparatum, aut unum alteri collateraliter adjunctum; ſed quorum poſterius priori decenter eſt ſubordinatum. Atque hîc habemus *Theologiam*, quæ ab *obiecto ſuo, Chriſto*, meritiſſimo jure *Chriſtiana* appellatur; patefactam *non lege*, ſed primis temporibus *τῇ ἐπαγγελίᾳ*, noviſſimis *Euangelio*, quod *Ieſu Chriſti* dicitur; quamquam voces iſtæ nonnunquam confunduntur. Sed de utriuſque objecti conjunctione & ſubordinatione videamus. Quum *Chriſtiana noſtra Theologia obiectum habeamus Deum & Chriſtum eius*, certè modus, quo legalis Theologia nobis Deum explicat, vehementer eſt hoc additamento amplificatus, & noſtra Theologia, præ iſta legali, infinitè nobilitata.

Rom. 10.

Ioh. 17.

Omne enim bonum ſuum Deus in Chriſto explicuit; *Voluit ut in illo omnis plenitudo habitaret*, & plenitudo quidem *Deitatis*, non ſecundum umbram, ſed *corporaliter* inhabitaret.

Coloſ. 1. 19.

Hinc

Hebr. 1. Hinc ille dicitur *imago inconſpicui Dei, ſplendor gloriæ paternæ & character ſive expreſſa effigies hypoſtaſeos ipſius;* in quo nobis Pater infinitam ſuam majeſtatem, immenſam bonitatem, miſericordiam, & φιλανθρωπίαν contemplandam, ſpectandam,& palpandam præbet; adeò ut ipſe Chriſtus dicat Joan. 14. Philippo: *qui me videt, videt & Patrem meum.* Nam quæ in Patre, velut in ſigillo, intus latebant inconſpicua, illa in Chriſto tanquam *charactere*, cui ſigillum per characteriſmum eſt impreſſum, exſtant & clariſſimè videri poſſunt. In hac Theologia Deus verè & in ſummo gradu *optimus* & *maximus* adparet. *Optimus*, qui non tantum, ut in priori Theologia, ſe hominibus officio fungentibus communicare ad illorum beatitudinem velit; verum *peccatores, impios, inutiles, inimicos* in gratiam recipere, ſibique reconciliare, & reſipiſcentes vita æterna donare. *Maximus*, qui non tantum de nihilo produxit omnia, per annihilationem illius, & horum creationem; ſed etiam de peccato, quod ipſo nihilo pejus eſt, triumphavit per gratioſam condonationem, & potentem abolitionem illius; juſtitiamq; ſempiternam produxit per *creationem ſecundam & legalis magiſtri* captum longe excedentem 1. Cor. 1, 24. *regenerationem*. Qua de cauſa Chriſtus *ſapientia & potentia* Dei dicitur; longe illuſtrior quam ſapientia & potentia, quæ in primi mundi creatione eſt declarata. In hac Theologia Deus nobis ut omni modo *immutabilis* deſcribitur, non tantum naturæ ipſius, ſed & volitionis reſpectu, quæ ut Evangelio patefacta eſt, peremtoria eſt & omnium poſtrema, nulla alia volitione corrigenda. Hebr. 13. 8. *Jeſus* enim *Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſecula; per hunc ultimis diebus locutus eſt Deus.* Hebr. 1, 2. In lege ſecus res habuit, & magno noſtro bono. Si enim voluntas Dei lege explicata fatalis nobis & extrema fuiſſet, miſerrimi in æternum ab ipſo Deo propter hanc ejus voluntatem, & à ſalute noſtrâ exſulare debuiſſemus. Neque velim propterea videri mutabilitatē ullam Dei voluntati adſcribere. Volitioni tantum, vel potius volito alicui illius finem pono, quem ipſe æterno & peremtorio decreto illi præfixit & prædeterminavit, ut *meliori, & præſtantioribus promiſſis ſancito, fœderi* locus eſſet. Heb. 7. 22. & 8. 6. Hæc *Theologia* tam clare & liquidò Deum nobis in Chriſto videndum & cognoſcendum proponit, *ut retectâ facie gloriam Domini in illo velut in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem transformari dicamur ex gloria in gloriam, ſicut à Domini ſpiritu.* 2. Cor. 3. Cujus fulgoris & gloriæ velut præeminentis & ſuperantis reſpectu, lex ipſa nec *fulgida* nec *glorioſa* fuiſſe dicitur. Fuit quidem *hæc Dei ſapientia à temporibus æternis occulta, myſterium hoc magnum eſt* & imperſcrutabile: 1. Cor. 2. Rom. 16. 1. Tim. 3. 16. ſed in Chriſto Ieſu tanta claritate exhibitum, ut *Deus ipſe in carne manifeſtatus dicatur*, non ſecus ac ſi extra carnem ne manifeſtatus quidem fuiſſet; ut *vita æterna, quæ apud patrem erat, & ſermo vitæ, qui ab initio erat apud Deum, auribus noſtris audiatur, oculis noſtris ſpectetur, & manibus noſtris contrectetur.* 1. Joan. 1. Hoc modo veſtitum objectum Theologiæ noſtræ, tam abundè mentem implet, & deſiderium explet, ut Apoſtolus aperte dicat: *Se nihil inter Corinthios ſcire voluiſſe quam Ieſum Chriſtum eumque crucifixum*; 1. Cor. 2. 2. ad Philippenſes: *ſe omnia pro damno duxiſſe propter eminentiam cognitionis Ieſu Chriſti, imò omnibus ſeipſum mulctaſſe, &* Philip. 3.

pro ſtercoribus habuiſſe omnia, ut cognoſcat Chriſtum, & vim reſurrectionis ipſius, communionemq; perpeßionum eius. Imo in cognitione objecti Theologiæ noſtræ, hoc pacto modificati, omnis vera & juſta gloriatio conſiſtit, quemadmodum locus antea ex Hieremiâ nobis citatus, & accommodatio ejuſdem a Paulo facta præ ſe ferunt planiſſimè. Ita enim ille habet: *Qui iactat ſe in eo ſe iactet, quod intelligat & cognoſcat me, quod ego Iehova faciens miſericordiam, iudicium & iuſtitiam in terra.* Vbi miſericordiæ mentionem audis, neceſſario Chriſtū cogitare debes, extra quem *Deus ignis conſumens eſt*, ad perdendum peccatores terræ. Accommodatio Paulina ita eſt: *Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemtio, ut, ſicut ſcriptum eſt, qui gloriatur in Domino glorietur.* Neque mirum, quod mens nihil præter illum ſcire deſideret, ſciendi inſatiabilis alioquin cupiditas, in illo conquieſcat; quum *in illo, Euangelioque ipſius, omnes ſapientiæ ac cognitionis theſauri ſint abſconditi.*

Ier. 9.

Deut. 4. 24.

1. Cor. 1. 31.

Col. 2. 9.

De conjunctione egimus; ad ſubordinationem utriuſq; objecti veniamus; inque illa, primò ejus naturam, inde neceſſitatem inſpiciamus. Natura illius in eo conſiſtit, quod omnis, quæ Deo nobiſcum eſt, aut nobis cum Deo, ſalutaris communicatio, Chriſti medio interventu peragitur. Et Dei quidem communicatio nobiſcum, aut in affectu ejus benevolo eſt erga nos, aut in gratioſo decreto de nobis, aut in effectu ſalutifero in nobis. Vbique Chriſtus medius intercedit. Quum enim Deus bonitatis & miſericordiæ ſuæ affectum nobis communicabit, Chriſtum ſuum intuetur, in quo *dilectos nos ſibi gratioſos habet & dilectos*. Quum aliquod bonitatis & miſericordię ſuę gratioſum decretum faciet, Chriſtum ſuum medium interponit; *in illo enim prædeſtinat nos ad filiorum adoptionem*. Quum aliquod bonum ex iſto affectu, juxta decretum gratioſum ſuum, nobis impartietur, idem ille intervenit; nam in Chriſto velut capite noſtro omnia iſta bona repoſuit Pater, & nobis non niſi per illum, imò ab illo tanquam vicario Patris, iſta cum authoritate adminiſtrante, & prout vult diſtribuente, contingunt. Nobis vero cum Deo *communicatio* quæ eſt, etiam Chriſto interveniente perficitur. Illa tribus conſtat gradibus; acceſſione ad Deum, inhæſione in illo, & fruitione illius: quæ tria hic conſideranda veniunt, ut in hęc tempora ſecularia incidere poſſunt, & per fidem, ſpem, charitatemque ex fide iſta prognatam, uſurpantur. Ad acceſſum tria ſunt neceſſaria: ut Deus loco ſit acceſſibili; ut via munita, qua ad illum poſſit accedi; ut libertas conceſſa & fiducia accedendi. Omnia iſta Chriſto mediante ſunt comparata. Ille enim a Patre, qui lucem habitat inacceſſam, & extra ipſum throno inſidet juſtitiæ rigidæ, peccatoribus nimis formidabili, conſtitutus eſt, ut ſit *propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius*, quo arca obtecta, & lege accuſante, convincente, & condemnante, quæ in illa continebatur, velut quodam velamine ab oculis divinæ majeſtatis prærepta, thronus gratiæ eſt conſtitutus, cui Deus inſideat, cum quo nobis in Chriſto eſt negotium: atque ſic εὐπρόσιτος nobis factus eſt Pater in Filio. Idem ille Chriſtus non modò *viam* quâ ad Patrem eundum eſt nobis *vivam & recentem dedicavit per carnem ſuam*, ſed & ipſe *via* eſt ducens rectâ ad Patrem.

Eph. 1.

Rom. 3. 25.

Hebr. 10.

Accen-

Accedendi *libertatem*, imò ingrediendi in ipſum *ſacrarium*, & quidem *intra velum*, habemus *per ſanguinem Chriſti*: qui etiam, ut *Sacerdos magnus*, & *præfectus domus Dei* eò pro nobis ingreſſus eſt prius, ut nos *cum vero corde*, & ſancta fidei plerophoria, *certaque animi fiducia ad thronum gratiæ accedremus*. Preces itaque Deo offerre habemus? ille Sacerdos eſt qui Patri iſtas proponat; ille altare cui impoſitę grati odoris incenſum erunt Deo & Patri noſtro. Sacrificia Euchariſtica Deo offerenda? Per illum offerri oportet; ſecus *accepta non habebit Deus de manibus noſtris*. Opera bona præſtanda? per ſpiritum Chriſti illa fieri oportet, ut hoc authore commendentur, & ſanguine ejuſdem tingenda, ne propter defectum à Patre repellantur. Sed accedere non ſufficit; inhærere Deo nobis bonum eſt? Inhæſio, ſi firma futura eſt, naturæ communione inniti debet. Sed nos illam cum Deo non habemus. Chriſtus habet, & nos cum Chriſto *carnis & ſanguinis noſtri facto participe*. Ille caput noſtrum factus de Spiritu ſuo nobis donat, ut nos *caro de carne & os de oſſibus eius* velut membra ipſius effecti, ipſi inhærentes, unum cum illo, & per illũ cum Patre, *unusq;* cum utroq; *Spiritus* ſimus. Reſtat fruitio, quæ verus, ſolidus, & durabilis divinę bonitatis & dulcedinis in hac vita guſtus eſt, non à mẽte tantum & intellectu, ſed etiam a corde omnium ſede affectuum perceptus. Hęc etiam non niſi in Chriſto nobis contingit; per cujus Spiritũ in nobis habitantem, pronuntiatur in cordib⁹ noſtris teſtimonium illud diviniſſimum, quod *filij Dei ſumus, & hæredes vitæ æternæ*; ex cujus auditu interno ineffabile gaudiũ concipientes, *animas noſtras in ſpe & patientia poſsidemus*; *Deum Abba & Patrem* in omnib⁹ anguſtijs inclamãtes; cum attenta exſpectatione acceſſus noſtri ad Deum finalis, conſummatæ inhæſionis, per quã habebimus omnia in omnibus, & beatiſſimę fruitionis, quę clarâ ipſius Dei viſione conſtabit. De quibus in tertiâ hujus noſtri tractatus parte proprius erit dicendi locus.

Hebr. 4. — Hebr. 2. — Rom. 8.

Subordinationem ipſam utriuſq; objecti Theologiæ Chriſtianæ vidimus; de neceſſitate ejus paucis perſtringamus. Illa ex noſtræ contagionis & vitioſitatis ad Dei incontaminabilem ſanctitatem & inflexibilem juſtitiæ rigorem comparatione ortum ducit, quę tanto hiatu velut inſociabili intervallo nos à Deo diſſeperat, ut tranſitus ad illum fieri non poſſit, niſi iræ Dei torcular calcaverit Chriſtus, & ſanguinis ſui pretioſiſſimi rivis, ex compreſſis & diſruptis corporis venis largè profluentibus, hiatum iſtum compleverit: *conſcientiaſque noſtras eodem ſanguine ſuo adſperſas a mortuis operibus purgaverit*, ut ſanctificati Deo vivo adpropinquare & *ſervire* poſſimus *ſine metu, cum iuſtitia & ſanctitate in ipſius conſpectu, cunctos dies vitæ noſtræ*. Hebr. 9. 14. & 10. 22. Luc. 1.

Tanta autem iſtius ſubordinationis eſt neceſſitas, ut ipſa fides noſtra, niſi ſit in Chriſtum, in Deum eſſe nequeat: *per illum enim*, inquit Apoſtolus Petrus, *credimus Deo, qui excitavit eum a mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides ac ſpes noſtra in Deo eſſet*. Quapropter & fides iſta, quam Deo habemus, non lege ſed Euangelio gratiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti eſt præſcripta, quod propriè *verbum fidei* eſt, & *ſermo promiſſionis*. 1. Pet. 1. 21.

Iſtius rei conſideratio infinitæ eſt utilitatis, tum ad fiduciam ingenerandam conſcientijs fidelium, ad

peccatorum ſuorum intuitum contremiſcentibus, ut ex iis quæ dicta ſunt liquet planiſſime; tum ad Chriſtianæ Religionis neceſſitatem adſtruendam. De qua re, quia & præſentis inſtituti, & ipſius Chriſtianæ Religionis ratio ſic poſtulat, nōnulla dicere neceſſe habeo. Dico itaque, non Chriſti tantum interventum neceſſarium eſſe, ad ſalutem à Deo impetrandam & hominibus impartiendam, ſed & Chriſti fidem ad eandem ex ipſius manibus accipiendam. Et fidem Chriſti non ſub generali ſapientiæ, potentiæ, bonitatis, miſericordiæ Dei notione adpræhenſi, ſed quemadmodum ille ab Apoſtolis eſt prædicatus, & fides illius ab iiſdem annuciata, & literis conſignata. Non moveor argumento, quo nonnulli in hanc ſententiam adduci ſe profitentur, quod neque cum miſericordiæ Dei amplitudine, neque cum juſtitiæ ipſius rationibus conveniat, tam præciſa fidei in Chriſtum ab omnibus ſalvandis poſtulatio, quum multa hominum millia ex hac vita excedant, antequam vel fama Euangelij Chriſti ad illos pervenerit. Nam de juſtitiæ & miſericordiæ divinæ rationibus, non ex modulo ingenij aut adfectus noſtri eſt ſtatuendum; ſed Deo iſtarum ſuarum proprietatum & libera adminiſtratio, & juſta defenſio relinquenda. Accidet autem, quomodocunque ipſi viſum fuerit illas adminiſtrare, ut ſemper *vincat quando judicabitur*. Nobis ex verbo ipſius ſapiendum eſt. Illud primis ſecundiſque certis fidei in Chriſtum neceſſitatem deſcribit, ex ordinatione juſtæ miſericordiæ, miſericordis juſtitiæ Dei. *Qui credit*
Ioan. 3. 36. *in Filium habet vitam æternam, qui non credit Filio non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illum*. Non incipit ira Dei accendi adverſus illum, ſed quam jam promeritus erat præcedentibus peccatis adverſus legem commiſſis, manet ſuper illum propter incredulitatem, quia liberari ab illa poterat per fidem in Filium Dei. Item:
Niſi credideritis me illum eſſe, moriemini in Ioan. 8. 24.
peccatis veſtris. Et alibi: *Hæc eſt vita* Ioan. 17. 3.
æterna, ut te ſolum agnoſcant verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. 1. Cor. 1. 23.
Et Apoſtolus: *Placuit Deo per ſtultitiam* 24.
prædicationis ſalvare credentes. Illa predicatio eſt *ſermo de cruce, gentibus ſtultitia, Iudæis offendiculum: vocatis autem, tum Iudæis, tum Græcis, Chriſtus Dei ſapientia & potentia*. Non ſapientia & potentia, qua Deus mundum condidit, ab illa enim perſpicue Chriſtus hic diſtinguitur; ſed ſapientia & potentia revelata Euangelio, quod
eſt *potentia Dei ad ſalutem omni credenti*. Rom. 1. 17.
Non ergo crux ipſa tantum Chriſti neceſſaria ad impetrandum redemptionem, ſed & fides crucis ad eandem obtinendam. Neque quia proponitur ſermo crucis hominibus, fides illius eſt neceſſaria: ſed quia neceſſaria eſt fides in Chriſtum ex decreto Dei, ſermò de cruce proponitur, ut credentes illi ſalventur. Neque ex decreto tantum Dei fides in illum neceſſaria eſt, ſed etiam ex promiſſione Chriſto à Patre facta, imò & ex pacto inter utrumque inito.
Promiſſionis ſermo hic eſt: *Po-* Pſalm. 2. 8.
ſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Hæreditas autem Chriſti po-
pulus fidelium, *populus qui ipſi in die* Pſalm 110.
exercitus ipſius ſpontaneus aderit in ſplendoribus ſanctitatis. Item: *Benedicentur* Galat. 3. 9.
in te omnes gentes; itaque qui ex fide ſunt benedicuntur cum fideli Abraham. Apud Eſaie 53.
Eſaiam: *Quum poſuerit ſacrificium pro*

delicto animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Jehova in manu ejus proſperabitur: propter laborem animæ ſuæ videbit fructum quo ſaturetur; ſcientia ſui, quæ eſt fides in illum, juſtificabit juſtus ſervus meus multos, & iniquitates ipſorum ipſe portabit. Pactum cum Patre initum allegat Chriſtus dicens: *Pater glorifica Filium tuum, ut & Filius tuus te glorificet, Sicut dediſti ei authoritatem in omnem carnem, ut quotquot dediſti ei det eis vitam æternam. Eſt autem vita æterna,* & quæ ſequuntur. Conſtitutus eſt ergo Chriſtus decreto, promiſſo, & pacto Patris, Salvator omnium in ipſum credentium, dicente Apoſtolo: *& conſecratus factus eſt author ſalutis omnibus qui ipſi auſcultant.* unde etiam gentes *ſine Chriſto* dicuntur *alieni à republica Iſraelis, extranei à pactis promiſſionum, ſpem non habentes, Dei expertes in mundo, & tenebræ: per fidem autem Chriſti* dicuntur *propinqui facti, & lux in Domino.* Neceſſe eſt itaque, ut pro Religionis Chriſtianæ neceſſitate, tanquam pro ſalutis arâ & anchora, depugnemus, ne, ſi Filium nobis aut noſtræ fidei patiamur adimi, ipſo quoque Patre deſtituamur: *qui enim Filium non habet, ne Patrem quidem habet.* Si vero ad iſtius neceſſitatis diminutionem vel circumſcriptionem tantillum connivéamus, Chriſtus ipſe apud ſuos Chriſtianos in contemtum adducetur, & tandem in univerſum abnegabitur. Proclive enim eſt ſalutis meritum, & efficaciam ſalvandi illi adimere, in cujus *Sacramenti verba jurare* nullâ neceſſitate compellimur. Quis credit beneficium ab illo præſtitum eſſe, cui gratias agere non ſit neceſſe? imò, quis non palam & pleno ore profitebitur, ſalutis authorem non eſſe, quem ſalutis authorem agnoſcere non ſit neceſſe? Fortiter ergo urgenda eſt utriuſque objecti iſtius, *Dei & Chriſti,* conjunctio, in Theologiâ Chriſtianâ noſtrâ; neque ferendum ut ullo prætextu à ſe invicem diſſeparentur, niſi ipſum à nobis disjungi Chriſtum, & cum Chriſto ſalutem nobis auferri velimus.

Ioan. 17. 1. & 3.

Heb. 5.

Eph. 2.12.13.

Eph. 5. 8

1. Ioan. 2. 23.

Requireret præſens tractatus ut partes omnes & ſingulas, quibus conſideratio iſtius objecti conſtare debet, ordinemque illarum breviter oculis objiceremus; ſed nolo clariſſimum & celeberrimum hoc auditorium prolixiore oratione detinere.

Quum itaq; tanta ſit Theologiæ, & præſertim Chriſtianæ noſtræ ab objecto ipſius, Deo & Chriſto, dignitas, majeſtas, claritas, & plenitudo: æquum eſt ut omnes qui hominum, ad imaginē Dei conditorum, imò Chriſtianorum, & ad imaginem Dei & Chriſti regenitorum longè auguſtiore titulo gloriantur, ſeriò & ardenti ſtudio in illius cognitionem incumbant; exiſtimantes ſe nulla in re dignius, jucundius, utilius, operam ſuam ponere poſſe. Quid enim imagine Dei dignius, quam perpetuo ſe in archetypon ſuum reflectere? Quid jucundius, quam exemplaris ſui radijs ſalutaribus continuò irradiari & colluſtrari? Quid utilius quam per iſtam colluſtrationem magis magiſque archetypo aſſimilari? Nullius ſanè rei cognitio utilius quæritur, aut fructuoſius invenitur. Quid creaturæ, ſervo, filio conveniens magis & honeſtum, quam in Dei creatoris, Domini, Patris ſui cognitionem noctes dieſque incumbere? Quid ſanguine Chriſti redemtis & Spiritu ejus ſanctificatis magis decorum, quam Chri-

Chriſtum aſſiduè meditari, illum in mente, animo, imò & lingua ſemper circumgeſtare.

Scio quidem vitam hanc animalem varias functiones poſtulare, & ſingulis præficiendos qui illas ad communem reipublicæ utilitatem obeant, ſcientiamque adminiſtrandi illas multi temporis ſtudio & labore acquirendam eſſe. At illi ipſi, quibus ex officio alijs rebus adeſſe & præeſſe mandatum eſt, agnoſcentes, primum quærenda eſſe quæ ad *regnum Dei & juſtitiam eius pertinent*, fatebuntur & huic ſtudio ſuũ otium, ſuas meditationes, & curas eſſe concedendas. (Matth. 6.) David ipſe, Rex numeroſi populi, & varijs bellis implicitus, tamen non deſtitit hoc ſtudium præ cæteris omnibus colere & tractare: cujus etiam beneficio factum dicit, ut non modo *hoſtibus ſuis* ſed & *magiſtris ſapientior evaſerit*. (Pſal. 119.) Quantopere Salomon, & ipſe ejuſdem populi in ſolio paterno adminiſtrator, in divinarum rerũ cognitione profecerit, teſtantur tria nobiliſſima ſcripta illius, quæ etiamnum cum admiratione & gratiarum actione legit Eccleſia. Quum autem nihil difficilius ſit, quam bene imperare, ex Romani Imperatoris ſententia; quæ poterit juſta prætendi cauſa neglecti ſtudij, cui etiam Reges ſua tempora potuerunt impendere? Nec mirum; Deo enim iubente id faciebant, & nobis eiuſdem Dei juſſum omnibus & ſingulis eſt impoſitum. Dicebat Plato *tum demum Reſpublicas fore beatas, quum aut principes & illarum moderatores philoſopharentur, aut Philoſophi illas adminiſtrarent.* Nos id longè juſtius ad Theologiam transferre poſſumus, quæ vera eſt & ſola rerum divinarum ſapientia. Sed vos propius concernit hæc monela noſtra, lectiſſimi & eruditi iuvenes, qui parentum aut mecænatum, & veſtrâ ipſorum etiam voluntate, iſti ſtudio dicati, devoti, & conſecrati eſtis; non ut illud propriæ tantum ſalutis promovendæ cauſa ſedulò excolatis, ſed ut aliquando ipſi ſanctorum Eccleſiæ, *quæ corpus Chriſti eſt, & plenitudo illius qui omnia implet in omnibus* docendæ, inſtruendæ, ædificandæ, elegantem & Deo gratiſſimam operam præſtare poſſitis. Vobis certè perpetuò ob oculos obverſetur amplitudo & majeſtas objecti, quod jure merito nos occupatos tenet; & exiſtimare nihil eſſe glorioſius, quam in Deo Chriſtoque ejus cognoſcendo, noctes dieſque incumbere, quum vera gloriatio in Dei Chriſtique ejus notitia conſiſtat. Cogitate quanta ſint iſta, in quæ & Angeli deſiderant inſpicere, ad quorum nominis communionem & vos aditum jam vobis facitis, & Deus vos aliquando (quod opto & ſpero) eſt vocaturus.

Imitandum vobis proponite, quem lubentes agnoſcitis præceptorem, electum Chriſti organum, Paulum Apoſtolum, qui tanto deſiderio Chriſti cognoſcendi accenſum (Phil. 3.) ſe profitetur, ut non modo omnia mundana ipſius cognitioni poſtpoſuerit, ſed & *omnibus* ſeipſum *mulctaverit, ut Chriſti notitiam lucrifaceret*. Intuemini diſcipulum ejus Timotheum, quem eo nomine felicem prædicat, *quòd à puero ſacras literas* (2. Tim. 3.) *edoctus fuerit*; in cujus felicitatis partem & vos veniſtis, & porrò venietis ulterius, ſi quæ idem *Doctor Gentium* Timotheum ſuum monet, vobis etiam capeſſenda & exſequenda exiſtimabitis. Verum, non diligen-

tiam modò hoc ſtudium poſtulat, ſed & ſanctimoniam, & ſyncerum Deo placendi affectum. Sanctum enim eſt objectum, imò ſanctum ſanctorum quod tractatis, quod intuemini, quod cognoſcere ſtudetis. Sancta pollui non decet; incontaminatam deſiderant ſui uſurpationem. Dicebat antiqua Gentilitas ſacrificatura, *procul hinc, procul eſte profani.* Id vobis juſtiore cauſa hic ingeminandum, ubi ſacrificaturi itis altiſſimo Deo, & Chriſto ejus: cui etiam ſanctus Angelorum chorus ſanctũ triſagion acclamat. Neque patiamini, ut dum iſti ſtudio incumbitis, in diverſas partes animus trahatur. Hoc agite, hoc agite, mente intenta in id, quod vobis ex ſcopo eſt propoſitum. Hoc ſi facietis, exigui temporis ſpatio non pœnitendum vobis,& alijs utilem, *in viâ cognitionis Domini* progreſſum facietis. *Secretum enim*
Pſal. 25.15. *ſuum Dominus timentibus ſe impartitur.* Imò eo ipſo *Meliorem vobis ipſi partem praelegiſſe* declarabitis, *quæ ſola à vobis non modo non auferetur*, ſed majus indies incrementum ſumet; mentibus veſtris ita per cognitionem Dei & Chriſti ejus dilatatis, aut ampliſſimum Deo & Chriſto habitaculum in Spiritu ſint futuræ.

DIXI.

ORATIO SECVNDA,

DE

Authore & fine Theologiæ.

QVI in demonſtrativo verſantur dicendi genere, & laudandum aliquid vel vituperandum ſibi ſumunt, neceſſe plerumque habent ſuſpicionem, quæ facillimè auditorum animos invadit, à ſe amoliri; quod non ex affectu amoris vel odij immoderatiore ad dicendum ſunt impulſi, ſed certo animi judicio adducti; quod non ardentem ſuæ voluntatis flammam, ſed claram mentis ſuæ lucem, rei ipſius, de quâ acturi ſunt, naturæ convenientem, ſunt ſecuti. Mihi verò id neceſſarium non eſt. Res enim ipſa, quam ſumſi commendandam, ſuſpicionem iſtam à me facilè depellit. Non diffiteor me hic etiam amoris affectui concedere: verum in eâ re, quam qui non amat ſeipſum odit, & vitam animæ ſuæ perfidè proſtituit. Sacroſancta Theologia eſt, cujus præſtantiam & dignitatem tenui oratione celebro, quam ſcio vobis omnibus eſſe commendatiſſimam; ſtudeo tamen illam, ſi fieri poſſit, commendatiorem vobis reddere. Hoc ſanè poſtulat meritum ipſius, hoc officij mei exigit ratio. Neque id ſtudeo, ut dignitatem ejus exaggerem aliunde adſcitis ornamentis: Perfectæ enim hujus pulchritudini nihil addi poteſt extraneum, quod illam non dedeceret: Explico tantum illa, quę ipſam per ſe commendant affatim. Illa ſunt *objectum* ejus, *authar*, *finis*, & *certitudo*. De *objecto* diximus quantum dedit Dominus: jam de *authore & fine* ejuſdem dicemus. Faxit Deus ut ipſius Theologiæ ductum ſequar in omnibus, nihilque niſi quod ipſi conveniens, Deo dignum, & vobis utile proferam, ad nominis ipſius gloriam, noſtrique omnium aggregationem in Domino. Vos etiam, Auditores clariſſimi

& humaniſſimi, oro, & obſecro, ut quâ benevolentia & attentione de *Obiecto* Theologiæ diſſerentem audiviſtis, eadem de ejuſdem *Authore & fine* dicturum audiatis.

De *Authore* acturus, non contexam laudum ipſius longa præconia, quæ ille quidem meretur, ſed apud vos non eſt opus: dicam tantum *quis Author ſit*, cum *quo reſpectu conſiderandus*, *quibus ſuis proprietatibus uſus ſit ad Theologiam revelandam*, & *quo modo illam patefecerit*.

Quemadmodum autem *obiectum* Theologiæ bifariam conſideravimus, ita ejus *Authorem* quoque ſecundum duplicem, *legalis* nimirum & *Euangelicæ Theologiæ* reſpectum, habemus intueri; ut ſingulæ tractatus noſtri partes ſibi aptè & examuſſim reſpondeant. Vtrobique idem *author eſt*, qui *obiectum*, doctrinæ revelator idem, qui ejuſdem materia eſt & argumentum. Quod ex ſcientiarum numero nulli competit alij. Quamquam enim omnes authore Deo, qui ſcientiarum Deus eſt, gloriari poſſunt, objectum tamen aliud habent à Deo, ut vidimus, & quidem aliquid à Deo productum. Sed & in ipſo efficiente non pariter participant cum hac doctrinâ, quæ peculiari quadam ratione, & multum ab alijs ſcientijs diſtinctâ, Dei authoritatem prætendit. *Legalis itaque Theologiæ Author eſt Deus*, *Euangelicæ*, *Deus & Chriſtus eius*, vel *Deus in Chriſto*, & *per Chriſtum*. Ita enim teſtatur Scriptura, ita poſtulat ipſius objecti ratio; quod porrò ſeorſim in utraque commonſtrabimus. *Theologia legalis Authorem* nobis deſignat Scriptura ante lapſum hiſce verbis:
Gen. 2. *præcepit Iehovah Deus homini dicendo; Ex omni arbore horti comedendo comedes, at de arbore ſcientiæ boni & mali non comedes*; addita comminatione verbis expreſſis, ſi prævaricaretur homo; & promiſſione in typo arboris vitæ, ſi quidem legi obſequeretur. Sed duo quædam hanc legiſlationem ut præceſſerunt, ita quoque ab homine præcognoſci debuerunt; Natura Dei ſapiens, bona, juſta, potens; & jubendi autoritas, quæ creatione nititur. Præcognita autem fuerunt homini, & ex patefactione Dei familiariter cum ipſo converſantis, & per Spiritum illum cum imagine ſua communicantis; cujus inſtinctu dixit. Gen. 2. 23.
Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea. Vtriuſque hujus rei notitiam fidei tribuit Apoſtolus, & propterea patefactioni Dei. Illius his verbis: *Accedentem ad Deum crediſſe* Hebr. 11.
(ſic enim lego) *oportet eſſe Deum*, & *remuneratorem eſſe ijs qui ipſum requirunt*. Si remunerator, ergo ſapiens, bonus, juſtus, potens, imo & providus rerum humanarum curator. Alterius iſtis: *per fidem intelligimus conſtructum fuiſſe mundum verbo Dei, ut quæ cernimus non ſint ex adparentibus facta*. Et quamvis illud hoc primævo hominis ſtatu de lege morali expreſsè & ſpeciatim non dicatur, tamen quum de ſymbolica & ceremoniali (quæ experimentum fuit obedientiæ legi morali ab homine præſtandæ, & debiti ad obediendum legi morali recognitio) id affirmetur, etiam de morali eſt ſubintelligendum. Quod clarius probatur in lege morali per Moſen poſt lapſum repetita, & ſpeciatim populo Iſraelis patefacta, his verbis: *Loquutus eſt Deus omnia verba iſta*: &: *quæ gens ita magna cui ſint ſta-* Deut. 4.
tuta & judicia juſta, ſicut & univerſa lex iſta, quam ego do coram vobis hodie? Dedit autem ex patefactione & juſſu Dei.

Dei. Item: *Abſcondita Iehovæ Dei noſtri ſunt, revelata noſtra ſunt & filiorum noſtrorum uſque in ſeculum, ut faciamus omnia verba legis hujus.* (Deut. 29. 29.) Et apud Paulum: *Quod de Deo cognoſci poteſt manifeſtum eſt in ipſis: Deus enim eis manifeſtum fecit.* (Rom. 1.) Evincit idem objecti ratio. Quum enim *Deus* ſit *Author* univerſi, & non naturali internâ, ſed voluntariâ externâque operatione, quæ tantum de ſuo operi impartitur quantum vult, & permittit ipſum, unde producitur, nihilum; neceſſe eſt illius præſtantiam longè excedere ipſius univerſi, & propterea etiam hominis, capacitatem. Qua de cauſa in Scriptura dicitur, *lucem habitare inacceſſam*, (Tim. 6. 16.) quæ tanta claritate etiam acutiſſimam cujuſque creaturæ perſtringit aciem, ut obtundatur & obtenebreſcat, niſi certo adhibito temperamento conſpiciendum ſe præbeat: quæ eſt ipſa patefactio, citra quam *tenebras dicitur poſuiſſe habitaculum ſuum.* (Eſai. 55.9.) Neque ipſe tantum, ſed & *viæ ejus & cogitationes tanto ſunt nobis altiores, quantum cœli ipſam terram altitudine exſuperant.* *Actiones* itaque *Dei*, quæ viæ Dei dicuntur, & præſertim *creatio*, *initium viæ Dei appellata*, Prov. 8. quâ Deus exire velut è ſolio majeſtatis ſuæ cœpit; non niſi Deo revelante innoteſcere potuerunt, & qualiter fas eſt cognoſci. Quod & ante *fidei* vocabulo ab Apoſtolo uſurpato eſt indicatum. Cogitationes verò Dei & voluntas ejus, tùm quam à nobis fieri vult, tum quam de nobis facere ſtatuit; quum liberæ ſint diſpoſitionis, quàm τὸ αὐτεξούσιον Dei decernit, & conſiliarium nullum adhibuerit, *impervestigabiles ſint & imperſcrutabiles* eſt neceſſe. Atque hiſce conſtat *legalis Theologia*, quæ quum citra profectam a Deo revelationem non cognoſcantur, *Deum* illius *authorem* eſſe evidenter conficitur. Adſtipulatur ipſa populorum univerſitas. Quid *Rhadamantum*, quid *Minoa* Cretenſium Reges juſtiſſimos antrum Iovis ſubire coegit, & prætendere leges inde allatas ex inſtinctu Numinis, quas ſuis civibus promulgabant; quam quod ſcirent receptum non iri niſi divinitus crederentur acceptæ? *Lycurgus* horum exemplum imitatus, quum ſuis *Lacedæmoniis* leges eſſet conditurus. *Delphos* ad *Apollinem* commeavit, ut reverſus leges ſuas *oraculi Delphici* autoritate redderet commendatas. *Numa Pompilius*, ut populi Quiritium ferociores animos ad Religionem perpelleret, nocturnos ſibi cum *Dea Ægeria* congreſſus eſſe ſimulavit. Certa fuerunt hæc & evidentia teſtimonia notionis in animis hominum anticipatæ, quod nulla Religio niſi origine divinâ & è cœlo fundamentum habens recipi mereretur. Adeo verum arbitrati ſunt, quod nemo *Deum*, aut *de Deo* quippiam noſſe queat, niſi *per ipſum Deum*. Videamus de *Theologiâ Euangelica*. Hujus *Deum* & *Chriſtum Authorem* fecimus, Scriptura eadem ſic jubente, & objecti ratione tantò id poſtulante juſtius, quanto ipſum in profundiore ſapientiæ divinæ abyſſo eſt reconditum, & majoribus mens humana tenebris obſeſſa ignorantiæ. Et Scripturam quidem huic noſtræ ſententiæ præviam habemus quam plurimis locis. Paucos recenſebimus: prius qui *Deo & Patri*; (1. Cor. 2. 7. 10.) inde qui *Chriſto* hujus doctrinæ adſcribunt patefactionem. *Loquimur*, inquit Apoſtolus, *ſapientiam Dei in myſterio occultam illam, quam Deus præfinierat ante ſecula in gloriam noſtram;*

ſtram; Nobis autem Deus illam revelavit Rom. 16 25. 26.
per Spiritum. Idem Apoſtolus dicit: *Euangelium ſuum & praconium Ieſu Chriſti, quod temporibus æternis tacitum fuit, manifeſtum eſſe factum per Scripturas Propheticas ex imperio æterni Dei.* Matth. 16. Petro, rectum de Chriſto confeſſionem edenti, dixit ipſe: *Caro & ſanguis non revelarunt tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis.* Ioa. 1. 18. Chriſto idem tribuit Ioannes Baptiſta dicens: *Filius qui eſt in ſinu Patris, ille nobis Deum enarravit:* Matth. 11. Et Chriſtus ſibi his verbis: *Nemo novit Patrem neque Filium niſi cui voluerit Filius revelare.* Ioan. 17. Et alibi: *Manifeſtavi nomen tuum hominibus quos dediſti mihi è mundo, & cognoverunt me à te miſſum eſſe.* Videamus patefactionis iſtius neceſſitatem ex objecti ratione. Hanc Chriſtus indicat, de *Theologia Euangelica* propriè agens his verbis: *Nemo novit Patrem niſi Filius, & nemo novit Filium niſi Pater.* Itaque nemò *Patrem* aut *Filium* poteſt revelare, in quorum tamen notitia conſiſtit Euangelium. Baptiſta eiuſdem neceſſitatis aſſertor eſt, quum inquit: *Deum nemo vidit unquam.* Hujus Theologiæ eſt *illa ſapientia, quæ in* 1. Cor. 2. 8. 9 *myſterio & occulta dicitur* Apoſtolo, *quam nemo principum huius ſeculi cognovit*, imò *quam neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in mentem hominis venit.* non intellectui cognita, & velut cum primis notionibus in creatione impreſſis indita: non diſcurſu aut ratiocinatione acquiſita, *ſed ſermonibus quos docet Spiritus* Eph. 3. 10. *ſanctus, enunciata.* Ad hanc Theologiam pertinet *ſapientia illa Dei multiformis, quam neceſſe eſt principibus & poteſtatibus in cælis innoteſcere per Eccleſiam*; ſecus ipſis etiam Angelis futura incognita. Quid? quod ipſæ Dei profunditates, *quas nemo novit niſi Spiritus qui eſt in Deo*, hac doctrina explicantur: imo ipſa ſapientiæ Dei *longitudo, latitudo, profunditas & altitudo*, ut Apoſtolus alibi inquit, admirabundus & vix inveniens quibus verbis plenitudinem iſtius Theologiæ enunciet? In hac proponitur cognoſcenda *charitas Chriſti, omni cognitione ſuperior; pax Dei omnem exſuperans intellectum.* Eph. 3. 18. Ex quibus claret evidentiſſimè, Objectum Theologiæ Euangelicæ à Deo & Chriſto revelari debuiſſe, aut perpetuis obſeſſum tenebris latere; hoc eſt, Theologiam Euangelicam ad noſtram cognitionem non venire, & propterea (quod hic neceſſum) nullam prorſus fore. Si cui volupe eſt (& res ſane meretur) enucleatius iſta, & per ſingulas partes diſtinctius intueri, conjiciat ille oculos mentis ſuæ in illas naturæ divinæ proprietates, quas proprio ſuo modo veſtitas enarrat hæc Theologia: in illas Dei actiones, quas in lucem producit hæc doctrina; in illam Dei voluntatem, quam ipſe Euangelio ſuo patefecit; & diſtinctius neceſſitatem divinæ patefactionis intelliget. Si quis compendio uti volet, Chriſtum modò contempletur: & quum admirabilem illam ſermonis & carnis unionem, officijque impoſitionem & executionem diligenter intuitus fuerit, ſimulque quod totum hoc voluntariæ ſit œconomiæ, & liberrimæ diſpenſationis Dei, conſideraverit: non poterit quin palam profiteatur, iſtarum tantarum rerũ notitiam non niſi per Dei & Chriſti revelationem haberi potuiſſe. Sed ne quis ſiniſtrioris ſuſpicionis aut erroris anſam arripiat, ex his quæ ita diximus, ac ſi ſolus Deus & Pater, ſecluſo Filio, author ſit doctrinæ legalis; idem

vero

verò Pater per Filium Euangelicæ: nonnulla addenda erunt, quæ ſolvendæ iſti difficultati, & negotio, quod agimus, porrò explicando poterunt ſervire. Certum eſt, quemadmodum Deus per ſermonem ſuum, qui Filius eius eſt, & Spiritum omnia creavit, & hominem per imaginem ſui; ita quoque nullam ab illo cum homine communicationem obiri, niſi Filij & Spiritus ſancti interventu. Quî poſſit? quum opera divinitatis ad extra ſint indiviſa, & idẽ ordo ſit operationis ad extra, qui eſt ordo proceſſionis ad intra. Itaq; Filium, ut ſermonem Patris, & Spiritum ſanctum, qui prophetiæ Spiritus eſt, ab iſtius efficientia revelationis nullo modo excludimus. Sed alia ratio eſt in patefactione Euangelij, non quidem teſtificantium, reſpectu perſonarum, ſed modi, quo iſtæ veniunt conſiderandæ. Pater enim, Filius, & Spiritus ſanctus, habent inter ſe non reſpectum tantum naturalem, ſed & alium, qui à voluntate ducit originẽ, omnino tamen convenientem naturali, quæ inter illos eſt, relationi. Eſt proceſſio in perſonis interna, eſt externa, quæ miſſionis nomine in Scripturis & à Patribus adpellatur. Cujus poſterioris ratio in hac revelatione potiſſimum eſt habenda. Pater enim patefacit Euangelium per Filium ſuum, & Spiritum; ſed per Filium, quâ miſſus eſt, ut Mediatoris partes inter Deum & homines peccatores perageret; quâ λόγος *eſt caro factus*; quâ *Deus in carne manifeſtatus*; imò quâ mortuus eſt, & ad vitam reſuſciatus; ſive id reipſa factum ſit, ſive in decreto & præſcientia Dei: per Spiritum, quà ille eſt Spiritus Chriſti, quem Chriſtus à Patre paſſione ſua & morte impetravit; quem *reſuſcitatus à mortuis*, & *collocatus ad dexteram Patris*, ab eodem eſt adeptus. Intelligitis opinor, diſtinctionem quâ hic utendum exiſtimo; dabò operam ut eandem mecum probetis, apertiſſimis Scripturæ locis in confirmationis ſubſidium allatis. *Omnia*, inquit Chriſtus, *tradita mihi ſunt à Patre*, Matth. 11.
& nemo novit Filium niſi Pater; & nemo novit Patrem niſi Filius. Tradita illi ut Mediatori, à Patre cui Coloſſ. 2.
placuit ut in eo omnis plenitudo inhabitaret.

Eodem ſenſu intelligendum quod Chriſtus dicit, apud Ioannem: *verba* Ioan. 17.
quæ tradidiſti mihi, tradidi eis, ſubjungitur enim: *& verè norunt me à te exiviſſe, & crediderunt me à te miſſum eſſe.* Vnde apparet, Patrem illi tradidiſſe, ut Mediatori. Quare, & alio loco dicit: *is* Ioan. 3. 34.
quem miſit Deus, verba Dei loquitur. Huic adſtipulatur Baptiſta, dicens: *Lex per* Ioan. 1. 17.
Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſ. Chriſtum. At illo, quà Moſi oppoſitus accuſanti & condemnãti peccatores, conſideratur ut Mediator inter Deũ & peccatores. Eodẽ tendunt quæ ſequuntur: *Deum nemo vidit unquã, Filius qui in ſinu Patris eſt*, (i. admiſſus quà Mediator, ad intimam ſecretorũ Patris intuitionem) *enarravit nobis: Pa-* Ioh. 3. 35.
ter enim diligit Filium, & propterea omnia illi dedit in manus; etiam doctrinam Euangelij quam eſſet expoſiturus alijs mandato Patris. Et in omni, quam per Chriſtum habemus revelatione, valet quod eſt initio Apocalypſeos Iohannis: *Apocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus ut indicaret ſervis ſuis.* Per Filium itaq; ſuũ Deus manifeſtavit Euangelicam Theologiam, quatenus ille à Patre emiſſus eſt, ut Mediatoris munere apud homines Dei nomine fungeretur. De Spiritu ſancto teſtatur eundem

dem Scriptura, quòd ut Spiritus Chriſti Mediatoris, & Eccleſiæ ſuæ capitis, Euangelium pateſecerit. 1. Pet. 3. *Chriſtus* (inquit Petrus) *per Spiritum ſpiritibus, qui in carcere erant, profectus prædicavit.* & quid prædicavit? Reſipiſcentiam. Itaque per Spiritum ſuum tanquam Mediatoris: Spiritus enim Dei ſolo hoc reſpectu ad reſipiſcentiam adhortatur. Clarius apud eundem Apoſtolum: 1. Pet. 1. 10. 11 *De qua ſalute inquiſiverunt Prophetæ, qui venturam in vos gratiam prædixerunt, ſcrutantes in quem temporis articulum prænuntius ille, qui in ipſis, Spiritus Chriſti, teſtificaretur quæ ad Chriſtum, paſſiones, & gloriam poſt illas conſequuturam.* Et Spiritus quidem Chriſti quâ Mediator, Caput Eccleſiæ; quod ipſum objectum evincit teſtimonij ab ipſo prænunciati. Quod ſequitur paulò poſt omnē excludit dubitationem; quum *Euangelium ipſis prædicatum* dicitur *per emiſſum è cœlis Spiritum ſanctum.* Emiſſus enim ille eſt à Chriſto *ad dexteram Patris elevato*, ut eſt Act. 2. qui locus etiam horſum facit ex propoſito, & propterea dignus cujus hic juſta habeatur ratio. Ita enim habet. *Itaque dextera Dei elevatus, & promiſſum Spiritum ſanctum adeptus, effudit hoc quod videtis & auditis*; nempe, Spiritum per quem prophetabant, & diverſis linguis loquebantur Apoſtoli. Sufficerent quidem iſta, ſed non poſſum ut locum nobiliſſimum prætercam, ab ipſo Chriſto ſolandis diſcipulorum, propter abitum ipſius dolentium, animis enuntiatum; Ioa. 16. 7. 15. *Niſi abiero* (inquit ille) *conſolator, ſeu potius advocatus*, qui mihi vicariam præſtabit operam (ſic enim Tertullianus) *non veniet ad vos; ſin autem profectus fuero, mittam eum ad vos. Et quum venerit arguet mundum, &c. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet quod renunciabit vobis.* Mittet ergo illum Chriſtus, ut Mediator: Accipiet de eo, quod Chriſti Mediatoris eſt; glorificabit Chriſtum, quâ Mediator eſt, & caput Eccleſiæ à Deo conſtitutus, illâ gloriâ, quam Chriſtus neceſſe habet petere à Patre ſequenti capite. Refricat mihi iſte locus alterius memoriâ, qui ipſi merito parallelus dici poteſt: *Spiritus ſanctus* (inquit Ioannes) *nondum erat,* Ioa. 7. 39. *quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Notum illud non de perſona Spiritus, ſed donis intelligendum, & præſertim prophetiæ. Chriſtus autem glorificatus eſt qua Mediator; at qua glorificatus mittit Spiritum ſanctum: Spiritus itaque ſanctus emiſſus à Chriſto, ut Mediatore. Et propterea Spiritus Chriſti Mediatoris Author eſt prohetiæ Euangelicæ. At fuit Spiritus ſanctus etiam ante Chriſti glorificationem miſſus ad patefactionem Euangelij. Ita ſanè eſt, & ſic poſtulavit Eccleſiæ neceſſitas. Verum & *Chriſtus eſt heri* Hebr. 13. 8. *& hodie, idem & in ſecula:* ille quoque *mactatus ab initio mundi*, & propterea Apoc. 13. 8. etiam tum reſuſcitatus, & glorificatus; ſed in decreto & præſcientiâ Dei. Verum, uti conſtaret, Deum nunquam Spiritum ſuum ſanctum ad Eccleſiam miſiſſe, niſi interveniente Mediatore Chriſto, & illius reſpectu; diſtulit exuberantem iſtam copioſiſſimorum donorum effuſionem, uſque dum Chriſtus in cœlum elevatus, inde eadem tanta abundantia demitteret: claro & evidenti argumento teſtificans, ab eodem jam olim deſtillaſſe Spiritus chariſmata in Eccleſiam, a quo, rupta per ipſius adſenſum undoſiſſima aquarum ſupercæleſtium nube, tantas nubes gra-

tiarum

tiarum deplueret, & totum Eccleſiæ corpus pervaderet.

Convenientiſſimè autem, & juſtiſſimâ de cauſa Euangelicæ Theologiæ revelatio Chriſto, qua Mediator eſt, & Spiritui ſancto, quâ Mediatoris Chriſti Vicarius eſt, & Advocatus, adtribuitur: tum quia Chriſtus, ut Mediator, huic doctrinæ ſubſternitur, tum quia Mediationis munere peragendæ iſtæ actiones, perferendæ paſſiones, impetranda bona fuerunt, quæ bonam partem explent rerum Euangelio Chriſti enuntiandarum. Non mirum ergò, ſi eo reſpectu eſt Euangelij manifeſtator Chriſtus, quo illius eſt objectum ipſe, & Euangelicarum gratiarum impetrator, Dominus, & communicator. Quumque Spiritus Chriſti Mediatoris, & capitis noſtri, ſit vinculum unionis noſtræ cum Chriſto, ex quâ porrò communionem Chriſti & omnium ipſius bonorum obtinemus; æquum eſt, ut & ipſe hoc, quem diximus, reſpectu, Euangelicum inſtrumentum fidei, per quam Chriſtus inhabitat in cordibus noſtris, mentibus patefaciat, & cordibus obſignet. Cujus rei conſideratio & cauſam nobis exhibet, qui fieri poſſit, ut Deus tantâ lenitate, patientia, longanimitate ſuſtineat, uſque dum Euangelio obtemperent quibus annuntiatur; & immenſum præſtat ignorantiæ & infirmitati noſtræ ſolatium. Videtis, ut opinor, auditores, ſingularem iſtum intuitū, non exiguum dignitatis gradum, addere Theologiæ noſtræ Euangelicæ, præter iſtam, quam à communi Authoris conſideratione obtinuit. Si porrò conſiderare libeat, quâ ſua ſapientia, bonitate, & potentia uſus Deus, Theologiam inſtituerit & revelaverit, non parum accedet propoſito noſtro momenti. Omnia quidem ſcientiarum genera ex Dei ſapientia originem habent, eiuſque bonitate, & potentia hominibus ſunt communicata; ſed, ſi liceat (ut licet) gradus ſtatuere in externo divinarum proprietatum exercitio, dicemus omnes alias, præter hanc noſtram, ex ſapientiâ Dei inferiore exortas eſſe, & minore bonitate & potentia revelatas. Ex objecti præſtantiâ hanc rem æſtimare fas eſt. Vt major ſapientia eſt, quâ Deus ſe, quam qua alia novit: ita major adhibita ſapientia ab ipſo in ſui-ipſius, quàm aliarum rerum, patefactione: ſic quoque bonitas amplior eſt, qua ſe ſummum bonū homini dat agnoſcendum, quàm, qua aliarum rerum cognitionem impartitur. Major etiam potentia, qua ad ſupernaturalia cognoſcendum evehitur natura, quam qua ad homogenea ſibi & cognata pervidendū deducitur. Quamquam igitur omnes ſcientiæ Deo gloriari poſſunt authore, tamen & hic non exiguo intervallo ſuperantur à Theologia. Verum, ut hæc conſideratio Theologiæ dignitatem in univerſum multum evehit ſupra omnes alias ſcientias; ſic quoque Euangelicam legali multum antecellere demonſtrat; qua in re liceat nobis pauliſper, bona veſtra venia, commorari. Sapientia, bonitas, & potentia, qua Deus hominem ex anima rationali & corpore conſtantem condidit ad *imaginem ſuā*, magna eſt; & hæc eſt præcedanea Theologiæ legalis. At ſapientia, bonitas, & potentia, qua λόγος *caro factus eſt*, Ioh. 1.
Deus in carne manifeſtatus, *qui in forma* 1. Tim. 3.
Dei erat ſervi formam aſſumſit; major Phil. 2.
eſt: & hæc eſt præcedanea Theologiæ

giæ Euangelicæ. Sapientia, & bonitas, qua revelata eſt potentia Dei ad ſalutem operanti, magna eſt: ſed quâ revelata eſt *potentia Dei ad ſalutem credenti*, excedit. Ingens ſanè eſt ſapientia, & bonitas, quâ *iuſtitia Dei ex lege* eſt patefacta, & juſtificatio legis perfectæ obedientiæ adſcripta ex debito: ſed exſuperat longiſſimè, quâ *iuſtitia Dei ex fide* manifeſtata eſt, & ſtatutũ ut juſtificetur homo non operãs, ſed *impius*, at *credens in eum qui iuſtificat impium ſecundum divitias* glorioſiſſimæ *gratiæ ipſius*. Sapientia & bonitas, quæ modum unionis cum Deo ſtatuit in juſtitia legali, præſtita ex conformitate imaginis Dei, ad quam conditus eſt homo, eximia eſt; ſed quæ mirabili juſtitiæ & miſericordiæ temperamento excogitato & confecto, modum unionis ſtatuit in Christo (*qui imago eſt inconſpicui Dei, & expreſſa effigies hypoſtaſeos Patris*) & in juſtitia ejus, *per fidem in ſanguine ipſius* ſeriò ſolideque triumphat. Denique ſapientia, bonitas, & potentia quæ ex denſiſſimis *ignorantiæ tenebris admirabile lumen* Euangelij eduxit; ex peccatorum infinitâ multitudine *iuſtitiam ſeculorum adduxit*; ex morte & barathro inferni *vitam & immortalitatem produxit*; excedit in immenſum illam quâ lumen additum lumini: Iuſtitia compenſata juſta remuneratione; & vita animalis ſecundum Deum, ex præſcripto legis, inſtituta; in ſpiritualem & æternam cõnſumta eſt & conſummata.

Hebr. 1.

Rom. 3.

Hujus rei penitior contemplatio penè impellit me, ut audaciore quadam uſus confidentiâ, illam ſapientiam, bonitatem, & potentiam Dei, quæ Theologia legali eſt explicata, naturalem adpellem, & initium quoddam egreſſus Dei ad imaginem ſuam, qui homo eſt, & communicationis cum illa: alteram iſtam, quæ Euangelio eſt patefacta, ſupernaturalem dicere non verear, & extremam omnis revelationis clauſulam, & complementum: Vtpote in cujus manifeſtatione Deus ſeipſum ſuperaſſe videatur, & omne ſuum bonum explicuiſſe. Mira Dei benignitas, & ſtupenda dignatio, quod hominem ob peccata indignum, cum quo ullam ſuam porrò communicationem inſtituat, ad penitiſſimam iſtam, & gratioſæ miſericordiæ pleniſſimã admiſerit Deus. Sed hoc requiſivit iſta infauſta & miſera hominis conditio; qui, quo fuit indignior, tantò etiam fuit indigentior; quo cæcior, eò majore colluſtrandus lumine; quò pejor, eò bonitate ampliore reformandus; quò impotentior, eò potentia fortiore ſtabiliendus. Et bene habet, quòd nulla tanta eſſe poſſit aberratio noſtra, quin Deus in viam nos revocare queat, nullus tàm profundus lapſus, ex quo nos erigere & attollere non valeat; nullum tantum malum noſtrum, cui bonum ipſius non facile dominetur, modò omne illud impendere velit, & vult, modò nos ignorantiam & infirmitatem noſtram illius lumine & potentia corrigi patiamur; & malitiam noſtram bonitate illius ſuperari. Vidimus Authorem Theologiæ legalis Deum; & Euangelicæ, Deum & Chriſtum ejus: & ſimul, ſecundum quos reſpectus Dei & Chriſti, & quas naturæ divinæ proprietates utriuſque revelatio ſit peracta. De *modo* verbulo perſtringamus. *Triplex* videtur eſſe *modus* patefactionis divinæ, ſecundum tria capacitatis noſtræ inſtrumenta; *Senſus externos; internam phantaſiam, & intellectum ſeu mentem.* Reve-

Revelat Deus ſe & voluntatem ſuam aliquando per imaginem, viſui externo, aut vocalem locutionem, auditui objectam: Aliquando per eaſdem imaginationi inſinuat ſe: Aliquando ipſam mentem ineffabiliter alloquitur, quæ inſpiratio dicitur. Omnium exempla ſuppeditat nobis Scriptura luculentiſſimè: Sed illorũ recenſioni non eſt mihi hoc quidem tempore inhærendũ, ne conventui huic ornatiſſimo ſim moleſtior.

De *Authore* vidimus; *finem* porro inſpiciamus: qui quantò eſt præſtantior & divinior, tantò quoque res illa judicatur excellentior, cujus eſt finis. Quare & hoc titulo longè ſupra alias omnes ſcientias hæc noſtra fulget, & eminet; utpote quæ ſola ad vitam ſpiritualem & ſupernaturalem pertinens, *finem* habet hujus vitæ terminos excedentem; cum cæteræ omnes vitam hanc animalem ſpectent, & fines ſibi propoſitos habeant, hujus terrenæ vitæ centro ſpatioque concluſos: adeo, ut de hac verè dici poſſit quod ille de ſuo ſapiente,

Illa ſapit ſola, volitant alia velut umbra.

Volitant, inquam, niſi ad hanc unam referantur, & in iſtâ pedem figant, & conquieſcant. Eſt autem *finis* Theologiæ idẽ ille qui *objectũ* eſt, & *Author* ejuſdem. Et ſic poſtulat ipſa rerũ harũ analogia & convenientia. Quum enim Author ſit primũ & ſummum ens, neceſſe eſt, ut ipſe quoque ſit primum & ſummum bonum. Itaq; omnium finis extremus. Quumque ipſe, ſummum Ens & bonum, ſe ſubjiciat & ſubſternat tanquam objectum alicui potentiæ ſeu facultati rationalis creaturæ, ut illa actione ſuâ circa ipſũ verſetur & occupetur, & velut cum ipſo uniatur; fieri nequit, ut creatura munere ſuo circa illud objectum functa, prætervolet ipſum, & ulterius tendat, majoris boni conquirendi gratia; ideoque in eo ſiſtat ſe neceſſe eſt, non tantum ut in termino, quem propter objecti infinitatem & propriam ſuam impotentiam tranſgredi non queat, ſed tanquam in fine & bono ſuo, ultra quod, quia ſummum eſt, deſiderare neque velit quidquam, neque poſſit; modo hoc ipſum, quantum capacitas fert creaturæ, ipſi uniatur. Eſt itaque Theologiæ noſtræ finis Deus, propoſitus à Deo ipſo actibus in illâ præſcriptis; intentus ab homine in actuum iſtorum præſtatione; dandus à Deo, poſtquam homo munere ſuo piè & religiosè erit defunctus. At quia ſummum bonum non in promiſſione ejus, non in deſiderio obtinendi, ſed in adeptione poſitum eſt; commodiſſimè finis Theologiæ adpellari poteſt, *unio Dei cum homine*. Unio autem non eſſentialis, quaſi duæ eſſentiæ, Dei nimirum & hominis, compingantur in unam, ſive quâ ipſe homo in Deum abſorbeatur; quorum illud ipſa rerum unitarum, hoc unionis natura repudiat: nõ formalis, ac ſi Deus per unionem iſtam forma fieret hominis, ut anima corporis ipſi unita, vivificans, movens, agens illud pro arbitratu, quanquam vitæ æternæ munus homini præſtet, ipſum inhabitans: Sed eſt unio objectiva, quâ Deus ſe homini, interventu præſtantiſſimarũ ipſius facultatum & actionum, quas totas & in ſolidum occupat & implet, ita convincit, ut Deus *omnia in omnibus* eſſe dicatur. 1. Cor. 15. 28.
Eſtque immediata iſta unio, expers vinculi, quod aliud eſt à terminis ipſis. Deus enim ſeipſũ per ſeipſum, citra imaginis aut ſpeciei interventum, unit intellectui & voluntati

creaturæ ſuæ, quod poſtremæ & ſupremæ unionis poſtulat ratio: utpote in quâ ſummum bonum conſiſtit creaturæ rationalis, quæ non poteſt niſi in ſumma unione ſui cum Deo acquieſcere. Hac autem unione intellectus ipſum Deum, totumque ipſius bonum, & ineſtimabilem pul-
1. Cor. 13. chritudinem, velut *facie ad faciem* clariſſima viſione intuetur. Et quia fieri nequit quin tantum bonum, clariſſima cognitum viſione, propter ſe ametur; hinc quoque voluntas tantò idipſum complectitur amore, quanta illius in mente eſt notitia. Sed duplex hic exſurgit difficultas, quæ tollenda primum eſt, ut poſtea inoffenſo pede, jam aliquamdiu calcatum tramitem, decurrere liceat. Vna eſt, qui fiat ut humani intellectus acies tanti luminis objectu non hebeſcat & obtenebretur: altera, quomodo idem intellectus, quamquam non hebeſcatur, tantâ tamen menſura illud objectum capere poſſit. Illius cauſa eſt, quòd lumen illud non in ſuæ naturæ infinitate, ſed contemperatum objiciatur intellectui. Cui contemperatum? Intellectui-ne? ſanè intellectui; verum non juxta capacitatem, quam habebat ante unionem; ſecus tantum capere non poſſet, quantum illi ſufficiat implendo & beando: ſed ſecundum menſuram dilatationis & ampliationis, cui tolerandæ aptus natus eſt intellectus, ſi per gratioſum & glorioſum, contemperati ad iſtam dilatationem luminis, fulgorem colluſtretur, & irradietur. Quod ſi fiat, neque mentis acies obtenebrabitur, & tantâ capiet menſurâ objectum illud, quanta beando homini ſufficiat pleniſſimè. Et hæc difficultatis eſt ſolutio utriuſque. Sequetur autem intellectus dilatationem ampliatio voluntatis, vel ex objecti proprij & adæquati objectu ad eandem normam contemperato, vel (quod malo) ex nativa intellectus & voluntatis convenientiâ, & ingenita utrique analogia; ſecundum quam intellectus ſe promovet ad volendum eadem proportione, qua intelligit & cognoſcit. Atque in hoc mentis & voluntatis Deum præſentem videntis, amantis, & propterea eodem fruentis actu ſalus hominis, & perfecta beatitudo conſiſtit; accedente ipſius corporis noſtri ad glorioſum illum animæ ſtatum conformatione: quæ utrum fiat per immediatam Dei in corpore actionem, an per mediatam ab anima in corpus reſultantem, neque huius loci eſt inquirere, neque huic tempori neceſſarium invenire. Hinc etiam ſumma & infinita Dei exiſtit & elucet gloria, longè ſuperans omnem gloriam, quam alijs omnibus huc uſque adminiſtratis functionibus declaravit. Si enim illa actio verè magna eſt & glorioſa, quæ bona eſt; & ſolum bonum magni obtinet pretium, juxta elegans dictum: τὸ εὖ μέγα: tum ſanè optima Dei actio, maxima & glorioſiſſima: Optima autem quâ ſe immediate unit creaturæ, & tantâ menſura videndum, amandum, fruendũ præbet, quanta convenit creaturæ ad iſtum, quẽ diximus, modum dilatatæ. Actio igitur hæc Dei gloriſſima. Quare Theologiæ finis eſt unio Dei cum homine, ad huius ſalutem, & illius gloriam; & gloriam, quam ille ſua declarat actione, non quã ipſi tribuit homo unitus illi: quamquam fieri nequeat, quin homo ex tanti boni viſione & fruitione ad laudes Deo in ſecula decantandas incitetur.

Sed

Sed quæ huc uſque de fine Theologiæ diximus, ad modum *legalis* Theologiæ ſunt accommodata: videndum de eodem prout *Euangelica* eſt propoſitus. Hujus finis eſt Deus & Chriſtus, unio hominis cum utroque, utriuſque viſio & fruitio, ad gloriam utriuſque. In quibus ſingulis quiddam ex Scripturis animadvertere habemus, Euangelicę doctrinæ propriè conveniens & peculiare. Sed antea quàm id adgrediamur, docendum, quod etiam in Chriſti amore, viſione, fruitione, ſalus hominis conſiſtat, ad gloriam ipſius Chriſti. Eſt enim locus Apoſtoli prioris ad Corinthios cap. 15. qui hanc nobis imponit neceſſitatem, propterea quod Chriſtum excludere videatur ab hac conſideratione. Dicit enim iſthic Apoſtolus: *Chriſtum regnum Deo & Patri traditurum, Filiumque Patri ſubjiciendum, ut Deus ſit omnia in omnibus.* Ex hoc loco tria objiciuntur impedimenta, quæ commoda explicatione ſunt removenda. Si enim *regnum tradet Deo & Patri,* non amplius ipſe regnabit; *Si ſubjiciendus erit Patri*, non ampilus ipſe præfuturus ſuæ Eccleſiæ: Si *Deus futurus omnia in omnibus*, tum in ipſius unione, viſione, & fruitione, ſalus noſtra non eſt conſtituta. Reſpondeo ad ſingula. Regnum Chriſti duo complectitur. Mediatoriam Regij muneris functionem, & gloriam Regiam. Functio deponetur; quia nulla tum futura eius neceſſitas, nullus uſus: manebit gloria; quia illa actibus mediatoris conquiſita, & à Patre ex pacto in ipſum collata. Idem ſubjectionis voce declaratur, quę nihil hìc aliud, quam ſupereminentis poteſtatis, quam à Patre acceperat, & ipſe, ut Patris vicarius, ex voluntatis ſuæ arbitrio adminiſtraverat, depoſitionem ſignificat; citra quam manebit caput & maritus Eccleſiæ ſuæ, ut videbimus. Eodem tendit phraſis iſta, quâ Deus *omnia in omnibus* futurus dicitur. Tollit enim omnem omnium creaturarum intermediam & vicariam adminiſtrationem, qua Deus uti ſolet ad beneficia ſua communicandum; & indicat Deum tum porrò immediatè ſuum bonum, imo ſeipſum ſuis communicaturum. Nihil itaque hujus loci authoritate Chriſto adimitur, quod nos illi hic tributum voluimus ſecundum Scripturas; quod apertis locis jam commonſtrabimus. Vnionem ſui Chri-
ſtus, promittit his verbis: *qui diligit* Ioan. 14.
me & ſermonem meum ſervaverit, ad illum Pater & ego veniemus, & manſionem apud illum faciemus. Promiſſio boni eſt; ergo bonum Eccleſię ſitum etiam in unione Chriſti, & manſio promittitur, non finienda hujus vitę terminis, ſed in æternum duratura, imò poſt hanc vitam demum con-
ſummanda; dicente Apoſtolo: *Cupio* Phil. 1.
diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: Et Chriſto
ipſo: *Volo ut ubi ego ſum, ſint & illi me-* Ioan. 17.
cum qui crediderunt in me. Ioannes Euangelij ſui hunc finem eſſe dicit:
ut communio noſtra ſit cum Patre & Filio: 1. Ioan. 1.
in qua vita æterna conſiſtat neceſſe eſt, quum alibi eundem finem hiſce
verbis explicet: *Hæc ſcripta ſunt, ut* Ioan 20. 31.
credatis Ieſum eſſe Chriſtum, & credentes vitam habeatis per nomen ipſius. At communio pręcedaneam ſibi habet unionem, ex ipſius Apoſtoli ſenſu,
dicentis: *Si in vobis manſerit quod au-* 1. Ioan 2. 24.
diſtis à principio, vos quoque in Filio & Patre manebitis. Quid enim? An tunc unio Chriſti & Eccleſiæ interibit, quum Chriſtus ipſe ſibi *ſponſam*

ſuam ſanguine ſuo ſanctificatam ante *conſpectum ſuum ſiſtet glorioſam*? abſit: imò cum demum, quæ hic capta eſt, conſummabitur unio, & perficietur. De viſione Chriſti, ſi quis dubitet, audiat Chriſtum dicentem: Joh. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam illum, & conſpicuum ei exhibebo meipſum.* In hoc ſeculo tantum? rurſus audiamus Chriſtum, pro fidelibus apud Patrem intercedentem: Joan. 17. *Velim Pater, ut ubi ego ſum, ſint & illi mecum quos dediſti mihi, ut videant gloriam meam, quam dediſti mihi; quia dilexiſti me ante jacta mundi fundamenta.* Viſionem ergò gloriæ ſuæ, tanquam illis ſalutarem, promittit illis Chriſtus, & à Patre precatur. Confirmat idem Ioannes dicens: 1. Joan. 3. *Tunc illum videbimus ſicuti eſt.* Qui locus non incommodè de Chriſto intelligi poteſt, citra tamen Dei & Patris excluſionem. Sed quid clarius exoptamus, quam quod Chriſtus Apoc. 21. *Lucerna* dicitur *futurus civitatis cœleſtis, ad cujus lumen gentes ambulabunt*? Quamquam fruitio Chriſti iiſdem locis, quibus viſio, ſatis ſuperque ſit adſtructa, illam tamen uno etiam & altero loco conſtabiliamus. Quum felicitas æterna nomine *cœna agni* nuncupatur; quum eadem *nuptiarum agni* vocabulo inſignitur, ſatis doceri arbitror in agni etiã fruitione beatitatem conſiſtere. Vtramque autem vocem illi in Apocalypſi ſua adtribuit Apoſtolus, dicens: Apoc. 19. 7. *Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & uxor eius paravit ſe:* & paulò poſt: verſ. 9. *beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.* Reſtat de gloria Chriſti; quæ tot Scripturæ locis inculcatur, quot ille *cum Patre in ſolio ipſius ſedere*, & ab Angelis hominibuſque in cœlo *adorari & glorificari* dicitur. Hoc jam probationis munere defuncti, promiſſum exſequemur explicationis, & commonſtrabimus omnia illa & ſingula peculiari modo, & quidem præſtantiori, ex *Evangelica* Theologia nobis obvenire, quam ex *legali* contigiſſent, ſi quidem illa vivificati fuiſſemus. Atque ut de unione primum expediamus, veniat in mentem quod de nuptijs ante breviter adnotavimus: Illa enim vox unionem hanc præ alterâ, duplici eaq; inſigni cohoneſtat & condecorat prærogativâ: quarum illa in penitiore conſiſtit combinatione, hæc in titulo glorioſiore. De illa ſic ait Scriptura: *Et erunt duo in carnem unam: Myſterium hoc magnum eſt, loquor autem de Chriſto & Eccleſia.* Eph. 5. 31. 32. Erit ergo connubialis copula, quæ Chriſtum uniet cum Eccleſia. Hujus hic peraguntur ſponſalia, mediantibus Chriſti *paranymphis*, Prophetis, Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, quin & *ſequeſtro* Spiritu ſancto; tum ſequetur conſummatio, quando Chriſtus ſponſam ſuam in thalamum ſuum introducet. Ex iſtâ tali unione non bonorũ modò, ſed & ipſarum prius perſonarum, exiſtit communio; unde etiam bonorum poſſeſſio titulo glorioſiore deputatur conjugatæ. Neque in bonorum modò, ſed & nominis venit participationem *Eccleſia*: *Vxor* enim *Regis*, *Regina* merito jure eſt cognominanda: à cujus etiam appellationis dignitate non abſtinet Scriptura: *Adſtat regina ad dexteram tuam in auro Ophir:* Pſalm 45. *Sexaginta ſunt reginæ & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus: una eſt columba mea, immaculata mea, unica eſt matri ſuæ, electa eſt genetrici ſuæ, viderunt eam filiæ, & beatam dixerunt eam reginæ & concubinæ, & laudaverunt eam.* Cantica 6. Talis

lis ſanè unio non contigiſſet Eccleſiæ, niſi *dilectus ipſius frater ejus* factus fuiſſet, ſugens ubera matris ejuſdem. At ejus nulla fuiſſet neceſſitas, ſi *per legem nobis juſtitia* & ſalus contigiſſet. Felix ergò neceſſitas, quam tanta implevit plenitudine dignitatis miſeram neceſſitatis noſtræ divina dignatio. Sed non parum etiam addidit hujus noſtræ cum Chriſto unionis modus, ipſi unioni, quam cum Deo & Patre ſimus habituri; quod patebit conſideranti, quis quantuſque inter Patrem & Chriſtum ſit mutuæ nexus unionis.

Viſionem ſi intueamur, duo quoque in illa nobis occurrent inſignia, huic Theologiæ peculiaria. Imprimis ipſa Dei gloria velut conglobata, & in unum corpus conglomerata dabitur conſpicienda in Chriſto; quæ alioquin per ſpatioſiſſima immenſi cœli palatia fuiſſet diſperſa; non ſecus atque lux primo die creata, & per totum hemiſphærium æqualiter ſparſa, quarto die collecta, conſtipata, & in unum corpus ſolare eſt collata, oculiſq; illuſtriſſimè objecta. Quo reſpectu dicitur in Apocalyſi; quod cæleſtis Hieruſalem *neque* Apoc.21.23. *ſole indigeat neque luna, ſed quod gloria Dei illam ſit illuſtratura, & lucerna ejus agnus futurus*, con jucundiſſimæ iſtius gloriæ in immenſum ſe diffundentis vehiculum.

Deinde in ipſo Deo non modo naturæ ejus excellentiſſimas contemplabimur proprietates, ſed etiam, quòd omnes illæ modo eminentiſſimo adhibitæ & uſurpatæ fuerunt bono iſti nobis procurando, quod jam ſpe, tum reipſa per unionem & viſionem iſtam poſſidebimus. Longè itaque hujus viſionis præſtantia excedit illam, quæ per legem exſtitiſſet. Atque hinc etiam uberior & dulcior exiſtit fruitio. Ut enim lux in ſole clarior, quam in ſtellis; ita ſolis adſpectus, ſi quidem ferre illum queat humanus oculus, gratior & acceptior, ejuſque fruitio ſuavior. Duplicabitur etiam fruitionis gratioſiſſima dulcedo ex tali proprietatum divinarum intuitu. Prima enim ex proprietatum tam præſtantium contemplatione exiſtet delectatio: altera ex immenſæ iſtius dignationis conſideratione, quâ Deus omnes illas proprietates ſuas, & totum bonum ſuum, quod in impervestigabili divitiarum ſuarum theſauro poſſidet, explicare voluit ad ſalutem comparandam impartiendamque homini, miſerrimæ creaturæ ſuæ: non ſecus atque ſi totum illud, quod eſt Deus, ſolius hominis cauſâ & bono eſſe videatur. Accedit & hoc peculiare, *quod ipſum corpus humilitatis noſtræ glorioſo corpori Ieſu Chriſti ſit conformandum*, Phil. 3. *ut quemadmodum geſtavimus imaginem terreni Adami, ita quoque cæleſtis imaginem geramus.* 1.Cor.15.49 Hinc eſt, quod *omnia in Ieſu Chriſto nova facta eſſe dicuntur*. Hinc 2. Cor. 5. quod *Novos cælos & novam terram ſecundum promiſſionem exſpectare*; 2.Pet.3.13. *nomen novum calculo albo inſcriptum*; Apoc.2.17. *nomen urbem ipſius Chriſti*; *nomen novæ civitatis Hieruſalem à Chriſto accepturi*; Apoc.3.12. *novum Deo & Chriſto canticum in æternum cantaturi*, in Scripturis deſcribimur. Apoc.5.9.

Quis jam non videt quàm longè beatitudo per Chriſtum nobis comparata, & per Evangelicam Theologiam oblata, excellat illam, quæ per legis juſtitiam, ſiquidem illam præſtitiſſemus, nobis obtigiſſet? Fuiſſemus quidẽ & tum electis Angelis ſimiles, jã verò Angelis (liceat

mihi illud in hoc celebri theatro; cujus inſpectores habemus iſtos ipſos beatiſſimos Spiritus ad laudem Chriſti & Dei noſtri enunciare) ſuperiores erimus. Vniti quidem illi ſunt Deo & Chriſto, & in reſtitutione omnium fortè unientur ſtrictius: ſed copula conjugalis, qua nobis gloriari licebit, non intercedet. Intuebuntur illi quidem Deum ipſum *facie ad faciem*, ejuſque naturæ proprietates eminentiſſimas contemplabuntur; ſed in ijs videbunt nonnullas hominis ſalvandi gratia uſurpatas, quas ipſorum bono non explicuit Deus, quamquam id neceſſe non fuit, neque explicaturus erat, etiamſi neceſſe fuiſſet. Videbunt, ſed non invidebunt: admirabuntur potius, quod quam dignationem Spiritibus ejuſdem cum ipſis naturæ conſortibus olim denegavit, hominibus natura inferioribus conceſſit, amborum architectus, Deus. Videbunt Chriſtum, civitatis Dei vivi, cujus ipſi quoque incolæ ſunt, lucernam lucidiſſimam, eoque ipſo beatitudo illorum per Chriſtum illuſtrior erit: ſed qui *non Angelos, at Abraha ſemen aſſumſerit*: cui etiam in
Hebr. 2.
iſta aſſumta natura adorationem & honorem ſunt exhibituri, & præcepto Dei *primogenitum ſuum in orbem terrarum*, futurum illum, *introducentis*: Cujus etiam *futuri mundi* bonorumque ejus participes exiſtent: verum qui non illis, ſed Chriſto & fratribus ipſius, ejuſdem naturæ conſortibus, ab ipſo *ſanctificatis*, eſt *ſubjectus*. Impegerat Deo congener illis, ſed *malignus, ſpiritus* mendacij & invidiæ crimen. Verum quàm inſigniter utrumque à ſe depulerit Deus in Chriſto, & ſalute per illum partâ, videmus. Et mendacium quidem, quòd niſi morte Filij ſui intercedente reconciliari ſibi hominem noluerit; invidiam verò, quod eundem non ad Angelicam modò, quam & ille impurus, ſi in origine ſua perſtitiſſet, aſſequutus fuiſſet; ſed longe angelicâ ſuperiorem beatitatem evexerit.

Quanta hîc Dei gloria ſe patefaciat, Auditores ornatiſſimi; & quanta ipſi à nobis ob tantum bonum debeatur gloria, equidem veſtræ religioſæ pietati ſecretâ meditatione, ne ſim prolixior, cogitandum relinquo.

Interea omnes, quotquot ſumus, attenta & devotâ mente penſitemus, quod officium noſtrum deſideret doctrina illa, quæ à Deo & Chriſto patefacta, tantam nobis ſalutem planè & plene adnunciat, & ad participationem ejus invitat gratioſiſſime. Recipi poſtulat, intelligi, credi, & opere ipſo expleri. Et *digna eſt omni acceptione*, propter *authorem*; *neceſſaria* accipi, propter *finem*. Digna, quæ ab authore tanto tradita, humili & ſubmiſſo animo accipiatur; in qua cognoſcenda & percipienda ſedula & diligens opera collocetur, quæ de manu, mente, animo non deponatur, donec finem illius, *animarum noſtrarum ſalutem*, fuerimus conſecuti. Quid enim? Deus ſacroſanctum ſuum os aperiet; & nos aures obturatas habebimus? Ille cæleſtis magiſter docere volet; & nos diſcere detrectabimus? Ille cordibus noſtris divinæ ſuæ veritatis notitiam inſpirare; & nos oſtio cordis noſtri obſerato clariſſimam & leniſſimam Spiritus auram excludemus? Chriſtus, *ipſa patris ſapientia*, Euangelium ex ſinu Patris allatum nobis adnunciat; & nos illud in ſinu pectoris noſtri reconde-

recondere dedignabimur? præſertim compulſi patris mandato, quod *illum audiri juſſit*, addita comminatione, *ſi illum non audiamus, fore ut anima noſtra ex populo noſtro*, id eſt, republica Iſraelis, *eradicetur?* Ne cadat in quemquam tantum ſcelus. *Si enim per Angelos dictus ſermo firmus fuit, omniſque tranſgreſſio & contumacia juſtam mercedis retributionem retulit; quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ quum primum enarrari cœperit per ipſum Dominum, ab ijs qui ipſum audiverant fuit nobis confirmata.* Accedat *finis* doctrinæ, & hanc, qua plurimum pollet, ſuaſionis operam, apud mentes proprij ſui & ſummi boni non prodigas, utiliſſime impendet. Cogitemus, cujus rei gratia nos Deus in hanc lucem extulerit, mente, intellectu, ratione inſtruxerit, imagine ſua condecorarit. Veniat in mentem, quem in finem lapſos reſtituerit in integrum, *peccatores ſibi reconciliaverit, inimicos* in gratiam receperit; & comperiemus hunc eſſe, ut ſalutis æternæ participes eſſemus, eique in ſeculum laudes diceremus. Ad illum autem non niſi hac via, quam doctrina illa Theologica præmonſtrat, contendere, multò minus pervenire valemus. Ab hoc *fine* ſi aberramus, non tota terra marique, ſed toto cœlo, cui tamen nos adſcribi inſcribique neceſſe eſt, aberramus. Et hæc doctrina *porta cœli eſt, & janua paradiſi, ſcala illa Iacobi per quam ipſe Chriſtus ad nos deſcendit, & nos viciſſim ad illum adſcendemus: Catena aurea, quæ cœlum terræ connectit. Ingrediamur, adſcendamus, inhæreamus: Læta eſt porta apertura, facile admittet credentes; immota ſcala poſitura, nutare non permittet adſcendentes; inſolubilis annulorum commiſſura, non dimittit inhærentes; uſque dum veniamus ad viventem in ſecula; evehamur ad thronum altiſſimi; uniamur Deo vivo, & Filio altiſſimi Ieſu Chriſto capiti noſtro.* Vobis vero, peculiari ratione cura iſta incumbit, Iuvenes lectiſſimi, quos Deus cooperarios ſibi in Euangelij patefactione, & alienæ ſalutis adminiſtros deſtinavit. Vobis ſemper ob oculos verſetur *Authoris* ſacroſancti ſtudij veſtri majeſtas, *finiſque* neceſſitas. Authoris intuitu in mentem veniat Amoſi Prophetæ illud: *Leo rugijt, quis non timebit? Dominus Iehova loquutus eſt; quis non prophetabit?* Prophetare autem non poteſtis, niſi ſpiritu prophetiæ inſtructi. Sic neminem hodie alloquitur, niſi in Scriptura; neminem adſpirat, niſi per divinitus inſpiratam Scripturam. Finis contemplatione cognoſcetis, nullum dignius, utilius, magis ſalutare munus imponi poſſe homini, inter homines converſanti, quam ut illos ab *errore in veritatis viam, à pravitate ad juſtitiam, à miſeria extrema ad ſummam felicitatem perducat, & ſalvos faciat.* Sed veritatem illam ſola Theologia docet; juſtitiam veram non niſi illa præſcribit; ſola iſta felicitatem & ſalutem patefacit. Vos ergo Scripturæ exemplaria ſacra

Nocturnâ verſate manu, verſate diurnâ.

Quod ſi feceritis, *non inertes neque infructuoſos vos efficient ad Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitionem; ſed boni eritis Ieſu Chriſti miniſtri, innutriti in ſermonibus fidei bonaque doctrina, & ad omne bonum opus inſtructi; operarij quos non pudet ſementem Euangelij cum ſedulitate & patientia facientes, dominoque meſſem amplam cum lætitia reportantes ex benedictione Dei, & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Cui ſit laus & gloria ab hoc tempore uſque in ſecula. Amen.

Matth. 17.
Act. 3. 23.
Hebr. 2. 2.
Amos. 3. 8.

P ORA-

ORATIO TERTIA,

DE

Certitudine S. Sanctæ Theologiæ.

QVÆ huc uſque de *objecto*, *autho-re*, *fine ſacroſanctæ Theologiæ* explicui, & quæ dici porrò poſſent, ſi idoneum nacta eſſent interpretem, quamquam illius præſtantiam miris modis commendent, eamque prorſus divinam eſſe convincant, utpote quæ *de Deo* ſit, *à Deo*, & *in Deum*: tamen non poterunt ullius animo ſolidum ſtudij iſtius ſuſcipiendi deſiderium ingenerare, niſi ſpes ſimul affulgeat, & non incerta, perveniendi ad *objecti* ſcientiam, & *finis* acquirendi. Quum enim motus perfectio ſit quies, fruſtraneus erit, qui perfectionis ſuæ terminum, quietem, nequibit aſſequi. At fruſtraneam operam nemo prudens ſibi ſumere volet. Sita autem ſpes omnis eſt in revelatione divina. Anticipata enim hæc animos hominum occupavit conceptio veriſſima, *Deum cognoſci non poſſe niſi per Deum, & ad illum non poſſe accedi niſi per illum.* Quare neceſſe eſt, ut conſtet homini factam eſſe à Deo revelationem, eamque, quæ facta eſt, certis adeò argumentis munitam eſſe, ut pro divina haberi & agnoſci poſſit: quin & modum eſſe, quo ſenſus verbo enuntiatos intelligere queat, & firma certaque fide adpræhendere: cui rei tertius hic noſter deſudabit labor. Faxit Deus, ut in hoc etiam tractatu verbi ipſius per Scripturas revelati ductum ſequar, & quæ fidei noſtræ firmandæ, Deique gloriæ propagandæ ſervire queant, in medium proferam ad noſtri omnium in Domino aggregationem. Vos etiam Auditores clariſſimi, & humaniſſimi, oro & obſecro, ut huic etiam oratiunculæ noſtræ benevolas & patientes aures accommodare non dedignemini.

De *certitudine* autem Sacroſanctæ Theologiæ acturi, non neceſſe habemus illam bifariam, ſecundum *Legalis* & *Euangelicæ* modum conſiderare; utrobique enim idem veritatis eſt modus, & propterea idem modus cognitionis; qui eſt certitudo. Generatim ergò de illa pertractabimus citra ſpecialem reſpectum & adplicationem. Verum, ut ordine procedat oratio, paucis erit primò de *Certitudine* in univerſum delibandum; inde de *certitudine* Theologiæ agendum prolixius. *Certitudo* itaq; eſt mentis ſive intellectus proprietas, & modus cognitionis, ſecundum quem mens cognoſcit *objectum* prout eſt, & novit ſe id noſſe prout eſt: diſtincta ab *opinione*, quod iſta rem quidem prout eſt noſſe poteſt, ſed cum falſitatis oppoſitæ ſuſpicione. Quare ad *certitudinem* duo requiruntur; rei ipſius veritas, & animi noſtri adpræhenſio talis, qualem diximus: Quæ ipſa quoque adpræhenſio, utpote ex rei ipſius veritate & ſecundum illam informata, veritas dicitur, propter ſimilitudinem; quemadmodum & res ipſa certa, propter actum mentis illam iſto modo adpræhendentis: ſic duo iſta propter admirabilem ſui unionem nomina ſua invicem alter alteri transſcribunt. Veritas autem, ut in re eſt, duplex eſt: Incomplexa & complexa. Illa, quâ res eſt in entium numero; iſta, quâ rei aliquid

quid ineſt, ad eſt, circumſtat, qua res aliquid producit, ab aliqua re producitur, & ſi quæ aliæ ſunt rerum inter ipſas affectiones & relationes. Eodem modo veritas habet in mente. Cujus duplex eſt actio, in ens incomplexum, quæ ſimplex apprehenſio dicitur; & in ens complexum; quæ compoſitio nuncupatur. Duplex autem eſt veritatis, ut in re eſt, modus; neceſſarius & contingens: ſecundum quē res, tum ſimplex, tum complexa, neceſſaria vel contingens dicitur. Neceſſitas rei incomplexæ, eſt neceſſaria ipſius rei, ſive illa ſubjecti, ſive adtributi obtinet locum, exiſtentia. Rei complexæ neceſſitas, eſt neceſſaria & eſſentialis inter ſubjectum & adtributum σχέσις & habitudo. Neceſſitas illa, quam in ſimplicibus rebus conſiderandam dicimus, nullibi eſt quam in ipſo Deo, & iis quę Deo per naturam conveniunt, noſtro conſiderationis modo ab ipſo diſtincta.

Reliqua omnia ſunt contingentia, qualiacunque ſint, utpote à potentia in actum producta: neque contingentia tantum initij ſui ratione, ſed & continuatæ durationis. Sic Deum eſſe neceſſe eſt: item vitam, ſapientiam, bonitatem, juſtitiam, miſericordiam, voluntatem, potentiam eſſe, eſt neceſſarium. Creaturas autem eſſe, creaturas conſervari, non eſt neceſſe. Sic quoque non neceſſaria creatio, conſervatio, gubernatio, & quæcunque Deo reſpectu creaturarum tribuuntur. Neceſſitatis fundamentum eſt, Natura Dei, contingentiæ principium, libera voluntas Dei. Quantò autem res quælibet à Deo creata eſt durabilior, tantò quoque ad neceſſitatem accedit propius, à contingentia recedit longius: quāquam hujus ambitum numquam egrediatur, ad illius inacceſſibile domicilium nunquam pertingat. Neceſſitas complexa non in Deo tātum eſt, ſed etiam in rebus ab ipſo creatis. Verum in Deo, partim ex naturæ ipſius fundamento, partim ex principio voluntatis liberæ ipſius; in creaturis, ex libera tantum voluntate Dei, qui ſemel ſtatuit, ut iſta eſſet, inter duo creata relatio & habitudo. Sic neceſſaria eſt hæc veritas, Deus vivit, intelligit, amat, ex natura ipſa Dei. Iſta, Deus eſt creator, Ieſus Chriſtus eſt Salvator, Angelus eſt Spiritus creatus intelligentiâ & voluntate præditus, homo eſt animal rationale, neceſſaria eſt ex libera volitione Dei. Vnde adparet gradus in ipſâ complexæ veritatis neceſſitate conſtitui poſſe; ut ſummus adtribuatur illi, quę Naturę Dei innititur fundamēto, ut reliquis ex voluntate Dei profectis illa pręcellat, quam majore voluntatis affectione talē eſſe voluit Deus; ſubſequatur quam ex minore. Solem moveri neceſſarium ex natura ſolis; at magis neceſſarium, ut Iſrael vindicetur ab hoſtibus ſuis: *Ioſua, 10.* ideoque *ſol juſſus ſtare immotus in medio cœli.* Neceſſarium ut ſol ab oriente in occaſum rapiatur motu diurno cœli; at magis neceſſarium ut Ezechias certo ſigno de prorogatione vitæ ſuæ confirmetur; ideoque *ſol ad quindecim gradus retrogredi juſſus,* *Ieſa. 38. 8.* & majori neceſſitati cedere debuit minor; idque ex liberâ Dei voluntate, quæ legem poſuit utrique. Atque prout eſt neceſſitas iſta in rebus, ita quoque à mente adpræhenditur & cognoſcitur, iiſdem obſervatis gradibus; ſiquidem ſcientiæ nomen iſta cognitio merebitur. *Certitudinis* autem iſtius *triplex* eſt *cauſa.*

Aut enim *per ſenſus*, aut *per rationem & diſcurſum*, aut *per revelationem* menti ingeneratur: illa *experientia* dicitur; iſta *ſcientia*, hæc *fidei* adpellatur: *illa* eſt *ſingularium* ſub ſenſus cadentium, *iſta generalium* concluſionum ex principijs notis deductarum, hæc *rerum à ſenſibus & ratione remotarum*. Hæc nunc ad propoſitum noſtrum accommodentur. *Objectum* Theologiæ noſtræ *Deus eſt & Chriſtus*, quâ θεάνθρωπος. *Deus* ens verum & ſolum neceſſarium, ex naturæ neceſſitate. *Chriſtus* ens verum ex voluntate Dei exiſtens, & neceſſarium porrò, utpote duraturum in omnem æternitatem. Deo quæ adtribuuntur in Theologia noſtra, partim ipſius *natura* ſunt, partim per *liberam ipſius voluntatem* illi convenientia. Per *naturam*; vita, ſapientia, bonitas, juſtitia, miſericordia, voluntas, potentia ipſi competit neceſſitate naturali & abſoluta. Per *liberam voluntatem* volitiones & actiones omnes ipſius circa creaturas, idque immutabiliter; quia ſimul illas voluit non retractandas. Quæ *Chriſto* adtribuuntur, omnia quidem illi per liberam Dei competunt voluntatem; verum ita, ut *Chriſtus ſit heri & hodie, idem, & in ſecula*; expers omnis in poſterum futuræ mutationis; ſive illa ſubjecti ſit, ſive adtributorum, ſive, quæ inter utraque eſt, adfectionis. Reliqua omnia, quæ in tota rerum natura ſuperiore & inferiore inveniuntur, ſive illa in ſe incomplexè, ſive ut inter ſe mutuò ſunt adfecta, conſiderentur, ad iſtius neceſſitatis gradum non pertingunt. Quare Theologiæ noſtræ veritas & neceſſitas longe omnium aliarum ſcientiarum neceſſitatem excedit, quatenus quidem utraque in rebus ipſis eſt ſua. Et

Hebr. 13.

propterea quum mentis appræhendentis & cognoſcentis certitudo rerum ipſarum veritatem & neceſſitatem excedere non valeat, imò ſæpiſſime infra illam ſubſidat ex capacitatis ſuæ defectu (habent enim ſe oculi mentis noſtræ ad ipſam puram rerum veritatem ut noctuarum ad lumen ſolis) neceſſe eſt, ut nullius ſcientiæ objectum certius cognoſcatur quam Theologicæ; quin potius ſequitur, ut hoc quàm certiſſimè cognoſcatur, ſi intellectui ſecundum ejus captum contemperatè & condecenter inſpiciendũ offeratur. Verum non eſt ejus naturæ & conditionis *objectum* iſtud, ut *ſenſibus externis* objici queat, & per illorum obſervationem & experientiam illius adtributa, proprietates, affectiones, actiones, paſſiones cognoſci. Sublimius etiam eſt, & altiora, quæ illi conveniunt, adtributa, proprietates, affectiones, actiones, paſſiones, quam ut mens *rationes & diſcurſus* beneficio vel ipſum cognoſcere, vel adtributa ejus inveſtigare, vel quòd ſubjecto conveniant demonſtrare poſſit, quæcumque demum principia adhibuerit, & ad quaſcumque cauſas, vel ipſius objecti, vel adtributorum, vel convenientiæ inter ipſa, confugerit. Soli ſibi notum eſt objectum; totaque *veritas & neceſſitas* propriè & immediatè *cognita eſt illi*, cui competit: *Deo* primò & adæquate, *Chriſto* ſecundariò per communicationem Dei: Sibi adæquatè, quâ ſe cognoſcit, inferius Deo, qua cognoſcit illum. Neceſſaria itaque eſt *revelatio*, quâ *Deus ſe & Chriſtum ſuum* intellectui noſtro inſpiciendum & cognoſcendum exhibeat, atque ita exhibeat, ut omnia ſimul adtributa, proprietates, affectiones, actiones, paſſioneſque, quæ

quæ fas eſt, ut de *ipſo Chriſtoque* cognoſcantur ad noſtram ſalutem & ipſorum gloriam, explicet; adeòque tota & *integra theoremata*, quibus tum ſubjecta ipſa, tum omnia ipſorum adtributa compræhenduntur, patefaciat: neceſſaria, inquam, ſi quidem Deus Chriſtuſque ejus cognoſci debeat, & uterque ex merito coli & celebrari. Cognoſci autem debet uterque, coli debet uterque: neceſſaria itaque *revelatio* utriuſque. Et quia neceſſaria, etiam facta à Deo. Si n. natura partialis tantum boni ut particeps, ita & communicatrix in neceſſarijs non deficit; quantò minus id de ipſo *authore* & opifice naturæ *Deo*, qui *ſummum bonum* eſt, liceat vel ſuſpicari? Sed operæ pretium eſt, ut idipſum penitiùs paulò & ſpecialius inſpiciamus; fundamenti enim inſtar eſt, quod reliquis, quæ ſequuntur, eſt præſtruendum. Niſi enim certò conſtet factam eſſe *revelationem*, fruſtra de *verbo*, quo *revelatio* iſta facta ſit & contineatur, inquiretur aut diſputabitur. Factam itaque eſſe *revelationem* de *Deo* & *Chriſto*, ipſa Dei natura primò omnium evincit liquidiſſimè. Illa bona eſt, benefica, & communicatrix boni ſui, tum quod creatione procedit ab illâ, tum quod ipſe Deus eſt. At communicatio boni divini non fit, niſi ipſe innoteſcat intellectui, & ab affectu & voluntate deſideretur. Innoteſcere autem nequit niſi per *revelationem*. Facta igitur *revelatio*, communicationis neceſſaria adminiſtra. Ab hominis ipſius natura & conditione id ipſum variè poteſt condoceſieri. Primò, Naturâ hominis mentis & intellectus eſt particeps: At fas eſt mentem & intellectum in ipſum creatorem reflecti; hoc nequit fieri ſine cognitione creatoris; neque illa haberi niſi ex *revelatione*. Facta itaque *revelatio*. Secundò, Natura hominis capax eſt facta boni divini ab ipſo Deo: At fruſtra eſſet capax, niſi fieret ejus particeps aliquando; particeps non fit, niſi per *notitiam* illius: ergò *notitia* illius *patefacta*. Tertiò, Non poteſt vanum & irritum eſſe deſiderium quod ipſe Deus homini indidit: At deſiderium illud eſt fruendi bono infinito, quod Deus eſt; non eſt illius fruitio niſi cognitio; ergo facta *revelatio*, quâ cognoſcatur. Prodeat in medium ipſe, qui inter Deum & hominem eſt, reſpectus, & ſtatim ſeſe prodet facta *revelatio*. Deus creator hominis beneficio creationis meritus eſt ab illo cultum, & honorem. Homo Dei creatura debet Deo religionem & pietatem: & hæc obligatio cum homine ipſo nata eſt, ſyngrapha data eodem die, quo creatus eſt. Religio autem humanum inventum eſſe non potuit. Vult enim Deus coli ex præſcripto voluntatis ſuæ. Facta igitur *revelatio*, religionis Deo debitæ exactrix, & præſcriptrix placitæ, Deoque decoræ. *Chriſtum* ſi intueamur, immane, quanta ſe patefactionis offerat neceſſitas, quot factę *revelationis* argumenta ſe illicò patefaciant. Sapientiæ mirandi juſtitiæ & miſericordiæ temperamenti excogitatrix vult agnoſci; bonitas & gratioſa miſericordia tanti boni adminiſtratrix, coli debet & celebrari: potentia tantæ ſapientię & bonitatis adminiſtra, & decreti ab utraque facti exſecutrix, meruit adorari. At nulli debitum officium præſtari poteſt ſine *revelatione*. Revelata itaque Dei ſapientia, miſericordia, potentia in Chri-

ſto copioſè exhibita. Chriſtus ipſe, tot & tam mirabilium operum, per quæ ſalus nobis amiſſa procuranda erat perpetrator, tam horribilium & infandorum cruciatuum, ſaluti nobis impetrandæ ſervientium, perpeſſor, tantarum gratiarum ex dono Patris poſſeſſor, & juſſu ejuſdem adminiſtrator, agnoſci, coli, & celebrari vult, debet, meretur. At fruſtra illa ab homine exſpectabit officia, niſi *reveletur*. Facta igitur Chriſti *revelatio*. Experientiam conſulite, & infinita patefactionis exempla ſuppeditabit: adeò ut Diabolus ipſe, ſed æmulus, eadem imitatus, colloquia cum hominibus ſub nomine & prætextu Dei veri inſtituerit, cultumque ab iiſdem poſtularit, & religionis modum præſcripſerit.

Habemus itaque Theologiæ noſtræ in ſupremo gradu conſiſtentem veritatem & neceſſitatem; habemus illius in mente *Dei* & *Chriſti* adæquatam notionem ſecundum λόγον, qui ἔμφυτος dicitur; habemus ejuſdem hominibus factam per λόγον προφορικὸν *revelationem*, rebus quidem ipſis & notioni convenientem, verum captui humano contemperatam. Atque hæc omnia *certitudini*, quam nos de iſta Theologia habemus, ut præcedanea, ita neceſſariò præſtruenda. Nunc de ipſa *certitudine* videamus. Cæterum, quum Theologiæ *revelatio verbo* enunciativo facta ſit: eaque tota *verbo* contineatur, adeò ut *verbum* illud Theologia ipſa noſtra ſit: non aliter de *Theologia certitudine* ſtatui poteſt, quam ſi de ipſa *verbi* illius certâ adpræhenſione explicemus. Pro rato autem & conceſſo jàm ſumemus, *verbum* illud non alibi, quam in ſacris *Veteris & Novi Teſtamenti* libris reperiri: & propterea ad illud *verbum* certam iſtam mentis noſtræ adpræhenſionem adſtringemus. Tria autem illi negotio conficiendo ſunt pertractanda. Primum, quæ & cujuſmodi ſit illa *certitudo*, quam Deus à nobis poſtulat, & qua vult *verbum* illud ſumma nobis recipi, & adpræhendi. Secundum, de rationibus & argumentis, quibus *verbi* illius veritas, imò divinitas probatur. Tertio, quomodo iſta divinitas mentibus perſuadeatur, atque adeo *certitudo* iſta animis noſtris imprimatur.

Certitudo, qua Deus *verbum* illud ſuum vult recipi, fidei eſt, & propterea veracitati innitens dicentis, qua non ut verum tantum, ſed ut divinum recipitur: & fidei non implicitæ, quâ quis, citra ſenſuum *verbo*, tanquam ſigno, enuntiatorum intellectum, credit illos libros, volumine iſto Biblico compræhenſos, eſſe divinos (nam ut dubia opinio fidei eſt adverſa, ſic quoque obſcura & perplexa conceptio:) Neque hiſtoricæ, quæ intellectu tantum theoretico *verbum* intellectum divinum eſſe credit: Sed poſtulat Deus *verbo* ſuo illam haberi fidem, qua ſenſus illo enunciati, quantum quidem ad ſalutem hominum & gloriam Dei eſt neceſſe, intelligantur, atque ita divini eſſe certò cognoſcantur, ut non modò veritatem ſummam, ſed etiam ſummum bonum hominis complecti credantur: Quæ fides non tantum credat *Deum & Chriſtum* eſſe; neque tantum *Deo* credat *& Chriſto* aliquid enuntiantibus; ſed *in Deum & Chriſtum* credat talia de ſe affirmantibus, quæ fide adpræhenſa faciunt, ut in *Deum* tanquam *Patrem*, & in *Chriſtum* tanquam *Salvatorem* credatur; quod non theoretici modo, ſed

&

& practici intellectus munus eſſe arbitramur. Qua de cauſâ fidei veræ & vivæ non modo *ἀσφάλεια* in Scripturis tribuitur, ſed & *πληροφορία καὶ πεποίθησις*. Atque iſtiuſmodi *certitudinis* & fidei poſtulator & exactor eſt Deus. Vnde porro gradatim progredi licet ad argumenta, quæ verbi iſtius divinitatem nobis adprobant; & modum, quo illa requiſita *certitudo* & fides in animis noſtris producatur. Scimus ad viſionem faciendam, præter objectum viſibile, non modo lumen externum eſſe neceſſarium, quod rem viſibilem illuſtret, ſed etiam internam oculi vim requiri, quæ rei lumine externo colluſtratæ ſpeciem intus recipiat, atque ſic videat: ita quoque & hîc, pręter argumentorum iſtud lumen externũ, interna mentis & animi lux eſt neceſſaria, ut fidei iſta viſio perficiatur. Argumentorũ autem, quibus illius verbi divinitas adſtruitur, copia eſt infinita: Nos nonnulla, eaq; uſitatiora, ſeligemus, & breviter delibabimus, ne prolixitate nimiâ auditorio moleſti & odioſi ſimus.

Prodeat *Scriptura* ipſa, & primas in divinitate ſuâ aſſerenda partes obeat. *Subſtantiam & materiam* illius inſpiciamus. Tota illa eſt de *Deo & Chriſto eius*, occupata in naturâ utriuſque enarranda, in amore, benevolentiâ, beneficijs utriuſque humano generi præſtitis & præſtandis porrò explicandis; in officio viciſſim hominum erga illos præſcribendo. *Objecto* igitur divina. At quomodo in iſtis rebus tractandis verſatur? *Naturam Dei* ita explicat, ut nihil illi tribuat extraneum, nihil non tribuat illi conveniens: *Chriſti perſonam* ita deſcribit, ut mens humana fateri debeat, illam intuens deſcriptionem; talem perſonam excogitari ab intellectu creato non potuiſſe; eamque tam aptè, tam convenienter, tam ſublimiter deſcriptam eſſe, ut ipſam creati intellectus capacitatem longè excedat. Eodem modo verſatur in *Dei Chriſtique* amore erga nos & beneficijs enarrandis: Adeo ut Apoſtolus Paulus, ubi de iſtis rebus ad Epheſios præſcripſit, dicat, inde ipſis conſtare poſſe *quanta ipſius ſit intelligentia in myſterio Chriſti*; divinam nempe illam eſſe & ex ſolâ hauſtam *revelatione* Dei. (*Eph. 3. 4.*) Intueamur legé, qua hominum officium eſt compræhenſum erga Deum: Quid inveniemus ſimile in omnibus omnium populorum legibus, quod decem iſtis brevibus verbis queat comparari, taceo æquiparari? quæ tamen & ipſa ad duo ſumma capita, dilectionis Dei & proximi ſunt revocata. Sane adparet divinâ dexterâ exaratam & conſcriptam eſſe: quod etiam Moſes indicat his verbis; *Quæ gens ita magna cui ſint ſtatuta & iudicia iuſta ſicut eſt univerſa lex iſta, quam ego do coram vobis hodie*. (*Deut. 4. 6.*) Imò tantam iſti legi divinitatem ineſſe dicit Moſes, ut ipſæ gentes, ubi audierint iſtam legem, ejus admiratione exclamare cogat: *utique populus ſapiens & intelligens, gens magna iſta*. Tractatione itaque rerum ipſi objectarum prorſus eſt divina. Finem ſi intueamur, non minus clarè doctrinæ illius divinitatem nobis commonſtrabit. Ille totus eſt divinus, Dei gloria, & ſalus hominis æterna. Quid æquius, quam ut omnia eo referantur unde initium duxerunt? Quid Dei ſapientiæ, bonitati, potentiæ, magis conveniens, quam ut hominem ab ipſo creatum, ſed ſua culpa perditum, in integrum reſtituat, & divinæ beatitatis participem

faciat? & ſi quo verbo Deus ſeipſum hominí patefacere voluit, quem finem patefactionis & ſibi decorum, & homini ſalutarem magis, propoſitum habere debuit? Quamobrem nulla nota melius dignoſci poteſt, verbum divinitus eſſe revelatum, quam ſi ſalutis viam homini monſtret, ad illam velut manu ducat, & proſequi non deſinat, uſque dum ad ejus fruitionem deducat; quâ ipſa in re Dei gloria copioſiſſimè elucet. Qui hoc, quod de fine dicimus, in exigua, ſed nobili, verbi iſtius parte, volet contemplari; orationem ipſam dominicam oculis animi ſubjiciat, videat, & quantum fas humanis oculis pervideat: niſi fateatur duplicem iſtum finem tàm nervosè, breviter, accuratè in illa propoſitum, ut ſuprà vires & captum ſit omnis creatæ intelligentiæ; & merè divina iſta precationis forma, pluſquam Ægyptiacis tenebris mentem circumſeptam & obſeſſam habeat neceſſe eſt.

Conſenſus in partibus doctrinæ. Partes doctrinæ iſtius inter ſe conferamus, & inveniemus tantam in omnibus conſenſionem & conſpirationem, etiam in minutiſſimis, ut ab hominibus patefacta credi nequeat, à Deo autem prodijſſe certiſſime credi debeat.

Conferantur tantum oracula, quæ de Chriſto diverſis ſeculis ſunt enunciata. Dixit Deus ſerpenti ad ſolatium primorum noſtri generis
Gen. 3. 15. parentum: *Semen mulieris conteret caput tuum.* Repetita eadem à Deo promiſſio, & Abrahamo ſpeciatim fa-
Gen. 22. 18. cta: *In tuo ſemine benedicentur omnes gentes.* Iacobus Patriarcha morti
Gen. 49. 10. proximus ex proſapia Iehudæ proditurum prædixit, his verbis: *Non recedet ſceptrum de Iuda, neque Legiſlator è pedibus eius, uſque dum veniat Silo: & ei erit aggregatio populorum.* Accedat & extraneus Propheta, & ille ſuum oraculum, quod Dei Iſraelis inſtinctu & juſſu pronunciavit, hiſce addat: *Procedet*, inquit Bileam, *ſtella ex* *Num. 24. 17.*
Iacob, & ſurget Sceptrum ex Iſraele, & confodiet angulos Moab, & deſtruet omnes filios Seth. Poſtmodum Davidi per Nathanem promiſſus his verbis: *Statuam ſemen tuum poſt te, quod egre-* *2. Sam. 7. 12*
dietur è ventre tuo, & firmabo regnum eius. Vnde Eſaias: *Egredietur virga de* *Ieſ. 11.*
ſemine Iſai, & ſurculus de radicibus eius creſcet: & matrem virginem fore indicans: *Ecce virgo concipiet & pariet* *Ieſ. 7. 14.*
filium, & nomen eius erit Emanuel. Longum eſſet recenſere, quæ in Pſalmis & alijs Prophetis, iſti rei convenientiſſimè ſunt enunciata. Comparentur cum illis quæ in Novo Teſtamento de complemento prædictionum iſtarum ſunt deſcripta, & conſtabit ex tanta conſenſione omnium, unius Spiritus divini inſtinctu dicta & ſcripta eſſe. Si quæ videantur in illis libris eſſe antilogiæ, per rectam interpretationem facilè concilianturr. Addo, non modò ſecum conſentire omnes partes doctrinæ iſtius, ſed & cum univerſâ, quæ per totam Philoſophiam ſparſa eſt, veritate uſque adeò conſpirare, ut nihil in Philoſophiâ inveniatur, quod huic doctrinæ non reſpondeat: ſi quid ſecus videatur, id ipſum ex ipſa Philoſophia verâ, & recta ratione confutari poteſt liquidiſſimè. Proferat ſe ſtylus & character orationis, & eodem momento ſe offeret diviniſſimè Majeſtatis in illa relucentis ſpeculum fulgentiſſimum. Narrat ab hominum opinione remotiſſima, imò captum illorum exſuperantia, & tantum narrat, citra argumentationem,

tionem, aut ſuaſionis ullum adparatum: & vult tamen intelligi, vult credi. At quæ fiducia, quæ ratio deſiderij obtinendi? Nulla omninò, niſi purâ putâ ſuiipſius, id eſt, divinâ authoritate nitatur. Iubet, vetat, mandat, prohibet omnibus ex æquo hominibus: Regibus, ſubditis, magnatibus, plebeis, doctis, indoctis, ſignum petentibus, & ſapientiam quærentibus, ſenibus, juvenibus, pari in omnes utens poteſtate: freta itaque ſola ſua potentia, quę refractarios omnes coërcere, & morigeros remunerari poteſt efficaciſſimè. Inſpiciantur præmia & pænæ quibus præcepta ſanciuntur; æterna vita promittitur, ſupplicia æterna denunciantur. Ridendum ſe proponat, qui ita rem inſtituit; niſi ut juris ſui, ſic & potentiæ ſuæ ſibi conſcius ſciat; æque ſibi facile eſſe voluntates ſubjicere mortalium, & promiſſa minaſque exſolvere. Ipſam Scripturã adeat, qui experimentum iſtius Majeſtatis capere volet certiſſimum, ex ipſo dictionis genere: Legat Canticum Moſis cygnæum ſub finem libri quinti deſcriptum: Principium Eſaiæ perluſtret animi oculis: Pſalmum 104. devota mente intueatur. Conferat cum illis quidquid Græca Latinaque poëſis & eloquentia in ſuis archivis poſſidet eminentiſſimum; & cognoſcet evidentiſſimè, hæc ab humano ſpiritu, illa non niſi à divino prolata eſſe. Contendat quis ab ingenio, eruditione, experientia, eloquentia inter homines inſtructiſſimus, & ſimile quiddam iſtis moliatur; comperiet ſibi aquam hærere, & conatum in nervum erupturum. Fatebitur de tota Scriptura vere dici poſſe, quod Paulus de ſuâ & conſervorum ſuorum oratione pronunciat: *Quæ etiam loquimur, non ſermonibus quos docet humana ſapientia, ſed quos docet Spiritus ſanctus, ſpiritualia cum ijs quæ ſpiritualia ſunt coniungentes.* (1. Cor 2. 13.)

Inſpiciamus Vaticinia per totum corpus doctrinę ſparſa, quę partim ad ipſam doctrinæ pertinent ſubſtantiam, partim faciunt ad autoritatem doctrinæ ejuſque adminiſtris conciliandam. (*Vaticinia.*) Animadvertatur ſedulò, quàm diſerte & diſtinctè res maximas ab omni humana & Angelica perveſtigatione remotas, & non niſi potentia divina præſtabiles, prænuncient; & ſimul quam præciſè eventus & temporum intervalla, adeòque omnes circumſtantiæ reſpondeant prædictionibus; & ipſa rerum Vniverſitas fateri cogetur, non niſi ab omniſcio numine prævideri, & prænunciari potuiſſe. Non referam exempla; obvia enim ſunt librum ipſum aperienti. Vnum tantum aut alterum locum adferam, ubi iſta prædictionis & eventus præciſa convenientia deſcribitur. *Fuit*, inquit Moſes (de Ægyptiaca ſervitute & liberatione ex eadem, juxta id quod Deus Abrahamo in ſomnio prædixerat loquens) *in fine quadringentorum triginta annorum, fuit,* inquam, *hac ipſa die egreſſi ſunt omnes exercitus Iehovæ è terra Miſraim.* (Exo. 12.) Sic de liberatione ex captivitate Babilonica a Ieremia prædicta, poſt ſeptuaginta annos futura, loquitur Eſdras: *Anno primo Cyri regis Perſarum ut perficeretur verbum Iehovæ ex ore Ieremiæ, excitavit Iehovah ſpiritum Cyri Regis Perſarum, &c.* (1. Eſd. 1.1.) Ex hujuſmodi autem vaticinijs divinitatẽ Scripturæ concludi poſſe & debere, ipſe Deus per Eſaiam declarat, his verbis: *Annunciate quæ ventura ſunt in poſterum,* (Iſa. 41.23.)

ut cognoſcamus quod dij ſitis.

Miracula. Miracula, quæ Deus per verbi ſui promos condos, Prophetas, Apostolos, imò per ipſum Chriſtum doctrinæ ſuæ confirmandæ,& autoritati illorum ſtabiliendæ patravit, ejuſdem divinitatis illuſtre præbent teſtimonium. Talia enim ſunt, quæ, omnium creaturarum, etiam unitarum, & totius naturæ vires exſuperant. At verax Deus, & gloriæ ſuæ zelo ardentiſſimus, numquam Pſeudoprophetis, falſæque doctrinæ illorum, imò ne veræ quidem, dum modò non ſuæ, hoc eſt, divinæ, tanta teſtimonia perhibuiſſet. Hinc illud Chriſti: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſin vero facio, & ſi mihi non credatis, operibus credite.* Hinc etiam illud viduæ Sareptanæ, quum filium ſuum mortuum ab Helia reſuſcitatum reciperet: *Nunc iam novi, quod vir Dei es, & quod verbum Iehova in ore tuo veritas eſt.* Et illud Nicodemi: *Rabbi, ſcimus te à Deo veniſſe præceptorem, quia nemo poteſt illa opera facere quæ tu facis, niſi Deus fuerit cum illo.* Hinc Apoſtolus: *Indicia quidem Apoſtoli edita ſunt apud vos, per omnem tolerantiam, & ſigna, & prodigia, & virtutes.* Commemorantur quidem etiam miracula apud Gentiles edita, & auſpicijs deorum, quos invocabant; Pſeudoprophetæ etiam & ipſe Antichriſtus multa prodigia & ſigna edituri prædicuntur: ſed neque numero, neque magnitudine paria cum illis, quæ Deus verus apud Iſraelem, & in totius mundi conſpectu perfecit. Imò neque illa miracula verè talia ſunt, ſed opera tantum admirabilia, patrata actu & viribus Sathanæ, ejuſque inſtrumentorum, per cauſas naturales occultas, & hominum intellectum fugientes.

Ioan. 10. 37. — *1. Reg. 17. 14* — *Ioan. 3.* — *2. cap. 12. 12.*

Negare autem illa tanta miracula, quæ narrantur, verè accidiſſe; quum etiam ab hoſtibus veræ doctrinæ, Gentilibus & Iudęis teſtimonium habeant, manifeſtæ impudentię eſt, & exſecrandi ſtuporis.

Antiquitas doctrinæ. Accedat huc ipſa doctrinæ antiquitas, propagatio, conſervatio, defenſioque prorſus admirabilis; & luculentum illi præbebit ſuæ divinitatis teſtimonium. Si *antiquiſſimum quodque veriſſimum*, ut ſcite & verè Tertullianus; tum veriſſima hæc doctrina, quia antiquiſſima; imo divina, quia tunc patefacta, quum ab alia mente excogitari non poterat; ſimul enim cum homine cæpit: & deſertor Angelus nullam ſuam doctrinam propoſiturus erat homini, niſi Deus antea ſe homini patefeciſſet: Deo nimirum impediente, & nulla cauſa exiſtente, quæ illum impelleret. Non enim paſſurus fuerat Deus; hominem ad ſui imaginem creatum tentari ab hoſte ſuo, per falſam doctrinam; niſi à verâ abundè inſtructus, falſam cognóſcere & rejicere poſſet. Neque torſiſſet ulla Sathanam invidia adverſus hominem, niſi Deus illum communicatione verbi ſui, & per illam fælicitatis æternæ dignatus fuiſſet, quâ ipſe tum miſerè exciderat. *Propagatio doctrinæ, conſervatio, defenſio.* Propagatio, conſervatio, defenſioque, per ſe admirabiles, divinæ eſſe comperientur, ſi oculos intendemus primo in ipſos, inter quos propagatur, homines; tum in hoſtes & adverſarios doctrinæ; denique in modum, quo ſunt peractæ hactenus, & adhuc peraguntur. Homines ipſos inter quos doctrina ſancta viget, ſi conſideremus; inveniemus illorum naturam, prout eſt corrupta, duplici de cauſâ repudiare doctrinam iſtam. Vna eſt, quod in una

una ſui parte ſapientiæ humanæ & mundanæ prorſus eſt contraria, adeò ut ab illa ſtultitiæ inſimuletur: altera, quod in parte ſui altera mundanis & carnalibus concupiſcentijs omninò adverſaria & inimica. Repudiatur ergò à mente, reſpuitur à voluntate hominis, duabus ſummis in homine facultatibus: quarum præſcripto & mandato moventur & quieſcunt reliquæ. Accepta tamen eſt, credita tamen eſt. Victa igitur mens, & expugnata voluntas ab authore utriuſque. Hoſtes habet hęc doctrina acerrimos & potentiſſimos: Sathanam mundi hujus principem, cum omnibus Angelis ipſius, & mundum ipſum manipularem illius: & hoſtes quidem irreconciliabiles. Horum ſi aſtutia, potentia, malitia, audacia, impudentia pertinacia; diligentia; opponatur ſimplicitati, ruditati, imbecillitati, formidini, inconſtantiæ, pigritiæ, plerorumque, qui doctrinæ iſti adſtipulantur; tum demum admiratio oborietur, qui doctrina iſta conſiſtat, & ſarta tecta maneat, a tantis impetita hoſtibus, & talibus defenſa propugnatoribus: quam admirationem ſi cauſæ ſequatur inveſtigatio, ſupernaturalis & divina, quin ipſe Deus invenietur propagator, conſervator, & defenſor doctrinæ iſtius. Modus quoque propagationis, conſervationis, & defenſionis, divinitaté arguit multis indicijs: Fit ſine arcu, gladio. equis, curribus, equitibus; procedit tamen feliciter, erecta ſtat, & invicta durat, in nomine Iehovæ exercituum, quum adverſa illis fulta & freta proſternantur, corruant, intereant. Peragitur, non per illecebroſas divitiarum, gloriæ, voluptatum pollicitationes, ſed per horrendam crucis prænunciationem, & patientiæ tolerantiæque humanas vires excedentis, præſcriptionem. *Inſtrumentum mihi electum eſt iſte ut perferat nomen meum in conſpectum gentium, & regum, & filiorum Iſrael: Ego enim oſtendam ei quam multa oporteat illum pro nomine meo pati.* Act. 9. 15. 16. *Ego mitto vos ut agnos in medium luporum.* Matt. 10. 16 Perficitur non conſilijs humanis, ſed contra conſilia humana omnia, tum profeſſorum ipſius doctrinæ, tum adverſantium. Accidit etiam non rarò, ut quæ in perniciem ejus excogitata erant conſilia & machinamenta, propagandæ doctrinæ ſerviant, fruſtra ringentibus principibus tenebrarum, & ob contrarium aſtutiſſimorum conſiliorum eventum obſtupeſcentibus. *Saulus vaſtabat Eccleſiam*, inquit Lucas, *intrans in ſingulas domos, & trahens viros & mulieres, tradebat eos carceri: Illi igitur diſperſi peragrabant regiones, Euangelizantes ſermonem Dei: Vnde Samaria recepit Euangelium*: Act. 8. & 9 Hinc Paulus: *Velim autem vos ſcire fratres quæ mihi acciderunt, magis ad profectum Euangelij eveniſſe, adeò ut vincula mea celebria ſint in toto prætorio, ac reliquis omnibus locis.* Phil. 1. 12. 13 Vnde & dictum uſurpatiſſimum inoluit: *Sanguis Martyrum ſeminarium Eccleſiæ.* Quid dicemus ad iſta? *A Domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Lapis quem reprobaverunt ædificantes factus eſt in caput Anguli.* Pſal. 118. Subjungatur his tremendum Dei in perſecutores doctrinæ iſtius judicium, & exitium tyrannorum miſerabile: quorum non nemo, ſub ipſum momentum, quo ſceleratam & miſeram animam eſſet efflaturus, quam-

quamquam rabioſâ & frendente voce, verbi iſtius divinitatem publicè proclamare eſt coactus, his verbis: *Viciſti Galilae.* Quis nunc tam clara documenta divinitatis Scripturæ, purgato ab omnibus præjudicijs oculo, intuebitur, quin fateatur, Apoſtolum Paulum meritiſſimo jure exclamaſſe: *Si Euangelium noſtrum tectum eſt, ijs qui pereunt tectum eſt; In quibus Deus huius ſeculi excæcavit mentes*, id eſt, *infidelibus, ad hoc, ne irradiet eos lumen Euangelij gloria Chriſti, qui eſt imago Dei.* Ac ſi dicat; Non eſſe humanas illas tenebras, neque ab homine ipſo menti ſuæ obductas, ſed diabolicas, & à diabolo principe tenebrarum menti hominis, in quem pro arbitratu tyrannidem exercet, juſto Dei judicio, ſuperfuſas: ſecus fieri non potuiſſe, quin à tanta claritate tenebræ pellerentur etiam denſiſſimæ. (2. Cor. 4. 3. 4.)

(*Sanctitas administrorum.*) Servit eidem fini ſanctitas illorum, per quos verbum illud primimitus eſt hominibus adnunciatum, & ſcriptis comprætienſum. Quum enim carnis & mundi ſapientiam, ſenſum, adfectum, imo ipſum hominem, munere iſto fungentes exuiſſe, totoſque Dei gloriæ, & ſalutis hominum zelo velut devoratos & conſumptos fuiſſe adpareat; certum eſt, iſtam tantam ſanctitatem à ſolo ipſo, qui ſanctus ſanctorum eſt, inſpiratam illis & infuſam fuiſſe. Primus Moſes prodeat, qui tot injurijs ab ingratiſſimo populo adfectus, toties ad necem poſtulatus, paratus tamen fuit illius ſalutem exilio ſuo redimere, inquiens: *Dele me de libro, quem ſcripſiſti, ſi perdis populum iſtum.* (Exod. 32. 32.) Ecce zelum ſalutis populi ſibi concrediti; zelum erga gloriam Dei. Voti iſtius devoti cauſam alteram videre vultis? legite porrò quæ dixit: *ut quid dicent Ægyptij, dicendo, malitioſè eduxit eos, ut occideret eos in montibus, quia non potuit illos introducere in terram de qua iuraverat patribus ipſorum.* (Num. 14.) In Paulo eundem zelum videmus, optante *ut ſit anathema pro fratribus ſuis Iudæis*, à quibus tam multa & indigna erat perpeſſus. (Rom. 9.) Non puduit Davidem ſua gravia & enormia ſcelera publicè profiteri, & poſteris ad æternam memoriam ſcripto commendare: Non Samuelem filiorum ſuorum probra perpetuis chartis illinere: Non Moſen ſuorum avorum publicè teſtari iniquitatem & furorem. Si vel minima gloriolæ cupiditas illorum animos obſediſſet, tacere utique potuiſſent & propria ſua dedecora ſilentio obtegere. Ita etiam verſati in aliorum actis & geſtis deſcribendis, ignorant adulari magnatibus; hoſtibus quid indignum adtribuere; veritatis ſolius curam habentes ad Dei gloriam; omnes pari loco habent, nullo diſcrimine, niſi quod pietatem inter & improbitatem Deus ipſe haberi præſcribit. Valedixerint ſemel & ſimul toti mundo, & omnibus, quæ in mundo ſunt, cupiditatibus, quum ſanctum illud munus ex manu Dei ſuſciperent: *Dixerunt Patri ſuo & Matri ſuæ, non vidimus illos, & fratres ſuos non cognoverunt; cuſtodierunt eloquium Dei, & pactum eius ſervarunt.* (Deut. 33. 9.)

(*Conſtantia profeſſorum & martyrum.*) At quid de profeſſorum hujus doctrinæ & martyrum conſtantia dicemus, uſurpata in tormentis pro veritate iſtius doctrinæ tolerandis? Hanc ſanè, ſi vel ipſis præfractiſſimis doctrinæ hujus hoſtibus ſubjiciamus, etiam ab invitis extorquebimus divinitatis illius confeſſionem. Verum ad quatuor hæc iſta intendendus

dendus animus, ut vis iſtius argumenti evadet clarior, ad *numerum* & *conditionem* martyrum: ad *tormenta* ab hoſtibus illata; & *patientiam* præſtitam à Martyribus. *Numerum* ſi quæramus, innumerus eſt, multa excedens millena millia; ne quis quod à paucis factum eſſet, phreneſi deputaret, vel vitæ tædio moleſtioris. Si *conditionem*; nobiles inveniemus & ignobiles; cum poteſtate & ſubditos; doctos, indoctos, divites, pauperes, ſenes, juvenes; ſexus utriuſque, viros & fœminas, nuptos, cælibes; duros & ad pericula ſuetos, teneras & molliter educatas puellulas, quarum calces vix ſcrupulus in pavimento exuberans pupugerat antea; ne quis arbitretur gloriæ cupiditate incenſos, laudem ex ſuſceptæ opinionis pertinacia & magnanimitate captaviſſe. *Tormenta* illis tot & talibus adhibita, ſolita, inſolita; cita, lenta; pars cruce adfixa; pars capite truncata; hi aquis ſubmerſi, illi lento igne toſti; nonnulli dentibus & laniatibus ferarum moliti & abſumti; quidam ſerrâ diſſecti, lapidibus obruti alij; non pauci infandis affecti ſupplicijs, ipſa ſua turpitudine infamibus. Nullum omiſſum ſævitiæ genus, quod vel humana excogitare malitia, vel bilis ſplendida & furibunda ſuadere, vel ipſa infernalis aulæ officina poterat ſuppeditare: Et tamen, ut ad *patientiam* veniamus confeſſorum; tamen conſtanter, æquanimiter, quin & hilari animo & læto vultu, tolerata omnia, ut ipſa ſævities perſecutorum defatigata, invicto patientiæ robori ſæpe cædere, & victam ſe fateri cogeretur. Et quæ cauſa patiendi? quia recedere à Religione divinâ nolebant, cujus ſolius negatione poterant evadere periculum, & ſæpe gloriam conſequi. Quæ cauſa perferendi? quia credebant ſe poſt hanc vitam, & dolores toleratos, immortalitatem beatam conſecuturos. Videtur hic Deus cum Sathana velut duello conflixiſſe, & verbi ſui divitatem ex Sathanæ ignominiâ & ruinâ adſtruxiſſe.

Eccleſia teſtimonium.

Atque his potiſſimum argumentis uſa eſt divina omnipotentia & ſapientia, ad verbi ſui divinitatem comprobandum. Ne vero turpiſſimo ingrati animi vitio ſe commaculet Eccleſia, ſed authori ſuo Deo, & Chriſto capiti ſuccenturiatam præſtet operam, ſuo quoque teſtimonio verbi iſtius divinitatem aſtruit: ſed adſtruit tantum, non adfert; indicat non imprimit. Niſi enim divinum fuiſſet illud verbum, quum Eccleſia nondum eſſet; non potuiſſet illa ex verbo illo, tanquam ex ſemine incorruptibili, naſci in Filium Dei & per fidem illi verbo habitam particeps fieri naturæ divinæ. Autoritatis ipſum nomen Eccleſiæ adimit illam conferendi autoritatem. Eſt enim ab authore authoritas. At Eccleſia non Author, ſed alumna verbi iſtius: poſterior illo cauſa, origine, tempore. Non audimus objicientes Eccleſiam Scriptura antiquiorem; quia cum nondum eſſet verbum illud literis conſignatum, fuerit illa: talibus enim cavillis ludere in re ſeriâ, non decet Chriſtianos, niſi deſuetos, & Ieſuitas factos. Non eſt Eccleſia antiquior illo dicto: *ſemen mulieris conteret caput ſerpentis:* quamquam fuerit illa, quum hoc dictum nondum eſſet à Moſe in Scripturam relatum. Fides enim iſti dicto, tamquam divino, habita, fecit ut Adam & Eva Eccleſia eſſent Dei; quum antea eſſent transfugæ, deſertores, regnum

gnum Sathanæ deſertoris. Et quidem illa *columna veritatis*; ſed veritate ipsâ ut fundamento ſuperſtructa, ideoque veritatem perferens, & in conſpectum humani generis proferens, tanquam index & teſtis, imò cuſtos, præco, & interpres illius: ſed interpres alligata ſenſui ipſius verbi, & dictis Scripturæ; *extra quam* neque *ſapere* ipſam decet, Paulo prohibente; neque poteſt, propria imbecillitate & rerum divinarum profunditate impedita. Sed operæ pretium eſt efficacitatem iſtius teſtimonij paucis examinare, ita volentibus Pontificijs; qui proram & puppim certitudinis noſtræ, Eccleſiæ authoritatem conſtituunt, de Scriptura teſtificantis, quod ſit verbum Dei. Primò, teſtimonij efficacitas veracitatem teſtantis non excedit. Veracitas Eccleſiæ eſt veracitas hominum. At illorum veracitas imperfecta, inconſtans, ſemper locum relinquens dicto veritatis: *Omnis homo mendax*. Neque ſufficit veracitas dicentis, ad fidem teſtimonio conciliandam, niſi de veracitate teſtantis conſtet illi, cui fit teſtificatio. At quo modo conſtare poterit de veracitate Eccleſiæ? Aut ex præconcepta olim notione, aut impreſſione recens facta in animis auditorum. Nulla hominibus innata eſt notio de veracitate Eccleſiæ, illius inſtar, quæ dicit, *Deum eſſe veracem & mentiri non poſſe*. Impreſſa ergo ſit neceſſe eſt recenti aliqua actione; & impreſſione quidem, aut intrinſecus, aut extrinſecus facta. Intus imprimere non poteſt Eccleſia, externis tantum inſtrumentis teſtificans, & ad interiora animæ non pertingens. Externa ergo erit impreſſio, quæ nulla poteſt

1.Tim 2. 15

eſſe alia, quam ſcientiæ, probitatis, & ſæpe verè dicti teſtimonij commonſtratio. At iſta omnia opinionem tantum parere poſſunt in animis illorum, quibus objiciuntur. Opinio ergo, & non ſcientia, eſt efficacitatis illius ſupremus effectus.

Regerunt Chriſtum ipſum ſuæ Eccleſiæ authoritatem ſtabilijſſe iſto dicto; *Qui vos audit me audit*. Non vident miſeri, quum id dicunt, ſe prius Scripturæ, quam Eccleſiæ autoritatem ſtabilire. Neceſſe enim eſt, ut iſti dicto, tanquam à Chriſto pronunciato, fides prius habeatur, quam Eccleſiæ, propter illud authoritas queat concedi. At eadem ratio totius Scripturæ, quæ dicti iſtius. Contenta igitur eſto Eccleſia iſto honore, quem illi habuit Chriſtus, quum verbi ſui cuſtodem illam fecit, ejuſdemque indicem, teſtem, præconem & interpretem, deſignavit.

Verum enim verò, quum omnium, quæ hucuſque produximus argumenta, & ſi quæ alia probandæ Scripturarum divinitati idonea ſunt, neque ipſum rectum Scripturarum intellectum nobis aperire, neque ſenſus intellectos animis noſtris obſignare queant, quibus tamen conſtat fidei certitudo, quam à nobis requirit Deus, & verbo ſuo præſtari poſtulat: conſequitur neceſſario, aliud quid ad iſta omnia accedere debere, cujus efficacitate certitudo illa mentibus noſtris ingeneretur: & hoc eſt, de quo tertia hujus tractatus parte dicturos nos recepimus.

Dicimus igitur, & vel ipſis inferorum portis reclamantibus ingeminamus & iteramus, Spiritum ſanctum, cujus inſpiratione locuti ſunt hoc

Spiritus ſancti teſtificatio interna.

hoc verbum ſancti Dei homines, & cujus impulſu & ductu ut amanuenſes illius idem ipſum literis conſignarunt, authorem eſſe lucis illius, cujus beneficio ſenſuum divinorum intellectum percipimus, & effectorem certitudinis illius, quâ ſenſus iſtos vere divinos eſſe credimus; & authorem neceſſarium, effectorem ſufficientem. Neceſſarium demonſtrat Scriptura, quum

1. Cor. 2. 11. dicit: *Nemo novit quæ in Deo ſunt, niſi Spiritus Dei*: 1. Cor. 12. 3. *Nemo poteſt Ieſum dicere Dominum niſi per Spiritum ſanctum.* Sufficientem vero, & pluſquam ſufficientem tradit Scriptura,

1. Cor. 2. 10. dicens: *Sapientiam, quam Deus præfiniverat ad ſalutem noſtram ante ſecula, revelavit nobis Deus per Spiritum: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.* Sufficiens ergo Spiritus pleniſſima arcanorum Dei cognitione; ſufficiens efficaciſſima eorundem revelatione: cujus ſufficientia non poteſt extolli amplius, quam ab eodem Apoſtolo paulò poſt

verſ. 15. commendatur, dicente: *quod homo ſpiritualis*, id eſt revelationis iſtius particeps, *omnia dijudicat*, tanquam mentem Chriſti habens per Spiritum Chriſti, quem accepit. Euſdem ſufficientiæ præco eſt clariſſimus Ioannes Apoſtolus in ſuâ ca-

1. Ioan. 2. 27. tholica; his verbis: *Unctio, quam accepiſtis ab eo, manet in vobis, & non neceſſe habetis ut quiſquam vos doceat, ſed ſicut ipſa unctio docet vos de omnibus, & verax eſt, & non mendax, & ſicut docuit*

1. Ioan. 5. 10. *vos manebitis in eo.* Item: *Qui credit in Filium, habet teſtimonium in ſe ipſo.* Hinc Apoſtolus Theſſalonicenſi-

1. Theſſ. 1. 5. bus: *Evangelium noſtrum fuit erga vos non per ſermonem ſolum, verum etiam per virtutem & per Spiritum ſanctum, & per certitudinem multam.* Apertè hic certitudinem, quo ſermonem Evangelij accipiunt fideles, virtuti Spiritus ſancti adtribuens. Excipiunt Pontificij: Multos jactare Spiritus revelationem, qui tamen illa ipſa ſunt deſtituti; itaque in iſta tutò quieſcere non poſſe fideles. Bona verba? Abeſto blaſphemia. Iactant Iudæi Thalmud & Kabalam: Mahumetani Alcoranum ſuum; gloriantur utrique ſe Eccleſiam eſſe: An ergò Scripturæ Veteris & Novi Teſtamenti ſatis tutò credi nequit ſe divinam eſſe affirmanti? Eccleſia vera minus erit Eccleſia, quia iſtum titulum ſibi arrogant Filij alienigenę? Inter opinionem & ſcientiam hæc eſt diſtinctio: opinantur ſe ſcire qui revera neſciunt; at qui ſciunt, ſcire ſe certò cognoſcunt. *Spiritus ipſe teſtatur,* 1. Ioan. 5. 6.

ſpiritum, id eſt, doctrinam & ſenſus iſta compræhenſos, *veritatem eſſe.* Sed iſta teſtificatio Spiritus quæ fit in nobis, convincere nequit alios de veritate verbi divini. Quid tum? convincet, ubi & illos a[ff]laverit, adflabit, ſi filij ſunt Eccleſiæ, qui *omnes* Ioan. 6.

erunt θεοδίδακτοι; audient & diſcent à Patre, & venient ad Chriſtum. Neque poteſt teſtimonium ullius Eccleſiæ convincere omnes de veritate, & divinitate ſacrarum literarum. Experiuntur Pontificij, qui ſolis ſibi Eccleſiæ nomen arripiunt, quàm parùm teſtimonijs ipſorum fidei habeatur ab illis, qui à Romanæ ſedis Spiritu non ſunt adflati. Sed oportet in Eccleſia tale eſſe teſtimonium, cui omnes deferre oporteat. Ita ſanè. Teſtimonio Chriſti loquutis deferre oportuit Iudæos; Stephano loquenti non debebant contradicere Pharisei; Apoſtolorum prædicationi, tot & tantis miraculis confirmatæ, fidem adhibere tenebantur tum Iudæi, tum

 Gentiles,

Gentiles, ſine exceptione ulla. At non fecerunt. Quæ cauſa? Obduratio cordis illorum voluntaria, & excæcatio Diaboli. Si dicant; tale in Eccleſia exſtare debere teſtimonium, cui nemo actu contradicat; Negamus, & experientia teſtatur nunquam exſtitiſſe, necdum exſtare; & numquam exſtiturum certo ex Scripturis arbitramur. Sed fortè Spiritus ſanctus, teſtificationis iſtius author & effector, Eccleſiæ ſe alligavit, ut non niſi per illam, & illius authoritate interveniente, certitudinem illam mentibus inſpiret & obſignet. Vtitur ſanè Spiritus ſanctus ex beneplacito voluntatis ſuæ, organo quodam ad iſta munia ſua peragendum. Verum illud organum eſt ipſum verbum Dei, ſacris Scripturæ libris compræhenſum: organum ab ipſo productum, prolatum, & veritate ipſius informatum. Cujus efficaciam, ipſi à Spiritu ſancto impreſſam, egregiè deſcribit Apoſtolus ad

Hebr. 4. 12. Hebræos his verbis. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti: ac pertingit uſque ad diviſionem animæ ſimul & Spiritus, compagumque & medullarum, & diiudicat cogitationes & conceptiones cordis.* Hujus effectum dicitur fides ab Apoſtolo:

Rom. 10. *Fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Si quis hic actus Eccleſiæ intercedat, ille eſt, quo illa in verbi iſtius ſyncera prædicatione eſt occupata, & ſedulam operam illi divulgando impendit: quamquam id ipſum non tam eſt Eccleſiæ, quam

Eph. 4. 11. 12. *Apoſtolorum, Prophetarum, Euangeliſtarum, Paſtorum, & Doctorum*; quos Chriſtus conſtituit operarios *ad ædificationem* corporis ſui, quod eſt Eccleſia. Verum illud hic, ex ipſa rerum natura, tum communi, tum ſingulari obſervandum; primam cauſam pertingere ulterius actione ſua, quam inſtrumentaria poſſit; & Spiritum ſanctum omnem vim verbo tribuere, quâ poſtea utitur, tanta efficacitate ſua adhibita, ut quod verbo tantum ſuadet, ipſe perſuadeat, ſenſus divinos verbo obijciens, & velut lampade mentem colluſtrans, & ſua immediata actione inſpirans & obſignans. Fingunt Pontificij actus nonnullos ad veram fidem ingenerandam neceſſarios, eoſque non niſi Eccleſiæ judicio & teſtimonio produci dicunt, ut, credere aliquem librum eſſe Matthæi, vel Lucæ, diſcernere inter verſum Canonicum & Apocryphum, diſtinguere inter hanc vel illam lectionem, ſicuti variant exemplaria. Verum, quum & de illorum actuum pondere & neceſſitate ſit controverſia, & quouſque illi ab Eccleſia præſtentur, non minor ſit digladiatio, iſta tractatione, ne prolixitate nimia gravem auditorium celeberrimum, ſuperſedebo in præſentiarum; alias Deo volente de illis per occaſionem explicaturus.

Vidimus hucuſque, Clariſſimi & Humaniſſimi Auditores, Deum & Chriſtum cum Spiritu utriuſque, utramque Sacroſanctæ Theologiæ noſtræ paginam implere. Si *obiectum* quæratur: *Deus & Chriſtus à Spiritu* nobis monſtratur. Si *author*; occurrit ultrò *Deus & Chriſtus*, per *Spiritus operationem*. Si *finem* propoſitum intueamur; *unio* noſtra *cum Deo & Chriſto* ſe offert, non niſi *Spiritus* communicatione obtinendus. Si de ipſa doctrinæ *veritate & certitudine* inquiramus; *Deus in Chriſto* per efficaciam *Spiritus ſancti* de illa mentes noſtras convincit clariſſimè, &

hanc cordibus obſignat potentiſſime.

Merito ergo Deo & Chriſto, in Spiritu ſancto, gloria omnis iſtius revelationis debetur; merito gratiæ illis per Spiritum ſanctum, pro tam auguſto & neceſſario nobis beneficio, agendæ. At nullas gratias illis agere poſſumus gratiores, nullam gloriam dare glorioſiorem, quam ut aſſiduo mentis intuitu & devotâ meditatione in tàm nobilis objecti cognitionem incumbamus: in totâ meditatione, ne aberremus, ad doctrinæ revelationem confugiamus: Ex illius unius verbo ſapere diſcamus, ardenti deſiderio & indefeſſo curſu ad ſcopum iſtum ultimum, & beatiſſimum finem unionis noſtræ cum Deo & Chriſto contendamus; nuſquam de veritate iſtius revelationis dubitantes, ſed certa fidei plerophoriâ, per Spiritus S. inſpirationem & obſignationem mentibus cordibuſque noſtris impreſſa, verbo iſti adhærentes; donec tandem evadamus omnes *in unitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, ad menſuram ſtaturæ adulti Chriſti.* Quod ut Deus clementiſſimus Pater nobis, *in Filio dilectionis ſuæ, per communicationem ſancti Spiritus* concedere dignetur, ſupplex illum oro, & veneror: illi ſit laus, honor, & gloria, in ſempiterna ſecula. Amen.

ORATIO
DE
Componendo diſſidio Religionis inter Chriſtianos,

Habita ab Auctore VIII. *Feb* 1605 *cum Rectoratum deponeret.*

NVlla unquam, à primo peccati in orbem terrarum ingreſſu, tam beata exſtitêre ſecula; quæ non alicuius mali interventu turbata fuerunt: nulla viciſſim tam miſera & infortunata, quin ob benevolentiæ divinæ in humanum genus redintegratæ præſentiam, aliqua boni dulcedine contemperata fuerint. Teſtatur hoc omnium ætatum experientia, condocefaciunt hiſtoriæ omnium populorum. Ex quarum diligenti intuitu & comparatione, ſi cui viſum eſset parallelismum facere bonorum & malorum, ſive concurrentium ſive ſibi invicem ſuccedentium; næ ille velut in limpidiſſimo ſpeculo contemplaretur, quomodo divina *benignitas* cum eiuſdem *iuſta ſeveritate* ſemper colluctata ſit, & *Numinis bonitas* cum *malitia hominum* conflixerit. Iſtinc ejuſdem rei ſpecimen nobis præbent luculentum præſentia ſecula noſtra, in hoc noſtro nobis cognito orbe Chriſtiano. Quod ut commonſtrem, non neceſſe habeo cenſum agere omnium, quæ in hanc ſeculi clauſulam inundarunt, malorum; id enim illorum infinitas difficile facit & prope *ἀδύνατον*; neque bona quibus aliquantulum refocillatur, ad amuſſim dinumerare: ſufficiet abunde veritati iſti firmandæ, unius inſignis admodum *boni*, uniuſque prægrandis. & illi bono directè oppoſiti *mali* commemoratio. *Bonum* illud eſt, quod divina clementia hunc orbem noſtrum illuſtri ſacroſanctæ veritatis ſuæ fulgore irradiat, & veræ, hoc eſt, Chriſtianæ Religionis notitia colluſtrat. *Malum* hoc eſt, quod humana ſive inſcitia ſive perverſitas claræ iſtius veritatis lucem, nigra errorum adſpergine contaminat, & unius iſtius religionis conſecraneos in varias partes, imò & par-

tium particulas, diſtrahit & diſcerpit, prorſus contra ipſius Chriſtianæ Religionis naturam & genium. Cujus author, *princeps pacis*, doctrina, *Euangelium pacis*, profeſſores, *filij pacis* nuncupantur. Cujus *fundamentum* eſt *pacificatio* inter Deum & homines, ſanguine principis iſtius confecta; *præceptum*, utraque ejus pagina inculcatum, de *pace & concordia*, *fructus*, *iuſtitia*, *pax & gaudium per Spiritum ſanctum*; cujus denique *finis* eſt *pax* & *tranquillitas* ſempiterna. Tametſi autem veritatis iſta fax, per Chriſtianum orbem ſparſa, non parum animum meum recreet, & præſertim clarior illius apud Eccleſias, quæ reformationem profitentur intuitus vehementer exhilaret: diffiteri tamen non poſſum, quin ex *diſsidio Religionis*, quod Chriſtianiſmum totum gangrenæ inſtar pervaſit & miſerè vaſtat, ingentem animo dolorem concipiam, & (arbitror) unâ mecum omnes, qui Chriſtum ejuſque Eccleſiam amant, niſi animos gerant Marpeſiâ caute duriores, & præcordia pluſquam quercino robore & triplici ære circumvallata.

Quæ cauſa me impulit, juxta tritum illud, *ubi quis dolet, ibidem & manum habet*, ut in celebri hac *panegyre*, ubi mihi ex recepto & laudabili more, hac *feſtivitate Academica*, dicendi provincia eſt demandata, aliquid de *Religionis* in Chriſtiano orbe *diſsidio* in medium proferam. Tribus autem partibus materiam circumſcribam: *Primo enim de diſsidio ipſo & malis inde exiſtentibus diſſeram, inde de eius cauſis, denique de remedijs. Prima pars neceſsitatem*, tanti mali tollendi continet; *Poſtrema modum* quo tolli poſſit, cui ſervit *media*, præſcribit. Omnes ſimul junctæ rationem conſilij a me ſuſcepti explicant & juſtificant.

Deum verò pacis ſupplex oro & veneror, ut mihi dicenti Spiritu ſuo veraci & pacifico adſit, mentem & linguam regat, quo ipſi grata & Eccleſiæ Chriſtianæ ſalutaria proloquar, ad ipſius gloriam & noſtri inſtitutionem. A vobis autem, Clariſſimi & Humaniſſ. Auditores, peto, ut benignis animis & auribus audiatis. Strictim ſingula percurram, indicis potius quàm oratoris vice fungens, ne patientia veſtra abutar.

Magnum bonum eſt *unio*, imo ſummum adeoque unicum; ſive res ſeparatim ſingulas conſideremus, ſive plures aliqua inter ſe ſocietate contentas. Omnia enim & ſingula, eo ipſo quo unum quid ſunt, id ipſum ſunt quod ſunt, & in eo quod ſunt, *unione* iſta conſervantur. Et, ſi perfectionis ulterioris indiga ſunt & capacia, eâdem porro *unione* corroborantur, augentur, perficiuntur, uſque dum terminum ſibi à natura vel gratia, vel utriuſque authore Deo præſcriptum aſſequantur. Hoc ipſum adeo verum eſt, ut & in ipſa *unione*, quâ Deus *unus* eſt & ſibi ſemper præſens ipſe, ſuaque omnia ſibi ſimul præſentia habens, illius beatitudo conſiſtat. Nihil itaque naturæ rerum, tum ſingulari, tum univerſæ, *unione* convenientius aut deſiderabilius: nihil *diſsidio*, quo omnia de ſtatu ſuo deficiunt primum, paulatim minuuntur, intereunt denique, noxium magis & abominabile. Cæterum ut *boni* ita & *unionis* ſunt differentiæ. *Bonum* illud præſtantius eſt altero, quod in ſua natura excellentiam habet præ alio, quod communius eſt, quod durabilius,

rabilius, quod *ſummo bono* propinquius. Ita & *unio* illa præſtabilior, quæ in re conſiſtit præſtantiore, ad plures pertinet, durabilior eſt, & proximè *cum Deo* compingit. *Religionis* ergo *vera unio* præſtantiſſima. Verum ut *bonis eximijs* oppoſita *mala* etiam in ſuo genere ſunt peſſima, ita nullum *diſſidium* tetrius quã *Religionis*. Quod tum ipſius intima natura, tum effecta inde promanantia patefaciunt manifeſtè. Naturam videbimus in *diſſidij* objecto, diſſidentium erga hoc *objectum* propenſione, in *diſſidij* ambitu & diuturnitate. *Objectum* hic eſt *Religio Chriſtiana*, quæ ſi *formam* ejus ſpecies, veram Dei veri Chriſtique notitiam continet, & rectum utriuſque cultum: ſi finem, unicum medium eſt nos cum Deo & Chriſto, & viciſſim Deum Chriſtumque nobiſcum religandi & convinciendi; unde etiam nomen ipſum *Religionis*, *Lactantius* deductum arbitratur. Vera itaque ſapientia, veraque virtus, & ex utraque *unio* cum Deo ſummo bono, quibus ſuprema & unica, tum hujus, tum futuri ſeculi felicitas compræhenſa eſt, *Religionis* vocabulo continetur. Et hoc quidem non modò in reipſa, ſed etiam in exiſtimatione omnium, quorum mentibus *Religionis* notio eſt impreſſa, hoc eſt totius hominum univerſitatis; quos non ratione, ſed *religione*, tanquam propriiſſima nota, à reliquis animantibus diſtinguit idem *Firmianus*. Iam verò, ſi affectioni erga rem modum ponit præconcepta animo de illius valore opinio, propenſio in *Religionem* ſummum obtinet locum, arcemque occupat in animo Religioſi: Et quod amplius eſt, ſi juxta *Bernardum* & veritatem ipſam, modus amandi Deum ſit, ſine modo illum amare, propenſio in *Religionem*, cujus potiſſima pars eſt amor in Deum & Chriſtum, ſine modo eſt, termini expers & ignara menſuræ. Hoc eſt quod ipſe author *Religionis* noſtræ Chriſtus inquit: *Qui non odit patrem, matrem, imo & ipſam animam ſuam, mei cauſa, non eſt me dignus.* Luc. 14. 26. Reſpondet præterea affectus in *Religionem* ex æquo immenſo iſti amori, quo quis *unionem* ſui cum Deo, hoc eſt ſummam beatitatem, deſiderat, quum norit hujus *unionis* vinculum & glutinum eſſe *Religionem*. Graviſſimum itaque eſt *Religionis diſſidium*, ubi de ipſis aris diſceptatur. Latiſſimè præterea gliſcit & diffundit ſeſe *diſſidium* iſtud: omnes enim involvit quotquot *Chriſtianæ Religionis* ſacris ſunt initiati. Neque fas cuiquam ſe neutrum profiteri, imò vero nemo in *Religionis diſſenſione* neuter eſſe poteſt. Nam qui neutri diſſidentium ſententiæ accedit, una ex hiſce quatuor cauſis motus id facit. Aut ipſe tertiam ab utraque disjunctam ſententiam fovet in *Religione Chriſtiana*; aut aliam *Chriſtiana* meliorem arbitratur, aut *Chriſtianam* & *alias* æquiparat, aut denique neque *Chriſtianam* neque ullam aliam colit *Religionem*. Primus neuter non eſt, ſed tertia pars inter diſſidentes. Secundus & tertius univerſè à *Chriſtiana Religione* diſſident, cujus axiomata ſunt, quod ipſa vera ſit & ſola vera: non enim admittit alias ut fecit paganorum *Religio*. Quod amplius eſt, ſecundus ἄθεος eſt juxta *Chriſtianam Religionem*, quæ ſtatuit *expertem eſſe Dei & Patris qui Chriſtum & Filium non habet*. 1. Joan. 2. Adverſus tertium pronunciata ſententia: *Qui non colligit mecum, diſpergit.* Matt. 12. 30. Quartus ἄθεος

judicatur

judicatur ab univerſa hominum multitudine, & generaliſſimi, quod eſt de *Religione* diſſidij, pars altera cenſetur. Eſt denique hoc *diſsidium* maximè diuturnum & penè irreconciliabile; cujus rei duplex mihi cauſa reddi poſſe videtur, utraque ex ipſa religionis natura deducta. Vna eſt, quod quum *Religio* verè ſit & æſtimetur eſſe res Dei, illius unius arbitrio & diſpenſationi ſubdita, hominum juri exemta, data, ut præſit tanquam norma vitę dirigendæ, & libertati circumſcribendæ, non ut ſerviat *Lesbiæ Regulæ* inſtar, quæ omni ſtatui accommodetur, paciſci de illa ut homini fas non eſt, ita vix quiſquam ſibi authoritatem iſtam arrogaverit. Altera, quod cum periculo ſalutis ſuæ conjunctum arbitrentur, ſi vel tantillum de eo concedant. Omnium autem *diſſidentium* hic genius eſt, ut cum adverſarijs *concordiæ* pacta non ineant, niſi vitam ſaltem & libertatem ipſis ſarta tecta habere liceat. In *Religione* autem, ejuſque exercitio quiſque vitam ſuam, nempe ſpiritualem, libertatemque vitæ iſti congruam, ſitam eſſe exiſtimat. Tertiam adjungere liceat, quæ in opinione conſiſtit, quod utraque pars ſibi ab adverſaria ſua vitam & ſalutem æternam abjudicari eo ipſo putet, quo *Religionem* illius præ ſua improbat & contemnit; quæ injuria videtur eſſe graviſſima: *Pacificationis* autem omnis initium eſt ab injuriarum oblivione, fundamentum in earum omiſſione, quę hic tali præjudicio perpetuò videntur continuari. Hujus *diſsidij* naturam iſtam quum probè perſpectam haberent Magnates, eo ipſo, vel ejus ſaltem prætextu, ſæpe uſi ſunt, ad populos ſibi ſubjectos odijs, diſſenſionibus, bellis, quæ ipſi ex alia cauſa ſuſceperant, involvendum: ut pro arbitratu bonis illorum & corporibus, quæ pro defenſione avitæ *Religionis* facile devoventur, uſi, votis ſuis potirentur, quorum compotes nunquam evaſiſſent hac ope deſtituti. Magnitudo enim *diſſidij* facit, ut velint ſua contribuere lubentes principi; *diſſidentium* multitudo, ut poſſint dare quæ ſufficiunt; *diſsidij* pervicacitas, ne unquam, quoad poſſunt, delaſſentur. Naturam *diſsidij* iſtius utcunque delineavimus, quod ſit pondere graviſſimum, ambitu latiſſimum, tempore diuturniſſimum. Videamus porrò quæ iſtius tanti mali effecta fuerint & ſint in *orbe Chriſtiano* noſtro. Videor autem mihi illorum infinitatem ad duo ſumma genera revocare poſſe, ut *priora* ſint ab *efficacitate diſsidii* in mentes hominum, *poſteriora* ab ejuſdem in animos & affectus *operatione*. Ab iſta inprimis proficiſcitur *dubitatio de Religione*. Quum enim videt populus, nullum pene eſſe in *doctrina Chriſtiana* articulum, de quo non ſint diverſæ, imò & contrariæ ſententiæ, uſquę adeo, ut in quo pars una proram & puppim veritatis conſtituit, altera horrendam blaſphemiam vocet; in quo hi pietatis ponunt apicem, illi exſecrandam idololatriam appellent: eaſque controverſias agitari inter viros eruditos, graves, expertos, magnique nominis, neque tantam animadvertit in vita moribuſque contendentium diſcrepantiã, ut credere auſit, Deum hiſce potius, ut ſanctioribus, quam illis *Spiritu ſuo veritatis* aſſiſtere, labitur in illam cogitationem, ut exiſtimet, *Religionis* dogmata obſcura & incerta eſſe. *Dubitationem*

rem iſtam ſi excipiet ſtudium inquirendi aliquod, idipſum obortis difficultatibus deferveſcet illico, & ſuccedit mera *veritatis inveniendæ deſperatio.* Qui enim ſperet idiota veritatem ſe inventurum, quum de ipſis principijs, an illa ſolis Scripturis, an etiam traditionibus non ſcriptis contineantur, diſputari intelligat? quum videat ſæpe de verſione Scripturam incidere quæſtionem, ſola Hebræi & Græci ſermonis notitia ſolubilem? quum animadvertat doctorum virorum, qui de *Religione* tractarunt, ſententias non rarò teſtimonij vice citari, ipſe vero maternæ tantum linguæ gnarus, libris alijs deſtitutus, ſolas Scripturas habeat in vernaculam linguam tranſlatas? Qui, inquam, fieri poteſt, ut non in hanc veniat opinionem, nemini quidpiam certi conſtare poſſe de *Religionis* capitibus, niſi qui iſtarum linguarum peritus, omnes traditiones ad unguem noverit, omniumque Doctorum ſcripta exactè perlegerit; & illorum de ſingulis dogmatis ſententias accuratè perdidicerit? *Deſperationem* verò quid ſequitur? Aut *perverſiſſima* de tota *Religione opinio*, aut *omnis Religionis abiectio* & *Atheiſmus*; unde germinat *Epicureiſmus*, infelicis arboris fructus peſtilentior. Quum enim hominis animus de veritate invenienda deſperat, & tamen primo impetu omnem *Religionis* & ſalutis ſuæ curam abijcere nequit, compellitur σοφὰ φάρμακα pacandæ conſcientiæ comminiſci: Aut ſtatuet, neceſſe non eſſe, ut populus axiomata *Religionis* cognoſcat & exploratum habeat, quid credat; ſed id ſolis antiſtitibus incumbere, quorum, tanquam *rationem Deo pro ſalute animarum reddituro-rum*, fidei cæca ad- *Hebr. 13 17.*
ſentiri adſtipulatione ſufficiat; cui etiam non rarò frigidam ſuffundunt ipſi antiſtites compendij ſui cauſa: Aut perſuadebit ſibi, omnem cultum Deo bona devoti animi intentione impenſum, ipſi gratum eſſe, ideoque in *omni Religione*, modò illam ex conſcientia obſervet, hominem ſalvari poſſe, omneſque ſectas pari loco habendas. Hiſce opinionibus, quæ expeditam & omni moleſtia, quin & periculo, ut putant, carentem monſtrant viam pacificandæ conſcientiæ, imbuti; non modo omne rerum divinarum ſtudium deſerunt ipſi, ſed & ſtultitiæ arguunt illos, qui laborioſa inquirunt opera, quod inveniri non poſſe rentur, quaſi de induſtria quærant in quo inſaniant. At vero non minus proclivis ex *deſperatione* iſta in *atheiſmum* lapſus eſt. Nam quod vera Numen *Religione* deſperant colere, ab omni illius cultu citra majorem noxam abſtineri poſſe arbitrantur; propterea quod nullum niſi à ſe præſcriptum cultum gratum habeat Deus, & premio remuneretur. Iuvat *deſperationis* iſtius efficaciam innata nonnullis ingenijs *irreligioſitas*, quæ excuſationes ad peccata captans, ſibi blanditur, & nativam Numinis irreverentiam pallio invectarum de *Religione diſſenſionum* obnubit. Sed & duplici alia ratione *diſſidia* de *Religione Atheiſmum* in orbem Chriſtianum invehunt. Prima eſt, quod iſto *diſſenſionum* ariete firmamenta providentię divinæ, quæ omnis *Religionis* baſis eſt, vehementer concutiuntur: quum ſubit animum cogitatio, quod providentiæ, ſi ulla ſit, primarium munus eſſe videatur cariſſimam filiam ſuam *Religionem* in tam clara luce collocare, ut omnium, qui non ultrò

ultrò oculos ſibi effodiunt, aſpectibus ſic manifeſta. Altera eſt, quod homines Prophetia, quæ *Religionis* continet inſtructionem, & cultus divini exercitio deſtituti, primò in inſcitiam, & deſſuetudinem cultus, inde in ipſam impietatem prolabantur. Contigit autem illis rebus privari tum propriæ, tum alienæ conſcientiæ prohibitione. Propriè, quum concionibus & ſacris adverſæ partis ut interſit licere ſibi non putat. Alienæ, quum pars ſuperior contrariam coire in cętus prohibet, ubi quæ proba putat, audiat, & ſacris ritu ſibi placito operetur. Sic conſcientia *Religionis* nixa fundamento procuratrix eſt *impietatis*, ubi *diſcordia* viget in *Religione*. Ex *atheiſmo* porrò radice pullulat *Epicureiſmus*, morū omnium in licentiam diſſolutio & pernicies, ruptis ſcilicet divini timoris repagulis, quo ſolo in officio continentur.

Et hæc quidem mala à *diſsidio Religionis* proveniunt, quum illius *operatio* menti incumbit. Vtinam vero hic ſubſiſtat, & mentis in aula, ubi proprium habet domicilium *diſſenſio*, jactare ſe contenta, in ipſos animi non involet affectus? At vanum meum votum. Tantopere enim ipſum pervadit animum, ejuſque omnes affectiones ſubigit, ut pro arbitratu illorum ancillatricibus operis abutatur. Nam quum ſimilitudo omnis morum, ſtudiorum, opinionum, ad amorem conciliandum, & diſſimilitudo quævis ad odium momenti habeat plurimum, fit ùt ex *diſſenſione Religionis odia* exiſtant pluſquam Vatiniana, & animorum irreconciliabiles exaſperationes; etiam inter clariſſima nomina, quæ mille inter ſe naturæ nexibus antè devincta, continuo amicitiæ teſſeram ſibi invicem renunciant. Hoc Chriſtus ſignificat, inquiens: *Non veni pacem miſſurus in terram ſed gladium. & facturus ut diſsideat filius ad verſus patrem filia adverſus matrem: & nurus ad verſus ſocrum ſuā. Et inimici hominis erunt domeſtici eius.* Matth. 10. Quæ verba non ſinē adventus Christi, ſed eventum indicant, oriturum ex eo; quod *Religionem* mundo eſſet illaturus ab ea, quæ publicè obtinebat, *diſſidentem*, & de qua hominum vitio multæ eſſent futuræ *diſſenſiones*. Hinc tantum *Iudæorum* in *Samaritanos odium*, ut ne operam quidem illorum in re ſibi neceſſaria occupare vellent; unde admiratio *Samaritanæ de Ieſu, aquam ab illa ad potum poſtulaſſe*. Ioan. 4. Et ſane, odij extrema linea eſt, ne velle quidem ſibi ab alio benefieri. Ex *odijs* porro & animorum *diſsidio* progerminant *ſchiſmata*, *factiones*, *ſeceſsiones* in partes: ut enim *amor unionis affectus eſt*, *ita odium diſſeparationis*. Hinc *Synagoga* contra *Synagogas*, *templa templis* oppoſita, *altaria* contra *altaria* eriguntur, conſecrantur, frequentantur; cum neutra pars cum altera velit habere commercium. Hinc voces audiuntur omnino ſimiles ijs, quæ in populo Iſraelitico in partes abeunte perſtrepebant; *ad tentoria tua, o Iſrael: non eſt illis pars in Deo, neque in Filio Dei Ieſu Chriſto*. Vtraque enim factio æquè ſibi inclytum veri Iſraelis nomen adpropriat, ademtum alteri, non ſecus ac ſi plenaria judicandi predita eſſet ſupra alteram poteſtate, & jam præjudicatum eſſet, *Iſraelis* nomen, quo Deus gratioſe integram Eccleſiam ſuam compellat, *diſsidentes* in aliquo Filios complecti ſuo ambitu non poſſe. Neque in *ſchiſmate* terminum ſibi figit animorum exacerbatio; [illegible]

ſed, ſi forte pars altera potentiorem ſe exiſtimet, non verebitur *perſecutiones* inſtituere in adverſariam, & illius extremam internecionem moliri: nulli parcens noxæ, quam aut excogitare poteſt humanum ingenium, aut ſplendida bilis dictare, aut ipſa inferorum ſuppeditate officina. *Sævitur in famam, bona, corpora viventium: in cineres, ſepulchra, memoriam defunctorum: quin etiam in animas vivorum & mortuorum; idque omni armorum genere: ludibrijs, calumnijs, exſecrationibus, devotionibus, excommunicationibus, anathematiſmis, libellis famoſis, carceribus, equuleis, in inſulas relegationibus, ad metalla damnationibus, terra marique interdictionibus, excluſione è cælo & terra; aqua, igne, ferro, crucibus, ſtipitibus, rotis, patibulis, ferarum laniatibus, ſine modo, termino, fine, uſque dum deleta ſit pars adverſaria, aut ſubmiſerit ſe arbitrio potentioris; opinionem priſtinam cum abjuratione rejiciendo, & improbatam ante cum devotione accipiendo: hoc eſt, ſeipſam per extortam hypocriſin perdendo.* Veniant in mentem perſecutiones *Gentilium* adverſus *Chriſtianos*: *Arrianorum* adverſus *Orthodoxos*: *Iconolatrarum* adverſus *Iconomachos*, & viciſſim *horum* adverſus *illos*. Ne abeamus longius, inſpiciamus quæ in *Hiſpania*, *Luſitania*, *Gallia*, *Anglia*, *Belgica noſtra*, Patrum & noſtra memoriâ acciderunt, & vera eſſe, quæ dico cum lachrymis fatebimur. At vero ſi contingat partes pene æquales eſſe potentia, aut oppreſſam diu, perſecutionum pertæſam, & libertatis accenſam cupidine, *patientia in furorem*, quod dicitur, aut potius *in juſtam indignationem conver*ſa, animos ſumere, vires colligere; tunc *bella* oriuntur potiſſima, repetuntur res, clarigatione peracta fecialis haſta mittitur, bellum indicitur, concurritur adverſis aciebus, dimicatur truculentiſſime: De *ineunda pacificatione* altum utrinque ſilentium, ne quæ pars prior de illa ſermonem injiciat, eo ipſo cauſæ ſuæ tanquam iniquiori faciat præjudicium. Imo vero tanta concertatur pervicacia, ut *de pace* interloquens vix feratur, niſi laqueum collo indutus, quo ſi diſpliceat oratio, in crucem rapiatur continuò. Talis enim cauſæ communis deſertor, hæreſi affinis, hæreticorum fautor, apoſtata & transfuga æſtimatur. Et hæc quidem *odia, ſchiſmata, perſecutiones, bella* eò ſuſcipiuntur, geruntur, adminiſtrantur animoſius, quòd quiſque adverſarium habet pro totius orbis Chriſtiani peſtilentiſſimo infectore, incendiario publico, animarum homicida, hoſte Dei, aſſecla diaboli, qui dignus ſit, quem ignis de cœlo deſcendens comminuat & abſumat; quem non modò ſine peccato odiſſe, exſecrari, occidere liceat, ſed & cum debita officij laude deceat: quum nullum videatur opus eſſe Deo acceptius, hominum ſaluti utilius, inviſum magis Sathanæ, ejuſque regno perniciosius. *Zelus nempe domus Dei, ſalutis hominum, divinæ gloriæ* eò invitat, inſtigat, compellit. Quod ipſum Religionis noſtræ autor & magiſter prædixit: *Quapropter vos perſequentur & occident mea cauſa, & putabunt ſe Deo ſacrificium facere.* Ioan. 16. Ubi itaque ipſa conſcientia affectum exſuſcitat, juvat, defendit, nihil eſt quod obſiſtat vehementiæ. Ita videmus, ut ipſa Religio vitio hominum *cauſa facta ſit diſſidiorum* & crude-

crudeliſſimorum certaminum palæſtra continua. Huc ſi accedat, ut *unus* aliquis *homo* autoritatem ſibi arroget, & conſentiente magna multitudine uſurpet, *leges de Religione præſcribendi*, fulmine excommunicationis, quos viſum eſt, feriendi, Reges de throno dejiciendi, ſubditos obedientiæ & fidelitatis juramento abſolvendi, in ſuos principes armandi, juratis ſuis, aut primum occupare paratis, jus in alienam ditionem transſcribendi, ſcelera quantumvis enormia tum patrata tum patranda condonandi, Sicarios & Aſſaſinos cœlo adſcribendi; cujus nutibus ut ipſius Dei cæca obedientia ſit obtemperandum: Bone Deus, quale & quantum oleum additur camino *odiorum, perſecutionum, bellorum*: quæ malorum *Ilias* invehitur in orbem Chriſtianum! Ut non immeritò quis exclamet: *Tantum Religio potuit ſuadere malorum.*

Iſta vero omnia, quæ diximus, mala non tantum ex *diſſidio vero*, ubi de veritate agitur fundamentali, ſed etiam ex *imaginario* proveniunt, quum res non ut ſunt, ſed ut videntur, animos afficiant. *Imaginarium* autem *diſſidium* appello; vel quod eſt inter *partes*, quæ *commentitiam* tantum *Religionem* habent, à vera toto cœlo, imo potius toto Deo, aberrantem; quale eſt inter *Mahometanos*, quorum alij *Homarim*, ut *Turcæ*, alij *Halim* ſequuntur interpretem, ut *Perſæ*: vel quod quum in ſubſtantia veræ doctrinæ non ſit, tamen eſſe creditur à diſcordibus. Cujus exemplum præbuit *Victor Romanus Epiſcopus*, qui univerſas *Aſiæ Eccleſias* excommunicare voluit, eo quod à ſe in tempore *Paſchatis* celebrandi diſſentirent. Ut vero hoc caput concludam, apex omnium malorum quæ ex *Religionis diſſidio* oriuntur & colophon, eſt ipſius, de qua controvertitur, *Religionis interitus*. Fatum ſcilicet penè idem experitur *Religio*, quod *Sponſa* apud *Plutarchum*, quam quum procorum ſinguli poſſidere nequirent integram, in partes diſcerpſerunt, & obtinuit nemo omnem. Hæc diſcordiæ eſt indoles, res etiam maximas diſſipare & deſtruere. Cujus rei nobis triſtiſſimum exhibent ditiones ampliſſimæ experimentum, olim *Chriſtiana Religione* florentiſſimæ: jam *Mahumetiſmum* amplexæ; qui ex diſſidijs *Iudæorum* cum *Chriſtianis*; &, *Sabellianorum, Arrianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum* cum *Orthodoxis*, originem ſumſit & incrementum.

Progrediamur ad *cauſarum diſſidij* iſtius *contemplationem*. *Cauſas* Philoſophi univerſè dividunt in eas, quæ *per ſe* effectum producunt, & quæ *per accidens* illi efficiendo ſerviunt: utrarumque conſideratio facit propoſito noſtro. *Cauſa diſſidij* iſtius *per accidens* eſt ipſa *Religionis Chriſtianæ natura*, quæ non modo mentem & affectum humanum ſupergreditur, ſed utrique omnino contraria videtur. Fundata enim eſt *Religio Chriſtiana in cruce Chriſti*, pro axiomate omni acceptione digniſſimo habens, *Ieſum crucifixum eſſe Servatorem Mundi*: unde & *ſermo crucis* dicitur, quo *Religio* iſta informatur. 1. *Cor.* 1. At vero quid menti abſurdius, quid ſtultius videtur, quam *hominem crucifixum* & *mortuum* mundi haberi *Salvatorem*? & *in cruce* ſalutem poſitam credi? qua de cauſa etiam Apoſtolus, *ſermonem de cruce Iudæis offendiculum eſſe ſcribit, & gentibus ſtultitiam*. Quid affectui humano adverſum magis, quam *ſuiipſius odium*

odium & abnegatio? mundi rerumque mundanarum contemtus, & ipſorum affectuum mortificatio? At illud alterum eſt Chriſtianæ Religionis axioma, cui qui mente, affectu, factis, non adſtipulatur, à Chriſti diſcipulatu ſecluditur. Facit hæc res, ut qui à Chriſtiana Religione alienus eſt, haud illi aſſentiatur facile, & qui nomen ſuum Chriſto dedit, naturæ ſuæ omnimodam vim inferre impotens, commenta quædam effingat, quibus molliat mitigetque ſententiam horridiorem; quo ipſo, quia à puritate doctrinæ deflectitur, diſſidia excitantur adverſus illam & conſtantes ejus Profeſſores. Scripturæ quoque ipſæ, quibus ut unico inſtrumento hodie Chriſtiana Religio eſt conſignata, in erroris & diſſidij occaſionem rapiuntur, quum, ut inquit Apoſtolus Petrus, indocti & parum ſtabiles eas detorquent in ſui ipſorum exitium, eò quod continent nonnulla difficilia intellectu. Figuratæ etiam & ambiguæ, quæ in illis ſunt, ſententiæ, velinvitæ ſerviunt veritati adulterandæ apud illos, qui ſenſus in iis non habent exercitatos. Sed his miſſis, ſumamus proprias diſſidij iſtius cauſas præ manibus, inter quas agmen ducit Sathanas, veritatis & pacis hoſtis acerrimus, & mendacij diſſidiorumque verſutiſſimus proſeminator. Ille, Dei gloriæ & humanæ ſalutis invidus, in omnes occaſiones intentus, momenta obſervat ſingula; ſic ubi forte poſſit inter ſementem domini, hæreſeon & ſchiſmatum zizania inter ſpargere; cujus ſuæ deterrimæ ſationis proventum ſæpe ubertimum hominibus dormientibus, adipiſcitur. Sequitur homo, ſuam hic Sathanæ, licet ſibi exitialem, facile præſtans operam, in quo multa, eaque accommodatiſſima invenit propoſito ſuo conficiendo inſtrumenta calidiſſimus ille Serpens. Mens hominis imprimis ipſi ſervit, quâ cæca eſt, quâ vana. Cæcitas mentis duplex eſt; nativa una, altera adſcititia. Illa nobis adnaſcitur ex ipſa origine, quę primigeniæ Adami veteris & à Dei lumine ſuo averſi noxæ contagione infecta, ita oculos noſtros faſcinavit, ut noctuarum inſtar ad veritatis ſolem cæcutientes, illam ipſam non in profundo puteo demerſam, ſed in cœlo repoſitam, clarè tamen deſuper lucentem non videamus. Adventitia eſt, quam homo, quod ipſi ſupererat lucis obſcurando, ſibi adſcivit; princeps mundi infidelium mentes, ne irradiet illas lumen Euangelij gloriæ Chriſti, excæcando immiſit: Deus ipſe, juſtus veritatis oſoruni vindex, efficaciam erroris dando, inflixit. Vnde fit, ut velamen menti impoſitum arceat ab Euangelij aſpectu, & mendacio credat, cui fruſtra veritas illuxit. Mendacij autem adſenſus, diſſenſio eſt à veritatis aſſertoribus: Cæcitatem mentis excipit vanitas ejuſdem, quæ proclivis eſt ad deficiendum à veræ Religionis tramite; cum non niſi per firmum & invariabile mentis propoſitum inſiſtitur, & propenſa ad comminiſcendum ſibi Numen naturæ ſuæ vanæ maximè conſentaneum, cultumque fictitio Numini gratum effabricandum. Vtroq; modo ab unitate Religionis veræ diſceditur, qua deſerta ruitur in diſſenſiones. Verum enim vero affectus animi fidiſſima omnium præſtant adjumenta Sathanæ, non aliter ac devota ipſi mancipia: quamquam non rarò id faciant, exiſtimantes ſe ſuum, imo & Dei negotium agere. Primas, ſecundas, tertias, adeoque omnes hic obeunt partes, duæ primariæ affectiones,

Marginal notes: 2. Pet 3. — Matth. 13 — 2. Cor. 4. 4. — 2. Theſſ. 2. 11. — 2. Cor. 3.

nes, reliquarum matrices & inſtigatrices omnium, *amor* & *odium*: iſtrumque triplex, ne quid deſit numeri perfectioni: *Amor gloriæ, opum, & voluptatum*: quem dilectus Chriſto diſcipulus *faſtum vitæ*, *cupiditatem oculorum*, & *concupiſcentiam carnis* appellat:
1. Ioan. 2. 16
odium veritatis, *pacis* & *profeſſorum veritatis*. *Superbia* igitur, fœcundiſſima diſſidiorum in *Religione* genitrix, triplici ratione fœtum ſuum fœtidiſſimum enititur. Aut enim *extollit ſe adverſus cognitionem Dei* & *captivam ſe duci* non patitur ſub veritatem ad obediendum Deo, impatiens *jugi quantumvis levis & ſuavis*, quod a Chriſto imponitur; *abrumpamus*, inquiens, *vincula eorum*, & *funes illorum projiciamus à nobis*. Ab illa fuit ſeditio *Core, Dathan* & *Abiram*, partem ſibi in *Sacerdotio*, quod *Aaroni* dederat Deus, vindicantium. Aut *principatum* ambit in *Eccleſia* Dei & *alienæ fidei dominari*; cujus criminis *Ioannes Diotrephen* accuſat; conquerens *nec ſe, nec alios fratres ab illo recipi*, & *recipere volentes ab Eccleſia ejici*. Aut denique *impotente ſuo dominatu*, quem uſurpat, tum in *animas*, *leges de Religione* pro arbitratu figendo & refigendo; tum in *corpora*, vim, qua conſcientias ſibi ſubjuges faciat, intentando; cogit *Eccleſias*, quæ ſalvâ conſcientiâ *tyrannidem* iniquiſſimam ferre nequeunt, *diſcedere*, & res ſuas ſibi habere. Hâc cauſâ motum ſe dixit *Eccleſia Græca*, cur cum *Romana* communionem habere nollet, eò quod *Romanus Pontifex* ſibi contra jus & fas, contra regulam Chriſti, & decreta Patrum, *plenitudinem arrogaret poteſtatis*. Ex eodem fonte profluxit ingens hoc *ſchiſma*, quod *Europam* noſtram hodieque diſſipat; quemadmodum *Principes* & *Reſpublicæ Proteſtantes* juſtis querimonijs toti orbi patefecerunt. Impetit autem *Superbia Religionis concordiam* tribus alijs jaculis; *invidia*, *ira*, & *omnia ſciendi cupiditate*. Nam ſi quis rerum divinarum cognitione, vitæ ſanctimonia, eoque autoritate apud populum præcellat, extemplo immittit *ſuperbia* in animum *invidiam*, quæ pulchra contaminet, puris labem adſpergat, vitæ vel doctrinæ calumniam ſtruat, ſenſus rectos male interpretando detorqueat, contentionem cum illo, qui in honore eſt ſuſcipiat, & ſuper nominis illius ignominiâ ſtruem propriæ laudis faciat: Et, ſi iſtis actibus parem ſibi locum parere nequeat, *nova dogmata* confingat, *populum poſt ſe abducat*; ut quam apud omnes *concordes* obtinere non potuit dignitatē, apud nonnullos occupet, à reliquo corpore *ſegregatos*. *Iram* immittit, quæ ſi vel leviſſima à *veritatis profeſſore* injuria quis affectum ſe putet, ad *ultionem* exſtimulet; paratiorem autem & adverſarij rebus nocentiorem vix repetit ullam, quam ſi dogmatis illius obloquens, *hæreticum*, quo nullum opprobrium apud mortales odioſius, publicè proclamet. Quod crimen, quia non *in facto*, ſed *in ſenſu* conſiſtit, non ita diluitur, quin aut hęreat aliquid, aut ſaltem calumniæ notam aliquo effugio amoliri à ſe poſſit *calumniator*. *Tertium telum* eſt, *cuncta ſcrutandi & ſciendi libido*, quæ nil relinquit intactum, ut adpareat doctior; & quæ magno labore ex tenebris ignorantiæ eruiſſe videtur, alijs ut ſcitu neceſſaria, ne precium perdat operæ, obtrudit, comitata plerumque *aſſeverandi audacia*; unde non poſſunt non maxima *offendicula* & *ſchiſmata* in *Eccleſia* exoriri. *Avaritia* huc quoque ſymbolam ſuam

Marginal references (left): 2. Cor. 10. 5 · Pſal. 2. 3 · Num. 16. · 3. Ioan. 9. 10

1.Tim.6. ſuam confert, *radix malorum* ab Apoſtolo nuncupata. Nam quum *doctrina veritatis* quæſtuoſa non ſit, fit ut fœdis ejus doctoribus ſuccedentes infidi, *lupi rapaces, quæſtui habentes pietatem*, illius mutationem inducant, aut *onera ligando gravia, & diſcipulorum humeris imponenda*, pro quorum redemtione quotidiana offerantur donaria; aut lucroſos fingendo peccatorum expiandorum rationes, aut denique per *blandiloquentiam*, quæ placita ſunt populis, prædicando, quo illorum aucupentur gratiam, quod
2. Cor. 2.17 Apoſtolo eſt *veritatem cauponari*. Vnde ſæpe *diſſidia* exſtitere; quum aut doctores fideles, ſive qui ſunt in Eccleſia, ſive quos in populi ſui ſalutem excitat Deus, comparatæ *ad quæſtum* doctrinæ ſe opponunt: aut ipſe populus, impoſitionum & rapinarum captus tædio, *diſceſſionem* facit ab iſtis paſtoribus, melioribus ſe adjungendo, aut quos meliores æſtimat in illorum locum ſubſtituendo. Hæc fax inter *Phariſæos* & *Chriſtum* fuit *diſſidij*, qui avaritiæ illorum obſiſtens *gravia iſta onera* veniebat diſſolutum. Hinc excitatus primum *Lutherus*, ut *indulgentiarum pontificiarum* nundinationi obicem poneret; à quo initio facta eſt ad majora progreſſio. *Voluptas* etiam & *carnis cupiditas*, tum quæ ſpeciatim iſto nomine venit, & *affectionem* notat ad *carnalia*, tum quæ generatim continet *deſiderium peccandi* citra morſum conſcientiæ, huic ſe immiſcet *tragœdia*, & ipſa ſatagens pro viribus *diſſidiorum* excitare fomitem in *Religione*. Affectus enim ille, gravem expertus *doctrinam crucis*, deſiderans, ut votorum ſuorum omnium extremum, *& hîc deliniri voluptatibus, & tamen cæleſtem ſpectare felicitatem*, ipſe ſibi *doctores* exſuſcitat, qui molliter *conſarcinata* & *mollibus* conferta *plumis diſcipulorum axillis ſupponant pulvinaria*, quibus inter aculeatas peccatorum undique pungentium ſpinas ſuaviter indormiant; veniam pollicentes de facili, modo exercitijs nonnullis, re levibus, in ſpeciem gravibus, *Numen* ipſum demereantur, *ſanctuarium* vero ejus grandibus impleant donativis. Hæc Apoſtoli ad Timotheum, ſic ſcribentis querela eſt. *Erit tempus quum ſanam doctrinam non tolerabunt, ſed auribus prurientes ipſi ſibi pro ſuis cupiditatibus coacervabunt doctores, & à veritate quidem avertent aures, ad fabulas verò convertentur*; 2. Tim. 4. ſubnexâ monelâ, ut *Timotheus vigilet*, & *miniſterio ſuo fideliter fungatur*: unde neceſſe eſt, inter *Timotheum* & *iſtos doctores diſſidium exiſtere*. Serviunt verò tria illa capitalia vitia authori ſuo Sathanæ, etiam alia ratione *mutationi Religionis* introducendæ; & propterea excitandæ *in Religione diſcordiæ*. Extant in ſacra & profana hiſtoria exempla principum & privatorum illuſtria, qui ambitioſâ & avarâ *dominandi cupidine* inſtigati, *Religiones novas* & ad populorum captum placitumque accommodatas confinxerint, quo vel ſubditos ſuos in officio continerent, vel alienæ populos ditionis ſuæ poteſtati ſubjicerent: ſuadentibus comminiſcendi ſtudium *ambitione & avaritia*, amplexandi vero tum *voluptatum potiundarum* & *novitatis deſiderio*, tum *doctrinæ* ipſius & *præconceptæ opinionis* congruentiâ. Hoc *Hieroboamus* primus animo *Religionis* in 1. Reg. 12. *Iſraeliticam Eccleſiam* invexit *mutationem*, erectis in *Dan & Bethel*

altaribus, fuſiſque *vitulis*, ne populus ſacrorum faciendorum gratia *Hieroſolymam* ſtatis temporibus, juxta præſcriptum Dei, profectus, ad *domum Davidis*, unde ſciſſus erat, reverteretur. Hac eadem mente *Mahometes*, qui ex commercio cum *Iudæis* & *Chriſtianis* habito, ab utriſque quæ ſibi placerent edoctus, & *Sergij Monachi* vaferrimo conſilio uſus, novam & humano ſenſui gratam confinxit *Religionem*, quam in *Alcoranum* ſuum congeſtam populis multis perſuaſit; unde initium exſtitit ampliſſimi iſtius, quem etiamnum *Turcæ* occupant, dominatus.

Vidimus ut *amor gloriæ, opum, voluptatis*, partes ſuas agat in hoc *diſſidiorum de Religione* theatro. Prodeat *odium* & ſuos quoque nobis actus exhibeat, propriè ad *diſſidium* ex naturâ cauſæ tendentes. Primo in ſcenam ſe dat *odium veritatis* & doctrinæ ipſius, conceptum, partim ex *anticipata mentis notione*, quæ quod cum doctrina iſta conciliari nequit, & tamen ægre evellitur, ſententiæ ſibi adverſę *odium* ingenerat: partim quod *doctrina vera hominem accuſet, vetetque ea, quorum tenetur cupiditate, & ea iubeat quæ invitus facit*, præcepta ſua tam urgens rigidè, ut niſi quis ad illorum nutum vitam ſeriò componat, ſpem ſalutis omnem præcidat. Subſequitur *odium pacis & concordiæ* ipſius. Eſt enim quoddam hominum genus, quod ſine hoſte vivere non poteſt, quemadmodum de *veteribus Hiſpanis, Trogus* pronunciat, ita infenſum *concordiæ*, ut puro illius *odio* inimicitias ſuſcipiat. Talibus ſi in *Eccleſia* locus contingat honoratior, mirum quos non moveant difficultatum ſcrupulos, quos non nectant nodos Sophiſmatum, quas non accuſationes inſtituant, ut *contentionem* ſuſcitent de *articulis Religionis*, unde porrò ſimultates oriuntur inexpiabiles & *diſſidia* pluſquam capitalia. Profert ſe denique *odium* in *veræ doctrinæ Profeſſores*, unde proclivis admodum lapſus eſt in *diſſenſionem* à doctrina ipſa, quam profitentur iſti; quum id ſtudio habeat, qui odit, ne quid commune ipſi ſit cum adverſario. Exemplum præbent *Arabes*, qui *Heraclij Cæſaris Græcorumque & Latinorum* qui ſub illo merebant, *odio*, ab iis *diſceſſerunt Religione*, à quibus antea voluntate diſceſſerant, *Mahumetiſmum* amplexi, prius *Chriſtiani*. Hoc verò *odium* incurrunt veræ doctrinæ profeſſores, vel *aliquâ ſuâ culpâ*, vel *gratis* hominum malitia. *Culpâ ſuâ*, ſi veritatis doctrinam non eâ, quâ fas eſt, prudentia & manſuetudine adminiſtrant, ſi potius ad commoda ſua reſpicere videantur, quam *Religionis* ſtudio teneri, ſi denique vita doctrinæ repugnet, quo malam de ſe gignunt opinionem, ac ſi parum credant quæ docent. *Culpâ alienâ*, eò quod hominum animi tenelli & laſcivi non ferant acri veritatis ſale ulcera ſua conſpergi & purgari, quod Ariſtarchos vitæ & morum ſuorum ægre admittant. Hinc illud Apoſtoli: *An inimicus factus ſum vobis, eo quod vera vobis enuntio: odium nempe parit veritas, obſequium amicos.* [Gal. 4. 16.] Et hæ quidem videntur eſſe *cauſæ diſſidiorum in Religione procreatrices*, quin & *conſervatrices* dum illarum durat efficacitas. Sunt aliæ, quæ impediunt, ubi ortum eſt, ne coaleſcat *diſſidium*: quas etiam inter *conſervantes* meritò numeramus. Inter haſce primum poſſident locum *variæ*, quibus *animi diſſidentium* occupantur, *præiudicia*; de ipſis *adverſarijs*, de *adverſariorum dogmatis*,

dogmatis, de *parentibus* & *avis noſtris*, de *Eccleſia*, *cui adhæremus*, denique de *nobis & præceptoribus noſtris*. *Præjudicium de adverſarijs eſt*, quo putamus illos non *errore* duci; ſed purâ putâ *malitia*, & quia ſic collubitum eſt animo, *diſſentire*, hoc ſpem præcidit illos in rectam ſententiam adducendi, & deſperatio conatum. De *dogmatis adverſarij præjudicium* eſt, non tantum quo illa condemnamus ipſi ut *falſa*; ſed ut jam ante publico damnata *Eccleſiæ* judicio, ſtatuimus indigna, quæ rurſus veniant in controverſiam & novo examini ſubjiciantur. *Præconcepta* vero de *parentibus & avis opinio reconciliationem impedit*, tum quia *tanta* fuiſſe illos *ſapientia & pietate* putamus, ut erraſſe nullo modo ſit veriſimile, tum quia de ſalute illorum, quam vehementer volumus, & merito, optimè ſperamus: quam in dubium videmur vocare, ſi in ſententia contraria aliquid veri ad ſalutem pertinentis agnoſcimus, quod ipſi aut improbaverint, aut ignoraverint. Vnde fit ut *parentes* relinquant *poſteros* ſuos *hæredes* ut bonorum, ſic quoque *opinionum & diſſenſionum ſuarum*. *Splendor* præterea *Eccleſiæ*, cui *Sacramento* obſtricti ſumus, ſic præſtringit oculos, ut nobis omnino perſuaderi non patiamur, fieri potuiſſe aut poſſe etiamnum, ut illa in aliquo deviaverit. Denique de *nobis ipſis & præceptoribus noſtris* tam ſentimus ſplendidè, ut vix animo concipiamus aut *ignoraſſe illos*, vel *non ſatis rectè vidiſſe* aliquid, aut *nos judicio labi*, quum *illorum dogmata* adprobamus. *Adeo proclive eſt humanum ingenium, ut ſe & quos in amore & pretio habet omni erroris eximat ſuſpicione*. Ex hiſce *præjudicijs* mirum non eſt, *ſi theſin ſemel poſitam* mordicus defendendi naſcatur *pertinacia*: efficaciſſimum *reconciliationis impedimentum*. Quam ipſam *duplex metus* facit pertinaciorem, *infamiæ* unus, quam ſtultè putamus incurſuros, ſi nos in aliquo erraſſe confiteamur; *alter*, quo *totam doctrinam periclitari* arbitramur, ſi vel in uno capite deprǽhendamus peccaſſe. Præter iſta, *modus agendi*, tum in *adverſarium*, tum in *dogma illius* uſurpari ſolitus, non parum obeſt *conciliationi*, quamquam pro iſta ſuſceptus eſſe videatur. In *adverſarium* perversè agitur, quum *maledictis* & *convitijs* obruitur, quum *detractionibus* & *calumnijs* impetitur, quum *minæ* & *violentia* ipſi intentantur; quæ ſi contemnat, quod non rarò fit, quum *teſtimonium* illis opponitur *conſcientiæ*, nihil prorſus efficitur; ſi ad mentem revocet, turbatur ejus animus & velut œſtro percitus dementatur, ut multò minus agnoſcere errorem poſſit. Imò utroque modo magis in ſententia confirmatur; ſive quod intelligat, eos, qui iſtiuſmodi armis utuntur, imbecillitatem cauſæ ſuę & iniquitatem apertè prodere; ſive quod apud ſe ſtatuat, haud eſſe veriſimile, ut *Spiritu veritatis* inſtructi ſint, qui iſta agendi ratione utuntur. In *dogma* verò *adverſarij* perperam inſtituitur actio, quum idipſum *non ex mente aſſertoris* proponitur, quum *præter modum* exagitatur, ejuſque *fœditas* intempeſtivè exaggeratur, quum denique *parum aptis confutatur argumentis*. *Illud* fit, quod non ea, qua fas eſt, *tranquillitate animi* & *patientia* attendatur ad dicta adverſarij, ſed ſtatim ad primum verbum, quid ille ſibi velit divinari ſoleat. *Iſtud* verò ex eo eſt, quod nemo videri velit de re exigui momenti litem inſtituiſſe. *Hoc* denique ex ignorantia

rantia vel nimia vehementia proficiſcitur, quæ præcipitata in furorem arma miniſtrantem, quidvis pro telo arripit & in *adverſarium* contorquet. *Illud* ſi fiat, dogma ſibi alienum per calumniam affingi intelligit; ſi *iſtud*, judicat ad invidiam ipſi & dignitati ipſius conciliandum id fieri; ſi hoc, irrefutabile eſſe dogma ſuum arbitratur, quum adverſus argumenta impacta illæſum perſtare animadvertit. Quæ omnia & ſinguli fomentum adportant flammæ *diſſidiorum*, eamque inexſtinguibilem reddunt.

Hucuſque *diſſidij* in *Religione naturam, effecta, cauſas* conſideravimus. Supereſt, ut *remedia* tanti mali inquiramus: quod dum compendio facio, quæſo, ut qua hactenus dicentem attentione proſecuti eſtis, porrò utamini. *Remediorum* hunc eſſe genium dicunt *Medicorum filij*, ut nunquam incaſſum adhibeantur; prodeſſe enim & verè eſſe, quod dicuntur, aut noxam inferre, ſi non proſint. Quæ res mihi ſuadet, ut primitus *perverſa* quædam à nonnullis excogitata & aliquando uſurpata *remedia* amoveam. Inprimis obtruditur *commentum de fidei implicitæ ſufficientia*, qua creditur ſine notitia rei, quod *Eccleſia & Prælati* credunt. *At Scriptura*, quæ *in fide cordis iuſtitiam, & oris confeſſione ſalutem* ponit; quæ dicit, *iuſtum ſua fide vivere*; item, *credidi, propterea locutus ſum*, illud explodit: uſurpatum vero non modò *diſſidium* tollit, ſed & ipſam, quæ ſine ſcientia & fide eſſe nequit, *Religionem*. *Alterum* huic adfine eſt *figmentum*, quo ſtatuitur *unumquemque in ſua Religione ſalvari poſſe*. Sed hoc ipſum, ut uni malo medeatur, aliud infert nocivum magis, certam nempe perniciem eorum, qui iſto errore tenentur; eo quod iſta opinio errorem, quem nec deponere curabit quiſquam nec corrigere, reddat immedicabilem. *Mahomet* hoc confinxit ut *Alcoranum* ſuum diſceptationi exemtum conſtabiliret. In *Paganiſmo* id obtinuit, ubi *dæmonolatria* vigebat, ut liquet in titulo altari cuidam apud *Athenienſes*, promos & condos paganæ ſapientiæ, inſcripto: *dijs Aſiæ, Europæ, & Africæ, dijs ignotis & peregrinis*: & more *Romanis rerum Dominis* uſitato in Deorum tutelarium evocatione, antequam urbem inimicam hoſtiliter aggreſſuri eſſent. Satagebat iſta ratione *Sathanas*, ne *regnum ſuum in ſe diviſum periret*. *Tertium* eſt diſputationum de *Religione* prohibitio, quæ *ſtupidæ ignorantiæ* ponit fundamentum, eique *concordiam* ſuperſtruit *Religionis*: ut videre eſt in *Moſcovia*, ubi lex ita obtinet. Sed noxia eſt, ſive *vera* vigeat *Religio*, propter humanæ mentis inconſtantiam; ſive *falſa*, quam conſecrat immortalitati: niſi præcedens probetur *figmentum de Religionum æqualitate*; cui etiam *Mahomet* hanc ipſam legem ſuperſtruxit.

Rom. 10. 10
Habac. 2. 4. 2. Cor. 4. 13.

Iſti propinquum eſt conſilium de non *explicandis*, ſed *legendis* tantum, *Scripturis ſacris*: quod non modo improbum eſt, propter ſingularis adplicationis omiſſionem, & repugnans uſui veteris *Iudaicæ* & *primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ*: ſed etiam inutile malo curando, quum ex *lectione* eruat ſibi quiſque *ſenſum* pro arbitratu, & *lectio* ex voluntate legentis inſtituta *explicationis* agat vicem, propter locorum ſimilium & diſſimilium *paralleliſmum*.

Pontificia vero *Eccleſia tria* nobis exhibet *remedia*. *Primum*, ut ad *Ec-*

cleſiam

Ecleſiam Catholicam certitudinis gratia confugiatur, pro qua tamen, quia ipſa tota convenire nequit, *repraſentativam* ſubſtituit, conſtantem ex *Pontifice Romano*, *Cardinalibus*, *Epiſcopis*, *reliquiſque Prælatis Romanæ* curiæ addictis & *Pontifici* ſubjectis: imo verò, quia credit omnes universè *Cardinales*, *Epiſcopos*, *Prælatos* in unum congregatos errare poſſe, ſolum verò *Pontificem* extra erroris aleam conſtituit, hunc adeundum dicit *peremtorij* de *Religione indicij* cauſa. At hoc *remedium* non vanum modo eſt, ſed & reliquo orbi Chriſtiano longè perſuadetur difficilius, quam ullus in tota *Religione* controverſus articulus: quumque hoc ipſum ex *Scripturis* adprobare nituntur *Pontificij*, eo ipſo declarant ad *Scripturas* confugiendum eſſe.

Secundum eſt, ſed ſi dicere liceat, dicis cauſa propoſitum, in *Patrum ſcriptis* & *conſenſu*. Verum præterquam quod omnes *Patres* non ſcripſerint, & qui ſcripſerunt, non omnes controverſias attigerint, quod *univerſalem* omnium *conſenſum* nobis aufert: etiam *inutile* eſt hoc *remedium*, quum certum ſit, ipſis fatentibus *Pontificijs*, ſingulos errare potuiſſe. Vnde concludimus conſenſum omnium, quum ſinguli ſeparati ſententiam ſuam ſcriptis enuntiaverint, extra periculum erroris non eſſe. *Præterea δυσπόριστον* eſt & ægre parabile, eò quod paucis, imò vix ulli hominum liceat per ſe de *conſenſu illo* cognoſcere, tum propter ingentia & innumera ſcriptorum volumina, tum quod de *ſenſu* ipſorum inter partes non minus, quam de *Scriptura*, exiguo libello contentæ, diſceptetur. In infinitum ſcilicet ablegamur, ut tandem ad *Pontificem* redire compellamur.

Tertium iſti *præcedaneo non abſimile eſt*, ut *decreta* antecedentium *conciliorum* conſulantur, quibus ſi conſtet controverſiam deciſam eſſe, id præjudicium definitivæ ſententiæ loco habendum, neque rem judicatam ſemel rurſus in judicium proferendam. Sed quid ſi bona cauſa male defenſa ſit, & victa non ſui vitio, ſed aſſertorum vel ſilentio propter metum, vel propter inſcitiam inepto patrocinio? Quid ſi oppugnatoris & propugnatoris partes egerit unus idemque *Spiritus erroris*. Sed rectè pronunciatum eſto; dico tamen *cauſam Religionis*, *quæ Dei eſt*, *in rem ab hominibus iudicatam non venire*.

Quartum addunt, cujus, propter efficaciam ipſius vehementiſſimam, nobis expertis non facile obrepet oblivio: fulcrum illud eſt antecedentibus firmandis, baſis totius compoſiti: ut quiſquis concilia & patrum ſcripta juxta *Romanum ſenſum* intellecta, quiſquis *Eccleſiam*, & præſertim ejus *ſponſum*, *ſummum illum Sacerdotem & Prophetam*, *Chriſti vicarium & Petri ſucceſſorem audire recuſat*, *anima eius ex populis ſuis eradicetur*, & qui autoritati cedere tam ſacroſanctæ noluerit, carnificis gladio ad conſenſum cogatur, aut *devitetur*, id eſt, vita privetur. Compendioſiſſima ſanè ratio tollendi *diſſidia* per contradicentium internecionem.

In hiſce *difficultatibus* poſiti nonnulli *alia remedia* commenti ſunt, quæ quia penes homines non ſunt, votis à Deo poſtulanda putant. *Vnum eſt*, *ut Deus aliquem ex mortuis ſuſcitatum ad homines mittat*, ex quo de *ſententijs diſſidentium* quid judicij ſitque

faciat

faciat liceat reſciſcere. At à Chriſto *Luc.16.* repudiatur dicente: *Habent Moſen & Prophetas, quos ſi non audierint, neque ſi quiſpiam ex mortuis reſurgat, credituri ſunt.* *Alterum eſt*, ut Deus *miraculo* interſtinguat cujus partis adprobet ſententiam: quod temporibus *Heliæ* factum videtur. Verum, quid ſi nulla ſecta ſit ab omni prorſus errore immunis; adprobabit ergo Deus falſitatem? Sed ſupervacuum eſt *Ioh.20.31.* hoc votum, quum *quæ Chriſtus dixit & fecit ſcripta ſint ut credamus in eum, & credentes vitam habeamus per nomen eius.* Quin & inefficax *remedium.* Nam etiam *Chriſti & Apoſtolorum* temporibus *diſſidia* fuere, & adverſus ipſos, quum tamen miraculis claruerint maxime. *2.Theſſ.2.9.* Addo quod *adventus Antichriſti futurus* prædicitur, *cum omni potentia, ſignis & prodigijs mendacibus.*

Supereſt aliud horrendum quidem *remedij genus*, ſed tamen à nonnemine uſurpatum; *diaboli* nempe in corporibus obſeſſorum per conjurationes & exorciſmos *adiuratio*, ut de veritate dogmatum controverſorum reſpondeat; quod & extremæ deſperationis indicium, & exſecranda *dæmonomania*. Sed veſana illa & mali nominis ominiſque *remedia* mitto; ad *ſancta*, vera, ſalutaria tranſeo; quæ in *præparantia* & ipſius *diſſidij aphæretica* diſtribuo.

Ad *præparantia* pertinent inprimis, *vota & ſupplicationes ad Deum*, pro veritatis notitia & pace Eccleſiæ impetranda, ex ſpeciali *Magiſtratuum* juſſu cum *ieiunijs, cinere & ſacco*, feriò, fidenter, aſſiduò faciendæ: quæ quia juxta mandatum Dei jubentis *orari pro pace Iſraelis*, & *promiſſum Chriſti, Spiritum veritatis* ſpondentis precantibus fiunt; inefficaces eſſe nequeunt. *Accedat vita ſeria correctio & ſecundum conſcientiam* inſtitutio, ſine qua preces irritæ ſunt, quia Deo ingratæ, eò quod *indignum ſe facit ſcientia argumento, qui quam habet, malè uſurpat*, juxta dictum Chriſti: *Habenti dabitur, non habenti etiam quod habet auferetur.* Talibus autem promittit Chriſtus *diſcretionis Spirituum*, inquiens: *Qui volet* *Ioan.7.* *facere voluntatem Patris mei, cognoſcet de doctrina, an ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.* Cæterum *cauſa*, quas ab *affectu* ortas *diſſidij* iſtius *procreatrices & conſervatrices* eſſe diximus, cum primis averruncentur. *Superbiam* domet *humilitas*; *avaricia* ſuccedat *animus ſorte ſua contentus*; *voluptatem carnis* extrudat *cæleſtium amor deliciarum*; *invidia* locum occupet *benevolentia*, *iram* frangat *longanimitas*; *ſciendi deſiderio* modum ponat *ſapiendi ſobrietas*, & *docta ignorantiæ ſtudium*: *odium & acerbitas* deponatur: contrà vero *viſcera miſerationum induantur* erga eos, qui à nobis *diſſident*, & in errore verſari videntur, aut etiam errorem proſeminare. Quod non difficulter ab animo noſtro impetrabimus, ſi *hæc quatuor* ſedulo expendamus. *Primum*: quanta ſit *veri* in omnibus *inveniendi & erroris cavendi difficultas*: in quam rem pulchrè *Auguſtinus*, peſſimos hæreticorum *Manichæos* compellans. *Illi, inquit, in vos ſæviant, qui neſciunt cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores: Illi in vos ſæviant, qui neſciunt quam rarum & arduum ſit carnalia phantaſmata præ mentis ſerenitate ſuperare: Illi in vos ſæviant, qui neſciunt quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis ut poſſit intueri ſolem ſuum*: Illi in vos ſæviant, *qui neſciunt quibus ſuſpicijs & gemitibus fiat, ut ex quantulacunque parte poſſit intelligi Deus; poſtremo illi in vos ſæviant, qui nullo*

nullo tali errore decepti ſunt, quali vos deceptos vident. Ego autem ſævire in vos omnino non poſſum, quos ſicut meipſum illo tempore, ita nunc debeo ſuſtinere, & tanta patientia vobiſcum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, quum in veſtro dogmate rabioſus & cæcus errarem. *Secundum*, longè eſſe veriſimilius *illos ignorantia labi*, quam *ex malitia* ſibi & alijs æternum exitium moliri. *Tertium*, fieri poſſe, ut ſint *ex electorum numero*, quos cadere quidem permiſerit Deus, ſed hoc conſilio, ut majore erigat cum gloria: adverſus illos vero, qui ad poſſidendam *cælorum hæreditatem* deſtinati ſunt, in *fratres noſtros*, in *Chriſti membra*, *Dei* non modo *ſervos* ſed & *filios* quomodo quidpiam ſtatuemus inclementius? *Poſtremum*, *ut adverſarij perſonam* nobis *induamus* ipſi; & *illi viciſſim noſtram*, quum tam fieri poſſit ut *nos*, quam ut *illi* in errore verſetur; & cogitemus forte illum ipſum, quem errare & quidem perniciosè arbitramur, à Deo nobis datum eſſe, ex cujus ore veritatem, hactenus nobis incognitam, diſcamus. *Adjungatur* hiſce cogitationibus *conſideratio articulorum omnium, ſuper quibus utrinque eſt conſenſio*: forſitan illi tam multi & tanti comperientur ponderis, ut qui controvertuntur ad illos comparati numero pauci & exigui momenti ſint futuri, Qua ratione quidam in *Gallia* magni nominis princeps uſus fertur, quum *Cardinalis Lotharingus* committere *Auguſtanæ confeſſionis ſocios* cum *proteſtantibus* in *Gallia* moliretur, ut *colloquium Poſſiacenum*, inter *hos* & *Pontificios* inſtitutum, interturbaret. Quia vero ſolenne eſt ineundis poſt longa & gravia bella pacificationibus præmitti *inducias*, per quas, ſopito omni hoſtili conamine, quieta de concordiæ ratione ſuſcipi poſſit cogitatio; idipſum & hic uſurpari velim, ut utrinque ab *amarulentis ſcriptionibus, invectivis concionibus, anathematiſmis & devotionibus abſtineatur*; illarum vero vice *ſcriptiones* uſurpentur *moderatæ*, quibus materiæ controverſæ citra perſonarum reſpectum & clarè *explicentur*, & fortibus *comprobentur* argumentis; conciones habeantur ad *veritatis, caritatis, miſericordiæ, longanimitatis, concordiæ* affectum & ſtudium accommodatæ, quibus Principum & Populorum animi deſiderio pacificandi incenſi, *remedium* illud, quod tollendis *diſſidijs* eſt opportuniſſimum, uſurpare velint.

Remedium hoc eſt, partium inter ſe diſſidentium conventus ordinatus & liber, quem Synodum Græci, Latini Concilium appellant, in quo placidè, accuratè & in timore Domini, collatis ſententijs, & expenſis rationibus, quid verbum Dei de controverſijs pronunciet, diſpiciatur, conſultetur, ſtatuatur, & poſtea *Eccleſiis* communi conſenſu exponatur.

Hunc *ſummi Magiſtratus Chriſtianam Religionem profeſſi indicent* & convocabunt, ex officio *αὐτοκρατορικῷ* ipſis divinitus mandato, & more in *Iſraelitica* olim & poſt in *Eccleſia Chriſtiana* uſurpato, & ad nongenteſimum circiter à nato Chriſto annum continuato; uſque dum *Pontifex Romanus* illam ſibi autoritatem per tyrannidem cæpit arrogare. Sic enim poſtulat *utilitas publica quæ nulli commendatur curanda tutius, quam cuius privata non agitur.*

Convocabuntur autem & admittentur ad *Synodum iſtam* viri *ſapientia, vitæ ſanctitate, experientia rerum inſtructi, zelo Dei & ſalutis hominum, amore veritatis & pacis flagrantes*, omneſque adeo

adeo qui *Spiritum Chriſti*, *diſcretione veri & falſi, boni & mali* habere aliqua probabili ratione agnoſcuntur, quique ſua *de Scriptura* ſiſtere pollicentur: non modo *Eccleſiaſtici*, ſed & *Laici*, ſive officij aliqua dignitate præcellant, ſive privati: non tantum unius aut aliquarum, ſed omnium *partium diſsidentium legati*, ſive illi defenſores dogmatum pugnantium fuerint; ſive nec voce nec ſcripto publicè ſententiam explicuerint. Omnino verò veſtibulo ædium, in quibus ſacer ille conventus habebitur, aureis literis Platonico ritu inſcribendum erit: *Nemo niſi veritatis & pacis ſtudioſus intrato. Vtinam vero Deus ipſe Angelum ſuum cum rhomphæa flammante & ancipiti ad ingreſſum iſtius Paradiſi, ubi de divina veritate & amabili Eccleſiæ concordia agetur, collocet*, qui, ſecus animatos abarceat, Pythagoreum illud & Orphei voce intonans horriſona: *procul eſte profani*.

Circumſtantia quoque *loci* non eſt negligenda. Iſte ſit *ad conveniendum accommodatus*, ne difficultas profectionis aut itineris longinquitas quemquam impediat; ſit *immunis à periculo, violentia & inſidijs*, ſit tuto ad eum venire, in eo verſari, & ad ſuos redire poſſint convocati: qua fini neceſſe erit, ut omnibus *publica* detur *fides* & ſanctè ſervetur.

Tractabitur in iſto *concilio*, non de Principum jure & præeminentijs, non de Epiſcoporum opibus, potentia, privilegijs, non de bello Turcis inferendo, aut alijs rebus Politicis, ſed de rebus tantum ad *Religionem* pertinentibus: quales ſunt tum *dogmata fidei & morum*, tum *ordo Eccleſiaſticus*. In *dogmatis* duo conſiderabuntur, quæ illorum *veritas* & *quanta ſciendi, credendi, faciendi neceſsitas*: quæ maximum habent momentum. *De ordine Eccleſiaſtico*, quia bona ejus pars poſitiva eſt, perſonis, locis, temporibus, accommodanda, facile tranſigetur.

Finis conventus iſtius erit *veritatis illuſtratio, conſervatio, propagatio*; *errorum exſtirpatio, Eccleſiæ concordia*, unde exiſtit *gloria Dei & ſalus hominum ſempiterna*.

Præſidatus illius conſeſſus illi ſoli competit, qui *caput* eſt & *ſponſus Eccleſiæ*, *Chriſto* per Spiritum ſanctum ipſius; qui & ſpopondit ſe interfuturum cætui vel duorum & trium in ipſis nomine congregatorum: cujus etiam auxilium ſub initium & finem cujuſque congreſſus implorabitur. At vero ordinis & moderaminis gratia, ut vitetur confuſio, ſuccenturiatis præſidibus opus eſt, quos vel ipſi *Magiſtratus* agent, (à quibus utinam id impetrari poſſet?) vel ab ipſis delegati, vel à toto *Synodo* delecti; quorum munus erit convocare cætum, agenda proponere, ſententias rogare, Notarijs adhibitis colligere, & totam actionem gubernare. *Actiones* in iſta *Synodo* peragendæ, ſunt; accurata de controverſijs *diſceptatio*; matura *conſultatio* & libera *ſententiæ dictio*: quarum omnium norma eſt ipſum *verbum Dei*, *Veteris & Novi Teſtamenti* libris conſignatum; quod priſca *concilia* ſignificarunt, quum codicem *Euangeliorum* in primo, & honoratiore ſedili collocarent. De hoc quidem ante inter *diſsidentes* convenire debet. *Diſceptatio* fiet non per *Rhetoricationes* ſed per *Dialecticas* & conciſas *argumentationes*, omniſque *extemporalitas* & *præcipitantia* cavebitur; cuique partium æquum temporis ſpatium juſtæ meditationi neceſſarium

ceſſarium concedetur; *ſcripto* etiam, ut multa incommoda vitentur & abſurda, quæ viſum eſt proferre, compræhendentur, & ex eo recitabuntur. *Diſputationem* abrumpere fas ſit nemini, niſi totius Conſeſſus judicio conſtet cauſæ ſatisfactum eſſe. *Finita diſputatione* gravis & matura adhibebitur *deliberatio* tum de ipſis *controverſijs*, tum de *argumentis* utrinque abhibitis, ut *diſſenſionis* confinio *ſtrictè* conſtituto, & *diſceptationum* amplitudine in *arctum* contracta, id de quo pronunciandum eſt, unico quaſi intuitu diſtinctè videri poſſit. Huic ſuccedet *libera ſententiæ dictio*, quæ ad omnes convocatos cujuſque partis æquè pertinebit, non excluſis ab illa, qui *Synodi* conſenſu admiſſi fuerint, ex ijs, qui ſponte ſua non vocati acceſſerunt.

Et quia huc uſque nihil *indagationi veritatis*, & *ineundo conſenſui* obſtitit magis, quam quod convocati ſententijs receptis adſtricti domo afferrent, quod in *Synodo* pronunciarent: neceſſe eſt ut omnes congregati ante omnem actionem *ſanctum juramentum* præſtent, de non *prævaricando* aut *calumniando*, quo polliceantur, ſe omnia in timore Domini ex bona conſcientia (qua quod falſum putant non aſſeverent, nec quod verum, taceant, quamquam adverſum ſibi & ſuæ parti; nec dubia ſibi, pro certis urgeant) juxta præſcriptum verbi divini, ſine ullo adfectu aut perſonarum reſpectu, ad *ſolius veritatis* in illo cœtu inquirendæ, & *concordiæ Chriſtianæ* promotionem acturos, & ſententiæ *Synodi* in omnibus, de quibus ex verbo Dei, convicti fuerint, acquieturos. Qua de cauſa omnibus alijs *juramentis*, huic directè vel indirectè contrarijs, per quæ aut *Eccleſiis* & earum *confeſſionibus*, aut *ſcholis & præceptoribus*, aut *principibus* denique obſtricti ſunt, ſalvo illorum in ſubditos jure, abſolvantur. Sic verè *libera Synodus* erit, *veritatis* inveſtigationi & *concordiæ* conſtitutioni convenientiſſima. Cui ſententiæ accedit *Auguſtinus* ſic porrò ad Manichæos, loco ante citato, ſermocinans: *ut autem facilius miteſcatis, o Manichæi, & non inimico animo vobiſque pernicioſo mihi adverſemini, quovis judice me impetrare à vobis oportet, ut ex utraque parte omnis arrogantia deponatur, Nemo noſtrum dicat, jam ſe inveniſſe veritatem: ſic eam quaramus quaſi ab utriſque neſciatur. Ita enim diligenter & concorditer quæri poterit, ſi nulla temeraria præſumtione inventa & cognita eſſe credatur.*

Ex *Synodo* ſic adminiſtrata fructum uberrimum Dei promiſſione fretis exſpectare licebit. Neque enim exiſtimandum eſt, adeo neglectum iri à *Chriſto Eccleſiam* ſuam, quamquam multis noſtris injurijs & offenſionibus ad iram provocato; ut fidos ſuos ſervos, diſcipulos dociles, *veritatem* & *pacem* in ſimplicitate cordis quærentes & Spiritus ſancti gratiam implorantes, labi patiatur in errores cum *fundamento* pugnantes, & in ijs perſeverare: unde *conſenſus* aut in omnibus aut ſaltem in pleriſque, & ijs *præcipuis dogmatis*, quæ clara habent in *Scripturis* teſtimonia, impetrabilis.

Si verò contingat in nonnullis *articulis conſenſum* non conſtitui, tum duo mihi facienda videntur. Diſpiciendum primo, an non poſſit inter partes eſſe fraterna in Chriſto *concordia*, & una alteri pro conſorte fidei & ſalutis agnoſcere, etiamſi diverſum de iſtis ſentiatur. Si quæ pars *fraternitatis* dexteram

M

dexteram alteri porrigere abnuat, illa omnium *conſenſu* jubeatur, ex *Scripturis manifeſtis* probare tantum poſitum eſſe in *controverſis articulis* momentum, ut *unum in Chriſto* eſſe non poſſint de ijs *diſſentientes*. Et ſi tentatis omnibus non poſſit iniri *fraternitas*, eo rerum ſtatu hoc ſecundum obtineat, quod nullius poteſt ullo prætextu recuſare conſcientia. Amicitiæ porrigantur dexteræ, & ſolennis ineatur ſponſio, qua omnes ſe velut juratis verbis obſtringant, *abſtenturos* in poſterum ab omni *acerbitate, maledicentia, inſectatione*; populis ſibi creditis *veritatem*, quam *neceſſariam* putant, *placidè* adnunciaturos, *falſitates* quas *noxias* arbitrantur *ſaluti* & *in gloriam Dei iniurias*, cum zelo quidem ſed *ſcientiâ directo* & *manſuetudine temperato* confutaturos: ſecus qui faxit, huic *Deum & Chriſtum iratum* pariter inprecantor, huic *Magiſtratus caſtigationem* minitantor & inferunto.

Quæ vero *communi* erunt ſtatuta *conſenſu*, illa per vim obtrudendi non ſumet auctoritatem ſibi *Synodus*: ſemper enim cogitare debet ſe, quum omnia ex conſcientia feciſſe videtur, tamen judicio labi potuiſſe: quæ ſanè æquanimitas plus poterit in conſcientias tum *diſſidentium* tum totius fidelium populi, quam *rigor* immoderatus: quum *fides ſuadenda ſit & non imperanda*, juxta *Lactantium*: *nihilque minus ſit Religionis quam Religionem cogere*, ut inquit *Tertullianus*. Aut enim deſiſtent illi moleſtiam faceſſere *Eccleſia* crebra & importuna ſuarum ſententiarum inculcatione, quas tanto tam æquo & moderato cætui perſuadere non potuerunt: aut horum omnium juſtæ indignationi expoſiti, vix invenient, qui aures tam *præfractis Doctoribus* commodare volet. Secus ſi fiat, cogitandum, nulla eſſe remedia cunctis malis apta tollendis; ijs utendum quæ minus habent periculi, & illud *Chriſti Salvatoris, num & vos vultis abire?* mente recolendum, uſurpandum, inque eo quieſcendum. *Ioan. 6.*

Hæc habui, Clariſſimi & Humaniſſimi Auditores, quæ de *diſsidio Religionis componendo* in præſentiarum dicerem, non pro rei dignitate & amplitudine, ſed quantum ingenij & temporis permiſit anguſtia.

Vtinam Deus veritatis & pacis, Magiſtratuum, Populorum, Eccleſiæ Antiſtitum cordibus veritatis & pacis flagrans deſiderium inſpiret; Exſecrabilem diſſidij de Religione fœditatem oculis illorum nudè videndam exhibeat, malorum, quæ effuſim ex illa profluunt, ſerio ſenſu afficiat: ut omnia ſua vota, conſilia, ſtudia eo conſervant, quo, cauſis tanti mali averruncatis, manſueta & placida, qualia ſola ægerrimum Eccleſia corpus & natura mali admittunt, componendo diſſidio parentur & uſurpentur remedia. Deus pacis qui ſolos pacificos amplo filiorum nomine dignatur, ad pacem nos vocavit. Chriſtus, princeps pacis, qui pretioſo ſuo ſanguine pacem comparavit, fraterno affectu illam nobis commendavit. Spiritus ſanctus, vinculum pacis, qui nos omnes arctiſsimo fœdere in unum corpus adunavit, eandem nobis obſignavit.

Pudeat tam ſplendidum nomen noſtris contentionibus contaminari; ſectemur ad quod vocat Deus: ne patiamur tam grande pretium in diſsidijs noſtris dilapidari; amplectamur quod commendat Dominus Chriſtus; ne feramus tam ſanctam fœdus factionibus noſtris eximaniri; ſervemus illæſum quod obſignat Spiritus. Fabius Romanorum Legatus dicebat Carthaginenſibus ſe pacem bellumque ſinu

ſinu ſuo geſtare, optarent quod mallent. Ego auſim vocem quanquam fidentiæ plenam, non noſtris viribus, ſed Dei bonitate, Chriſti promiſſis & Spiritus ſancti teſtificationibus fretus, imitari & dicere, *velimus modò pacem, & confectam reddet Dominus. Sic fiet ut cum lætitia audiamus voces fratrum ſe invicem adhortantum: Eamus in domum Domini, ut voluntatem ſuam explicet nobis, ut pedes noſtri cum tripudio ſtent in portis Hieroſolymorum, ut cum voluptate contemplemur Eccleſiam Chriſti tanquam civitatem quæ conjuncta eſt ſibi pariter, & adſcendentes eo tribus, tribus Dei, teſtimonium Iſraeli ad celebrandum nomen Domini: ut cum gratulatione admiremur ſedes iſtic poſitas ad iudicium, ſedes domus David, ſedes virorum veracium & pacificorum Principum Davidem imitantium, Magiſtratuum ſe ad cor Dei componentium: ſic fiet ut hilari alloquio alij aliorum auribus blandum inſonemus, poſtulate pacem Eccleſiæ Catholicæ, & communi voto benè precemur diligentibus illam: ut unanimi voce ex intimis animorum præcordijs votiva hæc ſuffragia & promiſſa illi conſacremus. Sit pax in antemurali tuo, proſperitas in palatijs tuis: propter fratres noſtros & proximos noſtros pacem loquemur de te; propter Domum Iehovæ Dei noſtri quæremus bonum tibi. Sic denique fiet ut delibuti gaudijs ſpiritualibus cum iubilo canticum illud iucundiſſimum concinamus: Ecce quam bonum eſt & quam amœnum fratres habitare etiam una: & ex intimis ordinati & pacifici fidelium in domo Dei inceſſus pleni ſpe conſummandæ in cœlo pacificationis concludamus in illo Apoſtoli:*

Quicunque ſecundum hanc regulam incedent, pax ſuper illos & miſericordia; miſericordia & pax ſuper Iſraelem Dei. DIXI.

Ad Nobiles & Præpotentes

D.D. ORDINES HOLLANDIAE ET WESTFRISIAE.

Supremos meos Dominos.

Nobiles, Præpotentes, Sapientes & Prudentes cumprimis Domini.

QVum poſt *collationem* inter D. *Gomarum &* me, *Celſitudinum veſtrarum* mandato hic *Hagæ Comitis* indictâ, & præſidentibus D. D. *Conſiliarijs ſupremæ Curiæ*, in præſentia quatuor *Miniſtrorum*, celebratam; poſtquam de ea ad *Celſitudin. Veſtras* referretur; hacque in relatione de *controverſia noſtra* inter nos *momento*, mentione ſimul aliqua injecta, mox deinde *Nobiliſſ. Celſitud.* veſtris conſultum viſum fuiſſet, utrumque noſtrum, unaque quatuor illos *miniſtros* coram ad ſe in *Comitia* ſua evocare, nobiſque hoc modo omnibus ſignificare, quod expedire pro eo tempore judicaretis: accidit, ut D. *Gomarus* confirmaret, noſtram inter nos *controverſiam permagni* illam eſſe *momenti*, quippe qui auſus non eſſet cum tali,

 qualem

qualem ego profiterer, ſententia comparere coram conſpectu Dei; quinimo, niſi mature huic rei obviam iretur, futurum hinc, uti *provinciæ, eccleſiæ, civitates*, ipſique adeo *cives*, inter ſe committerentur, inque ſe mutuo inſurgerent: ad quæ omnia ego quidem pro eo tempore nihil reſpondebam aliud, niſi quod tam *erroris in religione* ſententiæ planè mihi conſcius non eſſem: confidere autem me, quod nunquam ullam in *Eccleſia Dei* aut *communi Patria* noſtra ſive cauſam ſive occaſionem *ſchiſmati* & *diſceſſioni* præbiturus eſſem, cujus in rei fidem etiam hoc addebam, paratum me apertè atque bona fide dicere, quidnam de tota *Religione* ſentiam, quidque circa eam meditatus ſim, idque quum primum illud mihi coram hoc *conſeſſu* mandaretur, etiam antequam pedem ex hoc loco moverem. Atque ad hanc quidem præſentationem & oblationem meam conſultum judicarunt *Celſitudines veſtra*, uti ad ſe evocarer, quod obtuliſſem, in hoc id nunc *conſeſſu* præſtiturus. Cujus proinde nunc etiam rei gratia in hoc loco compareo, quidquid eſt hujus rei, bona id fide exſoluturus. Verumenimvero quum ſiniſter de me rumor, tam apud noſtros, quam etiam apud exteros, jam longum ſic ſatis per tempus ſparſus fuerit, atque ſi, licet ſæpius ad hoc requiſitus, quidnam in negotio *religionis* ſentirem, circaque eam meditatus eſſem; hactenus profiteri ſemper detrectaviſſem, unde multum admodum maliorum ſit; etiam atq; etiam vos rogo mihi uti bona veſtra cum venia liceat, quidnam hujus rei ſit, ingenuè proloqui, idq; etiam antequã ulterius hinc ad alia progrediar.

Anno 1605. trigeſimo die *Iunij* veniebant ad me *Leidam* tres *Deputati* Synodi *Auſtralis Hollandiæ, Franciſcus* videlicet *Lansbergius*, *Libertus Fraxinus*, & piæ memoriæ *Daniel Dolegius*, miniſtri ſuæ quiſque *Eccleſiæ*, *Roterodamenſis, Hagienſis* & *Delphenſis*: præſentibuſque duobus Synodi *Hollandiæ Borealis* miniſtris, *Ioanne* ſcilicet *Bogardo* Eccleſiæ *Harlemenſis*, & *Iacobo Rolandi* Eccleſiæ *Amſterodamenſis* miniſtris, in Claſſibus quibuſdam reſciviſſe ſe dicebant, quod in examinibus, quibus ad Eccleſiæ poſtmodum miniſterium admittendi explorantur, *ſtudioſi Academiæ Leidenſis* ad quædam eorum, quæ ipſis objicerentur, reſponſiones novas atque *receptæ* in Eccleſijs *doctrinæ* contrarias darent; quas tamen confirmarent, à *mea diſciplina* habere ſe: quæ quum ita ſe haberent, rogabant me, uti *amicam* cum ipſis *collationem* ingrederer, unde conſtare poſſit quid ejus rei ſit, beneque poſtea in rem Eccleſiæ à ſe conſuli. Ad hęc reſpondebam, minime mihi probari hunc agendi modum; neceſſe enim fore, ut multoties & nunquam non in collationem mecum veniatur, ſi id facto opus foret, quotieſcunque *ſtudioſus* eſſet, qui *nova* aliqua *reſponſione* uteretur, quam ſe ex me didiciſſe prætenderet: videri proinde mihi conſultius, ut quotieſcunque ſtudioſus ullus in examine ſuo reſponſione aliqua uteretur, quam ex me didiciſſe ſe confirmaret, ſiquidem fratres eam *Confeſſioni* & *Catechiſmo* Eccleſiarum *Belgicarum* contravenire iudicarent, ſtudioſum illum illico mecum committerent, paratum me hujus rei gratia, ac quidem meis ipſius ſumptibus, venire quo-

Narratio collationis mihi oblatæ, ſed à me repudiatæ

quocunque loci fratribus collibitum eſſet: atque hoc modo plane futurum, ut, ſi ea ratio ſemel atque iterum ineatur, de *calumnia* aut *veritate* planè atque evidenter conſtet.

Sed D. *Lansbergio* reliquorum nomine *collationem* urgente; amplius reſpondebam, non videre me, quomodo *collationem* cum ipſis ingredi poſſem: idque quoniam titulo *deputatorum* comparerent, qui rerum à ſe geſtarum rationem reddituri eſſent aliquando *Synodo*; ut proinde integrum mihi non eſſet id facere, niſi eodem modo conſcijs atque conſentientibus, imo vero etiam id mihi mandantibus illis, quibus pariter & ego ſubeſſem. Præterquam, quod cum periculo non levi meo coniunctum eſſet, ſi quidem de eventu *collationis* ad *Synodum* aliquando quidpiam referrent, id penitus ipſorum me fidei permittere. Quinimo nullam etiam ipſos habere cauſam, cur hujuſcemodi quippiam à me poſtularent, quippe qui mihi conſcius non eſſem ullius doctrinæ, ſive *Leidæ*, ſive *Amſterodami*, à me propoſitæ, quæ *verbo Dei*, *Confeſſioni*, aut *Catechiſmo Eccleſiarum* in *Belgio* contraria eſſet: nunquam à quoquam adhuc quippiam tale mihi objectũ; confidere vero etiam, non facile tale quippiam mihi objectum iri, ubi, ſi quis hujuſcemodi quid objiciet, id ſimul, qui objecerit probare tenebitur, aut probatione deficiente, culpam fateri. Nihilo tamen minus, ſi titulum *deputatorum* à ſe velint deponere, atque ſuo quiſque privato nomine *collationem* mecum ingredi; paratum me hoc ipſo illico inſtante id facere; ſed hac id tamen lege, ut de unoquoque *articulo* ſuam ipſi *ſententiam* & ego meam exponerem, ſuas ipſi *probationes* & ego meas adferrem, meam *ſententiam* meaſque *rationes ipſi*, *ego* viciſſim *ſententias* atque *rationes* ipſorum refutarem: hoc modo ſi alter alteri ſatisfaceremus, bene ſe omnia habitura; ſin minus, ne qua relatio ullibi de eo fieret, ſed tota res in *Synodum nationalem* differretur. Hoc vero cum abnuerent planè, ita alter ab altero diſceſſiſſemus, niſi ego eos rogaviſſem, eodem uti modo *collationem* D. *Gomaro* & *Trelcatio* piæ memoriæ obferrent; quippe qui mihi videbatur, non magis hujus ipſis poſtulati cauſam dediſſe, quam alteruter eorum; cujus mei dicti ſimul etiam rationes adjiciebam, quas longius eſſet recenſere in præſentiarum. Ad hæc vero ipſi reſpondebant, id ſe ita facturos; ac quidem etiam antequam *Leida* diſcederent, ita ſe id feciſſe mihi confirmabant. Atque hoc primum omnium eſt, quod à me poſtulatum fuit: de quo etiam poſtulato multus admodũ ſermo fuit, multis id in ore habentibus, quibuſdam vero id non plene ſatis, atque ut tota res acta erat, narrantibus; *præſentationem* ſcilicet viciſſim meam & cauſas illius ſilentio involventibus. Non multis poſt diebus, die videlicet *vigeſimo octavo Iulij* ejuſdem anni 1605. ſimile quippiam etiam nomine *ſynedrij Eccleſiæ Leidenſis* à me poſtulatum fuit; atque ita quidem, ut ſi poſtulatum iſtud probarem, de eodem etiam alij appellarentur; ſin minus, nihil hac in re tentaretur amplius. Sed cum conſuli *Bronkhovio* & D. *Merula* piæ memoriæ, (qui ſeniores cum eſſent illius Eccleſiæ, ejuſdem etiam nomine ad me venerant) ſignificaviſſem plane non videre me, quomodo poſtulatum iſtud probare

Præſentatio viciſſim collationis à me facta ſed repudiata.

poſſem, idque additis ejuſcemodi rationibus, quæ penitus ipſis ſatisfacerent, nihil porro hac quidem etiam in re ab illis tentatum fuit.

Poſtulatum deputatorum Suythollandicæ Synodi apud D. D. Curatores Academiæ & reſponſum ad illud.

Die nono Novembris ejuſdem anni exhibuerunt *deputati Synodi Hollandiæ Auſtralis, Franciſc. Lansbergius, Feſtus Hommius* atque *Socij eorum*, D.D. *Curatoribus Academiæ Leidenſis* novem quæſtiones, addita petitione uti *Profeſſores Theologiæ* ad eaſdem reſpondere iuberentur: ſed D. D. *Curatores* reſpondebant, nequaquam probare ſe uti *Profeſſoribus Theologiæ* quęſtiones ullæ proponerentur; ſi quis eſſet qui arbitraretur doceri quippiam in *Academia* contra quam fas eſſet, id ad *Synodum nationalem* (quam primo quoque tempore ſpes erat celebratum iri) referri, deque eo in ea cognoſci & agi poſſe. Hac accepta reſponſione, id amplius contendebant *deputati ſynodi*, uti bona ipſorum cum venia *Profeſſoribus Theologiæ* eas tamen proponere poſſent, cognituri quid quiſque eorum ultro & ſponte ad eas reſponſuri eſſent; ſed neque hoc ſibi uti liceret, impetrare ab ipſis potuerunt. atque hęc quidem ſic clam me acta ſunt: quippe qui etiam ejus, quod *deputati* in urbem veniſſent, plane ignarus eram, ut non multo poſt tamen id reſciverim.

Interea temporis toto labente anno rurſus appellatus non ſum, hujus quidem rei gratia, niſi quod anno 1607. paulo ante quam *Synodus Suythollandica Delphis* celebrabatur, ad me venirent *Ioannes Bernardi miniſter Delphenſis, Feſtus Hommius Leidenſis, & Dibbetius Dordracenæ Eccleſiæ miniſter, deputati Synodi Suydthollandicæ*, cognituri ex me, quidnam in refutatione *Anabaptiſtarum* præſtitiſſem. Ad id cum reſpondiſſem aliquid, de quo ultro citroque multus inter nos ſermo oriebatur, proximi jam ut diſcederent, rogabant me, ut quæ meditata apud me haberem in negotio *Religionis*, ea profiteri apud ipſos ne gravarer, idque hoc fine uti ea ad *Synodum* referrent, ſicque Fratribus hac in re fatisfacerent. Sed ego id facere abnuebam, quod neque commode neque cum fructu, id alibi rectius, quam in *Synodo nationali* fieri poſſet; quam ſperabamus de ſententia *Nobiliſſ. & Potentiſſ.* D. D. *Ordinum*, primo quoque tempore celebrandam. Daturum me operam, uti ibi loci quidquid ſentio, aperte profiterer, nihilque diſſimularem cujus ergo conqueri poſſent: quibus addebam & illud, ſi quid apud eos profiterer, *relationem* ejus ipſorum me fidei permittere non poſſe, idque quod in id genus negotijs quiſque ſui ſit optimus ipſius interpres. Hoc modo alter ab altero diſceſſimus.

Poſtulatum idem apud me privatim, & reſponſum meum ad illud.

Præter hæc omnia privatim etiam à quibuſdam miniſtris rogatus ſum, uti ne gravarer quę meditatus eſſem, collegio fratrum in *Synodo* communicare; ab aliquibus etiam, uti ipſiſmet meditationes meas aperirē, quas in timore Domini ſecum ipſi expenderent; data inſuper fide, nihil ſe horum divulgaturos. Horum primis quidem communiter reſpondi, nullam ipſos habere cauſam, cur id à me magis quam ab alijs afflagitent. Vni verò, qui non è poſtremis erat, collationem tribus diverſis vicibus obtuli, de omnibus *Religionis noſtræ* capitibus; idque ut expenderemus, quibuſnam tandem modis omnium ſolidiſſime *veritas* adſtrui & *falſitas* refutari poſſit; cui *collationi* præſentes

eſſe

eſſe poſſent præcipui quidam è patria noſtra viri. Sed hanc ille conditionem non accepit: ceteris autem aliter atque aliter reſpondi, *quibuſdam* quidem plane quod me rogarent, abnuens, *quibuſdam* vero aliquid aperiens, prout magis minuſve noti mihi eſſent. Interea hoc mihi aliquando contigit, ut non multo poſt, ex quo quid cuipiam aperuiſſem, ad alios mox id deferretur, ut ut apud me coram, quum id profiterer, vero id conſentaneum eſſe iudicatum eſſet, data etiam inſuper fide, id à ſe minime divulgatum iri.

Quidnam eodem parturiens in conventu præparatorio acciderit.

His neceſſe eſt adjiciam & illud, quod intra atque etiam extra regionis noſtræ fines per litteras ſparſum eſt; videlicet quod quum in *Conventu præparatorio*, ex evocatione *Nobiliſſ. & Potentiſſ.* D. D. *Ordinum Generalium Haga Comitis* menſe *Iunio* anni 1607. à collegio fratrum, qui ibi præſentes erant, celebrato; amice rogatus eſſem, uti ne gravarer quæ meditatus eſſem in negotio *Chriſtiana* fidei, ea collegio iſti aperire; addita ſponſione, daturos ſe operam, uti mihi ſatisfieret, quantum maxime fieri poſſet; quod tamen, inquam, id detrectaviſſem. Quum vero experiar, quod hæc res hoc modo narrata, magnam mihi apud quamplurimos invidiam creaverit, qui putent majorem huic *conventui* à me honorem deferri debuiſſe, quippe qui ex omnibus ſimul *provinciis* coierat: eam mihi neceſſitatem incumbere video, ut quonam modo hęc res acta ſit, paulo altius repetam.

Priuſquam *Leida Hagam Comitis* ad *conventum* illum, cujus modo mentio facta eſt, me conferrem, *quinque articuli* ad manus meas pervenerunt, qui dicebantur ad alias aliquot *provincias* miſſi eſſe, etiamque à quibuſdam *Miniſtris* & *Eccleſiaſticis conventibus* lecti, proque ijs habiti, atque ſi *meam* de *articulis religionis*, ibidem declaratis, *ſententiam* complectерentur. Erant autem hi *articuli* de *Prædeſtinatione*, *de Lapſu Adami*, de *Libero arbitrio*, *de Peccato originis*, *& de ſalute æterna infantium*. Quos *articulos* cum perlegiſſem, ex ſtylo plane mihi videbar videre quis eorum *auctor* eſſet. quem etiam proinde (erat enim *unus noſtrum* qui illuc conveneramus) de hac re compellabam, eadem opera libere ei ſignificans, habere me cauſas, cur eos *articulos* ab illo profectos eſſe crederem, quod ille non obſcure annuens reſpondebat, eos non ita miſſos atque ſi mei eſſent articuli, ſed de quibus *Leida* inter *Studioſos* diſputaretur. Ad quæ ego regerebam, ejus probe illum eſſe cōnſcium, quum quid hoc modo vel ſpargitur ſolum, fieri non poſſe quin innocentiæ meæ illico grave præjudicium creetur, mihique hi *articuli* mox imponantur: cum, quod ibi coram profitebar; neque à me profecti eſſent, neque cum *mea ſententia* concordarent, neque vero etiam, ut quidem ego iudico, cum *verbo Dei*.

Hæc cum hoc modo inter me & illum, duobus ſolum præterea præſentibus, agerentur, conſultum duxi, ut in ipſo *conventu*, cui quidam intererant, qui eoſdem perlegiſſent, proque meis eos, (quod quidam eorum confirmaverant) habuiſſent, ut, inquam, in ipſo *conventu* hujus rei mentionem aliquam facerem: quod etiam feci, videlicet quum jam in proximo eramus ut *conventum* dirimeremus, jamque acta ſubnotata eſſent, & datum quibuſdam in mandatis,

datis, uti quæ acta eſſent, ad *Potentiſſimos* D.D *Ordines Generales* referrent: rogabam ſcilicet fratres, uti ne gravarentur manere paululum, habere me aliquid, de quo cum ipſis agerem. quod ipſis annuentibus, dicebam *quinque articulos;* quos in manibus habebam, & quorum tenorem breviter ipſis prælegebam, ad manus meas perveniſſe, eoſque comperiſſe me ab aliquo hujus conventus in *diverſas provincias* miſſos, in *Zelandiam* quidem & *Diœceſin Vltraiectinam*, (quod quidem certus eram) atque à quibuſdam *miniſtris* etiam in conventibus ipſorum eos lectos, proque ijs habitos, qui *meam ſententiam* complecterentur; verum enimvero bona conſcientia tanquam in præſentia Dei coram toto hoc conventu profiteri me, quod iſti *articuli* mei non ſint, neque *meam ſententiam* complecterentur. idque bis repetebam, rogando inſuper fratres, ne tam cito rumoribus, qui de me iacerentur, fidem adhiberent, aut quod de me cum præjudicio meo ſpargeretur, tamquam à me profectum, tam facile admitterent.

Ad hæc *unus è conventu* reſpondebat, recta itaque me facturum, ſi fratribus ſignificarem, quidnam in iſtis *articulis* probarem aut probarem minus, ut ſic meæ quadantenus ſententiæ conſcij eſſe poſſent; in quæ ipſius verba etiam è reliquis aliquis ibat. Sed ego rurſus regerebam; hunc *conventum* hoc fini indictum non eſſe, quodque ſatis jam diu una fuiſſemus; quinimo *Dom. Ordines* jam reſponſum expectare: atque hoc modo alter ab altero diſceſſimus. nemine ſermone illum proſequente ulterius, aut ijs qui una convenerant ſimul omnibus in eam petitionem conſentientibus, & ſuaſione aliqua quia id ita æquũ eſſe iudicarent, apud me utentibus. Quinimo aderant ibi quidam, qui poſtmodum quantum intelligo, dixerint ſe in mandatis habuiſſe, ne quam circa *doctrinam collationem* ingrederentur, & ſi qua forte incidiſſet, futurum fuiſſe uti quamprimum *conventum* deſeruiſſent; ut proinde multum abſit, quaſi à *tota congregatione* ad id, quod ante dictum eſt, ſollicitatus fuerim.

Rationes cur collationem abnuerim.

Hæc vera eſt, *Nobiliſſ. & Potentiſſ. Ordines*, eorum, ad quæ me fratres ſollicitaverunt, ſimulque recuſationis meæ narratio: vnde liquido, meo judicio, conſtare cuivis poteſt, ſi ad *petitionem* eorum *modumque* illius, ſimul verò etiam ad *recuſationem* meam & *rationem* illius, tum vero maximè ad *præſentationem* quoque meam attendatur, nullam eſſe cauſam cur hujus quidem rei ergo ego accuſer. *Petitio* quidem eorum, qua *declarationem* à me meam in *cauſis fidei* petebant, nullis ut quidem ego judico, nitebatur rationibus; quum nihil unquam quidquam docendo, quod cum *verbo Dei*, cum *Confeſſione Eccleſiarum Belgicarum* aut *Catechiſmo* pugnaret, ullam cuiquam cauſam præbuerim, cur hujuſcemodi quid à me magis quam a quoquam alio poſtularetur. Atque hoc nunquam non profeſſus ſum atque etiamnum modo profiteor; paratus pati, ſiquidem fructus inde aliquis extitere poſſe iudicetur, uti in illud in *Synodo Provinciali* aut *Nationali* inquiratur, deque eo cognoſcatur amplius.

Modus petitionis quũm per *Deputatos* ea fieret aperte: ſatis mihi obſtabat: gravabat etiam valde præjudicio *Synodi*, quæ non præſumitur per

Deputatos

Deputatos quemquam ad *collationem* ſollicitare, niſi eam ad rem cauſam præbuerit; ut integrum proinde mihi non eſſet *collationem* ejuſmodi admittere, quin eadem opera, quaſi mihi ejus conſcius, faterer docuiſſe quidquam me ſecus quam fas eſſet. *Rationes* vero *recuſationis meæ* hæ ſunt. *Prima*, quod cum neq; *Suythollandicæ*, neque *Noorthollandicæ Synodo* obnoxius ſim, ſed alios habeam ſuperiores, quibus tenear rerum omnium mearum rationem reddere; in collationem cum *deputatis* conſentire non potuerim, niſi de ſententia atque etiam cum expreſſo mandato eorum: maximè cum *collatio* hujuſcemodi ex *officio ordinario* mei mihi muneris non incumberet; atque adeo vero etiam ipſi *Deputati* aperte ſatis ſubinnuebant, hanc *collationem* minime illam privatam futuram; cum recuſarent, titulo *Deputatorum* depoſito, *collationem* mecum aliquam experiri. Itaque contra *Superiores* meos deliquiſſem, niſi quæ eo modo obſerebatur, *collationem* reſpuiſſem. Optarim ejus fratres meminiſſe vellent, nunquam adhuc quenquam ex miniſtris noſtris, qui tamen ſuæ quiſque *Synodo* ut membrum illius ſubjiciebantur, auſum unquam fuiſſe *collationem* ingredi, niſi de ſententia *Magiſtratus* ſui; imo vero etiam nunquam ullos *particulares Magiſtratus* permiſiſſe, uti ſuæ iuriſdictionis *Miniſter* cum *Deputatis Eccleſiarum* unquam *collationem* experiretur, niſi in eam ante ipſi conſenſiſſent; quodque vero etiam ſæpe voluerint per *Deputatos* ſuos ibidem ipſi præſentes eſſe. Revocentur ſolummodo in memoriam, quæ *Leidæ* in cauſa *Coolhaſii*, *Goudæ* cum *Hermanno Herberts*, *Hornæ* in cauſa *Cornelij VViggeri* & *Medenblici* in cauſa *Taconis* acta ſunt.

Secunda ratio, quę mihi *collationem* diſſuadebat, hæc erat; quod, quæ obſerebatur, *collationis* magnam inæqualitatem futuram animadvertebam; quum neceſſe ſit inter eos, qui de re aliqua collaturi ſunt, ſummam æqualitatem exiſtere. *Primum* enim *publica* ad me veniebant armati *auctoritate*; in me cum privata omnia eſſent. minimè vero omnium me latet, quam egregie ſuffulciatur, qui quid publica auctoritate inſtructus agit. *Secundo*, ipſi *tres* erant numero, *duoſque* penes ſe *Deputatos Synodi Noordthollandicæ* habebant: ego contra ſolus eram, non ſolum omni deſtitutus ope, ſed etiam futuræ actionis teſtibus, quibus ſicuti ipſi, ita ego quoque tuto res meas concredere poſſem. *Tertio*, illi ſui juris non erant, ſed ex judicio *ſuperiorum ſuorum* pendere cogebantur, tenebanturque ad extremum uſque pro ea in *Religione* ſententia pugnare, in qua eſſe *Superiores* ſuos cum animis ſuis ſtatuerent, in tantum, ut integrum ipſis non fuiſſet rationes, quæ à me adduci potuiſſent, admittere, licet vel maxime comperiſſent eas ſtringere atq; omnino inſolubiles eſſe. Quibus poſitis non videbam, quonam modo ex ea *collatione* cum utrimque fructum conſequeremur, quem æquum erat inde exiſtere, quique à mea quidem parte inde exſtiturus erat, propterea quod mei juris eram, poteramque meam ſolius conſcientiã ſine cujuſq; præjudicio in judicium adhibendo, id admittere, quod de veritate convicta ipſa verum eſſe mihi dictaviſſet. Quanti vero hujus interſit, omnium pleniſſime *Celſit. Veſtra* comperiſſent, ſi qui veſtrũ per vos *Deputati* in

conventu præparatorio præſentes fuiſſent. *Tertio* relatio eorum, quam poſt *collationem* apud *Superiores* ſuos facturi erant, non poterat non cum præjudicio meo conjuncta eſſe multis modis, ſive abſuturus fuiſſem, ſive etiam coram adſuturus. Sin abſuturus fuiſſem, facile accidere potuiſſet, ut ſive omiſſis quibuſdam, ſive quibuſdam additis, verbis etiam, ſenſu aut ordine mutatis, quippiam ſive per *inconſiderationem* defectu intellectus, ſive per *imbecillitatem* defectu memoriæ, ſive etiam ex *affectuum præiudicio* aliter narraretur, quam rei veritas eſſet. Ac mea quidem etiam præſentiâ id incommodum difficulter evitare aut corrigere potuiſſem; cum major *Deputatis* quam mihi privato fides habita fuiſſet. Tandem vero hac ratione *conventui* iſti aliquod in me ius atque aliquam ſupra me prærogativam detuliſſem; quæ neque in me habet, neque ego, pro eo quo fungor munere, deferre ei poſſum ſine præjudicio eorum, quos mihi *communis* noſter *Magiſtratus* præeſſe voluit.

Itaque non tam *æquitas* quam ipſa *neceſſitas* à me efflagitabant, ut oblatam mihi eo modo *collationem* repudiarem. Vt ut vero hujus ego ſententiæ eſſem, nihilo tamen minus ejus quod poſtulabant compotes fieri potuiſſent, ſi *collationem* illam *privatam*, quam de omnibus universè *Chriſtiana fidei articulis* ipſis obſerebam, admittere voluiſſent; atque hæc *privata collatio* ad mutuam inſtitutionem multo accommodatior illa fuiſſet: quod moris ſit ut in *collationibus privatis* multo quis quid familiarius & liberius eloquatur, quam cum *formalitates*, ut ſic loquar, *deputationum* adhibentur. Neque vero cauſa erat cur difficiles ſeſe hac in parte præbere debuerant, cum id cuique per ſe ſoli liceat: egò verò etiam hoc addebam, mihi comprimis placere, ut quæ inter nos agi contingeret, penes nos continerentur, neque quicquam eorum apud quenquam eliminaretur. Hoc modo ſi in *collationem* mecum conſenſiſſent, nullus dubito, quin aut alter alteri ſatisfeciſſemus, aut ſaltem conſtitiſſet, ex mutua noſtra controverſia haud facile ullum aut *neceſſaria* ad ſalutem *veritati*, aut *pietati*, aut *Chriſtiana paci* damnum imminere poſſe.

Sed his omiſſis, in eo ſatisfacere plane mihi non poſſum, quonam tandem modo hæc ſimul conſiſtant: conqueri, quaſi *profiteri* quid ſentiam, *detrectem*; & tamen intra extraque fines noſtros uſque adeo in me invehere, quaſi *nova*, *impura*, atque *falſa* in *Eccleſiam* & *Religionem Chriſtianam* coner invehere. *Querela de declaratione meæ ſententiæ à me negata cum rumoribus de me ſparſis non congruit.* Si quod ſentio *non profero*, unde ipſis de *ſententia* meæ *improbitate* conſtare poteſt? imo vero quanam tandem ratione *falſa* invehere poſſum, ſi me *non explico*? Sin puræ putæ *ſuſpicionem* obtruduntur, contra *charitatem* eſt, ſaltem tam multum illis tribuere. Sed hoc de me iacitur, quod quidem *aliquid proferam*, ſed *non omnia*; atque ex eo ipſo, *quod profero*, non obſcure conſtet, quonam tendam.

Verum hic illud attendendum eſt, utrum quod à me profertur, ſtatuatur *contrarium* eſſe aut *verbo Dei* aut *confeſſioni Eccleſiarum Belgicarum*. *Poſtremum* ſi probatur, docui contra illud, contra quod *ſubnotatione* manus meæ *fidem dedi*, nunquam me docturum, ſicque pœnam debeo: *primum* vero ſi probatur, multo jam

in me animadverti bebet magis, teneorque aut *palinodiam* canere, aut à *munere meo* deſiſtere: maxime ſi *ejuſcemodi* ſunt *doctrinæ capita*, quæ Dei *honori* & *ſaluti hominum* notorie præjudicent. Sin vero, quod à me prolatum eſt, neque cum *verbo Dei*, neque cum *confeſſione*; cujus modo mentio facta eſt, pugnare comperiatur; iam neque, quod inde elicitur ab eoque pendet, *verbo Dei* contravenire aut *confeſſioni* poteſt: juxta regulam enim ſcholaſticorum; *cuius doctrinæ conſectaria falſa ſunt, eandem quoque ipſam falſam eſſe neceſſe eſt & contra*. Alterutrum itaque fieri oportuiſſet, ut aut *actio* adverſus me inſtituta fuiſſet, an *rumoribus* illis fides non habita. *Poſtremum* optaſſem. *Primum* vero plane non metuo; ut ut *triginta* & *unus articuli* ultro citroque cum magno meo præjudicio de me ſparſi ſint, multiſque ſummis viris in manus traditi, qui tamen ſatis liquido ipſi teſtantur, qua inſulſitate conſcripti ſint, atque qua fide & conſcientia impacti mihi. Sed dicet forte non nemo; potuiſſes ſane turbarum evitandarum gratia, partimque ut hac ratione quamplurimis *Miniſtris* ſatisfaceres, quidquid in toto Religionis negotio ſentires, aperte atque nude profiteri apud *confratres* tuos, ut aut tu mature inſtitui rectius potuiſſes, aut illi ad *collationem mutuam* tempeſtive ſe parare potuiſſent. Sed quo minus id facerem *tria* me, quæ metuebam, *incommoda* abſterruerunt.

Primaria cauſa propter quas ansfus non ſui meditationes meas in negotio Religionis aperuerim.

Ac *primum* quidem metuebam, ſi quod ſentio profeſſus fuiſſem, inde exſtiturum fuiſſe ut, quo modo *actio* adverſus me inſtitueretur, quæſitum fuiſſet. *Secundo* metuebam, ut talis *mea ſententia* pro *ſuggeſtu in Templis* atque *Academicis diſputationibus* exagitaretur atque refutaretur. *Tertio*, uti ea ad exteras *Academias* atque *Eccleſias* tranſmitteretur, ſpe *ſententiæ condemnatoriæ* adverſus eam obtinendæ, ſicque me gravandi. quod vero graviſſimas cauſas habuerim cur ea ſimul omnia metuerem, difficile mihi non eſſet ex *articulis* & *ſcriptis* quorundam liquido demonſtrare.

Quod vero attinet ad *inſtitutionem meam*, quam ſperare inde potuiſſem; de ea ita habendum eſt; *non me ſolum*, ſed *multos* præterea *alios* habere etiam ipſos quæ circa *religionem* meditati ſint, ut propterea *inſtitutio* ea utiliter adhiberi non potuerit, niſi ubi loci *omnes* comparituri ſint, atque ubi *ſententia*, ut loquuntur, *definitiva* poterit atque debebit pronunciari. Quantum autem ad illud, quod interea temporis fratres mei tempeſtivè ſe ad *collationem* parare debuiſſent, dico id tum omnium commodiſſimum futurum eſſe, quum *omnes* ſimul *meditationes* ſuas in medium protulerint, ut ita ſimul & ſemel omnium pariter ratio habeatur.

Quæ cum hic locum non habeant, progredior ad ipſam ſententiæ meæ declarationem.

Atque hoc modo quum diluerim quæ potiſſimum mihi objiciuntur, id porro dabo operam, ut quod ego pollicitus ſum, & vos Nobiliſſ. & Potentiſſ. D. D. mihi mandaviſtis, id exequar; certo perſuaſum habens, hinc neque mihi neque ſententiæ meæ ullum præjudicium creandum, cum quidquid hoc eſt, ex ea obedientia oriatur, quam huic *conſeſſui* proximè *poſt Deum* & *ſecundum Deum* debeo.

De Prædeſtinatione.

Primus & *primi nominis* in Religione *articulus*, in quem *meditationes* quaſdam habeo, iamque inde à multis retro annis quippiam meditatus fui, de *Prædeſtinatione* Dei eſt, id eſt, de

Electione hominum ad ſalutem, & reprobatione ad interitum. Ab hoc *Articulo* initium faciam, expoſiturus *primum* quidem, quidnam de eo *quidam in Eccleſiis noſtris* atque etiam in *Academia Leidenſi* tam viva voce quam ſcriptis doceant; *deinde* vero *meas* in eadem ipſa *meditationes* prolaturus, ſimul vero etiam meam ipſius de eodem loco ſententiam expoſiturus.

Triplex ſententia Eccleſiarum apud nos reformatarum de Prædeſtinatione. Prima ſententia eorum qui quam altiſſime aſcendunt, quam ego rejicio.

Sententiæ doctorum in Eccleſiis noſtris de hoc *Articulo*, *una* illa atque *ſimplex non eſt*, ſed in quibuſdam *diverſa* atque inter ſe *differens. Sententia* verò eorum qui quam altiſſime aſcendunt, ea hoc modo ſeſe habet, prout ea ipſiſſimis paſſim eorum ſcriptis continetur.

I. Deum æterno & immutabili decreto *ex hominibus*, quos *non ut creatos*, multo minus *ut lapſos* intuitus ſit, *quoſdam ad vitam æternam, quoſdam ad æternam perditionem* prædeſtinaviſſe, *citra omnem iuſtitiæ aut peccati, obedientiæ aut inobedientiæ intuitum*, ex puro puto placito, ad *demonſtrandum gloriam iuſtitiæ ſuæ & miſericordiæ*; vel (ut alij) *gratiæ ſuæ ſalutiferæ, ſapientiæ* & *poteſtatis ſuæ liberrimæ.*

II. Præter hoc decretum Deum *certa* quædam *media præordinaviſſe* ad decreti illius *executionem* pertinentia, idque etiam ipſum decreto æterno atque immutabili. hæc media *ex vi præcedentis decreti neceſſario ſequi*, eumque, qui prædeſtinatus eſt, *neceſſario ad finem præordinatum deducere.* Horum *quædam communiter* ad decretum *electionis* & *rejectionis* pertinere, *quædam* vero hujus aut illius *ſpecialia* eſſe.

III. Commùnia media tria eſſe. Primum, *Creationem hominis* eſſe in recto juſtitiæ orginalis ſtatu, ſive ad imaginem & ſimilitudinem Dei in juſtitia & ſanctitate. Secundum, *permiſſionem eſſe lapſus Adami*, ſive, ordinationem eſſe Dei ut homo peccaret, & vitioſus fieret. Tertium, *amiſſionem eſſe ſive ablationem juſtitiæ originalis & imaginis Dei*, etiamque concluſionem ſub peccato & condemnatione.

IV. Niſi enim Deus aliquos crearet, non habiturum quibus vitam æternam daret, aut mortem æternam ſuperinduceret. Niſi eos crearet in juſtitia & ſanctitate, auctorem ipſum peccati futurum, atque hoc modo jus non habiturum neque ad puniendum eos ad laudem juſtitiæ ſuæ, neque ad ſalvandum eos ad laudem miſericordiæ ſuæ. Niſi ipſimet peccarent, ſeque ipſi merito peccati reos mortis peragerent, locum futurum non fuiſſe neque demonſtrationi juſtitiæ neque demonſtrationi miſericordiæ.

V. Media præordinata ad executionem decreti electionis, etiam hæc tria eſſe. Primum, *præordinationem ſive donationem eſſe Ieſu Chriſti Mediatoris & Salvatoris*, qui omnibus & ſolis electis amiſſam juſtitiam & vitam merito ſuo promereatur & virtute ſua communicet. Secundum, *vocationem eſſe ad fidem*, extrinſecus per verbum, intrinſecus vero per Spiritum ſuum in mente, affectibus & voluntate; operatione tam efficace, ut electus neceſſario vocationi aſſentiatur eique obediat, in tantum ut vocationi non credere, aut inobediens ei eſſe plane non poſſit. Hinc exiſtere iuſtificationem & ſanctificationem per ſanguinem & Spiritum Chriſti, indidemque omnia bona opera; idque eâdem plane vi atque neceſſitate. Tertium medium eſſe, *quod*

quod cuſtodiat electos in fide, ſanctitate & zelo bonorum operum; ſive donationem eſſe perſeverantiæ; cujus hæc ſit virtus, ut electi & credentes non ſolum non peccent plena atque tota voluntate, aut totaliter à fide & gratia non excidant, ſed ut etiam non poſſint plena atque tota voluntate peccare, neque totaliter aut finaliter à fide & gratia excidere.

VI. Duo poſtrema horum mediorum, ad electos ſolum *adultos* pertinere; ſed *fidelium & ſanctorum liberos*, qui ante adultam ætatem ex hac vita migrant, Deum breviore via ad ſalutem perducere; nimirum ſiquidem ad electorum numerum pertinent (quos Deus ſolus noverit) donando ipſis Chriſtum ſervatorem, eoſque Chriſto, qui ſanguine & Spiritu ſuo eos ſalvet, citra actualem fidem & perſeverantiam in ea: atque id juxta promiſſionem fœderis gratiæ, *Ero Deus veſter & ſeminis veſtri Deus*.

VII. Media pertinentia ad executionem decreti reprobationis ad æternam mortem, partim *omnium reiectorum & reproborum* (ſive ad adultam ætatem perveniant ſive ante eam moriantur) partim *quorundam ſolum* propria eſſe. Medium omnium commune, *deſertionem* eſſe in peccato per gratiæ ſalutiferæ negationem, ejus quæ cui ad ſalutem neceſſaria & ſufficiens ſit. Hanc negationem duobus conſtare membris; primum enim Deum non velle ut Chriſtus pro ipſis moriatur aut ipſorum Servator ſit, neque quoad voluntatem Dei *antecedentem*, ut quidem eam vocant, neque quoad *ſufficientem*, aut valorem pretij reconciliationis; quum pretium hoc neque reſpectu decreti Dei, neque reſpectu virtutis & efficacitatis pro reprobis quidem oblatum ſit; alterum vero hujus negationis membrum eſſe, quod *Deus non vult reprobis Spiritum Chriſti communicare*, abſque quo tamen Chriſti & beneficiorum ejus participes fieri nõ poſſunt.

VIII. Medium *quorundam ſolum reproborum* proprium, *obdurationem* eſſe: quæ adultis contingit, ſive quia ſæpius atq; enormiter contra legem Dei peccaverint, ſive quia gratiam Euangelij repudiaverint. ad executionem *primæ indurationis* pertinere conſcientiæ per notitiam *illuminationem* & *convictionem* illius de juſtitia legis. Hanc legem non poſſe non neceſſario eos in iniuſtitia detinere ut inexcuſabiles fiant. Ad executionem *ſecundæ indurationis*, Deum vocatione uti per prædicationem Euangelij quæ *inefficax* atque *inſufficiens* ſit, tam reſpectu decreti Dei quam reſpectu ipſius eventus. Hanc vocationem aut *externam* ſolum eſſe, cui neque velint neque poſſint obedire; aut etiam *internam* eſſe, qua quidem quidã in intellectu excitentur ad accipiendum & credendum quæ audiunt; ſed fide tamen ſolum tali, qua præditi Diaboli contremiſcunt: quidam vero etiam ulterius provehuntur, ut aliquo modo deſiderent cœleſtia dona guſtare. Hos vero omnium infeliciſſimos eſſe, quippe qui in altum tollantur, ut lapſu graviore ruant. Idque non poſſe non ipſis evenire; neceſſario enim redire eos ad vomitum & à fide deficere.

IX. Ex hoc decreto electionis & reprobationis divinæ, atque ex hac adminiſtratione mediorum ad executionem utriuſque pertinentium ſequi, ut electi *neceſſario* ſerventur, ſic ut non poſſint perire, & ut reprobati *neceſſario* damnentur, ſic ut non poſſint

ſervari; idque ex *abſoluto* propoſito Dei, quod omnes omnino res omneſq; cauſas, quæ in rebus ſunt, aut à rebus exiſtere poſſunt, antegrediatur.

Hæc ſententia à quibuſdam eorum, qui eam ſequuntur, iudicatur fundamentum eſſe *Chriſtianiſmi, ſalutis & certitudinis de ſalute:* in quo certa atque indubitata omnium fidelium, quæ quidem conſcientiam tranquillã reddere poſſit, conſolatio fundetur; imo vero cui laus gratiæ Dei innitatur, uſque adeo ut ſi huic doctrinę contradicatur, Deo laus ſuę gratiæ neceſſario adimatur; libero vero deinde hominis arbitrio & viribus illius meritum ſalutis attribuatur, quod Pelagianiſmum redoleat. atque has etiam proinde cauſas obtendunt cur tam anxiè de puritate hujus doctrinæ in Eccleſijs ſuis retinenda laborent & omnibus novitatibus pugnantibus cum ea opponant ſe.

Mea ſententia de Prædeſtinatione.

Verumenimvero me quod attinet, ut quod ſentio liberè (ſalvo tamen meliore judicio) eloquar, in ea ego ſum ſententia; quod hæc doctrina multa falſa, impertinentia interque ſeſe pugnantia in ſe complectatur; quæ ut omnia nunc recenſeam, tempus in præſentiarum non patitur, ſed eam in ſui ſolum latitudine examini ſubjiciam *παχυμερῶς*. Quatuor vero præcipuè capita, eaque maximi in ea ponderis mihi ob oculos proponam; ea primum quidem cujuſmodi ſint, expoſiturus, deinde vero amplius declaraturus quid de illis ego iudicem & ſentiam. ea autem hæc ſunt.

I. Quod Deus *abſolute & præciſe* decreverit ſingulares quoſdam homines per miſericordiam ſive gratiam ſervare, alios vero per juſtitiam condemnare; idque ſine ullo in hoc decreto intuitu ullius juſtitiæ aut peccati, obedientiæ aut inobedientiæ, quæ ab his aut illis exiſtere potuit.

II. Quod Deus ad executionem præcedentis illius decreti, decreverit Adamum omneſque homines in ipſo creare, in recto originalis iuſtitiæ ſtatu, quinimo etiam ordinaverit ut peccarent, ſicque æternæ condemnationis rei fierent, & originali iuſtitia privarentur.

III. Quod Deus eos, quos ſic præciſe vult ſervare, decreverit ad ſalutem & media eo pertinentia; videlicet ad fidem in Ieſum Chriſtum & ad perſeverantiam in ea perducere; eoſque re ipſa etiam ad ea perducat, per gratiam vimque irreſiſtibilem, ſic ut non poſſint non credere, perſeverare in fide & ſalvari.

IV. Quod Deus illis, quos abſoluta voluntate ad perditionem præordinaverit, decreverit negare, atque etiam reipſa non conferat illam gratiam, quæ ad ſalutem neceſſaria & ſufficiens eſt; ſic ut neque credere aut ſervari poſſint aut valeant. Poſt horum quatuor capitum diligentem in timore Domini meditationem atque examinationem, de hac prædeſtinationis doctrina dico quæ jam ſequuntur.

Hanc prædeſtinationem rejicio; idque propter ſequentes rationes.

I. Quod ea non ſit fundamentum *Chriſtianiſmi, ſalutis, aut certitudinis de ſalute.*

Hæc prædeſtinatio non eſt fundamentum Chriſtianiſmi.

1 Non *Chriſtianiſmi.* I. Hæc enim prædeſtinatio non eſt decretum illud Dei, quo Chriſtus a Deo ſtatuitur Salvator caput & fundamentum eorum, qui ſalutis hæredes fient; quod tamen unicum eſt Chriſtianiſmi fundamentum. II. Doctrina enim hujus prædeſtinationis, non eſt ea doctrina

doctrina per quam Chriſto ſoli angulari lapidi tamquam vivi lapides, per fidem inædificamur, eique tamquam membra capiti inſerimur.

Neque ſalutis.

Non *ſalutis*: I. Hæc enim prædeſtinatio non eſt decretum illud beneplaciti Dei in Ieſu Chriſto, cui ſoli noſtra ſalus innititur. II. Doctrina hujus predeſtinationis non eſt fundamentum ſalutis. Non enim eſt potentia Dei ad ſalutem credentibus; quia iuſtitia Dei per illam non manifeſtetur ex fide in fidem.

Neque certitudinis de ſalute.

Non certitudinis de ſalute; Hæc enim innititur huic decreto: qui crediderint, ſalvabuntur: ego credo, igitur ſalvabor. Doctrina vero hujus prædeſtinationis neque primum neque ſecundum hujus ſyllogiſmi membrum in ſe complectitur: quod etiam quidam fatentur hiſce verbis.

Vide theſes haſce belgicè verſas.

Non hoc volumus quod hujus (prædeſtinationis) ſcientia fundamentum Chriſtianiſmi aut ſalutis ſit, aut quod eodem modo ad ſalutem neceſſaria ſit, ſicuti doctrina Euangelij, &c.

Secundo, quod non compræhendat in ſe neque totum Euangelium neque etiam partem illius aliquam. Euangelium enim conſtat partim mandato reſipiſcentiæ & fidei, partim promiſſione remiſſionis peccatorum, gratiæ ſpiritus & vitæ æternæ: juxta tenorem concionum Iohannis & Chriſti, prout eæ nobis ab Euangeliſtis deſcribuntur; ſimulque juxta doctrinam Apoſtolorum Chriſti poſt aſcenſionem ejus. Hæc vero prædeſtinatio neque ad mandatum reſipiſcentiæ & fidei neque ad promiſſionem pertinet. Imo vero etiam hæc doctrina non docet, quales Deus in genere prædeſtinaverit, quæ proprie eſt doctrina Euangelij, ſed in ſe complectitur myſterium quoddam, quod ſoli Deo prædeſtinanti notum ſit; quo compræhendatur, quas ſingulares perſonas & quot Deus decreverit ſervare & condemnare. Vnde ulterius concludo, quod hæc doctrina prædeſtinationis non ſit neceſſaria ad ſalutem cognitu, creditu, ſperatu, aut factu. Hoc ita eſſe fatetur doctus quidam vir in ſuis theſibus hac de re ad diſputandum propoſitis; idque per hæc verba; *quare Euangelium prædeſtinationis patefactio & liber non ἁπλῶς, ſed κατά τι tantum nominari poteſt; quippe quod nec materiam numeri nec formam abſolute denotat; hoc eſt, non quot ſigillatim (perpaucis exceptis) nec quos, ſed tantum quales generatim prædeſtinaverit, declarat.*

Hæc prædeſtinatio in nullo neque generali neque particulari concilio decreta eſt.

Tertio, quod hæc doctrina inde à Chriſti tempore primis ſexcentis annis, in nullo unquam concilio ſive *generali* ſive *particulari* admiſſa, decreta aut probata ſit. Non in Concilio Niceno, in quo contra Arrium de Deitate & ὁμουσίῳ filij Dei actum eſt. Non in primo Conſtantinopolitano, in quo contra Macedonium de Deitate Spiritus S. decretum factum eſt. Non in Concilio Epheſino, in quo contra Neſtorium de Vnitate perſonæ Filij Dei actum eſt. Non in Chalcedonenſi, quod Eutychem damnavit, decrevitque in eadem una Domini noſtri Ieſu Chriſti perſona duas diſtinctas naturas eſſe, eſſentia ſua inter ſe differentes. Non in Conſtantinopolitano ſecundo, in quo Petrus Epiſcopus Antiochenus & Anthymus Conſtantinopolitanus cum alijs quibuſdam damnati ſunt, adſerentibus Patrem quoque paſſum eſſe. Non etiam

etiam in tertio Conſtantinopolitano, in quo Monothelitæ damnati ſunt, adſerentes in Ieſu Chriſto non niſi unam ſolum voluntatem & operationem eſſe. Neque vero etiam hæc doctrina in concilijs particularibus, Hieroſolymitano, Arauſino, quinimo nec in Milevitano Africę, quod contra Pelagium ejuſque errores celebratum eſt, ventilata aut confirmata fuit; prout apparet ex articulis doctrinæ, qui in eo contra Pelagium ejuſque errores decreti ſunt. Tantum vero abeſt ut doctrina ipſius etiam Auguſtini de Prædeſtinatione in illis concilijs recepta ſit, ut Celeſtinus Epiſcopus Romanus, qui illo tempore vivebat, ad Epiſcopos Galliæ ſcribens & Pelagianorum doctrinas condemnans, in fine ſuarum litterarum in hæc verba concludat: Profundiores vero difficilioreſque partes occurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere; quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicę ſedis nos ſcripta docuerunt, &c. Quod vero attinet ad regulas à Cœleſtino in illa Epiſtola poſitas, atque etiam in præcedentibus tribus particularibus concilijs decretas; de illis nullo negotio inter nos conveniet, maxime quantum ad ea quæ pro gratiæ adſtructione neceſſaria ſunt contra Pelagium ejuſque errores.

Hac Prædeſtinatio primis ſexcentis poſt natum Chriſtum annis à nullo Eccleſiarum doctore approbata fuit.

Quarto, quod hanc doctrinam nunquam ulli bene ſentientes & orthodoxi Eccleſiæ Doctores, primis ſexcentis poſt natum Chriſtum annis, in medium attulerint atque approbaverint; ne quidem aliquis ex illis, qui præcipui atque acerrimi gratiæ adſtructores contra Pelagium exſtiterunt: quales fuiſſe conſtat Hieronymum, Auguſtinum, auctorem libri, qui inſcribitur de vocatione gentium, Proſperum Aquitanicum, Hilarium, Fulgentium, Oroſium: quod ex ipſorum ſcriptis apparet.

Hæc prædeſtinatio non concordat cum Harmonia confeſſionum Eccleſiarum reformatarum.

Quinto, quod non congruat neque conveniat cum Harmonia confeſſionum earum, quæ ſub nominibus Eccleſiarum Reformatarum atque Proteſtantium, uno ſimul in libro Genevæ impreſſæ editæque in lucem ſunt. Si hæc confeſſionum Harmonia fideliter conſulatur id appariturum eſt, multas confeſſiones non eodem illas modo de Prædeſtinatione loqui; quaſdam non niſi obiter ſolum illius meminiſſe: quæque maxime exſtant atque urgentur in hac de Prædeſtinatione doctrinæ capita, nunque à me adducuntur, ea plane ne attingere quidem ſemel. Nullam vero penitus confeſſionem ſic eam tradere, prout ea à me antea propoſita fuit. Confeſſio Bohemica, Anglica, Wirtenbergenſis, prima Helvetica, quatuor civitatum, Argentorati, Conſtantiæ, Memmingæ & Lindaviæ, hujus Prædeſtinationis nullam mentionem faciunt. Baſilienſis & Saxonica non niſi obiter tribus ſolum verbis illam deſtringunt. Auguſtana ſic de ea loquitur, ut annotatione aliqua eam opus habere ad præmonendos nos Genevenſes iudicaverint. Helvetica poſtrema, cui adſtipulati ſunt & ſubſcripſerunt magna pars reformatarum Eccleſiarum, ſic etiam ipſa de ea loquitur, ut ego quidem optem

videre,

videre, quanam tandem ratione cum ea, quæ modo à me producta eſt, Prædeſtinationis doctrina ſubſiſtere poſſit; licet etiam eam Genevenſis & Sabaudicæ Eccleſiæ approbaverint.

Hæc Prædeſtinatio non concordat cum confeſſione & Catechiſmo Eccleſiarum.

Sexto, optimo iure ſine contentione aut cavillatione in dubium vocari poteſt, utrum hæc doctrina concordet cum confeſſione Belgica & Catechiſmo Heidelbergenſi; quod breviter demonſtrabo. In confeſſione Belgica Art. 14. hæc leguntur: *Homo ſeipſum ſciens & volens peccato & per conſequens morti ac maledictioni ſubiecit, dum diaboli verbis & impoſturis aurem prabens*, &c. unde concludo hominem non peccaviſſe neceſſitate aliqua ullius præcedentis decreti prædeſtinationis; quod cum hac, contra quam ago, Prædeſtinationis doctrina ex diametro pugnat. In Articulo deinde 16. in quo de æterna Dei electione agitur, hæc verba leguntur. *Deus ſe demonſtravit miſericordem, ex damnatione liberando & ſervando eos, quos in æterno & immutabili ſuo conſilio, pro gratuita ſua bonitate elegit in Ieſu Chriſto Domino noſtro, abſque ullo operum ipſorum reſpectu; iuſtum vero, in illo ſuo lapſu & perditione alios relinquendo, in quem ſeſe ipſi præcipites dederant.* quæ verba quomodo cum hac de Prædeſtinatione doctrina conveniant, plane non video.

In Catechiſmo Heidelbergenſi, queſtione 20. hæc leguntur: *Non omnibus qui in Adamo perierant, per Chriſtum ſalutem reddi, verum iis tantum; qui Chriſto vera fide inſeruntur, eiuſque beneficia amplectuntur.* Vnde concludo, Deum nullos homines præciſe ad ſalutem prædeſtinaviſſe, quin ipſos in decreto ſuo tamquam credentes intuitus ſit: Quod cum primo itemque tertio capite hujus Prædeſtinationis pugnat. Similiter quæſtione 54. hęc leguntur. *Credo Filium Dei, ſibi ex univerſo genere humano cœtum ad vitam æternam electum, per Spiritum ſuum & verbum, in vera fide conſentientem ab initio mundi ad finem uſque colligere:* ubi electio ad vitam æternam & conſenſus in fide, juxta ſe mutuo collocantur; idque ſic ut poſtremum hoc priori non ſubordinetur; quod tamen juxta ſententiam hujus Prædeſtinationis fieri debuiſſet, verbaque hoc modo collocari: *Filium Dei ſibi cœtum ad vitam æternam electum, Spiritu & verbo ſuo vocare atque colligere, idque ut credant & in vera fide inter ſe conſentiant.* Quę cum ita ſeſe habeant, nulla cauſa eſt, cur qui hanc de Prædeſtinatione ſententiam amplectuntur & defendunt; aut tanto conatu contendant ſymmyſtis ſuis ſive Eccleſiæ Chriſti eam obtrudere; aut in peſſimam partem accipiant, ſi quid cum ea doctrina non congruens aut etiam pugnans cum ea, in Eccleſia aut Academia doceatur.

Hæc Prædeſtinatio pugnat cum Natura Dei.

Septimo dico, quod hæc doctrina pugnet cum *natura Dei*, præcipue vero cum *attributis* naturæ illius illis, per quę omnia operatur & agit; cum ſapientia nempe juſtitia & bonitate illius.

Cum Sapientia Dei.

Cum *ſapientia* illius pugnat tribus modis: 1. quia tradit Deum decernere aliquid propter eum finem, qui nec bonus ſit, nec bonus eſſe poſſit: Deum nempe creare ad perdendum in æternum, ad laudem ſuę juſtitię 2. Quia in ea traditur, Deū per hanc Prędeſtinationem hoc propoſitum ſibi habere, ut laudem miſericordię & juſtitię ſuę demonſtret;

quam laudem tamen demonſtrare non poteſt, niſi per actum miſericordiæ & juſtitiæ contrarium, cujuſmodi illud Dei decretum eſt, quo decreverit, ut homo peccet & miſer fiat. 3. Quia ordinem duplicis ſapientiæ Dei, nobis in Scripturis patefactæ, mutat & invertit. Statuit enim quod Deus præciſe prædeſtinaverit homines ſervare per miſericordiam & ſapientiam verbo crucis Ieſu Chriſti compræhenſam, abſque eo quod præviderit, impoſſibile eſſe ut homo ac quidem ſua ipſius culpa per ſapientiam in lege patefactam hominique in creatione infuſam, ſervaretur, cum Scriptura contra
1.Cor. 1. 21. dicat, *placuiſſe Deo ſervare credentes per ſtultam prædicationem*, id eſt, *per verbum crucis, poſtquam mundus Deum in ſapientia ipſius per ſapientiam non cognoverit.*

Pugnat cum Dei juſtitia. Cum *juſtitia* Dei pugnat, idque tam quatenus in Deo amorem juſtitiæ & odium peccati denotat; quam quatenus perpetua eſt & conſtans voluntas ſuum cuique tribuendi. Quoad prius hoc modo; quia ſtatuit Deum ſingulares quoſdam homines præciſe velle ſervare & decreviſſe ſervare abſque ullo juſtitiæ aut obedientiæ intuitu, unde ſequitur, quod Deus tales homines magis amet quam juſtitiam. Quoad alterum vero, quia ſtatuit Deum velle creaturæ ſuæ miſeriam inferre, quæ non poteſt niſi peccati pœna eſſe, cum tamen creaturam non intueatur ut peccatricem ac proinde neque iræ aut pœnæ ream; atque hoc modo ſimul etiam ponit, Deum & creaturæ dare velle quod creaturæ non eſt, & quod cum ſummo ipſius malo conjunctum eſt; quod etiam ipſum juſtitiæ adverſatur. Itaque quoad hanc doctrinam, primum quidem Deus ſibi ipſi quod ſuum eſt, detrahit. Deinde vero id creaturæ tribuit, quod neque creaturæ quoque eſt, ad miſeriam ipſius.

Pugnat cum Dei bonitate. Cum *bonitate* quoque Dei pugnat; bonitas enim, affectus in Deo eſt, bonum ſuum communicandi, quatenus id juſtitia congruum eſſe iudicat & permittit. In hac vero doctrina Deo tribuitur, quod a ſe, nulla re extra ſe motus, ſummum creaturæ ſuæ malum velit, idque ab æterno ei præordinaverit ſive conferre præſtituerit, etiam priuſquam quidquam ei boni conferre ſtatuerit. Statuit enim hæc doctrina, Deum velle damnare, idque ut facere poſſet, velle creare; cum tamen creatio, primus bonitatis Dei egreſſus ſit. Hęc quidem certè multum diſcrepant ab ea bonitate Dei, quâ non ſolum *indignis*, ſed etiam *malis* atque pœna dignis benefacit, quod ipſum *in Patre noſtro cæleſti imitari* iubemur.

Hæc Prædeſtinatio pugnat cum natura hominis. Octavo, doctrina talis de Prædeſtinatione pugnat cum natura hominis, tam reſpectu ejus quod creatus eſt ad imaginem Dei cum agnitione Dei & juſtitia; quam quod creatus eſt cum libero arbitrio; quinimo etiam hujus reſpectu, quod creatus eſt cum affectu & aptitudine ad vita æterna fruendum. Triáque hæc ex hiſce breviſſimis verbis concludi poſſunt, *fac hoc & vives*; *quo die illud facies: morieris.* Rom. 10. 5. Gen. 2. 17. Horum ullum ſi homini adimatur, non poteſt quicquam præſtare talis monitio ad permovendum illum ad obedientiam.

Reſpectu eius quod creatus eſt ad imaginem Dei. 1. Pugnat cum *imagine Dei*, conſiſtente in cognitione Dei & ſanctitate. Iuxta enim hanc cognitionem & juſtitiam homo aptus & potens erat, etiamque tenebatur, Deum, noſſe,

noſſe, amare, colere, eique ſervire. Hac vero Prædeſtinatione interveniente imo præveniente, præordinavit ut homo vitioſus fieret etiamque peccaret; hoc eſt, ut Deum non noſceret, non amaret, non coleret, eique non ſerviret; atque hoc modo non faceret, quod præſtare ſecundum hanc Dei imaginem aptus erat & potens, etiamque tenebatur: quod æquipollet cum eo atq; ſi quis diceret; Deum hominem ad imaginem ſuã in ſanctitate & juſtitia creaviſſe quidem, ſed pręordinaviſſe & decreviſſe tamẽ ut homo fieret impurus & iniuſtus, id eſt, imagini Satanæ conformis fieret. 2. Pugnat cum *libertate voluntatis*, in qua & cum qua homo à Deo creatus eſt. Libertatis enim uſum impedit obligando ſive determinando voluntatem præciſe ad unum, ad hoc nempe aut aliud aliquid agendum; ut proinde Deus (quod tamen abſit) alterutrius culpari poſſit, aut quod hominem cum voluntate libera creaverit, aut quod talem creatum, in uſu libertatis ſuæ impediat: in uno eorum incogitans exiſtens, in altero mutabilis, in utroque vero tam homini quam ſibi injurius. 3. Hæc prædeſtinatio homini injuriam infert, reſpectu ejus propenſionis & capacitatis ad in æternum ſalute fruendum; quæ ipſi in creationi ſua indita eſt. Cum enim hac prædeſtinatione prædefinitum ſit, quod major pars hominum ſalutis particeps non fiet, in damnationem autem æternam incidet, idque jam ante quam decreverat eum creare aut hominem facere; privantur eo, ad quod deſiderandum naturalem propenſionem habebant ſibi à Deo inditam, & quidem nullo ſuo præcedente peccato & merito; ſed ſimpliciter per hanc ſolummodo prædeſtinationem.

Reſpectu ejus quod in & cum libertate voluntatis creatus eſt.

Reſpectu illius propenſionis & aptitudinis quam habet ad fruendum æterna beatitudine.

Nono, pugnat hæc prædeſtinatio è diametro cum actu *creationis*. 1. enim; creatio, communicatio eſt boni ſecundum proprietatem intrinſecam naturæ ſuæ; ſed creatio ejuſmodi, quæ hanc habet intentionem & mentem, ut via ſit per quam reprobatio jam ante facta finem ſuum conſequatur, non eſt communicatio boni. Bonum enim omne æſtimari & iudicari debet ex mente dantis, ex fine ad quem ſive propter quem datur. Intentio dantis hic fuiſſet damnare, quod non poteſt contingere niſi creaturæ: finis vero ſive eventus creationis fuiſſet, æterna creaturæ perditio. quo caſu creatio non eſſe communicatio boni alicujus, ſed præparatio ad ſummum malum, etiam ſecundum ipſam creatoris intentionem & eventum rei; juxta id quod dicit Chriſtus, *melius fuiſſet homini illi nunquam natum fuiſſe.* Matt. 26. 24. II. Reprobatio eſt odij atque ex odio oritur; creatio vero ex odio facta non eſt: creatio ergo via ſive medium non eſt, pertinens ad executionem decreti reprobationis. III. Creatio actio Dei perfecta eſt, per quam ſuam ſapientiam ſuam bonitatem & omnipotentiam declaravit. Creatio itaque in finem nullius alterius operis aut actionis Dei præcedaneæ ſubordinatur. Sed potius actio illa Dei eſſe ſtatuitur; quæ neceſſario omnes alias Dei actiones, quas aut decernere aut ſuſcipere poteſt, antecedat atque antegrediatur, imo citra quam preconceptam, nullius alterius actionis actualem ſuſceptionem decernere poteſt, & citra cujus executionem nullum aliud opus ullo modo

Hæc prædeſtinatio ex diametro pugnat cum actu creationis.

abſolvere poteſt. IV. Omnes actiones Dei, quæ ad damnationem creaturarum ipſius tendunt, alienæ Dei actiones ſunt; quia Deus in eas propter aliam atque extraneam cauſam conſentit. Creatio vero non eſt actio Dei aliena ſed propia, imo maximè propria Dei, ad quam per nullam aliam extraneam cauſam moveri potuit, cum prima ſit Dei actionum, ſine qua nihil præter Deum revera eſt; quum quidquid ſit per hanc actionem exſtiterit. V. Si creatio via eſt & medium per quod Deus decretum reprobationis ſuæ vult exequi, magis vult actum reprobandi quam actum creandi; indidemque magis ſibi placet in actione condemnationis quarundam creaturarum ſuarum innoxiarum, quam in actione creationis ipſarum. VI. Poſtremo, creatio non poteſt via ſive medium eſſe reprobationis ſecundum abſolutum propoſitum Dei: quum creatione peracta homo permanere poterat in obedientia præceptorum Dei, & non peccare; ad quod Deus etiam ſufficientes vires ab una parte & ſufficientia impedimenta ab altera parte dederat atque poſuerat; quod etiam ipſum ex diametro cum hujuſcemodi prædeſtinatione pugnat.

Hæc prædeſtinatio pugnat cum natura vitæ æternæ. Tit. 3. 7. Ioan. 1. 12. Matt. 5. 12. Heb. 6. 10. Apoc. 2. 10. 2. Tim. 4. 7. 8

Decimo, pugnat hæc prædeſtinatio cum *natura vitæ æternæ* & titulis quibus illa in Scripturis inſignitur. Eſt enim atque vocatur, *hæreditas filiorum Dei*: atqui illi ſoli ſunt Filij Dei, ſecundum Doctrinam Euangelij, qui *in nomen Ieſu Chriſti credunt*. Præterea vocatur, *merces obedientiæ & laborioſæ charitatis, præmium eorũ, qui bonum certamen militant & bene currunt, corona iuſtitiæ*, &c. nemini itaque Deus æternam vitam, ex abſoluto ſuo decreto citra omnẽ omnino conſiderationem aut intuitum fidei & obedientiæ deſtinavit aut deſtinare conſtituit.

Hæc prædeſtinatio pugnat cum natura mortis æternæ. Rom. 6. 23. 1 Theſ. 1. 8. 9. Mat. 25. 41. Heb. 10. 27.

Vndecimo, pugnat etiam cum *natura æternæ mortis*, iiſque nominibus quæ ei in Scriptura tribuuntur. Vocatur enim *ſtipendium peccatorum, pœna æternæ perditionis, quæ reprehendetur illis qui Deum non noverint atque Euangelio Chriſti inobedientes fuerint: æternus ignis qui præparatus eſt Diabolo atque Angelis eius*; ignis qui conſumet adverſarios atque *inimicos Dei*. Nemini itaque Deus æternam mortem ex abſoluto aliquo decreto præparavit citra intuitum peccati & inobedientiæ.

Hæc prædeſtinatio pugnat cum natura peccati. 1. Ioan. 1. 3. 4

Duodecimo, cum *proprietate & natura peccati pugnat*, idque duobus modis: 1. quia peccatum vocatur *inobedientia & rebellio*: quæ locum habere non poſſunt, ubi cui inevitabilis neceſſitas ad peccandum incumbit ex præcedente decreto Dei. 2. Quia peccatum damnationis meritoria cauſa eſt. Meritoria vero cauſa movet voluntatem Dei ad reprobandum ſecundum iuſtitiam, imo Deum, qui peccatum odio habet, movet, ut velit reprobare. Peccatum itaq; cauſa inter media eſſe non poteſt, per quod Deus decretum ſive voluntatem reprobationis exequatur.

Hæc prædeſtinatio quantum in ſe eſt, gratiam deſtruit.

Decimotertio, pugnat hæc prædeſtinatio cum *natura gratiæ Dei*, eamque quantum in ſe eſt deſtruit; ut ut prætenditur, quod quam maxime idonea imo plane neceſſaria ſit ad gratiam ſtabiliendam; idque tribus modis. 1. quia gratia ſic contemperata ſit naturæ hominis, ut libertatem voluntatis in illo non aboleat, ſed eam dirigat atque corrigat depravatam, hominique proprios ſuos motus permittat, cum contra hæc

Præde-

Prædeſtinatio talem gratiam introducat, per quam liberum arbitrium tollitur & exercitium illius impeditur. 2. quia gratia in Scriptura ſic deſcribatur ut *reſiſti ei poſſit*, *ut in vanum accipi poſſit*, *ut homo omittere poſſit quominus ei aſſentiatur*, *eique cooperetur*, cum contra hæc prædeſtinatio dicat, quod gratia irreſiſtibilis quædam vis atque operatio ſit. 3. quia gratia ex prima atque precipua intentione atque mente Dei ad bonum tendat illorum, quibus ea offertur, quique eam recipiunt. Cum contra hęc Prædeſtinatio hoc ſecum trahit, quod gratia quibuſdam etiam reprobis offeratur, atque uſque ad illuminationem intellectus & guſtum cæleſtium donorum communicetur in hunc finem, ut quanto altius evehuntur, tanto gravius ruant, majoremque perditionem mereantur atque accipiant.

Act. 7. 51. 2. Cor. 6. 1. Heb. 12 15. Mat. 23. 27 Luc. 7. 30.

Hac prædeſtinatio injuria eſt gloriæ Dei

Decimo quarto, doctrina hujus prædeſtinationis, in *gloriam Dei* injuria eſt, quæ non conſiſtit in declaratione libertatis aut poteſtatis, neque in demonſtratione iræ & potentiæ, niſi quouſque illa per iuſtitiam ſubſiſtere poteſt, ſalvo ſemper Deo honore ſuæ bonitatis. Ex hac vero doctrina ſequitur, *Deum auctorem eſſe peccati*, idque quadruplice argumento probari poteſt. 1. Quia ponit, quod Deus præciſe decreverit gloriam ſuam demonſtrare per juſtitiam punitivam & miſericordiam, quoſdam homines ſervando & alios damnando: quod, niſi *ingrediente in mundum peccato*, neque factum eſt, neque fieri poteſt. 2. quia hæc doctrina dicit, Deum, ut finem ſuum aſſequeretur, ordinaviſſe ut homo *peccaret & vitioſus fieret*, ex qua ordinatione neceſſario lapſus ſit. 3. quia dicit, Deum homini gratiam ſufficientem & neceſſariam ad *evitandum peccatum* denegaviſſe aut ſubtraxiſſe, idq; priuſquam jam homo peccaviſſet; quod idem eſt cum eo, atqui ſi homini legem poſuiſſet, quæ ſimpliciter ei impoſſibilis eſſet præſtitu, pro ratione naturę in qua creatus erat. 4. quia Deo circa hominem operationes tribuit, tam externas quam internas, tam mediatas intervenientibus alijs creaturis, quam immediatas, quibus poſitis homo *neceſſario debuerit peccare*; idque ea neceſſitate, quæ in ſcholis vocatur *neceſſitas conſequentis*, *& rem ipſam antecedens*, quæ libertatem voluntatis in totum abolet. Atque hunc quidem actum Deo attribuit ex prima & præcipua ipſius intentione, citra ullam præſcientiam propenſionis, voluntatis aut actus à parte hominis. Ex hiſce vero ulterius deducitur, *Deum verè peccare*; quia juxta hanc doctrinam ad peccatum moveat per inevitabilem actum, idque ex proprio ſuo propoſito & prima intentione, abſque eo ut ad id ante moveatur peccato aliquo aut merito hominis præcedente. Concluditur vero etiam hinc, *Deum ſolum peccare*. Homo enim, qui per inevitabilem vim ad peccandum movetur, id eſt, ad perpetrandum actum aliquē prohibitum, dici non poteſt, ipſius peccare, unde tandem etiam hoc ſequitur, *peccatum non eſſe peccatum*, quum quod Deus facit, id peccatum neque eſſe neque dici poſſit. Præter hæc jam dicta etiam alio modo adhuc honorem Dei lædit, ſed hæc in præſentiarum ſufficiant licet.

Quia ex ea ſequitur, Deum auctorem eſſe peccati; prout quatuor ſequentibus argumentis probatur.

Decimo quinto, Hæc doctrina ipſi quoque Ieſu Chriſto Servatori *ignominioſa eſt*. Nam, 1. excludit illum à decreto prædeſtinationis, quæ

Hæc Prædeſtinatio Ieſu Chriſto Servatori ignominioſa eſt.

quæ finem prædeſtinat; dicitque homines prius prædeſtinatos ut ſerventur, quam ille prædeſtinatus ſit ut ſervet; in tantum, ut non ſit *fundamentum electionis.* 2. Negat, quod Chriſtus *meritoria cauſa ſit*, quę amiſſam nobis ſalutem rurſus impetraverit; ponendo illum ſubordinatam ſolum cauſam ſalutis, ejus nempe quæ jam ante præordinata ſit, ſicque miniſtrum ſolum & inſtrumentum quod ſalutem nobis applicet. Atque id revera plane congruit cum ea ſententia, quæ ſtatuit Deum præciſe hominum quorundam ſalutem voluiſſe, idque *primo & ſupremo* quod fecit *decreto*, unde cetera omnia Dei decreta pendeant atque ſequantur. quod ſi ita eſt, impoſſibile igitur fuit ut talium hominum ſalus amitteretur: proinde etiam neceſſe non fuit, ut merito Chriſti, qui ipſis ſolis ſalvator præordinatus eſt, repararetur & tamquam de novo recuperaretur & inveniretur.

Hæc prædeſtinatio ſaluti hominum noxia eſt; quia impedimentum ponit dolori ſecundum Deum de peccato.

Decimo ſexto, hæc doctrina ſaluti etiam hominum *noxia eſt.* 1. Quidem, quia impedit triſtitiam illam ſalutarem & ſecundum Deum de commiſſo peccato; quæ eſſe non poteſt in illis qui nullam peccati conſcientiam habent. At vero conſcientia hujuſcemodi peccati plane in homine eſſe non poteſt, qui per inevitabilem neceſſitatem decreti Dei peccatum commiſit. 2. Quia aufert piam ſollicitudinem convertendi ſe à peccato ad Deum. Qui enim pure ſe *paſſivè* habet *planeque inſtar mortui*, non ſolum ad ſentiendum excitantem & præſentem Dei gratiam, ſed etiam ad ei aſſentiendum eique obediendum; quique ſic per irreſiſtibilem vim convertitur, ut non ſolum gratiam, quæ intus pulſat, non poſſit non ſentire, ſed etiam ei neceſſario debeat aſſentiri, ſicque ſe convertere aut potius converti; plane non poteſt in corde ſuo talem ſollicitudinem in animum inducere aut concipere, niſi prius ante irreſiſtibilem talem motum ſenſerit: aut ſi quam ſollicitudinem in animum inducet, ea fruſtranea erit atque nullius rei; vera enim ſollicitudo eſſe non poteſt, quæ non niſi per vim irreſiſtibilem in animo ingenerata eſt ex præciſo propoſito & abſoluta intentione Dei ad ſalvandum.

2. Cor. 7. 10.

Aufert piam ſollicitudinem converſionis.

Apoc. 2. 3.

Studium bonorum operum inhibet. Tit. 3, 14.

3. Quia zelum & ſtudium bonorum operum inhibet in converſis, quum ſtatuit regenitos neque plus neque minus boni præſtare poſſe, quam præſtent. actus enim à gratia ſalutari, debet operari, neque id intermittere poteſt; ab eadem autem gratia non actus, non poteſt quicquam agere, ſed id omittat, neceſſe habet. 4. Quia exſtinguit zelum ad precandum; quum oratio tamen efficax medium ſit à Deo inſtitutum ad impetrandum à Deo quidlibet boni, maxime vero ſalutem. Ex quo enim antea deſtinatum eſt *immutabili & inevitabili decreto*, ejuſcemodi homines ſalutem adepturos, oratio nequaquam medium eſſe poteſt ad ſalutem impetrandum, ſed ſolummodo cultus Dei: quia ex abſoluto decreto prædeſtinationis ſuæ talem hominem decreverit ſervare.

Exſtinguit ardorem precandi. Luc. 11. 1. 2. 8 &c.

5. Tollit ſaluberrimum timorem & tremorem, in quo iubemur *ſalutem noſtram operari.* Statuit enim quod electus & credens non poteſt plena & tota voluntate peccare, ſicuti impij peccant; neque vero etiam *totaliter aut finaliter* à fide ſive gratia excidere. 6. Quia in homine deſperationem gignit tam faciendi quod

Tollit timorem & tremorem in quo ſalutem noſtram operari iubemur.

Phil. 2. 12.

Deſperationem ingenerat

quod officium noſtrum poſtulat, quam obtinendi in quod deſiderium noſtrum fertur. Quum enim docetur, gratiam Dei, quæ quidem ad boni aliquid faciendum neceſſaria eſt, maiori parti hominum ex præciſo & abſoluto Dei decreto denegari; idque propterea quod decreto præcedente æque abſoluto decreverit ſalutem ipſis non conferre, ſed vero damnare eos; vix poteſt quin cito accidat, ut qui ſibi haud ita facile perſuadet electum ſe eſſe, ex reproborum ſe eſſe numero ſtatuat. Vnde non poteſt deinde non oriri deſperatio quædam faciendi juſtitiam & obtinendi ſalutem.

Hac Prædeſtinatio invertit Euangelium Chriſti, Mat. 1. 14. 15. & 16. 16

Decimo ſeptimo, Hęc doctrina invertit Euangelium Ieſu Chriſti: nam in Euangelio Deus poſtulat ab homine *riſipiſcentiam & fidem*, promittendo vitam æternam ſi homo ſe convertat & credat. Per hoc vero decretum Prædeſtinationis ſtatuitur, Deum ſingularibus quibuſdam hominibus præciſe ſalutem velle dare, ſimul vero etiam ijſdem ipſis reſipiſcentiam velle dare & fidem, & quidem etiam præciſe per vim irreſiſtibilé, propterea quod ſervare eos velit. In Euangelio denunciat Deus impænitentibus & infidelibus æternam mortem, hæque minę horſum faciunt, ut eos ab infidelitate abſterreat atque ita ſervet: per hoc vero decretum Prædeſtinationis docetur, Deum certis quibuſdam hominibus gratiam ad converſionem & fidem neceſſariam dare non velle, propterea quod decreverit præciſe eos condemnare. Euangelium dicit, *ita Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum dederit, ut quiſquis credit in eum, vitam æternam habeat*: Hæc vero doctrina dicit, *ita Deus dilexit eos quos præciſe ad vitam æternam elegit, ut ipſis ſolis Filium ſuum dederit, fidemque in ipſum per vim irreſiſtibilem ingeneret.* Vt vero totum hoc paucis verbis complectar, Euangelium dicit, *fac mandatum & obtinebis promiſſum, crede & vives*; Hæc vero doctrina dicit, *quoniam tibi volo dare vitam, propterea volo tibi dare fidem*: quæ vera eſt atque ipſiſſima Euangelij inverſio.

Ioan. 3. 36.

Ioan. 3. 16.

Hac doctrina miniſterium Euangelij deſtruit.

Decimo octavo, pugnat hæc Prędeſtinatio cum miniſterio Euangelij. 1. Non enim poteſt homo miniſter & cooperarius Dei eſſe, neque verbum per hominem prædicatum inſtrumentum gratiæ & Spiritus eſſe, ſi Deus eum, qui mortuus eſt in peccato, vivificet per *irreſiſtibilem vim*, non magis quam creatura potuit eſſe inſtrumentum gratiæ in prima creatione aut adminiſtra reſuſcitationis ex morte corporis. 2. Quia per hanc Prædeſtinationem miniſterium Euangelij reſpectu majoris partis auditorum conſtituitur *odor mortis ad mortem*, itemque inſtrumentum condemnationis ex ipſo primo ſcilicet propoſito Dei & præciſa ipſius intentione, citra intuitum pręcedentis rebellionis. 3. Quia per hanc Prędeſtinationem ſtatuitur baptiſmus erga multos infantes credentium & fœderatorum Dei, reprobatos ſcilicet, adminiſtratus nihil plane obſignare, ſicque inutilis eſſe ex prima & præciſa intentione Dei, idque citra ullam culpam infantium, quibus adminiſtratur ſecundum mandatum Dei. 4. Quia facit quominus publicæ preces ſicuti decet, Deo offerri poſſint, cum fide nempe & fiducia quod omnibus verbum audientibus profuturæ ſint: cum inter eos multi ſint, quos non

Facit ut miniſter non ſit cooperarius Dei; contra locum, 1. Cor. 3. 9.

Facit ut miniſterium Euangelij reſpectu multorum odor ſit mortis ſimpliciter atque abſolutè contra locum, 2. Cor. 2. 14. 15. 16.

Facit ut baptiſmus in multis fidelium liberis inutiles ſit citra ullam infantium culpam.

Facit ut preces pro multis cum fiducia offerri nequeant. 1. Tim 2. 1. 2. 3. 4.

Apta eſt ad negligentiam adminiſtrationis in Paſtorum animis ingenerandam.

non modo non velit ſervari, ſed quos abſoluta æterna & immutabili voluntate, omnes omnino res & cauſas antegrediente, damnari velit; Apoſtolo interim, ubi preces & ſupplicationes pro omnibus hominibus fieri iubet, hanc rationem ei adiungente: *quia hoc bonum & acceptum eſt coram Deo Servatore noſtro, qui vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire.* 5. Quia cum hac doctrina ita comparatum eſt, ut quam facillimè Paſtores & Doctores ſegnes & negligentes in ſuo miniſterio reddat: quaſi diligentia omnis ipſorum nullis utilis eſſe poſſit niſi illis ſolum, quos Deus abſolute & præciſe vult ſervare, quique perire non poſſunt; omnis vero negligentia ipſorum nemini nocere poſſit niſi illis ſolum, quos Deus præciſe perire vult, & qui neceſſario perituri ſunt & non poſſunt non perire.

Hæc prædeſtinatio evertit fundamentum Religionis univerſi. Decimo nono, quia hæc doctrina evertit fundamentum tum Religionis *universè* tum Chriſtianæ Religionis *in ſpecie*. Fundamentum Religionis universè conſideratum *duplex Dei amor eſt*, ſine quo nulla Religio aut eſt aut eſſe poteſt: primus erga iuſtitiam eſt, unde odium peccati exiſtit; alter erga creaturam eſt ratione præditam, & quidem in noſtro nunc negotio, erga hominem; *Heb. 11,6* juxta dictum Apoſtoli Heb. 11. *Accedentem ad Deum credere oportet, Deum eſſe & remuneratorem eſſe eorum qui ipſum quærunt.* Amor erga iuſtitiam in eo demonſtratus eſt, quod vitam æternam non vult dare niſi ijs qui ipſum quærunt. Amor erga hominem in eo conſiſtit, quod vitam æternam ei dare vult, ſi ſe quærat. Mutuus inter duplicem hunc amorem reſpectus; hic eſt: quod ſecundo amori, qui in creaturas tendit, locus eſſe non poteſt, niſi quouſque id prior amor permittit; ut proinde prior amor multo præſtantiſſimus ſit; ſecundo vero amori ubique locus ſit, ubi prior impedimentum ei non ponit. Horum primum ex eo evidentiſſime comprobatur, quod Deus hominem quem quatenus creaturam amet, propter peccatum nihilominus damnet; quod tamen nequaquam fieret, ſi hominem magis quam iuſtitiam amaret, magiſque ab æterna hominis miſeria abhorreret, quam ab inobedientia illius. Alterum vero hoc argumentum probatur: quod Deus neminem damnet niſi ob peccatum; tam multos vero homines ſalvet qui ſe à peccato convertunt: quod non faceret, niſi amori ſuo erga creaturas eouſque locum dare vellet, quoaduſque id iuſtitia juxta Dei iudicium maxime permittit. Hæc vero doctrina hunc ordinem invertit mutuumque hunc reſpectum; idque duobus modis. Vno, quum ſtatuit Deum ſingulares quoſdam homines velle præciſe ſalvos facere, abſque eo ut in propoſito ſuo ullo modo obedientiam eorum intuitus ſit; quo modo amorem Dei erga homines præponit amori erga iuſtitiam, ſtatuitque quod homines quâ tales magis amet quam juſtitiam, magiſque abhorreat ab eorum miſeria quam à peccato & inobedientia eorum. Altero, quum ex adverſo aſſerit, Deum ſingulares quoſdam homines velle præciſe damnare abſque ulla conſideratione, in decreto ſuo, inobedientiæ ipſorum: quo modo amori erga creaturam detrahit quod ejus eſt, docetque quod Deus creaturam ſuam odio habeat citra ullam cauſam

aut

aut neceſſitatem deſumptam ab amore erga juſtitiam & odio contra peccatum: quo caſu verum non eſt, peccatum *primum* eſſe *obiectum* odij *ſolamque cauſam meritoriam* illius. Quantum vero hæc res momenti habeat ad evertendum fundamentum religionis, apte hac ſimilitudine declarari poteſt. Dicit Filius, Pater meus juſtitiam & æquitatem uſque adeo diligit, ut me, quamquam dilectum ſuum filium, exhæredaturus ſit, ſi inobediens erga eum inveniar; itaque in obedientiam debeo ſedulo incumbere, ſi hęres eſſe illius volo. Alius filius dicit, Pater meus uſque adeo me diligit, ut me præciſe velit hęredem ſuum habere; itaque opus non eſt ut ad obediendū ei operam dem: ex voluntate namque immutabili ipſius hæres ejus futurus ſum. Imo vero potius me per *irreſiſtibilem vim* ad obediendū ſibi trahet, quam permiſſurus eſſet, ſuus ne hæres eſſem. Atqui hoc tamen ex diametro pugnat cum hiſce Iohannis verbis, *ne animum inducatis apud vos ipſos dicere Patrem habemus Abrahamum; dico enim vobis Deum poſſe etiam ex lapidibus iſtis excitare liberos Abrahamo.* *Matth. 3 9.*

Evertit fundamentum Chriſtianæ Religionis in ſpecie. Chriſtiana vero Religio etiam hæc duplici huic amori ſuperinædificata eſt tamquam fundamento; ſed qui tamen paullo aliter conſideratur pro mutatione ſtatus hominis, qui creatus ad imaginem Dei in favore illius, culpa ſua peccator, & inimicus Dei factus eſt. Amor erga juſtitiam, cui Chriſtiana Religio innititur, primum quidem juſtitia illa eſt quam in Chriſto idque ſemel ſolum declaravit; quod peccatum expiari non voluit *niſi ſanguine & morte Filij ſui*, neque illum admittere advocatum & deprecatorem, *quin ſanguine ſuo adſperſus eſſet.* Deinde vero quam quotidie in prædicatione Euangelij oſtendit, in qua declarat nemini ſe velle dare communionem Chriſti ejuſque beneficiorum, niſi ſe convertat & in Chriſtum credat. Amor erga miſeros peccatores, cui eadem Chriſtiana Religio innititur, primum quidē ille amor eſt, per quem *Chriſtum Filium ſuum pro ipſis dedit, & ſalvatorem conſtituit eorum qui ei obediunt:* deinde vero, per quem obedientiam poſtulavit, non ſecundum rigorem & ſeveritatem pro ſummo ſuo jure, ſed gratioſe atque clementer; addita promiſſione remiſſionis peccatorum, ſiquidem homo lapſus reſipiſcat. Cum hoc fundamento pugnat hæc doctrina duobus modis. Primo quidem ſtatuendo, quod Deus peccatores quoſdam in tantum amet, ut præciſe eos ſervare velit, antequam amori ſuo erga juſtitiam ſatisfecerit in Chriſto Ieſu, atque id quidem etiam in ipſa præſcientia ſua ex propoſito ſuo. Quinimo ipſum penitus & per omnia fundamentum evertit, docendo Deum velle ut juſtitiæ ſuæ ſatisfiat, propterea quod tales velit pręciſe ſervare; quod aliud nihil eſt, quam amorem erga juſtitiam in Chriſto monſtratum ſubordinare amori erga hominem peccatorem, quem præciſe ſervare vult. Secundo vero, docendo quod Deus quoſdam peccatores præciſe velit damnare citra conſiderationem impœnitentiæ; quum tamen amori erga juſtitiam & odio adverſus peccatum pleniſſime ſatisfactum ſit in Chriſto Ieſu, ſic ut nihil jam ſit quod impediat quominus miſericordiam oſtendere poſſit erga peccatorem, quiſquis tandem ille ſit, præter conditionem pœnitentiæ. niſi quis velit

dicere, quod etiam hac doctrina ſtatuitur, Deum cum majore parte hominem eadem imo majore ſeveritate velle agere, quam cum Diabolis & Angelis ejus egit; ut velit nempe Chriſtum ſive Euangelium ejus non magis ipſis prodeſſe quam Diabolis; utque gratię ianua æque ipſis præcluſa ſit, idque juxta primum peccatum, atque malis Angelis præcluſa eſt; quum tamen Angeli per ſe ſinguli in ſua quiſque perſona ex propria ſua malitia & voluntario actu peccaverint; homines vero nondum adhuc exiſtentes in Adamo ſolum Parente ſuo peccaverint.

Preſſior declaratio præcedentium.

Ad intelligentiam vero ejus, quod duplex hic amor fundamentum ſit omnis Religionis & quomodo id ita ſit, idque cum mutuo tali ad ſe invicem reſpectu, ſicuti diximus; utile eſt verba hæc Apoſtoli ad Hebræos paullo à nobis expendi diligentius: *Accedentem ad Deum credere oportet Deum eſſe & quod remunerator ſit eorum qui ipſum quærunt.* (*Heb. 11. 6.*) Quibus in verbis duo jaciuntur fundamenta Religionis adverſus duo ignita tela Satanæ, pernicioſiſſimas Religionis peſtes, quarum unaquæque per ſe poteſt illa omnem Religionem evertere atque extirpare penitus: harum una eſt *ſecuritas*, altera *deſperatio*. Securitas eſt, cum homo ſibi perſuadet, ut ut Deum non colat, quod equidem tamen non damnabitur, ſed ſalvus fiet. Deſperatio eſt, per quam ſibi perſuadet, ut ut Deum colat, quod equidem tamen remunerationem non adipiſcetur. Vbi alterutra harum locum habet, ibi vero etiam rectus Dei cultus locum habere non poteſt. Vtramque verba Apoſtoli avertunt. Si enim homo firmiter credat, Deum daturum ſolum illis vitam æternam, qui ipſum quærunt, cæteris vero mortem æternam inflicturum; fieri nullatenus poteſt ut *ſecurus ſit*. Si vero etiam credat, Deum vere remuneratorem eſſe eorum, qui ipſum quærunt; Deum quærendo nequaquam *in deſperationem incidet*. Fundamentum quidem illius fidei, per quam homo firmiter credit Deum nemini vitam æternam daturum, niſi qui ipſum quærunt, illud eſt, quod Deus juſtitiam magis diligit quam hominem, quo ſolo ſecuritas tollitur. Fundamentum vero hujus fidei, quod Deus certo renumerator erit eorum qui ipſum quærunt, illud eſt, quod Deus hominem uſque adeo amet, nihil ut ſit quod illum aut impediturum eſt, aut impedire etiam poteſt, quominus eum ſalvet, præter amorem erga juſtitiam. Qui tantum abeſt ut impediat, quominus Deus remunerator ſit eorum qui ipſum quærunt, ut potius id omnibus modis promoveat. Non poteſt igitur qui ipſum quærit dubitare ullo modo, quod Deus ſibi remunerator futurus ſit. Atque hoc illud eſt quo *deſperatio* ſive *diffidentia* impeditur. Quæ cum ita ſint, duplex hic amor mutuuſque hic inter illos reſpectus, quem expoſuimus, fundamentum eſt Religionum, ſine quo Religio nulla ſubſiſtere poteſt. Doctrina itaque, quæ cum mutuo hoc amore & mutuo hoc inter eos reſpectu pugnat, eâdem operâ fundamentum Religionis omnis evertit.

Hæc prædeſtinatio à maxima parte Chriſtianorū reprobata eſt.

Vigeſimo atque ultimo, doctrina hæc de Prædeſtinatione à majore parte Chriſtianorum tam olim quam etiamnum hodieque rejicitur. Vt vero de ſuperioris ſeculi temporibus

nihil

nihil dicam; res ipſa loquitur Eccleſias Lutheranorum, Anabaptiſtarum, etiamque Papiſtarum, doctrinam hanc pro *erronea* habere. Imo Lutherus & Melanthon, ut ut in primo reformationis initio eam probaverint, tamen poſtmodum ab ea deſciverunt. Ac de Melanthone quidem id clare apparet ex ſcriptis illius poſterioribus. De Luthero vero idem ſtatuunt qui ſe Lutheri diſcipulos vocant; qui tamen hac in re ſententiam ipſum ſuam potius declaraviſſe plenius, quam à priore deſciviſſe penitus contendunt. Philippus vero Melanthon ſententiam hanc non multum à Fato Stoicorum abhorrere credidit: prout apparet ex multis ſcriptis; maxime vero ex Epiſtola quadam ſcripta ad Caſparum Peucerum; ubi inter alia hæc dicit; *Scribit ad me Lelius de Stoico fato uſque adeo litem Geneva moveri, ut quidam in carcerem conjectus ſit, propterea quod à Zenone differret. o miſera tempora! doctrina ſalutis peregrinis quibuſdam diſputationibus obſcuratur.* Danicæ etiam Eccleſiæ omnes aliam ab hac ſententiam ſequuntur; prout apparet ex ſcriptis Nicolai Hemmingij in libro de Gratia Univerſali; dicentis, controverſiam ſuam, quam cum adverſarijs ſuis habeat, in hoc conſiſtere, *utrum electi credant, an vero fideles electi ſint. Primi qui adſerunt, eos indicat idem ſentire cum doctrina Manichæorum & Stoicorum; qui poſterius, cum Moyſe, Prophetis Chriſto & Apoſtolis plane conſentire.* Præterea à multis, qui in hac noſtra patria degunt, doctrina hæc iudicatur uſque adeo male ſe habere, ut propter eam multi confirment ſe cum Eccleſia noſtra communionem habere neque poſſe neque velle; quidam vero ſe noſtris Eccleſijs adjunxerint quidem, ſed non niſi cum Proteſtatione; quod huic doctrinæ aſſentiri non poſſunt. Non pauci vero etiam propter hanc doctrinam ab Eccleſijs noſtris defecerunt, qui antea idem nobiſcum ſenſerant: quidam vero etiam minati fuerunt ſe à nobis diſceſſuros, niſi edocti fuiſſent quod Eccleſia ſententiam ejuſcemodi non habeat. Porro nullum eſt doctrinæ caput quod Papiſtæ, Anabaptiſtæ & Lutherani acrius oppugnent, perque cujus latus Eccleſijs noſtris gravius invidiam concilient, totamque adeo doctrinam in odium vocent: ſtatuentes nullam tam fædam adverſus Deum blaſphemiam excogitari aut verbis proferri poſſe: quæ non poſſit bona conſequentia ex hac Doctorum noſtrorum ſententia concludi.

A Philippo Melanthone.

Luthero.

Epiſtola Melanthonis ad Peucerum.

A Danicis Eccleſiis.

Nicolao Hemmingio.

Utrum credamus quia ſumus electi vel utrum ideo electi ſimus quia credimus

Multi in hiſce Regionibus à Religione abhorrent propter hanc doctrinam.

Papiſtæ, Mennoniſtæ, Lutherani potiſſimum ob hanc doctrinam Eccleſias noſtras in invidiam vocant.

Poſtremo vix ullla difficultas aut controverſia in Eccleſijs hiſce noſtris toto hoc Reformationis tempore oborta fuit, quæ non ex hac doctrina originem traxerit: ſaltem cui doctrina hæc admixta non fuerit. Revocentur ad animum controverſiæ *Leidenſes* in negotio *Coolhaſii*, *Goudana* in negotio *Hermanni Herberti*, *Hornana* in *Cornelij VViggeri*, *Medenblicenſes* in negotio *Taconij Sibrandi*; & quod dixi, verum eſſe comperietur. Fuit hæc cauſa non poſtrema, quæ me movit ut ad hoc doctrinæ caput quam diligentiſſime attenderem, daremque operam ne Eccleſiæ noſtræ damni aliquid ex eo paterentur: creſcente hinc Papatu, cujus deſtructionem tamquam regni Antichriſtici, pij omnes Doctores ex animo optare debent, omni ſtudio quærere & quantum in ſe eſt, curare quam maximè.

Nunquam in noſtris Eccleſiis difficultas aliqua oborta eſt, cui non hac doctrina pars admixta fuit.

Scopus meus in examine hujus doctrinæ, deſtructio nempe regni Antichriſti.

Atque hæc illa ſunt breviter quæ in hanc de Prædeſtinatione doctrinam meditatus ſum, ex ſuis illam Auctoribus optima à me fide propoſitam; nihil ut ipſis affinxerim, quod ex eorum ſcriptis liquido probare non poſſim.

Secunda ſententia de prædeſtinatione.

Quidam vero ex noſtris Doctoribus doctrinam hanc de Prædeſtinatione Dei paulo aliter declarant; idque duobus diverſis modis: quod etiam ipſum breviter percurram. Apud quoſdam igitur eorum ſententia hæc tenet.

I. Deum in ſeſe æterno & immutabili decreto propoſuiſſe ex univerſitate hominum minorem partem pro ſuo beneplacito, gratiæ & gloriæ ſuæ participes facere, ad laudem glorioſæ gratię ſuæ: pro placito autem ſuo majorem partem præterire atque in natura ipſorum, quæ ſupernaturale nihil poteſt, relinquere, ac non communicare cum illis ſalutarem & ſupernaturalem gratiam, per quam natura ipſorum etiamnum adhuc integra firmari, aut corrupta inſtaurari poſſit, ad demonſtrationem ſuæ libertatis. Poſtmodum vero peccatores eos factos & mortis reos, æterna morte punire, ad demonſtrationem ſuæ juſtitię.

II. Prædeſtinationem (quæ vox apud hoſce ſpecialiter pro electione accipitur & reprobationi opponitur) conſiderandam eſſe ***reſpectu finis & mediorum ad finem tendentium***. Reſpectu ***finis*** qui eſt ſalus & illuſtratio glorioſæ gratiæ Dei: conſiderari hominem communiter & abſolute, qualis in natura ſua eſt. Reſpectu vero ***mediorum***, hominem conſiderari tamquam à ſe & in ſe periturum atque tamquam reum in Adamo.

III. In decreto de fine hoſce gradus eſſe obſervandos; Dei ***præſcientiam***, per quam prędeſtinatos ante præcognovit. Deinde ejus ***præfinitionem***, per quam ſalutem eorum, quos ante præcognovit, præordinavit; primo quidem eos eligendo ab æterno; deinde vero ipſis præparando, gratiam quidem in hoc ſeculo, gloriam vero in ſeculo futuro.

IV. Media ad executionem prędeſtinationis hujus pertinentia, ipſum ***Chriſtum eſſe***: Deinde vero ***efficacem vocationem ad fidem in Chriſtum***, unde oriatur iuſtificatio, tandem vero etiam ***donum perſeverantiæ*** ad finem uſque.

V. Reprobationem, quantum ad noſtrum compræhendendi modum, duobus in actibus conſiſtere, in ***præteritione***, deinde in ***prædamnatione***, illam omnes res & cauſas, quæ in rebus ſunt aut ex illis exiſtunt, antecedere, id eſt, nullum intuitum habere ullius peccati; & hominem ſolum intueri communiter atque abſolute.

VI. Ad executionem actus præteritionis, duo media præordinata eſſe; ***derelictionem*** in natura, quę per ſe nihil ſupernaturale poteſt: & ***non communicationem*** gratiæ ſupernaturalis, qua natura ipſarum firmetur integra aut inſtauretur corrupta. ***Negationem.***

VII. Prædamnationem res quidem omnes antecedere, nequaquam tamen ſine præſcientia cauſarum damnationis: quodque ea hominem intueatur peccatorem & damnationis reum in Adamo; atque propterea tamquam periturum ex neceſſitate juſtitiæ divinæ.

VIII. Media ad executionem hujus prædamnationis ordinata eſſe: primum, juſtam ***deſertionem***: eamque

eſſe

eſſe aut *explorationis*, qua Deus gratiam ſuam non confert, aut *pœna* cum Deus omnia ſalutaria ſua dona ab homine aufert, eumque in poteſtatem Satanæ tradit: Secundum medium eſſe *indurationem*, quæque ex ea ſequi ſolent; uſque ad realem damnationem reprobati.

Alij vero ſententiam ſuam declarant in hunc modum.

Tertia de prædeſtinatione ſententia.

I. Deum, cum vellet ab æterno apud ſe decretum facere, quo certos homines eligeret & cæteros reprobaret? Humanum genus intuitum eſſe non ſolum ut *conditum*, ſed etiam ut *lapſum & corruptum*, atque propterea maledictionis reum; ex lapſu & maledictione hac ſtatuiſſe eũ quoſdam liberare & ſervare per gratiam ſuam gratis, ad declarationẽ ſuæ miſericordiæ; cæteros vero in maledictione iuſto iudicio ſuo ſtatuiſſe derelinquere ad declarationẽ ſuæ juſtitiæ; idq; citra omnem conſiderationem reſipiſcentiæ & fidei in illis, aut impænitẽtiæ & infidelitatis in hiſce

II. Specialia media particulariter pertinentia tam ad executionem electionis quam reprobationis, *eadem ipſa eſſe* quæ in prima omnium ſententia expoſita ſunt; exceptis illis medijs quæ electioni cum reprobatione communia ſunt; quum hæc ſententia lapſum hominis ponat non ut *medium* ad executionẽ præcedentis decreti prædeſtinationis præordinatum, ſed ut id quod *proareſin* ſive occaſionem huic prædeſtinationis decreto faciendo præberet.

Meum iudicium de duabus proximè præcedentibus ſententijs.

Vtraque hæc ſententia, ut quidem extrinſecus præ ſe ferunt, in eo ad prima differunt; quod neque creationem neque lapſum cauſam mediam ponant præordinatam à Deo ad precedentis decreti prædeſtinationis executionem; quamvis quoad lapſum diverſitas aliqua in ſententijs horum percipiatur, cum ſecunda ſententia electionem reſpectu finis præponat lapſui, ſicuti etiam primam partem reprobationis, præteritionem ſcilicet; tertia vero ſententia totam electionem & reprobationem non niſi poſt lapſum hominis inchoet. Inter cauſas verò, cur hiſce viſum fuerit doctrinam de prædeſtinatione hoc modo tradere, neque tam alte, atque primi fecerunt, aſcendere, hæc non poſtrema fuit: quod præcavere voluerunt, ne ex doctrina ſua concluderetur, Deum *auctorem eſſe peccati*, idque ea probabilitate, qua quidam eorum, qui utrique huic ſententiæ aſſenſum præbuerunt, id è prima ſententia concludi poſſe indicaverunt. Verumenimvero ſi hasce ſententias aliquanto penitius inſpicere ac præcipuè quidem ſecundam & tertiam cum alijs eorundem Auctorum de Religionis noſtræ capitibus ſententijs collatas, probe examinare volemus, comperiemus lapſum Adami juxta ſententiam eorum non poſſe non conſiderari ut medium neceſſarium ad executionem præcedentis decreti prædeſtinationis.

In hiſce ſententijs id datur opera, ut lapſus Adami non ſtatuatur medium decreto prædeſtinationis ſubordinatum & ſubſerviens ſicque ſimul Deus author peccati.

Quoad ſecundam ſententiā ex duabus rationibus id apparet.

Idque primo quidem, quantum ad ſecundam ſententiam, ex duabus rationibus apparet in ea compræhenſis. *Prima.* Prima harum eſt, quod in ea ſtatuitur Deus per decretum reprobationis decreviſſe homini gratiam negare, quæ neceſſaria erat ut per eã natura firmaretur, quominus per peccatum corrumperetur: id autem eſt, decreviſſe gratiam eam non conferre, quæ neceſſaria erat ad peccatum evitandum, unde igitur neceſſario ſequi debuit *tranſgreſſio hominis*, quippe lege ipſi poſita. Eſt igitur lapſus

hominis

hominis medium ordinatum ad executionem decreti reprobationis. Secundo, duæ hic partes ſtatuuntur reprobationis, *præteritio & prædamnatio*, quæ duæ partes, juxta hoc decretum, neceſſaria inter ſeſe mutuo copula connexæ ſunt, & æque late patent. Omnes enim in collatione gratiæ *præteriti à Deo*, ſimul etiam *damnantur*, & quidem non alij; unde proinde concluditur, *peccatum neceſſario ex decreto reprobationis*, id eſt, *præteritionis ſequi debere*; alioquin enim fieri potuiſſet, ut qui præteritus eſſet, non peccaret, ex eoque damnabilis non fieret: ſolo peccato meritoria cauſa damnationis exiſtente; atque ita quidam præteritorum neque ſalvati neque damnati fuiſſent; quod magnum abſurdum eſt. Hæc itaque ſententia in *idem inconveniens cum prima* incidit; neque ſolum id non evitat; ſed dum id evitare conatur, in apertam & abſurdam contradictionem ſui ipſius incidit; quum quoad hoc, *prima ubique ſui ſimilis ſit.*

Secunda hac eſt.

Tertia ſententia hoc incommodum evitat quidem melius, niſi illius Patroni pro declaratione prædeſtinationis & providentiæ quippiam dicerent, ex quo etiam ipſo *neceſſitas lapſus* concludi poſſet; quæ tamen non niſi ex decreto aliquo prædeſtinationis oriri poteſt. Huc pertinet primum quidem deſcriptio *permiſſionis divinæ*, qua peccatum permittit: cujuſmodi hæc eſt; *Permiſſio eſt ſubtractio divinæ gratiæ, qua Deus (quum decreta ſua voluntatis per rationales creaturas exequitur) aut voluntatem ſuam, qua vult illum actum fieri, creaturæ non patefacit; aut voluntatem creaturæ non flectit ad obediendum divinæ voluntati in eo actu*: quibus hæc adduntur: *quod ipſum ſi ſit; peccat quidem creatura neceſſario, ſed tamen voluntarie atque libere.* Si dicatur, quod hæc deſcriptio non quadret in *permiſſionem* Dei, qua peccatum Adami *permiſit*; id quidem ita accipimus: nihilominus tamen ex hac deſcriptione ſequitur, *quod cætera peccata neceſſario fiant*. Secundo vero huc pertinet, quod quidam contendunt declarationem gloriæ Dei, quę neceſſario illuſtranda eſt, ſitam eſſe in *demonſtratione miſericordiæ & juſtitiæ punitivæ*; at hoc fieri non poteſt, niſi peccatum & per peccatum miſeria, ſaltem ad minimum meritum quoddam miſeriæ mundum ingrediantur; atque hoc modo etiam *peccatum* ex neceſſitate talis demonſtrationis gloriæ Dei, *neceſſario* introducitur. Quum jam *lapſus Adami* ponitur eſſe *neceſſarius*; ac propterea, etiam *medium* ad executionem præcedentis decreti prædeſtinationis; ſimul etiam ipſa *creatio* ponitur tamquam *medium* ſerviens executioni ejuſdem decreti. Lapſus enim creationem neceſſario ſequi non poteſt, niſi per decretum prædeſtinationis: quod inter creationem & lapſum non poteſt collocari, ſed tamquam præcedaneum utriq; præficitur; creationem ad lapſum ordinans; utraque autem, ad executionem unius ejuſdemque decreti, ad demonſtrandum *juſtitiam* in punitione peccati, & *miſericordiam* in remiſſione illius, alioquin enim, *quod creationem neceſſario ſequi debuit, à Deo in creatione intentum non eſſet*: quod impoſſibile eſt. Sed poſito, quod ex neutra harum duarum ſententiarum *neceßitas lapſus* Adami concludi poſſit; nihilō tamen minus omnes *præcedentes argumentationes* contra ſententiam primam productæ, etiam contra has valent,

Utrum tertia ſententia hoc incommodum vitet.

Prout quidam eam declarant; nequaquam: & quidem maxime per ſuā permiſſionis deſcriptionem.

Minime vero etiam per explicationem ſuam alteram, in qua declarationem gloriæ Dei ſitam eſſe arbitrantur.

Quidquid tandem ſit, rationes illæ propter quas prima ſententia rejecta eſt, etiam contra haſce am-

bus militant: unde & ipſa rejiciendo ſunt.

valent, paulo ſolum aliter *ſcopo ſuo accommodata*; prout appareret, ſi de eo collationem contingeret inſtitui. Atque hactenus quidem cum eas ſententias declaraverim, quæ circa articulum de prædeſtinatione in Eccleſijs noſtris atque etiam in Academia Leidenſi inculcantur, atque a me improbantur; ſimul vero etiam rationes meas produxerim, cur eo modo de illis judicé; deinceps meam ipſius ſententiam in medium proferam: quæ talis eſt, ut ego quidem arbitrer eam verbo Dei quam maxime conformem eſſe.

Mea ſententia de prædeſtinatione.

Primum & *abſolutum Dei decretum* de homine peccatore ſervando, eſſe, quo decrevit Filium ſuum Ieſum Chriſtum ponere in Mediatorem, Redemptorem, Salvatorem, Sacerdotem & Regem; qui peccatum morte ſua aboleat, amiſſam ſalutem obedientia ſua impetret, & virtute ſua communicet.

Secundum præciſum & *abſolutum Dei decretum* eſſe, quo decrevit *reſipiſcentes & credentes* in gratiam recipere, eoſque, perſeverantes ad finem uſque, ſalvos facere in Chriſto, propter Chriſtum & per Chriſtum; *impænitentes vero & infideles* in peccato & ſub ira derelinquere, atque damnare tamquam alienos à Chriſto.

Tertium Dei decretum eſt, quo decrevit *media* ad reſipiſcentiam & fidem neceſſaria, *ſufficienter & efficaciter* adminiſtrare. hanc adminiſtrationem inſtitui juxta *ſapientiam Dei*, qua ſcit, quid miſericordiam & ſeveritatem ſuam deceat, itemque juxta *iuſtitiam* ejus, per quam paratus eſt, ſapientiæ ſuæ præſcriptum ſequi atque executioni mandare.

Hinc ſequi quartum decretum, quo decrevit *ſingulares & certas quaſdam perſonas* ſalvare & damnare. Atque hoc decretum *præſcientia Dei* innititur, qua ab æterno ſcivit, quinam juxta ejuſcemodi adminiſtrationem mediorum ad converſionem & fidem idoneorum, ex præveniente ipſius gratia *credituri erant* & ex ſubſequente gratia *perſeveraturi*; quive vero etiam non erant *credituri & perſeveraturi*.

Hæc prædeſtinatio hoc modo expoſita

Hæc prædeſtinatio fundamentum ſalutis eſt.

I. Fundamentum Chriſtianiſmi eſt, ſalutis & certitudinis de ſalute.

Summa Euangelij eſt.

II. Materies Euangelij eſt, imo ipſummet Euangelium eſt: ex eoque, neceſſaria creditu ad ſalutem eſt, quantum ad duos priores articulos attinet.

Totidem verbis in Scripturis contenta, cuique nemo unquam contradixerit.

III. Neque opus habuit ut à *generali* aut à *particulari* ullo *Concilio* examinaretur aut decerneretur, cum clare atque expreſſe totidem verbis in ſcripturis contineatur, neque ei ab ullo orthodoxo Doctore unquam contradictum ſit.

Quovis tempore approbata.

IV. Ab omnibus recte *ſentientibus Doctoribus* ſemper agnita doctaque fuit.

Conſentit quin etiam cũ harmonia proteſtantium Eccleſiarum.

V. Congruit cum *Harmonia* omnium confeſſionum, quas proteſtantes Eccleſię ediderunt.

Itemque cum confeſſione & Catechiſmo harum Eccleſiarum.

VI. Optimè etiam congruit cum *confeſſione Belgica & Catechiſmo*; idque ita, ut ſi in Articulo decimo ſexto confeſſionis vocabula hæc; *quidam & alij*, exponantur, fideles & infideles; ſententia hæc in eo articulo multo clariſſimè comprehenſa ſit: quæ etiam cauſa eſt, quod diſputaturus aliquando in collegio publico-privato Academiæ, theſin juſſerim verbis

verbis ipſiſmet confeſſionis concipi. Cum *Catechiſmo* vero congruit argumento quæſtionis 20. & 54.

Conſentit cum natura Dei.

VII. Optimè conſentit cum *natura Dei, ſapientia bonitate & juſtitia illius:* utpote quæ ſit præcipua materies omniumque clariſſima ſapientiæ bonitatis & juſtitiæ Dei demonſtratio.

Cum natura hominis.

VIII. Conſentit in omnibus cum *natura hominis*, quomodocunque tandem illa conſideretur, ſive in primo ſtatu creationis ſive in ſtatu lapſus, ſive in ſtatu inſtaurationis.

Cum actu creationis.

IX. Convenit cum *actu creationis:* confirmando, quod creatio ipſiſſima ſit cõmunicatio boni ex intentione Dei atque ſecundum ipſum eventum: quod ex *bonitate* Dei oriatur, atque, quantum quidem ad continuationem ſive conſervationem illius attinet, ex *amore* proficiſcatur, perfectumque & proprium Dei opus ſit, in quo Deus ſibi complacuit & per quod ea omnia habuit, quæ ad non peccandum neceſſaria erant.

Cum natura æternæ vitæ.

X. Convenit cum *natura vitæ æternæ, & titulis*, quibus ea in Scripturis decoratur.

Cum natura æternæ mortis.

XI. Convenit cum *natura mortis æternæ & nominibus*, quibus ea in Scripturis cognominatur.

Peccatum ipſiſſimam inobedientiam ſtatuit atque meritoriam cauſam æternæ damnationis.

XII. Statuit peccatum vere *inobedientiam eſſe*, & cauſam meritoriam condemationis; ex eoque optime convenit cum *lapſu & peccato.*

Per omnia conſentit cum natura gratiæ.

XIII. Omnibus modis convenit cum *natura gratiæ:* omnia ei adſcribendo quæ ei competunt, eamque optime cum *juſtitia Dei*, cumque *natura & libertate voluntatis* in homine conciliando.

Ad declarationem divinæ gloriæ quā maxime facit.

XIV. Quam maxime facit ad *declarandam gloriam Dei*, ipſius juſtitiam & miſericordiam: ponitque Deum *cauſam* omnis boni & ſalutis noſtræ; hominem vero *cauſam* peccati & damnationis ſuæ.

Ieſu Chriſto honorifica eſt.

XV. Facit ad *honorem Ieſu Chriſti*; ipſum ponens fundamentum prædeſtinationis, cauſam meritoriam & communicatoriam ſalutis.

Promovet hominum ſalutem.

XVI. *Salutem* hominum valde *promovet*; quinimo *potentia & medium ad ſalutem eſt*; triſtitiam in homine procreans ſuper peccato, ſollicitudinem converſionis, fidem in Ieſum Chriſtum, ſtudium ad bona opera, zelum in precibus: facienſque ut *ſalutem noſtram in timore & tremore operemur*; deſperationem vero, quouſque neceſſe eſt, impedit.

Ordinem Evangelij ſtabilit.

XVII. Confirmat & ſtabilit *ordinem*, juxta quem Euangelium prædicari debet; poſtulando primum quidem *reſipiſcentiam & fidem*, deinde vero promittendo remiſſionem peccati, gratiam ſpiritus & vitam æternam.

Virtutem & efficaciam conciliat Evangelio.

XVIII. Stabilit *adminiſtrationem Euangelij* eamque fructuoſam reddit, quoad prædicationem, adminiſtrationem ſacramentorum & publicas preces.

Fundamentū Religionis Chriſtianæ eſt.

XIX. Fundamentum eſt *Religionis Chriſtianæ:* propterea quod in ea duplex Dei *amor* ſimul jungantur atque ſecum invicem convenienter concilientur, amor ſcilicet Dei erga juſtitiam, ſimulque erga homines.

A maiore parte Chriſtianorum approbata eſt.

Poſtremo, doctrina hæc à majore ſemper *parte Chriſtianorum approbata eſt*, atque etiamnum hodieq; à majore parte approbatur. Neque cuiquam occaſionem dare poteſt à ſe abhorrendi, aut ullam contentioni in Eccleſia Chriſtiana præbere anſam.

Nullam contentioni anſam præbere poteſt. Atque inſcrutabilia Dei iudicia non perveſtigat.

Vt proinde optandū eſſet, ne in hac materia procederetur ulterius; aut *imperſcrutabilia iudicia Dei* perveſtigarentur, ſaltem non ulterius, quam quouſque in Scripturis clare ea patefacta ſunt.

Hoc illud eſt, Nobiliſſ. & Potentiſſ. DD. Ordines, quod habui Celſit. veſtris exponendum, quoad doctrinam de Prædeſtinatione; de qua magna eſt in Eccleſia Chriſti controverſia. Niſi grave eſſet Celſit. veſtris, haberem etiam alia quædam Celſit. veſtris proponenda: quæ ſcilicet etiam ipſa ad declarationem meæ ſententiæ faciunt, eundemque ipſum ad finem tendunt, cujus gratia à Celſitud. veſtris juſſus ſum hoc in loco ſiſtere me.

Declaratio meæ ſententiæ ſuper aliis Religionis articulis.

Sunt nempe quidam præterea etiam aliĳ Chriſtianæ Religionis Articuli, qui magnam admodum cum doctrina de prędeſtinatione affinitatem habent, atque magna ex parte ab ea pendent; cuiuſmodi ſunt, *Providentia Dei, liberū hominis arbitrium; perſeverantia ſanctorum & certitudo ſalutis:* de his etiam ipſis ſi placet ſententiam meam breviter referam.

Mea ſententia de Providentia Dei.

Providentiam Dei ſtatuo eſſe *ſolicitum, continuum & ubique præſentem Dei intuitum, ſecundum quem univerſe quidem curat totum mundum, particulariter vero omnes univerſè creaturas, nulla earum excepta; horſum, ut eas in eſſentia ſua, qualitatibus, actionibus & paſſionibus ſuis conſervet & gubernet, prout ſe decet atque ipſis congruum eſt, ad laudem ſui nominis & ſalutem credentium.* Nequaquam itaque Providentiæ Dei quidquam ſubtraho eorum, quæ ei competunt; ſed dico omnia eam conſervare, regere, gubernare atque dirigere; quodque nihil plane caſu aut fortuito contingat. Imo vero etiam Providentiæ Dei ſubjicio *liberum arbitrium ipſoſque rationalis creaturæ actus*; ſic ut nihil fiat ſine voluntate illius, etiam eorum quæ contra voluntatem illius fiunt; obſervato ſolummodo diſcrimine quod eſt inter malos & bonos actus; dicendo, *Deum bonos actus velle & agere, malos vero liberè permittere.* quinimo vero perlibenter concedo, ut providentiæ Dei etiam *circa malum* omnes omnino actus adſcribantur, qui excogitari poſſunt; modo hoc ſolum caveatur, *ne inde Deus cauſa peccati eſſe ſtatuatur.* Quod luculentè ſatis teſtatus ſum in diſputatione quadam de Iuſtitia & efficacia providentiæ Dei in malo, Leidæ bis ſub me diſputata: in qua dedi operam, ut quotquot ex Scriptura concludere poſſem actus circa peccatum Deo competere, eos ipſi adſcriberem: in eoque eo uſque progreſſus ſum, ut quidam ex eo occaſionem ſumpſerint imponendi mihi, quaſi Deum *auctorem peccati conſtituerem*: quod Amſterodami ex iiſdem illis theſibus pro ſuggeſtu pluries contra me productum fuit, ſed quo jure, ex illis conſtare poteſt, quę ad triginta & unum articulos falſo mihi impoſitos (quorum antea mentionem feci) ſcripto reſpondi: nam eorum etiam hic unus erat.

Permitto ut Providentiæ Dei, quæcumque excogitari poſſunt actus adſcribantur modo hoc caveatur, ne propterea Deus cauſa peccati eſſe ſtatuatur. Quam calumniam hoc nomine ſubire debuerim.

De Libero hominis arbitrio.

De Libero arbitrio hominis ita ſentio; hominem in primo ſtatu creationis ſuæ ejuſcemodi notitia, ſanctitate iiſque viribus inſtructum fuiſſe, ut verum bonum intelligere, æſtimare, conſiderare, velle & perficere valuerit, prout quidem ei mandatum erat: ſed hoc tamen non niſi cum *auxilio gratiæ Dei*: in ſtatu vero lapſus & peccati; ex ſeipſo & à ſeipſo, quod quidē vere bonum eſt, neq; cogitare,

cogitare, neque velle aut facere poſſe; ſed neceſſe eſſe, ut à Deo in Chriſto per Spiritum ſanctum ipſius regeneretur & renovetur in *intellectu*, *affectionibus ſive voluntate*, *omnibuſque viribus*, ad id quod vere bonum eſt recte intelligendum, æſtimandum, conſiderandum, volendum & faciendum. Hujus vero regenerationis ſive renovationis participem factum, ſtatuo eum utpote liberatum à peccato, poſſe bonum cogitare, velle & facere, ſed tamen non niſi cum auxilio ſemper gratiæ Dei.

De gratia Dei.

Quantum ad gratiam Dei: credo primo, eam eſſe *gratuitum affectum* quo Deus bene affectus eſt erga miſerum peccatorem; ſecundum quem primo quidem Filium dat, ut *qui credit in eum, vitam æternam habeat*. Deinde vero in Ieſu Chriſto & propter Ieſum Chriſtum *eum juſtificat & in jus filiorum adoptat ad ſalutem*. 2. Eam eſſe infuſionem omnium eorum donorum Spiritus ſancti tam in *intellectu* quam in *voluntate & affectibus* hominis, quæ ad regenerationem & renovationem illius pertinent; ut ſunt *fides, ſpes, charitas*, &c. ſine hiſce donis gratiæ idoneum non eſſe hominem, ut quidquam boni cogitet velit aut faciat. 3. Eam eſſe *continuam aſſiſtentiam* atque continuatum auxilium Spiritus ſancti, ſecundum quod Spiritus ſanctus hominem jam ante regenitum pulſet atque excitet ad bonum, infundendo ei ſalutares cogitationes, inſpirandoque bona deſideria, ut ſic bonum actualiter velit; quinimo etiam ſecundum quod deinde cum homine una velit atque operetur, ut homo quod vult, id etiam perficiat. Atque hoc modo gratiæ adſcribo *initium, continuationem atque conſummationem omnis boni*; etiam eouſque, ut homo jam regeneratus ſine hac præveniente & excitante ſequente & cooperante gratia, bonum prorſus neque cogitare, velle aut facere poſſit, ac ne quidem ulli tentationi malæ reſiſtere. Vnde liquido apparet, me in gratiam plane *injurium* non eſſe, atque qui Libero hominis ſicuti de me ſpargitur, arbitrio nimium tribuam, tota enim controverſia in eo ſolum eſt poſita, utrum gratia Dei ſit irreſiſtibilis quædam vis. Hoc eſt; controverſia non eſt de actionibus aut operationibus, quæ gratiæ adſcribi poſſunt; cujuſmodi tam multas ego confiteor atque inculco quam quiſquam unquam fecit alius; ſed de modo ſolum operationis, utrum irreſiſtilis ea ſit nec ne. Quantum enim ad hoc, juxta Scripturas credo, quod multi *Spiritui S. reſiſtunt, & gratiam oblatam repellunt*.

Omnia gratiæ adſcribantur licet, modo ne ſtatuatur irreſiſtibilis eſſe.

De perſeverantia ſanctorum.

Quantum ad Perſeverantiam ſanctorum, de ea ſic ſentio: eos qui Ieſu Chriſto per veram fidem inſiti ſunt, ſicque Spiritus vivificantis illius participes facti ſunt, *ſufficientes vires habere* ad pugnandum cum Satana, peccato, mundo propriaque ſua carne, atque ad obtinendum victoriam; ſed tamen non niſi per *aſſiſtentiam gratiæ ejuſdem ſpiritus*; quinimo Ieſum Chriſtum per ſuum ſpiritum illis in omnibus tentationibus adſiſtere atque auxiliarem manum præbere, &, *modo ad pugnam parati ſint & operam ipſius implorent, ſibique ipſis non deſint*, eos à lapſu præſervare, ſic ut nulla aſtutia aut vi Satanæ ſeduci aut ex manibus Chriſti trahi poſſint: ſed utrum ijdem per negligentiam *initium ſuæ in Chriſto exiſtentiæ* deſerere non poſſint, *præſenti*

huic mundo rurſus adhærere, à ſana doctrina ſemel illis tradita deficere, bonam conſcientiam amittere, gratiam irritam facere; id vero uti ex Scriptura diligenter inquiratur, utile eſſe arbitror, ſimulque etiam neceſſe fore, ut de eo in primo noſtro conventu agamus. Ingenue tamen affirmo, nunquam me docuiſſe, quod vere credens aut *totaliter* aut *finaliter à fide deficiat, ſicque pereat*, quamvis non diſſimulem eſſe loca Scripturæ quæ id videantur præ ſe ferre, ad quę reſponſiones ejuſmodi videre mihi non licuit, quæ ſeſe mihi per omnia probaverint, quemadmodum etiam ab altera parte loca quædam adducuntur obſervatu etiam illa non indigna.

De certitudine ſalutis.

Quantum ad *certitudinem ſalutis*, ſtatuo eum, qui credit in Ieſum Chriſtum, tam ex actione Spiritus ſancti intus ipſum agentis & fructibus fidei, quam ex propria ſua conſcientia & teſtimonio Spiritus una cum ea teſtante, *certum perſuaſumque poſſe eſſe* atque etiam *reipſa certum eſſe, ſi cor ſuum ſe non condemnet, Filium ſe Dei eſſe & in gratia Ieſu Chriſti ſtare*, quinimo cum certa fiducia gratiæ Dei & miſericordię in Chriſto ex hac vita migrare poſſe & coram tribunali gratiæ comparere, citra anxium timorem & terribilem metum, ſemper tamen orare debere, ut *Dominus ſecum non ingrediatur in iudicium*. Sed cum Dominus major ſit corde noſtro & omniū conſcius, homoq; ſeipſum non judicet: quinimo etiam quamvis nullius ſibi ipſi conſcius, in hoc tamen non juſtificetur, ſed Deus ſit qui ipſum judicet: hanc certitudinem non audeo *tanti facere*, quanti eſt illa certitudo, qua ſcimus *Deum eſſe*, & quod *Chriſtus ſit Salvator mundi*. Verumenimvero quouſque tandem hæc certitudo ſe extendat, de eo etiam ipſo in conventu noſtro agi poterit.

De perfectione fidelium in hac vita.

Præter ea quæ jam dixi, multus ſæpe etiam ſermo ſeritur de *perfectione fidelium ſive regenitorum in hac vita*: ſpargorque ego de hac re aliter ſentire quam decet, fereque ut Pelagiani; videlicet quod regeniti in hac vita præcepta Dei *perfecte ſervare poſſint*: ad hoc vero reſpondeo, quod quamvis ita ſentirem, propterea tamen pro Pelagiano haberi non deberem, neque ex parte neque in totum; modo videlicet hoc ſolum adjicerem, id ipſos poſſe *per gratiam Chriſti*, nequaquam autem *citra eam*: quod tamen fidelis præcepta Chriſti in hac vita *perfectè ſervare poßit*, nunquam dixi, ſed neque id negavi unquam, verum totum in medio ſemper reliqui: contentus illis quæ Auguſt. de hac re dicit, cujus proinde etiam verba multoties in Academia adduxi: addito, nihil me habere amplius quod illis adjicerem.

Auguſtini ſententia de hoc capite.

Ea autem hæc ſunt: *quatuor ſunt quæſtiones quæ in hoc negotio attendi poſſunt. Prima eſt utrum ullus unquam homo ſine peccato fuerit, qui ab initio vitæ ſuæ ad finem illius uſque non peccaverit. Secunda eſt, utrum unquam vel fuerit, vel ſit, vel eſſe poßit qui non peccet, hoc eſt, qui ad eam perfectionem in hoc ſeculo perveniat; ut non peccet, ſed legem Dei perfecte impleat. Tertia eſt, utrum hominem in hoc ſeculo ſine peccato eſſe poßibile ſit. Quarto, ſi homo ſine peccato eſſe poßit, cur talis nunquam ſit.* Ad primam reſpondet Auguſtinus, *nunquam talem hominem fuiſſe aut futurum eſſe, præter Ieſum Chriſtum.* Ad ſecundam, *non putare ſe, quod ullus unquam homo ad perfectionem in hoc ſeculô pervenerit.* Ad tertium, *hominem*

enim ullo diverſo reſpectu dici poteſt communicata eſſe ei & non eſſe communicata ei, cum hæc contradictoria ſint, quæ diverſo reſpectu nullatenus conciliari poſſunt. Si eam à *ſe ipſo habet*, quatenus *abſolute* ea conſideratur, non poteſt illa ei communicari, ſi *ei communicata eſt*, quantenus *relate* ea conſideratur, non poteſt eam *abſolute* conſiderata à ſe ipſo habere. Rogabor forte utrum non fatear, duo hæc diſtincta inter ſe eſſe, Filium Dei eſſe & Deum eſſe. Utique ſane: ſed cum ulterius proceditur, diciturque quod ſicuti Filium Dei eſſe, ſignificat à Patre eſſentiam ſuam habere, ita Deum eſſe, nihil aliud ſignificet, quam eſſentiam ſuam à ſeipſo habere aut à nemine, id vero pernego: ſimulque dico magnum hoc eſſe *ἁμάρτημα*, non ſolum in Sacra Theologia, ſed etiam in naturali Philoſophia. Nam, Filium eſſe & Deum eſſe optime inter ſe hæc conveniunt: à Patre vero eſſentiam ſuam habere eamque ſimul à nemine habere, contradictoria ſunt ſeque mutuo perimunt. Sed ut hæc hallucinatio clarius apparere poſſit, obſervandum eſt bis terna quædam parallela juxta ſe poſita, æquipollere, hæc ſcilicet:

Ab æterno eſſe, Deus. *divinam eſſentiam ab æterno habens.*

A nullo eſſe, Pater. *divinam eſſentiam à nullo habens.*

A Patre eſſe, Filius. *divinam eſſentiam à Patre habens.*

Vocabulum itaque *Deus* ſignificat, quod veram divinam eſſentiam habeat: vocabulum vero *Filius*, quod eam habeat à Patre, unde recte & *Deus & Dei Filius* appellatur, ſed quum Pater appellari non poſſit, dici etiam non poteſt eſſentiam à *ſe ipſo aut à nullo* habere. Equidem tamen in hoc incumbitur, hæc uti excuſentur: dicendo, quod cum Filius Dei qua Deus, dicitur eſſentiam ſuam à ſeipſo habere, id nihil aliud ſit, atque ſi dicatur, divina eſſentia non eſſe ab aliquo. Sed ſi ita agere viſum eſt, nihil tam prave dici poterit, quod non poterit excuſari. Quamvis enim Deus & eſſentia divina non differant *οὐσιωδῶς*, nequaquam tamen, quidquid de eſſentia divina prædicari poteſt, idem de Deo prædicari poteſt; quia noſtro conceptus modo ea diſtinguuntur; ad quem tamen omnes loquendi modi exigi debent: cum propterea adhibeantur, ut per eos recte quid percipiamus. Idque hinc apparet; quod recte quidem dicimus, *Deum mortuum eſſe*. Item, *eſſentiam Dei communicari*, ſed minime, *Deum communicari*. Qui differentiam tenet inter *concretum & abſtractum*, de quo inter nos & *Lutheranos* tam crebro diſputatum fuit, facile intelligit, quam multa abſurda conſequerentur, ſi ejuſmodi explicationes ſemel in Eccleſia Dei permitterentur. Nullo igitur modo tamquam bene dictum excuſari poteſt, *Filium Dei αὐτόθεον eſſe*; neque vero etiam *propria locutio* dici eſſe, cum dicitur, *eſſentia Dei trium perſonarum communis eſſe*; *impropria vero*; cum ea uni ab altera *communicata* eſſe dicitur: atque hoc quidem quod dico, obſervari quam maxime velim, ut hinc apparere poſſit, quantum valeamus tolerare in eo, quem *hæreſeos* ſuſpectum non habemus, & quam contra avide quidlibet arripiamus ad eum gravandum, quem habemus ſuſpectum: cujus quidem rei hoc exem-

Quod hic dico, diligenter notandum eſt.

exemplum minus eſt manifeſtum illud.

De iuſtificatione hominis coram Deo.

De *Iuſtificatione* hominis coram Deo mihi conſcius non ſum, aliud aut docuiſſe aut ſentire, quam quod de ea ſentiunt unanimiter *Eccleſia reformata & Proteſtantium*, optimeque cum ſententia ipſarum congruit. Fuit quidem quantum ad hanc rem controverſia quædam inter *Iohannem Piſcatorem Profeſſorem Theologiæ in Academia Naſſovica*, & *Eccleſias Gallicas*: eaque in hoc poſita, *utrum obedientia ſive iuſtitia Chriſti quæ fidelibus imputatur, atque in qua iuſtitia eorum coram Deo conſiſtit, obedientia ſolummodo paſſiva Chriſti ſit*, ut ſtatuebat D. *Piſcator*; *an vero præterea etiam ea iuſtitia activa illius ſit, quam tota vita ſua Legi Dei exhibuit, etiamque ſanctitas illa, in qua conceptus eſt*, ut ſtatuebant *Eccleſia Gallica*.

Controverſia inter Profeſſorem quendam in Comitatu Naſſovico, & Eccleſias Gallicas.

Huic quæſtioni me non interpono, quia circa hanc rem ſalva confeſſionis unitate alius ab alio diverſam ſententiam ſequi poſſimus.

Sed ego nunquam huic me quæſtioni immiſcere aut iudicium illius aſſumere auſus fui; mecum ſtatuens, poſſe eos, qui eandem Religionem profitentur, diverſum alios ab alijs in hac re ſentire, ſalva *pace Chriſtiana* & *unitate fidei*: quod ipſum utrinque ipſimet iudicare videntur adverſarij, alter alterum tolerantes, neque *fraternitatem* ſibi invicem propterea renuntiantes: ut ut de eo in patria noſtra quidam aliud iudicium ferunt.

Quid hic in quæſtionem vocetur.

Præterea vero, quæſtio movetur de verbis Apoſt. Pauli ad Romanos Cap. 4. hiſce videlicet, *Fides imputatur in iuſtitiam*; utrum nempe ea intelligi debeant *propriè*, ſic ut *ipſa fides*, tamquam actus juxta mandatum Euangelij præſtitus, *imputetur* coram Deo *in*, ſive *ad iuſtitiam*, idque ex gratia, cum non ſit ipſamet iuſtitia legis: an vero ſic intelligi debeant, ut *iuſtitia Chriſti per fidem apprehenſa nobis in iuſtitiam imputetur*, id eſt, *figurate* atque *impropriè*? aut vero etiam ſic, ut *iuſtitia*, *in quam* ſive *ad quam fides imputatur*, *ſit fidei inſtrumentale opus*, ſicuti quidam adſerunt. Ego *priorem ſententiam* ſequutus ſum in theſibus de *Iuſtificatione* ſub me diſputatis; non quidem præciſè, ſimpliciter nihilominus tamen alibi in *Epiſtola quadam*. Hanc ob cauſam iudicor de *Iuſtificatione hominis coram Deo* male ſentire & male docere. Hoc vero quale ſit, id ſuo tempore in *collatione mutua* liquere poterit.

Mea ſententia.

In præſentiarum vero breviter dico, *credere me peccatores ſola Chriſti obedientia iuſtos conſtitui: & quod iuſtitia Chriſti, ſola meritoria cauſa ſit, propter quam Deus credentibus peccatum condonet, eoſque pro iuſtis reputat; non aliter atque ſi legem perfecte impleviſſent. Quoniam vero Deus iuſtitiam Chriſti nemini imputat niſi fidelibus, ſtatuo hoc ſenſu bene & propriè dici fidem homini credenti, in iuſtitiam ex gratia imputari: quatenus Deus Ieſum, Chriſtum Filium ſuum propoſuit tribunal, gratiæ ſive propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.* Sed quidquid hic ſit, *mea ſententia* non uſque adeo diſcrepat à *ſententia Calvini*, quem tamen nemo noſtrum reprehendit atque male in hac re ſentientem, quin *paratus eſſem manu mea ſubnotatione ſubſcribere illis, quæ in tertio Inſtitutionum ſuarum libro de hac re dicit, iiſque calculum meum adijcere.*

Paratus ſum, quidquid Calvinus lib. Inſtit. 3. de hac re dicit, amplecti eique ſubſcribere.

Atque hi ſunt, *Nobiliſſ. & Potentiſſ. Ordines*, *præcipui Articuli*, circa quos neceſſe eſſe iudicavi ut juxta mandatum hujus veſtri conſeſſus quid ſentiam, declararem.

Sunt vero porro in *confeſſionem Eccleſiarum Belgicarum* & in *Catechiſmum Heidelbergenſem* quædam etiam à me annotata; ſed de his commode in *Synodo noſtra* agi poterit; quam primo

Atque hæc illa ſunt breviter quæ in hanc de Prædeſtinatione doctrinam meditatus ſum, ex ſuis illam Auctoribus optima à me fide propoſitam; nihil ut ipſis affinxerim, quod ex eorum ſcriptis liquido probare non poſſim.

Secunda ſententia de prædeſtinatione.

Quidam vero ex noſtris Doctoribus doctrinam hanc de Prædeſtinatione Dei paulo aliter declarant; idque duobus diverſis modis: quod etiam ipſum breviter percurram. Apud quoſdam igitur eorum ſententia hæc tenet.

I. Deum in ſeſe æterno & immutabili decreto propoſuiſſe ex univerſitate hominum minorem partem pro ſuo beneplacito, gratiæ & gloriæ ſuæ participes facere, ad laudem glorioſæ gratię ſuæ: pro placito autem ſuo majorem partem præterire atque in natura ipſorum, quæ ſupernaturale nihil poteſt, relinquere, ac non communicare cum illis ſalutarem & ſupernaturalem gratiam, per quam natura ipſorum etiamnum adhuc integra firmari, aut corrupta inſtaurari poſſit, ad demonſtrationem ſuæ libertatis. Poſtmodum vero peccatores eos factos & mortis reos, æterna morte punire, ad demonſtrationem ſuæ juſtitię.

II. Prædeſtinationem (quæ vox apud hoſce ſpecialiter pro electione accipitur & reprobationi opponitur) conſiderandam eſſe *reſpectu finis & mediorum ad finem tendentium*. Reſpectu *finis* qui eſt ſalus & illuſtratio glorioſæ gratiæ Dei: conſiderari hominem communiter & abſolute, qualis in natura ſua eſt. Reſpectu vero *mediorum*, hominem conſiderari tamquam à ſe & in ſe periturum atque tamquam reum in Adamo.

III. In decreto de fine hoſce gradus eſſe obſervandos; Dei *præſcientiam*, per quam prędeſtinatos ante præcognovit. Deinde ejus *præfinitionem*, per quam ſalutem eorum, quos ante præcognovit, præordinavit; primo quidem eos eligendo ab æterno; deinde vero ipſis præparando, gratiam quidem in hoc ſeculo, gloriam vero in ſeculo futuro.

IV. Media ad executionem prędeſtinationis hujus pertinentia, ipſum *Chriſtum eſſe*: Deinde vero *efficacem vocationem ad fidem in Chriſtum*, unde oriatur iuſtificatio, tandem vero etiam *donum perſeverantiæ* ad finem uſque.

V. Reprobationem, quantum ad noſtrum compræhendendi modum, duobus in actibus conſiſtere, in *præteritione*, deinde in *prædamnatione*, illam omnes res & cauſas, quæ in rebus ſunt aut ex illis exiſtunt, antecedere, id eſt, nullum intuitum habere ullius peccati; & hominem ſolum intueri communiter atque abſolute.

VI. Ad executionem actus præteritionis, duo media præordinata eſſe; *derelictionem* in natura, quę per ſe nihil ſupernaturale poteſt: & *non communicationem* gratiæ ſupernaturalis, qua natura ipſarum firmetur integra aut inſtauretur corrupta. *Negationem.*

VII. Prædamnationem res quidem omnes antecedere, nequaquam tamen ſine præſcientia cauſarum damnationis: quodque ea hominem intueatur peccatorem & damnationis reum in Adamo; atque propterea tamquam periturum ex neceſſitate juſtitiæ divinæ.

VIII. Media ad executionem hujus prædamnationis ordinata eſſe: primum, juſtam *deſertionem*: eamque

eſſe

eſſe aut *explorationis*, qua Deus gratiam ſuam non confert, aut *pœna* cum Deus omnia ſalutaria ſua dona ab homine aufert, eumque in poteſtatem Satanæ tradit: Secundum medium eſſe *indurationem*, quæque ex ea ſequi ſolent; uſque ad realem damnationem reprobati.

Alij vero ſententiam ſuam declarant in hunc modum.

Tertia de prædeſtinatione ſententia.

I. Deum, cum vellet ab æterno apud ſe decretum facere, quo certos homines eligeret & cæteros reprobaret? Humanum genus intuitum eſſe non ſolum ut *conditum*, ſed etiam ut *lapſum & corruptum*, atque propterea maledictionis reum; ex lapſu & maledictione hac ſtatuiſſe eũ quoſdam liberare & ſervare per gratiam ſuam gratis, ad declarationẽ ſuæ miſericordiæ; cæteros vero in maledictione iuſto iudicio ſuo ſtatuiſſe derelinquere ad declarationẽ ſuæ juſtitiæ; idq; citra omnem conſiderationem reſipiſcentiæ & fidei in illis, aut impænitẽtiæ & infidelitatis in hiſce

II. Specialia media particulariter pertinentia tam ad executionem electionis quam reprobationis, *eadem ipſa eſſe* quæ in prima omnium ſententia expoſita ſunt; exceptis illis medijs quæ electioni cum reprobatione communia ſunt; quum hæc ſententia lapſum hominis ponat non ut *medium* ad executionẽ præcedentis decreti prædeſtinationis præordinatum, ſed ut id quod *proareſin* ſive occaſionem huic prædeſtinationis decreto faciendo præberet.

Ad eorum iudicium de duabus proxime præcedentibus ſententiis.

Vtraque hæc ſententia, ut quidem extrinſecus præ ſe ferunt, in eo ad prima differunt; quod neque creationem neque lapſum cauſam mediam ponant præordinatam à Deo ad præcedentis decreti prædeſtinationis executionem; quamvis quoad lapſum diverſitas aliqua in ſententijs horum percipiatur, cum ſecunda ſententia electionem reſpectu finis præponat lapſui, ſicuti etiam primam partem reprobationis, præteritionem ſcilicet; tertia vero ſententia totam electionem & reprobationem non niſi poſt lapſum hominis inchoet. Inter cauſas verò, cur hiſce viſum fuerit doctrinam de prædeſtinatione hoc modo tradere, neque tam alte, atque primi fecerunt, aſcendere, hæc non poſtrema fuit: quod præcavere voluerunt, ne ex doctrina ſua concluderetur, Deum *auctorem eſſe peccati*, idque ea probabilitate, qua quidam eorum, qui utrique huic ſententiæ aſſenſum præbuerunt, id è prima ſententia concludi poſſe indicaverunt. Verumenimvero ſi haſce ſententias aliquanto penitius inſpicere ac præcipuè quidem ſecundam & tertiam cum alijs eorundem Auctorum de Religionis noſtræ capitibus ſententijs collatas, probe examinare volemus, comperiemus lapſum Adami juxta ſententiam eorum non poſſe non conſiderari ut medium neceſſarium ad executionem præcedentis decreti prædeſtinationis.

In hiſce ſententijs id detur opera, ut lapſus Adami non ſtatuatur medium decreto prædeſtinationis ſubordinatum & ſubſerviens ſicque ſimul Deus author peccati.

Quoad ſecundum ſententiã ex duabus rationibus id apparet.

Idque primo quidem, quantum ad ſecundam ſententiam, ex duabus rationibus apparet in ea comprehenſis. Prima harum eſt, quod in ea ſtatuitur Deus per decretum reprobationis decreviſſe homini gratiam negare, quæ neceſſaria erat ut per eã natura firmaretur, quominus per peccatum corrumperetur: id autem eſt, decreviſſe gratiam eam non conferre, quæ neceſſaria erat ad peccatum evitandum, unde igitur neceſſario ſequi debuit *tranſgreſſio hominis*; quippe lege ipſi poſita. Eſt igitur lapſus

Prima.

 hominis

hominis medium ordinatum ad executionem decreti reprobationis. Secundo, duæ hic partes ſtatuuntur reprobationis, *præteritio & prædamnatio*, quæ duæ partes, juxta hoc decretum, neceſſaria inter ſeſe mutuo copula connexæ ſunt, & æque late patent. Omnes enim in collatione gratiæ *præteriti à Deo*, ſimul etiam *damnantur*, & quidem non alij; unde proinde concluditur, *peccatum neceſſario ex decreto reprobationis*, id eſt, *præteritionis ſequi debere*; alioquin enim fieri potuiſſet, ut qui præteritus eſſet, non peccaret, ex eoque damnabilis non fieret: ſolo peccato meritoria cauſa damnationis exiſtente; atque ita quidam præteritorum neque ſalvati neque damnati fuiſſent; quod magnum abſurdum eſt. Hæc itaque ſententia in *idem inconveniens cum prima* incidit; neque ſolum id non evitat; ſed dum id evitare conatur, in apertam & abſurdam contradictionem ſui ipſius incidit; quum quoad hoc, *prima ubique ſui ſimilis ſit.*

Secunda [illegible] eſt.

Tertia ſententia hoc incommodum evitat quidem melius, niſi illius Patroni pro declaratione prædeſtinationis & providentiæ quippiam dicerent, ex quo etiam ipſo *neceſſitas lapſus* concludi poſſet; quæ tamen non niſi ex decreto aliquo prædeſtinationis oriri poteſt. Huc pertinet primum quidem deſcriptio *permiſſionis divinæ*, qua peccatum permittit: cujuſmodi hæc eſt; *Permiſſio eſt ſubtractio divinæ gratiæ, qua Deus (quum decreta ſuæ voluntatis per rationales creaturas exequitur) aut voluntatem ſuam, qua vult illum actum fieri, creaturæ non patefacit; aut voluntatem creaturæ non flectit ad obediendum divinæ voluntati in eo actu:* quibus hæc adduntur: *quod ipſum ſi ſit; peccat quidem creatura neceſſario, ſed tamen voluntarie atque libere.* Si dicatur, quod hæc deſcriptio non quadret in *permiſſionem Dei*, qua peccatum Adami *permiſit*; id quidem ita accipimus: nihilominus tamen ex hac deſcriptione ſequitur, *quod cætera peccata neceſſario fiant*. Secundo vero huc pertinet, quod quidam contendunt declarationem gloriæ Dei, quę neceſſario illuſtranda eſt, ſitam eſſe in *demonſtratione miſericordiæ & iuſtitiæ punitivæ*; at hoc fieri non poteſt, niſi peccatum & per peccatum miſeria, ſaltem ad minimum meritum quoddam miſeriæ mundum ingrediantur; atque hoc modo etiam *peccatum* ex neceſſitate talis demonſtrationis gloriæ Dei, *neceſſario* introducitur. Quum jam *lapſus Adami* ponitur eſſe *neceſſarius*; ac propterea, etiam *medium* ad executionem præcedentis decreti prædeſtinationis; ſimul etiam ipſa *creatio* ponitur tamquam *medium* ſerviens executioni ejuſdem decreti. Lapſus enim creationem neceſſario ſequi non poteſt, niſi per decretum prædeſtinationis: quod inter creationem & lapſum non poteſt collocari, ſed tamquam præcedaneum utriq; præficitur; creationem ad lapſum ordinans; utraque autem, ad executionem unius ejuſdemque decreti, ad demonſtrandum *iuſtitiam* in punitione peccati, & *miſericordiam* in remiſſione illius. alioquin enim, *quod creationem neceſſario ſequi debuit*, *à Deo in creatione intentum non eſſet*: quod impoſſibile eſt. Sed poſito, quod ex neutra harum duarum ſententiarum *neceſſitas lapſus* Adami concludi poſſit; nihilō tamen minus omnes *præcedentes argumentationes* contra ſententiam primam productæ, etiam contra has valent,

Utrum tertia ſententia hoc incommodum vitet.

Prout quidem eam declarant; nequaquam: & quidem maxime per ſuā permiſſionis deſcriptionem.

Minime vero etiam per explicationem ſuam eius, in quo declarationem gloriæ Dei ſitam eſſe arbitrantur.

Quidquid tandem ſit, rationes illæ propter quas prima ſententia rejecta eſt, etiam contra hasce am-

bus militant: unde & ipſa rejicienda ſint.

valent, paulo ſolum aliter *ſcopo ſuo accommodata*; prout appareret, ſi de eo collationem contingeret inſtitui. Atque hactenus quidem cum eas ſententias declaraverim, quæ circa articulum de prædeſtinatione in Eccleſijs noſtris atque etiam in Academia Leidenſi inculcantur, atque a me improbantur; ſimul vero etiam rationes meas produxerim, cur eo modo de illis judicé; deinceps meam ipſius ſententiam in medium proferam: quæ talis eſt, ut ego quidem arbitrer eam verbo Dei quam maxime conformem eſſe.

Mea ſententia de prædeſtinatione.

Primum & *abſolutum Dei decretum* de homine peccatore ſervando, eſſe, quo decrevit Filium ſuum Ieſum Chriſtum ponere in Mediatorem, Redemptorem, Salvatorem, Sacerdotem & Regem; qui peccatum morte ſua aboleat, amiſſam ſalutem obedientia ſua impetret, & virtute ſua communicet.

Secundum præciſum & *abſolutum Dei decretum* eſſe, quo decrevit *reſipiſcentes & credentes* in gratiam recipere, eoſque, perſeverantes ad finem uſque, ſalvos facere in Chriſto, propter Chriſtum & per Chriſtum; *impœnitentes vero & infideles* in peccato & ſub ira derelinquere, atque damnare tamquam alienos à Chriſto.

Tertium Dei decretum eſt, quo decrevit *media* ad reſipiſcentiam & fidem neceſſaria. *ſufficienter & efficaciter* adminiſtrare. hanc adminiſtrationem inſtitui juxta *ſapientiam Dei*, qua ſcit, quid miſericordiam & ſeveritatem ſuam deceat, itemque juxta *juſtitiam* ejus, per quam paratus eſt, ſapientiæ ſuæ præſcriptum ſequi atque executioni mandare.

Hinc ſequi quartum decretum, quo decrevit *ſingulares & certas quaſdam perſonas* ſalvare & damnare. Atque hoc decretum *præſcientia* Dei innititur, qua ab æterno ſcivit, quinam juxta ejuſcemodi adminiſtrationem mediorum ad converſionem & fidem idoneorum, ex præveniente ipſius gratia *credituri erant* & ex ſubſequente gratia *perſeveraturi*; quive vero etiam non erant *credituri & perſeveraturi*.

Hæc prædeſtinatio hoc modo expoſita

I. Fundamentum Chriſtianiſmi eſt, ſalutis & certitudinis de ſalute. *Hæc prædeſtinatio fundamentum ſalutis eſt.*

II. Materies Euangelij eſt, imo ipſummet Euangelium eſt: ex eoque, neceſſaria creditu ad ſalutem eſt, quantum ad duos priores articulos attinet. *Summa Euangelij eſt.*

III. Neque opus habuit ut à *generali* aut à *particulari* ullo Concilio examinaretur aut decerneretur, cum clare atque expreſſe totidem verbis in ſcripturis contineatur, neque ei ab ullo orthodoxo Doctore unquam contradictum ſit. *Totidem verbis in Scripturis contenta, cuique nemo unquam contradixerit.*

IV. Ab omnibus recte *ſentientibus* Doctoribus ſemper agnita doctaque fuit. *Quovis tempore approbata.*

V. Congruit cum *Harmonia* omnium confeſſionum, quas proteſtantes Eccleſię ediderunt. *Conſentit quin etiam cũ harmonia proteſtantium Eccleſiarum.*

VI. Optimè etiam congruit cum *confeſſione Belgica & Catechiſmo*; idque ita, ut ſi in Articulo decimo ſexto confeſſionis vocabula hæc; *quidam & alij*, exponantur, fideles & infideles; ſententia hæc in eo articulo multo clariſſimè compræhenſa ſit: quæ etiam cauſa eſt, quod diſputaturus aliquando in collegio publico-privato Academiæ, theſin juſſerim verbis *Itemque cum confeſſione & Catechiſmo harum Eccleſiarum.*

verbis ipſiſmet confeſſionis concipi. Cum *Catechiſmo* vero congruit argumento quæſtionis 20. & 54.

Conſentit cum natura Dei. VII. Optimè conſentit cum *natura Dei, ſapientia bonitate & iuſtitia illius:* utpote quæ ſit præcipua materies omniumque clariſſima ſapientiæ bonitatis & juſtitiæ Dei demonſtratio.

Cum natura hominis. VIII. Conſentit in omnibus cum *natura hominis*, quomodocunque tandem illa conſideretur, ſive in primo ſtatu creationis ſive in ſtatu lapſus, ſive in ſtatu inſtaurationis.

Cum actu creationis. IX. Convenit cum *actu creationis:* confirmando, quod creatio ipſiſſima ſit cõmunicatio boni ex intentione Dei atque ſecundum ipſum eventum: quod ex *bonitate* Dei oriatur, atque, quantum quidem ad continuationem ſive conſervationem illius attinet, ex *amore* proficiſcatur, perfectumque & proprium Dei opus ſit, in quo Deus ſibi complacuit & per quod ea omnia habuit, quæ ad non peccandum neceſſaria erant.

Cum natura æternæ vitæ. X. Convenit cum *natura vitæ æternæ, & titulis*, quibus ea in Scripturis decoratur.

Cum natura æternæ mortis. XI. Convenit cum *natura mortis æternæ & nominibus*, quibus ea in Scripturis cognominatur.

Peccatum ipſiſſimam inobedientiam ſtatuit atque meritoriam cauſam æternæ damnationis. XII. Statuit peccatum vere *inobedientiam eſſe*, & cauſam meritoriam condemationis; ex eoque optime convenit cum *lapſu & peccato*.

Per omnia conſentit cum natura gratiæ. XIII. Omnibus modis convenit cum *natura gratiæ:* omnia ei adſcribendo quæ ei competunt, eamque optime cum *iuſtitia Dei*, cumque *natura & libertate voluntatis* in homine conciliando.

Ad declarationem divinæ gloriæ quã maxime facit. XIV. Quam maxime facit ad *declarandam gloriam Dei*, ipſius iuſtitiam & miſericordiam: ponitque Deum *cauſam* omnis boni & ſalutis noſtræ; hominem vero *cauſam* peccati & damnationis ſuæ.

Ieſu Chriſto honorifica eſt. XV. Facit ad *honorem Ieſu Chriſti*; ipſum ponens fundamentum prædeſtinationis, cauſam meritoriam & communicatoriam ſalutis.

Promovet hominum ſalutem. XVI. *Salutem* hominum valde *promovet*; quinimo *potentia & medium ad ſalutem eſt*; triſtitiam in homine procreans ſuper peccato, ſollicitudinem converſionis, fidem in Ieſum Chriſtum, ſtudium ad bona opera, zelum in precibus: facienſque ut *ſalutem noſtram in timore & tremore operemur*; deſperationem vero, quouſque neceſſe eſt, impedit.

Ordinem Euangelij ſtabilit. XVII. Confirmat & ſtabilit *ordinem*, juxta quem Euangelium prædicari debet; poſtulando primum quidem *reſipiſcentiam & fidem*, deinde vero promittendo remiſſionem peccati, gratiam ſpiritus & vitam æternam.

Virtutem & efficaciam conciliat Euangelio. XVIII. Stabilit *adminiſtrationem Euangelij* eamque fructuoſam reddit, quoad prædicationem, adminiſtrationem ſacramentorum & publicas preces.

Fundamentũ Religionis Chriſtianæ eſt. XIX. Fundamentum eſt *Religionis Chriſtianæ:* propterea quod in ea duplex Dei *amor* ſimul iungantur atque ſecum invicem conveni-enter concilientur, amor ſcilicet Dei erga juſtitiam, ſimulque erga homines.

A maiore parte Chriſtianorum approbata eſt. Poſtremo, doctrina hæc à majore ſemper *parte Chriſtianorum approbata eſt*, atque etiamnum hodieq; à majore parte approbatur. Neque cuiquam occaſionem dare poteſt à ſe abhorrendi, aut ullam contentioni in Eccleſia Chriſtiana præbere anſam.

Vt

Nullam contentioni anſam præbere poteſt.

Atque inſcrutabilia Dei iudicia non perveſtigat.

Vt proinde optandũ eſſet, ne in hac materia procederetur ulterius; aut *imperſcrutabilia iudicia Dei* perveſtigarentur, ſaltem non ulterius, quam quouſque in Scripturis clare ea patefacta ſunt.

Hoc illud eſt, Nobiliſſ. & Potentiſſ. DD. Ordines, quod habui Celſit. veſtris exponendum, quoad doctrinam de Prædeſtinatione; de qua magna eſt in Eccleſia Chriſti controverſia. Niſi grave eſſet Celſit. veſtris, haberem etiam alia quædam Celſit. veſtris proponenda: quæ ſcilicet etiam ipſa ad declarationem meæ ſententiæ faciunt, eundemque ipſum ad finem tendunt, cujus gratia à Celſitud. veſtris juſſus ſum hoc in loco ſiſtere me.

Declaratio meæ ſententiæ ſuper aliis Religionis articulis.

Sunt nempe quidam præterea etiam aliĳ Chriſtianæ Religionis Articuli, qui magnam admodum cum doctrina de prędeſtinatione affinitatem habent, atque magna ex parte ab ea pendent; cuiuſmodi ſunt, *Providentia Dei, liberũ hominis arbitrium; perſeverantia ſanctorum & certitudo ſalutis:* de his etiam ipſis ſi placet ſententiam meam breviter referam.

Mea ſententia de Providentia Dei.

Providentiam Dei ſtatuo eſſe *ſolicitum, continuum & ubique præſentem Dei intuitum, ſecundum quem univerſe quidem curat totum mundum, particulariter vero omnes univerſè creaturas, nulla earum excepta; horſum, ut eas in eſſentia ſua, qualitatibus, actionibus & paſſionibus ſuis conſervet & gubernet, prout ſe decet atque ipſis congruum eſt, ad laudem ſui nominis & ſalutem credentium.* Nequaquam itaque Providentiæ Dei quidquam ſubtraho eorum, quæ ei competunt; ſed dico omnia eam conſervare, regere, gubernare atque dirigere; quodque nihil plane caſu aut fortuito contingat. Imo vero etiam Providentiæ Dei ſubjicio *liberum arbitrium ipſoſque rationalis creaturæ actus*; ſic ut nihil fiat ſine voluntate illius, etiam eorum quæ contra voluntatem illius fiunt; obſervato ſolummodo diſcrimine quod eſt inter malos & bonos actus; dicendo, *Deum bonos actus velle & agere, malos vero liberè permittere.* quinimo vero perlibenter concedo, ut providentiæ Dei etiam *circa malum* omnes omnino actus adſcribantur, qui excogitari poſſunt; modo hoc ſolum caveatur, *ne inde Deus cauſa peccati eſſe ſtatuatur.* Quod luculentè ſatis teſtatus ſum in diſputatione quadam de Iuſtitia & efficacia providentiæ Dei in malo, Leidæ bis ſub me diſputata: in qua dedi operam, ut quotquot ex Scriptura concludere poſſem actus circa peccatum Deo competere, eos ipſi adſcriberem: in eoque eo uſque progreſſus ſum, ut quidam ex eo occaſionem ſumpſerint imponendi mihi, quaſi Deum *auctorem peccati conſtituerem*: quod Amſterodami ex iiſdem illis theſibus pro ſuggeſtu pluries contra me productum fuit, ſed quo jure, ex illis conſtare poteſt, quę ad triginta & unum articulos falſo mihi impoſitos (quorum antea mentionem feci) ſcripto reſpondi: nam eorum etiam hic unus erat.

Permitto ut Providentiæ Dei, quæcunque excogitari poſſunt actus adſcribantur modo hoc caveatur, ne propterea Deus cauſa peccati eſſe ſtatuatur.

Quam calumniam hoc nomine ſubire debuerim.

De Libero hominis arbitrio.

De Libero arbitrio hominis ita ſentio; hominem in primo ſtatu creationis ſuæ ejuſcemodi notitia, ſanctitate iiſque viribus inſtructum fuiſſe, ut verum bonum intelligere, æſtimare, conſiderare, velle & perficere valuerit, prout quidem ei mandatum erat: ſed hoc tamen non niſi cum *auxilio gratiæ Dei*: in ſtatu vero lapſus & peccati; ex ſeipſo & à ſeipſo, quod quidẽ vere bonum eſt, neq;

cogitare,

cogitare, neque velle aut facere poſſe; ſed neceſſe eſſe, ut à Deo in Chriſto per Spiritum ſanctum ipſius regeneretur & renovetur in *intellectu*, *affectionibus ſive voluntate*, *omnibuſque viribus*, ad id quod vere bonum eſt recte intelligendum, æſtimandum, conſiderandum, volendum & faciendum. Hujus vero regenerationis ſive renovationis participem factum, ſtatuo eum utpote liberatum à peccato, poſſe bonum cogitare, velle & facere, ſed tamen non niſi cum auxilio ſemper gratiæ Dei.

De gratia Dei. Quantum ad gratiam Dei: credo primo, eam eſſe *gratuitum affectum* quo Deus bene affectus eſt erga miſerum peccatorem; ſecundum quem primo quidem Filium dat, ut *qui credit in eum*, *vitam æternam habeat*. Deinde vero in Ieſu Chriſto & propter Ieſum Chriſtum *eum iuſtificat & in ius filiorum adoptat ad ſalutem*. 2. Eam eſſe infuſionem omnium eorum donorum Spiritus ſancti tam in *intellectu* quam in *voluntate & affectibus* hominis, quæ ad regenerationem & renovationem illius pertinent; ut ſunt *fides, ſpes, charitas*, &c. ſine hiſce donis gratiæ idoneum non eſſe hominem, ut quidquam boni cogitet velit aut faciat. 3. Eam eſſe *continuam aſſiſtentiam* atque continuatum auxilium Spiritus ſancti, ſecundum quod Spiritus ſanctus hominem jam ante regenitum pulſet atque excitet ad bonum, infundendo ei ſalutares cogitationes, inſpirandoque bona deſideria, ut ſic bonum actualiter velit; quinimò etiam ſecundum quod deinde cum homine una velit atque operetur, ut homo quod vult, id etiam perficiat. Atque hoc modo gratiæ adſcribo *initium*, *continuationem atque conſummationem omnis boni*; etiam euſque, ut homo jam regeneratus ſine hac præveniente & excitante ſequente & cooperante gratia, bonum prorſus neque cogitare, velle aut facere poſſit, ac ne quidem ulli tentationi malæ reſiſtere. Vnde liquido apparet, me in gratiam plane *iniurium* non eſſe, atque qui Libero hominis ſicuti de me ſpargitur, arbitrio nimium tribuam, tota enim controverſia in eo ſolum eſt poſita, utrum gratia Dei ſit irreſiſtibilis quædam vis. Hoc eſt; controverſia non eſt de actionibus aut operationibus, quæ gratiæ adſcribi poſſunt; cujuſmodi tam multas ego confiteor atque inculco quam quiſquam unquam fecit alius; ſed de modo ſolum operationis, utrum irreſiſtilis ea ſit nec ne. Quantum enim ad hoc, juxta Scripturas credo, quod multi *Spiritui S. reſiſtunt*, *& gratiam oblatam repellunt*. *Omnia gratia adſcribantur licet, modo ne ſtatuatur irreſiſtibilis eſſe.*

De perſeverantia ſanctorum. Quantum ad Perſeverantiam ſanctorum, de ea ſic ſentio: eos qui Ieſu Chriſto per veram fidem inſiti ſunt, ſicque Spiritus vivificantis illius participes facti ſunt, *ſufficientes vires habere* ad pugnandum cum Satana, peccato, mundo propriaque ſua carne, atque ad obtinendum victoriam; ſed tamen non niſi per *aſſiſtentiam gratiæ eiuſdem ſpiritus*; quinimo Ieſum Chriſtum per ſuum ſpiritum illis in omnibus tentationibus adſiſtere atque auxiliarem manum præbere, &, *modo ad pugnam parati ſint & operam ipſius implorent*, *ſibique ipſis non deſint*, eos à lapſu preſervare, ſic ut nulla aſtutia aut vi Satanæ ſeduci aut ex manibus Chriſti trahi poſſint: ſed utrum ijdem per negligentiam *initium ſuæ in Chriſto exiſtentiæ* deſerere non poſſint, *præſenti*

huic

huic mundo rurſus adhærere, à ſana doctrina ſemel illis tradita deficere, bonam conſcientiam amittere, gratiam irritam facere; id vero uti ex Scriptura diligenter inquiratur, utile eſſe arbitror, ſimulque etiam neceſſe fore, ut de eo in primo noſtro conventu agamus. Ingenue tamen affirmo, nunquam me docuiſſe, quod vere credens aut *totaliter* aut *finaliter à fide deficiat, ſicque pereat*, quamvis non diſſimulem eſſe loca Scripturæ quæ id videantur præ ſe ferre, ad quæ reſponſiones ejuſmodi videre mihi non licuit, quæ ſeſe mihi per omnia probaverint, quemadmodum etiam ab altera parte loca quædam adducuntur obſervatu etiam illa non indigna.

De certitudine ſalutis.

Quantum ad *certitudinem ſalutis*, ſtatuo eum, qui credit in Ieſum Chriſtum, tam ex actione Spiritus ſancti intus ipſum agentis & fructibus fidei, quam ex propria ſua conſcientia & teſtimonio Spiritus una cum ea teſtante, *certum perſuaſumque poſſe eſſe* atque etiam *reipſa certum eſſe*, *ſi cor ſuum ſe non condemnet*, *Filium ſe Dei eſſe & in gratia Ieſu Chriſti ſtare*, quinimo cum certa fiducia gratiæ Dei & miſericordiæ in Chriſto ex hac vita migrare poſſe & coram tribunali gratiæ comparere, citra anxium timorem & terribilem metum, ſemper tamen orare debere, ut *Dominus ſecum non ingrediatur in iudicium*. Sed cum Dominus major ſit corde noſtro & omniũ conſcius, homoq; ſeipſum non iudicet: quinimo etiam quamvis nullius ſibi ipſi conſcius, in hoc tamen non juſtificetur, ſed Deus ſit qui ipſum judicet: hanc certitudinem non audeo *tanti facere*, quanti eſt illa certitudo, qua ſcimus *Deum eſſe*, & quod *Chriſtus ſit Salvator mundi*. Verumenimvero quouſque tandem hæc certitudo ſe extendat, de eo etiam ipſo in conventu noſtro agi poterit.

De perfectione fidelium in hac vita.

Præter ea quæ jam dixi, multus ſæpe etiam ſermo ſeritur de *perfectione fidelium ſive regenitorum in hac vita*: ſpargorque ego de hac re aliter ſentire quam decet, fereque ut Pelagiani; videlicet quod regeniti in hac vita præcepta Dei *perfecte ſervare poſſint*: ad hoc vero reſpondeo, quod quamvis ita ſentirem, propterea tamen pro Pelagiano haberi non deberem, neque ex parte neque in totum; modo videlicet hoc ſolum adjicerem, id ipſos poſſe *per gratiam Chriſti*, nequaquam autem *citra eam*: quod tamen fidelis præcepta Chriſti in hac vita *perfectè ſervare poſſit*, nunquam dixi, ſed neque id negavi unquam, verum totum in medio ſemper reliqui: contentus illis quæ Auguſt. de hac re dicit, cujus proinde etiam verba multoties in Academia adduxi: addito, nihil me habere amplius quod illis adjicerem.

Auguſtini ſententia de hoc capite.

Ea autem hæc ſunt: *quatuor ſunt quæſtiones quæ in hoc negotio attendi poſſunt. Prima eſt utrum ullus unquam homo ſine peccato fuerit, qui ab initio vitæ ſuæ ad finem illius uſque non peccaverit. Secunda eſt, utrum unquam vel fuerit, vel ſit, vel eſſe poſſit qui non peccet, hoc eſt, qui ad eam perfectionem in hoc ſeculo perveniat; ut non peccet, ſed legem Dei perfecte impleat. Tertia eſt, utrum hominem in hoc ſeculo ſine peccato eſſe poſſibile ſit. Quarto, ſi homo ſine peccato eſſe poſſit, cur talis nunquam ſit.* Ad primam reſpondet Auguſtinus, *nunquam talem hominem fuiſſe aut futurum eſſe, præter Ieſum Chriſtum.* Ad ſecundam, *non putare ſe, quod ullus unquam homo ad perfectionem in hoc ſeculô pervenerit.* Ad tertium,

hominem talem eſſe poſſe per gratiam Chriſti & Liberum arbitrium. Ad quartam, *hominem non facere quod per gratiam Chriſti poſſit; aut quia eum latet quod bonum ſit, aut quia nullam oblectationem in eo ponit.* Hinc apparet ipſum Auguſtinum, qui Pelagianicæ doctrinæ acerrimus adverſarius fuit, in hac tamen ſententia fuiſſe, quod homo in hoc ſeculo *gratia Chriſti ſine peccato eſſe poſſit.* Imo vero dicit Auguſtinus: confiteatur Pelagius hominem ſine peccato eſſe poſſe, ſed non niſi *gratia Chriſti*, & pax erit. Sed Auguſtino hæc Pelagij viſa fuit eſſe ſententia, quod homo legem Dei præſtare quidem eam poſſit *ſuis propriis viribus*; facilius vero *per gratiam Chriſti*. Quantum vero ab hac ſententia abſim, jam antea ſatis ſuperque declaravi: quinimo hoc etiamnum dico, me hanc Pelagij ſententiam pro hæretica habere, quæque ex diametro cum verbis Chriſti pugnet, *ſine me nihil poteſtis facere*: imo vero etiam quod perniciosa ſit & gloriam Chriſti graviſſime lædat.

Ioan. 15. 5.

In eo, quod hactenus de mea ipſius ſententia in medium produxi, videre non poſſum quidquam tandem contineri, propter quod quiſquam jure metuere poſſit, quominus *compareat coram conſpectu Dei*, atque unde metui poſſit grave malum extiturum. Quum tamen nihilominus quotidie magis atque magis intelligam de me ſpargi, quod pernicioſas ſententias atque hæreſes in ſinu geſtem, cogitare non poſſum quidnam id tandem eſſe poſſit; niſi forte quippiam tale in mea de *divinitate Filij Dei & de iuſtificatione hominis coram Deo*, ſententia prætendant: prout etiam reſciſco, de utroque hoc capite, maxime poſt ultimam coram ſuprema Curia actionem, multum ſermonem haberi, multaq; iaci. Hæc nunc cauſa eſt, cur arbitrer nihil inconſultum me facturum, ſi veſtris Celſitud. aperiam, quomodo hæc ſeſe res habeat.

Plenior declaratio circa alios articulos, idque ad omnem contumeliam amoliendam.

Quantum ad *divinitatem Filij Dei & vocabulum αὐτόθεος attinet*, de quibus in Academia noſtra, diſputatū ſemel fuit; mirari ſatis non poſſum, quę res aliquos moverit, cur me in hoc negotio ſuſpectum facere aut habere voluerint: maxime cum nulla plane probabilitate ſuſpicio hæc nitatur, tamq; longe ab omni ratione & veritate abſit, ut notoriè calumniatorium eſſe dici poſſit, quidquid cum præjudicio mei nominis quoad hanc rem de me ſparsū fuit. Contigit in diſputatione quadam poſt meridiem in Academia celebrata, cum theſis de *Divinitate Filij* ad diſputandū propoſita eſſet, ut ſtudioſus aliquis objiceret, quod Filius Dei eſſet αὐτόθεος, ideoque *ſuam eſſentiam à ſeipſo non autem à Patre haberet*: ad quod cum reſponderetur, vocabulum αὐτόθεος duobus modis accipi poſſe; quod ſignificaret aut eum *qui vere Deus eſſet*, aut eum *qui à ſeipſo Deus eſſet*: juxta *priorē* ſignificationem, bene & recte Filio Dei attribui, ſed non juxta *ſecundam*: Studioſus ille proſequens argumentationem ſuam, vehementer contendebat, juxta *ſecundam* maxime *ſignificationem* Filio Dei competere; quodque eſſentia Patris non niſi improprie dici poſſet, Filio & Spiritui ſancto communicata eſſe; recte vero & proprie, Patris, Filij & Spiritus ſancti communis eſſe. id autē eo confidentius dicebat, quod hac in re D. Trelcat. Iuniorem piæ memoriæ pro ſe haberet, quippe qui de hac re in locis ſuis communibus eum ad modum ſcripſiſſet.

De divinitate Filij Dei & de vocabulo αὐτόθεος.

Quidquid hic adverſus me dicitur notoriè calumniatorium eſt. Hiſtorica relatio totius huius rei.

ſcripſiſſet. Ad hæc ego tunc reſpondebam, hanc ſententiam pugnare cum *verbo Dei & vetere tota Græca & Latina Eccleſia*: quæ ſemper docuiſſet, quod Filius *Deitatem ſuam à Patre haberet per æternam generationem*; addebam vero inſuper etiam hoc, ex tali ſententia neceſſario duos ſecum invicem pugnantes errores ſequi, Tritheiſmum & Sabellianiſmum: id eſt, hinc neceſſario ſequi, quod tres Dij eſſent, qui ſimul collateraliter divinam eſſentiam haberent, citra hoc ut una, perſonaliter ſcilicet ſolum ab altera diſtincta, eam ab alia perſona habeat; cum tamen pro unitate eſſentiæ in trinitate perſonarum defendenda, unicum hoc ſemper fundamentum adhibitum fuerit, *progreſſus originis unius perſonæ ab alia*, Filij ſcilicet à Patre. Hinc vero etiam hoc ſequi, quod Filius Pater eſſet, ab eoque non niſi nomine ſolum tenus differat; quæ ſententia Sabellij erat. Cum enim proprium Patris ſit, *Deitatem ſuam à ſeipſo habere*, aut ut rectius loquamur, *à nemine habere*; ſi eo ſenſu Filius dicatur αὐτόθεος & Deus à ſeipſo, ſequi, ut Pater ſit. Hæc diſputatio quaquaverſum ſparſa eſt, etiamque Amſterodamum pervenit: ubi à Miniſtro quodam, qui iam in Domino obdormivit, quomodo ſe hæc res haberet, interrogatus; totam hanc rem plane ut nunc, ei narrabam, rogabamque eum, uti D. Trelcat. piæ memoriæ de hac re certiorem redderet, de ſententia ſcilicet ſua emendanda commonefaceret, ſimulque ut impertinentia hæc verba in locis ſuis communibus corrigeret: quod etiam aliquo modo recipiebat ſe facturum. Nequaquam igitur ego alicui hic culpæ affinis ſum, qui veritatem defendi, & ſententiam Catholicæ & Orthodoxæ Eccleſiæ: ſed ille potius qui formulam loquendi uſurpavit, quæ rei veritati quid derogaret. Sed meum hoc infortunium aut quorundam hic zelus eſt, ut diſſidio aliquo oriente, in me illico omnis culpa conjiciatur, atque ſi minus ego verax eſſe poſſim, quam quilibet alius; cum hac in re, aſſentientem mihi habeam ipſum etiam D. Gomar. qui non diu poſt editos à D. Trelcatio locos ipſius communes; diſputatione de Trinitate propoſita, in ſuis theſibus ter D. Trelcatio ex diametro contradixerit; quod etiam ipſum Miniſtro illi Amſterodam. oſtendebam, qui etiam id fatebatur. Hiſce tamen non obſtantibus nemo operam dedit, ut ab hac calumnia vindicarer; prout quidem laboratum fuit, ut molli aliqua interpretatione D. Trelcat. excuſaretur; ut ut ea tamen cum verbis ipſius non poſſet conſiſtere ullo modo. Tantum poſſunt favor atque zelus.

Quod alius deliquit id mihi imputatur.

[illegible]

Mollior quæ adhibebatur interpretatio, ea hæc erat: quod Filius Dei dici poſſet αὐτόθεος ſive Deitatem à ſe ipſo habere *qua Deus eſt*, licet eam, *qua Filius*, a Patre habeat. Majoris explicationis gratia dicitur, quod Deus ſive eſſentia divina conſiderari poſſit *abſolutè & relatè*. quod *abſolutè*, Filius eam a ſe ipſo habeat; quod *relatè*, eam habeat a Patre. Sed hæc nova loquendi genera ſunt & novæ opiniones; queq; conſiſtere etiam nullo modo poſſunt. Filius enim & qua Filius & qua Deus, Deitatem a Patre habet; tantummodo, cum Deus vocatur, quod a Patre ſit, non exprimitur; ſicuti vox Filij id connotat. atq; eſſentia quidē Dei nullo modo conſiderari poteſt, quin dicendum ſit eam Filio communicari a Patre. neq;

enim ullo diverſo reſpectu dici poteſt communicata eſſe ei & non eſſe communicata ei, cum hæc contradictoria ſint, quæ diverſo reſpectu nullatenus conciliari poſſunt. Si eam à *ſeipſo habet*, quatenus *abſolute* ea conſideratur, non poteſt illa ei communicari, ſi *ei communicata eſt*, quatenus *relate* ea conſideratur, non poteſt eam *abſolute* conſideratam à ſe ipſo habere. Rogabor forte utrum non fatear, duo hæc diſtincta inter ſe eſſe, Filium Dei eſſe & Deum eſſe. Utique ſane: ſed cum ulterius proceditur, diciturque quod ſicuti Filium Dei eſſe, ſignificat à Patre eſſentiam ſuam habere, ita Deum eſſe, nihil aliud ſignificet, quam eſſentiam ſuam à ſeipſo habere aut à nemine, id vero pernego: ſimulque dico magnum hoc eſſe *ἁμάρτημα*, non ſolum in Sacra Theologia, ſed etiam in naturali Philoſophia. Nam, Filium eſſe & Deum eſſe optime inter ſe hæc conveniunt: à Patre vero eſſentiam ſuam habere eamque ſimul à nemine habere, contradictoria ſunt ſeque mutuo perimunt. Sed ut hæc hallucinatio clarius apparere poſſit, obſervandum eſt bis terna quædam parallela juxta ſe poſita, æquipollere; hæc ſcilicet:

Ab æterno eſſe, Deus. *divinam eſſentiam ab æterno habens.*

A nullo eſſe, Pater. *divinam eſſentiam à nullo habens.*

A Patre eſſe, Filius. *divinam eſſentiam à Patre habens.*

Vocabulum itaque *Deus* ſignificat, quod veram divinam eſſentiam habeat: vocabulum vero *Filius*, quod eam habeat à Patre, unde recte & *Deus & Dei Filius* appellatur, ſed quum Pater appellari non poſſit, dici etiam non poteſt eſſentiam à *ſe ipſo aut à nullo* habere. Equidem tamen in hoc incumbitur, hæc uti excuſentur: dicendo, quod cum Filius Dei qua Deus, dicitur eſſentiam ſuam à ſeipſo habere, id nihil aliud ſit, atque ſi dicatur, divina eſſentia non eſſe ab aliquo. Sed ſi ita agere viſum eſt, nihil tam prave dici poterit, quod non poterit excuſari. Quamvis enim Deus & eſſentia divina non differant *οὐσιωδῶς*, nequaquam tamen, quidquid de eſſentia divina prædicari poteſt, idem de Deo prædicari poteſt; quia noſtro conceptus modo ea diſtinguuntur; ad quem tamen omnes loquendi modi exigi debent: cum propterea adhibeantur, ut per eos recte quid percipiamus. Idque hinc apparet, quod recte quidem dicimus, *Deum mortuum eſſe*. Item, *eſſentiam Dei communicari*, ſed minime, *Deum communicari*. Qui differentiam teneat inter *concretum & abſtractum*, de quo inter nos & *Lutheranos* tam crebro diſputatum fuit, facile intelligit, quam multa abſurda conſequerentur, ſi ejuſmodi explicationes ſemel in Eccleſia Dei permitterentur. Nullo igitur modo tamquam bene dictum excuſari poteſt, *Filium Dei αὐτόθεον eſſe*; neque vero etiam *propria locutio* dici eſſe, cum dicitur, *eſſentia Dei trium perſonarum communis eſſe*; *impropria vero*; cum ea uni ab altera *communicata* eſſe dicitur: atque hoc quidem quod dico, obſervari quam maxime velim, ut hinc apparere poſſit, quantum valeamus tolerare in eo, quem *hæreſeos* ſuſpectum non habemus, & quam contra avide quidlibet arripiamus ad eum gravandum, quem habemus ſuſpectum: cujus quidem rei hoc exem-

Quod hic dico, diligenter notandum eſt.

exemplum minus eſt manifeſtum illud.

De iuſtificatione hominis coram Deo.

De *Iuſtificatione* hominis coram Deo mihi conſcius non ſum, aliud aut docuiſſe aut ſentire, quam quod de ea ſentiunt unanimiter *Eccleſiæ reformatæ & Proteſtantium*, optimeque cum ſententia ipſarum congruit.

Controverſia inter Profeſſorem quendam in Comitatu Naſſovico, & Eccleſias Gallicas.

Fuit quidem quantum ad hanc rem controverſia quædam inter *Iohannem Piſcatorem Profeſſorem Theologiæ in Academia Naſſovica*, & *Eccleſias Gallicas*: eaque in hoc poſita, *utrum obedientia ſive iuſtitia Chriſti quæ fidelibus imputatur, atque in qua iuſtitia eorum coram Deo conſiſtit, obedientia ſolummodo paßiva Chriſti ſit*, ut ſtatuebat D. *Piſcator*; *an vero præterea etiam ea iuſtitia activa illius ſit, quam tota vita ſua Legi Dei exhibuit, etiamque ſanctitas illa, in qua conceptus eſt*, ut ſtatuebant *Eccleſiæ Gallicæ*.

Huic quæſtioni me non interpono, quia circa hanc rem ſalva confeſſionis unitate alius ab alio diverſam ſententiam ſequi poſſunt.

Sed ego nunquam huic me quæſtioni immiſcere aut iudicium illius aſſumere auſus fui; mecum ſtatuens, poſſe eos, qui eandem Religionem profitentur, diverſum alios ab alijs in hac re ſentire, ſalva *pace Chriſtiana & unitate fidei*: quod ipſum utrinque ipſimet iudicare videntur adverſarij, alter alterum tolerantes, neque *fraternitatem* ſibi invicem propterea renuntiantes: ut ut de eo in patria noſtra quidam aliud iudicium fecerunt.

Quid hic in quæſtionem vocatur.

Præterea vero, quæſtio movetur de verbis Apoſt. Pauli ad Romanos Cap. 4. hiſce videlicet, *Fides imputatur in iuſtitiam*; utrum nempe ea intelligi debeant *propriè*, ſic ut *ipſa fides*, tamquam actus juxta mandatum Euangelij præſtitus, *imputetur* coram Deo *in*, ſive *ad iuſtitiam*, idque ex gratia, cum non ſit ipſamet iuſtitia legis: an vero ſic intelligi debeant, ut *iuſtitia Chriſti per fidem apprehenſa nobis in iuſtitiam imputetur*, id eſt, *figurate* atque *impropriè*? aut vero etiam ſic, ut *iuſtitia, in quam* ſive *ad quam fides imputatur, ſit fides inſtrumentale opus*, ſicuti quidam adſerunt. Ego *priorem ſententiam* ſequutus ſum in theſibus de *Iuſtificatione* ſub me diſputatis; non quidem præciſè, ſimpliciter nihil ominus tamen alibi in *Epiſtola quadam*. Hanc ob cauſam iudicor de *Iuſtificatione hominis coram Deo* male ſentire & male docere. Hoc vero quale ſit, id ſuo tempore in *collatione mutua* liquere poterit.

Mea ſententia.

In præſentiarum vero breviter dico, *credere me peccatores ſola Chriſti obedientia iuſtos conſtitui: & quod iuſtitia Chriſti, ſola meritoria cauſa ſit, propter quam Deus credentibus peccatum condonet, eoſque pro iuſtis reputat; non aliter atque, ſi legem perfecte impleviſſent. Quoniam vero Deus iuſtitiam Chriſti nemini imputat, niſi fidelibus, ſtatuo hoc ſenſu bene & proprie dici fidem homini credenti, in iuſtitiam ex gratia imputari: quatenus Deus Ieſum Chriſtum Filium ſuum propoſuit tribunal, gratia ſive propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.*

Paratus ſum, quidquid Calvinus lib. Inſtit. 3. de hac re dicit, amplecti eique ſubſcribere.

Sed quidquid hic ſit, *mea ſententia* non uſque adeo diſcrepat à *ſententia Calvini*, quem tamen nemo noſtrum reprehendit atque male in hac re ſentientem, quin *paratus eſſem manu mea ſubnotatione ſubſcribere illis, quæ in tertio Inſtitutionum ſuarum libro de hac re dicit, iiſque calculum meum adijcere.*

Atque hi ſunt, *Nobiliſſ. & Potentiſſ. Ordines, præcipui Articuli*, circa quos neceſſe eſſe iudicavi ut juxta mandatum hujus veſtri conſeſſus quid ſentiam, declararem.

Sunt vero porro in *confeſſionem Eccleſiarum Belgicarum* & in *Catechiſmum Heidelbergenſem* quædam etiam à me annotata; ſed de his commode in *Synodo noſtra* agi poterit; quam

primo

primo quoque tempore *conſenſu ve-ſtro*, imo vero *evocatione veſtra* ſperamus: id ſolummodo *Celſit. veſtras* rogo, mihi uti liceat paucis aliquid dicere de *clauſula* quadam, ſub qua *Nobiliſſimi & Potentiſſimi Ordines Generales* in *Synodum nationalem* in hac Provincia conſenſerunt: quæ hæc eſt, ut in ea *Confeſſio & Catechiſmus Eccleſiarum Belgicarum* examini ſubjiciantur. Diſplicet vero multis hæc *clauſula*, non ſolum quod neceſſe eſſe non putant, *Confeſſionem & Catechiſmum* examini ſubjici, ſed quod neque id æquum eſſe arbitrentur. atque me quidem & alium præterea quendam magni nominis virum putant eſſe, qui id apud DD. *Ordines General.* procuraverimus. Sed neutrum horum jure aliquo. Quantum enim ad poſtremum attinet, tantum ab eo abeſt, ut nos illius auctores apud *Nobiliſſ. & Potentiſſ. Ordines Generales* extiterimus, ut jam ante annos undecim aut duodecim DD. *Ordines Suytbollandiæ & VVeſtphriſiæ* ad inſtantiam maximam *Eccleſiarum*, quæ *Synodum nationalem* ſollicitabant, tandem non aliter conſultum judicaverint decreto ſuo in eam conſentire, niſi uti eâ in *Synodo Confeſſio Eccleſiarum Belgicarum* examini ſubjiceretur, nobis nihil aut conſilio aut opere quidquam tale tunc connitentibus. Verumenimvero licet etiam id vel maxime feciſſemus, nihil, niſi quod officij noſtri eſt, feciſſemus. Quum id *rationi conſentaneum, æquum* & in hoc rerum ſtatu, etiam *neceſſarium* plane ſit ut fiat.

De Recognitione confeſſionis & Catechiſmi.

Primo, ut coram toto mundo appareat, nos *ſoli Dei verbo* eum honorem habere (quod & decet) ut ſolum id *extra*, quinimo & *ſupra omnes diſputationes* ſtatuatur, omni exceptione majus, omnique acceptione dignum.

Secundo, quod hi libelli, *ſcripta* ſunt ab *homine profecta*: ac propterea *errorem aliquem* in ſe *continere poſſint*: unde & deceat inquiri, (debite nempe, id eſt, in *Synodo nationali*) utrum quid inſit illis quod emendatione aliqua indigeat nec ne.

Primo videlicet utrum *hæc ſcripta* cum verbo Dei *ex omni parte* conſentiant, tam *quoad verba* & *modum loquendi*, quam quoad *rectum ſenſum*.

Secundo, utrum quidquid *ad ſalutem creditu neceſſarium* eſt, in illis contineatur, ut conſequenter ſalus adſcribatur illis, quibus ea non competit.

Tertio, utrum non *nimis multa* contineat, multaque complectatur creditu *ad ſalutem non neceſſaria*; idque ut ſalus juxta illam regulam non abjudicetur illis, quibus ea competit.

Quarto, utrum in illis non uſurpentur *verba* ſive *formulæ loquendi* quæ *diverſis modis intelligi* poſſunt, ſicque occaſionem litibus præbere: ut, exempli gratia, in *confeſſione articulo* 14. hæc leguntur: *nihil fieri ſine ordinatione Dei.* Si hac voce *ordinationis*, ſignificatur *ordinare ut res aliqua fiat*, enunciatum hoc jam male ſe habet, ex eoque ſequitur, *Deum auctorem peccati eſſe*: ſin vero ſignificatur, quidquid fit, *id ordinare ad bonum finem*, jam *recte* conceptum eſt.

Quinto, utrum in ijs *pugnantia ſecum invicem* non inveniantur: exempli gratia: Honoratus quidam in Eccleſia vir litteras ad D. *Iohannem Piſcatorem Profeſſorem Herbornæ Naſſoviorum* dedit, in ijſque illum hortatur, ut quoad doctrinā de *Iuſtificatione*, perma-

permanere in ſententia *Catechiſmi Heydelbergenſis* velit; citans hoc fine *tria loca*, quæ iudicabat cum ſententia *Piſcatoris* pugnare; D. *Piſcator* vero reſpondit in ſententia *Catechiſmi* prorſus permanere ſe; pro probatione ſuæ ſententiæ *decem aut undecim* ex eodem ipſo *Catechiſmo* allegans *loca*. Ego vero ſancte affirmo, non videre me quomodo inter ſe conciliari ea loca poſſint.

Sexto, utrum omnia in illis ſcriptis, etiam *debito ordine* digeſta ſint; prout quidem Scriptura poſtulat ea conſtitui.

Septimo, utrum etiam omnia quam *appoſitiſſime* ad *continendam pacem* atque *unitatem* cum *cæteris reformatis Eccleſiis* conſtituta ſint.

Tertia ratio eſt, quia *Nationalis Synodus* hoc fine celebratur; ad diſpiciendum, nempe utrum *omnia in Eccleſia recte* ſeſe habeant; huc autem præcipue omnium pertinet *examen doctrinæ*, tam ejus, quæ *unanimi conſenſu admiſſa eſt*, quam ejus, pro qua *quidam Doctores* contendunt.

Quarta ratio eſt, quia examen hujuſcemodi non ſolum hiſce ſcriptis *auctoritatem* conciliabit, ex quo ſcilicet poſt maturum & rigidum examen aut comperientur cum *verbo Dei* congruere, aut juxta illud magis atque magis conformabuntur; ſed etiam in animis hominum pretium majus ſtatuet *Miniſtris*: quippe qui *veritatem in Scriptura patefactam* percipientur tanti facere tamque charam habere, nulli ut labori parcant, quo minus *doctrinam ſuam* magis atque magis juxta eam *conforment*.

Quinta ratio, cur *hoc tempore*, ſi unquam alias, *neceſſarium* ſit, ut quod dicimus fiat, hæc eſt: Quia primo quidem, inter *Miniſtros* multi ſint, qui *meditationes quaſdam* habeant in aliqua eorum quæ hiſce ſcriptis continentur, quas apud ſe continent & nemini patefaciunt; idque, quod ſperent de illis in *Synodo Nationali* agendum. Imo vero etiam quidam, quod hoc ſibi promitteretur, perſuaderi ſe paſſi ſunt, quo minus ullas *ſuarum meditationum* in lucem proferrent.

Preterea *Nationalis Synodi* ſcopus hic erit, ut *Nobiliſſ. & Potentiſſ.* DD. *Ordinibus* placeat, *Eccleſiaſticas* quaſdam *ſanctiones* auctoritate publica munire, juxta quas quiſque teneatur in *Eccleſia Dei* ſe componere. Hoc ut ab *Illuſtriſſ. Celſitudinib.* impetrari poſſit, illique bona id conſcientia exequi poſſint; neceſſarium eſt, uti intelligant *doctrinam in formulari unitatis comprehenſam*, *verbo Dei* conſentaneam eſſe. Quæ cauſa movere nos debebat, cur ipſimet *Confeſſionis noſtræ* examen coram *Celſiſſ. Ordinib.* etiam ultro præſentaremus, offerremuſque, aut oſtenſurum nos eam *verbo Dei* conſentaneam eſſe, aut eam conformem illi reddituros.

Sexta ratio eſt, ab exemplo ſociorum *Confeſſionis Auguſtanæ*, *Eccleſiarum Helveticarum*, etiamque *Eccleſiarum Gallicarum*, quæ ante duos aut tres annos, *Confeſſionem* ſuam toto *novo articulo* locupletaverunt; imo vero ipſa etiam *Confeſſio Belgica*, ex quo primum edita eſt, poſtmodum *examen ſubiit, quibusdam demptis, quibusdam additis, quibusdam* vero aliquo modo *mutatis*.

Alias rationes prætereo, quæ plures numero adferri poſſent; quod iudicem haſce ſufficere: idque ad probandum quod *clauſula de examine & reviſione* ut loquuntur, recte & debite in *inſtrumento conſenſus*, cujus

cujus modo mentionem fecimus, inſerta ſit.

Contra *hac rationes* non ignoro tamen produci viciſſim *alias*; ac præcipue quidem, ut quæ maxime per ora circumfertur, omniumque ſolidiſſima eſſe iudicatur (atq; ad quam neceſſe proinde eſſe duxi ut breviter aliquid à me reſponderetur) hanc videlicet, quod *doctrina Eccleſia* per hujuſcemodi examen *in dubium* vocabitur; quod neque *deceat*, neque *debeat* fieri.

I. Quia hæc doctrina *ſuffragio* multorum *gravium* & *doctorum virorum approbata ſit*, atque *ſtrenue* adverſus eos, qui ſe ei oppoſuerunt, defenſa ſit.

II. Quod *ſanguine* tam multornm *mille martyrum* obſignata ſit.

III. Quod ex eo *confuſiones*, *ſcandala*, *deſtructio conſcientiarum intra Eccleſiam*; *irriſiones* vero, *calumnia* & *criminationes extra* eam exſtituræ ſint.

Ad hæc vero omnia reſpondeo, *primum* quidem, melius eſſe, ut odioſa hæc loquendi genera, qualia ſunt, *in dubium vocare*, &c. non uſurpentur, cum de *humano aliquo ſcripto* ſermo eſt, quale errores in ſe complecti poteſt. quo enim jure dici poteſt ſcriptum aliquod *in dubium vocari*; quod ſcilicet nunquam *indubium* fuit, neque unquam tamquam *indubium* haberi debet.

Secundo, quod *approbatio Doctorum*, *defenſio ſcripti* alicujus adverſus adverſarios, ejuſdemque *ſanguine Martyrum obſignatio*; nullam doctrinam *authenticam* faciant aut *extra dubium* omne collocent; cum *Doctores* & *Martyres errare potuerint*; quod in hoc argumento inficias ire non debemus.

Tertio, quod *diſcrimen* aliquod conſtitui debeat *inter ea* quæ *confeſſione* continentur. *Quædam* enim eorum *fundamentum ſalutis tangunt* atque *fundamentales Religonis Chriſtiana articuli* ſunt, alia vero *fundamento inadificantur* atque *abſolute* per ſe *neceſſaria ad ſalutem non ſunt*. *Illa* quidem unanimi conſenſu *reformatorum omnium approbata*, *efficaciterque* adverſus omnes contradicentes *defenſa* ſunt: de *his* vero ultro citroque *inter ſe diſputant*: ſuntque inter hæc quædam, quæ ſpecie non omnino nulla veritatis ab adverſarijs ſuis oppgnantur. Illa quidem à *Martyribus* ſanguine ſuo obſignata ſunt, hæc vero minime gentium. Debetque quantum ad hanc rem diligenter obſervari, quidnam tandem *Martyribus* noſtro tempore propoſitum fuit, atque propter quid *ſanguinem ſuum* ipſi fuderint: quod ſi fiet, invenietur de eo quidem, de quo ego iudico æquum eſſe ut in *Synodo* conferatur, nemo unquam inter eos rogatus fuiſſe, atque proinde nemo id *ſanguine ſuo* obſignaviſſe. Vt exemplum adducam; cum quæſtio erat de 7. capite ad Romanos, dicebatur ab aliquo locus iſte in margine *Confeſſionis* citatus eſſe, idque eo ſenſu quem ille qui hoc dicebat amplectebatur: quodque *Martyres Confeſſionem ſanguine ſuo obſignaviſſent*. Sed reſpondebatur; quod ſi vel maxime tota hiſtoria major *Martyrum* percurratur, prout quidem ea à *Gallis* edita eſt, depræhenſum iri, nullum unquam *Martyrum* ſuper eo examinatum fuiſſe, aut id propter *ſanguinem ſuum* fudiſſe. In ſumma; *ſanguis Martyrum* hoc confirmat, quod *in integritate & ſimplicitate conſcientia* fidem ſuam profeſſi ſint; nequaquam

quaquam vero, quod *confeſſio* eorum *omni reprahenſione* ſive *exceptione maior ſit:* niſi ſi à *Chriſto in omnem veritatem ducti ſint*, ideoque errare non potuerint.

Quarto, ſi *Eccleſia* recte inſtituta ſit de eo *diſcrimine*, quod eſt ſemperque eſſe debet inter *verbum* Dei & *humana omnia ſcripta*; de ea itemque libertate *ſcripta humana* omnia ad *regulam verbi Dei* exigendi, quam *Eccleſia* & *Chriſtiani omnes* habent ſemperque habituri ſunt; nunquam in eo torquebit ſe, neque etiam offendetur propterea, *ſi ſcripta omnia humana* ad lapidem Lydium *verbi Dei* probari videbit; ſed potius lætitiam è converſo ex eo concipiet multo maximam, quod Deus tales *Paſtores* & *Doctores* ſibi hic largitus ſit, qui ſuammet ipſorum doctrinam apte & debite iuſtoque ſemper obſervato ordine ad Lydium illum lapidem *verbi Dei* exigant; idque ut omnibus modis cum eo congruere atque in minimis etiam quibuſque cum eo conſentire examuſſim poſſint.

Quinto, committi vero non debet quominus *doctrina ſemel recepta* examini ſubjiciatur, ut ut etiam vel maxime metus eſſet, *turbas inde extituras, malevolos id ludificaturos, calumniaturos & criminaturos*, quinimo vero etiam *in rem ſuam* id quam *maxime verſuros*: quaſi ſcilicet qui id facerent, in ſua ſibi *Religione* non conſtarent ſatis; cum Dei id mandatum ſit, *ſcrutamini & probate ſpiritus utrum ex Deo ſint.* Si hujuſmodi cogitationes *Lutherum*, *Zwinglium* atque *alios* inhibuiſſent, nunquam *doctrinam Pontificiorum* exploraviſſent atque examini ſubieciſſent: neque vero etiam qui *Confeſſionem Auguſtanam* ſequuntur, conſultum iudicaviſſent eam de *novo* rurſum *examini* ſubjicere atque in *quibuſdam* etiam *mutare* eam. Hoc vero factum nos laudamus, ſtatuimuſque *Lutherum* in exitu vitæ ſuæ à *Philippo Melanthone* monitum (prout id à noſtris ſcribitur) ut *controverſiam Euchariſticam de Sacramento Cœnæ* ad *concordiam* aliquam *maiorem* revocaret, non recte feciſſe quod id recuſaret, inque *Philippum* id rejiceret, idque hanc ob cauſam, ſicuti illum dixiſſe aiunt, ne ex eo *tota doctrina in dubium* vocaretur. Si vero porro ejuſmodi rationes admitti debent, optimo jure id *Pontificij* aliquando dederunt operam, ut impedirent quominus doctrina tot centenis retro ab annis in *Eccleſiam* recepta, *in dubium* vocaretur, atque de novo examini ſubjiceretur.

His vero opponitur: ſi *doctrina Eccleſiarum* toties de *novo examini* ſubjicietur, quoties *Synodus Nationalis* celebrabitur, nihil unquam habitura eſt *Eccleſia*, in quo conſiſtat cuique firmiter innitatur, iureque de ejuſmodi *Eccleſiis* dici poterit, quod *fidem anniverſariam* habeant, *omnique doctrina vento huc atque illuc circumferantur.* Sed *reſponſio* eſt, *prima* quidem, quod *Eccleſia* ſemper habeat *Moyſen & Prophetas*, imo vero etiam *Euangeliſtas* atque *Apoſtolos*, id eſt, *totam Scripturam Veteris & Novi Teſtamenti*, quodque hæc quidquid ad ſalutem neceſſarium eſt plene & clare compræhendat. Supra hanc *Eccleſia fidem ſuã fundabit*, huic tamquam *immobili fundamento* innitetur: maxime cum equidem, ut ut *Confeſſiones & Catechiſmos* habeamus, in hanc omnis tandem in cauſis *fidei* & *Religionis* determinatio reſolvi debeat.

Secundò, *quædam* in *Confeſſione*, *capita* ſunt *certa* atque *indubia*; de his nunquam quæſtio movebitur niſi apud *hæreticos*. Sed vero quædam etiam in ea contenta, de eo genere ſunt, ut plane utile ſit de eis inter *doctos* & *Dei timentes* viros quam ſæpiſſime conferri; idque *hoc fine*, ut quam proxime fieri poteſt, cum *indubijs* ea *articulis* concilientur.

Tertio, detur hæc opera, ut *Confeſſio* quam *pauciſſimos* habeat *articulos*, eoſque, quam breviſſime conceptos *ipſiſſimis plane Scripturæ verbis* proponat: omittantur omnes ampliores *explicationes*, *probationes*, *digreſſiones*, *exaggerationes*, *amplificationes*, *exclamationes*, ſolumque *neceſſaria ad ſalutem* in ea tradantur. Ita futurum eſt, ut propter brevitatem minus erroribus, minus obloquutioni, minuſque examini obnoxia ſit. In exemplum adhibeatur *veteris Eccleſiæ* praxis, quæ *articulos*, quos iudicavit *creditu neceſſarios*, quam breviſſimis concepit verbis.

Verumenimverò quidam inter *Confeſſionem* & *Catechiſmum* diſtinguunt, quantum ad *reviſionem*, iudicantque, cum *Confeſſio Eccleſiarum Belgicarum* propria ſit, atque etiam non ita multorum in manibus verſetur; poſſe eam ſine difficultate in *Synodo revideri* atque *examini ſubijci*; ſed cum *Catechiſmus* non ſolum noſter ſit, ſed etiam & quidem præcipue *Eccleſiarum Palatinarum*, omniumque in manibus verſetur; examen illius gravi cum periculo conjunctum eſſe. Sed ego reſpondeo, ſi quidem hoc volumus, ut *Catechiſmus Heydelbergenſis formula concordiæ* ſit inter *Eccleſiarum Doctores*, cuique ipſi ſubſcribere teneantur; *neceſſarium* etiam eſſe ut *examini ſubijciatur*. *Nulla* enim *Eccleſia* eo loco à nobis haberi debent, ut ullum ſcriptum ab ipſis compoſitum ſic reciperemus, quin ſimul etiam libertatem ſervemus id *examini ſubijciendi*. Atque hanc præcipuam cauſam eſſe arbitror, cur *Eccleſiæ* diverſarum provinciarum cum in *fundamentalibus Chriſtianæ doctrinæ capitibus* inter ſe conſentirent, ſuas tamen quæque *ſingulares Confeſſiones* conſcripſerint. Sed permittatur, ut *Catechiſmus Heidelbergenſis* formula eiuſmodi non ſit, & concedatur libertas in explicatione illius qualis decet; & neceſſe non erit ut *revideatur* atque *examini ſubijciatur*: onere ſcilicet ſubſcriptionis ſublato & moderata libertate in explicatione illius conceſſa.

CONCLVSIO.

Atque hoc eſt *Nobiliſſ. Potentiſſ. Sapientiſſimi atque Prudentiſſimi Domini*, quod habui *Celſitud. veſtris* proponendum: ſimul etiam gratias ago *Nobiliſſ. & Potentiſſ. huic Conſeſſui* (cui poſt Deum agnoſco me teneri omnium actionum mearum rationem reddere) quod clementer & patienter audire me gravatus non ſit: Simul autem etiam ſancte affirmo, ex animo paratum me eſſe, ut de hiſce omnibus alijſque, de quibus controverſia aliqua poterit exiſtere aut accidere unquam, cum *reverendis confratribus meis amicam & fraternam collationem inſtituam*, quocunque tempore, ubicunque loci & quacunque tandem occaſione, conſeſſus hic id conſultum eſſe iudicabit,

uti fiat. Polliceor vero etiam præterea, quod in omni collatione *æquum & flexilem* me præbebo, non minus paratus aliquid *diſcere*, quam *docere*. Cumque in eo omni, de quo collatio inſtitui poterit, *duo* attendenda venient, *primum* quidem, *utrum* id de quo quæritur, *verum ſit*; deinde, *utrum neceſſarium creditu ad ſalutem ſit*; de quo utroque ex *Scripturis* agi debebit: ego quidem ſanƈte adfirmo atque deinceps ſolemniter ad id me obligo, nullum me *articulum*, ut ut eum vel maxime ſolidis argumentis probaverim Dei verbo conſentaneum eſſe, fratribus meis aliter de eo ſentientibus, obtruſurum ad credendum, niſi clare ex *verbo Dei* probem, ac quidem æquè clarè ac veritatem adſtruxi, ſimul etiam *neceſſarium eſſe ad ſalutem*, ut quiſque *Chriſtianus* id ita credat. Idem ſi parati erunt *fratres* mei facere, ut quidem mea fert ſententia, haud facile *controverſia* aut *ſchiſma* aliquod inter nos exſtiturum eſt. Illud vero etiam adjicio (idque ut *Nobiliſſ. huic conſeſſui* gravibus nunc negotiis occupato atque diſtriƈto, unde ſcilicet *ſalus Patriæ* atque *Eccleſiarum reformatarum* ut quam maxime pendet, omnem metum a mea quidem parte qui impendere poſſet adimam) neceſſe fore ut valde multa & magna ſint quæ in *confratribus meis* non ſim toleraturus: cum non ſim qui alterius fidei dominer, ſed *Miniſter* ſolum credentibus, in hoc, ut creſcat in illis *cognitio*, *veritas*, *pietas*, *pax* & *lætitia* in *Ieſu Chriſto Domino noſtro*. Quod ſi vero *confratres mei* viſuri non ſint, quomodo me tolerare poſſint, atque aliquem mihi inter ſe locum concedere; minime tamen propterea, quantum quidem ad me attinet, *ſchiſma* ſpero oriturum: cum quod Deus avertat, nimis multa inter *Chriſtianos* gliſcant *ſchiſmata*; inque hoc potius quiſque incumbere debeat, ea uti minuantur atque aboleantur. Hoc vero caſu, *animam meam in patientia poſſidebo*, meumque munus (viƈturus tamen, quamdiu Deo placebit vitam meam mihi prorogare idque *communis Chriſtianiſmi* commodo) a me deponam; illius memor, SAT ECCLESIÆ SAT PATRIÆ DATUM.

FINIS *Declarationis Belgico ſermone, ab auƈtore habita & conſcripta, poſteà Latinè reddita.*

APOLOGIA
D. IACOBI ARMINII
adverſus

Articulos quoſdam Theologicos *in vulgus ſparſos, ſaltem in quorundam* in Belgio & extra Belgium *manibus verſantes, quibus tum* ille *tum* Adrianus Borreus Eccleſiaſtes Leidenſis novitatis *&* *ἑτεροδοξίας in* Religione, erroris *&* hæreſeos *ſuſpecti redduntur.*

CIrcumferuntur nonnulli *articuli* ad *Religionem Chriſtianam* pertinentes, & numero quidem *viginti* & *undecim* (ſic enim interſtincti ſunt in ſcripto quodam mihi non ita pridem in manus tradito) partim *mihi*, partim *Adriano Borrio*, partim *utrique* attributi: quibus illi, à quibus primum ſunt diſſeminati, nos *novitatis* & *ἑτεροδιδασκαλίας* in *Academiam & Eccleſiam Leidenſem* invectæ ſuſpectos reddere, *errorisque* & *hæreſeos* inſimulare moliuntur, tum ut ſtudioſi & hominum vulgus à nobis iſta nigra nota adſperſis ſibi caveant, ne tabe iſta venenata inficiantur, tum ut ij qui in *Politia* & *Eccleſia* rerum potiuntur, autoritatem ſuam tempeſtive interponant, ne malum ulterius gliſcat, ſed potius in ipſis ſuis primordijs exſtinguatur, ſecus magnam *veritati divinæ* & *concordiæ Politicæ* & *Eccleſiaſticæ* noxam illaturum. Non eſt nupera adeo illa diſſeminatio, ſed & ante biennium *ſeptendecim* ex iſtis ipſis 31. articulis ad manus meas pervenerunt, ijſdem prorſus verbis concepti, quibus in hoc, quo de impræſentiarum ago, ſcripto ſunt enuntiati. Tacui autem & diſſimulavi, arbitratus in ipſa herba emorituros *articulos*, deſtitutos veritate partim hiſtoricæ narrationis, quâ non ſuis autoribus adſcribebantur, partim Theologici ſenſus, quo ipſi falſitas impingebatur. Sed res ſecus accidit: Durarunt enim & incrementum ſumſerunt *quatuordecim* aliorum ad priores *ſeptemdecim* adjectione, omniumque latiore, quam quæ antea facta erat, diſſeminatione. Quæ res effecit, ut ijs *moderata reſponſione* occurrendum putaverim, ne ſilentij diuturnitas confeſſionis inſtar habeatur, quod ſi alibi, præſertim in adſperſa hæreſi proclive eſt, in qua, quod jactatur, *Hieronymus neminem vult eſſe patientem. Candore* utar & *conſcientia*, quod *verum* eſſe novi *fatebor*, & *defendam*; in quo *haſito*, *ignorantiam non diffitebor*, quod *falſum* eſſe animus dictat *negabo*, & *refellam*. Dirigat mentem & manum meam Deus veritatis & pacis

paciſ per Spiritum ſuum ſanctum. Amen.

Articulus I. & II.

1: *Fidem non eſſe Electorum propriam, ſcilicet Iuſtificantem.*

2. *Fideles poſſe à fide & ſalute finaliter deficere.*

Reſponſio.

Hi *duo articuli* ita inter ſe connexi ſunt, ut priori poſito neceſſario inferatur alter, & viciſſim poſito hoc inferatur prior ex mente eorum, qui hoſce *articulos* cuderunt. Si enim *fides non ſit propria Electorum*, & *perſeverantia* in fide & *ſalus ſolis Electis* conveniat, ſequitur *fideles* non modo *poſſe*, ſed & nonnullos à *fide & ſalute excidere reipſa*. Et contra *ſi fideles poſſint a fide & ſalute finaliter excidere*: ſequitur *fidem* non eſſe *propriam Electorum*, utpote quibus tribuunt iſti, quod non poſſint non ſalvari. Ratio conſequentiæ eſt, quia *fidei* & *fidelium* vox, ex iſta hypotheſi, latius patet quam *Electionis* & *Electorum*. Compræhendit itaque etiam nonnullos *non electos*, hoc eſt, qui à *fide & ſalute finaliter deficiunt*. Non opus itaque fuit hic *duos articulos* condere, ſufficiebat *unum* proponere; & ſi exaggeratio, non in reipſa, ſed in puris putis verbis conſiſtens, quæſita fuit, potuit ſecundus conſectarij inſtar ex priore deduci. Patet igitur captatam eſſe articulorum multitudinem, ut in pluribus errare viderentur, *quos gratis de hæreſi ſuſpectos eſſe vult nimis ſedula fratrum curioſitas.*

Sed ad ſingulos ut veniam, de primo dico. Nunquam me, neque *publicè* neque *privatim*, dixiſſe, *fidem non eſſe Electorum propriam*: adſcriptus itaque hic *articulus* non ſuo autori; & admiſſum *σφάλμα* hiſtoricum.

Addo, Etiamſi dixiſſem, defenſionem præſto eſſe, Nam, ut omittam *Scripturas*, ex quibus prolixior eſſet iſtius rei diſceptatio, partibus non ſine veriſimilitudine ſententias ſuas inde tuentibus; *Patrum conſenſus* mihi hic pro ſcuto eſſet ad amoliendam *novitatem*; & *harmonia confeſſionum* ab Eccleſijs, quæ a Papatu ſeceſſionem fecerunt & *Proteſtantium Reformatarumque* nomine veniunt, conſcriptarum, pro thorace uterer ad impactæ *ἑτεροδοξίας* jaculum avertendum. Ipſius etiam *Belgica confeſſionis* & *Catechiſmi Heidelbergenſis* trutinam hac quidē in re non extimeſcerem.

Ad *conſenſum Patrum* teſtandum veniant *Auguſtinus*, *Proſper*, & auctor libri de *vocatione gentium*. *Aug. Mirandum eſt multumque mirandum, quod filijs ſuis quibusdam Deus, quos regeneravit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, non dat perſeverantiam, cum filijs alienis tanta ſcelera dimittat, atque impartita gratia ſua faciat filios ſuos.* *Aug. de corrept. & gratia, cap 8.*

Proſper. *Ex regeneratis in Chriſto Ieſu, quosdam relicta fide & pijs moribus apoſtatare à Deo, & impiam vitam in ſua averſione finire, multis, quod dolendum eſt, probatur exemplis.* *Proſper ad capita Gal. reſp. 7.*

De vocatione gentium: *Deus ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat, ut etiam a perſeveraturis illam mutabilitatem, quæ poteſt nolle, non auferat. Alioquin nemo fidelium receßiſſet à fide.* *De vocatione gentium lib. 2. cap. 9.*

Harmonia confeßionum ſic ſerviret defenſioni meæ. Si dogma illud, quod *fides* ſit *Electorum propria*, quodque

que *fideles à fide & ſalute deficere finaliter non poſſint*, ſit *dogma ad ſalutem neceſſarium*, tum non poteſt *illa confeſſio* quæ *iſtud dogma* non habet, aut *quæ contrarium dicit*, *cenſeri conſentire cum reliquis in negotio Religionis*. Vbi enim *harmonia* eſt, neque *defectum*, neque *contradictionem* eſſe fas eſt, *in rebus ad ſalutem neceſſarijs*. At *confeſſio Auguſtana* dicit, *ſe damnare Anabaptiſtas, qui negant ſemel iuſtificatos, iterum poſſe amittere Spiritum Sanctum.* Præterea *Philippus Melanthon* & qui illum ſequuntur, & *pleraque Eccleſia Lutheranorum* ſentiunt *fidem etiam non electis* contingere, & tamen *pro fratribus illos agnoſcere non veremur.*

Confeſſio Belgica id ipſum *dogma* non habet. Ex *Catecheſi noſtra* citra controverſiam elici nequit: Nam quod dicitur in *articulo de Eccleſia*; *Credo me membrum Eccleſiæ perpetuo manſurum*; Item: quæſt. 1. *Ita me conſervat Deus, ut omnia ſaluti meæ ſervire oporteat*, intelligenda ſunt de *fideli quà fidelis eſt:* reſpondet enim *Chriſtianus*, & *vere talis*; at nemo *talis* eſt niſi *per fidem*. Ergo *fides* præſupponitur.

Ad *ſecundum articulum* quod attinet, dico inter *potentiam* & *actum* diſtingui debere. Aliud eſt enim *fideles poſſe à fide & ſalute deficere*: Aliud *reipſa deficere*. Quod diſcrimen eouſque ſe extendit, ut & *antiquitas* de *ipſis electis* & *ſalvandis* affirmare verita non ſit, *poſſe illos non ſalvari*, non auferri ab ijs mutabilitatem, qua poſſunt nolle obedire Deo, quamquam certo crediderit *tales nunquam fore damnandos reipſa*. In hac ipſa re *noſtri doctores* plerique diſcrimen ponunt. Nam dicunt *poſſe tales deficere*, ſi conſideretur ipſorum *natura* propenſa ad lapſum & defectionem, ſi mundi & Sathanæ tentatio; at vero *non futurum, ut excidant finaliter*; quia Deus *electos ſuos ſit ante vitæ finem ad ſe reducturus*. Si quis dicat *fideles*, utpote *electos*, *deficere à ſalute finaliter non poſſe*, *quia Deus decreverit eos ſalvare*; reſpondeo, *decretum de ſalvando non tollere poſſibilitatem damnandi*, ſed *damnationem ipſam: Salvari* enim *actu* & *poſſe non ſalvari* contraria non ſunt, ſed conſentanea.

Addo igitur me inter iſta duo huc uſque ita diſcriminaſſe, ut addita explicatione aliquando dixerim quidem, *fideles poſſe à fide & ſalute finaliter deficere*; at nunquam dixiſſe *fideles à fide & ſalute finaliter deficere*, ideoque & *hic articulus* adſcriptus non ſuo autori, & in veritatem hiſtoricam peccatum eſt.

Adjungo magnum eſſe diſcrimen inter hæc duo enuntiata: *Fideles poſſunt à fide deficere*, & *fideles poſſunt à ſalute deficere*. Hoc enim poſtremum rigide & accuratè examinatum vix admitti poteſt. Nam impoſſibile eſt *fideles*, dum *fideles* manent *à ſalute* deficere. Vinceretur enim Dei potentia, quam Deus ſtatuit adhibere in *fidelibus ſalvandis*: & rurſus impoſſibile eſt *fideles*, ſi *à fide* deficiant & *infideles* fiant, non *deficere à ſalute*; ſcilicet ſi maneant *infideles*. Ideoque neque poſita, neque ſublata hypotheſi illa enuntiatio accurate enunciari poteſt. Poſita enim hypotheſi, *perſeverantia in fide*, *non poſſunt deficere*; ſublata illa eadem, *non poſſunt non deficere*. Prius vero illud enuntiatum hypotheſin nullã includit, ideoque ad illud ſimpliciter reſponderi poteſt, vel poſſe, vel non poſſe. Qua de cauſa ſic corrigendus fuit iſte articulus. *Fideles poſſunt à fide finaliter deficere* vel potius: *Fideles nonnulli*

deficiunt

deficiunt à fide finaliter: quo poſito alterum illud neceſſario inferri poterat; ergo etiam *deficiunt illi à ſalute*.

De *veritate iſtius articuli* idem dico, quod de priore dictum eſt: ſunt enim inter ſe reciproca & conſequentia *fidem eſſe electorum propriam*, & *fideles à fide non deficere finaliter*. Item *fidem non eſſe electorum propriam*; & *fideles nonnullos à fide deficere finaliter*.

Articulus III.

Dubium eſſe, an fides *qua* Abrahamus *juſtificatus dicitur, fuerit in* Ieſum Chriſtum venturum: *Non poſſe probari aliter illum intellexiſſe* promiſſiones Dei, *quam ſe futurum* hæredem mundi.

Reſponſio.

Duo ſunt hujus *articuli membra*, vel potius *duo diſtincti articuli*, qui nobis ſeparatim ſinguli conſiderandi, ubi primum notavero hîc nullam nobis *affirmationem* vel *negationem*, quæ *propriè hæreticum* faciunt, attribui, ſed puram putam *dubitationem*, quæ inſcitiæ & infirmitatis conſcientiam arguit, cui per placidam inſtructionem tollendæ, non exagitandæ, laborare debent *qui ſcientiam rerum ſibi arrogant*. Ad *prius membrum* reſpondeo: Primo, *Nunquam hoc à me dictum* eſſe, imò contrarium non ſemel publicè & privatim docuiſſe. Memini tamen me cuidam *miniſtro Leidenſi*, quum *claritatem* iſtius *articuli* jactaret cum admiratione, quod invenirentur qui ſecus ſentirent, dixiſſe, non ita *facilem* ipſi futuram iſtius *probationem*, ſiquidem *adverſarius fortis* obtingeret, & ad *experientiam* provocavi; quod etiamnum facio. Velim eſſe qui idipſum tam *planis argumentis* condoceret, ut nulli amplius juſta dubitandi ſupereſſet materia: cui ſane rei longe utilius impenderetur labor *Theologi*, quam *dubitationi infirmorum* & non eò uſque ſibi fidentium publicandæ & exaggerandæ.

Secundo, *Fidem* in Ieſum Chriſtum *bifariam* accipi poſſe: vel *ſecundum promiſſionem* verborum & rerum typis, figuris, umbris involutam & ſic propoſitam, vel ſecundum *Euangelium* clare manifeſtatum. Quod diſcrimen tantum eſt, ut ejus reſpectu dicantur Iudæi, Gal. 3. v. 23. *Antequam veniſſet fides, ſub lege detenti ſeu cuſtoditi fuiſſe, concluſi in illam fidem, quæ erat revelanda* & 2. Cor. 3. v, 13. dicitur: *Quod filij Iſraelis impediti ſunt velamine Moſis faciei impoſito ne intuerentur in finem ejus quod aboletur*, id eſt legis, ut patet ex toto capite, & Rom. 10. v. 5. *Chriſtus dicitur finis legis ad juſtitiam omni credenti*. Conſideretur omnis deſcriptio *fidei Abrahami* ab Apoſtolo Rom. 4. prolixè tacta, & adparebit in illa *Ieſu Chriſti mentionem* non *expreſſè* fieri, ſed illa implicatione, quam explicare non cuivis facile ſit. Accedet, quod *fides in Ieſum Chriſtum metonymicè* nonnullis dici videatur, pro ea quæ eſt de *typis* & *figuris Ieſum Chriſtum præfigurantibus* & adumbrantibus; quamquam illi junctus non ſit intellectus typorum iſtorum, niſi admodum obſcurus, qualis *Eccleſiam infantilem*, juxta *œconomiam* iſtam temporum à Deo ſapienter uſurpatam,

S decere

decere videatur. Conferatur illa *ſervitus*, ſub qua *hæres quamdiu infans eſt*, ab Apoſtolo eſſe dicitur. Gal. 4. v. 1. 2. 3. cum iſta *ſervitute*, à qua per Domini *Spiritum liberari dicitur, cuius cor ad Dominum converſum eſt*. 2. Cor. 4. 16. 17. 18. & dubitatio illa potius *trepidæ conſcientiæ iuſto timori*, quam *propendenti in hæreſin ingenio* ad ſcribenda adiudicabitur.

Ad *alteram* hujus *articuli membrum* dico, *Primo*, id à me prolatum non eſſe. *Secundo*, etiamſi dictum eſſet, repræhenſionem non mereri, niſi apud illum, qui eo ipſo & iudicij imbecillitatem & imperitiam ſuam eſſet proditurus. Minus *accurati iudicij* ſignum eſt id culpare ab aliquo dictum, quod totidem verbis ab ipſo *Apoſtolo* ſcriptum eſſe evinci poteſt. Si enim promiſſa eſt *hæreditas mundi Abrahamo* iſtis verbis: *Eris pater multarum gentium*, quid mirum *Abrahamum* non aliter intellexiſſe *promiſſiones*, quam divinitus prolatæ ſunt? *Imperitiæ* indicium eſt, quod *conditores* horum *articulorum* putarint *hæreditatem iſtam mundi Abrahamo* promiſſam ad *animalem hanc vitam* & *carnalia beneficia* pertinere; cum *mundus* iſte, de quo hic ſermo fit, ſit *mundus ille futurus*, ad quem pertinet *vocatio Gentium*, per quam *Abrahamus pater multarum gentium eſt factus*. Apparet hoc ex eo, quod *per iuſtitiam fidei*, cujus evincit *Gentes* etiam eſſe *participes*, dicatur *factus eſſe hæres mundi*: v. 13. cap. 4. ad Rom. & ex cap. 3. Eph. a v. 11. ubi de *vocatione Gentium* agens, dicit illam pertinere ad *gratiam Euangelij*, & *communionem myſterij à ſeculis abſconditi, & iam per Chriſtum in lucem producti, per quem Deus omnia condidit*. Pertinet, inquam, illa *vocatio* non ad *ſapientiam*, qua *mundum* condidi Deus, ſed ad illam qua *Chriſtum* conſtituit *ſapientiam & potentiam ad ſalutem credentibus*, & qua *Eccleſiam condidit* æternum duraturam. Vide 1. Cor. 1. 21. 22 23. & cap. 2. v. 6. 7. 8. & Eph. 3. loco citato. Si dicant, ſe etiam id vidiſſe, ſed exiſtimaſſe meam ſententiam fuiſſe aliam; regero non eſſe *prudentes* fingere ſibi *adverſarium ſtolidum*.

Articulus IV.

Fidem *non eſſe* effectum Electionis, *ſed* neceſſarium requiſitum in eligendis *à Deo* prævifum: Et decretum *de* danda fide *præcedere* decretum electionis.

Reſponſio.

Hujus etiam *articuli duo* ſunt *membra* integra. In *priore tria* dicuntur, *Primum*, *fidem non eſſe effectum Electionis*. *Secundum*, *fidem eſſe neceſſarium requiſitum in eligendis*, ſeu in *ſalvandis*. *Tertium*, *Hoc requiſitum à Deo eſſe prævifum in eligendis*. Omnia iſta rectè intellecta & explicata fateor meæ ſententiæ eſſe conſentanea, ſed *poſtremum* odioſus eſſe propoſitum, quum nulla iſtic mentio fiat *Dei*, cujus beneficium & *donum* fidem eſſe agnoſco. In ſingulis me explico. Ad *primum*; *Electionis* vox ambigua eſt: ſignificat enim aut *Electionem* qua Deus ſtatuit *fideles* juſtificare, *infidelibus* & *operarijs* juſtitia & ſalute rejectis, aut *electionem* qua ſtatuit certas *particulares perſonas*, qua tales, ſalvare, &, ut ſalvet, fide donare, *rejectis* alijs etiam ſingularibus perſonis,

qua talia ſunt individua. Secundum *poſtremum ſignificatum* accipitur ab ijs, qui *iſtos articulos* mihi impingunt; Secundum *priorem* ego eam accipio, juxta Rom. 9. v. 11. *Nondum enim natis pueris; quum nihil feciſſent boni vel mali, ut propoſitum Dei quod eſt ſecundum electionem, non ex operibus ſed ex vocante firmum maneret, dictum eſt ei, maior ſerviet minori.* An rectè accipiam nec ne, hic prolixius non diſputabo; ſaltem conſtat, eſſe aliquod *decretum Dei*, quo ſtatuit *fideles* iuſtificare, quod quia excludit à juſtitia & ſalute *infideles*, meritò *decretum ſecundum electionem* vel *cum electione* dicitur, utpote quod *non omnes* ſui ambitu concludit. Et hoc *decretum* dico eſſe *fundamentum Chriſtianiſmi, ſalutis & certitudinis de ſalute*: deque illo agi ad Rom. 9. 10. 11. capp. Et Epheſ. 1. cap. De illo verò *decreto*, quo ſtatuiſſe Deus dicitur *ſingulares quaſdam perſonas* præciſè ſalvare, &, ut ſalvet, fide donare, alijs a ſalute & fide reprobatis, quid in univerſum ſentiam, nondum dixi: quamquam faſſus ſim eſſe aliquod Dei *decretum* ſecundum quod ſtatuit *media ad fidem & ſalutem* adminiſtrare, prout novit ſuam *iuſtitiam* & *miſericordiam* & *ſeveritatem* decere. Vnde conſequentia manifeſtiſſima deducitur, *fidem* illius *electionis*, quâ Deus ſtatuit *fideles* juſtificare, effectum non eſſe. Ad *ſecundum*, iſtis ſic explicatis concluditur *fidem* eſſe *neceſſarium requiſitum* in ijs qui ſalutis ſecundum *electionem* Dei erunt participes: ſeu *conditionem* à Deo *præſcriptam* & *requiſitam*, ut præſtetur ab ijs, qui ſalutem ſunt adepturi. Propoſitionis enim iſtæ: *Hæc eſt voluntas Dei, ut quiſquis credit in Filium, habebat vitam æternam; qui non credit condemnabitur*: non poſſunt reſolvi niſi in iſtam etiam à Scriptura uſurpatam: *Crede & ſalvaberis.* Vbi, *crede* habet poſtulatum, *ſalvaberis*, ſuaſionem a promiſſo bono. Hæc autem *veritas* ita perſpicua eſt, ut illam negare perverſitatis ſit aut extremæ inſcitiæ. Si quis dicat, eſſe quidem *conditionem*, verum *Euangelicam*, & quam ipſe *Deus in nobis præſtet*, vel quod melius eſt, *quam Deus præſtare nos faciat gratia ſua*; ille non contradicit huic veritati, ſed illam confirmat, addita explicatione, cujuſmodi ſit conditio. Ad *tertium* dico, diſtinguendum eſſe inter *conditionem*, quâ *requiritur*, quâ *præſtatur*, & quâ ut *præſtita videtur* ſeu *prævidetur*; & propterea *tertium* illud *membrum* confuſius eſſe propoſitum, qua confuſione per illam diſtinctionem correcta, nihil apparebit etiam in illo membro abſurditatis. *Præviſio* enim ſeu *viſio* natura & ordine rerum ſequitur ipſam *præſtationem*; *præſtatio* habet *ſuas cauſas* in quas eſt reſolvenda; & *cauſarum* illarum *efficientia* non eſt *neceſſaria*, niſi fides *lege fidei* & *Euangelio* ſit *præſcripta* & *requiſita*. Quum itaque *fides à Deo prævija* dicitur *in ſalvandis*, non tolluntur, ſed potius ponuntur illæ cauſæ, ſine quarum interventu *fides* non eſſet; inter quas *primariam ſtatuo Dei gratiam prævenientem, concomitantem*, & *ſubſequentem*; & cum *Fulgentio* dico, *illos fore ſalvos, ſeu illos eſſe prædeſtinatos & electos, quos Deus præſcivit gratia prævenientis* (ego addo & *comitantis*) *auxilio credituros, & ſubſequentis perſeveraturos* Ergo in iſto membro nihil eſt præter ipſiſſimam veritatem. *Alterum membrum* eſt, *decretum* de *danda fide præcedere* decretum *electionis*. In quo explicando eandem diſtinctioné adhibeo, &, dico, *decretum*

electionis, quo Deus *fideles* juſtificare & ſalvare ſtatuit, *praecedere decretum de danda fide:* Nam *fides* non eſt *neceſſaria*, imò *inutilis* ſine iſto *decreto pravio*: & *decretum electionis* quo ſtatuit *hanc* vel *illam ſingularem perſonam* juſtificare & ſalvare, *poſterius* eſt *decreto*, ſecundum quod ſtatuit *adminiſtrare media ad fidem neceſſaria & efficacia*, hoc eſt, quod eſt de *danda fide* Si quis dicat Deum *prius* velle *ſingularem aliquam perſonam praeciſè ſalvare*, & quia id velit, velle eidem *fidem*, dare, eò quod *ſine fide* ſalvari non poſſit; dico illum, contradicéntia ponere, nempe Deum velle *citra fidei intuitum* aliquem præciſè ſalvare, & tamen ſecundum voluntatem Dei ſalvari illum *citra fidem* non poſſe. Ex voluntate Dei nobis revelata eſt, *neminem ſine fide Deo placere aut ſalvari poſſe:* ergo nulla alia eſt in Deo voluntas, qua quempiã *citra fidei intuitum praeciſè ſalvari* velit. Nam *contradictoriæ voluntates* in Deo poni non poſſunt. Si quis regerat, Deum *prius* velle *finem*, quam *media* ad *finem*; *ſalutem* autem eſſe *finem*, *fidem* eſſe *medium* ad *ſalutem:* Reſpondeo. Primo, *ſalutem* non eſſe *finem* Dei; ſed *ſalutem* & *fidem* eſſe *dona* Dei, hoc ordine inter ſe ex voluntate Dei colligata, ut *fides ſalutem praecedat* reſpectu datoris Dei, & reipſa. *Secundo, fidem prius* eſſe *conditionem* à Deo *requiſitam*, ut præſtetur ab eo qui ſalvabitur, quam *medium* ſalutis obtinendæ. Nam ideo, quod Deus *ſalutem* dare non vult, niſi *credenti*, incitatur homo ut credere velit, quia novit in *ſalute* ſuum ſummum bonum poſitum eſſe. Homo ergo per *fidem* tanquam *medium* conatur pervenire ad *ſalutem* tanquam *finem*, quia novit ſe non niſi per *medium* illud ad *ſalutem* pervenire poſſe; quam notitiam non habet, niſi ex illius voluntatis divinæ declaratione, quâ *fidem* poſtulat ab ijs qui ſalvari volunt, hoc eſt, quâ ſtatuit fidem *conditionem* in *obiecto*, id eſt in *ſalvando requiſitam*.

Articulus V.

Nihil rerum contingentium *dici poſſe* neceſſario *fieri reſpectu* decreti divini.

Reſponſio.

Sententia mea de *neceſſitate* & *contingentia* eſt, nunquam illa ſimul *uni eidemque eventui* competere, loquor autem de *neceſſitate & contingentia* uniuſmodi, non quæ ſint diverſi generis. Scholæ ſtatuunt *neceſſitatem* aliam eſſe *conſequentis*, aliam *conſequentiæ*. *Conſequentis* eſt, quando eſt ex cauſa rei *antecedente*. *Conſequentia*, quando eſt ex *principio* concluſionis *antecedente*. Cum *neceſſitate conſequentis* non poteſt conſiſtere & in unum eventum cadere *contingentia conſequentis*: quemadmodum neque una *concluſio* poteſt eſſe *neceſſaria* & *contingens* ratione *conſequentiæ*. Cauſa vero cur una res nequeat eſſe *neceſſaria* ſimul & *contingens*, hæc eſt, quod *Neceſſarium* & *Contingens* dividunt totam *Entis* amplitudinem. Omne enim *Ens* eſt vel *Neceſſarium* vel *Contingens*. Quæ autem dividunt totum *Ens*, illa non coincidunt in ullum *Ens*, ſecus non dividerent totum *Ens*. Differunt etiam *contingens* & *neceſſarium integris eſſentijs* & *tota definitione:* nam *Neceſſarium* eſt, quod non poteſt non eſſe vel fieri: *Contingens* eſt quod poteſt non eſſe vel fieri. *Contradictoriè* ſcilicet iſta oppo-

opponuntur, quæ oppoſitio eſt *infinita*, ideoque dividens ſemper verum à falſo: ut, hæc res eſt homo vel non homo: non poteſt ulla res ſimul eſſe utrumque: ulla res inquam *unius eſſentia*: alioquin *Chriſtus eſt homo* ut ex Maria, *non homo* quà ex Patre genitus ab æterno: ſed iſtæ ſunt *duæ res* & *duæ naturæ*. Sed dicunt, unum eundemque *eventum* poſſe *diverſo reſpectu* eſſe *neceſſarium* & *contingentem*; *Neceſſarium reſpectu primæ cauſæ, quæ eſt Deus, & contingentem reſpectu ſecundarum cauſarum*. Reſpondeo: *Primo*, quæ *integris eſſentijs* differunt *reſpectibus* non coincidere. *Secundo*, *Neceſſitatem* vel *contingentiam eventus* non ex *una cauſa*, ſed ex *omnibus ſimul iunctis* eſſe æſtimandam: Si enim poſitis *decem cauſis*, ex quibus res *non neceſſaria* ſeu *contingenter* producitur, *una* accedat ex qua res *neceſſario* conficiatur, tota illa res dicitur *non contingenter* ſed *neceſſariò* exſtitiſſe. Poſitis enim *illis cauſis omnibus* non potuit res illa non produci, & exſiſtere. Fateor quidem rem illam diſtinctè à mente noſtra cum ſingulis ſuis collatam cauſis, diverſam habere *reſpectivam relationem* ad eaſdem: ſed quum nulla earum cauſarum ſit *cauſa totalis iſtius eventus*, ſed *omnes ſimul iuncta totalem faciant cauſam*, ex illa totali cauſa vel *neceſſario* vel *contingenter* facta eſſe ſtatui & dici debet res ipſa. Quod vero res quæ *reſpectu ſecundarum cauſarum contingenter* fit, *neceſſario* fieri dicitur *reſpectu decreti divini*, id non modo perperam ſed & imperite dicitur. Nam *decretum* ipſum *divinum*, utpote *interna Dei actio*, rei cauſa immediate non eſt, ſed quidquid facit per *potentiam* facit, ſecundum cujus modum vel *neceſſario* vel *contingenter* res fieri dicetur. Si enim Deus ſtatuit uti ad *exſecutionem decreti ſui potentiâ irreſiſtibili*, ſeu tantum adhibere potentiæ ut nihil illi reſiſtere poſſit aut eam à perficiendo impedire, ſequetur rem *neceſſario* exſtituram; *ſic impij in peccatis perſeverantes neceſſario peribunt*; Deus enim vi irreſiſtibili illos in barathrum inferni dejiciet. Si vero ſtatuit uti vi *non irreſiſtibili*, ſed *cui reſiſti poſſit* à creatura, tunc non *neceſſario* ſed *contingenter* illa res dicitur fieri, quamquam Deus certo futuram præſciat, ſecundum *infinitatem intellectus ſui*, quo novit quid quibuſvis, ſive *neceſſario* ſive *contingenter* rem producturis cauſis poſitis futurum ſit. unde etiam dicunt Scholaſtici omnia fieri *neceſſitate infallibilitatis*, ſenſu certo, quamquam verbis male rem enunciantibus. Nam *infallibilitas* non eſt affectus *Entis*, quod exiſtit ex *cauſis*, ſed *mentis videntis* ſeu *prævidentis*, *quid ex quibus cauſis ſit futurum*. Sed fero facile *catachreſticam metalepſin* quum de re conſtat, quamquam velim enuntiationes noſtras rerum naturis eſſe accommodatiſſimas.

Sed exemplis prolatis probare nituntur rem unam eandemq; *reſpectu decreti divini* fieri *neceſſario*, quæ *reſpectu cauſarum ſecundarum* fit *contingenter*. *Oſſa Chriſti* inquiunt *frangi potuerunt* & *non potuerunt frangi*. *frangi potuerunt* ſi naturam oſſium quis conſideret; certè enim *fragilia* fuerunt; *non potuerunt frangi*, ſi *decretum* Dei conſideretur. Reſpondeo me negare quod *reſpectu decreti divini non potuerunt frangi*. Deus enim non decrevit ut non *poſſent frangi*, ſed ut *non frangerentur*: quod adparet ex ipſa rei adminiſtratione; non enim adhibuit *potentiam irreſiſtibilem*, qua impediret nè *poſſent frangere* Oſſa Chriſti; qui

accedebant *ad frangendum; ſed leni ſuaſione* effecit ne vellent oſſa Chriſti frangere, argumento ducto ab inutili. Quum enim Chriſtus jam, antequam ad crucem venirent crurifragi, exſpiraſſet, fruſtraneam operam in frangendis cruribus ſumere non voluerunt: frangebantur enim crura, ut mors feſtinaretur, ne in die feſto manerent in cruce ſuſpenſi contra legem divinam. Et ſanè major laus eſt ſapientiæ divinæ, ſi id quod decrevit efficere novit, utens cauſis ſecundum naturam & motum, ſive *contingentem* ſive etiam *liberum* ipſarũ; quam ſi adhibeat potentiam cui nulla creatura reſiſtere poſſit: quanquam etiam id faciat quando ipſi viſum eſt expedire. Nihil itaque arbitror à me peccatum eſſe, quum dixi: *Nihil rerum contingentium: hoc eſt quæ contingenter fiunt ſeu facta ſunt, dici poſſe neceſſario fieri vel factum eſſe reſpectu decreti divini.*

Articulus VI.

Omnia fieri contingenter.

Reſponſio.

Hoc tam *inſulſè* dicitur, ut qui mihi hoc dictum tribuunt, eo ipſo declarent, ſe non videre quam multis *falſitatibus* id dictum laboret: imo non videre quod dicant. Nam ſi *contingenter* fieri dicitur, quod poſitis cauſis omnibus ad agendum requiſitis poteſt *non fieri*, & contra *neceſſario* fieri, quod poſitis cauſis omnibus ad agendum requiſitis; *non poteſt non fieri*; Et ego concedam poſitis nonnullis cauſis *non poſſe fieri quin res fiat & exiſtat*, quomodo poſſum ſentire, omnia fieri *contingenter*. Sed fefellit illos *propria* ipſorum *ignorantia*, à qua liberari poſſent, ſi rectiora decenter audire vellent, & ex autore placide ſuas ſententias intelligere. Dixi ego & docui, *neceſſitatem*, quâ *neceſſario eſſe* vel *fieri* dicitur, vel *abſolutam* vel *relativam* eſſe. *Abſolutam* qua res *ſimpliciter citra ullum reſpectum* ad poſitionem ullius cauſæ *eſſe vel fieri neceſſario* dicitur. *Relativam*, quando r s dicitur *neceſſaria eſſe vel fieri* ad poſitionem alicujus cauſæ. Sic Deus *abſoluta neceſſitate* eſt, & Deus *abſoluta neceſſitate* ſeipſum intelligit & amat. *Mundus vero & omnia à mundo* ſecundum *abſolutam* conſiderationem *contingentia ſunt*, & *contingenter* à Deo *libere operante* producta. At verò poſito, quod Deus *mundum vult condere potentia ſua infinita*, cui ipſum nihilum inſtar materiæ præparatiſſimæ eſſe debet; & poſito quod Deus *actu iſtam potentiam* uſurpat, jam dicetur *mundum non potuiſſe non exiſtere* ex iſta cauſa; & hæc eſt *relativa* neceſſitas, quæ dicitur ex hypotheſi *cauſæ antecedentis* poſitæ. Aliter me explico: duo hic conſideramus *cauſam* & *effectum*: Si utrumque ponatur neceſſario, hoc eſt, ſi non modo *effectus* ponatur *neceſſario* poſita cauſa, ſed etiam *ipſa neceſſario* exiſtat & neceſſario ponatur operari, jam *ſimplex eſt* & *abſoluta iſtius effectus neceſſitas*. Sic *abſoluta neceſſitas* effectus divini, quo *ſeipſum noſſe* & *amare* dicitur; nam non poteſt non intellectus & voluntas divina operari. At hæc operatio non modo *interna* Dei eſt, ſed etiam *ad intra*, tendens in objectum quod ipſe eſt. Sed quidquid Deus faciat *ad extra*, id eſt, agens in objectum, quod eſt aliud ab ipſo, ſive hoc ſit unitum ipſi in intellectione, inque id tendat *actu interno*, ſive reipſa ab

illo ſeparatum in quod tendat *actu externo*, id totum facit libere, & propterea totum hoc dicitur, *abſolutè eſſe contingens*. Sic Deus *liberè decrevit* mundum condere, & *liberè* mundum *condidit*. Et *hoc ſenſu omnia fiunt contingenter, reſpectu decreti divini*, quia ut *ipſum decretum* Dei ponatur, *nulla* eſt *neceſſitas*, utpote quod proficiſcitur â pura & *libera voluntate* Dei. Aliter: *ſimplex* & *abſoluta neceſſitas* alicujus effecti dicitur; quando *cauſa neceſſario* exiſtit, *neceſſario operatur*, & ea *potentia* utitur ex qua *res non poteſt non exiſtere*. Talis *effectus* cogitari non poteſt in rerum natura. Nam intellectio Dei, qua ſe ipſum intelligit, eſt quidem ex cauſa neceſſario exiſtente & neceſſario ſeipſum intelligente, ſed non à cauſa quæ potentia agendi utitur ad intellectionem iſtam. Ex qua conſideratione *duplex* eſt *neceſſitas relativa alicuius* eventus. *Prima*, Quando *cauſa neceſſario* quidem *exiſtens*, ſed *non neceſſario operans*, utitur potentia ad agendum cui reſiſti non poteſt. Sic poſito, quod Deus, qui eſt *neceſſarium Ens*, velit mundum condere *omnipotentia ſua*, *neceſſe eſt* ut *mundus exiſtat*. *Secunda*, Quando *cauſa non neceſſario exiſtens*, *neceſſariò* tamen *operans* ea *efficacitate* agit, cui *reſiſtere non poteſt materia* ſeu *ſubiectum*, in quod operatur; ſic *ſtipula* dicitur *neceſſario uri* ab igne, ſi in *ignem* conjiciatur: quia nec *ignis* poteſt ſuam urendi vim continere non urat actu, neque *ſtipula* reſiſtere igni. At quia Deus poteſt impedire ne ignis urat admotam materiam uſtibilem, ecce hæc *neceſſitas* dicitur reſpectu *cauſa partialis* & ſecundum naturam rerum iſtarum mutuamque inter iſtas affectionem tantum. Hiſce ſic explicatis velim videre quid contradici poſſit. Vtinam pro Dei potius *ſolius neceſſitate*, hoc eſt, *neceſſaria eius exiſtentia*, & *neceſſariâ actuum* ejus ad *intra productione*; & *omnium aliarum rerum*, & *effectuum contingentia* pugnaremus, hoc magis ad Dei gloriam vergeret, cui *gloria* tribueretur eo modo tum *exiſtentia neceſſaria*, hoc eſt, *aternitatis*, ſecundum quam purus actus eſt citra potentiam: tum *libera omnium aliarum rerum creationis*, qua bonitas ipſius ſummopere commendatur.

Articulus VII.

Deum futura contingentia *decreto ſuo aterno* non determinaſſe *ad* alterutram *partem*.

Reſponſio.

Sub æquivocationibus latens calumnia lædit tutiſſimè, quibus explicatis quia aperitur, robur amittit apud peritos. *Determinationis* vox ambigua eſt. Significat enim vel *determinationem* Dei, qua ſtatuit ut aliquid fiat, talem, quâ poſita qualicunque actione, motione, impulſu Dei; *cauſa ſecunda libera* manet quoad *potentiam* & *uſum potentia*, ad *agendum* vel *non agendum*, adeo ut *actionem* ſuam, ſi velit, *ſuſpendere* poſſit; vel talem, qua poſita *non* manet *libera cauſa ſecunda*, ſaltem non ad *uſum potentia*, ut *actionem* ſuam *ſuſpendere* poſſit, poſita actione, motione & impulſu Dei; ſed ex qua ſit, ut *neceſſario* in *alterutram partem* flectatur, ablata *indifferentia* ad alterutram partem; antequam *actus* ipſe *determinatus* productus ſit à *creatura libera*. Si *priore modo* vox *determi-*

determinationis intelligatur in poſito articulo, abſit à me ut talem *determinationem* Dei negemus. Scio enim Actor. 4. dici, *Herodem, Pontium Pilatum cum Gentibus & populis Iſrael coactos fuiſſe in unum adverſus Chriſtum, ut facerent quæcunque manus & conſilium Dei prædefiniverat;* (& prædeterminarat) *ut fierent:* ſed ſcio etiam *Herodem, Pontium Pilatum,* & *Iudæos* idipſum *libere feciſſe*, & poſita *prædefinitione iſta Dei*, & omni Dei per potentiam ipſius actione, motione, impulſu, ad *prædefinitionem* illam exſequendam neceſſariâ, tamen potuiſſe iſtum *actum* à Deo *prædefinitum*, ſcilicet, *crucifixionis Chriſti*, ab iiſdem *non produci*, eoſque *liberos* & *indifferentes* manſiſſe ad actum præſtandum uſque ad illud momentum temporis quo actum patrabant. Legatur hiſtoria *Paſſionis Domini*, & animadvertatur quomodo res tota geſta ſit, quibus *argumentis Herodes, Pontius Pilatus, Iudæi* moti ſint, & quæ qualiſque fuerit *argumentorum* iſtorum adminiſtratio: & conſtabit me verum dicere. Si vero *ſecundo ſenſu* ſumatur vox *determinationis*, fateor me hoc axioma quo dicitur, *Deum futura contingentia* (intellige quæ a libera creaturæ voluntate patrantur) *decreto ſuo æterno determinaſſe ad alterutram partem:* tanquam *falſum*, *abſurdum*, & multiplicis *blaſphemiæ pravum*, abominari & exſecrari. Vt *falſum*, quia Deus ſic providentia ſua adminiſtrat omnia, ut quum ipſi viſum eſt creaturis uti ad ſua decreta exſequendum, eis *naturam naturaleſq; proprietates* & *uſum earum non auferat, ſed eis ſuos proprios motus peragere ſinat:* ſecus *providentia* quæ *creationi* debet eſſe accommodata, ei directe adverſabitur. Vt *abſurdum*, quia contradicens eſt in adjecto, *contingenter* aliquid fieri, hoc eſt, ita fieri, uti poſſit non fieri, & tamen idipſum ſic eſſe *determinatum* ad alterutram partem, ut non poſſit non fieri id quod *determinatum* eſt ut fiat. Non ſufficit ad tollendam *contradictionem* quod dicunt de non ablata *libertate* quod ad *naturam creaturæ*; nam ad *contingentiam* & *libertatem* ſtatuendam non ſufficit ut adſit potentia quæ libere agere poſſit ſecundum naturam, ſed requiritur ut *uſus* illius *potentiæ & libertatis* nullo modo impediatur. Et quæ inſania eſt *potentiam libere agendi* vel *actionem ſuſpendendi* creaturæ in *creatione* conferre, & illius *uſum auferre* quum jam uſurpanda venit *libertas:* hoc eſt, concedere quum illius *uſus nullus* eſt; at quum *uſus* ejus & *neceſſitas* erit, tum *libertatem* in actu impedire. Videatur de hac re *Tertullianus* libro 2. adverſus *Marcionem* cap. 5. 6. 7. ubi rem illam & erudite & nervoſe pertractat: cui ego in eo prorſus aſſentior. Vt *blaſphemiæ multiplicis pravum*. Nam exiſtimo nulla ſophiſtica effici poſſe, ut ex illo dogmate de tali *prædeterminatione* non ſequatur: *Primo*, Deum eſſe authorem peccati, & Hominem immunem à culpa. *Secundo*, Deum vere & proprie & ſolum peccare; quia poſita lege vetante iſtum actum, & *prædeterminatione* tali, qua actus ille non poteſt non patrari, ſequitur Deum ipſum eſſe qui legem tranſgrediatur, utpote qui faciat ipſe actum contra legem. Quamquam enim actus ille immediatè à creaturæ patretur, tamen ejus reſpectu peccati rationem habere nequit, quum *ille actus* poſita iſta *prædeterminatione* homini fuerit *inevitabilis*. *Tertio*, Deum homine *peccatore* & *peccato*

ipſius

ipſius *indigniſſe* ad gloriam *iuſtitiæ* & *miſericordiæ* ſuæ illuſtrandum. *Quarto*, Peccatum non eſſe peccatum. Quæ ab alijs ex iſto dogmate deducta nondum vidi confutata: velim id fiat, ſaltem conatus ſerius adhibeatur. Quod ſi factum fuerit, & ego commonſtrare tunc non poſſim objectamenta illa non eſſe ſublata, manus dabo & culpam deprecabor: quamquam ego *iſtam ſententiam iſtis conſequentijs apud alios gravare* non ſoleo, tantum fateri ſoleo, & quidem neceſſitate urgente, me ſententiam iſtam non poſſe ab illis objectamentis liberare.

Articulus VIII.

Quibuſcunque *prædicatur* Euangelium, *ijs* ſufficientem *dari* Spiritus ſancti gratiam, *ut* ſi velint, poſſint credere; *alioqui* luderet Deus *cum hominibus*.

Reſponſio.

Ego illud enuntiatum iſtis verbis, aut prorſus æquipollentibus conſtans, nunquam, neque publicè, neque privatim protuli: quod fidenter affirmo, etiamſi contra teſtarentur plurimi; quia ego idipſum niſi commodè explicatum non adprobo nunc, neque unquam adprobavi: quod docere poſſem ſcriptis ſuper hac re cum alijs collationibus habitis. *Tria* autem hic commodè *explicari* deſidero. *Primo*, De diſcrimine, quod eſt inter illos quibus *Euangelium annunciatur*: cujus crebra eſt mentio in Scripturis, ut in hiſce locis. Matt. 11. *Pater ego tibi gratias* *quod illa revelaris parvulis, & abſconderis à ſapientibus.* cujus explicatio poteſt peti ex 1. & 2. cap. Epiſtolæ primæ ad Corinthios, & Matt. 10. v. 11. & 13. *Exquirite quis in ea ſit dignus: & ſi domus fuerit digna, venito pax veſtra ſuper illa.* Act. 17. 11. *Iudæi Berœenſes fuerunt generoſiores Iudæis Theſſalonicenſibus* 2. Theſ. 3. v. 1. & 2. *Orate ut liberemur à protervis & ſceleratis hominibus, non enim omnium eſt fides, &c.* *Secundo*, De *datione gratiæ ſufficientis*, quid illa ſit. notum enim eſt eſſe gratiam *habitualem* & *aſſiſtentiæ*: jam phraſis illa ſic accipi poſſet, atque ſi *omnibus*, quibus *Euangelium annuntiatur*, gratia aliqua *habitualis* infunderetur, quæ *aptos* illos reddat ad *fidem* præſtandam *Euangelio*, qui ſenſus à me non probatur. Sed quidquid de illa *ſufficientia* dicitur, arbitror aſcribendam *aſſiſtentiæ* Spiritus ſancti, qua ille aſſiſtit *Euangelij prædicationi*, tanquam organo per quod ille ſolet eſſe efficax in animis auditorum. Hæc autem *aſſiſtentiæ* Spiritus ſancti operatio tam poteſt commodè explicari, eique *ſufficientia* attribui, ut *Pelagianiſmus* quam longiſſimè evitetur. *Tertio*, De eo quod dicitur *credere poſſe* per illam gratiam *ſufficientem, ſi velint*; quæ verba ſic crudè pronuntiata in peſſimum ſenſum & ſcripturis minimè conſentaneum trahi poſſunt, ac ſi potentiâ illâ datâ porro quieſcat *Spiritus* & *gratia divina*; exſpectans an homo ſit *rectè uſurus* iſta *potentia*, & crediturus *Euangelio*: quum qui rectè de ea re ſentire & loqui vult, neceſſe habeat *gratiæ ſuas* & quidem *potiſſimas partes* tribuere in perſuadenda *voluntate*, ut aſſentiri velit eis quæ prædicantur. Hæc explicatio facile me liberat hic à ſuſpicione

hæreſeos, & evincit non eſſe credibile, quod illis verbis uſus ſum, quæ ego non niſi addita *proba explicatione* admittere velim. Ad *rationem* huic *ennunciato* additam quod attinet, nimirum, ſecus Deum cum hominibus luſurum; fateor illam à multis adverſarijs uſurpari adverſus ſententiam multorum ex noſtris, ut eam *abſurditatis* convincant: & non ſine cauſa: quod monſtrari poſſit, ſiquidem ipſis, qui mihi hoſce *articulos* tribuerunt viſum eſſet ſententiam ſuam ſuper iſta re, quam pectore clauſam gerunt, aperte enuntiare.

Articulus IX.

Afflictiones temporales fidelium *non rectè dici* caſtigationes, *ſed eſſe* pœnas *pro peccatis. Chriſtum enim tantum* ſatisfeciſſe *pro* pœnis æternis.

Reſponſio.

Duplici & inſigni *mendacio* hic *articulus* mihi attribuitur. *Primum* eſt in ipſo *articulo*, *alterum* in ratione addita. *De priore*. Qui Theologiam à limine ſalutarunt, norunt *afflictiones & calamitates* hujus vitæ animalis eſſe vel *pœnas*, vel *caſtigationes*, vel *probationes*, hoc eſt, Deum illis immittendis vel intendere *punitionem* propter peccata, quatenus jam perpetrata ſunt, citra alium reſpectum: vel *caſtigationem*, ne in alia & ſimilia deinceps incidant; vel *probationem fidei, ſpei, caritatis, patientia* & ſimilium inſignium virtutum. Quis ita deſipiens eſt, ut dicat, quod *virgis caſi* ſunt *Apoſtoli* in concilio *Iudæorum, pœnam* fuiſſe, quum ipſi *exiverint læti, Deum laudentes, quod digni eſſent habiti, qui pro Chriſti nomine contumelia afficerentur.* An non eſt notum illud Apoſtoli 1. Cor. 11. 30. 31. 32. *Propterea inter vos ſunt multi debiles & invalidi & dormiunt multi. Etenim ſi nos ipſos dijudicaremus, non iudicaremur. Sed dum iudicamur à Domino, παιδευόμεθα, corripimur, caſtigamur, erudimur, ne cum mundo condemnemur.* Apparet ergo non tantum *audacia* eorum, qui hoſce articulos mihi tribuerunt, ſed etiam *imperitia*, quod de illis & ſimilibus locis ne cogitaverint quidem: ſi cogitarunt, qua mentis inſania factum eſt ut mihi idipſum adtribuerint, quod tam planis locis confutatur. Dixi aliquando, quum ageretur de *calamitatibus domui Davidis* inflictis *propter factum* ipſius adverſus *Vriam*, & loca Scripturæ, quæ adferebantur, magna veriſimilitudine niterentur, ad probandum iſtas *pœnæ* rationem habuiſſe: *non eſſe neceſſe ut in iſtas anguſtias nos coniici ab adverſarijs Pontificijs pateremur, ex quibus difficulter egredi poſſimus, cum verba videantur adverſus illam ſententiam facere, qua dicit illas nullo modo pœnæ rationem habuiſſe: dici non incommodè poſſe, quum peccatum mereatur pœnam æternam peccati gravitati convenientem, & ſimul pœnam temporalem (ſiquidem & illam Deo viſum eſt infligere, quod ſæpe non facit, ne in illis quidem qui in peccatis perſeverant.* Vide Pſal. 73. & Iob. 21.) *Deum remiſſa culpa, quatenus eſt meritoria pœnæ æternæ, illam reſervare quoad pœnam temporalem: & doceri inde nullum patrocinium parari poſſe Pontificio dogmati de purgatorio, quod diſputationis iſtius erat occaſio.* Ad *rationem* quod attinet, illa eodem *mendacij* crimine tenetur, & non minori *inſulſitate* objecti, quod monſtro.

Primum

Primum enim affirmo nunquam hoc à me *dictum* eſſe, imò ne *cogitatum* quidem: ſententia enim mea eſt: *Chriſtum eſſe Redemtorem & Salvatorem noſtrum à peccatis, quæ mortem temporaneam & æternam merentur, eumque nos à morte æterna & temporali, quæ eſt corporis & animæ ſeparatio, liberare.* Mirum autem hoc mihi à viris cordatis tribui potuiſſe, quum Scriptura expreſſe dicat; *Chriſtum participem eſſe factum carnis & ſanguinis, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habet imperium, id eſt diabolum:* ubi per *mortem* intelligitur aut ſola mors corporis, aut etiam illa. Item, *Chriſtum apparuiſſe ut opera diaboli deſtrueret.* Inter quæ & mors temporalis. Nam *invidia diaboli intravit mors in mundum.* Et alio loco: *Per unum hominem mors, per unum hominem reſurrectio mortuorum: qui homo eſt Chriſtus.* Et, *Chriſtum transfiguraturum eſſe corpus noſtrum humile, ut corpori ſuo glorioſo conformetur, pro efficacitate qua poteſt ſibi ſubiicere omnia.* Nimis oportet eſſe hoſpitem in Scripturis, qui negat nos *Chriſti morte*, à *morte temporali* redimi, & reſurrectionis felicioris jus adipiſci. Verum hoc dixi: *nos à morte temporali ipſo actu non liberari, niſi per reſuſcitationem ex mortuis, per quam hoſtis extremus & mors abolebitur: ideoque diſtinctè hæc conſideranda & docenda indico, Chriſtum morte ſua ſtatim ius quidem ademiſſe morti, quod in nos habebat, ſcilicet detinendi nos ſub ſua poteſtate; quemadmodum & ipſe à vinculis mortis detineri nequijt; at ab actuali eius dominio ſuo tempore nos liberaturum, iuxta diſpenſationem Dei, qui animæ priora, corpori poſteriora tempora concedi voluit.* Cæterum, fateor me certa conſcientia aſſeverare non audere, mortem temporalem, qua infligitur ſeu immittitur ſanctis, non eſſe *pœnam* ſeu non habere reſpectum *pœnæ*, quum *hoſtis* appelletur *deſtruendus* per omnipotentiam Chriſti. Contrarium non evincitur eo argumento, quod *noſtra mors corporea ſit tranſitus in vitam æternam, quia tranſitus eſt animæ, non corporis*, quod dum *in terra ſepultum manet* ſub *Domino mortis* detinetur. Neque eo quod *ſancti mortem corporis optant*; optant enim *diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, quod fit ſecundum *animam, corpore* interea, ſub *dominio mortis* & *hoſtis* ſui manente, uſque dum & illud animæ ſuæ rurſus unitum cum ea ſimul glorificetur. Et opponi poteſt quod Chriſtus Petro dicit; *Alius te cinget & ducet quo non vis, ſignificans qua morte glorificaturus eſſet Deum.* Non tantum ergo non vere, ſed neque judicioſè ſatis hanc ſententiam mihi impegerunt. Cujus infirmi judicij *duplex* aliud *ſignum* hic animadverto. *Unum*, quod non diſtinguant inter gravitatem utriuſque erroris eo, quo decet, modo. Nam longe gravius errat, qui negat *Chriſtum* ſatisfeciſſe pro *pœnis corporalibus*, nempe, pro *pœna mortis temporalis*; quam qui dicit *mortem corporis* habere reſpectum *pœnæ*, quum ſanctis immittitur. Sed hic error proponitur, alter vero, ut ratio illi firmando adfertur; quum ſecus fieri debuerit juxta utriuſque erroris æſtimationem; ſcilicet, Chriſtum tantum ſatisfeciſſe pro pœnis æternis, ideoque *afflictiones temporales fidelium* non rectè dici *caſtigationes*, ſed eſſe *pœnas* pro peccatis. *Alterum*, quod illo argumento me utentem faciunt, cujus ego nullam agnoſco vim ad probandum quod proponitur. Concedo enim Chriſtum ſatisfeciſſe etiam pro pœnis temporalibus, Et tamen dico, verum eſſe poſſe, quod *mors temporalis*

Marginal notes: Heb. 2. 14. — 1. Ioan 3. 8. — 1. Cor. 15. — Phil. 3. 21. — 1. Cor. 15. — Actor. 2. — Philip. 1. — Ioan. 21. 18. 19.

temporalis pœna reſpectum habeat etiam *fidelibus* inflicta. Vnde & *tertium* ſignum inconſtantis judicij ſe patefacit. Non vident enim quum ipſi ſic argumententur; Chriſtus liberavit nos à pœnis temporalibus, ergo mors noſtra non poteſt habere reſpectum pœnæ: mihi æque promtum eſſet inde ſic concludere: Ergo non eſt æquum ut *ſancti moriantur morte temporali.* Mea argumentatio eſt à re ad rem; quia Chriſtus tulerit *mortem corporis*, non eſſe *illam nobis tollerandam:* Illorum, a re ad reſpectum rei, quia Chriſtus tulerit *mortem corporis*, illam nobis quidem infligi, ſed non ut quæ *pœna* reſpectum habeat. Deus autem argumentationem a re ad rem aliquando ipſo effectu comprobabit, ſed quæ legitime inſtituetur; nimirum: Chriſtus tulit mortem corporis: & ſecundo abſtulit: quod apparet, quia reſurexit; ergo Deus mortem eandem a nobis auferet ſuo tempore.

Articulus X.

Fideles *in V.* Teſtamento *ante Chriſti* aſcenſum in cœlum, fuiſſe in cœlo, *non poſſe probari ex Scriptura.*

Reſponſio.

Hoc nunquam publice docui, neque privatim dixi aſſeveranter. Verum recordor me aliquando cuidam verbi miniſtro, ex occaſione concionis quam habuerat, dixiſſe, multa eſſe Scripturæ loca, quæ videntur id ipſum evincere: & nonnulla protuliſſe, adverſus quæ parum proferebar; ſed addidiſſe, arbitrari me id dogma non admodum utiliter nunc *Eccleſiæ* ſic habenti proponi poſſe, quod diligentius examinatum & verum compertum cum ejus *utilitate* & ad *gloriam Chriſti* doceri poſſit, ubi animi eſſent præparati: cujus etiamnum ſum ſententiæ. De re autem ipſa nihil affirmo in alterutram partem. Video *argumenta* eſſe in *utramque partem*, tum *loca Scripturæ*, tum *rationes* ex ijs deductas, tum *ſententias Doctorum*. Examinatis omnibus pro virili, hærere me fateor, & dico mihi non liquere: In qua ſententia quam plurimos *Doctorum* habeo mihi aſſentientes, præſertim noſtri ævi. *Patrum plerique* animas patrum ſub V. T. *extra cælum* ſtatuunt, vel in *inferno*, vel in *limbo*, vel quocunque *alio loco*, extra cælum tamen exiſtente, proprie ſic dictum. *Malo itaque de occultis cum Auguſtino dubitare, quam de incertis litigare.* Neque opus eſt. Cur enim contendam jam hiſce temporibus, quum *Chriſtus* adſcenſu ſuo in cœlum nobis prægreſſus viam & ingreſſum in illud nobis patefecit; quo loco fuerint *animæ patrum* temporibus V. Teſtamenti. Ne tamen, ut fieri ſolet, hinc mihi per conſequentias calumnia ſtruatur, quaſi *papiſticæ* de *limbo* ſententiæ faveam, aut accedam ad eos, qui *animas dormire* aut *dormiſſe* arbitrantur, aut, quod peſſimum eſt, cum ijs facere videar, qui dicunt *Patres porcorum inſtar, fuiſſe ſaginatos citra ſpem vitæ melioris*: aperte quid de patrum ſtatu ante Chriſti in cœlos adſcenſum ſentiam enuntiabo. *Inprimis* ſtatuo *animas humanas* eſſe *immortales*, hoc eſt, nunquam interituras. *Inde* ſtatuo *animas non dormire*. *Tertio*,

Vide Hilarium in Pſal. 2. & 102. Tertull. lib. 4. adverſus Marcionem. Item in libro de Anima.

Omnibus

Omnibus hominibus poſt hanc vitam aut *felicem* aut *miſerum ſtatum* eſſe expoſitum, *in quem etiam ſimul atque ex hac vita diſcedunt, ingrediuntur.* Quarto, *Animas patrum*, qui in fide & exſpectatione Redemtoris diem ſuum extremum obierunt, iviſſe ad locum *quietis, gaudij & beatitatis*, & benefica Dei præſentia potitas eſſe, ſimulatque ex corporibus exceſſerunt. Quinto, Vbi locus ille quietis fuerit, an in *cœlo* proprie dicto, in quod Chriſtus adſcendit, an *extra* illud, *definire non audeo.* Si quis audeat, puto jubendum, ut rationes proferat, aut ſilentium illi imponendum. Sexto, Addo, me arbitrari *felicitatem* illarum *animarum* non parum auctam Chriſti in cœlos *adſcenſu*, & plene *conſummandam* poſt *corporum reſurrectionem*, & *totalem* totius *Eccleſia* in cœlum *introductionem*. Scio ad probandum in cœlo fuiſſe, produci Scripturæ loca quædam, nimirum. Eccleſ. 12. *Spiritus redit ad Deum qui dedit illum*, verum aut de omnibus id hominum qualiumcunque Spiritibus intelligendum eſt, & ſic nihil ad rem, aut, ſi de ſolis bonorum intelligatur, non ſequitur, *redit ad Deum, ergo in cœlum proprie dictum.* Sed malim priore modo intelligi, de reditu ad *Deum creatorem* & *conſervatorem* animarum, & judicem vitæ anteactæ. *Enoch dicitur aſſumtus ad Deum, Elias raptus in cœlum.* Sed, præterquam quod exempla ſint extraordinaria, non ſequitur *Enochum*, quia aſſumtus ſit ad Deum, in *cœlum ſummum* eſſe tranſlatum: cœli enim vox latius patet: ita & de *Helia*. Vide *Martyrem* in 2. Reg. 2. v. 13. & *Vatablum* in eundem locum. *Primitiæ dormientium Chriſtus.* 1. Cor. 15. quod verum non videtur, ſi *Enoch* & *Helias corporibus* ſuis *immortalitate* donatis in *cœlum ſupremum* adſcenderint. *Lazarus delatus eſt in ſinum Abrahæ, ubi ſolatio fruebatur.* Sed *ſinum Abrahæ* ipſum *cœlum* ſignificare non probatur: ſignificatur *Lazarum* recollectum eſſe in ſinum *Patris* ſui *Abrahami*, in quo requieſceret in ſpe plenæ beatitatis per *Chriſtum* in cœlis ipſis obtinendæ: qua de cauſa Apoſtolus poſt Chriſti in cœlos adſcenſum, *deſiderat eſſe cum Chriſto*, Matth. 8. *Multi venientes ab oriente & occidente aſſidebunt cum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo in regno cœlorum.* At inde non ſequitur eos fuiſſe in *cœlo proprie dicto*, antequam illi aſſideant qui ex *gentibus* advocandi ſunt. Matth. 25. apparet tantum *duo eſſe loca*, *unum* deſtinatum *pijs*, *alterum impijs.* At inde non ſequitur locum *pijs* deſtinatum ſemper fuiſſe *cœlum ſupremum*: nunquam fuerunt *plura loca*, quia nunquam *plures ſtatus*, at non neceſſe eſt ut ſint *eadem loca citra mutationem*; modo nunquam ponatur tertius ad duo priora accedens, ſalva manet ejus dicti auctoritas. Matth. 4. *Merces piorum dicitur futura in cœlis:* Eſto. Ergo ſtatim poſt *mortem* ſunt transferendi in *cœlum ſupremum.* Non ſequitur, quia notum Scripturam reſpicere in promiſſionibus iſtis ad tempus quod ipſum *iudicium extremum* ſequitur: juxta id. *Ecce venio*, & *merces mea mecum.* Reſpondet *ſponſa: Etiam veni Domine Ieſu.* Eodem modo intelligendum eſt quod Lucæ 16. dicitur: *Recipient vos in æterna tabernacula*; nempe poſt *iudicium extremum*, ſaltem poſt *Chriſtum*: qui debuit *manſiones illas præparare* ſuis. Act. 15. dicuntur patres *eadem fide* qua nos *iuſtificati*; fateor. Ergo ſemper fuerunt in *cœlo* etiam ante *Chriſtum*, ut

nos futuri ſumus poſt *Chriſtum*. Non ſequitur. Sunt enim in *glorificatione gradus*, nec mirum ſi dicantur poſt Chriſti in cœlum *adſcenſum* beatiores & glorioſiores facti. At *latroni* dicit Chriſtus: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Reſp. *Primo* non eſſe neceſſe, ut *Paradiſus* intelligatur hic *tertium cœlum* ſeu *ſedes æterna beatorum*: notat enim generatim *locum fælicitatis*. *Secundo*, *Chryſoſtomus* dicit hunc *primum* fuiſſe, cujus *anima* in *cœlum* ingreſſa eſt: neque ivit *ante Chriſtum* & antequam *velum templi ſciſſum eſſet*.

Verum hiſce locis opponitur *admirabilis* illa *diſpenſatio* Dei, ſecundum tempora Chriſtum *antegreſſa* & illum *inſecuta*, diſcriminata: cujus *diſpenſationis* illuſtre exemplar fuit *templum Hieroſolymitanum*, cujus pars externa per interpoſitum *velum* fuit ſeparata & diviſa ab illa, in qua *Sacerdotes* quotidie comparebant, & dicta fuit, *Sancta ſanctorum*, diſtincte contra hanc quæ *ſancta* dicebatur. Heb. 9. 2, 3. per *Sancta ſanctorum Cœlum* deſignatum fuit. Heb. 9. 24. Illud *clauſum* fuit *ſtante priore tabernaculo*, uſque dum in illud *Chriſtus* per *proprium ſanguinem ingreſſus eſt*. Heb. 9. 8. 12. Qui tanquam *præcurſor noſter* præire debuit, ut & nos poſſemus ingredi in ea quæ *intra velum ſunt*. Heb. 6. 20. Ad quod ipſum neceſſe fuit, ut nobis *libertas daretur ingrediendi in ſanctuarium per ſanguinem Jeſu, ea via quam dedicavit nobis recentem & vivam, per velum, id eſt, per carnem ſuam*. Heb. 10. 19. 20. Qua de cauſa Seniores, qui per fidem *Deo placuiſſe teſtimonium adepti ſunt*, dicuntur *non accepiſſe ſeu obtinuiſſe promiſſum*; *quod Deus de nobis* (qui Chriſtum ſecuti ſumus) *melius quiddam providerat*; *ne ſine nobis conſummarentur*, Heb. 11. 39. 40. Et hæc loca potiſſime efficiunt una cum iſta *diſpenſatione*, ut ſententiæ affirmanti *patres* fuiſſe in *cœlo proprie dicto* adſtipulari non poſſim. Quod ne tantopere in me reprehendant fratres noſtri, opponam illis unum atque alterum ex receptis *Doctoribus Eccleſiæ noſtræ*. *Calvinus* CALVIN. Inſtit. lib. 4. cap. 1. ſect. 12. *Quæ enim ob hoc unum Eccleſiæ diſſideant, ſi altera citra contentionis libidinem, citra pervicaciam aſſerendi, animas à corporibus demigrantes in cœlum convolare putet, altera nihil auſit definire de loco, cæterum vivere tamen domino certo ſtatuat?* Videatur etiam Inſtit. lib. 3. cap. 25. ſect. 6. *Valde ſe torquent multi diſputando, quem locum occupent (animæ,) & an cœleſti gloria jam fruantur nec ne. Atque ſtultum & temerarium eſt de rebus incognitis altius inquirere, quam Deus nobis ſcire permittat.* Ecce, ille dicit frivolum eſſe contendere, an animæ mortuorum jam fruantur gloria cæleſti nec ne, & de eo contendendum non eſſe judicat. Et ego condemnor, ſaltem accuſor, quod non auſim affirmare *Patrum animas* ante Chriſtum fuiſſe *in cœlo, proprie dicto*. *Martyr* ul- MARTYR. trius progreditur, & affirmare audet *non fuiſſe animas patrum ante Chriſtum in cœlo proprie dicto* in 2. Reg. 2. v. 13. *Nunc vero ſi roger, ad quem locum Henochus & Helias tranſlati fuerunt, dicam me ſimpliciter ignorare, quod à divinis literis id non tradatur. Si tamen veriſimilis ratio ſequenda ſit; illos dicerem ad locum Patrum vel ſinum Abrahæ fuiſſe perductos, ut ibi Chriſti reſurrectionem exſpectantes una cum beatis patribus agerent, ut poſtea cum illo jam reſuſcitato, ſupra cœlos attollerentur.* *Ubi* notandum, quod de *Henocho* & *Helia* dubitet ubi ſint, at aſſeveranter dicit

dicit

dicit de iis, qui ſunt *in ſinu Abrahæ*, nempe, de patribus, illos cum *Chriſto reſuſcitato ſupra cœlos fuiſſe ſublatos*. Quod apparet ex eis, quæ paulo poſt addit: *Quod ad ſublimem illum adſcenſum attinet, concedimus neminem illo eſſe potitum ante Chriſtum. Henochus igitur & Helias ad patres iverunt, atque illic una cum eis Chriſtum exſpectarunt; quem cum advenißet in cælum comitati ſunt una cum cæteris.* Videatur Bullingerus in Luc. 16:23. Heb. 9.8. 1. Pet. 3. 19.

Ex quibus omnibus jam planum feciſſe me arbitror, non tantum juſtas *dubitandi* cauſas me habere, ſed etiamſi dixiſſem, quod hic mihi impingunt, ideo *reprehendendum* non fore: & quod majus eſt, *tolerandum* fuiſſe, licet ſimpliciter aſſeveraſſem animas patrum ante Chriſti in cœlos adſcenſum in cœlo non fuiſſe.

Articulus XI.

Dubium eſſe, an Fideles *in* Veteri Teſtamento intellexerint, Ceremonias legales *fuiſſe* typos Chriſti *&* beneficiorum ejus.

Reſponſio.

Non nemini me unquam id dixiſſe, imò non dixiſſe ſcio, quia necdum auſim dicere: ſed dixi, quouſque Veteres intellexerunt *Ceremonias legales* Chriſti *typos* fuiſſe, non inutiliter inquiri poſſe: ſaltem non intellexiſſe prout jam patefacto Euangelij myſterio intelligimus, mihi certum eſt, necputo eſſe, qui negare auſit. At velim fratres noſtros operam ſumere probandi, quod *fideles* in V. T. id intellexerint. Sciunt enim idipſum non modo in dubium vocari à nonnullis, ſed & fidenter negari. Experiantur & videbunt quam *id futurum ſit difficile*. Loca enim quæ id probare videntur tam ſpecioſe ab adverſarijs ipſis eripiuntur, ut qui non ſolet aſſentiri niſi bene probatis, facile ad dubitandum induci poſſit, an fideles ſub V. T. iſtius rei notitiam habuerint: præſertim ſi cogitet, totam *veterem Eccleſiam in infantili ætate fuiſſe*. Gal. 4. 3. ideoque ut *infantem* ſapuiſſe; cui an competat in iſtis corporalibus videre *ſpiritualia*, tanquam per ea ſignificata, diſpiciant, qui norunt id dictum; *Quum eſſem infans, ut infans ſapiebam.* Inſpiciantur & ipſa loca, quæ nos dicimus *typicam* habere *ſignificationem* jam à Chriſto & Apoſtolis *edocti*, an tam ſint plana, ut abſque Meſſiæ prævia interpretatione ea intellecturi fuerimus ſecundum ſpiritualem intelligentiam? Quod *Abrahamus* dicitur *Vidiſſe diem Chriſti & gaviſus eſſe*, interpretantur qui contrariæ ſunt ſententiæ *metonymicè* intelligendum, quia *viderit diem Iſaaci*, qui erat *typus Chriſti*; & propterea *eius dies, dies Chriſti*. Nullius certè alterius gaudij mentio fit in Scripturis, quam iſtius. Conferatur quod dicitur Rom. 4. pene per totum caput de *fide Abrahami*, & ejus *fidei obiecto*, & monſtretur ex eo, quod *Abraham* in promiſſis iſtis, quæ fide appræhendit, Chriſtum viderit. *Signum Ionæ* quis intelligeret ad Chriſti *triduanam* in terræ medio *manſionem* ſignificandam inſtitutam fuiſſe, niſi Chriſtus id explicuiſſet? Et quid noxæ adfert illa ſententia, quum, qui ita ſentiunt, non negent *patres* iſta eadem

eadem in *fide infantili* ſalvos eſſe factos, quemadmodum *infans* tam *heres* eſt paternorum bonorum, quam *filius adultus*. Si quis inde ſequi dicat, ſalvos eſſe factos ſine *fide in Chriſtum*: Reſpondeo, fidem quæ *in ſalutare Dei*, ſalutemque ab illo promiſſam intuetur, & *exſpectat redemtionem Iſraelis* generali notione intellectam, eſſe *fidem in Chriſtum* juxta *diſpenſationem* illius temporis: quemadmodum videre eſt ex iſtis locis, Geneſ. 49. *Salutem tuam vel ſalutare tuum exſpectavi Iehova*. Et Luc. 2. de Simeone: *erat & ipſe exſpectans conſolationem Iſraelis*: & ibidem: *Anna loquebatur de eo omnibus, qui exſpectabant redemtionem in Ieruſalem*. Verum enimvero ſi conſideremus *fidem in Chriſtum*, quæ *Novi Teſtamenti* eſt, in illum eſſe tanquam in *Regem Spiritualem & Cæleſtem*, qui ſuis *bona* dei *cæleſtia paſſione* & *morte* ſua impetrata, tunc major hîc difficultas exurget. Quis plures de *Meſſia promiſſiones* accepit, quam *David*, aut plura de illo vaticinatus eſt? attamen non immeritò quis dubitet, an *David* intellexerit *Meſſiam*
2. Sam. 7. fore *Regem ſpiritualem & cæleſtem*, quum ille, ubi cor ſuum effudiſſe videtur ad Dominum; ne verbo quidem *eius ſuæ intelligentiæ* indicium præbeat, quod tamen magnopere ad magnificandum Iehovam, & fiduciam ſuam confirmandam pertinebat. Quæ ipſius Chriſti temporibus de *Meſſia* ejuſque *regno* in *toto Iſraele* fuerit *notitia*, adparet non modo ex *Phariſæis* & *toto populo*, verum ex ipſis etiam *Chriſti diſcipulis*, quum jam integrum triennium & amplius cum eo converſati fuiſſent, & ex ipſius ore apertam *regni cælorum* mentionem ſæpe audiviſſent: & quod magis mirandum eſt, *Chriſto* jam à mortuis *reſuſcitato* idipſum nondum intellexerunt. Vnde videtur horum alterutrum dicendum; aut *notitiam*, quæ antea fuit, *paulatim periiſſe*, aut *Phariſæos odio Ieſu illam corrupiſſe*. At *neutrum* veriſimile videtur. Non *illud*: nam quo propiora fuerunt tempora *Meſſiæ*, eo fuerunt *clariores Prophetiæ* de eo, & manifeſtior illarum intelligentia: nec ſine cauſa, quia tunc cœpit magis magiſque eſſe neceſſarium, ut *illa perſona* crederetur eſse *Meſſias*, vel ſaltem adpropinquare tempus, quo illa *fides* eſſet *neceſſaria*. Non *hoc*: quia illud *odium* conceperunt *Phariſæi* ex ipſius *prædicatione & miraculis*: at ſub initium functionis ſuæ advocavit ad ſe diſcipulos illos duodecim. Scio eſſe, qui ex *Rabinis* ejus temporis multa proferunt de *Spirituali regno Chriſti*; ſed ea ſuis authoribus relinquo, quia djiudicare mihi non eſt integrum. *Mihi ipſi* jam verſanti in illa materia, & probare volenti per *Prophetias antegreſſas regnum Chriſti Meſſiæ* fore *Spirituale*, non *parva difficultas* oboritur, quum tamen pleroſque conſuluerim, qui de iſta materia ſcripſerunt. Experiantur qui *hic dubitare non permittunt*, & *ſpecimen* exhibeant *argumentorum*, quibus id probari poſſe putant, etiam nunc *illuſtrati lumine Novi Teſtamenti*: ſpondeo, non tam *ſiniſtre* judicaturos de ijs, qui ſe *hic hærere* fatentur. Hæc autem à me allata ſunt, non ut negem ſententiam fratrum hac in parte eſſe veram, multo minus ut confutem; ſed ut doceam, ferendam eſſe *imbecillitatem* ejus, qui *dogmatiſten* ea in re agere non audeat.

Articulus

Articulus XII.

Chriſtum *pro* omnibus *&* ſingulis *mortuum eſſe*.

Reſponſio.

Nunquam à me dictum eſt neque publicè neque privatim *ſine addita explicatione*, quam controverſiæ, quæ de ea re moventur, neceſſariam fecerunt. *Ambiguitatem* enim habet *phraſis iſta*: nimirum; Aut *pretium mortis Chriſti* pro *omnibus* & *ſingulis datum*, aut *omnibus* & *ſingulis*, *applicari* & *communicari redemtionem illo pretio impetratam*. *Hanc ſententiam* ego improbo, propterea quod Deus peremtorio decreto ſtatuerit, ut *ſoli fideles redemtionis* iſtius participes fiant: *priorem ſententiam* qui repudiant, videant quomodo *Scripturis* reſpondeant dicentibus, *Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus*: *Eſſe propitiationem pro peccatis totius mundi*: *tuliſſe peccatum mundi*: *Carnem ſuam dediſſe pro mundi vita*: *Chriſtum eſſe mortuum etiam pro illo, qui eſca alterius perdi poteſt*: *Mercatum eſſe illos etiam qui ipſum abnegant, & exitium velox ſibi acerſunt*. 2. Pet. 12. 1. Qui ergo ſic loquitur cum Scripturis loquitur: *qui iſtam phraſin repudiat*, audax eſt & ſcripturarum *iudex*, non *interpres*. Qui vero illa loca *convenienter analogiæ fidei* explicat, *officium* facit *interpretis boni & Prophetæ in Eccleſia Dei*. De *interpretatione* itaque eſt *controverſia*; *verba ſimpliciter adprobari debent*, quia ſunt Scripturæ verba. Proferam unum aut alterum locum ex *Proſpero Aquitanico*, ut conſtet iſtam diſtinctioné etiam tunc uſurpatam fuiſſe: *Qui dicit quod non pro totius mundi redemtione Salvator ſit crucifixus, non ad Sacramenti virtutem, ſed ad infidelium reſpicit partem, quum ſanguis Ieſu Chriſti pretium totius mundi ſit. A quo pretio extranei ſunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut poſt redemtionem ad eandem ſunt ſervitutem reverſi.* Et alio loco: *Quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, ſanguis Chriſti eſt redemtio totius mundi: ſed qui hoc ſeculum ſine fide Chriſti & ſine regenerationis Sacramento pertranſeunt, redemtionis alieni ſunt.* Quæ etiam *totius antiquitatis* ſententia eſt: quod velim a multis paulo diligentius conſiderari, ne tam facile *novationis* crimen impingant illi, qui quidpiam profert ipſis antea inauditum aut incognitum.

1. Ioan. 2. 2.
Ioan 1.
Ioan 6.
Rom. 14. 15.

Reſp. 9. ſuper capit. Gallorum

Articulus XIII. & XIV.

***Peccatum* originale neminem condemnaturum.**

Omnes *omnium* Gentium infantes morientes *ſine peccatis* actualibus ſalvos eſſe.

Reſponſio.

Hoſce articulos D. *Borreo* tribuunt, quos ad augendum numerum duos fecerunt, quum unus ſufficeret, ex quo alter neceſſariò ſequitur, etiam ex ipſorum ſententia. Si enim *neminem damnat peccatum originis*, neceſſe eſt *omnes ſalvos* fore qui *actualia nulla* ipſi perpetrarunt, quales ſunt *infantes omnes* ſine diſcrimine; niſi quis *medium* inter *ſalutem* & *damnationem* ponat *ſtatum*, eadem ſtultitia qua *Pelagius* dicit inter *ſalutem* & regnum

regnum

regnum cœlorum diſtinxiſſe *Auguſtinus*. *Borreus* autem negat ſe unquam *publicè* alterutrum docuiſſe; contuliſſe quidem *privatim* de ea re cum nonnullis *Theologiæ candidatis*, quod licere ſibi arbitratur: imò & *ſic ſentire*, inductum rationibus, quas libens *examini fratrum* ſubjicit, ut ſi iſtis confutatis rectius edoceri queat, ſententiam mutet. Rationes hæ ſunt. *Prima*, Quia Deus *univerſum genus humanum* in *reconciliationis gratiam* aſſumſerit, & cum *Adamo* omnibuſque ejus *poſteris* in eo *fœdus gratiæ* inierit, in quo *remiſſionem peccatorum omnium* pollicetur quotquot in *illo fœdere perſtabunt*, & adverſus hoc *non prævaricabuntur*. Cæterum id non modo cum *Adamo* inivit, ſed & poſtea cum *Noacho* redintegravit, & poſtremum per *Chriſtum Ieſum* confirmavit & conſummavit. Quumque *infantes fœdus illud tranſgreſſi non ſint*, non videntur *condemnationi* obnoxij, niſi ſtatuamus Deum *illa conditione gratioſâ*, ſub qua tamen & ipſi *ut fœderati* comprænhenſi fuerunt, cum *infantibus agere nolle*, qui *ante ætatem adultam* ex hac vita diſcedunt; & propterea illorum *conditionem* multò *eſſe peiorem* quam *adultorum*, quibus expoſita eſt *remiſſio peccatorum omnium*, non modo ejus quod *in Adamo* perpetrarunt, verum & illorum quæ *ipſi perpetrarunt in proprijs perſonis: peiorem* autem *nulla ipſorum culpâ* aut *merito*, ſed quia Deo *ſic viſum* fuit *cum illis agere*: unde ſequeretur, Deum *illos velle condemnare ob peccatum commiſſum ante fœdus gratioſum promiſſum* vel *initum*, perinde acſi *ab illo fœdere* jam *præcedaneo Dei decreto* eſſent *excluſi & reiecti*, *promiſſumque de Salvatore ad illos omnino non pertineret*. *Secunda*, Quum Deus *ipſi Adamo*, qui *in propria perſona* peccavit & *voluntate ſua libera*, *peccatum illud condonaverit*; nullam eſſe rationem cur Deus *hoc peccatum infantibus imputare voluerit*, qui *in Adamo peccaſſe* dicuntur, quum nondum ipſi *in proprijs perſonis* exiſterent, ideoque nec *peccare poſſent arbitratu proprio*. *Tertia*, quod Deus ſic videatur *cum infantibus rigidius agere* quam *cum ipſis diabolis*. Rigor enim Dei adverſus *Angelos Apoſtatas* fuit *ſummus*, eo quod ipſis *peccatum ab ijs perpetratum condonare noluit*. Rigor idem *adverſus infantes*, qui *propter Adami peccatum condemnantur*. At *eo maior*, quod omnes *Angeli in ſuis proprijs perſonis peccarunt*, *infantes in perſona parentis primævi Adami*: qua de cauſa *Angeli ipſi in culpa*, quod *peccatum*, quod *vitare* poterant, *admiſere*; *infantes non in culpa* niſi qua *in Adamo exiſtentes eius voluntate peccato & culpæ involuti ſunt*. Et hæ quidem rationes tanti ſunt momenti, ut & ego putem qui contrarium ſtatuunt illas confutare debere, antequam poſſint alicui *notam hæreſeos* impingere. Opponunt, ſcio, *Antiquitatem*, quæ ſic judicavit: at *Antiquitatem* opponere non poſſunt illi, qui hac ipſa in re, ubi de *ſalute infantium* agitur, *Antiquitatis* iudicio ſtare nolunt. *Noſtri* autem *fratres* ab *Antiquitate* recedunt hoc ipſo in negotio bifariam. *Primo*, quod antiquitas ſtatuit *omnes infantes* qui *ſine baptiſmo* hinc diſcedunt, *in damnatione* futuros: qui vero *baptizati* ante *ætatem adultam* moriuntur; *ſalvos fore*: quod ab *Auguſtino dogma catholicum* eſſe aſſeritur, his verbis: *Noli credere*, *noli dicere*, *noli docere*, *infantes antequam baptizentur morte præventos*, *poſſe pervenire ad indulgentiam originalium peccatorum*, *ſi vis eſſe Catholicus*. Hoc vero *noſtri fratres* nullo modo concedunt, ſed

De anima & eius orig. lib. 3 ad Vincent. Victorem cap. 9.

ſed utrique parti contradicunt. *Secundo*, quod *Antiquitas* ſtatuit *baptiſmi gratiam peccatum originale* auferre ab ijs etiam qui *prædeſtinati* non ſunt: juxta illud *Proſperi Aquitanici: qui dicit, quod ab his, qui non ſunt prædeſtinati ad vitam, non auferat percepta gratia baptiſmi originale peccatum, non eſt Catholicus*. cui etiam ſententiæ fratres noſtri refragantur. Non videtur autem æquum, ut quando ipſis viſum eſt, *gravent à ſe diſſentientes*, eo quod *à patribus diſſentiant*, & rurſus, quando lubet, *ipſi à patribus diſſentiant* in eadem materia. Verum ad ipſam *Antiquitatis* ſententiam quod attinet, de *condemnatione non baptizatorum* propter *ſolum peccatum originis*; videntur ipſi & qui eos inſecuti ſunt *mitigaſſe* tam *duram ſententiam*, ſaltem *mitigare conati eſſe*: quum dixerunt hi, quod in omnium *mitiſſima damnatione* ſint futuri, alij quod non *pœna ſenſus* ſed *damni tantum* ſint adficiendi: cui nonnulli addiderunt quod *iſta pœna* ipſis infligenda ſit *citra morſum conſcientiæ* ipſorum: quamquam hoc ipſum ſequatur ex eo, quod *pœnam damni tantum* paſſuri dicantur, *non ſenſus*: qui *ſenſus* eſt ubicunque *morſus* eſt *conſcientiæ*, hoc eſt, ubi *vermis rodens* non moritur. At videant qualis illa damnatio ſit, quæ ob peccatum eſt, unde *morſus conſcientiæ* non exiſtit.

Proſper ad cap. Gallorū ſenſum. 2.

Ex hiſce ſic tractatis adparet quid de *articulo* 14. ſentiendum ſit: ſaltem ita ex priore dependet ut *ſeparatus articulus* à priore confici non debuerit, ab ijs qui ſtatuunt nullam cauſam eſſe cur infantes pereunt, quam *peccatum originale* quod *ab Adamo* propagatum eſt in ipſos. Operæ pretium autem eſt videre quid ea de re ſenſerit D. Fr. *Iunius* ante paucos annos *Theologiæ in hac Academia noſtra Profeſſor*. Hic *omnes infantes qui ex fœdere & electione ſunt ſervari affirmat: ex charitate autem præſumit eos, quos ad ſe infantes vocat Deus, & tempeſtive ex hac miſera valle peccatorum eripit, potius ſervari*. Quod ille autem vel *affirmat* juxta *doctrinam fidei*, vel *præſumit ex charitate*, annon licet alteri citra *hæreſin* ſentire apud conſcientiã ſuam: quam nulli omnino *obtrudit* aut *perſuadere* ſtudet? Nimis ſane magna eſt iſta προσωποληψία, & viris ſapientibus indigna. Et quid quæſo *incommodi* eſt ex iſta doctrina? An quod inde conſequatur *infantes infidelium* ſi ſalventur, extra *Chriſtum* & citra ipſius *interventum* ſalvari? conſequentiam iſtam negat *Borreus*, & habet D. *Iunium* iſtâ in re ſibi conſentientem. Si diſſentiant fratres, & putent hæc eſſe conſentanea, tum neceſſe eſt omnes *infidelium infantes condemnationem ſubijci*, infidelium dico, *qui extranei* ſunt *à fœdere*. Cujus rei non poteſt reddi alia ratio, quam quia ſint *infantes extraneorum à fœdere*: unde videtur contra inferri, omnes *infantes eorum qui in fœdere* ſunt *ſalvari*, ſiquidem in *ætate infantili* moriantur. Quod quia negant fratres noſtri, ecce quale dogma ab ijs creditur, *omnes extraneorum à fœdere infantes damnari*, & *eorum qui nati ex parentibus fœderatis infantes moriuntur, alios damnari alios ſalvari*: quod dogma an unquam obtinuerit in Eccleſia Chriſti, peritis diſpiciendum relinquo.

De Natura & gratia Ratione 28.

Articulus XV.

BOR. & ARM. *Si* Ethnici *&* *à* vera Dei cognitione alieni, *faciant ea quæ* viribus naturæ *poſſunt facere*, Deus non condemnabit eos, *ſed* remunerabit *hæc ipſorum opera* majore cognitione, *quâ* ad ſalutem *perducantur*.

Reſponſio.

Nunquam id à *me* dictum eſt, *neque à Borreo iſto* quidem *modo* & *iſtis verbis*, imò veriſimile non eſt quemquam rerum ſacrarum aliquouſque peritum tam *inconcinnè* mentis ſuæ ſenſa enuntiaturum, ut ijs ipſis verbis mendacij ſuſpicionem pariat, quibus ſententiam ſuam enuntiat. Quis enim *à vera Dei cognitione alienus* aliquid faciet quod Deo ullo modo acceptum eſſe queat? Neceſſe ſane eſt ut *bonum* ſit *quadam* ſaltem *ratione*, quod *Deo placiturum* eſt: neceſſe inſuper eſt, ut, qui id patrabit, *bonum eſſe ſciat* & *Deo gratum*: *ſine fide enim quidquid fit peccatum eſt*, hoc eſt, ſine *certa notitia* id *bonum* eſſe & *Deo gratum*. Hactenus ergo neceſſe eſt ut *veram Dei notitiam* habeat; quam etiam *Gentibus* tribuit Apoſtolus Rom. 1. v. 18. 19. 20. 21. 25. 28 & cap. 2. v. 14. 15. Citra hanc explicationem *contradictio* erit in hac *enuntiatione*: Qui *vera Dei cognitione omnino deſtitutus eſt*, *ille poteſt aliquid præſtare, quod Deus conſque gratum habet, ut id remuneretur aliquo præmio*: quam *contradictionem* aut non vident hi fratres noſtri, aut fingunt ſibi prorſus *ſtolidos* eſſe, quibus hanc ſententiam attribuunt. Deinde, quale & hoc eſt, *ſi faciant ea quæ viribus naturæ poſſunt facere*? An *natura* prorſus deſtituta *gratia* & *Spiritu Dei*, inſtructa eſt *notitia veritatis*, quæ dicitur *in iniuſtitia detineri*? *cognitione eius, quod de Deo cognoſci poteſt æterna eius tum potentia, tum divinitatis*: quæ inſtigare poteſt hominẽ ut *Deum glorificet, & ſi non glorificet prout novit, omni excuſatione* ſpoliat? Non arbitror iſta talia *naturæ*, quæ ſine *gratia*, & *Spiritu Dei* ad hæc *mundana* vergit tota, tribui poſſe citra falſitatem & *iniuriam gratiæ divinæ*. Si hæc iſto modo habere ſe putant fratres noſtri, quæ cauſa eſt cur tam facile id attribuant iis, quos noſſe deberent non *omninò ſcientia rerum ſacrarum* eſſe deſtitutos? Si vero arbitrentur hominem *viribus naturæ* facere poſſe *aliquid boni*, non abſunt à *Pelagianiſmo*, quem tamen aliis impingunt. Et iſte *articulus* ſic *enuntiatus* videtur indicare; quod arbitrentur hominem quidẽ *aliquid* facere poſſe *boni viribus naturæ*, ſed *eo ipſo* non *evaſurum condemnationem*, neque *impetraturum remunerationem*. Hæc enim *attributa* tribuuntur *ſubiecto* in iſta *enuntiatione*, & eò quod illa *attributa ſubiecto* iſti non conveniant ex ipſorum ſententia, hoc ipſum *enuntiatum hæreſeos* inſimulant. Si credant hominem *à vera Dei cognitione alienum nihil boni* facere poſſe, hoc ipſum prius fuit *hæreſeos* accuſandum: ſi putent neminem *viribus naturæ quidpiam Deo gratum* facere poſſe, hoc ipſum *errori* fuit deputandum, ſi quis affirmare auderet. Vnde ſequitur aut illos ipſos *Pelagianæ hæreſi* eſſe affines, aut ignorare quid *prius*, quid *poſterius reprehendendum* & *hæreſeos* condemnandum ſit. Apparet ergo illos *additione* iſta *aggravare errorem* voluiſſe; ſed incaſſum; quia per

iſtam

iſtam *additionem* effecerunt ut negare poſſimus tale quidpiam à nobis *dictum* vel *cogitatum* eſſe, & ſimul iuſtam dederunt cauſam ipſos *Pelagianæ hereſeos* inſimulandi. Sic laqueo capitur incautus venator, quem nexuit alteri. Longè ergò cautius & tutius feciſſent, ſi citra *exaggerationem* iſtam impegiſſent nobis *hanc ſententiam*, quam norunt *Scholaſticis Theologis* eſſe uſurpatam, & poſtea impingunt *articulo* 17. ſed paulo aliter enuntiatam: *Facienti quod in ipſo eſt, Deus faciet quod in ſe eſt*. Sed & tum addenda fuiſſet illorum *explicatio*, nempe, Deum id facturum *ex congruo, non ex condigno*; & non quia ſic *meretur factum* ipſorum, ſed quia *Dei magnam miſericordiam* & *beneficentiam* deceat idipſum: quod tamen ipſum *Scholaſticorum* dictum ego uſurpare nollem citra *additionem* horum verborum: *facienti quod in ipſo eſt vi gratiæ divinæ quæ ipſi iam obtigit, huic Deus maiorem gratiam largietur*: *iuxta dictum Chriſti*: *Habenti dabitur*; quo *cauſam* complexus eſt, cur Apoſtolis *datum eſſet noſſe arcana regni cælorum, alijs autem datum non eſſet*. Præter hunc locum & capita 1. & 2. ad Rom. jam citata, inſpiciatur quod de *Cornelio Centurione*, *Lydia purpuraria*, & *Berrhaenſibus* narratur in Actis Apoſtolicis.

Matth. 13. 11, 12.

Actor. 10. cap. & 16. & 17.

Articulus XVI.

Opera irregenitorum placere poſſe Deo, *eſſe* a occaſionem b & cauſam impulſivam, *qua Deus* movebitur *ad* ſalutarem gratiam *illis communicandam*.

a DOR.
b ARM.

Reſponſio.

Ante biennium aut circiter ſparſi fuerunt 17. *articuli* mihi attributi; quorum *decimus quintus* ſic habet: *Opera irregenitorum non poſſe quidem placere Deo, eſſe tamen occaſionem, qua Deus movetur ad gratiam ſalutarem illis communicandam*: quod diſcrimen efficit ut ſuſpicer in iſto 16. *articulo negativam omiſſam* eſſe: niſi forte ab eo tempore *in peius progreſſus*, hoc affirmavero, quod tunc *minus audax aut prudentior hereticus* negavi. Vtut res habet, dico bonos illos viros neque *ſententias noſtras* noſſe, neque *phraſes* ſcire quas uſurpamus, neque, ut ſciant, *ſenſus phraſium* intelligere: unde mirum non eſt illos *multum aberrare à vero*, quum *ſuis verbis noſtras ſententias* enuntiant, aut *noſtris verbis alios ſenſus, ſuos* nempe, affingunt. Hujus rei manifeſtum ſpecimen præbent in hoc *articulo*. Nam primo vox *Irregenitorum duplici ſenſu* accipi poteſt, vel ut illos notet, qui *nullum ſpiritus regenerantis vel ad regenerationem tendentis*, ſeu *præparantis actum ſenſerunt*, adeoque *primo principio regenerationis* ſunt deſtituti; vel ut ſignificet eos qui *renaſcuntur*, & *ſentiunt actus ſpiritus ſancti* vel *ad præparationem* vel *ad ipſam regenerationis eſſentiam* pertinentes, attamen *nondum regeniti* ſunt; hoc eſt, eo quidem adducti ſunt, ut *peccata ſua agnoſcant, de ijs doleant, liberationem deſiderent & liberatorem monſtratum* quærant, attamen nondum *illa vi ſpiritus* inſtructi ſunt, quâ *caro* aut *vetus homo mortificatur*, & *homo in novam vitam reformatus, opera iuſtitiæ patrare* potens eſt. *Secundo, placet aliquid Deo* vel ut *initialis actio* ad *initium converſionis* pertinens, vel ut *opus eſſentia ſua perfectum*, ut à *iam converſo* & *renato* perpetratum. Sic *placet Deo confeſſio*, quâ quis *ſe frigidum, cæcum, pauperem eſſe agnoſcit*, ideoque *Apoc. 3. 15. 16. 17. 18.*

ideoque ad Chriſtum confugit ut *collyrium, veſtimenta, aurum ſibi coëmat:* & *placent* Deo opera ex *fervido amore* profecta. Videatur *Calvinus* inter *timorem initialem* & *filialem* diſtinguens: & *Beza*, qui *dolorem contritionemque ob peccata*, non ad ipſas *eſſentiales regenerationis* partes, ſed ad *præparatoria* pertinere arbitratur; ipſam vero *regenerationis eſſentiam* in *mortificatione* & *vivificatione* conſtituens. *Tertio, occaſio & cauſa impulſiva* qua Deus *movetur, non eodem modo* ſumitur, ſed *variè*. Noſtro propoſito ſerviet ſi *duos locos* protulero, ex quorum collatione *diſtinctio* colligetur noſtro ſcopo conveniens & ſufficiens. Matth. 18. v. 32. dicit Rex *totum debitum remiſi tibi, quia rogaſti me*. Geneſ. 22. v. 16. 17. dicit Deus Abrahamo: *Quando quidem feciſti rem hanc, quod non peperceris filio tuo, unico tuo, benedicendo benedicam tibi.* Qui hic *diſcrimen* non videt *impulſionis*, imò & *placentiæ*, illum valde cæcum in Scripturis eſſe oportet. *Quarto*, *Salutaris gratia* vel pro ipſa *prima gratia* accipitur, vel pro *ſecunda*, pro *præveniente* vel *ſubſequente*, pro *operante*, vel pro *cooperante*: pro *pulſante* vel *aperiente*, vel *ingrediente*. Hæc omnia niſi quis commode diſtinguat, & verba ſua ſecundam iſtas diſtinctiones uſurpet; neceſſe eſt ut impingat, & alios, quorum ſententiam non bene intelligit, impingentes faciat. Si vero quis illa diligenter intueatur, videbit quod *iſte articulus* futurus ſit *conſentaneus Scripturis* ſecundum *unum ſenſum*; multum verò à *Scripturis diverſus* ſecundum *alterum*.

Sumatur vox *irregeniti* pro eo qui *jam renaſcitur utut nondum renatus*; *placentia* pro *initiali* & *impulſio* per *modum finalis poſitionis*: & *ſalutaris gratia* pro *ſecunda, ſubſequente, cooperante, ingrediente*: & conſtabit bene dici; *dolorem ſerium ob peccata eoſque Deo placere, ut eo, ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum, moveatur ad gratiam homini peccatori faciendam.* Ex hiſce adparere puto, quam *caute* loquendũ ſit, ubi *proclivis* eſt *lapſus in hæreſin*, vel in *hæreſeos ſuſpitionem*: cujus *cautela* non omnino negligentes nos eſſe, pro prudentia ſua, deberent expendere fratres noſtri, quum non ignorent nobis planiſſime conſtare, quam noſtra dicta *ſiniſtræ interpretationi*, imo & *calumniæ* ſint expoſita & obnoxia. Verum niſi *multitudinem articulorum* quæſiſſent, potuiſſent hanc & præcedentem eodem capite complecti; ut & ſequentem.

Articulus XVII.

Deus gratiam ſuam nemini negabit facienti quod in ſe eſt.

Reſponſio.

Hic *articulus* ita præcedentibus natura nexus eſt, ut qui *unum ex tribus ponit*, eadem opera *omnes affirmet*; qui *unum negat*, & *reliquos rejiciat*: Poterant ergo ſupervacuo labori peperciſſe; & *unum* hujuſmodi *trium loco* convenientius ponere: *Poteſt homo ſine gratiæ auxilio boni aliquid præſtare, quod ſi præſtet Deus idipſum largiore gratia compenſabit vel remunerabitur.* Verum hujuſmodi *articulo* ſemper *crimen falſi* impegiſſemus; quare tutius fuit *æquivocationibus* ludere, ut *calumniæ* fraus non æquè facilè omnibus innoteſceret. Cæterum ad hunc *articulum* dico; nunquam nobis in mentem veniſſe iſtis verbis, tam *inconditis* uti, quæ primo ſtatim intuitu

gratiam excludunt à principio converſionis, quam nos facimus ſemper & ubique *præcedaneam, comitantem, ſubſequentem*, & *citra quam* nos *nullam omnino bonam actionem ab homine produci poſſe* affeveramus; couſque ut ne *Adami* quidem *natura* id ipſum *ſine gratia divina* tum *infuſa* tum *aſſiſtentis* auxilio tribuere audeamus; unde adparet nobis per *calumniam* hoc imponi. Si idem ſentiant fratres, conſenſus eſt; ſi vero arbitrentur, *Adamum* per *naturam* citra *ſupernaturalia* potuiſſe *legem ſibi poſitam* implere, non videntur longe à *Pelagio* abire, quum *Auguſtini* dictum illud ſit ab ipſis fratribus noſtris receptum; *ſupernaturalia amiſſa, naturalia corrupta eſſe*. Vnde ſequitur, quantum manſit *naturalium*, *tantum* manſiſſe *potentia* ad *legem implendam*, poſito, quod præmiſſum eſt, *Adamum* per *naturam ſuam* potuiſſe *Deo obtemperare*, *citra gratiam* contra *naturam* diſtingui ſolitam. Declarant certè quum hoc nobis impingunt, id tale à ſe judicari, quod in noſtrum ſenſum cadere poſſit, & propterea non tantum in eo videre ſe *abſurditatis*, quantum revera ineſt iſti *articulo*, niſi putent nihil *tam abſurdum* excogitari poſſe, cui nos *credendo* & *enuntiando* non ſimus accommodi, & parati. Nos illum *articulum* tam exiſtimamus *abſurdum*, ut nulli rerum ſacrarum perito facile illum attributuri ſimus. Nam quomodo quis quod *Deo gratum* eſt, quodque ille *præmio ſalutari* vel *gratia ulterioris* vel *vita æterna* renumeraturus eſt, præſtabit *ſine auxilio gratiæ divinæ?* At iſte *articulus* diſertè ſatis *gratiam primam* excludit, quum dicit, *facienti quod in ſe eſt*. Nam ſi intelligit id ipſum hoc ſenſu, *facienti quod poteſt per gratiam primam iam collatam ſibi*, tum neque *abſurdè* dicitur id ipſum, nempe *gratia prima benè utenti ulteriorem gratiam Deus largietur*, & fratres declarant ſe per *malevolum* ejus, quod addi debuit, *ſilentium*, *calumniæ* fidem voluiſſe conciliare.

Articulus XVIII.

Deus ſine externa Euangelij prædicatione procul dubiò convertit quam plurimos *ad* ſalutarem Christi cognitionem, *inter eos ubi nulla eſt externa prædicatio, idque aut* per internâ Spiritus ſancti revelationem, *aut* Angelorum miniſterium. BOR. & ARM.

Reſponſio.

Nunquam id à me dictum eſt. D. *Borreus*, *tale* quidpiam dixit, at non *prorſus idem*: nempe, *fieri poſſe ut Deus Magos ab oriente venientes per Spiritus ſancti internam revelationem, aut Angelorum miniſterium inſtruxerit de Ieſu, quem veniebant adoratum*. Illud vero *procul dubio*, & *quamplurimos*, *additamenta* ſunt *calumniæ*, & *valdè audacis calumniæ*, impingentis quod veriſimile non eſt à nobis vel *dictum* vel *cogitatum* eſſe, qui didicimus audaciam illam quidvis ſtrenue affirmandi, quâ plerumque juniores & ijs qui ignorant quantum neſciant, laborant, periculi plenam eſſe in Eccleſia Christi. An veriſimile eſt, quempiam *cordatum* dictarum id *proculdubio fieri in quamplurimis*, cujus né *unicum exemplum* producere poſſet rogatus? Quod nos fatemur non poſſe. Controverſiæ enim obnoxiû erit ſi produxerimus.

Quemadmodum id quod *Zwinglius* de ſalute *Socratis, Ariſtidis*, & ſimilium ſentit: quos neceſſe eſt per *Spiritum ſanctum* aut *Angelos* de ſalute inſtructos eſſe. Nam ut *Scripturas* viderint, & ex ijs edocti ſint, vix eſt veriſimile. Deinde ſi fratribus noſtris in mentem veniſſet dictum hoc Chriſti Act. 18. 9. 10. *loquere Paule, ne taceas, etiam multus eſt mihi populus in hac urbe*, non facile nobis impegiſſent hunc *articulum*; qui ex illo dicto didicimus, Deum verbi ſui prædicationem externam mittere ad populos, quando ipſi viſum eſt *quamplurimos* convertere ex illis. *Tertio*, ſi cogitaſſent & nobis illud uſurpatiſſimum dictum probari: *Ordinarium converſionis medium & organum eſſe verbi divini per homines factam prædicationem, cui propterea omnes obligati ſunt; at Spiritum ſanctum ſeipſum illi non adſtrinxiſſe, ut extra ordinem operari nequeat, quando ipſi viſum citra interventum operæ humanæ*; non putaſſent nobis hunc *articulum* impingendum, ſaltem non pro erroneo habendum. Nam quod ad *primum*: quod *extraordinarium* eſt, id in *quamplurimis* non obtinet, ſic enim *ordinarium* eſſe inciperet; Ad *ſecundum*, ſi *verbi per hominis* factæ *prædicatio* ſit *ordinarium medium*; quo ſignificatur eſſe & *aliquod extraordinarium*, idque adſtipulante *tota noſtra Eccleſia*, imo ut arbitror *orbe Chriſtiano toto*, tum ſane *hæreſis* vel *error* non eſt, Deum etiam *citra hoc medium* nonnullos convertere: cui etiam *proculdubio* addi poſſet: ſi enim *dubium* eſt an *alius* per *aliud medium extraordinem* ſcilicet ſalvetur, quam per *humanam prædicationem*, *dubium* eſt an *verbi divini* ab *hominibus* facta *prædicatio ordinarium medium* dici neceſſe habeat. *Quarto*, Quid *periculi* aut *erroris* etiam in hoc ſitum eſt, ſi quis dicat Deum *quamplurimos*, hoc eſt, *aliquam multos*, convertere per *Spiritus ſancti revelationem internam* aut *Angelorum miniſterium*, modo id ſimul ſtatuatur, neminem converti niſi per illud ipſum *verbum* ejuſque *verbi ſenſum*, quod Deus *per homines* mittit *ad populos*, quos ſibi adjungere propoſuit. Metuendum forte dicent, ne ſi populus extrinſecus *vocatorum* id credat, repudiata *externa prædicatione*, illam *revelationem internam* aut *Angeli alioquium* exſpectet. Sane, quemadmodum metuendum eſt ne panem appoſitum edere nolit, qui intelligit *hominem non in pane ſolo vivere, ſed in omni verbo quod exit ex ore Dei*. Sed deſino, ne illum *metum* ex ſuis cauſis examinans ulterius progrediar, quò fratres noſtri me hac occaſione provectum nollent; *dictum ſapienti ſat*.

Articulus XIX.

Adamum ante lapſum *non habuiſſe* poteſtatem credendi, *quia* fide *non erat opus, ideoque Deum non potuiſſe ab illo* fidem *exigere* poſt lapſum.

Reſponſio.

Niſi nonnullorum *genius* mihi notus eſſet, jurarem *per calumniam* ipſis imponi, quod *hunc articulum* mihi adtribuunt, prout verba habent. Egone ſentiam *Adamum ante lapſum non habuiſſe poteſtatem credendi*, & *quidem propter hanc cauſam, quia fide opus non fuerit*: Quis ignorat illud Apoſtoli: *Accedentem ad Deum oportet credere* (vel credidiſſe) *quod Deus ſit & quod*

ſit

ſit remunerator quærentibus ipſum? Non arbitror ullum eſſe *Mahumeticum*, vel *Iudæum* qui id ipſum aſſeverare audeat. Ignorare illum oportet quid *fides* ſit *universè ſumta*, qui hoc affirmabit. An quis *diligere, timere, colere, honorare Deum*, *obedire ipſi* poteſt *ſine fide*, quæ omnium actuum, qui Deo præſtari poſſunt ex ipſius voluntate, eſt *principium* & *fundamentum? Audax* & *ſtolida* eſt illa *calumnia*. Sed arbitror addere illos voluiſſe, *poteſtatem credendi in Chriſtum*; & ſane addi hoc ipſum debuit. Niſi forte ita quis inſaniat, ut dicat *fidem omnem in Deum*, eſſe *fidem in Chriſtum*, perſuaſus hoc argumento, quia *nunc* nulla ſit *vera fides in Deum*, quæ non ſit *in Chriſtum*. Dico itaque, *affirmo* & *aſſevero, profiteor* & *doceo: Adamum ante lapſum non habuiſſe potentiam credendi in Chriſtum, quia fide in Chriſtum non erat opus, ideoque Deum non potuiſſe ab illo fidem iſtam exigere poſt lapſum*; hoc, nimirum jure, *quia Adamus potentiam illam credendi ſua culpa amiſerat:* quæ eſt ſententia eorum, qui hoc mihi impingunt; *potuiſſe autem exigere*, quia *paratus* fuit *dare illa gratia ſubſidia*, quæ *neceſſaria* erant & *ſufficientia* ad *credendum in Chriſtum*, ideoque & *ipſam fidem* dare *in Chriſtum*. Sed quum ego hic *tantum negem*, *fratribus affirmantibus* incumbit *probatio horum trium, propoſitionis*, ſcilicet, *rationis* additæ & *concluſionis* inde deductæ. *Propoſitio* eſt: *Adam habuit ante lapſum potentiam credendi in Chriſtum*. Ratio eſt: *quia fide iſta illi opus fuit*. *Concluſio eſt: Ergo potuit Deus iure ab illo fidem iſtam exigere poſt lapſum. Propoſitionem ſic à ſe poſitam: Adamus* habuit *ante lapſum inſitam potentiam credendi Evangelio*, ſcilicet *ex hypotheſi Evangelij*, hoc eſt, ut ego interpretor, *ſi Evangelium ipſi annuntiatum fuiſſet*; quidam *vir doctus* probare nititur *hoc argumento*. Quia quum nec *mentis cæcitate*, nec *cordis obduratione*, nec *affectuum perturbatione* (quæ *impotentiæ* credendi *interna* cauſæ) laboraret; ſed *mens* eſſet *lucida* & *voluntas* cum *affectibus recta*, potuit, ſi *Evangelium Dei* ſuiſſet ei *prænuntiatum, clare veritatem* illius *videre* eamque *probare*, & *corde* illius *bonitatem amplecti*. *Rationem* iſtam non puto quenquam *improbaturum*, ideoque illam ab ipſis *probari non poſtulo*. Velim tamen id diſpici; ſi *Adamo fides in Chriſtum neceſſaria* non fuerit, quorſum illi collata fuerit *potentia credendi in Chriſtum*. *Tertij* vero *probandi neceſſitas* illis incumbit, quia idipſum expreſsè dicunt, & quidem addita cauſa, quia *Adamus* illam *potentiam* ſua culpa *per peccatum amiſerit*. Ego propter perſonæ reſpectum abſtinebo ab *illius argumenti confutatione*, non quia id *irreſutabile* exiſtimem: quod ſpero *ſuo tempore* adpariturum. Pauca quædam proferam ad *ſententiæ meæ probationem*. *Primo* ad *propoſitionem*. *Adamum non habuiſſe ante lapſum potentiam credendi in Chriſtum*, probo. *Primo, quia fruſtranea fuiſſet, nulla enim erat neceſſitas, nulla utilitas credendi in Chriſtum: at Natura nihil fruſtra facit, multo minus Deus. Secundo, Quia Deus non potuit ab illo ante peccatum fidem in Chriſtum poſtulare*. Nam *fides in Chriſtum* eſt in illum *ut Salvatorem à peccatis*: debet ergo, qui *credet in Chriſtum*, credere *ſe eſſe peccatorem*. At hoc *antequam peccarat Adamus*, erat *falſum*. Itaque Deus jubendo, ut *Adamus crederet in Chriſtum*, juſſiſſet illum *credere mendacio*. Non potuit itaque in *actum* produci *illa potentia*: quæ etiam ea de cauſa eſt

Tertio, Fides in Chriſtum pertinet ad novam creationem, qua peragitur per Chriſtum qua Mediator eſt inter peccatores & Deum: qua de cauſa etiam *ſecundus homo*, imo & *novus homo* dicitur. Non mirum ergo *potentiam credendi in Chriſtum* vi *primæ creationis* homini datam non fuiſſe. *Quarto, Fides in Chriſtum præſcribitur Euangelio*. At *lex* & *Euangelium conſque* inter ſe *opponuntur* in *Scripturis*, ut *per utrumque ſimul ſalvari nequeat homo*; ſed ſi *per legem* ſalvetur, non indigeat ſalvari *per Euangelium*; ſi *per Euangelium* ſalvari neceſſe habet, tunc *per legem* ſalvari non potuerit. Quæ ergo poteſt excogitari cauſa, ob quam Deus *Adamo*, cum quo in *primævo ſtatu ante peccatum* ex *legalis fœderis* formula agere voluit & egit, præter potentiam *credendi in Deum iuxta legem*, etiam *potentiam credendi Euangelio* & in *Chriſtum* dederit? Si dicant *unam* fuiſſe *eandem potentiam*, concedam, ſumta *potentia* voce *generaliſsima notione* & pro *remotiſſima aptitudine*, quæ eſt *vis intelligendi* & *volendi*, & ſimul *communium omniumque mentibus impreſſarum notionum ſcientia*. *Negabo* vero ſi quidpiam *aliud* præter idipſum ſignificet. *Sapientia enim Dei Euangelio revelata multis paraſangis præcellit ſapientia per mundi creationem & in lege patefacta*. Ad *rationem*. Quia *opus non fuit Adamum credere in Chriſtum in ſtatu primævo*. Hoc argumentum non refutabit, niſi quis dicat Deum *potentiam homini infundere* cujus *nullus* ſit *uſus*, imo & *nullus uſus* eſſe *poteſt*, niſi homine ad *illum ſtatum* redacto, in quem & Deus *vetat ne incidat*, & *incidere nequit niſi per prævaricationem mandati divini*. Loquor autem ſemper de *potentia credendi Euangelio & in Chriſtum*, diſtinctâ contra *potentiam credendi in Deum iuxta legis præſcriptum*. Ad *concluſionem* inde deductam quod attinet: illam *unico* tantum *abſurdo* gravabo. Si ita res ſunt, quod homo *potentiam credendi in Chriſtum habuerit in primævo ſtatu*, quum illi *fides in Chriſtum non eſſet neceſſaria*, eademque *illi ablata ſit poſt lapſum*, quum illi eadem *neceſſaria eſſe capit*, miram illam eſſe *diſpenſationem Dei, ſapientiæ divinæ* ejuſque *bonitati* prorſus *adverſam*, quarum munus eſt de *neceſſariis* providere iis, qui ipſarum ſubſunt imperio & curæ. Deſino plura, quia *dogmatis iſtius abſurditas non facile fidem inveniet*, *apud illos qui non ex præiudicatio*, *ſed ex Scripturis iudicare didicerunt*. Addo *nunquam illud dogma in Eccleſia Chriſti obtinuiſſe*, aut pro *articulo ad fidem pertinente* habitum fuiſſe.

Articulus XX.

Non poſſe probari *ex ſacris litteris* Angelos nunc *eſſe* confirmatos *in* ſuo ſtatu.

Reſponſio.

Et huic *articulo* adſperſa eſt *calumnia*, quanquam arbitror ab *illo inſcio* factum, ex *cuius narratione* mihi iſte imponitur. Non enim *negavi* id ipſum *ex Scripturis* probari poſſe, ſed quæſivi *ſi negetur*, *quibus* ille id *argumentis ex Scriptura probaturus eſſet?* Non ita ſum *temerarius*, ut dicam ex Scripturis *probari non poſſe*, cujus *contrarium* ego non poſſum *firmiter* ex Scripturis *condocefacere*, etiamſi mihi *illa probatio certitudinem* non ingeneraverit. Arbitrari enim debeo, *alios eſſe* qui id *poſſint*, quamquam *ego* id *nequeam*: quemadmodum & illi, cum

quibus

quibus mihi aliquando ſermo eſt, ſic de ſe ſentire debent, quod non continuò *fieri poſſe negem*, quod *ab illis difficulter præſtitum iri affirmo*. Nam ex *colloquio frequentiore*, ex *concionibus quas habent ad populum* de illorum in *veritatis notitia* & *Scripturarum intellectu* profectibus judiciū fieri poſſe non ignorant ipſi. Velim itaque illos *operam ſibi ſumere probandi*, de quo *dubitare me non permittunt*. Scio quid *Auguſtinus* & *alij Patres de ſtatu Angelorum* ſcripſerint, de illorum *beatitudine* & *confirmatione* eorum *in bono*, *de certitudine*, quâ ſciunt ſe *numquā de ſtatu ſuo lapſuros*. Novi etiam *Scholaſticos* hanc in partem propendere: ſed quum *argumenta* quæ producunt examino, non videntur mihi *illud robur* habere, ut alijs id *credendum* tanquam *fidei articulum* præſcribere meritò & jure poſſint. Locus Matthæi 22. 30 *ſed ſunt ut Angeli Dei in cælo*, agit tantum de *ſimilitudine non nubendi & uxores non ducendi*; non dicit *Angelos* Dei in cælo *iam* eſſe *beatos*. Alter ille Mat. 18. 10. *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei qui eſt in cælis:* non loquitur de *viſione beatifica*, ſed de *illa viſione* qua adſtantes *throno Dei juſſa illius expectant:* quod *ex ſcopo* Chriſti adparet, volentis perſuadere *ne quis parvulis ſcandalum ponat*, cui ſuaſioni faciendæ ſervit *adſpectus Dei non beatificus*, verum *ad juſſa excipiendum parvulis iſtis cuſtodiendis* comparatus. Locus Heb. 12. 22. *Acceſſiſtis ad Ieruſalem cæleſtem & myriadas Angelorum*, id non evincit neceſſariò, *Angelos eſſe nunc beatos* & *in bono confirmatos*; quandoquidem ad *civitatem illam cæleſtem* etiam *nunc* pertinent *non beati nec in bono confirmati*, nempe *illi* qui dicuntur *ad illam civitatem cæleſtem acceſſiſſe*, qui adhuc *in fide ambulabant*, *& per ænigma videbant*. 1. Cor. 13. Ratio quæ adfertur: *tunc fore Angelos infeliciore conditione quam animæ ſint piorum iam beatitate cum* Chriſto *& apud Chriſtum fruentes*, non ſtringit: Nam *Angeli ſunt adminiſtratorij Spiritus in ſalutem illorum qui hæredes erunt ſalutis æternæ:* quod ipſorum *ſervitium* durabit ad *finem huius ſeculi:* quum interea illi qui *in Domino obierunt quieſcant à laboribus ſuis*. Apoc. 14. Neque *fortior* eſt illa, quâ dicitur *Angelos ſi in bono confirmati non ſunt poſſe excidere*, & propterea ſemper neceſſe eſſe, ut *metu torqueantur lapſus ſui*, qui accidere poteſt: & tanto *maiore metu*, quanto *clarius* cognoſcunt, in *quod malum* inciderint *Angeli apoſtatæ*. Nam *certi* eſſe poſſunt *de ſtabilitate* ſua, nempe fore ut *non excidant*, quamquam nec *beati* ſint nec *in bono confirmati conſq;* ut *non poſſint excidere:* vel *certitudine tali* quæ omnem *dubitationem* & *metum excludit*, vel *tali*, quæ *metum anxium* & qui *cum dolore eſt excludat*, *conſiſtat* vero cum *timore* & *tremore*, *quo ſalutem operari iubemur*, qui de *ſalute noſtra certitudinem fidei* habere dicimur. Sed quid opus ingredi in *iſtam diſputationem*, quæ neque *ex Scripturis* niſi *difficulter* decidi poteſt, & deciſa *utilitatem* nobis *exiguam* adferet? Id potius ſtudeamus ut *iam voluntatem Dei facientes; quemadmodum Angeli faciunt in cælo, aliquando beatitatis æternæ cum illis participes eſſe poſſimus*: præſertim quum *pauca* admodum de *Angelorum ſtatu* nobis perſcripta ſint, & *fide* accipienda mandata.

Et hæc eſt reſponſio mea ad *viginti priores articulos* partim *mihi ſoli*, partim etiam D. *Borreo* adtributos, in quibus *nullus eſt*, cujus *contrarium* ſit ab *Eccleſia Catholica* creditū & pro *articulo fidei* habitum; *nonnulli* vero

ita ſunt comparati, ut *contraria* illorum *novitatem* ſapiant & *falſitatem* redoleant: prçterquam quod plerique *per calumniam nobis* ſunt impoſiti. Progredior ad *conſiderationem undecim* ſequentium, ut videam, an *felicius* & *iudicioſius* in illis tum *mihi impingendis*, tum *errori* vel *hæreſi deputandis* ſint verſati. Deus *mentem* & *manum* dirigat, ut cum *veritate* conjuncta *bonâ conſcientiâ* proferam; ad *fratrum meorum quietem* & *tranquillitatem*.

Articulus primus.

Novum, Hæreticum, Sabellianum, *imò* blaſphemum *eſſe dicere* Filium Dei eſſe αὐτόθεον: ſolum *enim* Patrem *eſſe* αὐτόθεον, non *autem* Filium & Spiritum ſanctum.

Reſponſio.

Quanto cum *timore*, & quam *ſolicita conſcientiâ dogma* illud *ſublime* de *Trinitate perſonarum* tractem, norunt plerique qui me norunt: quam non delecter *novas phraſes, Scripturæ & orthodoxæ antiquitati* incognitas in hoc *articulo* explicando aut *excogitare* ipſe, aut ab alijs *excogitatas* uſurpare, tota mea docendi ratio demonſtrat: quâ etiam lubens feram *ſecus loquentes*, modo *ſenſum probum* intendant, teſtabuntur *auditores mei*: quæ præmitto, ne quis putet me *de voce* iſta *litem quæſiiſſe alijs movere*, qui iſtam uſurparant. Verum quum in *diſputatione quadam* non modo *vox illa*, ſed & *ſenſus*, quem ego *credo* & *ſcio* toti *antiquitati*, imo & *veritati Scripturarum* eſſe *contrarium*, *mordicus* & *fidenter* à quodam *iuvene* defenderetur, non ſine *ſententiæ verioris* ſeria *improbatione*, coactus explicui, quid de *voce* & de *ſenſu vocis* ſentirem. *Vocem* dixi in *Scripturis* non contineri, attamen quia ab *orthodoxis* eſſet uſurpata, tum ab *Epiphanio* hæreſ. 69. tum à *nonnullis noſtri ſeculi doctoribus*, me *illam non rejicere*, modo *recte* accipiatur. *Duplici* autem *ſenſu* accipi poſſe juxta *Etymon*, ut vel ſignificet, qui *vere* & *ſeipſo Deus eſt*, vel *qui à ſe Deus* eſt: *illo ſenſu* dixi vocem *tolerari poſſe*, *hoc ſenſu contravenire Scripturis & orthodoxæ vetuſtati*. Quum vero urgeret *Opponens* hoc *poſtremo ſenſu* ſe *vocem* accipere, & *Chriſtum revera* eſſe αὐτόθεον id eſt, *Deum à ſeipſo*, qui *eſſentiam* quidem habeat *communem* cum *Patre*, at *à Patre non communicatam*, & eo fidentius id diceret, quia ſciret ſe in eo D. *Trelcatium* p. m. habere *aſſentientem*, ex cujus *inſtitutione* etiam *ſententiam iſtam* hauſiſſe videbatur; dixi *novam* eſſe illam *ſententiam*, *veteribus inauditam* & *incognitam* tum *Græcis* tum *Latinis*: imò verò *rigidè examinatam* eſſe *hæreticam*, & *Sabellianæ ſententiæ* affinem: quæ fuit, *Filium* & *Patrem non eſſe diſtinctas perſonas*, ſed *unam perſonam diverſis nominibus* adpellatam. Addidi & *prorſus contrariam hæreſin* ex *illa ſententia* deduci poſſe, nempe *Filium* & *Patrem* eſſe *duas diverſas perſonas*, & *duos Deos collaterales*; quod *blaſphemum* eſt. Probavi breviter hiſce argumentis. *Primò*, *A ſe*, vel quod melius eſt, *à nullo eſſe*, *eſt proprium perſonæ Patris*, at *Filius eſt à ſe* vel potius *à nullo*, ergo *Filius eſt Pater*: Hoc *Sabellianum* eſt. *Secundò*, Si *Filius* habet *eſſentiam* cum *Patre communem* ſed *non communicatam à Patre*, eſt *Patri collateralis*, & propterea *duo Dij*: quandoquidem *tota antiquitas unitatem eſſentiæ in tribus diſtinctis perſonis* unica hac explicatione defendit & ſalvavit

ſalvavit, quod *Filius* habeat *eſſentiam eandem numero à Patre ſibi communicatam, Spiritus ſanctus* verò *ipſam eandem à Patre & Filio.* Hæc fuit tum temporis à me allata explicatio, in qua etiamnum perſiſto; Et dico me in eo *Scripturas* habere mihi *aſſentientes*, & *totam antiquitatem, Græcam & Latinam Eccleſiam.* Mirum ergo *fratres noſtros* id auſos fuiſſe mihi tanquam *erroneum* impingere. In quo tamen non *ſyncere* faciunt, quum *vocem* αὐτόθεον non explicant, ejus *ambiguitatem* tollendo: quod omnino faciendum fuit, ne quis putet me *omni ſenſu* negare, *Filium eſſe* αὐτόθεον, & propterea *non eſſe vere Deum:* quod eo magis ipſis faciendum fuit, quia ſciunt me ſemper diſtinxiſſe *ipſos ſenſus*, & *unum* admiſiſſe, *alterum* rejeciſſe. Quæ res quum ita habeat, poſſem ſimpliciter *hunc articulum* mendacij arguere: propterea quod *aliquo ſenſu* fateor *Filium eſſe* αὐτόθεον, etiam *Spiritum S.* & non *Patrem ſolum.* Cæterum juſtificandæ iſti phraſi & ſententiæ dicunt, quum *Filius* dicitur eſſe *à ſe Deus*, tunc *hoc ſenſu* accipiendum eſſe, quod *eſſentia* quam *Filius habet à ſeipſa ſit*, hoc eſt, *à nullo. Filium* enim conſiderandum eſſe *quà Deus eſt & quà Filius: qua Deus*, eſſe *à ſeipſo*, *quà Filius*, eſſe *à Patre.* Vel *in Filio* conſiderari duo, *eſſentiam* & *relationem*: ſecundum *eſſentiam* eſſe *à nullo vel à ſe*, ſecundum *relationem* eſſe *à Patre.* Sed reſpondeo, *Primo*, non poſſe illo modo excuſari illum, qui dicit *Filium* habere quidem *eſſentiam cum Patre communem*, ſed *non communicatam*, niſi *impropriè* loquendo. *Secundo.* non eſſe idem, *Eſſentiam quam Filius habet* eſſe *à nullo*, & *Filium, qui eſſentiam habet, eſſe a nullo.* *Filius* enim nomen *perſonæ* eſt, quæ *relationem* habet ad *Patrem*, & propterea ſine *illa relatione* neque definiri neque conſiderari poteſt; *Eſſentia* vero *abſolutum* quid eſt: & *hæc duo* ita inter ſe comparata ſunt, ut *eſſentia Filij definitionem* non ingrediatur niſi in *obliquo caſu*: nempe, *Filius eſt*, qui *eſſentiam divinam habet ſibi a Patre communicatam*: quod idem eſt, atque *Filius eſt qui a Patre genitus eſt. Generare* enim eſt *eſſentiam communicare. Tertio. Reſpectus illi duo, quà Deus* & *quà Filius*, non *eandem* inter ſe habent *affectionem* vel *relationem*, quam habent *hæc duo*, *à ſe vel à nullo eſſe*, & *à Patre eſſe*; vel, *à ſe*, ſeu *à nullo habere eſſentiam, & à Patre habere*: quod duplici ratione evidentiſſima commonſtro. *Prima* eſt, *Deus* & *Filius* ſunt *conſentanea* & *ſubordinata*; nam *Filius* eſt *Deus: à nullo vero eſſe & ab alio eſſe, à nullo habere eſſentiam & ab alio habere*, ſunt *oppoſita*, & *de eodem* dici non poſſunt. *Secunda*, in *illa collatione* non conferuntur *apte* quæ conferenda ſunt, neque *ſingulis ſuis parallelis* & συστοίχοις *opponuntur.* Nam *bis terna* hic conſideranda ſunt, nempe, *Deum eſſe*, *Patrem eſſe*, *Filium eſſe*; & *eſſentiam divinam habere illam à nullo*, *& habere à Patre. Syſtœcha* ſunt & *parallela*, primo, *Deum eſſe & eſſentiam divinam habere.* Secundo, *Patrem eſſe & habere illam à nullo*: Tertio, *Filium eſſe & habere illam à Patre.* Sed in *collatione*, quam facit illa explicatio, hæc tanquam *parallela* erunt poſita: *Deum eſſe* & *eſſentiam à nullo habere*: quod ſi *rectè ſit*, tum aut *ſolus Pater Deus eſt*, aut *tres ſunt dij collaterales.* Abſit autem ut ijs qui dicunt *Filium* eſſe αὐτόθεον, hoc eſt, *à ſe Deum*, illam ſententiam impingam. Scio enim illos aliquando *commodè* ſe explicare: ſed quæ *explicatio phraſi* ipſi

Præfatione in Dialogos Athanasii,

non conveniat. Quâ de causa etiam *Beza Calvinum excusat*, aperte confeſſus, quod *diſcrimen particularum*, *à ſe & per ſe*, *non ita ſtricte obſervaverit.* dixi tantum, quid ex *iſtis phraſibus* & ſententia *phraſibus iſtis* conveniente ſequatur, & propterea *à phraſibus* hujuſmodi abſtinendum eſſe. Abſtineo a probationibus, quas plurimas *ex Scripturis* & *Patribus* adferre poſſem; & ſi neceſſitas poſtulet, ſtatim producam; habeo enim illas a multis annis in promptu.

Eſſe ab æterno — *Deus* — *Habens eſſentiam divinam.*

A nullo eſſe — *Pater* — *Habens eſſentiam divinam à nullo, quod alij dicunt, à ſe.*

A Patre eſſe — *Filius* — *Habens eſſentiam divinam à Patre.*

Hic verus eſt *paralleliſmus*, & qui, ſi ullo modo invertatur vel transponatur, in *hæreſin* inciditur: adeo ut mirer fratribus conſultum viſum, ut hujus rei *ullam mentionem* facerent, a quâ *rectius* & *prudentius* abſtinuiſſent, ſi *æqua trutina* illam penſitaſſent.

Articulus II.

Summam blaſphemiam *eſſe dicere* Deum *eſſe* liberè bonum.

Reſponſio.

Et hic propria ſua dedecora aperiunt, quibus per me licuiſſet eſſe & manere ſepultis: verum quia & hujus *rei memoriam* refricant, dicam quomodo habeat. Diſputatum eſt an *neceſſitas* & *libertas* eouſque inter ſe conciliari poſſint, ut aliquis dici poſſit *neceſſariò* aut *liberè unum eundemque effectum producere*, vocibus iſtis *propriè* juxta ſuas *ſtrictas definitiones* uſurpatis; quæ hæ ſunt: *Neceſſario agit efficiens, qui poſitis omnibus ad agendum requiſitis non poteſt* non *agere* vel *actionem ſuam ſuſpendere. Liberè agit efficiens, qui poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt non agere, vel actionem ſuam ſuſpendere. Ego dixi id fieri non poſſe. Dixerunt alij fieri poſſe*, idque in hunc finem ut ſtabilirent *dogma*, quo dicitur *Adamus liberè* quidem, ſed tamen *neceſſario* peccaſſe: *liberè reſpectu ſuipſius* & ſecundum *naturam ſuam*; *neceſſario reſpectu decreti divini.* Ego illam *explicationem*, non admiſi, ſed dixi, *neceſſarium & liberum* non *reſpectibus*, ſed *integris eſſentijs* differre, quemadmodum, *neceſſitas* & *contingentia*, vel *neceſſarium* & *contingens*, quæ quia dividunt *totam entis amplitudinem*, *coincidere* non poſſunt: non magis quam *finitum* & *infinitum*. *Libertas* autem ad *contingentiam* pertinet. Vt hanc *meam ſententiam* infringerent, attulerunt *inſtantiam*, ſeu *exemplum*, in quo *neceſſitas* & *libertas concurrerent*, nempe *Deum*, qui & *neceſſariò* & *liberè bonus eſt.* Quod ipſum *dictum* ita vehementer *mihi diſplicuit*, ut dicerem *non procul abeſſe à blaſphemia*: in quâ etiam *nunc ſententia* ſum: & paucis ſic probo *falſitatem*, *abſurditatem*, & in *falſitate blaſphemiam*. Illam: Qui *naturali neceſſitate* & ſecundum *ipſam eſſentiam* & *naturam ſuam totam bonus eſt*, imò *ipſum bonum*, *ſummum bonum*, *primum bonum*, *à quo omne bonum*, *per quem omne bonum*, *in quo omne bonum*, & *cuius participatione quæcunque boni quid habent*, *bona ſunt*, magiſque vel minus *bona*, prout ipſi propiora aut remotiora ſunt, *ille non eſt liberè bonus*: eſt enim *contradicens in adiecto*, ſeu *oppoſitum in appoſito*. *Deus* autem eſt

naturali neceſſitate, ſecundum *naturam totam* & *eſſentiam bonus*, ipſum *ſummum*, *primum bonum: à quo, per quem, in quo omne bonum*, &c. Ergo *Deus non eſt libere bonus*. Iſtam. *Libertas eſt affectus voluntatis divinæ, non eſſentiæ, non intellectus, non potentiæ:* ideoque *non naturæ divinæ* in ſua *totalitate* conſideratæ: & quidem *effectus voluntatis*, ſecundum quem fertur in *obiectum non primum, non adæquatum, aliud ab ipſo Deo*; qui & propterea *poſterior eſt ordine affectu voluntatis*, ſecundum quem fertur *Deus in obiectum proprium, primum & adæquatum*, quod *ipſe eſt*. *Bonitas* vero eſt *affectus totius naturæ divinæ, eſſentiæ, vitæ, intellectus, voluntatis, potentiæ*, &c. Ergo *Deus non eſt libere bonus*, hoc eſt, *non eſt bonus per modum libertatis*, ſed *naturalis neceſſitatis*. Addo, de *nulla re* in *rerum natura* dici poſſe, quod ſit *liberè*, vel quod ſit *hoc* vel *illud libere*, ne tum quidem quum *homo* id *quod eſt, factus eſt, per actiones à libera voluntate profectas*; ut nemo dicitur *doctus liberè*, quanquam *eruditionem* ſibi comparavit ſtudio *à libera voluntate* profecto. *Blaſphemiam* iſti dicto ineſſe probo. Quia ſi *Deus liberè bonus eſt* (id eſt, *non per naturam*, & *naturalem neceſſitatem*) poteſt *eſſe* vel *fieri non bonus*: quemadmodum quod quis *liberè vult*, poteſt *non velle*; quod quis *liberè agit*, poteſt *non agere*. Conſideretur diſputatio inter *Patres* & *Eunomium* ejuſque *aſſeclas*: qui conabantur probare *Filium* non eſſe genitum *ex Patre ab æterno*, quia *Pater* illum nec *volens* neque *nolens* genuiſſet: ſed referebant a *Cyrillo, Baſilio* & *alijs* reſponſum: *Patrem* neque *volentem* neque *nolentem*, hoc eſt, non *voluntate*, ſed *natura* genuiſſe *Filium*. *Actionem generandi* non

Cyrillus Theſ. contra Hæreſ. lib. 1. cap. 8.

eſſe *à voluntate*, ſed *à natura*. Si dicant, *Deum* etiam *libere* poſſe dici *bonum*, quia non ſit *coactè bonus*: Reſpondeo, non modo *coactionem*, ſed & *naturam* repugnare *libertati*: & *utrumque* tum *naturam* tum *coactionem* eſſe cauſam *integram, totalem*, & *ſufficientem* ad excludendam *libertatem*: neque ſequitur, *coactio* non excludit *libertatem* ab iſta re, ergo illa res id quod eſt, *liberè eſt*. *Lapis* non fertur deorſum *per coactionem*, ergo *per libertatem*: *Homo* non vult *felicitatem ſuam coactè*, ergo vult illam *liberè*. Indigna ſunt iſta quæ a viris objiciantur: & quibus refutandis tempus & otium impendam. Sic ergo Patres merito *blaſphemiam* impegerunt dicentibus, *Patrem voluntate ſua* ſeu *volentem* genuiſſe *Filium*, quia inde ſequeretur *habere principium inſtar creaturarum*: quanto æquius impingitur *blaſphemia* dicentibus, *Deum liberè eſſe bonum*: quum ſi ſit *bonus liberè*, etiam ſeipſum *liberè cognoſcat, amet*, & omnia porro *liberè faciat*, etiam quum *Filium* gignit, & *Spiritum* ſpirat.

Articulus III.

Sæpe fieri ut creatura non omnino in malo obdurata, actum, *quia* peccato *junctus ſit*, patrare nolit: *niſi* argumentis quibuſdam *&* occaſionibus, *quæ velut* incitamenta *ſunt ad* illum patrandum, objectis: *iſtius quoque* objectionis adminiſtrationem *penes* Dei providentiam eſſe, *qui* incitamenta iſta objicit, *ut* opus ſuum *per* actum creaturæ *efficiat*.

Reſpon-

Reſponſio.

Martyr in Epiſtolam ad Rom. cap. 9. in illa verba: dices mihi quid adhuc conqueritur? fol. 406. b. Quum Deus deſtituit homines ſuo auxilio, eoſque relinquit in tã depravato ſtatu, ſi poſtea obiecerit occaſiones, quibus animus irritatur, negari non poteſt, eſſe eum aliquo modo non tamen propriè cauſam erumpentium actionum.

Niſi quidam nimia libidine carpendi ea, quæ à me proficiſcuntur, incitarentur, nunquam ſanè in animum ſuum induxiſſent hic mihi moleſtiam faceſſere. Quod ipſum tamen ipſis ignoſcerem tanquam *veritatis rigidis & ſeveris examinatoribus*, ſi modo *ſyncerè* & *citra calumniam* quæ à me *dicta* vel *ſcripta* ſunt recitarent; hoc eſt, *mea dicta*, neque *addendo* neque *demendo* neque *mutando* aut *perverſe interpretando* corrumperent. At videntur uſque adeo nonulli eſſe *calumnia* aſſueti, ut etiam ubi apertè de illa convinci poſſunt, illam tamen *innocenti* ſtruere non vereantur. Cujus rei exemplum in hoc *ipſo articulo* præbent luculentum. Nam quæ ego in Theſibus de *Efficacitate & Iuſtitia Providentia Dei in malo*, anno 1605. menſe *Maio* diſputatis, Theſi 15. poſui, hic citantur, at *mutile* & *omiſſis* ijs, quæ *omnia à calumnia potenter vindicare poſſunt*. Sic enim habent *verba theſeos* 15. *Quum vero actus, quanquam potentia & voluntati creatura permiſſus, poteſtati tamen einſdem ademtus ſit per legiſlationem, & propterea ſæpenumero futurum ſit, ut creatura non omnino in malo obdurata, actum, quia peccato iunctus ſit, patrare nolit, niſi argumentis quibuſdam & occaſionibus, qua velut incitamenta ſunt ad illum patrandum, obiectis: iſtius quoque obiectionis adminiſtratio penes Dei providentiam eſt; qui irritamenta iſta obijcit; tum ut exploret, an creatura a peccando abſiſtere velit, etiam irritamentis incitata, quandoquidem exigua laus abſtinentia, ubi illa abſunt; tum ut, ſi creatura velit incitamentis cedere, ille ſuum opus per actum creatura efficiat.* Hæc verba mea ſunt: Ex quibus *illa poſuerunt*, quæ *apta* videbantur *calumnia ſtruenda*, *ea* vero *omiſerunt*, & de medio abſtulerunt, quæ *calumniam* maniſeſtiſſimè *produnt* & *confutant*. Ego enim *adminiſtrationis iſtius*, qua Deus *argumenta, & occaſiones*, & *incitamenta*, & *irritamenta* ad *actum*, qui *peccato* junctus, patrandum diſpenſat, *duos* poſui *fines*, eoſque *non collaterales*; hoc eſt, pariter intentos; neque arcta inter ſe coniunctione nexos: verum quorum *unum primò* & *propriè* & *per ſe* intendit Deus, nempe *explorationem creatura*, & quorum *alterum*, nempe, *ut per actum creatura ſuum opus efficiat*, non intendit, niſi poſtquam prævidit *creaturam iſtis incitamentis non obſtituram, ſed ceſſuram*, idque *libera voluntate ſua* contra *mandatum* Dei, quod *ſequi debebat* & *poterat*: rejectis & repudiatis *incitamentis* iſtis & *irritamentis argumentorum* & *occaſionum*: Articulus vero iſte ſic mea verba proponit, atque ſi illum *poſtremum finem ſolum* & *per ſe* intendentem Deum feciſſem; *omittens* universè *primum illum*: inde *omittens conditionem praviam*, ſub qua Deus *poſtremum finem* intendit per *actũ creatura*, nempe, *ubi creatura vult iſtis incitamentis cedere*. *Duplex* ergo eſt *iſta calumnia*: horſum inventa, ut ex hiſce meis dictis concluderetur *Deum authorem peccati a me poni*: quod nuper *quidam* non eſt veritus ex iſtis ipſis verbis *in publica concione* citatis adverſus me concludere: Sed per *calumniã*, ut jã paucis docebo. *Ratio*, per quam ex *iſtis verbis*, quæ ex *meis theſibus* in iſto *articulo citata* ſunt, *concludi poteſt*, *Deũ eſſe authorẽ peccati*, quod a *creatura* à Deo per *argumenta* & *occaſiones incitata* patratur, universè *triplex* eſt: *una*, quod Deus *preciſè* intendat per *actum creatura*, qui *ſine peccato* ab illa patrari nequit, *opus ſuũ efficere*: quod in *duplicẽ*

Dei

Dei *præciſam* intentionem reſolvitur; quarum *una* eſt, qua *præciſè* intendit *hoc ſuum opus efficere: altera* qua *præciſè* intendit *illud opus* non niſi per *actum creaturæ efficere*, qui *ſine peccato à creatura* patrari nequit. *Altera ratio* eſt, quod *creatura* per *obiectionem* iſtorum *incitamentorum* & *irritamentorum incitata* ad *actum* illum *patrandum, non poſſit non actum illum patrare*, hoc eſt, *poſita* illa *incitatione tali non poſſit ſuſpendere actum illum*, per quem *Deus* intendit *efficere opus ſuum*, ſecus poſſet Deus *fruſtrari* intentione ſua: unde naſcitur *tertia ratio* ex iſtis duabus exſurgens, quod Deus intendat per *illa incitamenta creaturam movere ad actum*, qui *peccato junctus* eſt, *patrandum*, hoc eſt, ad *peccandum*. Et hæc quidē omnia videntur *aliqua probabilitate* concludi ex verbis *ſic* poſitis, ut *in articulo* ſunt recitata, propterea quod iſtius *adminiſtrationis* & *obiectionis unus* hic & *præciſus finis* ſtatuatur, ut *Deus per actum creaturæ opus ſuum efficiat*. Sed *verba illa* quæ ego *inſerui* & illi *omiſerunt*, occurrunt *triplici* iſti *rationi*, & *totum obiectamentum* illis innixum rationibus *confutant* ſolidiſſimé. Occurrunt *triplici iſti* rationi. *Prima, Negant enim Deum præciſè* intendere *opus ſuum per actum creaturæ efficere*, quia dicunt Deum *non ante* intendere uti *actu creaturæ* ad *opus ſuum perficiendum*, quam prævidit *creaturam* iſtis *incitamentis ceſſuram*, hoc eſt, non reſtituram. *Secunda*, Negant enim *poſita* iſta *incitamentorum obiectione creaturam actum ſuum ſuſpendere* non poſſe: quum dicant tum, *ut ſi velit creatura iſtis incitamentis cedere*, ille *ſuum opus per actum creaturæ efficiat*. Quid hoc eſt *ſi velit cedere*: annō aperte notatur *libertas voluntatis*, quâ, poſita *obiectione iſta argumentorum & occaſionum*, poteſt tamen *voluntas* nolle credere? *Tertia*, Negant enim Deum intendere *per illa incitamenta movere creaturā ad actum patrandum*, qui *peccato junctus* eſt, hoc eſt, *ad peccandum*: quia dicunt, Deum intendere *explorationem creaturæ ſuæ*, an Deo *obedire velit etiam incitamentis iſtis incitata*: quumque vidit illam *malle cedere* iſtis *incitamentis*; quam *Deo obedire*, tunc intendit Deus (non *actum ipſum creaturæ*, id enim neceſſe non eſt, jam enim intendens *explorationē eventum* obtinet *actus patrati* ex *voluntate creaturæ*, ſed) *opus ſuum per actum poſitum voluntate & culpa creaturæ efficere*. Apparet ergo *verba iſta*, quę fratres mei *omiſerunt*, *calumniæ* obviam ire quam manifeſtiſſime, & ſolvere objectamentum iſtud fortiſſime. Quod etiam alio modo commonſtro, ut omnino *iniquitas* hujus objectamenti adpareat. Qui dicit Deum *creaturam ſuam* per *argumenta* & *occaſiones* peccandi *explorare*, an *obedire* ipſi *velit* etiam *incitata irritamentis*, ille aperte dicit, *creaturam poſſe iſtis incitamentis reſiſtere*, & *non peccare*, alioquin non eſt *exploratio obedientiæ*, ſed in *neceſſariam inobedientiam deiectio & impulſio*; deinde qui dicit Deum per *illa irritamenta* & *incitamenta explorare obedientiam creaturæ ſuæ*, illo eo ipſo ſignificat *illas occaſiones* & *argumenta illa*, quæ *objiciuntur* a Deo *explorationem* intendente, non eſſe *incitamenta* & *irritamenta peccandi* ex *fine* & *ſcopo* Dei; ſed eſſe *incitamenta* primo. *Potentiâ* juxta *affectum creaturæ*, quæ *poteſt illis incitari* ad *patrandum actum peccato junctum*; Secundo, *Eventu*, eo quod *creatura per iſta* ad *peccandum inducta* eſt, ſed *propria culpa ſua*, quia *debuit* & *potuit affectui iſti reſiſtere*, & *irritamenta illa* inſuper habere & contemnere. Mirandum igitur &

multum mirandum, quempiam rerum Theologicarum aliquomodo peritum, auſum fuiſſe *mihi hanc calumniam* ex iſtis verbis ſtruere: *mihi* inquam, quem ſciunt *hac ſola de cauſa nonnullis ipſorum ſententijs & dogmatis accedere non audere, quia exiſtimem ex illis ſequi, Deum eſſe authorem peccati*: idque hac de cauſa, quod arbitrer *illos ea docere*, unde concludere poſſum *bona & certa conſequentia, Deum præciſè intendere peccatum creaturæ*, inde ſic *adminiſtrare omnia* ut poſita illa *adminiſtratione* homo *neceſſario peccet*, & *non poſſit* ipſo actu & reipſa *actum peccati omittere*. Quæ dico, ſi docuerint ex ſententijs ſuis non ſequi, iſta ſaltem de cauſa non patiar me ab illorum conſenſu in iſtis dimoveri. Legantur *integræ iſtæ* Theſes, & conſtabit quam *ſolicitè* caverim ne quid dicerem, unde *iſta blaſphemia* ulla *veriſimilitudine* deduci poſſet, & tamen nihil *providentia* Dei ſubtrahere, quod illi *ſecundum Scripturas* tribuendum eſſet. Cæterum ut jam prolixe probem rem ita habere, ut iſtis verbis docui; vix arbitror eſſe neceſſum, quum illam jam præmiſerim explicationem. Faciam tamen idque breviſſime. Eva non tantum non *obdurata in malo*, ſed ne *mala* quidem, ab *eſu fructus vetiti* abſtinere voluit, quia *peccato iunctus erat*, ut adparet ex reſponſo quod dedit ſerpenti: *Deus dixit, non comedetis ex ea.* hoc autem facile illi fuit tanta fructuum copia: eaque *exigua* fuiſſet *exploratio obedientiæ*, ſi nullo alio *argumento* fuiſſet ſolicitata à Tentatore. Factum igitur eſt ut præterea ſerpens illi *argumentum ſuaſionis* objiceret, quo *irritaret* ipſam ad *edendum*, dicens, *non moriemini, ſed eritis ſimiles Deo.* Hoc *argumentum* fuit *irritamentum ad peccandum* ex *ſcopo* ſerpentis: ſine quo vidit illam ad *edendum permotam* non iri ſerpens, quia audiverat illam *ab actu abſtinere* velle eo quod *peccato iunctus* erat. Quæro jam an Deo tribuenda ſit *adminiſtratio* totius iſtius *tentationis* nec ne? Si negent, impingunt in *providentiam*, contra *Scripturas* & omnium *noſtrorum Doctorum* ſententiam: ſi fateantur, habeo quod dixi. At quis *adminiſtrationis* iſtius *finis*? *Exploratio* an Eva *vellet abſtinree ab actu etiam argumentis ſolicitata*, & à *Satana irritata*; ut *laudem obedientiæ* conſequeretur apud *Dominum* & *Creatorem* ſuum. Exemplum *fratrum Ioſephi* in margine *Theſis* iſtius 15. citatum idem docet planiſſime, ut in *Theſi* monſtratum eſt. Videatur exemplum *Abſolonis*, qui *patris ſui concubinas inceſtavit.* An non *occaſio* illius *actus perpetrandi* fuit hæc, quod *Deus illi in manum dedit concubinas patris ipſius*, hoc eſt, *poteſtati ipſius permiſit eas*? *Argumentum*, quo inductus eſt ut *actum illum* à quo natura abhorret, *patraret*, annon fuit conſilium *Achitophelis*, cujus conſilia habebantur pro oraculis? ſine ulla dubitatione ita res habet. At quod Deus hanc totam rem *adminiſtravit*, apparet ex *Scriptura*, quæ dicit, *Deum id feciſſe.* Videatur quod Deus inquit Deut. 13. *Non obedies verbis Prophetæ ſuadentis cultum aliorum Deorum, etiamſi dederit ſignum, vel portentum quod reipſa evenerit.* Annon hæc *prædictio ſigni* confirmata *evento* ipſo *argumentum* eſt quod illi *authoritatem* conciliare poteſt, & *autoritas conciliata incitamentum* ſeu *argumentum* ad *perſuadendum* id quod *propheta* iſte ſuadebat? Et quid opus *argumentis*, *incitamentis*, *irritamentis*, ſi *creatura ita ad actum*, qui ſine *peccato* patrari nequit, *propendet*, ut omnino *ſine ullo*

argumento

argumento patrare velit actum iſtum? ſuperſedebit ſcilicet *Tentator* ſupervacuo labore. At quia *Tentator* novit *creaturam actum iſtum patrare nolle*, niſi *incitetur argumentis* & *occaſiones* offerantur, ille profert quidquid poteſt *incitamentorum* ut in peccatum pelliciat. Deus vero *præſidet* hiſce omnibus & *providentia* ſua *adminiſtrat* omnia, verum longè alium in *finem* quam *Tentator*, nempe ad *explorandum* primò, unde, ſi *cadere velit creatura*, ut per *actum illum aliquid ipſe efficiat*. Si quid hic repræhendendū putent, *circumſcribant* ſic Dei *ius* & *potentiam*, ne poſſit alio modo *explorare obedientiam creaturæ* ſuæ, quam *creando in quo peccari poteſt*, & à quo juſſit *per legem* abſtineri: quod ſi etiam alio modo *explorare* poſſit, doceant quis ille ſit præter *argumentorum & occaſionum obiectionem*, & cur Deus etiam illo utatur præter illum præcedentem modum, quem dixi: Annon quia videt *creaturam* illo *non aque fortiter* ad *malum ſolicitari*, & propterea *exiguum* eſſe *à peccato abſtinere*, ad quod nulla alia *incitamenta inſtigarunt*? Perpendatur hiſtoria *Iobi*, cujus *patientiam* tam variè *exploravit* Deus, & cui tot *irritamenta* fuerunt *obiecta* ut per *impatientiam* in Deum *peccaret*, & tota hęc res clarebit evidentèr. Deus dicit Satanæ: *Vidiſti ſervum meum Iobum, virum perfectum, timentem Dei & recedentem à malo?* Reſpondit Satanas. *Quid mirum, quum tu illi tantopere benedixeris? Sed explora illum per afflictiones. Age*, inquit Dominus, *omnia eius in manu tua; tamen in illum ne immittas manum.* Ecce; quid aliud volunt ſibi verba iſta, quàm, *irrita illum ad maledicendum mihi?* permitto tibi: quandoquidem putes *exiguam* illi deberi *laudem* quod me timeat bonis abundans. Fecit *Satanas* quod permiſſum erat: & nihil effecit, adeo ut Deus diceret: *adhuc retinet Iob perfectionē ſuam, quamvis incitaveris me in eum.* Quo facto quum *Satanas* peteret ut ſibi liceret *irritamenta maiora ipſi adhibere*, obtinuit id, & tamen nihil effecit: unde Deus *glorificatus* in *Iobi patientia* ad *Satanæ confuſionem*. Puto iſta ſufficere ad liberandum hæc mea verba ab *omni calumnia* & ſiniſtra interpretatione. Si cognovero, quibus *argumentis* illi utantur ut hæc verba *erroris* convincant, dabo operam ut *confutem*, aut ſi nequeam, *cedam* veris.

Articulus IV.

Iuſtitiam Chriſti nobis non imputari *ad juſtitiam*, *ſed* τὸ credere *nos* juſtificare.

Reſponſio.

Quid hic potiſſimū admirer ignoro, *inſcitiam*, an *malitiam*, an *ſupinam negligentiā*. *Negligentia* in eo eſt, quod non curant quomodo & quibus verbis *ſententias* quas mihi tribuant enuntient, neq; operam dant ut meas *ſententias* cognoſcant, quas tamen *reprehendere* volunt. *Inſcitia*, quod non *diſtinguant* diſtinguenda, & *opponant* non opponenda. *Malitia*, quod mihi tribuunt quæ neque *ſentio* neq; *dixi*, vel quod ita *involvant* res, ut quod *recte* dictum eſt *perverſe* dictum videri poſſit, ut ſit locus *calumniæ*. Sed ad rem ipſam. Quamquam in hoc *articulo* duæ tantum videantur eſſe *diſtinctæ enuntiationes*, tamen *potentia* tres ſunt, quæ etiā *actu* diſſeparandæ ſunt, ut res intelligi poſſit. *Vna* eſt, *Iuſtitia Chriſti imputatur nobis*, *Altera*, *Iuſtitia* Chriſti

Chriſti imputatur in Iuſtitiam. Tertia, τὸ credere imputatur in iuſtitiam: ſic enim propriè loqui debuerunt ut mea verba retinerent: *iuſtificare* enim latius patet, quam *imputari in iuſtitiam.* Nam Deus *iuſtificat* & *non imputatur in iuſtitiam.* Chriſtus *ſervus Dei iuſtus iuſtificat multos cognitione ſui.* At qua hoc ita facit nō *imputatur in iuſtitiam.* Iam quod ad *primam* adtinet, nunquam dixi, *iuſtitiam Chriſti nobis non imputari*, imo contrarium dixi in *Theſibus* de *iuſtificatione*: Theſi 10. *Iuſtitiam qua coram Deo iuſtificamur commodo ſenſu imputativam dici poſſe, utpote qua vel gratioſa Dei æſtimatione iuſtitia ſit, quum id nominis ſecundum rigorem iuris ſeu legis non mereatur: vel aliena cum ſit, nempe Chriſti, noſtra per gratioſam Dei imputationem fiat. Alternative* quidem iſta poſui: at eo ipſo declaro, me illam *phraſin* non improbare: *Iuſtitia Chriſti imputatur nobis, fieri enim noſtram gratioſa æſtimatione Dei*, idem eſt quod *nobis imputari: imputatio* eſt enim *gratioſa æſtimatio.* Ne autem inde anſa quæratur *calumnia*, dico me fateri, *Iuſtitiam Chriſti nobis imputari*: quia verba Apoſtoli 2. Cor. 5. *Chriſtum fecit Deus pro nobis peccatum, ut nos eſſemus Dei iuſtitia in illo*, id ipſum continere arbitror. *Alterum enuntiatum, Chriſti iuſtitia imputatur ad iuſtitiam*, mihi non probari dixi: & quidni liceat mihi *phraſin* repudiare, quæ in *Scripturis* non exſtat, modo nullum verum ſenſum negem qui ex *Scripturis* probari poſſit. *Ratio* autem cur illam *phraſin* repudiem hæc eſt. *Quidquid imputatur in iuſtitiam vel ad iuſtitiam vel pro iuſtitia, idipſum non eſt ipſa iuſtitia ſtricte & rigide ſumta: at Chriſti iuſtitia quam ille præſtitit, Patri obediendo, eſt ipſiſſima iuſtitia ſtrictè & rigidè ſumta. Ergo non imputatur in iuſtitiam.* Illa enim eſt vocis *imputandi* ſignificatio, quemadmodum *Piſcator* adverſus *Bellarminum* de *iuſtificatione* agens ex v. 4. cap. ad Rom. 4. bene obſervavit & probavit. Exemplo res poteſt clareſcere. Si debitor *centum florenorum* ſolvat creditori *centum*, non recte dicet creditor: Ego *imputo* tibi hoc in ſolutum: Alter enim dicet ſe ipſius *imputationem* non curare. Vere enim ſolviſſe, ſive *æſtimet* ſic creditor ſive *non æſtimet.* At ſi *centum* debuit, *decem* numeret, tunc creditor reliquum condonans, dicere jure poteſt, ego *imputo* tibi hoc in ſolutum, nihil amplius abs te poſtulabo. Hic *gratioſa eſt æſtimatio* creditoris, quam etiam grata mente agnoſcere debet debitor: qualem ego intelligo quoties de *imputatione iuſtitiæ* quæ *Evangelio patefacta* eſt loquor, ſive dicatur *Chriſti obedientia nobis imputari* & ſic *noſtra coram Deo iuſtitia*; ſive *fides dicatur imputari in iuſtitiam. Dolus* ergo latet in *iſta confuſione.* Si n. *negem* id enuntiatum, dicent me negare *Chriſti iuſtitiam nobis imputari:* ſi *affirmem*; incido in illud *abſurdum* quod exiſtimem *Chriſti iuſtitiam* non eſſe *ipſam iuſtitiam.* Si dicant vocem *imputandi* aliter accipi, probent exemplo (& ubi probaverint) quod ipſis difficile erit: nihil effecerint; nam *iuſtitia Chriſti nobis imputatur gratioſa æſtimatione Dei.* Aut ergo *imputatur gratioſa æſtimatione Dei in iuſtitiam*, aut *non gratioſa; ſi gratioſa imputatur nobis* (quod neceſſe eſt dici) & *non gratioſa imputatur in iuſtitiam*, tum adparet in iſta *confuſione duorum* horum *axiomatum* vocem *imputandi* neceſſario *ambiguam* eſſe intelligendam, & *duplicem* ſenſum habere. *Tertium enuntiatum eſt, fidem* ſeu *τὸ credere imputari in iuſtitiam*, quæ mea verba ſunt, verum illis omiſſis

omiſſis hæc ſubſtituerunt: *τὸ credere nos iuſtificare*: ex *ſimplicitate* dicerem, ſi putarem illos cap. 4. ad *Romanos* non legiſſe, in quo *undecies* iſta *phraſis* uſurpatur, *fidem vel ipſum credere imputari in iuſtitiam.* Sic enim v. 3. *credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi in iuſtitiam*, nempe, *ipſum credere.* Itaque non *me* ſed *Apoſtolum reprahendunt*, qui iſta *phraſi* toties in uno capite uſus eſt: qui etiam ab altera *phraſi* non abſtinet, *nempe iuſtificari fide & ex fide* cap. 3. & 5. ejuſdem Epiſtolæ. *Phraſin* ergo *reprahendere* non debuerunt, ſed *ſenſum meum*, ſi *phraſin* perverſè explicem: quod ipſum videor facere, dicens *non Chriſti iuſtitiam nobis imputari ſeu iuſtificare, ſed fidem vel τὸ credere*: ſed reſpondi id falſum eſſe, & utrumque me credere dixi, & *iuſtitiam Chriſti nobis imputari*, & *fidem imputari in iuſtitiam*: quæ quum illi *opponant*, id non ex *meo*, ſed ex *ſuo ſenſu* faciunt, & propterea ſecundum ſuos *ſenſus* mihi *calumniam* ſtruunt, quod eſt iniquum. Sed inquient me illam *phraſin*, *fidem imputari in iuſtitiam* ut *proprie* acceptam intelligere, quum ſit intelligenda *figuratè.* Hoc ergo dicendum erat, quia id ſolum vere dicere poterant. Ita ſane ſentio, & verba militant pro verborum ſententiæ *proprietate*: ſi ſubſit *figura*, id probari debet ab ijs qui dicunt.

Articulus V.

Totum *illud*, *quo* comparemus coram Deo, nos juſtificare: *at non tantum* fide, *verum etiam* operibus coram Deo comparemus: *ergo non tantum* fide, *verum etiam* operibus juſtificamur *coram* Deo.

Reſponſio.

Qui eorum, quæ aguntur ignarus hunc *articulum* leget, procul dubio arbitrabitur me *in articulo* de *Iuſtificatione Pontificiorum* partibus favere, eaſque ex profeſſo tueri: imo vero eo uſq; progreſſum eſſe *impudentia*, ut *concluſionem* ſtatuere auſim directe *Apoſtoli verbis contrariam*, qui dicit: *Colligimus ergo fide iuſtificari hominē ſine operibus legis.* At ubi intelliget unde iſte *articulus* mihi impingatur, tū conſtabit illi de *calumnia*, & *verborū meorum depravatione.* Ego itaq; nego me illum *ſyllogiſmum* feciſſe, aut unquam *concluſionem* illā facere intendiſſe; vel ea ponere, ex quibus illa *concluſio* deduci poſſet. Quæ *defenſio* ſufficeret æquis mentibus ad benigne interpretandum ſi forte quid dictum eſſet, quod *occaſionem* dare potuit *ſiniſtriori ſuſpicioni.* Sed operæ pretium erit ut adſcribam verba mea ex *diſputatione* quadam de *Iuſtificatione*, unde hic *articulus* deſumptus eſt, ut appareat qua fide id factum ſit. *Theſis nona* ſic habet: *Ex iſtis ſic ſecundū Scripturas poſitis concludimus, Iuſtificatione pro actu iudicis uſurpatam, aut puram putā eſſe iuſtitiæ imputationem, ex miſericordia de throno gratiæ in Chriſto propitiatore factam peccatori ſed credenti: aut hominem coram Deo ex debito iuxta rigorem iuſtitiæ, citra ullam condonationem iuſtificari. Quod ipſum quia Pontificij negant, alterum illud concedere debent. Et hoc uſque adeo verum eſt, ut Sanctorum nemo, quantavis fide, charitate, ſpe præditus, operaque fidei, ſpei, charitatis quam præſtantiſſima & plurima operatus, iuſtificationis ſententiam à Deo iudice relaturus ſit, niſi ille tribunali ſeveri iudicij relicto gratiæ thronū conſcendat, & inde ſententiam abſolutionis pro illo pronuntiet, totumque illud bonum, cum quo*

Sanctus ille compareat, gratioſe pro iuſtitia æſtimet clemens & miſerator Dominus: vae enim innocentiſſimæ vitæ, ſi citra miſericordiam iudicetur! Quod ipſum etiam *fateri videntur Pontificij, qui opera Sanctorum niſi ſanguine Chriſti tincta coram iudicio Dei conſiſtere poſſe negant.* Huc uſque *Theſis* iſta. An quiſpiam arbitrari poſſet ex illa *Theſi* hanc *maiorem* juxta *meam ſententiam* & *propoſitum* deduci poſſe: *Totum illud quo comparemus coram Deo, nos iuſtificat?* quum dicam, *ne totum quidem hoc bonum, quod Pontificij tribuere poſſunt aut norunt etiam ſanctiſſimis hominibus, apud Deum ſententiam iuſtificationis impetrare poſſe, niſi ille ex miſericordia de throno gratiæ idipſum pro iuſtitia æſtimet gratioſè.* Quis non videt me per *συγχώρησιν* & *conceſſionem* hoc dare: Deum *totum* hoc *bonum*, quo dicunt *Pontificij ſanctos coram Deo comparere, conſiderare* & *pro iuſtitia æſtimare:* ut *fortius illos confutem*, obtinens *ne illud quidem totum poſſe æſtimari pro iuſtitia niſi ex miſericordia & gratioſè?* *Malignitas* hæc eſt, & *violenta* verborum meorum *detorſio*: ob quam mihi ſane non parva datur *occaſio coram Deo* de *iniuria* conquerendi: ſed contineo me, ne hoc animæ ipſorum ſit detrimento: malo Deum *precari* ut ipſis *meliorem mentem* concedere dignetur. Res ita habet, ac ſiquis *Monacho* aut *Phariſæo* iactanti *virtutes* ſuas & *opera fidem, ſpem, dilectionem, obedientiam, voluntariā caſtitatem* & ſimilia, diceret: *O homo, niſi Deus ſeveritate iudicij omiſſa de throno gratiæ ſententiam abſolutionis de te pronuntiet, totumque illud bonum tuum, quantumcumque eſt gratioſe æſtimet & ſic pro iuſtitia habeat, non poteris coram eo conſiſtere aut iuſtificari.* Hanc ego dico *mentem meam* fuiſſe & *coram Chriſto* dico. *Quiſque* autem *optimus verborum ſuorum* eſt *interpres.* Sed eſto; dixerim ego iſta ex *propria ſententia*; an iſta *propoſitio* erat deducenda ex meis verbis? ſic erat progrediendum ſecundum *τρό-πον παιδείας.* *Enuntiatum* à me uſurpatum breviter erat ponendum, quod tale: *Niſi Deus totum hoc bonum, quo ſanctus corā eo comparet gratioſe pro iuſtitia æſtimet, non poterit ille coram Deo iuſtificari.* Vnde hęc deducetur *affirmativa:* Si Deus *bonum hoc*, quo *ſanctus comparet*, pro *iuſtitia gratioſè æſtimet*, tunc poterit ille *coram Deo iuſtificari*, vel tunc *coram Deo iuſtificabitur.* Vox (*totum*) in *negatione* locum habet; ſervit enim *exaggerationi*; at in *affirmativa* locum habere non debet. Sed habeat & iſtic locum: cur Fratres mei omiſerunt iſta verba, *gratioſe ex miſericordia, de throno gratiæ, omiſſa ſeveritate iudicij illud bonum pro iuſtitia æſtimet*; & ſola illa poſuerunt: *totum illum quo comparemus iuſtificat nos.* Sanè non id eſt negare factum, ſed quæſita eſt *calumniæ* anſa, ſub *æquivocatione* vocis *iuſtificandi*, quæ aut *ex gratia* aut *ex debito* vel *ſevero iudicio* fieri poteſt: at ego à *meis verbis hanc* excluſi, *illam ſolam* incluſi. Hæc de *propoſitione maiore* ſufficiant. Accedo ad *aſſumtionem* quam illi iſti *propoſitioni ſuæ* non *mea* ſubiunxerunt, quæ ita habet: *At non tantum fide ſed etiam operibus coram Deo comparemus.* Itane vero vos coram Deo comparere vultis fratres mei? Non ſic David, dicens: *Ne venias in iudicio cum ſervo* Pſal. 143. 2.
tuo, quia non iuſtificabit ſe, vel iuſtificabi- Gal. 2. 16.
tur coram te omnis vivens, quod Apoſtolus ita reddit: *Ex operibus legis non iuſtificabitur ulla caro.* Niſi forte dicatis vos non *operibus legis* comparere coram Deo, ſed *operibus ex fide & charitate factis.* Velim mihi explicari a vobis, quid ſit *comparere fide*, quid

operi-

operibus: & an fieri poſſit ut quis *fide & operibus* compareat. Scio ſanctos qui ſiſtentur tribunali judicij divini, & *fidem* habuiſſe & ex *fide opera* patraſſe. Sed arbitror illos comparere & ſtare coram Deo *hac fiducia*, quod *Deus Filium ſuum Ieſum Chriſtum propoſuerit propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius, ut ſic ex fide Ieſu Chriſti juſtificentur per remiſſionem peccatorum.* Non lego Chriſtum eſſe conſtitutum *propitiatorium per opera in ſanguine ipſius*, ut etiam *ex operibus juſtificemur.* Ego ſane ſic comparere volo coram tribunali Dei, & *gratioſe ex miſericordia de throno gratiæ judicari*: ſecus ſcio me condemnatum iri: quod avertat *clemens & miſerator Dominus ſecundum magnam miſericordiam ſuam*; etiam a vobis, fratres mei, quamquam ſic loquamini; ſive ex *veſtro ſenſu*, ſive *mihi illum* tribuentes. Poſſem ſic, ſi accuſatio relatione vel *recriminatione* & non *innocentia* eſſet diluenda, etiam *miras concluſiones* facere, ex poſita iſta *aſſumtione*; ſed nolo, ne paria referre videar: quanquam poſſem paulo majore *veriſimilitudine*.

Articulus VI.

Fidem non eſſe inſtrumentum juſtificationis.

Reſponſio.

Projectæ & profligatæ *negligentiæ* indicium hic datur in *articuli* iſtius *enuntiatione.* Quis ita deſipiat, ut univerſe neget *fidem inſtrumentum* dici poſſe, quum *promiſſiones* a Deo datas *accipiat & apprehendat*, & etiam illa ratione ad *juſtificationem* concurrat? Sed quis viciſſim audeat dicere, *fidem* in negotio *juſtificationis* nullam aliam quam *inſtrumenti reſpectum* habere? Explicandum itaque fuiſſet, quomodo fides *inſtrumentum* ſit, & ut *inſtrumentum* ad *juſtificationem* concurrat. Saltem non eſt *inſtrumentum Dei*, quo *Deus utitur ad nos juſtificandos*, quem tamen ſenſum verba illa rigide ſumta primum intendunt. Nam *Deus* eſt *cauſa primaria juſtificationis*. Verum quum *juſtificatio* ſit *mentis æſtimatio*, quanquam *voluntatis* juſſu facta, non fit per *inſtrumentum*. *Inſtrumentis* enim utitur Deus *volens & agens* per *potentiam ſuam*. Deinde in iſtis verbis: *Crede in Chriſtum, & remittentur tibi peccata tua*; vel, quod idem eſt, *& juſtificaberis*, dico *fidem*, eſſe *poſtulatum à Deo*, & *actionem credentis*, quum *poſtulato* reſpondet. Sed inquient eſſe actum *apprahenſionis & acceptionis*; itaque *fidem iſtam* habere rationem *inſtrumenti*: reſpondeo *fidem* ut *qualitatem* iſtic ſe habere *ad modum inſtrumenti*, ſed ipſam *acceptionem & apprahenſionem* eſſe *actum*, & quidem *obedientiæ Euangelio præſtita.* Conſideretur & *illa phraſis* toties ab Apoſtolo ad Rom. 4. uſurpata, *fides imputatur in juſtitiam.* An *fides* qua *inſtrumentum*, an vero qua *actio*? diſſolvit quæſtionem Paulus ex Geneſ. quum dicit: *Credidit Abraham Deo & imputatum eſt illi ad juſtitiam.* Diſſolvit res ipſa etiam ut a fratribus noſtris explicatur. *Fides imputatur in juſtitiam propter Chriſtum*, *objectum* quod *apprehendit.* Eſto, at *apprahenſio Chriſti* eſt propior quam *inſtrumentum apprahendens*, vel *quo apprahenditur*. *Apprahenſio* autem eſt *actio*: itaque *fides* non qua *inſtrumentum*, ſed *qua actio imputatur in juſtitiam*, quanquam *propter illum quem adprahendit.*

Bre-

Brevius. *Potentia* ſive *qualitas qua quid apprahenditur*, & *apprahenſio ipſa* reſpectum habet ad *obiectum apprahendendum*, illa *mediatum*, hæc *immediatum*. Hæc ergo *verecundior metonymia*, utpote quæ â propinquiore ducta: etiam nunc conceſſo, quod *phraſis* iſta, *imputatur in iuſtitiam metonymice* ſit explicanda. Qui ergo dicit *fidei actum imputari in iuſtitiam*, non negat *fidem* ut *inſtrumentum* concurrere ad *iuſtificationem*. Conſtat itaque ex hoc reſponſo, fratres noſtros *ſine cura aut ſolicitudine* ulla hujuſmodi *articulos cudere*, mihi impingere, quod etiam arbitror illos faſſuros ſi examinentur, quomodo *quæſtiones illas novem*, quas ante *biennium* conſenſu D. D. *Curatorum Academiæ noſtræ*, *Profeſſoribus Theologiæ* offerre conati ſunt, ut eorum *reſponſum* ad illas obtinerent, confecerunt. *Gravitas* decet *vires Theologos*, & *ſeria ſollicitudo* requiritur ad *tanta negotia* conficiendum.

Articulus VII.

Fidem non eſſe purum Dei donum, *ſed* partim pendere à Dei gratia, partim à viribus liberi arbitrij: *ut, ſi homo* velit, *poſſit* credere *aut* non credere.

Reſponſio.

Nunquam *dixi*, nunquam *cogitavi dicere*, nunquam Dei gratia fretus, tam *incondite & proiecte ſententiam meam de huiuſmodi rebus enuntiabo*. Simpliciter dico, *falſam* eſſe *iſtam enuntiationem: Fides non eſt purum Dei donum:* falſam & iſtam ſecundum rigorem verborum ſumtam: *Fides pendet partim à Dei gratia, partim à viribus liberi arbitrij*; & iſtam ſic enuntiatam: *homo ſi velit poteſt credere vel non credere*. Si putent me nonnulla ſentire, ex quibus iſta deducantur *bona conſequentia*, cur mea verba non ponunt? *Iniuſtitiæ ſpecies* eſt impingere alicui *conſequentias*, quas quis ex ipſius dictis nectit, ac ſi ille *ſic ſentiret*; & *iniuſtitia maior* ſi illæ *conſequentiæ* ex dictis concludi *nequeant bona conſequentia*. *Experiantur* itaque fratres mei, an ex ijs quæ ego doceo *talia conſectaria* deducere queant: ſed *mecum experiantur*, *non ipſi inter ſe*; vanus enim erit ille luſus ſine lucro aut victoria: ut accidit pueris, quum ſoli talis ludunt de proprio corio. Sed ad hujus rei explicationem pertractandum eſſet de *gratiæ divinæ* & *liberi arbitrij* ſeu *voluntatis humanæ concurſu* & *concordia*; quod quia prolixioris eſſet operæ, jam non aggrediar. *Simili* utar ad explicandũ negotium, quod tamen multum fateor eſſe *diſſimile*, ſed *diſſimilitudine* meæ ſententiæ plurimum favente. *Egeno* & præ fame morituro dat *dives Eleemoſynam*, unde ſe & ſuos *ſuſtentare* poſſit: an deſinit eſſe *donum purum putum*, quia iſte *egenus manum extendit* ad *accipiendum?* An commodè dicetur *eleemoſyna* pependiſſe partim ex *liberalitate dantis*, partim ex *libertate accipientis*, quanquam non haberet illam niſi accepiſſet manum extendendo? An recte dicetur, quia *ſemper paratus ſit pauper ad accipiendum*, illum *poſſe habere eleemoſynam* vel *non habere modo velit?* Si iſta dici nequeant, quanto minus de *dono fidei*, ad cujus *acceptionem* multo *plures* requiruntur *divinæ gratiæ actiones*. De hoc agendum erit,

quænam *gratiæ divinæ actiones* requirantur ad homini *fidem* ingenerandam: ſi ego *ullam* omittam quæ *neceſſaria* ſit, vel *quæ concurrat*, monſtretur; ex *Scripturis* & reliquis *adiungam*, nolimus facere injuriam *gratiæ divinæ*, illi quidpiam *demendo* quod ipſius eſt; ſed videant fratres mei ne ipſi faciant injuriam *iuſtitiæ divinæ*, illi *tribuendo* quod ipſa reſpuit, imo & *gratiæ divinæ*, illam in aliud quiddam, quod *gratia dici nequit*, *transmutando*: quale eſt, ut verbo ſignificem quid probandum ipſis ſit, *gratiam ad ſalutem neceſſariam ſufficientem, efficacem, eſſe irriſiſtibilem*, vel tanta agere *potentia*, ut illi *a creatura libera reſiſti nequeat*.

Articulus. VIII.

Sufficientem gratiam *ad ſalutem* Electis *&* non Electis *conferri: ut ſi* velint poſſint credere *aut* non credere, ſalvari, *aut* non ſalvari.

Reſponſio.

Eâdem & hic negligentiâ utuntur. Non curant noſſe quid ſentiam: non curant examinare quam *verum* ſit quid ſentiam, non curant *quibus verbis* enuntient quod ego & quod ipſi ſentiunt. Sciunt me vocem *Electionis* bifariam uſurpare: pro *decreto* quo ſtatuit Deus *fideles iuſtificare* & *infideles condemnare*, quod ab Apoſtolo Rom. 9. v. 11. dicitur *decretum ſecundum Electionem*; & pro *decreto* quo ſtatuit *hoſce* vel *illos populos & homines eligere ad media fidei* cum illis *communicandum*, alios verò *populos* & *homines præterire*. Et citra diſtinctionem iſtam iſta mihi impingunt: cum ejus beneficio dicere poſſim. *Sufficientem gratiam electis & non electis conferri*, vel potius *offerri*: Et rurſus: *Sufficientem gratiam non offerri niſi electis*. *Offerri electis & non electis* quia offertur infidelibus, ſive credituri illi ſunt, ſive non credituri: *offerri non niſi electis*, quia eo quod ipſis offertur, deſinunt eſſe ex numero illorum de quibus dicitur, *permiſit illos ire in vijs ipſarum*, & *non ſic fecit omni nationi*. Et quis me coget ut ego verba uſurpem ex illorum præſcripto, niſi probetur ex Scripturis, verba ſic & non aliter eſſe, ſumenda? Iam ad illa verba, *ut ſi velint poſſint credere, aut non credere, ſalvari aut non ſalvari*; dico illa poſſe bifariam accipi: *ut ſi velint poſſint credere*, nempe vel ſuis viribus, vel illa gratia excitati & adiuti: *aut non credere*; ſcilicet gratiam illam proprio libero arbitrio repudiantes eique reſiſtentes: *Salvari aut non ſalvari*: *ſalvari* per gratiæ *admiſſionem* & *uſum rectum*, *non ſalvari*, per propriam *malitiam repudiantem* id, ſine quo *ſalvari* nequeunt. Reſpondeo ad omnia. Nihil iſtis verbis qualitercunque intellectis enuntiari, quod non ipſe *Auguſtinus* & qui eum ſecuti ſunt, libentes pro vero ſint agnituri: imo vero, dico iſtis verbis *ipſiſsimam Auguſtini ſententiam* enuntiari: qui tamen *Pelagianæ hæreſeos* ſummus fuit *oppugnator*, & feliciſſimus iſto ſeculo habitus *expugnator*. Sic enim loquitur *Auguſtinus* de Nat. & Gratia cap. 67. *Quum ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi domino ſervientem, averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adiuvet, exaudiat deprecantem: Non tibi deputa-*

Act. 14.
Pſal. 147.

Aug. tom. 7. de Nat. & Gratia cap. 67.

deputatur, ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligas quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis. Liber de *Vocatione Gentium* Proſpero adſcriptus veriſimilius quam *Ambroſio*, ita habet cap. 5. lib. 2. *Adhibita ſemper eſt univerſis hominibus quædam ſuperna menſura doctrinæ, quæ etſi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, ſufficit tamen ſicut Dominus indicavit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium.* Et cap. 9. ejuſdem libri ſub initium totam rem expedit, dicens: *Gratia quidem Dei in noſtris iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando & fidei affectionibus imbuendo: Sed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei, atque coniungitur ei, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidijs, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum quod superno ſemine concepit ad ſtudium, de ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratiæ opitulatione ſi proficit: quæ opitulatio per innumeros modos ſive occultos ſive manifeſtos omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitia, quod autem à multis ſuſcipitur & gratia eſt divina & voluntatis humana.* Hæc non profero eo quod putem *ſententijs Patrum* ſtandum eſſe aut mihi aut illis, ſed ut crimen *Pelagianiſmi* in eo à me amoliar.

De Vocatione Gentium lib. 2 cap. 5
Ibid. cap. 9.

Articulus IX.

Fideles *poſſe* perfectè *implere legem, & vivere* ſine peccato *in hac vita*.

Reſponſio.

Non dixi unquam; ſed quum aliquando quidam in publica diſputatione de Baptiſmo infantium per longam digreſſionem me eo conaretur adducere, ut aut dicerem *fideles poſſe perfectè implere legem Dei, aut non poſſe*: Ego deflexi, allata ſententia *Auguſtini* ex lib. ſecundo *de peccatorum meritis & remiſſione contra Pelagianos*; quam etiam hic adſcribam, ut me à *Pelagianiſmo* defendam: quia animadverto homines meos etiam illa *Pelagianica* æſtimare quæ nullo modo talia ſunt. Sic igitur *Auguſtinus*: *Qui dicunt eſſe poſſe hominem in hac vita ſine peccato, non eſt ijs continuo incauta temeritate obſiſtendum. Si enim eſſe poſſe negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel miſericordiæ qui hoc adiuvando efficit, derogabimus. Sed alia quæſtio eſt utrum eſſe poſſit, alia utrum ſit: alia ſi non ſit cum eſſe poſſit, cur non ſit: alia utrum qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, non ſolum quiſquam ſit, verum etiam potuit aliquando eſſe vel poßit. In hac quadripartita propoſitione quæſtionum ſi à me quæritur utrum homo ſine peccato eſſe poſſit in hac vita: confitebor poſſe per Dei gratiam & liberum eius arbitrium*, &c. Et alibi: *Rectè quidem diſputat* (Pelagius) *hoc ipſo eos confiteri non eſſe impoſſibile, quia hoc vel multi vel omnes volunt, ſed hoc*

Lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſ. cap. 6.
Lib. de Natura & gratia contra Pelagianos, cap. 59. ad p. 60.

hos

hoc unde ſit poſſibile confiteatur, & pax eſt: Ipſa eſt enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum, &c. Et paulo poſt: *Vtrum enim in hoc ſeculo fuerit, vel ſit, vel eſſe poſſit aliquis ita iuſte vivens, ut nullum habeat omnino peccatum, poteſt eſſe aliqua quæſtio inter veros pioſque Chriſtianos. Poſſe tamen eſſe, certè poſt hanc vitam, quiſquis ambigit, deſipit; ſed ego nec de iſta vita volo contendere*: & cætera quæ ſequuntur.

Cap. 69. Et cap. 69. *Eo quippe ipſo quo firmiſſime creditur Deum iuſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus: omnia quippe ſunt facilia charitati*, &c. Huic *Auguſtini* ſententiæ *non repugno*: de tota autem re *non contendo*: puto enim tempus felicius & utilius impendi *precibus* ad *impetrandum quod nobis deeſt*, & *monelis ſeriis*, ut quiſque *proficere* & ad *metam perfectionis contendere* conetur, quam *huiuſmodi diſputationibus*. At dicent in *Catecheſi noſtra* quæſt. 114. id ipſum tractari, & iſtic quæri: *utrum illi qui ad Deum converſi ſunt præcepta Dei perfecte ſervare poſſint? Reſponſionemque* ſubjungi, *Minime*. Reſpondeo, me non contradicere, ſed *rationem negationis*, quæ ſubjungitur, de *actu* eſſe, quum *quæſtio* ſit de *potentia*, & propterea nihil probari. Notum etiam, reſponſionem illam à nonnullis fuiſſe *repudiatam*, & poſtea fratrum interventu non niſi cum addita *explicatione* ab iiſdem fuiſſe adprobatam. Verum & de hac re lubens cum fratribus conferam, quando commodum erit; ſpero nos facile conſenſuros.

Articulus X.

Diſquiri poſſe, an Semipelagianiſmus *non ſit* verus Chriſtaniſmus.

Reſponſio.

Dixi in quadem *prælectione*, facile fore, omnia, quæ non probantur nobis, prætextu *Pelagianiſmi* condemnare, ſi licet fingere *Semipelagianiſmum*, *quadrantem Pelagianiſmi*, *dodrantem*, *quincuncem* & ſic deinceps. Et adjunxi, diſquiri poſſe an *Semipelagianiſmus* non ſit *verus Chriſtianiſmus*: quo nolui *Pelagianæ* doctrinæ patrocinari: ſed volui ſignificare poſſe aliquid ut *Semipelagianum* haberi, quod à *veritate doctrina Chriſtiana* non diſcedat. Quemadmodum enim ſi à *vero* diſcedatur magis magiſque in *falſitatem* ruitur, ita à *falſitat.* diſcedendo ad *veritatem* perveniri poſſe, quæ ſæpe inter *duo falſa* ſolet eſſe *media*. Et ſic res habet in *Pelagianiſmo* & *Manichaiſmo*, inter quas *duas hæreſes* ſi quis *mediam viam* inire potuerit, *Catholicus* erit, nec *gratia* cum *Pelagianis*, neque *libero arbitrio* cum *Manichæis iniuriam* faciens. Legantur *Auguſtini* ad utraſque iſtas *hæreſes* confutationes, & adparebit illum hoc ipſum agnoſcere. Qua de cauſa factum eſt, ut adverſus *Manichæos* ſcribentis verba à *Pelagianis*, adverſus *Pelagianos* ſcribentis verba à *Manichæis* ſæpe prolata ſint ſententiæ ſuæ ſtabiliendæ causâ. Hoc itaque volui, & ut fratres mei intelligant quid velim, dico apertè, *tam facile fore mihi nonnullorum ex ipſis ſententiam Manichaiſmi convincere imo & Stoiciſmi, quam illi nonnullis, quos ſuſpectos habent Pelagianiſmi,*

erroris iſtius verè poterunt convincere. Velim autem ab hujuſmodi *odioſis nominibus* abſtineri, quum nullo fructu uſurpentur. Aut enim negabit qui accuſatur ſententiam ſuam eſſe eandem cum *Pelagiana*, aut ſi fateatur, dicet *Pelagium* ab *Eccleſia* male damnatum eſſe: præſtaret ergo omiſſis *nominibus* de *re ipſa* conferre: niſi *Pontificijs* accedentes arbitremur in controverſiam trahi non poſſe quod ſemel ab Eccleſia eſt dijudicatum.

Articulus XI. & ultimus.

Non rectè dici in Catechiſmo propter innata peccata iraſci Deum: *quia* peccatum originale pœna eſt, *quod autem* pœna *eſt*, proprie peccatum non eſt.

Reſponſio.

Accidit ante duos menſes circiter, ut quidam *Verbi Miniſter* me accederet, collaturus, ut aiebat, de mea *ſententia*, qua putabam *Catechiſmum* & *Confeſſionem Belgicam* in *Synodo Nationali noſtra examini ſubijciendam eſſe*: de qua cum inter nos actum eſſet, & ego *meam ſententiam* hoc *ſyllogiſmo* concluſiſſem: *omne ſcriptum humanum, non αὐτόπιστον, non authenticum, non divinum, utpote quod errorem continere poteſt, examinari poteſt, imo & debet; quando id ordine & legitime fieri poteſt, nempe in Synodo, ad quam illa ſcripta pertinent. At tale ſcriptum eſt Catecheſis & Confeſſio noſtra.* Ergo. Cui ille nonnulla opponere quum ſategiſſet, at à me diſcuſſa eſſent clariſſima veritatis luce: cæpit inquirere, quænam illa eſſent quę adverſus *Confeſſionem* & *Catechiſmum* haberem? Reſpondi, me nihil habere adverſus iſta, hoc enim fore *praiudicij* quod ego mihi non arriperem: ſed eſſe in iſtis ſcriptis, de quibus ego cum fratribus ſuo tempore in *Synodo legitime & ordine conferre* vellem, *an uſquequaque Scripturis* ſint *conſentanea*, an vero ab ijs *diſſentiant*: huic ſini, ut ſi *conſentire* comperirentur poſt *ſerium* & *ſeverum examen*, *adprobarentur*, & *confirmarentur* recentibus & novis calculis, aut ſi *diſſentire*, *corrigerentur* quam fieri poſſet *commodiſſimè*. Inſtitit ergo, & petijt ut ſibi aperirem de quibus conferre vellem, ſe id petere nulla alia cauſa, quam ut & ipſe de iſtis ſeriò cogitare poſſet. Ego petenti id ipſum negare univerſe non volui: cæpi igitur nonnulla in Confeſſione & præſertim *articulum* 14. proferre: Sed quum ipſe hoc parvi facere ſe diceret, eo quod arbitraretur in *Confeſſione* facile aliquid inveniri poſſe, quod non *uſquequaque adamuſſim* reſponderet *Scripturis*, ſaltem quod ad *phraſes*, eo quod *à paucis* eſſet conſcripta & quidem *iſtis temporibus primis*: & minimum periculi videret in eo, ſi *Confeſſio* alicubi *corrigeretur*, quum populus illam in manibus non habeat; & de *Catechiſmo* urgeret acrius: Ego & in illo ipſi gratificari volens, nonnulla protuli, & inter alia *Reſponſionem* ad 10. *Quæſtionem*, ubi *Deus* dicitur *horrendis modis iraſci tum ob innata nobis peccata, tum ob ea qua ipſi committimus*, &c. & dixi *duo* in iſtis verbis diſquiri poſſe. 1. an rectè diceretur in *plurali numero*, *innata*

innata peccata : quo dicto, ille non exſpectata ulterius explicatione dixit: & ſibi aliquando nonnullis ſtudioſis *Catecheſin* explicanti de hac ipſa *phraſi* incidiſſe cogitationem an proba eſſet; ſed eam hoc argumento defendiſſe, quod *plurali numero* uteretur *Catecheſis*, propter ipſum *peccatum originale*, & propter *peccatum ab Adamo* perpetratum, quod *cauſa* eſſet *originalis* iſtius. Verum quum id *defenſionis genus* indignum æſtimarem ulla confutatione, dixi præſtare ut *ingenue* agnoſceret verba illa *emendatione* indigere, quam tali *defenſione* uteretur: quibus dictis ſubjeci. 2. loco & alterum; & hoc diſquiri poſſe, *an Deus* propter *innatum nobis peccatum originale iraſceretur*; quum idipſum videretur *in pœnam peccati actualis* ab *Adamo* & *à nobis in illo* perpetrati, *à Deo* nobis inflictum eſſe: fore enim *progreſſum infinitum*; ſi Deus propter *peccatum actuale Adami iratus puniret nos illo peccato originali*, & rurſus *propter illud nobis iraſceretur & aliam pœnam infligeret*, & ſimili de cauſa *propter ipſam ſecundo inflictam pœnam tertio iraſceretur*: ſuccedentibus ſibi mutuo & ſæpe *reatu* & *pœna* ſine interventu ullius *actualis peccati*. Ad quod cum ille regereret, eſſe tamen illud *peccatum*: reſpondi, me id *non negare* ſed non eſſe *actuale*: & protuli cap. 7. *ad Romanos*, ubi de *peccato* agitur, quod *omnem in non regenitis producit concupiſcentiam*, ſignificans, diſtinguendum eſſe inter *peccatum actuale* & *illud* quod eſſet *cauſa aliorum peccatorum*, & eo ipſo *peccati* nomine adpellaretur. Hæc inter nos tum placide acta ſunt, & hoc fine, & ſcio me id alibi non dixiſſe. Hoc ipſum eodem die relatum fuit ſive ab ipſo, ſive ab alio qui hoc ex ipſo audierat, cuidam *docto viro*: ex cujus ore ego idipſum tanquam mihi objicientis audivi paucis diebus poſtquam *hoc colloquium* inter me & illum *Miniſtrum* habitum eſſet; diverterat enim apud illum Miniſter ille. An æquum eſt ut quæ ſic aguntur inter fratres *collationis ergo*, ſtatim *diſſeminentur* & *publice* tanquam *heretica proclamentur*? Si hoc non eſt ipſum omnis *familiaritatis* & *amicitiæ jus violare* & *collationes* omnes de *articulis Religionis* abſcindere & inhibere, fateor me nihil videre. Et iſti ſunt, qui conqueruntur quod ego cum ipſis *conferre detrecto*; quod placidè rogatus *ſententiam dicere recuſo*; quod *animas* illorum *ſuſpenſas teneo*. Dico igitur breviter ad *hunc articulum*; falſum eſſe me dixiſſe *non recte dici* hoc in *Catechiſmo*. Apertè enim dixi me non ferre *præiudicium*: exſpectare velle *fratrum meorum* de hujuſmodi, & alijs rebus, in *Catecheſi* & Confeſſione compræhenſis, judicium: ut ſic rebus maturè & accuratè penſitatis, *certi quid* ſtatui poſſit. Videtur autem hujuſmodi *præcedanea collatio* eo ipſo utiliter inſtitui, ne quis *Synodo* ipſi ea diſpicienda & judicanda offerat, quæ per hujuſmodi *privatam inſtructionem* intellexit difficultatem nullam habere. Recordentur fratres quid à *Suydthollandica Synodo Gorchomiana* rogati ſint *Profeſſores Theologiæ* in hac *Academia* noſtra, & *componant* hoc inter ſe: *Rogamur* ut diligenter *Confeſſionem* & *Catechiſmum perlegamus*, & ſi quid *animadverſione dignum* in ijs *inveniamus*, id tem-

id *tempeſtive* & *ordine ſignificemus*; quod & ego pro mea parte pollicitus ſum facturum. Annon horſum utilis eſt *privata fratrum collatio*, ut quod per illam poteſt auferri, *Synodo* diſcutiendum non proponatur? ille autem *Miniſter* & ego à multis annis nos novimus, & fuerunt inter nos à multis annis *litterarum commercia* & de *articulis fidei colloquia*: qua de cauſa arbitratus ſum petenti hoc ipſum non denegandum, ut experirer an ille expedire negotium poſſet.

Et hæc quidem ad objectos *articulos iſtos triginta & unum* in præſentiarum reſpondere viſum eſt: ſi cui eo ipſo *ſatisfactum* non eſt, paratus ſum cum *quibuſvis* ſuper *illis ipſis* & *aliis* ad *Religionem Chriſtianam* pertinentibus ordine conferre, hoc fine ut vel *ſententiis convenire* poſſimus, vel ſi illud obtineri ex *collatione* nequeat, *nos invicem feramus*, ubi conſtiterit quouſque ſinguli in *Religionis* negotio progrediamur, & quæ probemus, quæ improbemus, & illa talia non eſſe de quibus *diverſum ſentire non liceat* ejuſdem *Religionis profeſſoribus*. Erunt fortè qui ſugillabunt quod aliquando *dubitanter* reſpondere videor: quum *Doctorem* & *Profeſſorem Theologiæ oporteat certum eſſe de iis quæ docebit alios, & non fluctuare ſententiis ſuis*. Hiſce ego reſponſum volo. I. *Doctiſſimum* etiam & in *Scripturis verſatiſſimum multa ignorare*, & *diſcipulum* ſemper eſſe in *ſchola Chriſti* & *Scripturarum*: qui autem *multa ignorat*, illum de *omnibus*, de quibus *dicendi occaſio* & *neceſſitas* offertur, vel ab *adverſariis*, vel *ab iis* qui *ipſius ſententiam* per *privatam* vel *publicam collationem* & *diſputationem* inquirere & cognoſcere volunt, *ſine dubitatione* reſpondere non poſſe. Præſtat enim ut de quibus *certam ſcientiam* non habet, potius *dubitanter* quam *affirmanter* pronuntiet: & ſe ipſum *profectu quotidiano* indigere ſignificans, & *una cum ipſis inſtructionem* quærere. Puto enim neminem eſſe eo audaciæ progreſſum, ut ſe *magiſtrum dicat nullius rei ignarum*, & de *nulla prorſus re dubitare*. II. Non omnia, quæ in *controverſiam* veniunt, *paris* eſſe *momenti*, *nonnulla* eſſe *talia* ut de iis *neminem dubitare fas* ſit qui *Chriſtiani* nomine cenſeri velit; *alia* vero eſſe *non ejuſdem dignitatis* & de quibus *Catholicæ ſententiæ tractatores inter ſe ſalva veritate & pace Chriſtiana* diſſenſerunt. Quæ hic aguntur & de quibus ego *dubitanter* reſpondere viſus ſum, qualia ſint, & an *abſolutæ neceſſitatis*, poterit etiam ſuo tempore diſquiri. III. Hanc meam *reſponſionem* non eſſe *peremtoriam*: non quod quidpiam in ea *adverſus conſcientiam* dixerim, ſed quod viſum mihi non fuerit omnia, quæ dicere poſſem, *primo momento* adferre; *ſufficere* arbitratus ſui illam & *pluſquam ſufficere* ad *objectamenta* iſta nullis prorſus rationibus ſubnixa, tum quod mihi illa verè *non impingerentur*, tum quod adverſus *veritatem Scripturarum* non venirent. *Negatione* ſimplici & *poſtulatione probationis* in plurimis potuiſſem toto meo munere defungi; progreſſus ſum ulterius, ut aliquo modo ſatisfacerem, & porro, ſi neceſſe putarent fratres mei, ad *collationem* illos provocarem. Hanc nunquam detrectabo, modo legitime, atque ita, ut fructus inde ſperari poſſit, inſtituatur. Si poſt illam *collationem* compertum fuerit,

fuerit, me vel quia *ignarus* ſim *rerum neceſſariarum* & quæ in *Academia* & *Eccleſia* doceri debent: vel quia *pravè ſentiam* de *articulis* in quibus *momentum aliquod* poſitum eſt *ad ſalutis adeptionem* & *gloria divinæ illuſtrationem*, vel quia de *talibus dubitem*, quæ *aſſeveranter* tradi debeant & *ſerio rigideque* inculcari, munere *Academico* vel *Eccleſiaſtico* indignum eſſe ſecundum hanc *miſeram conditionem noſtram* (quis enim dignus ad iſta?) non illibenter *munus deponam* & *digniori* locum cedam. *Monitos* autem volo *fratres meos*, præſertim *iuniores*, qui nondum eouſque *ſenſus habent in Scripturis exercitatos*, ut de omnibus *certas ſententias* ex *Scripturis* proferre poſſint, ne *nimis* ſint *audaces* in *aſſeverando* cujus rationes juſſi difficulter proferre poterunt: imo vero ut diligenter *caveant*, ne ubi *ſtrenue affirmaverint*, quod ego in *dubium* voco citra contrariam *aſſeverationem* & compertum fuerit *argumenta*, quibus ego *dubitationi meæ iuſtificandæ* utor, *fortiora* eſſe, quam quibus illi in iſta ſua *affirmatione* nituntur, *immodeſtiæ* & *arrogantiæ* crimen apud *cordatos* incurrant, & eo ipſo iudicentur *loco*, quem *tanta* cum *præſumtione* tenent, *indigni*. Dicet enim *Epiſcopum* & *Eccleſiæ doctorem*, non modo *tenacem eſſe fidelis ſermonis*, *qui ad doctrinam facit*, *ut poſſit exhortari per ſanam doctrinam & contradicentes convincere*, ſed etiam *alienum* ab *αὐθαδείας*, *arrogantia* & *audacia*; in quam facile incidunt *νεόφυτοι*, qui per *inexperientiam neſciunt quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis ut poſſit intueri ſolem ſuum*; *quibus ſuſpiriis & gemitibus fiat ut ex quantulacunque parte poſſit intelligi Deus*; *cum quo labore verum inveniatur*; *& quam difficile caveantur errores*. Cogitent nihil eſſe *facilius* quam non ſolum ſe *dicere* ſed etiam *opinari* verum inveniſſe: ſed quam *reipſa difficile* id ſit; *tunc demum* ſe *agnituros*, quum *ſerio ſtudio* de *controverſiis conferetur*, & ex *rigido examine* cuncta quæ in *utramque partem* allata fuerint *diſcutientur*.

Titum 1.9.

1. Tim. 3. 6.

Ex Aug. ad Epiſtolam Manichæi quam vocant fundamentalem. Tom. 6.

Quæſtio

Quæſtiones numero novem, Nobiliſſ. DD. Curatoribus Academiæ Leidenſis exhibitæ à Deputatis Synodi, in hunc finem, ut ad eas à Profeſſoribus S. Theologiæ reſponderetur: cum D. I. Arminij ad eas Reſponſionibus, atq; Anterotematis ex adverſo totidem alijs: menſe Novembri anni 1605.

QUÆSTIONES.

I.

Nũ electio ſit prior, an verè fides præviſa, ita ut Deus ſecundum fidẽ præviſam elegerit ſuos?

II.

An inde ſequatur Deum eſſe auctorẽ peccati, ſi dicatur æterno ſuo decreto omnia & ſingula, etiã pravas hominum voluntates ad certos bonos fines determinaſſe, & regere?

III.

An peccatũ originale hominem per ſe æternæ mortis reũ faciat, etiã nullo accedẽte peccato actuali: an verò eius reatus Chriſti

RESPONSIONES.

I.

Æquivocatio in voce *Electionis* facit ut ad quæſtionem nonniſi per diſtinctionem reſponderi poſſit. Si itaque *Electio* notat *decretum quod eſt ſecundum electionem de fidelibus iuſtificandis & ſalvandis*: Dico *Electionem* eſſe *fide priorem*, utpote qua ſtatuitur *fides medium ſalutis adipiſcendæ*: Si verò ſignificet *decretum quo Deus ſtatuit alicui ſalutem dare*, tum *fides præviſa prior* eſt *Electione*; ut enim *ſoli fideles ſalvantur*, ita *ſoli fideles ad ſalutem prædeſtinati*. *Scriptura* vero *nullam* novit *Electionem*, quâ Deus *præciſè & abſolutè* ſtatuerit *aliquem ſalvare* abſque eo ut illum *tanquam fidelem conſideraverit*: pugnaret enim iſta *Electio* cum *decreto* quo ſtatuit *neminem niſi fidelem ſalvare*.

II. *Peccatum* eſt *tranſgreſſio legis*: itaque *Deus* erit *auctor peccati*, ſi *efficiat* ut quis *legem tranſgrediatur*; quod fit vel *negando* ſive *adimendo* id *quod neceſſarium* eſt *legi præſtandæ*, vel in *peccatum impellendo*. Iam verò ſi *determinatio* iſta ſit *voluntatis* jam *exiſtentis pravæ*, quum neque ſignificet *negationem* ſeu *ablationem gratiæ*, neque *pravum impulſum* in peccatum, ſequitur inde non ſequi, Deum eſſe *auctorem peccati*: Si verò *determinatio* notet decretum Dei, quo ſtatuit ut *voluntas prava fieret*, & homo *peccatum perpetraret*, tum *inde ſequitur Deum eſſe auctorem peccati.*

III. Quæ hac quæſtione tanquam *contraria* opponuntur, facile inter ſe conveniunt. Nam poteſt *originale peccatum reum* facere mortis æternæ, & *reatus* per *Chriſtum* ab *omnibus* auferri: imò ut auferatur *reatus*, neceſſe eſt antea *reos* factos eſſe. Sed ut ad ſingulas partes reſpondeatur; *perversè* dicitur *peccatum originale reum* mortis facere, quum *peccatum* illud *pœna* ſit *peccati actualis Adami*, quam *pœnam* præcedit *reatus*, id eſt, obligatio ad pœnam lege denunciatam. Ad ſecundum membrum quod attinet, facillimè reſpondetur per diſtinctionem *impetrationis* & *applicationis* bonorum Chriſti. Quum enim *ſolâ fide* conſtet participatio bonorum Chriſti, ſequitur, ſi inter illa ſit *liberatio* ab *illo reatu*

QUÆSTIONES OPPOSITÆ.

I.

An decretum de danda alicui fide prius ſit decreto, quo ſtatuitur fidei ad ſalutem neceſſitas.

II.

An determinare & dirigere omnia & ſingula etiã pravas hominum voluntates ad certos bonos fines, idem ſit, quod; ſtatuere ut homo vitioſus fiat & peccet, quo via pateſiat exſequendo abſoluto decreto Dei de nonnullis ex ira damnandis & alijs ex miſericordia ſalvandis?

III.

An, ſi nonnulli propter ſolum peccatum ab Adamo *perpetratum, alij etiam propter re*pudiatum Euange-

Mediatoris beneficio ab omnibus & ſingulis hominibus ſublatus ſit?

reatu ſolos fideles ab illo liberari, utpote ſuper quos *ira Dei non maneat.*

malium condemnentur, non ſit duplex peremtorium decretum de damnandis hominibus, & duplex judicium, unum legale, alterum Euangelicum.

IV.

An opera nõ Renatorũ *ex* viribus naturæ *profecta*, ita *Deo placeant, ut illis ad conferendam ipſis* gratiam ſupernaturalẽ *&* ſalutarem moveatur.

IV.

An ſerius ſenſus peccati *&* timor initialis ita *placeant Deo, ut is* moveatur *ad* peccata remittẽdũ, *&* timorẽ filialẽ *ingenerandum.*

IV. *Habenti dabitur*, inquit Chriſtus, *non habenti etiam quod habet auferetur.* Non quidem quod illa ſit *dignitas* & *præſtantia* uſurpationis boni alicujus à Deo collati, vel *ſecundum naturam* vel *ſecundum gratiam*, ut Deus *merito* ejus *moveatur* ad majora conferendum; ſed quod illa ſit Dei *benignitas* & *liberalitas*, ut quanquam *indigna* ſint, tamen *remuneretur* illa *largiore benedictione.* Vox itaque *placendi* quum *ſenſum duplicem* habeat, duplici modo reſponderi poteſt, vel *affirmando*, ſi ſumatur pro eo quod eſt *placitum habere*, *gratiam inveniſſe in oculis eius*, & habere ſibi *complacitum*, vel *negando*, ſi ſumatur pro eo quod eſt *ſua excellentia placere.* Quanquam dici poſſet *opera bona* moraliter non tàm ex *natura viribus* quàm aliqua *Sp. ſancti operatione* in illis præmiari.

V.

An Deus iure ſuo nunc ab homine lapſo, fidẽ in Chriſtũ *exigat, quam* ex ſe *habere non poteſt: an verò* omnibus *&* ſingulis *qui bus* prædicatur Euãgelium *det* gratiã ſufficientem, *qua, ſi velint, credere poſſint?*

V.

An Deus iure ab illo homine *poſſit poſtulare ut* credat *in* Ieſ. Chriſtum, *pro quo* decreto abſoluto *ſtatuit* ne Chriſtus moreretur; *& cui* gratiã *ad credendũ* neceſſariã denegare *eodem decreto ſtatuit.*

V. Partes hujus quæſtionis inter ſe *oppoſita* non ſunt, imò *conveniunt* optimè, ita ut poſterior pars eſſe poſſit velut *redditio rationis*, cur Deus poſſit ab *homine lapſo* poſtulare *fidem in Chriſtum*, quam ex ſe habere non poteſt: poteſt enim poſtulare, quum ſtatuerit dare *gratiam ſufficientem* quâ poſſit credere. Forte itaque ſic corrigi poteſt quæſtio. *An Deus iure ſuo nunc ab homine lapſo fidem in Chriſtum exigat, quam ex ſe habere non poteſt, etiamſi gratiam ſufficientem quà credere poſſit, illi non det, neque dare paratus ſit?* Ad quam quæſtionem reſpondebitur per *negationem*: Deum non poſſe *ullo iure fidem in Chriſtum* poſtulare ab *homine lapſo*, quam *ex ſe* habere non poteſt, niſi aut *dederit*, aut *dare paratus ſit*, *gratiam ſufficientem* quâ credere poſſit ſi velit. Neque video quid *falſitatis* in illa reſponſione ſit, aut cui *hæreſi* illa reſponſio affinis ſit. Non *Pelagiana*, quia *Pelagius* negabat præter *Euangelij prædicationem* ullam *gratiam internam* requiri ad *fidem* ingenerandam mentibus hominum. Quod amplius eſt, illa reſponſio non impingit in doctrinam *Auguſtini* de *Prædeſtinatione*, quam tamen ipſam adſtruere neceſſe non habemus, ut inquit *Innocentius Pont. Romanus.*

VI.

An fides juſtificans ſit ſolius Dei vocãtis, illumi-

VI.

An id purum donũ *dici queat, quod à* pura liberalitate *offerentis oblatum, ab eo*

VI. *Duplex quæſtio duplicem reſponſionem* poſtulat. Ad *priorem* reſpondetur, *fidem eſſe effectum Dei illuminantis mentem & cor obſignantis*, ejuſque *purum donum.*

Ad *poſteriorem* reſpondetur cum *diſtinctione Electionis*; quæ vox ſi intelligatur de *Electione ad ſalutem*, quum illa ſit *fidelium* juxta Scripturas, dici non poteſt *fidem dari electis* ſeu *ſalvandis*, ſed *eligi & ſalvari fideles.* Si vero accipitur de *decreto* quo ſtatuit variè adminiſtrare *media ad fidem neceſſaria*, ſic dico *fidem* eſſe *donum Dei*

quod

nantis, & voluntaté reformãtis *effectum & purum do*nũ, *idq; ſolis ab æterno electis proprium?*

quod ſolis illis confertur, quos *elegit* ad hoc, ut *verbum Dei audiant* & Sp. S. participes fiant.

tamen cui offertur, repudiari *poteſt: an vero* voluntaria acceptio *id* doni nomine indignũ *faciat?*

ET *An* fides *detur* ſalvandis, *an verò* fidelibus *detur* ſalus: *an utrumque dici poſſit* diverſo reſpectu, *& ſi ſit, quomodo in iſtis* decretis *non ſit* circulus, *in quo nihil prius & poſterius eſt?*

VII. *An quilibet verè fidelis poſſit ac debeat de ſalute ſua certus eſſe in* hac vita.

VII. Quum Deus *omnibus credentibus* in Chriſtum *vitam æternam* polliceatur, fieri nequit, ut qui *credit*, & *credere ſe novit*, de *ſua ſalute dubitet*, niſi *dubitet* de iſtâ *voluntate Dei*. At verò id ipſum, ut certus ſit de *ſuâ ſalute*, non poſtulat Deus ut *debitum*, quod *ipſi* vel *Chriſto præſtandum* eſt; ſed eſt *conſequens promiſſionis* iſtius, quâ promittit *credenti in Chriſtum vitam æternam.*

VII. *An* fides juſtificans *natura ordine* præcedat remiſſioné peccatorum, *nec ne, & an quiſpiam ad* aliam fidem *adſtringatur quam ad* juſtificantem.

VIII. *An* verè fideles & electi *fidem* ad tempus prorſus *amittant?*

VIII. Quum *electio ad ſalutem* non tantum *fidem* ſed & *perſeverantiam in fide* ſuo ambitu comprehendat, dicente *Auguſtino*, *Deum elegiſſe ad ſalutem illos, quos vidit gratia prævenientis auxilio credituros, & ſubſequentis perſeveraturos*; non rectè *fideles* & *electi* velut pro *iiſdem* ſumuntur. Ergò, omiſſâ voce *Electionis*, reſpondeo *fideles ita aliquando eſſe comparatos*, ut aliquamdiu nullum *veræ fidei effectum* producant, ne quidem *actualem gratiæ & promiſſionum Dei apprehenſionem*, nec *fiduciam in Deum* aut *Chriſtum*; quod ipſum tamen *neceſſarium* eſt ad ſalutem impetrandum. De *fide* verò, quâ *qualitas* eſt & *potentia* credendi, dicit *Apoſtolus*, *nonnullos amiſſâ bonâ conſcientiâ circa fidem naufragium feciſſe.*

VIII. *An aliquis* fidem habens *&* retinens *incidat in illud* momentũ, *quo ſi* obiret, códemnaretur?

IX. *An fideles ſub gratia* N. *Teſtamenti poſſint in* hac vita *legem* Dei perfectè *ſervare?*

IX. *Præſtatio legis* ſecundum *mentem* poſtulantis eſt æſtimanda: qui cum aut *rigidè* velit in *ſummo perfectionis* gradu illam obſervari, aut ſecundum *ἐπιείκειαν* tantum; reſpondebitur *bifariam*: nempe, non poſſe hominem talem legem Dei *perfectè præſtare*, ſi conſideretur ut præſtanda juxta *rigorem*. Si verò poſtulet ſecundum *ἐπιείκειαν*, & *vires* collatæ ſint *proportionata poſtulato*, quod dicendum eſt, quum *Evangelico fœdere* poſtulet; reſpondendum eſt, *poſſe perfectè ſervari.* At quæſtio de *potentia* non eſt tanti momenti, ut inquit *Auguſtinus*, *modo quis fateatur per gratiam Chriſti id fieri poſſe.*

IX. *An Deus à conſortibus* N. *Teſt. poſtulet*, ne caro adverſus Spiritum concupiſcat, *tanquam* officium gratia fœderis *iſtius* reſpondens *nec ne.*

FINIS.

IACOBI ARMINII
S.S. Theol. Doct.
DISPVTATIONES,
Magnam partem S. Theologiæ complectentes,
PVBLICÆ & PRIVATÆ,
Quarum Index Epiſt. Dedicatoriam ſequitur.

Ampliſſimis atque Prudentiſſimis Viris,

DD. PRAETORI,

CONSVLIBVS & SCABINIS,

Magiſtratui inclytæ Reipubl. Leidenſis digniſſimo, Dominis atque Mœcenatibus ſuis colendiſſimis.

Prudentiſſimi atque Ampliſſimi Viri,

ANNVS iam agitur octavus, cum Ampliſſimorum DD. Curatorum, unâque etiam auctoritate atque mandato veſtro, in locum defuncti piæ memoriæ Doct. Franciſci Iunij, Reverendus parens noſter, in Domino etiam ipſe iam mortuus, in illuſtrem hanc Academiam veſtram, ex Eccleſia Amſtelrodamenſium florentiſſima, cui per annos X V. *operam ſuam impenderat, evocaretur, noſque deinde etiam ipſi novem illius liberi, una cum matre afflictiſſima nunc noſtra, atque triplice interea temporis etiam prole adhuc aucta, in eandem transmigravimus: ab eo vero tempore colendiſſimus noſter Parens nihil prius habuit, quam ut omne ſuum tempus, induſtriam ſuam omnem atque operam in ornanda veſtra Academia, atque officio ſuo, quâ maxime potuit & debuit fide, ritè obeundo collocaret. Atque hoc quidem quod de fide & diligentia ipſius dicimus, Veſtris A. A. teſtatiſſimum eſt, quippe quorum ſub oculis fides eius atque diligentia per totos* V I. *annos militaverunt, ſed vero minime etiam latet eos, qui quamdiu ſuum Academiæ veſtræ debitum perſolveret, aut non longe hinc aberant, aut quotidianos, atque indefeſſos ipſius labores publicè privatimque coram intuebantur mirabanturque. Quantum vero ad induſtriam atque in docendo* ἀκρίβειαν *illius attinet, quam ſine illius atque noſtro merito, pro ineffabili ſua liberalitate ſigularem in illum Deus Opt. Max. contulerat, eam etiam ipſam Ampliſſimo Veſtro ſuffragio ſemper ornaviſtis, cum ubicunque aut neceſſe erat, aut expediebat, ingenium ipſius prædicabatis, atque tum judicij de eo veſtri*

laudatiſſimi, tum affectus ex eo veſtri erga eum intimi ſignificationes clariſſimas atque luculentiſſimas, toto eo, quo veſtris A. A. operam ſuam dependit, temporis tractu, eidem exhibebatis, nihil propemodum ut optaret ille unquam, quod non conſequeretur: ſed vero teſtatiſſima hæc etiam illis fuit, qui partim quotidianas ipſius lectiones magno admodum numerò aſſiduè frequentabant, jamque Eccleſijs quam plurimi eorum utilem admodum operam præſtant; partimq; qui ad diſputationes illius audiendas, ex locis non raro etiam longinquioribus, confluebant, atque acerrimum ipſius ingenium, ſed maximè incredibilem ipſius in S. Scripturis peritiam, quibus ille ſolebat invigilare propemodum ſemper ſolis, atque meliores vitæ ſuæ annos impenderat, omnes demirabantur atque affatim prædicabant; quinimo etiam conſtanter atque pertinaciter contendebant, ut quæ conſtaret ad diſputandum propoſita ſub ipſo θέματα *ab ipſomet conſcripta digeſtaque eſſe, ea ſine ulla mora publici juris fierent, inque lucem hominum, bono publico etiam eorum qui longius hic aberant, producerentur. Atque his quidem, difficulter ſatis parente noſtro adſentiente, mos tandem tunc geſtus eſt, cum quæ theſes in collegio diſputationum publicarum extarent, ab ipſo totidem verbis deſcriptæ, deſignatæque, atque ſub illo poſtmodum diſputatæ & excuſſæ (quæ quidem nunc iterum, unâ ſolummodo, quæ de Reſipiſcentia eſt, additâ, veſtri juris fiunt) prælo ſubjicerentur divulgarenturque. Verumenimvero Ampliſſ. atque Prudentiſſ. Viri, ut ſtudia laboreſque optimi Parentis noſtri Veſtris A. A. exteris æque atque illis qui nobis proximiores ſunt, magis etiamnum adhuc innoteſcant: ecce divulgamus Theſes præterea etiam illas, quas domi ſuæ ſubciſivis atque extraordinarijs temporibus, prout ſe totum utilitati ſtudioſæ juventutis mancipaverat, in collegio diſputationum ſuarum privatarum ultimo, etiam ipſaſmet à ſe conſcriptas & compoſitas, contendentibus illud obnixiſſimè ab ipſo ſtudioſis, ad diſputandum propoſuit: atque has quidem potius, quam ullas alias, quæ etiam ipſæ diſputationibus ipſius privatis inſerviverunt, deque parentis noſtri fide atque diligentia, in inventute Theologica informanda abunde teſtari poſſunt, publici juris facimus; quod præter materiam ſubjectam, ſive rem ipſam ab ipſo fideliter accuratèque pertractatam, quem præterea ordinem in ſyſtemate S. Theologiæ rectè conſtituendo pro ſuo quidem judicio parens noſter, ſeverus methodi arbiter, (qui hac quidem in re multum ſe diuque torſerat: atque hoc fine fere omnes quotquot extant S. Theologiæ ſynopticos tractatus cum magna admodum cura perreptaverat) obſervari debere arbitratus eſt, cum etiam ipſum in hiſce Theſibus*

repræſentare

repræſentare aliquomodo animum ſuum induxerit, quod quam rectè adſequutus ſit, doctiores judicent, conatum certe ſuum circa hanc quidem etiam rem exercitij gratia demonſtrare voluit. Utinam vero per Dei Opt. Max. voluntatem hocce Theſium theologicarum corpus, ad optatum finem perducere potuiſſet, quas morte immatura præventus, nobis bonisque omnibus luctuoſiſſimâ, interrumpere coactus eſt; (deſiderari enim creduntur Theſes propemodum adhuc viginti, aut paulo plures) equidem id nos Liberi illius afflictiſſimi, ſi quidquam in vita hac aliud, optaviſſemus omnium maxime. Ac ſiquidem bono Deo, cui obniti protervè non debemus, viſum fuerat ex miſera hac lachrymarum valle in cæleſtem ſuam domum eum evocare; utinam vero laboris atque innocentiæ ſuæ æquos atque candidos æſtimatores nactus fuiſſet, denteſque calumniarum, quos ex mandato, atque præſcripto Ieſu Chriſti unici Salvatoris noſtri ſine ullo remorſu patientiſſimè ad bilem propemodum uſque amicorum, quamdiu vitæ huic ſuperfuit, tolerabat, ſaltem mortuus effugere potuiſſet; ac non eſſet non nemo, qui etiam de ſalute æterna Parentis noſtri, quem in profeſſione ſuæ quidem miſeriæ atque imbecillitatis; ſed gratiæ rurſum illius, quæ credentibus in Ieſu Chriſto, ſalutis noſtræ auctore, ſola ſalutaris illuxit, inter juges atque ardentiſſimas preces quaſi dormientem Deo animam ſuam placidiſſimè reddidiſſe, coram cum multis alijs vidimus atq; teſtamur, non omnino (inquam) non nemo eſſet, qui non leviter addubitaret. Abſit, abſit, eum uti damnemus quiſquam noſtrum, quem Deus abſolvit, & pro quo Ieſus Chriſtus in mundum veniſſe ſe & mortuum ſeſe eſſe teſtatus eſt. O nos plus ſatis miſeros, quod Parentem noſtrum amiſerimus teneræ ſatis adhuc ætatis omnes; quorum natu inter nos maximus vixdum decimum ſeptimum adhuc ætatis annum exceſſit. At hoc Deus noſter avertat, ut qui in nomine ſolius Ieſu Chriſti Deo animam ſuam in manus ſuas tradunt, ſalutis æternæ compotes non fiant, aut ſpe vitæ beatæ excidant: iſtud vero potius nobis largiatur omnibus, ut chariſſimi Parentis noſtri veſtigijs fideliter atque iugiter inſiſtentes, veritatemque cum pietate in integritate & ſinceritate animi alacriter ſectantes, ita Deo & bonis omnibus, vitam, ſtudiaque omnia noſtra probemus ſicuti reverendus noſter Parens, dum vixit, ſe ſuaque omnia Veſtris A. A., uti confidimus, probavit. quod quidem teſtantur cum alia innumera, & nunquam ſatis prædicanda ab A. A. Veſtris in illum profecta, quamdiu vixit, beneficia; at vero multo adhuc magis illa, quibus chariſſimam Matrem noſtram, noſque adeo etiam omnes poſt mortem mox illius proſequuti eſtis, atque etiamnum adhuc

prolixè

prolixè proſequimini. Utinam is aliquando dies oriatur, quo paria referre vobis poſſimus pro innumeris hiſce veſtris in nos meritis: ita Deus nos juvet. Interea vero temporis, ut ne nullum prorſus grati animi officium erga A. A. Veſtras à nobis profectum exſtet, quod primum licet, ex Bibliotheca Parentis noſtri defuncti, ſub auſpicijs Ampliſſimi nominis veſtri, hocce peculium atque κειμήλιον depromimus, deprompturi poſtmodum ex eadem penu, ſuo quodque ordine & tempore, quæ ejuſdem aut etiam alius generis non pauca præterea etiam alia nobis reliquit, ſiquidem quod nunc damus, S. Theologiæ alumnis non ingratum fuiſſe comperiemus. Minime verò ſumus neſcij, vile hoc eſſe munus, præquam ſunt veſtra in nos merita; ingratiſſimi futuri hominum, id ſi diffiteremur; quinimo Parentis potius hoc noſtri quam noſtrum hoc munus eſſe. Verum enimvero, ſi Reverendus noſter Parens, ſicuti hujus laboris, atque harum vigiliarum ſuarum hæredes nos reliquit, ita quoque, cui Deus feliciter annuat, induſtriæ, pietatis & virtutis ſuæ hæredes aliquando nos relicturus eſt, dabimus pro virili operam, ut noſtro officio nunquam defuiſſe deprehendamur, ſed id tota vita noſtra propoſitum nobis habuiſſe, ut quibuſcunque fieri poterit modis, Veſtras A. A. nobis demereamur, noſque Vobis gratos ſemper præſtemus. Deus Optimus maximus vos quam diutiſſimè incolumes, nobiſque propitios ſervet, omnique benedictione ſupernè gubernationi veſtræ quam prolixiſſimè benedicat.

Veſtris A.A. devotiſſimi

Liberi JACOBI ARMINII Veteraquinatis.

ODE

ODE
IN
Commendationem præſentis hujus
LIBRI
& ſimul
AVCTORIS.

DIvinioris quem Sapientiæ
Virtus beavit, qui vice mutuâ
Beavit ipſam, jam tenebris,
Iam nebulis operoſiorem.
Totque impeditis ſenſibus hórridam,
Hæc ſcripta docti pignora pectoris
Sacrat futuro dona ſeclo
Arminius, Patriæque libat
Vixdum merenti. Sume tamen pias
Batave curas, ſume recognitos
Lares Iehovæ, totque ſacræ
Palladis aureolos penates.
Hic vindicatum ſtat fidei ſuæ
Dium volumen, nec precium capit
Venalis illa ter ſuperbi
Impia traditio Monarchæ.
Idola priſcis ſedibus excutit
Dolente Roma. Magnus in Auſonum
Terrâ Tyrannus Antichriſti,
Nominaque & titulos reportat.
Tarpeia nutant culmina fortibus
Quaſſata telis, ringitur Italus
Sophiſta, nec reſiſtere auſus
Purpureæ gemit ordo turbæ.
Hæc magna ſcripti portio. Quin Deum
Inuſitatis aſſerit auſubus,
Nullique conceſſum videri,
Qua docuit tamen ipſe, monſtrat.
Vt hic rebelles comprimat impetus
Potente nutu, crimina dirigat,
Sinatque facere, quod peractum
Non cupit, expoſuit Profeſſor.
Sic alma ſenſus Relligio pios
Oſtentat orbi. Patria deſpicis
Inſigne ceptum, quod repreſſum
Poſteritas magis ingemiſcet.

C. B. F. C.

INDEX DISPVTATIONVM

Publicarum.

I. *De Auctoritate & Certitudine S. Scripturæ.*
II. *De Sufficientia & Perfectione S. Scripturæ contra traditiones.*
III. *De Sufficientia & Perfectione S. Scripturæ contra Traditiones humanas.*
IV. *De Natura Dei.*
V. *De Perſona Patris & Filij.*
VI. *De Spiritu Sancto.*
VII. *De primo primi hominis peccato.*
VIII. *De Peccatis actualibus.*
IX. *De Iuſtitia & Efficacia Providentiæ Dei in malo.*
X. *De Iuſtitia & Efficacia Provid. Dei in malo.*
XI. *De libero hominis Arbitrio, eiusq; viribus.*
XII. *De Lege Dei.*
XIII. *De Legis & Euangelij comparatione.*
XIV. *De Officijs Ieſu Chriſti.*
XV. *De divina Prædeſtinatione.*
XVI. *De Vocatione hominum ad ſalutem.*
XVII. *De Reſipiſcentia.*
XVIII. *De Eccleſia, eiusq; Capite.*
XIX. *De Iuſtificatione hominis coram Deo.*
XX. *De Libertate Chriſtiana.*
XXI. *De Pontifice Romano, & præcipuis qui illi attribuuntur titulis.*
XXII. *Quâ aſſeritur Eccleſias Reformatas à Romana Eccleſia ſeceſſionem non feciſſe: eaſque recte facere, quod fidei cultusq; divini communionem cum eadem habere & profiteri detrectant.*
XXIII. *De Idololatria.*
XXIV. *De Invocatione Sanctorum.*
XXV. *De Magiſtratu.*

INDEX DISPVTATIONVM

Privatarum.

I. *De ipſa Theologia.*
II. *De Methodo quâ Theologia informanda eſt.*
III. *De Beatitudine, fine Theologiæ.*
IV. *De Religione.*

V. De

V. De Norma Religionis, Verbo Dei, & potiſſimum de Scriptura.
VI. De Scripturæ auctoritate & certitudine.
VII. De Scripturæ perfectione.
VIII. De Scripturæ perſpicuitate.
IX. De Senſibus & interpretatione Sacræ Scripturæ.
X. De Efficacia Scripturæ.
XI. De Religione ſtrictius.
XII. De Religione Chriſtiana, & primum de voce eiusq; ratione.
XIII. De Religione Chriſtiana quod ad rem univerſe.
XIV. De Obiecto Chriſtianæ Religionis, & primò de Deo, primario eius obiecto, & quod Deus ſit.
XV. De Natura Dei.
XVI. De Vita Dei.
XVII. De Intellectu Dei.
XVIII. De Voluntate Dei.
XIX. De varijs voluntatis Dei diſtinctionibus.
XX. De Attributis Dei quæ in voluntate eius conſideranda ſunt, & primo de ijs quæ affectuum in creaturis rationalibus analogiam habent.
XXI. De Attributis Dei, virtutum moralium, quæ velut moderatrices ſunt affectuum præcedente diſputatione conſideratorum, analogiam habentibus.
XXII. De Potentia Dei.
XXIII. De Perfectione, Beatitate & Gloria Dei.
XXIV. De Creatione.
XXV. De Angelis in genere & ſpecie.
XXVI. De Creatione hominis ad imaginem Dei.
XXVII. De Dominio Dei.
XXVIII. De Providentia Dei.
XXIX. De Fœdere Dei cum primis hominibus inito.
XXX. Quomodo ſe homo geſſerit in fœdere primo præſtando, ſeu de peccato primorum parentum.
XXXI. De Effectis peccati primorum parentum.
XXXII. De neceſſitate Religionis Chriſtianæ.
XXXIII. De Inſtauratione hominis.
XXXIV. De Perſona Ieſu Chriſti Domini noſtri.
XXXV. De Sacerdotali Chriſti munere.
XXXVI. De Prophetia Chriſti.
XXXVII. De Regio Chriſti munere.
XXXVIII. De Statibus Chriſti tum humilitatis, tum exaltationis.
XXXIX. De Voluntate & mandato Dei Patris & Chriſti, quo Religionem ſibi ab homine peccatore præſtari volunt & mandant.
XL. De Prædeſtinatione fidelium.
XLI. De Prædeſtinatione mediorum ad fidem.
XLII. De vocatione hominum peccatorum ad Chriſtum & ſalutis in eo participationem.

XLIII. De Pœnitentia, qua reſpondetur vocationi divina.
XLIV. De fide in Deum & Chriſtum.
XLV. De Unione fidelium cum Chriſto.
XLVI. De Communione fidelium cum Chriſto, & quidem cum morte illius.
XLVII. De Communione fidelium cum Chriſto, quoad vitam illius.
XLVIII. De Iuſtificatione.
XLIX. De Sanctificatione hominis.
L. De Eccleſia Dei & Chriſti: ſeu de Eccleſia poſt lapſum in genere.
LI. De Eccleſia V. T. ſeu ſub promiſſione.
LII. De Eccleſia N. T. ſeu ſub Euangelio.
LIII. De Eccleſia Capite & Notis.
LIV. De Eccleſia Catholica, eius partibus & reſpectibus.
LV. De Poteſtate Eccleſia in dogmatis tradendis.
LVI De Poteſtate Eccleſia in legib. ferendis.
LVII. Do poteſtate Eccleſia in iure dicundo, ſeu de diſciplina Eccleſiaſtica.
LVIII. De Conciliis.
LIX. De Miniſteriis Eccleſiaſticis. N. T. & vocatione ad ea.
LX. De Sacramentis in genere.
LXI. De V. T. Sacramentis, Arbore vita, Circumciſione & Agno Paſchali.
LXII. De Sacramentis N. T. in genere.
LXIII. De Baptiſmo & Pædo-baptiſmo.
LXIV. De Cœna Domini.
LXV. De Miſſa Papali.
LXVI. De falſis quinque Sacramentis.
LXVII. De Cultu Dei in univerſum.
LXVIII. De præceptis cultus Divini in genere.
LXIX. De Obedientia, formali obiecto præceptorum omnium divinorum.
LXX. De Obedientia porrò mandatorum Dei in generali.
LXXI. De Obiecto materiali præceptorum legis in univerſum.
LXXII. De Amore, timore, fiducia, honore Deo ab homine debitis.
LXXIII. De Actibus Obedientia ſingularibus, ſeu qui ſingulis præceptis præſcripti ſunt, ſeu de decalogo in univerſum.
LXXIV. De primo decalogi præcepto.
LXXV. De ſecundo decalogi præcepto.
LXXVI. De tertio decalogi præcepto.
LXXVII. De quarto præcepto.
LXXVIII. De quinto præcepto.
LXXIX. De ſexto præcepto.

IACOBI

IACOBI ARMINII DISPVTATIONES DE Nonnullis Religionis Chriſtianæ capitibus, ab ipſo compoſitæ.

THESIS PRIMA DE Authoritate, & Certitudine S. Scripturæ.

Reſpon. BERNHERD. VEZEKIO.

I.

1.Tim.1.15. 2 Pet.1. 19. Joh. 5. 39. Heb. 6. 18. Rom. 1. 5. 2. Cor. 10. 5 6. 2 Cor. 13. 3. & 12. 12. Gal. 1. 1. 11. 13. &c.

AVthoritas Scripturæ nihil eſt aliud, quam dignitas ſecundũ quam illa meretur, & fidem tanquam vera in verbis, & vera in ſenſibus, ſive quid enunciet ſimpliciter, ſive etiam promittat & minetur: Et ex fide obedientiam tanquam ſuperior, quum quid mandat vel prohibet. De hac Authoritate duo quæruntur. 1. Vnde Scripturæ competat iſta Authoritas. 2. Vnde hominibus conſtet, vel conſtare poſſit, iſtam authoritatem Scripturæ competere. De qua duplici Quæſtione ordine pertractabimus.

Gal 5. 9. 1. Joh. 5. 9. 1. Thes. 2. 13. Rom. 3 4. Tit. 1. 2. Pſalm. 10. 1 &c. Gal. 1. 1. 7. 8.

II. Authoritas dicti vel ſcripti cujuſcunque ab ipſo ejus Authore pendet, ut nomen Authoritatis indicat, & tanta eſt, quanta eſt veracitas & poteſtas, id eſt, αὐθεντία authoris. Deus autem eſt veracitatis infallibilis neque fallere, neque falli potens, & poteſtatis irrefragabilis. i. ſupremæ in creaturas. Ergo ſi ipſe Scripturæ Author eſt, Authoritas Scripturæ à Deo ſolo, & tota pendet. Tota, quia eſt ſufficientiſſimus Auctor, αὐτοαλήθης καὶ αὐτεξούσιος: A ſolo, quia ſocium non habet, neque in veracitate loquelæ, neque in poteſtate juris: utpote à quo ſit omnis in Creaturis veracitas & poteſtas, & in cujus veracitatem & poteſtatem omnis fides & obedientia tanquã in primam cauſam, & ultimum terminum reſolvatur.

Joh. 5. 34. 36. Rom. 11. 34. 36 1. Cor. 7. 25 Rom. 13. 1.

III. Hoc ipſum multis argumentis per totam Scripturam ſparſis evincitur. 1. Ex inſcriptionibus plerorumque librorum Propheticorum, & Apoſtolicarum Epiſtolarum: quæ ita habent. *Verbum Domini quod fuit ad Hoſeam, Ioëlem, Amoſum, Paulus, Petrus, Iacobus ſervus Dei & Apoſtolus Christi.* 2. Ex prooemijs multarum Prophetiarum. *Sic dixit*

Hoſ. Ioël. Amos. 1. 1. Rom. 1. 1. Iacob. 1 1. 1. Pet. 1. 1. Exod. 5. 1. 2. Cor. 11. 13. Exod 4. 1. Act. 4. 29. 30. Mat. 16. 17 20.

Dominus.

Exod. 20. Mat. 17. 5.

Dominus. Quod accepi à Domino, hoc tradidi vobis. 3. Ex aſſiſtentiæ divinæ, tanquam neceſſariæ & ſufficientis ad conciliandam authoritatem dicendis, tum petitione ab ipſis Dei & Chriſti legatis, tum promiſſione à Deo & Chriſto facta. 4. Ex ipſo Dei more qui legem ſuam enunciaturus, ſic præfatus eſt: *Ego Iehova ſum Deus tuus*. Et filio ſuo Authoritatem conſtabiliturus, dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus, hunc audite*. Fatetur hoc ipſe hominum conſenſus, cujus conſcij, *Minos, Numa, Licurgus, Solon*, leges ſuas, quo valerent, ad authores Deos, Deaſve retulerunt.

Ioh. 5. 22. 24. Ioh. 8. 24. Gal. 1. 8. 9. Ephe. 2. 20. Apoc. 21. 14. Ioan. 1. 6. 7. & 5. 33. 34. 35. 36. 2. Theſ. 2. 13.

IV. Hæc Authoritas cognita obligat omnium eorum, ad quos ſermo vel Scriptura dirigitur, conſcientiam, ad digne accipiendum. Qui vero tanquam à Deo traditum accipiunt, & approbant, divulgant, & prædicant, interpretantur & exponunt, à ſuppoſititijs & adulterinis dictis, vel ſcriptis diſcernunt, & diſcriminant, illi nihil authoritatis addunt dictis, vel ſcriptis, quũ tota illorum, ſive ſingulorum, ſive junctorum, authoritas ſit tantum humana, & divina ab humanis confirmari neque indigeant, neq; poſſint. Sed totum illud approbandi, prædicandi, explicandi, diſcernendi munus, etiam ab ipſa tota Catholica obitum, teſtificatio tantum eſt, quâ ſe dicta vel ſcripta iſta & ſola quidem, pro divinis habere & agnoſcere declarat.

Eckius Enchir. de Eccleſiâ. Pigh. de Hierar. Eccleſ. lib. 2. cap. 2. Hoſ. de Author. Script. lib. 3.

V. Non modo ergo falſa, ſed & contradictionem implicantia, ſtulta, & blaſphema ſunt, hujuſmodi dicta Pontificiorum: *Eccleſia Scripturis eſt antiquior, & Scriptura non eſt Authentica niſi Eccleſiæ Authoritate*. Et, *Omnis, quæ nunc eſt Scriptura, Authoritas ab Eccleſiæ Authoritate dependet neceſſario*. Et, *Scripturâ non plus valituræ eſſent, quam fabula Æſopi, vel aliud quodvis ſcriptum, niſi Eccleſiæ teſtimonio crederemus*. Argumentum verò quia Scripturâ antiquior ſit Eccleſia, falſitate laborat Antecedentis, & inconſequentia. Nam Scriptura quoad ſenſus, imo & verba Antiquior eſt Eccleſia. Et tenetur Eccleſia prior, accipere poſteriora dicta, & ſcripta Eſaiæ, Hieremiæ, &c. Pauli, Petri, ſimul ac illorum divina veritas argumentis juxta Dei judicium ſufficientibus eſt demonſtrata.

Mat. 16. 18. 1 Cor. 3. 9. 10.

Deut. 27. 26. Pſ. 119. 05 Rom. 10. 17. Matt. 12. 37. 40. 2. Tim. 3. 16. Rom. 15. 4.

VI. Eo vero ipſo, quo Scripturæ ſunt divinæ, etiam ſunt Canonicæ, ex modo & fine ſcriptionis: utpote regulam fidei, charitatis, ſpei, totiuſque vitæ noſtræ continentes. Sunt enim datæ ad doctrinam, redargutionem, inſtitutionem, correctionem, conſolationem, hoc eſt, ut normæ ſint veri & falſi intellectui noſtro, bonique & mali affectui, ſive ad faciendum & omittendum, ſive ad habendum vel carendum. Nam quemadmodum divinæ ſunt, quia à Deo datæ, non quia ab hominibus acceptæ ſunt: ita & canonicæ ſunt & dicuntur activè, quia Canonem præſcribunt, non paſſivè, quia pro Canone habentur; vel quia in Canonem aſſumuntur. Imo vero tantum abeſt, ut Eccleſia illas authenticas vel Canonicas faciat, ut nullus hominum cœtus Eccleſiæ nomine venire queat, niſi illas, quod ad ſummam Legis & Euangelij, pro authenticis & canonicis habeat.

Gal. 6. 16. 1. Tim. 6. 3. 4. Rom. 16. 17. Rom 10. 8. 9. 10. 14. 15. 17.

VII. Altera quæſtio eſt, quomodo hominibus perſuadeatur, Scripturas iſtas eſſe divinas: cui explicandæ, nonnulla præmittenda ſunt, quæ tractatum ab æquivocationibus liberent, & faciliorem reddant.

1. inter

Ioh.8.24 & 1. inter Scripturam, quæ ut ſignum
cap.5.39.46. verbo, & ſcriptione verbi conſtat, &
Ioh.5.36. ſenſum Scripturæ eſt diſtinguen-
1 Cor. 12. 3. dum; eo quod haud pari momento,
2.Cor. 2.5. utriuſque notitia & fides, ſit neceſſa-
& 3.7.8.9. ria, quum Scriptura ſit propter ſen-
Mat.10 20. ſus: & diſpar ſit probandi ratio, qua
2.Cor.3.11. ſcriptioni & ſenſibus divinitas aſtrui-
12. tur. 2. diſcernendum inter cauſam
Phil.3 15. primariam Scripturæ, & inſtrumen-
16. tales, ne eadem æſtimetur neceſſitas
Col.2.16.19 credendi librum aliquem Scripturæ
ab hoc vel illo amanuenſi ſcriptum
& à Deo profectum eſſe. 3. Senſuum
iſtorum diſpar eſt ratio, quum alij
ſint ſimpliciter ad ſalutem neceſſarij,
utpote fundamentum & caput reli-
gionis continentes, alij vero non niſi
aliqua explicationis, probationis,
amplificationis relatione illos attin-
gant.

1 Cor.13. 9. VIII. 4. Fidei perſuaſio à Certitu-
12. dine Viſionis diſcriminanda eſt, ne
Rom. 15.6. quis hic pro fide, cui ſufficit adverſus
8. & Rom. tentationes prævalere, certitudinem
10.19. 20. poſtulet nulli obnoxiam tentationi.
Iud.6.36. 5. Fides implicita, quâ Scriptura iſta
17. 39. citra ſenſuum intellectum divina eſ-
Heb. 11. 32. ſe creditur, ab explicitâ, quæ ſenſuum
33. aliqua, præſertim neceſſariorum, no-
Ioh.5.2.10. titia conſtat: & ipſa notitia hiſtori-
Luc 2 19. ca, quæ mentis tantum ἀσφάλειαν ha-
Ioh. 5.35. bet, à ſalvifica, quæ præterea πληροφορίαν & πεποίθησιν, in qua acquieſcit
Mat. 13. 2. conſcientia, continet, diſtinguenda
Ioh.6.11.& venit, ut rectè judicari poſſit, quæ ar-
22. gumenta cuique fidei ingenerandæ
Ioh. 3. 12. neceſſaria & ſufficientia ſint. 6. inter
Matth. 12. argumenta Deo digna, & quæ hu-
3. 39. mana vanitas petere poteſt, diſtin-
Mat. 16. 1. guendum eſt: neque talia hic poſtu-
Luc.16.30.31 landa, quæ nulli non perſuadeant,
Mat.27.42. quum ipſi Chriſto, per tot ſigna, pro-
Ioh. 12 37. digia, virtutes, & Sp. Sancti diſtribu-
Luc. 24.27. tiones doctrinam ſuam teſtato, fides
44.45.

à multis ſit denegata. 7. Argumento-
rum ad ſuaſionem adhibitorum, lu-
men externum, ab interno Sp.S. te-
ſtificantis lumine, diſcernendum
eſt, ne quod huic tanquam fidei no-
ſtræ ſignaculo & arrhaboni compe-
tit, argumentorum robori, & foris
teſtificantium veracitati adſcribatur.

IX. 8. Diſtinguendum eſt inter 1. Cor.1.22
illos, qui ipſum Deum, vel Chri- Eph.1.11.14
ſtum, vel per ſe, vel per Angelos, vel Ioh.4.42.
per Prophetas, vel per Apoſtolos lo-
quentem audierunt, quique primi li-
bros ſacros acceperunt: & inter eos,
qui iſtos ſecuti, ex illorum traditio-
ne Scripturas habent. Prioribus Iud.2 7.10.
enim miracula & prædictionum Heb. 2.3.
complementa in oculos ipſorum in- Ioh. 20. 29.
currentia, fidem dictis & ſcriptis ad-
ſtruere potuerunt: Poſterioribus ve- Eſa.44 7.8
ro narratio, ut doctrinæ, ſic & argu- 1.Cor.14.22.
mentorum confirmandæ iſti adhibi- Ioh. 4. 39.
torum, proponitur in Scripturis, & 40. 41. 42.
ipſa argumentis ſuis adſtruenda. 9. 1.Pet.1. 21.
Diſtinctio quidem inter veritatem Mat.11. 25.
Scripturæ, & ejus divinitatem fieri Iac. 4. 6.
poteſt, ut per illius fidem ad hujus Pſ. 25. 14.
fidem gradatim progreſſio fiat: at- Ioh. 7. 17.
tamen diſſeparatio inter illa eſſe ne- 1 Cor. 1.20.
quit: quia ſi Scripturæ veræ ſint, di- 27.
vinas eſſe neceſſe eſt. Deniq; hic co- Luc. 7.30.
gitandū, parvulis, humilibus, Deum Act 13. 46.
timentibus, Patris voluntatem face- Act 7 51.
re volentibus, revelari ſecreta Dei, 2.Cor.4. 4
& doctrinam Chriſti, quod ex Deo 1.Cor. 1. 3.
ſit: contra, ſapientibus mundi, ſu- 24.
perbis, conſilium Dei adverſus ſe
ſpernentibus, vita æterna ſe indi-
gnos decernentibus, perverſis & ab-
ſurdis hominibus, Sp. S. reſiſtenti-
bus, ſecretum Dei & Euangelium
Chriſti tectum eſſe & manere: imo
vero ſcandalum, & ſtultitiam eſſe,
quum per ſe ſit ſapientia & poten-
tia Dei.

X. His

X. His præmiſſis videamus quomodo nobis perſuadeatur, vel perſuaderi queat, Scripturas V. & N. Teſtamenti eſſe divinas: ſaltem quoad eſſentialia ejus; Id eſt, Legis & Euangelij ſummam, ſine cujus fide ſalus conſtare non poteſt. Huic ſuaſioni faciendæ tria potiſſimum inſerviunt. Teſtimonium hominum externum, Argumenta ipſis Scripturis inſita, & Teſtificatio Dei interna: quorum illud, æſtimationem & reverentiam Scripturis humanitus conciliando, fidem præparat, quæ in hæc duo poſteriora verè divina reſolvitur, & per illa perfectè abſolvitur.

XI. Teſtimonium hominum eorumque profeſſorum, (hoſtes omittimus, etiam Mahumetanos, fecem religionis ex Iudaica & Chriſtiana corrupta, quin & Ethnica conflatæ amplectentes) duplex eſt: Iudæorum de veteris Teſtamenti, & Chriſtianorum de totius Scripturæ doctrinâ, & libris teſtificantium. Illorum teſtimonio duo robur conciliant: Confeſſionis conſtantia in ſummâ miſeriâ, quum ſola ejus abnegatione libertatis & dominiorum mundi participes eſſe poſſent: & Chriſtianæ religionis odium, quæ ſui ortum, amplificationem & con-
Act. 26.22. firmationem bona parte veteris Te-
2 Pet. 1.19. ſtamenti Scripturæ transſcribit, tantâ
Act. 17.11. fiduciâ, ut illius ſolius teſtimonio & judicio ſtare & cadere parata ſit. Chriſtianorum teſtimonium, eadem conſtantiæ notâ inſignitum, trifa-
Apoc. 6.9. riam conſideramus. 1. Eccleſiæ Ca-
11.11. tholicæ, quæ à principio ſui ad hæc tempora Chriſtianam religionem, ut divinam, profeſſa, iſtis libris ſuam religionem contineri, eoſque à Deo profectos eſſe, teſtatur. 2. Singularium primitivarum Eccleſiarum, quæ ab Apoſtolis fundatæ, tum totum vetus Teſtamentum, tum Epi- Colo. 4.16.
ſtolas ſibi ſuiſve paſtoribus, vel notis ſaltem inſcriptas primò acceperunt, & ſucceſſoribus ſuis, alijſque Eccleſijs eodem titulo tradiderunt. 3. Repræſentativæ, quæ dicitur, Eccleſiæ ex paſtoribus & doctori- Ephe. 5.17.
bus conſtantis, qui linguarum & rerum divinarum peritia inſtructi examine facto iudicium ſuum pronuntiant, & populis ſibi creditis adprobant: in quorum cenſu Romanum Pontificem infra infimum Pontificię Eccleſiæ parochum ipſo doctiorem collocamus.

XII. Argumenta Scripturis inſita ſunt quatuor maximi momenti: doctrinæ genus, ſtili Majeſtas, partium conſenſus, & doctrinæ efficacia, quæ ſingula pondus habent graviſſimum, juncta vero cuivis, pertinaciæ Spiritu & præconcepta per inveteratam conſuetudinem opinione non exæcato, fidem facere poſſunt. Doctrinæ genus divinum eſſe probant. I. Præcepta iſtis libris tradita: in quibus tres notę divinitatis. 1. Actuum præſcriptorum præcellentia, in ſuiipſius abnegatione,
& totius vitæ ſecundum Deum in- Matt. 16.
ſtitutione. 2. Actuum nonnullo- 24. 25.
rum mirabilis & ſtultitiæ inſtar ab Rom 8. 12.
animali homine æſtimata inſolen- 13.
tia, qui tamen ſecurâ confidentiâ 1. Cor. 1. 18.
pręſcribuntur, ut: Niſi in Ieſum 24. & 2.
crucifixum & mortuum credideris, v. 2. 14.
condemnaberis, ſi credideris, ſalva- Ioan. 8. 24.
beris. 3. Modus quo præſtari poſtu- Rom. 10. 9.
lantur, ut ex conſcientia & charitate Deut. 6. 5.
fiant, ſecus hypocriticos judicatum 1 Cor. 13. 1.
iri. In illo ſanctitas, in hoc iſto om- Iacob. 4. 12.
nipotentia, in hoc omniſcientia purè Rom. 13. 5.
divina conſpicitur. II. Promiſſa & 1. Pet. 2. 19.
minæ,

minæ, quæ duplex ſignum præſe-runt divini valoris, tum quod à nullo quam à Deo dari poſſe conſtat, tum quod ita comparata ſunt, ut non niſi conſcientiam præcepta, quibus adduntur, pro divinis habentis, movere poſſint. III. Admirabile juſtitiæ Dei, qua juſtitiam diligit & peccatum odit, & æquitatis, qua cuncta adminiſtrat, cum miſericordia in Chriſto ἰλαστηρίῳ temperamentum, in quo gloriæ Dei ſumma elucet, ubi tria notanda. 1. quod peccatorem, cujus ut creaturæ ſuæ ex amore miſericordia tangitur, in gratiam recipere noluerit, niſi reconciliatoris & mediatoris interventu. 2. quod ipſum filium ſuum chariſſimum ex ſe genitum & juſtitiæ perfectæ munere functum, deprecatorem & interceſſorem admittere noluerit, niſi ſanguine ſuo adſperſum. 3. quod illum ipſum ſolis fidelibus & reſipiſcentibus ſalvatorem conſtituerit; impœnitentibus ab omni ſpe veniæ & ſalutis excluſis. 4. Excellentiſſimum documentum, quo neceſſitas & ſufficientia doctrinæ iſtius demonſtratur, in eo poſitum, quod ipſe Ieſus non niſi per obedientiam & paſſionem in gloriam ſuam ingreſſus ſit, idque pro ſolis fidelibus ipſi conformandis; & quod in cœlum receptus, præfectus domui Dei & Rex populi ſui, vitæque æternæ dator ſit conſtitutus.

Rom. 1.18. 2. Cor. 5.19. Ephef. 2. 12 16. Heb. 8. 5. & 9. v. 7. 11. 12 &c. Heb. 5. 8. 19 Heb. 5. 9. Luc. 24. 26. Rom. 8. 29. Heb. 10. 21. 22. Heb. 4. 4. 15. 16. Ioan. 17. 2. 8

XIII. Stili majeſtatem evincunt. 1. Attributa quæ ſibi arrogat Scripturarum autor: naturæ præſtantia in omniſcientia & omnipotentia; operationum excellentia, ut creatori & gubernatori omnium rerum: poteſtatis ſupereminentia, ut Regi regum, & Domino dominorum. 2. Ἀπροσωποληψία, favoris & odii, ſpei & metus expers, qua erga omnes, cujuſcunque ſtatus ſint, eundem ſe declarat, tam regibus jubens, prohibens, promittens, minans, quam infimis; tam toti populo, quam ſingulis, ipſis etiam tenebrarum Rectoribus, mundi hujus principibus, Satanæ & Angelis ejus; atque adeò toti creaturarum univerſitati. 3. Modus quo utitur in lege ferenda & ſancienda: quæ nullum aliud prooemium habet, quam; ego Iehova ſum Deus tuus. Nullum epilogum, quam: Ego Iehova locutus ſum: Eſto fortis, quia ego tecum ſum, ne metue, quia ego te eripiam. Aut hæc vere ſibi arrogat qui loquitur, & ſic divina eſt oratio, aut ſtultiſſima eſt; (abſit blaſphemia) nullum eſt medium. Nullus autem in tota Scriptura apex eſt, qui illam à ſtultitia invicto argumento non eximat.

Eſai. 44. 7. 8 Eſa. 41. 12. 25. 26. Pſal. 50. 1. Deut. 17. 15. 16. 1. Sam. 12. 25 Exod. 20. 2. Ioſ. 1. 9. Eſai. 43. 5. Iere. 1. 8. Deut. 4. 5.

XIV. Conſenſus in omnibus & ſingulis Scripturæ patribus ejus divinitatem ſatis evidenter arguit, eo quod iſte non niſi Spiritui divino adſcribi poſſet: cui rei firmandæ ſerviet. 1. Conſideratio longiſſimi temporis, quo iſta Scriptio duravit, à Moſe nempe ad Iohannem, cui poſtrema revelatio authentica facta eſt. 2. Scriptorum ſeu Amanuenſium & librorum multitudo. 3. Locorum in quibus ſcripti ſunt, diſtantia, quæ vetuit ne inter ſe conferre poſſent Scriptores. 4. Denique & potiſſimum ipſa doctrinæ collatio, tum inter Moſen & Prophetas poſteriores; tum inter V. & N. Teſtamentum inſtituta. Conſenſum, qui inter illos eſt, divinum eſſe, evincent ſola Moſis de Meſſia, vocatione Gentium, rejectione Iudæorum, Oracula, cũ interpretamentis, & ſingularium

Mal. 4. 4. Iere. 28. 8. Ioan. 5. 46. Gen. 49. 13. Deut. 2. 21. Dan. 9. 9. 26. Mal. 1. 10. 11. Pſal. 2. & 21. 110. 112. Mat. 1. & 2. & 24. & 27 Luc. 1. 5. 70 & 24. 27. 44. Pſal. 118. 22. 23. Mat. 21. 42. Eſai. 65. 1. Act. 11. 18.

[Psal. 40.7.8. Dan. 9.24. 25.] circumſtantiarum additamentis, quę in Prophetis, & Pſalmis inveniuntur, collata. De conſenſus, inter V. & N. Teſtamenti ſcripta, divinitate, teſtabitur vel ſola, ſubita illa & inopinata quidem, ſed ad miraculum uſque conſentiens omnium Oraculorum de Meſſia, Gentium ad illum aggregatione, Iudæorum infidelitate, & repulſa, legis denique cæremonialis, primò per complementum juris, inde per vim facienda, abrogatione, ſive verborũ, ſive rerũ, perſonarum, factorum, eventuum typis prænuntiatorum, ad Ieſu Nazareni perſonam, adventum, ſtatum, officia, tempora accommodatio: quæ, etiamſi vel de Veteris, vel de Novi, ſi ſingula ſola extarent, dubitari poſſet: de utriuſque ſic conſentientis divinitate, dubitationem omnem excludit: quum impoſſibile ſit iſtum conſenſum à mente vel anglica, vel humana confictum eſſe.

[1. Tim. 3.15. Zach. 13. 2. Zeph. 2. 11. Act. 15. 16. 17. Eſaiæ. 53. 1.] XV. Efficacia denique doctrinæ, divinitatem Scripturæ potenter demonſtrat, quam ponimus in duobus. In fide, quæ illi habita eſt in mundo, & in deſtructione reliquarum religionum totiuſque regni Satanici: cujus ſigna evidentiſſima duo fuerunt, Oraculorum obtheratio, & Idolorum ablatio. [2 Cor. 1. & 2. 2 Tim. 2.] Commendant hanc efficaciam. 1. ipſe doctrinæ genius, qui citra vim divinam illi aſſiſtentem comparatus eſt ad repellendum omnes ab aſſenſu ſui, propter apparentem in illa abſurditatem, & abhorrentem ab illa humani affectus concupiſcentiam. Sic enim inquit, *Niſi in Ieſum crucifixum credideris, & pro illo vitam profundere ſis paratus, perdes animam ſuam.* [Luc. 6. 13. Matth. 4. 38. 39.] Perſonarum, per quas doctrina adminiſtrata eſt, paucitas, vilitas, infirmitas ſecundum hominem: at [1. Cor. 4.] ſecundum Deum invicta tolerantia, [2 Cor. 12. 12.] & lenitas, quæ tanta fuit in principe [1. Tim. 4. 2.] omnium, ut quibuſdam doctrinâ ſuâ [Ioh. 6. 67.] offenſis ex diſcipulis familiaribus [1. Cor. 1. 8.] quæreret, num & ipſi vellent abire. [Act. 4. 27. & 9. 2.] 3. Hoſtium, qui ſe doctrinæ oppoſuerunt, multitudo, ſapientia, [Matt. 10. 18. 21.] authoritas, potentia, amor in religiones patrias, & ex illo odium in [Ioh. 16. 2. Ephe. 6. 12.] iſtam novam doctrinam, exque illis [Apoc. 2. 10. 13.] furioſa Chriſtianos & doctrinam [Apoc. 6. 9. 10. 11.] illorum extirpandi rabies. Imperium ſcilicet Romanum, ſeſe ad trecentos circiter annos oppoſuit, reliquo mundo adjuvante, & Iudæis incitantibus: imo vero & ipſe Satanas, qui thronum ſuum in imperio iſto collocarat. 4. Infinita hominum, omnis generis, nationis, ætatis, ſexus, conditionis, multitudo, qui huic doctrinæ fidem adhibuerunt, eamque morte per tormenta intolerabilia toleratâ, confirmarunt: quod neque ambitioni, neque furori, in tot & talibus, niſi per ambitioſam inſaniam adſcribi poteſt. 5. [Col. 1. 6. Rom. 15. 19.] Temporis brevitas, quo magnam orbis habitabilis partem fulguris inſtar pervaſit, adeo ut ſolus Paulus ab Hieroſolymis ad Illyricum uſq; omnia loca Euangelio Chriſti repleverit.

XVI. Hiſce ſuaſionibus, quæ [1. Cor. 2. 7. Eph. 1. 17. 18.] fidei quidem hiſtoricæ, at ſalvificæ ingenerandæ, ſolæ per ſe non ſufficiunt, neceſſe eſt ut interior Dei per Spiritum ſanctum ſuaſio accedat: quæ ſita eſt: 1. In illuminatione mentis, ut probemus quæ ſit voluntas Dei bona, accepta, perfecta, ut [Rom. 12. 2.] ſciamus quæ Deus nobis eſt gratificatus, & Ieſum Chriſtum eſſe Dei [1. Cor. 2. 12. & 1. 24. 1 Cor. 12. 3.] ſapientiam, & potentiam. 2. In inſcriptione Legum Dei in cordibus [Heb. 8. 10. 2. Cor. 1. 21.] noſtris, quæ conſtat ſtudij & roboris [Eph. 1. 13. 14.]

ad prę-

ad præſtandum infuſione. 3. In promiſſionum Dei in cordibus noſtris obſignatione, quo nomine ſignaculum & arrhabo hæreditatis noſtræ dicitur, quo obſignamur in diem redemptionis. Ita ſcilicet idem ille, qui ſacras Scripturas ſanctis Dei hominibus inſpiravit, qui conſtituit in Eccleſia Epiſcopos, Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores, Doctores, qui Verbum Reconciliationis in ore ipſorum poſuit, author eſt fidei, qua iſta doctrina in juſtitiam, & ſalutem æternam adpræhenditur. Cujus teſtimonium, cum à teſtimonio ſpiritus humani diſtinguitur, & de ipſis rebus ad ſalutem neceſſarijs, non de verbis, litteris, aut ſcriptione eſſe dicitur, perversè faciunt Pontificij teſtimonia illa confundentes, & per Spiritus teſtimonium diſcretionem verſus Apocryphi, re cum Canonicis Scripturis conſentientis, à verſu Canonico poſtulantes.

Act. 20. 28. Eph. 4. 11. 2. Cor. 5. 19 Rom. 8. 16.

XVII. Iam vero ut vim trium iſtorũ documentorum paucis complectamur: 1. de vi teſtimonij humani ſcripturas noſtras Deo adſcribentis, dicimus; nullius ſcripti quod in rerum natura vel extitit, vel extat, authorem tam luculentis teſtimonijs probari poſſe, quin illorum pondus longè infra iſtius dignitatem ſubſidat, tum quoad teſtium multitudinem, ſapientiam, probitatem; tum quoad teſtimonij paritatem, conſtantiam, durationem. Cujus rei cauſa eſt, quod religio iſtis Scripris comprehenſa, quamplurimis populis, & quam diutiſſimè prædicata ſit, quod ipſum non exiguum continet divinitatis ejus argumentum: quum æquiſſimum ſit, ut Religio, quæ verè ſola divina eſt, & quam Deus ab hominibus citra diſcrimen populorum vult recipi, in commune quoque omnibus prædicetur.

Matt. 28. 19. 20. Mar 16. 15. Rom. 10. 12. 14. 15. 17. 18

XVIII. 2. Argumenta, quæ Scripturis inſita religionis in ijs præſcriptæ divinitatem arguunt, tam plena & perfecta eſſe aſſeveramus, ut nulla pro ullius religionis defenſione excogitari poſſint, quę iſtis ipſis non ſint, & excellentiore ratione, compræhenſa. Imo vero tanti eſſe valoris, ut ijs ipſis tam fortiter Religionis Chriſtianæ veritas adſtruatur, quam ullis alijs probari poſſit, quod ulla omnino vel ſit, vel eſſe poſſit vera Religio: adeo ut Religionem ullam veram eſſe, vel eſſe poſſe probare volenti, non minus compendioſa & facilis via ſit per iſta argumenta, quam per ulla alia, quæ à communibus notionibus deduci poſſint. Et quod mirandum eſt maximè, illud ipſum quod in Religione Chriſtiana videtur abſurdiſſimum, præbet de ejus divinitate documentum certiſſimum, poſito quod veriſſimum eſt, illam perſuaſionem lenem in conſcientijs, non per vim gladij introductam eſſe. Quo facit illa etiam ab Auguſtino uſurpata olim argumentatio; ſi Religio Chriſtiana miraculis, quæ in Scripturis narrantur, adſtructa eſt, vera eſt; ſi non eſt, omnium maximum miraculum eſt, ſine miraculis fidem invoniſſe. Debuit enim miraculorum extrinſecus abhibitorum vicem & vim præſtitiſſe interna ſuaſio illius, qui miracula ſolus patrare poteſt. Et ſic ipſa miraculorum, quæ olim doctrinæ probandæ facta ſunt, narratio libris iſtis contenta, per doctrinæ examinatæ divinitatem, vera eſſe pulcherrima viciſſitudine comprobatur.

1 Cor. 4. 2. 3. 4. 5.

1. Cor. 1. 22. 23. 24. 2. Cor. 5. 11. Luc. 9. 54. 55

Apo. 2. 17.

 XIX. 3. Spi-

XIX. 3. Spiritus ſancti teſtificatio interna, quanquam ſoli illi, cui obtingit, nota eſt, tamen cum mutua ſit inter veracitatem teſtantis, & rei probatæ veritatem relatio, poteſt ex rei probatæ naturâ, de teſtimonio ipſo examen inſtitui: quod tantum abeſt, ut Spiritui ſancto ignominioſum aut ingratum ſit, ut eo ipſo illius, tanquam qui & interni teſtimonij, & externi verbi, quin & ſenſuũ, de quibus teſtificatur utrumque, autor ſit, veracitas undequaque inclareſcat; quâ de causâ etiam juſſit
1. Ioh. 4. 1. 2. ut Spiritus probentur an ex Deo ſint, probationis ſpecimine addito. Tam itaque facile erit Spiritus ſancti teſtimonium internum falsò jactantem confutare, quam facilè ipſa, cui addictum ſe dicit, Religio deſtrui poteſt. Vnde apparet, teſtificationem illam Spiritus internam certiorando illi, cui fit, non convincendo alteri comparatam eſſe. Quare illi, qui iſtam inter cauſas, cur Scripturas pro divinis habent, numerant, principium petere inſulſe à Pontificijs dicuntur, quum nunquam illam convincendis alijs uſurpent.

THESIS SECVNDA

DE

Sufficientia & perfectione S. Scripturæ contra traditiones.

Reſ. ABRAH. VLIET.

I.

QVum Scripturæ Veteris & Novi Teſtamenti perfectionem attribuimus, non intelligimus perfectum illud cujus Apoſtolus 1. Cor. 13. mentionem facit; proprium id enim futuræ vitæ, in qua Deus erit omnia in omnibus; neque abſolutam quandam per integrum Scripturæ corpus & ſingulas ejus partes æque ſparſam qualitatem, quam adimere Scripturæ non poteſt, qui à Deo perfectiſſimo authore illam eſſe fatetur: neque etiam perfectionem talem; quæ omnia & ſingula ſanctis viris aliquando divinitus inſpirata, & per illos Eccleſiæ enunciata, qualiacunque illa ſint, complectatur: Sed perfectionem relativam intelligimus, certi finis gratia, Scripturæ tanquam inſtrumento convenientem, ſecundum quam omnia, quæ ad ſalutem Eccleſiæ fuerunt, ſunt, erunt neceſſaria perfecte comprehendit.

1. Cor. 13. 10. 1. Cor. 11. 28. Pſal. 19. 8. 9. Rom. 7. 12.

Rom. 7. 12. 2. Tim. 3. 16. 17.

II. Ad hanc Scripturæ adſtruendam tum ipſius rei veritate, de qua mox, tum neceſſitate certa compellimur. Citra illam enim ad alias Dei ſive jam factas ſive poſt futuras revelationes ſalutis integrè obtinendæ cauſa confugere cogemur; at inutili conatu; niſi indubitatis argumentis illarum divinitas adſtruatur. Quod huc uſque de ijs, quæ factæ dicuntur, eo modo commonſtratum non eſt, & de ijs, quæ futuræ dicuntur, nunquam demonſtrari poterit.

III. Vt verò hanc perfectionem Scripturæ ſolide & velut ex fundamento adſtruere queamus, de revelationum divinarum perfectione univerſim breviter videbimus: ſic enim non modo errorem ſecus ſentientium tollemus, ſed & fontem ejus monſtrabimus & occludemus. Eſt autem revelatio divina (pro actu,

actu, jam vocem illam uſurpamus, non pro eo quod revelatur) tum interna, quam inſpirationem cum Scriptura ipſa generali voce appellamus, tum externa per ſermonis enuntiationem vel ſcriptionem. Iam vero Scripturis perfectio adimitur vel in ipſis vel in præcedaneis revelationibus hoc ordine & modo.

IV. 1. Negatur perfecta inſpiratio facta Prophetis & Apoſtolis ſcripturarum adminiſtris, & aſſeritur novarum poſt illos revelationum neceſſitas & uſurpatio. 2. Conceſſa iſta perfectione, negatur ſenſuum inſpiratorum perfectam per verbum προφορικὸν enuntiationem fieri potuiſſe: diverſam enim eſſe ſenſuum divinorum ad ſalutis noſtrę perfectam conſummationem cognitu neceſſariorum rationem, quum alij ſerviant inſtruendis rudibus & infantibus in Chriſto, eorumque mentibus præparandis, alij perficiendis adultis, eorumque mentibus plena ſpiritus ſapientia imbuendis & implendis: & illos quidem externo verbo patefieri & doceri poſſe; hos vero non niſi ſpiritus interno alloquio mentibus offerri & imprimi poſſe. 3. Conceſſa perfecta omnium ſenſuum divinorum inſpiratione & enuntiatione, negatur Scripturis quidquid ad ſalutem neceſſarium inſpiratum & enuntiatum eſt, perfecte contineri, quia neque Spiritui inſpiratori, neque amanuenſibus propoſitum fuerit omnia iſta literis ad poſteritatem conſignare.

V. Tres iſtæ negativæ quum hunc inter ſe ordinem & reſpectum habeant, ut prioribus duabus vel altera earum adſtructa, ponatur & tertia, & hac deſtructa tollantur præcedaneæ, poſſemus ſolius tertiæ deſtructione defuncti ſatisfeciſſe videri, niſi cauſas erroris, ut diximus, tollere viſum eſſet, & anſam præcidere adverſarijs conquerendi, quod controverſiam non ex ipſius natura, ſed ad inſtituti noſtri commoditatem & victoriam tractaſſemus. Quare tribus iſtis negativis hæc tria veriſſima enuntiata affirmate opponimus. 1. Omnia, quæ ad ſalutem Eccleſiæ cognitu neceſſaria fuerunt, ſunt, erunt uſque ad ſeculi conſummationem, Prophetis & Apoſtolis perfecte inſpirata fuiſſe & revelata. 2. Omnia ſic neceſſaria à Prophetis & Apoſtolis ſecundum iſtam inſpirationem verbo προφορικῷ populis ipſis concreditis adminiſtrata & enuntiata eſſe. 3. Eadem omnia ita neceſſaria plenè & perfectè illorum libris eſſe comprehenſa.

VI. Ex qua deductione adparet, actus revelationis à ſenſibus revelatis diſtingui, & tamen differentibus revelationis actibus res ſubjectas & ſenſus convenire. Per diſtinctionem iſtam occurritur objectioni Spiritualium, internam Sp. ſancti illuminationem ſemper neceſſariam urgentium, quod de actu non de rebus ſubjectis & ſenſibus novis concedimus: per convenientiam refutantur Pontificij Eccleſiam Scripturâ priorem affirmantes, quia ſcriptio verbi ante pronuntiati Eccleſia ſit poſterior; quod non ſequitur, ſi ijdem ſenſus ſint verbo ſcripto & pronuntiato comprehenſi.

VII. Iam verò à prioris probatione ordientes brevitatis cauſa, Revelationis ſub V. Teſtamento factæ perfectione ſepoſitâ, docebimus Apoſtolis omnia eo, quo diximus modo, neceſſario inſpirata fuiſſe, &

nullam novam poſt tempora illorum inſpirationem factam eſſe, neque porro futuram. Illud autem, 1. expreſſis Scripturæ locis. 2. rationibus inde deductis ſic probamus.

Ioan. 14. 26. Primus locus eſt: Spiritus S. vos docebit omnia quæ dixi vobis. Ex cujus parte prima propoſitum integrum obtinemus: quæ enim docet omnia nihil omittit docendum. Ex altera parte idem probatur, ſi conſtet Chriſtum omnia Apoſtolis ſuis dixiſſe; quod probatur his verbis
Ioan. 15. 15. Chriſti; Omnia quæ audivi à Patre
Ioan. 1. 7. 8. nota feci vobis. At qui in ſinu Patris eſt omnia audivit patefacienda. Item; verba quæ tradidiſti mihi tradidi eis.

Ioan. 16. 13. VIII. Secundus locus eſt. Spiritus veritatis deducet vos in omnem veritatem: Cujus efficacia elucebit
Io. 17. 17 20 planius, ſi ab eodem Chriſto doceri nos patiamur illam veritatem, quæ non Apoſtoli modo, ſed tota Eccleſia ad finem uſque mundi ſanctificabitur ex voto Chriſti.

1. Cor 8. 10. IX. Tertius eſt. Nobis autem revelabit Deus per Spiritum ſuum, nempe ſapientiam illam, de qua ibi eſt mentio. At ne quis putet ſapientiam illam eſſe partialem & pro certo tantum tempore Eccleſiæ ſervientem, videat quæ iſti ſapientiæ ibidem
verſ. 7. tribuantur. Eſt ſapientia ab æterno à Deo præfinita, & præfinita in gloriā totius Eccleſiæ Catholicæ, hoc enim ex phraſi Apoſtolorū vox (noſtram)
verſ. 9. ſignificat. Eſt ſapientia continens ea, quæ Deus præparavit diligentibus ſe univerſis, non tantū qui tem-
verſ. 10. poribus Apoſtolorum erant: Sapien-
verſ. 12. tia continens ipſas profunditates
Epheſ 5. 8. Dei, omnia illa quę gratificatus eſt
verſ. 16. Deus Eccleſiæ (quæ alibi, imperve-
v. 6. & 14. 15 ſtigabiles opes Chriſti dicuntur.) Sapientia quæ ipſa mens Chriſti, & cujus notitia mentis Chriſti cognitio dicitur: Sapientia cujus perfecti & Spirituales ſoli capaces dicuntur: ne ad præparationem rudiorum & infantium in Chriſto tantum facere videatur. Hæc loca ſufficiant.

X. Rationes ex multis hæ ſunto. Ioh. 7. 38. 39
1. eſt, ex juncta Chriſti Glorificati & Spiritus promiſſi Chriſtoque glorificato dati; & ab eodem effuſi conſideratione. Ad Chriſti glorificationem uberrima Sp. ſancti effuſio differebatur; illo glorificato amplius differri non debuit: Chriſtus dextera Act. 2. 33.
Dei exaltatus, adeptus eſt Spiritum Ioa. 3. 34. 5.
promiſſum, & non ad menſuram, Ioel. 2. 28.
eundemq; effudit tanta copia, quan- Act. 2. 16 17 Ioan. 16. 7. 8
ta potuit effudi & ab hominibus ca- Ioan. 16. 13.
pi, adeò ut tum expletum dicatur 14. 15.
quod per Ioëlem erat prædictum. Spiritus ille, ſolius Patris & Chriſti Spiritus, nullius quam Chriſti cauſam aget, toto hujus ſeculi demenſu, ut Chriſti contra mundum advocatus: ille à ſemetipſo non loquetur, ſed à Chriſto, & ea proferet quæ Chriſti ſunt & à Chriſto accipiet, quare & Chriſtum glorificabit. Vnde ſequitur, nullam fore novam poſt Apoſtolos inſpirationem ad ſalutem neceſſariam, & purum humani cerebri commentum eſſe quod de diſtinctis Patris, Filij & Sp. ſancti temporibus, revelationis reſpectu, dicitur. Ex hoc argumento tam firmiter & rei ipſius naturæ convenienter novæ omnes inſpirationes refelluntur, ut doctrina, quæ contrarium ſtatuit, ſe tueri non poſſit, niſi vel alium Chriſtum, & alium Spiritum confingat; (quod notandum in Spiritualium, qui dicuntur, Summis Magiſtris) vel ſaltem Chriſti in terris vicariū plenaria

poteſtate

poteſtate Eccleſiam adminiſtrantem Chriſto ſubſtituat: quod faciunt Pontificij.

XI. 2. Deſumitur ex officio Apoſtolorum, cui fungendo, quia à Chriſto immediate ſunt vocati, extra dubium ſufficientibus donis ſunt inſtructi, & propterea ſufficienti
2. Cor. 13. 6. notitia. Conſtituti autē ſunt idonei
Gal. 1. 15. Heb. 8. 13. miniſtri Novi Teſtamenti: cui, ut Teſtamento, nihil addi poteſt, & ut Novum, nec antiquabitur, nec abrogabitur; nulla ergo nova poſt illos
2. Cor. 3. 6. inſpiratio. Facti etiam ſunt miniſtri
2. Cor. 3. 9. ſpiritus; ergo inſpiratione docti illos ſenſus, qui perfectiſſimis conveniunt, & non tantum ſub lege & vetuſtate litteræ conſtitutis. Concreditum eſt illis miniſterium juſtitiæ; at hoc omnium poſtremum, utpote quod cum vita æterna immediate conjungitur, & per juſtitiam
Ioan. 4. 38. etiam adminiſtratur. Dicuntur ijdem meſſores reſpectu Prophetarum, qui ſatores fuerunt; at hoc poſtremum munus in agro dominico obeundum. Nulla ergo poſt Apoſtolos nova adminiſtratio & propterea nulla nova inſpiratio.

XII. 3. Ex temporis circumſtantia, quo inſpiratio facta eſt Apoſtolis, petitur: & quidem bifa-
Act. 2. 17. riam. 1. Fuit tempore Meſſiæ, quod
Ioan. 4. 25. Heb. 1. 1. ultimum dicitur, & ultimum quidem
1. Pet. 1. 20. revelationis reſpectu. Et erit ultimis temporibus, effundam de ſpiritu meo, & Quando Meſſias venerit adnuntiabit nobis omnia, & Extremis diebus hiſce locutus eſt nobis in Filio, quorſum etiam Chriſtus dicitur patefactus ultimis temporibus. 2.
Gal. 4. 1. 2. 3. &c. Fuit hoc tempus à Patre ſtatutum quo hæres non amplius, ut infans, ſub pædagogo eſſet, ſed adultus ipſe ſub gratia & Spiritus ſancti ductu ageret, à quo tanquam ſpiritu libertatis illuminatus retecta facie, gloriam Domini ut in ſpeculo intuere- 2. Cor. 3. 17. 18.
tur, & in eandem imaginem transformaretur ex gloria in gloriam. Nulla ergo poſt Apoſtolos nova inſpiratio, nulla Eccleſiæ major perfectio.

XIII. Quartam præſtabit nobis gloria & duratio doctrinæ Apoſtolis inſpiratæ & concreditæ. Eſt enim glorioſiſſima, utpote Euangelium gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei, ſplendor gloriæ & character hypoſtaſeos Patris, in quo placuit 2. Cor. 4. 4.
Patri ut omnis plenitudo inhabitaret, & plenitudo quidem Deitatis Heb. 1. 3. Coloſ. 1. 19. Colol. 2. 9.
corporaliter: præ cujus gloria, ut 2. Cor. 3. 10.
excellentiore, lex ne glorioſa quidem fuit: unde ex pari ſequetur, ſi doctrina excellentior in ſecula fuerit, neq; illam glorioſam futuram reſpectu illius glorioſioris. Duratio etiam hu- 2. Cor. 3. 11.
jus excludit alias: manet enim ſine Mat. 24. 14. Mat. 8. 20.
abolitione & prædicabitur in univerſa terra uſque dum veniat finis; illius adminiſtris promittit Chriſtus ſe adfuturum uſque ad conſummationem ſeculi.

XIV. Secundum thema in duo tributum membra diſtinctè probabimus. 1. tam illa quæ conſummationi ſerviunt, quam præparationi enuntiari poſſe & enunciata eſſe à Chriſto & Apoſtolis. 2. Apoſtolos omnia quæ Eccleſiæ neceſſaria ſunt & erunt perfectè docuiſſe.

XV. Primæ partis probationi Ioan. 1. 18. & 3. 32.
hæc ſervient. 1. Filius, qui eſt in ſinu Patris, ideſt, admiſſus in intimam ſecretorum Patris notitiam, expoſuit ſermone ἀνθρωπίνῳ quæ apud Patrem vidit & audivit; at impium eſt ſentire, quod illa tantum ad præparationē pertineant; imò quæ Apoſtoli 1. Ioan. 1. 3.
viderunt

viderunt & audierunt, ea annuntia-
runt, ut Eccleſia cum Patre & Filio
communionem haberet: in commu-
nione autem illa iſta eſt conſumma-
1.Cor.2.15. tio. 2. Sapientia, quam Apoſtoli
acceperunt ex revelatione Spiritus
profundorum Dei ſcrutatoris, ab
illis enunciata eſt ſermonibus quos
v.4. & 15. docuit idem Spiritus ſanctus. At illa
ſapientia perfectorum eſt & ſpiritua-
lium: ut vidimus antea.

Rom.10 8. XVI. 3. Verbum ex cujus fide
9. 10. juſtitia & vita æterna obtinetur, non
1.Cor. 1. 21. tantum eſt præparatorium, ſed &
2.Cor.3 9 conſummatorium. At tale eſt ver-
Act 1. 25. Rom.1.17. bum fidei ab Apoſtolis prædicatum;
unde & Euangelium dicitur mini-
ſterium juſtitiæ, ſermo ſalutis, & po-
tentia Dei ad ſalutem omni creden-
ti. 4. Miniſterium Spiritus & Novi
Teſtamenti, quod pædagogico &
nihil conſummanti miniſterio Mo-
ſis, literæ mortis & Veteris Teſta-
menti opponitur, non ſervit præpa-
rationi, ſed continet perfectionem.
Heb. 7 19. 2.Cor. 3. At hoc miniſterium obierunt Apo-
Col. 1. 28. ſtoli: unde etiam miniſtri Novi
Teſtamenti & Spiritus dicuntur;
omnemque hominem perfectum ſi-
1.Pet.1.23 ſtere in Chriſto Ieſu. 5. Verbum
25. illud quod dicitur ſemen incorrupti-
bile, ex quo renaſcimur, & quod
manet in æternum, non eſt tantum
præparatorium. At tale eſt verbum,
quod Euangelizarunt Apoſtoli.

XVII. Alteri parti firmandæ
Luc.7 30. hæc ſunto. 1. Omne Dei conſi-
Act. 20.27. lium, hominibus adnuntiandum,
continet omnia ad ſalutem neceſſa-
ria. At Paulus adnuntiavit Ephe-
ſijs omne Dei conſilium. Ergo
1.Cor.15 2. omnia neceſſaria, &c. 2. Per Euan-
gelium Pauli ſervantur Corinthij,
ſiquidem id retineant prout accepe-
runt. Ergo omnia ad ſalutem neceſ-
ſaria prædicata Corinthijs. 3. Salus à Heb. 2. 3.
Chriſto prædicari cœpta & ab ipſo
integrè prædicata, ab Apoſtolis, qui
ipſum audiverant, ad nos eſt confir-
mata. Ergo Apoſtolorum doctrina
omnia perfectè continuit, quæ Ec-
cleſiæ poſtulabat neceſſaria confir-
matio.

XVIII. Et ne quis cavilletur,
Apoſtolos quidem docuiſſe omnia
tum temporis neceſſaria, at non quæ
ad finem uſque mundi ſufficiant æ-
dificationi totius corporis Chriſti,
addatur porro. 4. Qui Euangeliza- Gal.1.8.9
verit præter id quod Euangeliza-
runt Apoſtoli & præter hoc quod
acceperunt Eccleſiæ Apoſtolicæ is
anathema eſt. Ergo nihil addi licet
Euangelio. Apoſtolorum uſque ad
finem mundi: imo ſi quis addit,
mutavit Euangelium Chriſti. 5. In Col.2 2.3.
Ieſu Chriſto, ſeu in myſterio Dei
& Patris & Chriſti ſunt omnes the-
ſauri ſapientiæ & cognitionis ab-
ſconditi. At Ieſum Chriſtum & hoc Col.1.25.26.
myſterium integrè prædicarunt A- 27 28.
poſtoli. Ieſus Chriſtus factus eſt 1.Cor.1.30. 31.
nobis à Deo ſapientia, juſtitia, ſan- Ier. 9. 24.
ctificatio & redemptio; unde con-
cludit Apoſtolus in hujus ſolius co-
gnitione gloriationem veram con-
ſiſtere. Ergo Apoſtolorum doctri-
na continet quidquid Eccleſiæ ne-
ceſſarium, utile & glorioſum un-
quam erit ad ſeculi uſque finem. 6. Eph 2.20 21
Eccleſia tota Catholica ædificata eſt Apoc.21.14
ſuper fundamentum. Prophetarum Gal.4. 26.
& Apoſtolorum, & Apoſtoli di-
cuntur fundamenta cœleſtis Hieru-
ſalem, quę eſt mater omnium no-
ſtrum. Ergo omnia, quæ toti Ec-
cleſiæ ad conſummationem uſque
neceſſaria erunt, prædicarunt Apo-
ſtoli. 7. Vnum eſt corpus Chriſti, Eph.4.4.5.6
complementum ejus, qui implet Eph.1.23.
1.Cor.10.17.

omnia

Heb. 13. 8. Col. 1. 24. 25. Heb. 13. 2. omnia in omnibus; unus Spiritus, una ſpes vocationis noſtræ; unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Panis, unus Deus & Pater omnium. Et Ieſus Chriſtus heri, hodie idem & in ſecula. Apoſtoli autem hunc Deum, hunc Dominum, hunc Spiritum, hanc Fidem & Spem, hoc Baptiſma, hunc panem perfectè prædicarunt, totumque illud corpus doctrina ſua animant & vivificant ad finem uſque ſeculi. Ergo non debet Eccleſia varijs & peregrinis doctrinis circumferri.

Deut. 4. 2. Item 12. 32. 28.

Deut. 30. 10. 11. 12. 13. 14. Deut. 28. 58. Ioſ. 1. 7. 8. 1. Cor. 4. 6. Act. 20. 27.

XIX. Reſtat ultimum thema, quod Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ perfectionem nobis commendat; cui ſtabiliendo hæc argumenta producimus. 1. Id docent Scripturæ expreſſa teſtimonia, vetantia ne quid addatur ijs quæ præcepta ſunt a Domino: quod autem illa teſtimonia de verbo ſcripto intelligenda ſint, docent eædem Scripturæ planiſſimè, quare etiam Apoſtolus jubet ne quis ſapiat ſupra id quod ſcriptum eſt: & qui Epheſijs omne ſe Dei conſilium adnuntiaſſe dicit, fatetur ſe nihil dixiſſe extra ea quæ Moſes & Prophetæ futuræ prædixerunt.

XX. 2. Ex ipſo objecto & materia doctrinæ ſaluti feræ eadem perfectio adſtruitur: & quidem varijs modis. 1. *a* tota materia doctrinæ ſalutaris conſtat veritate quæ eſt ſecundum pietatem: at illam veritatem integre tradit Scriptura; Eſt enim de Deo & Chriſto quomodo agnoſcendus & colendus ſit. 2. *b* Tradit Scriptura perfectè doctrinam Fidei, Spei & Charitatis: at illis actibus continetur quidquid Deus à nobis poſtulat. 3. *c* Dicitur Scriptura Veteris & Novi Teſtamenti, eo quod utrumque contineat integrè. At Teſtamento nihil addi poteſt, imo Teſtamentum prudentis Teſtatoris continet plenè voluntatem ultimam illius, tum ſecundum quam vult bona ſua diſpenſari, tum ſecundum quam vult hæredes ſuos vitam ſuam inſtituere. At tota doctrina ſalutaris conſtat deſcriptione beneficij Dei erga nos, & noſtri erga illum officij. 4. * partitio totius doctrinæ ſalutaris in Legem & Euangelium, tanquam partes totius amplitudinem exhaurientes idem evincit, quum ambæ in Scripturis perfectè contineantur.

a Tit. 1. 1. 2. Par. 28. 9. Ioan. 17. 3. Ioan. 5. 23. *b* 1. Ioa. 3. 13. 2. Tim. 3. 16. &c. Rom. 15. 4. 1. Theſ. 1. 3. Tit. 2. 12. 13. *c* 2. Cor. 3. Gal. 3. 15.

Ier. 31. 33. 34. &c. C. 31. 38. 39. 4. 6. Gal. 4. 1. 2. * Luc. 16. 16 Ioſ. 1. 8. Luc. 1. 1. 2. 3. 4. Rom. 1. 2. 3. &c. Act. 26. 22. 23.

XXI. 3. Probatur idipſum à fine & efficacia totius doctrinæ ſalutaris; quem finem ſi integrum intendit Scriptura & præſtat perfectè, non eſt cur doctrinam quocunque modo propoſitam Scriptura perfectiorem dicamus. Sed intendit integrum & præſtat efficaciter. Hæc eſt doctrina ejus ut credamus nomini Filij ejus Ieſu Chriſti & diligamus alij alios, & , Hæc ſcripta ſunt ut credatis, item, Hæc ſcripſi vobis ut ſciatis vos vitam æternam habere, & ut credatis in nomen Filij Dei. Ab iſtis duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent. Scrutamini Scripturas, nam videmini vitam æternam in ipſis habere. Impediunt Scripturæ ne quis veniat in damnatorum locum, & impediunt citra ullius alterius dogmatis additionem. Sapientem reddunt virum Dei ad ſalutem per fidem & ad omne bonū opus perfectè inſtructū m.

Rom. 10. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 1. Ioan. 3. 23. Ioan. 20. 31. 1. Ioan. 5. 9. 10. 11. 12. 13. Mat. 22. 37. 38. 39. 40. Ioan. 5. 39. Luc. 16. 29. 2. Tim. 3. 15. 16. 17.

XXII. 4. Confirmat hoc ipſum mos loquendi ſanctis Dei viris & Scripturis ipſis uſitatus, ſecundum quem indiſtinctè Prophetas pro ſcriptis Prophetarum, & ſermonem

Propheticum pro Scriptura Prophetiæ, & viciſſim Scripturas pro Prophetis & Deo ipſo uſurpant, quo ipſo ſignificant ſermonem Dei & Propheticum prorſus unum eſſe cum Scripturis, & illum amplitudine ſua haſce non excedere, quantum ad illa quæ neceſſaria ſunt.
Act. 26. 27. Sic. Credis Rex Agrippa Pro-
phetis? hoc eſt ſcriptis Propheta-
Luc. 16. 29. rum. Habent Moſen & Prophe-
2. Pet. 1. 19. 20. tas, id eſt, ſcripta Moſis & Prophe-
Luc. 24. 27. tarum. Habemus firmiorem ſer-
monem Propheticum, ſcriptis nempe illorum comprehenſum; dicitur enim poſtea Scriptura Prophetiæ. Exorſus à Moſe & Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipſo aiunt. Et vi-
Rom. 9. 17 ciſſim. Dixit Scriptura Pharao-
Exod. 9. 17. Gal. 3. 22. ni, Deus nempe per Moſen. Con-
Rom. 11. 32. cluſit Scriptura omnia ſub pecca-
Gal. 3. 8. to. Et concluſit Deus omnes in
Gen. 12. 3. contumacia, providens Scriptura
Ioan. 5. 39. ante Euangelizavit Abrahæ.
Rom. 1. 3. Luc. 24. 27.

XXIII. Poſtremo hoc addimus. Nullum poteſt proferri ſubjectum quod vel agnitione ſola vel cultu inſuper cohoneſtare debeat Eccleſia, Scripturis ſanctis non comprehenſum. Nullum etiam poteſt produci adtributum ſubjecto hujuſmodi conveniens, (quod quidem de illo neceſſariò eſt cognoſcendum, vel illi ab Eccleſia præſtandum) quod Scriptura iſti ſubjecto non adtribuat: unde ſequitur Scripturam omnia continere ad ſalutem Eccleſiæ & gloriam Dei cognitu neceſſaria. Multa quidem Pontificij de Maria, reliquis ſanctis & Pontifice Romano dicunt & ſcribunt; at dicimus, illa objecta non eſſe vel agnitionis vel cultus ullius, quem illis præſtare debeat Eccleſia. Et quæ illis adtribuunt, talia ſunt; ut ſecundum certum Scripturarum judicium illis citra ſacrilegium & inverſionem Euangelij Chriſti adtribui non poſſint.

XXIV. Concludimus igitur, omnia quæ ad ſalutem Eccleſiæ neceſſaria fuerunt, ſunt, erunt uſque ad conſummationem ſeculi, perfecte jam olim inſpirata, enunciata, ſcripta eſſe; neque ullam revelationem ſeu traditionem, præter illas inſpiratas, enuntiatas & Scripturis
compræhenſas, ad ſalutem Eccleſiæ 2. Tim. 3. 16.
neceſſariam eſſe: imò tam perfectè Mat. 4. 3. &c.
dicimus Scripturis compræhenſum Mat. 22. 29.
quidquid ad doctrinam veritatis Act. 18. 28.
pertinet, ut omnia quæ contra illam veritatem vel directè, vel indirectè veniunt, ex ipſis Scripturis ſolis luculentiſſimè confutari poſſint. Quam aſſeverationem tanta religione & certitudine animi aſſerimus, ut ſimulatque probatum fuerit aliquid Scripturis non contineri, eo ipſo nos ſtatuamus illud ad ſalutem neceſſarium non eſſe: & ubi conſtiterit ſententiam aliquam per Scripturas confutari non poſſe, illam hæreticam non eſſe eo ipſo arbitremur. Quum itaque Pontificij ſatagunt, ut per exempla articulorum, quos neceſſarios dicunt, at Scripturis non probari, & quos hæreticos cenſent, at Scripturis non confutari, Scripturæ totalem perfectionem deſtruant; hoc impetrant,
ut neque neceſſarios illos, neque 1. Cor. 11. 34.
hos hæreticos eſſe certò concludamus.

XXV. Interea non negamus, quod Apoſtoli aliqua Eccleſijs tradiderint ad diſciplinam externam, ordinem & ritus in illa uſurpandos ſpectantia, quæ ab illis ſcripta non

ſunt,

ſunt, aut ſaltem illorum libris, quos
Canonicos vocamus, non compræ-
henſa: verum illa doctrinæ ſalutaris
ſubſtantiam non concernunt, neque
ad ſalutem ſunt neceſſaria; neque
perpetua & immutabilia, neque u-
niverſalia, ſed accommodata ſtatui
Eccleſiæ præſentis & circumſtantijs
illius.

1. Cor. 14. 40. XXVI. Fatemur etiam Eccle-
ſias vel ſingulas vel plures vel etiam
omnes, ſiquidem convenire in unum
queant, poſſe Canones quoſdam ri-
tuales conficere ad ordinem & de-
corum illarum, & ad functionum æ-
dificationi ſervientium diſpenſatio-
Coloſ. 2. 18. nem pertinentes; modo ne ritus illi
Act. 15. verbo ſcripto ſint contrarij, ſuper-
10, 28. ſtitioſi, præ numero aut gravitate
difficiles obſervatu, ne pars cultus
divini æſtimentur, aut Eccleſiæ li-
bertati præjudicent, cujus æqua in
iſtis abrogandis, mutandis, amplian-
dis ſemper eſt poteſtas ædificationi
1. Cor. 14. 5. ſerviens & non deſtructioni. Atque
26. hoc ſenſu admittimus diſtinctionem
1. Cor. 14. 32. Traditionum in ſcriptas & non ſcri-
33. ptas, Apoſtolicas & Eccleſiaſticas:
2. Theſ. 3. 6. & ordinis violatores eſſe dicimus,
qui Eccleſiæ Canonibus iſto modo
conſtitutis contraiverint, aut privata
autoritate reclamaverint.

THESIS TERTIA

DE

Sufficientia & perfectione S. Scripturæ contra traditiones humanas.

Reſp. DE COIGNEE.

*Quia Pontificij pro traditionibus non
ſcriptis adverſus totalem Scripturæ perfe-
ctionem, tanquam pro aris & focis, de-
certant, ut dogmata multa Scripturis, ip-
ſorum etiam confeſſione, non comprehenſa
obtrudere, & authoritatem ſibi irrefraga-
bilem in Eccleſia uſurpare poſſint: non
abs re facturi videmur, ſi paucis The-
ſibus, quid de re ipſa traditionum divina-
rum & Pontificiorum ſententia ſtatuendum
ſit, ſecundum Deum pertractemus.*

I.

TRaditionis vox ex flexione
actum tradendi; ex uſu ad ob-
jecti circa quod actus verſatur nota-
tionem ampliata, ipſam doctrinam
traditam ſignificat. Vtroque ſenſu
acceptę epitheton divinæ à cauſa
ejus Deo adſcribimus, ut contra hu-
manam diſtinguamus: eamque ex- 1. Cor. 2. 12.
cellenter divinam eſſe dicimus, quæ 13.
actione ſimul & objecto divina eſt,
quam definimus doctrinam divinam
divino actu hominibus patefactam
minus excellenter, quæ ut ut objecto 2. Pet. 1. 21.
eſt divina, humana tamen eſt actu
traditionis, quò reſpicit Apoſtolus
Paulus, cum dicit: Ego ut peritus 1. Cor. 3. 10.
architectus fundamentum poſui,
alius autem ſuperædificat: Porro
unuſquiſque videat quomodo ſu-
perædificet; & Petrus inquiens: ſi 1. Pet. 4. 11.
quis loquitur, loquatur ut eloquia
Dei.

II. Traditio divina, tum objecti,
tum actionis reſpectu, variè diſtri-
buitur, & objecti quidem: 1. ſecun-
dum actiones, quas ſibi poſtulat ab 1. Joan. 3. 19.
hominibus præſtari, diſtinguimus Luc. 24. 27.
in eam, quæ fidei eſt cui ſpem jun- Mar. 1. 15.
gimus, & quæ ad mores pertinet. Ibi Mat. 11. 23.
objectum credendum offertur, hîc Mat. 9. 13.
opere præſtandum. 2. ex adjunctis Heb. 9. 10.
actionis requiſitæ aliam neceſſariam Joa. 4. 21, 24.

dicimus ad juſtitiam & ſalutem, aliam neceſſariæ ſupervenientem, 3. ex duratione temporis aliam perpetuam dicimus & immutabilem, aliam temporariam & mutationi, ſecundum authoris ipſius inſtitutionem, obnoxiam. 4. ſecundum extenſionem, aliam univerſalem dicimus, quæ omnes fideles, vel omnium temporum, vel ejuſdem ſæculi obligat, vel particularem, quæ ad nonnullos ſpectat ſive plures, ſive pauciores, qualis eſt, quę ceremonias legales, & Sacerdotium Leviticum reſpicit.

Rom. 1. 26, 27.

III. Reſpectu actionis diſtinguitur traditio. 1. ex ſubjecto in internam, & externam. Interna eſt, quæ fit menti per illuminationem & inſpirationem Sp. S. ad hanc etiam referimus quæ fit ſenſibus internis per ſpecies ſenſiles in imaginatione efformatas. Externa eſt, quæ fit per ſigna ſenſibus externis objecta, inter quæ verbum primas obtinet; cujus duplex eſt tradendi modus, enuntiatio viva voce facta, & ſcriptio. 2. ex cauſis in immediatam & mediatam. Immediata eſt, quæ à Deo proficiſcitur citra hominis interventum; liceat enim jam nobis quæ per Angelos fit ſub immediata cenſere, commodioris doctrinæ gratia, ne multas mediatas ſibi ſubordinatas introducere cogamur. Mediata eſt quæ à Deo ut præcipuo authore per manus hominis peculiariter ad illam obeundam ſanctificati peragitur. 3. ſecundum dignitatem & authoritatem diſtribui poteſt in primariam & ſecundariam, ut primaria ſit, quæ per hominem quidem fit, ſed inſpiratione & directione Sp. S. ita edoctum & gubernatum ut non ipſe ſit quiloquatur, ſed Spiritus Patris, qui eſt in illo: non ipſe clamans, ſed vox clamantis Dei: non ipſe ſcriba, ſed amanuenſis Sp. S. Secundaria vero quæ ſecundum inſtitutionem quidem eſt Dei, ſed à voluntate hominis proprio arbitrio traditionis actum adminiſtrantis.

Eſa. 59. 21. ad Eph. 1. 17. 16. 1. Cor. 2. 10. Rom. 10. 17. 1. Cor. 1. 28. 2. Theſ. 2. 13. Gen. 3. 9. &c. Gen. 12. 1. 2. 3. Ezech. 2. 5. & 3. 1. 2. 3. 2. Sam. 23. 2. 3. Mat. 10. 20. 2. Tim. 3. 16. 2. Pet. 1. 21. 1. Pet. 4. 11. 1. Cor. 2. 10, 11.

IV. Traditio interna ſemper eſt & abſolutè ad hominis ſalutem neceſſaria. Nemo enim poteſt mentem Dei, quantumvis per externa ſigna patefactam, & comprobatam, percipere, & fide certa apprehendere: niſi ex Sp. S. revelatione & obſignatione interna. Externa neceſſitas eſt ex arbitrio divinæ voluntatis, ſive illam univerſè conſideremus, nam citra illam poteſt hominis mentem abundè inſtruere, ſive ſecundum ſpeciales modos: nunc enim vivæ vocis pronuntiatione, nunc ſcriptione, nunc utraque prout ipſi viſum eſt, & qua ipſi viſum eſt uti: illa eo ipſo hominibus neceſſaria eſt; unde apparet inconſequens eſſe ſcripturam jam neceſſariam non eſſe, quia Deus olim citra Scripturas ſuam Eccleſiam viva voce inſtituerit.

1. Cor. 1. 20. 21. 23. 1. Cor. 2. 7. 8. 9. 10. 2. Cor. 3. 6. 2. Cor. 5. 9. Exod. 2. 3. 7. 1. Theſ. 2. 13. Luc. 16. 29.

V. Quanquam omnia dogmata à Deo ſive viva voce ſive ſcripto tradita divinam authoritatem habeant, licet tamen inter iſta diſtinguere, & ſecundum certos reſpectus majorem unis quàm alijs authoritatem aſſerere. 1. Cauſa efficiens princeps diſcrimen facit, quæ quod dogma magis vult, majoris etiam facit eſſe authoritatis, unde illud; miſericordiam volo, non ſacrificium. 2. adminiſtri qualitas majorem vel minorem doctrinæ conciliat authoritatem: ſi per Angelos dictus ſermo firmus eſt, quanto magis doctrina per Filium annuntiata. 3. objectum doctrinæ

Mat. 9. 13. Heb. 2. 2. 3.

doctrinæ idem facit, ſecundum quod nonnulla graviora legis præcepta, alia minima dicuntur: ſic præcepta ſecundæ tabulæ cedunt primæ. Hac mente dixit Apoſt. fidus eſt ſermo, & omni (in quo dicto notetur ἰαφαῶς) acceptione dignus quod Ieſus Chriſtus venit in mundum ut peccatores ſervaret. 4. quo dogma ad finem totius doctrinæ propius & principalius facit, eò prævalet authoritate. Si miniſterium mortis, & condemnationis eſt glorioſū, quanto magis vitæ & juſtitiæ abundat gloria? 5. ipſe tradendi modus addit authoritati pondus: quod enim antea voce traditum ne excidat, ſcripto mandat, & ſic duplici actu alienæ memoriæ commendatum, præſtantius ipſe author indicat, quam quod ſola vocis pronuntiatione contentus eſt commendaſſe (obſervetur hypotheſis in qua partim voce & ſcripto, partim ſola voce tradidiſſe præſupponitur) cui argumento robur addit doctrinæ ſcriptæ crebrior & magis ſollicita commendatio.

Mat.23.23 Matt.5.19. Jac.2.10. 1.Cor.3.9. 2.Pet.3.1.2. Deut.17.19. 1.Tim.4.13 2.Pet.1.19.

VI. Hiſce ita de reipſa expoſitis ad controverſiam, quæ nobis eſt cum Pontificijs progrediamur, eamque breviter perſtringamus. Videtur autem illa tribus hiſce quæſtionibus contineri. 1. An omnis doctrina ad ſalutem Eccleſiæ, quæ fuit, eſt, erit neceſſaria jam tradita ſit? An vero adhuc aliquid tale reſtet tradendum? & ſi tradita ſit, quando poſtrema traditio facta ſit? 2. Vbi illa dogmata quæ ad Eccleſiæ illius ſalutem creditu & factu neceſſaria ſunt contineantur; an in Scripturis ſolis, an vero partim in Scripturis partim in traditionibus à primo eorum authore non ſcriptis? 3. Vnde conſtare poſſit conſcientijs fidelium certò doctrinam aliquam eſſe divinam?

VII. Ad primum ita habet ſententia noſtra; omnia dogmata ad ſalutem Eccleſiæ univerſæ neceſſaria jam ante mille & quingentos annos tradita eſſe, nullamque poſt Apoſt. tempora novi dogmatis ad ſalutem fidelium neceſſarij traditionem factam eſſe. Quod his argumentis adſtruimus. 1. quia in Chriſto & Euangelio ejus omnis ſapientiæ & cognitionis theſauri ſunt abſconditi. Chriſtum autem & ejus Euangelium perfectè annuntiarunt Apoſt. Adeo ut Anathema dicatur illi, qui aliud Euangelium annuntiat, præter id quod Euangelizarunt Apoſt. & quod acceperunt Eccleſiæ: aliud autem annuntiat, qui aliquid illi addit tanquam ad ſalutem fidelium neceſſarium. 2. quia tota Eccleſia fundata eſt ſupra doctrinam Proph. & Apoſt. quod verum non eſt ſi aliqua doctrina per Proph. & Apoſt. non revelata neceſſaria ſit ad ullius Eccleſiæ ſalutem. 3. quia Eccleſia tota Cath. unum eſt corpus conſtans ex particularibus Eccleſijs toti homogeneis ab uno ſpiritu animata & in omnem veritatem ducta, in unam ſpem ejuſdem hæreditatis vocata, unum habens Dominum, unam Fidem, unum Baptiſmum, unum Deum & Patrem omnium, in ejuſdem corporis & ſanguinis Domini communionem, per unius panis & poculi participationem obſignata. 4. quia Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſecula. Vnde infert Apoſt. nefas eſſe ut Eccleſia varijs & peregrinis doctrinis circumferatur.

Coloſ.2.3. Act.20.26 27. Gal.1.8.9. Eph.2.20. Apoc.21.14 Eph.4.5.6. 1.Cor.10.16. & 17. Heb.13.8.9.

VIII. Huic veritati quanquam Doctores nonnulli Pontificij adſtipulari

ſe pro-

ſe profiteantur, exſtant tamen diſſenſionis ab illa veritate indicia ſatis manifeſta in ſcriptis eorum, præſertim Canoniſtarum. Imprimis Epitheta Epiſcopi univerſalis; ſupremi Paſtoris, Principis, Capitis, Sponſi, Perfectoris, illuminatoris Eccleſiæ Cath. ſponſæ ipſius, Pontifici Romano attributa, iſtam traditionis limitationem non admittunt. Inde Authoritas gubernandi, jubendi, vetandi, leges figendi & refigendi, judicandi; & condemnandi, ſolvendi & ligandi; immenſa & infinita ipſi adſcripta, & facto ab illo uſurpata, eandem circumſcriptionem excludit. Accedit decretum, quo de neceſſitate ſalutis eſſe definitur, omnem humanam creaturam Pontifici Rom. ſubeſſe; item quo veteri latinæ verſioni authentica authoritas tribuitur. Ne multa, pro communi argumento iſtius diſſenſionis habemus; quod non audent certum traditionum non ſcriptarum inire cenſum, & numerum ſtatuere, ut poteſtatem ſibi reſervent in quavis controverſia traditionem producendi, & quo pro diverſis Eccleſiæ ſtatibus alia dogmata neceſſaria eſſe nonnulli ex illis afferunt.

Extrav. De Maior. & Obed. c. unã.

Synod. Trid. ſeſ. 4.

IX. Libentiſſimè autem fatemur traditionem, quam ſecundariam appellavimus, ad finem uſque mundi in Eccleſia duraturam, qua dogmata per Proph. & Apoſt. illi concredita per illam porro Filijs ejus adminiſtrantur. Qua de cauſa etiam firmamentum & columna veritatis appellatur, ſed ſecundario poſt Apoſt. qui, propter primariam traditionem, columnarum & fundamentorum nomine prius quam Eccleſia inſigniuntur.

1. Tim. 3. 15. Gal. 2. 9. Apoc. 21. 14

X. Ad ſecundam dicimus, Scripturam Canonicam veteris & novi Teſtamenti perfectè continere omnia dogmata, quæ ad ſalutem fidelium & gloriam Dei ſunt neceſſaria. Patet, 1. *ex teſtimonijs* Scripturæ expreſſis, vetantis quidpiam addi ad illa quæ præcepta ſunt (conſtat autem ex textu loqui Moſem de præceptis ſcripto comprehenſis) & jubentis ne quiſpiam ſapiat ſupra id quod ſcriptum eſt. 2. *ex ipſa materia dogmatum*, idque variè. Continet doctrinam Legis & Euangelij integrè. Item doctrinam fidei, ſpei, & charitatis perfectè. Tradit plenam Dei & Chriſti, in qua vita æterna poſita eſt, cognitionem. Dicitur Scriptura veteris & novi Teſtamenti & verè quidem; at Teſtamento nihil addi debet. 3. *A fine*, quem intendit & præſtat. Hæc ſcripta ſunt ut credatis, & credentes vitam habeatis. Scrutamini Scripturas, nam exiſtimatis vitam æternam in ipſis habere. 4. *Ab efficacia*, quia ſufficienter impedit citra aliam doctrinam, ne quis veniat in locum tormenti, hominem Dei ſapientem reddit ad ſalutem per fidem, & ad omne bonum opus inſtructum. 5. *ex uſu loquendi* Scripturæ uſitato quæ per Prophetas, ſcripta prophetarum: per Prophetas & ſermonem Propheticum, Scripturæ Prophetiam intelligit; quod Deus dixit & fecit, Scripturam dixiſſe & feciſſe narrat. Dicit enim Scriptura Pharaoni, providens Scriptura euangelizavit Abrahæ. Scriptura concluſit omnia ſub peccato.

1. Cor. 4. 6.

Ioan. 20. 31. Ioan. 5. 39.

Luc. 16. 29.

2. Pet. 1. 19. 25 21. Rom. 9. 17. Gal. 3. 18. Gal. 3. 22.

XI. Pontificij contra, non omnia ad ſalutem neceſſaria Scripturis contineri, ſed partim Scripturis, partim non ſcriptis traditionibus aſſeverant. Quam ſuam ſententiam tum

tum ipſis Scripturis, tum teſtimonijs Pontificum, Conciliorum, Patrum; Denique exemplis nonnullis allatis dogmatum neceſſariorum, attamen Scripturis non compræhenſorum, adſtruere nituntur. Quorum argumentorum robur ſingulatim in ipſa inſtituta *συζητήσει* examinaturi jam præſtructim dicimus: Loca Scripturæ ab illis horſum uſurpari ſolita, aut à recto ipſorum ſenſu detorqueri, aut propoſitum non concludere. Teſtimonia Pontificum, Conciliorum, & Patrum; utpote hominum, nobis non præjudicare. Exempla allata aut ex Scripturis comprobari, aut ad ſalutem neceſſaria non eſſe: quam disjunctionem tantæ neceſſitatis eſſe arbitramur, ut poſito quod ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſequatur Scripturis comprobari poſſe, imo debere: & poſito quod ex Scripturis comprobari nequeant, ſequatur ad ſalutem neceſſaria non eſſe, tam immotum & certum eſt nobis omnia dogmata ad ſalutem neceſſaria Scripturis contineri.

Ioa. 5.36 37. XII. Ad Tertiam reſpondemus.
1. Ioan. 5.7. Quemadmodum doctrinæ divinæ traditio alia primaria eſt, alia ſecundaria: Ita quoque teſtificatio de doctrinæ divinitate primaria eſt & ſecundaria. Primaria eſt ipſius Dei, cui propriè primò & per ſe competit doctrinæ ſuæ teſtimonium perhibere. (Ioan. 3. 2. Heb. 2.4. 1. Cor. 2.6.8.) Ille autem utitur teſtificatione duplici, una externa, quæ ſenſibus objicitur illorum quibus doctrina proponitur, & præparativa eſt ad fidem doctrinæ, etiam non intellectæ faciendam. Altera interna mentibus imprimens verum doctrinæ intellectum, & indubitatam adprobationem ejuſdem, quæ neceſſaria, propria & immediata cauſa eſt fidei iſtius, quam Deus verbo ſuo præſtari poſtulat, & quæ ſola eſt ſalutaris. Secundaria eſt Eccleſiæ, quæ certior facta per primariam illam teſtificationem, quæ Dei eſt, de divinitate doctrinæ iſtius, & obſignat quod Deus verax eſt, & teſtimonium perhibet doctrinæ ab illo acceptæ, Deo gratum, Doctrinæ debitum, ipſi decorum & hominibus utile. (Ioan. 3.33. 1. Ioan. 5. 9. Ioa. 5.34.36.) Notandum autem hoc teſtimonium Eccleſiæ non divinum, ſed humanum eſſe; & minus illo priore; quod valeat tantum cordibus præparandis per quandam reverentiam doctrinæ concillatam, ut illi & ex animo per internam Dei teſtificationem aſſentiantur. Teſtimonium Prophetarum, Apoſt. Euangel. Paſtorum, Doctorum, *συνεργῶν* Dei, ſub primario externo comprehendimus, ſiquidem illi immediatè vocati ſunt; ad ſecundarium, ſi mediate per Eccleſiam. (Ioan. 15. 26. 27.) Pontificij qui internæ teſtificationi minus, ſecundariæ plus tribuunt quàm à nobis explicatum eſt, meritò à nobis rejiciuntur.

XIII. His ita explicatis concedimus Apoſt. aliqua tradidiſſe Eccleſijs ad ordinem, decorum & ritus in illis uſurpandos pertinentia, quæ ab illis ſcripta non ſunt, verum illa neque Legis, neque Euangelij concernunt ſubſtantiam, neque ad ſalutem ſunt neceſſaria, neque immutabilia & perpetua, neque univerſalia, ſed accommodata ſtatui Eccleſiæ præſentis, & circumſtantijs illius. (1. Cor. 11.34.) Quin etiam damus, ut Eccleſiæ vel ſingulæ, vel plures de communi conſenſu, vel etiam omnes, ſiquidem convenire poſſent, Canones quoſdam rituales conficiant ad ordinem, decorumq; illarum, & ad munerum in il- (1. Cor. 14.40.)

in illis neceſſariò obeundorum dire-
ctionem, præſenti ædificationi ſer-
Col.2.18.21. 22.23. Act.11.30. 18. 1.Cor.14.5. vientem. Verum hiſce obſervatis conditionibus. 1. ut ritus verbo ſcripto non repugnent. 2. ne ſuperſtitionem admixtam habeant, aut foveant. 3. ne pro cultu divino habeantur, & laqueum conſcientiis injiciant. 4. ne numero plures ſint, aut exercitio graviores quam ut facilè obſervari poſſint. 5. ne Eccleſia ſibi ipſi præcidat libertatem mutandi, addendi, demendi, prout arbitrabitur ædificationem præſentem
1.Cor.14.32. 33. 2.Theſ.3.6. poſtulare: quibus ritibus utiliter in Eccleſia conſtitutis non licet cuivis privata authoritate reclamare, niſi inter inordinatos & pacis Eccleſiaſticæ turbatores nomen ſuum cenſeri velit.

THESIS QVARTA

DE

Natura Dei.

Reſp. D. D. IACOBO ARMINIO pro gradu.

I.

Gal.4.8. 2.Pet.1.4. Ariſt. de Rep.l.7.c.1. Cicero de Nat.Deor. NAturam Deo rectè tribui, tum ipſa rerum Natura & Scriptura Dei, tum ſapientum populorumque conſenſus teſtatur.

Eſa.44.6. Apoc.1.8. 1.Cor.2.11. 1.Tim.6.16 1.Cor.13.9. 1.Cor.13.12. II. Illa cognoſci nequit à priori: omnium enim prima eſt & infinitis ſeculis ſola ante omnia. A Deo ſolo adæquatè cognoſcitur, & per ipſam Deus: quia idem Deus quod illa. A nobis cognoſcitur quadantenus, ſed infinitè inferius eo quod ipſa eſt: quia nos ab illa per emanationem externam.

III. Cognoſcitur autem à nobis vel immediatè per viſionem claram ejus, ſicuti eſt: hæc facie ad faciem dicitur; & beatorum propria eſt in cœlis: vel mediate per imagines analogicas & ſigna, quæ ſunt tum actiones Dei externæ & opera ex illis, tum verbum ipſius, quod ea parte, quâ Chriſtum, imaginem Dei inconſpicui, & characterem hypoſtaſeos ipſius ſplendoremque gloriæ proponit, eo uſque cognitionem noſtram promovet, ut retecta facie gloriam Domini in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem transformemur ex gloria in gloriam. Hæc per ſpeculum in ænigmate dicitur, & viatorum peregrinantiumque à Domino propria eſt. 1.Ioan.3.2. Pſ.19.1.8. Rom.1.20. Rom.10.14.17. Col.1.15. Heb.1.3. 2.Cor.3.18. 1.Cor.5.6. Exod.33.20

IV. Duplex autem eſt ſecundæ iſtius perceptionis, ex operibus Dei & verbo illius, modus. Primus eſt affirmationis (qui etiam cauſalitatis & per habitudinem principii à Thoma appellatur) ſecundum quem perfectiones ſimplices, quæ Creaturis inſunt, ut à Deo productis, Deo tribuuntur analogice ſecundum ſimilitudinem aliquam. Alter eſt negationis ſive remotionis, ſecundum quem perfectiones ſecundum quid & imperfectiones omnes, quæ creaturis competunt, ut ex nihilo productis, à Deo removentur. Affirmationi, quia eſt per habitudinem cauſæ & principii, ad cujus excellentiam nunquam aſſurgit affectus, ſupereminentiæ modus addendus eſt, ſecundum quem perfectiones quæ de creaturis prædicantur, infinitè perfectiores in Deo intelliguntur. Modus iſte licet poſitivus ſit & affirmativus in ſe (natura enim Dei Pſa.94.9.10 Mal.7.11. Eſ.49.15. Eſ.45.8.9. 1.Cor.1.25. Eſ.40.15.17 22.25.

neceſſario

neceſſario (ut eſt ita cognoſcitur) in
poſitione non in negatione: tamen à
nobis nón niſi per negationem e-
nuntiari poteſt eorum modorum,
ſecundum quos creaturæ ſuarum
perfectionum ſunt participes, ſeu
perfectiones in creaturis circumſcri-
buntur: qui modi perfectionibus
creaturarum additi, efficiunt, ut quæ
ſine illis conſideratæ ſimplices per-
fectiones erant, ſecundum quid
perfectiones ſint, & eo ipſo a Deo
removendæ, unde adparet ſuper-
eminentiæ modum ab affirmatio-
nis & negationis modo ſpecie non
differre.

Geneſ. 1. V. Porrò in tota rerum Natura
Pſ. 104. 29. & Scriptura duo tantum reperiun-
Pſal. 148.
Act. 17. 28. tur ſubſtantialia, quibus omnis re-
rum perfectio continetur; Eſſentia &
Vita; illa omnium creaturarum exi-
ſtentium, hæc nonnullarum tantum
& perfectiſſimarum: ultra hęc duo
mens humana nihil ſubſtantiale &
comprehendere & ne cogitare qui-
Apoc. 1. 8. & dem poteſt. Nam & ipſa terminis
4. 8.
Dan. 6. 26. naturæ creatæ eſt circumſcripta, ut
pars ejus: quare ambitum totius ex-
cedere non valet. Vnde etiam in ipſa
Dei natura hæc duo tantum mo-
menta conſiderari a nobis poſſunt,
Eſſentia & Vita.

Problemata nobis ſunto.

An eſſentia corporea & vita vege-
tativa & ſenſitiva analogiam ad Dei
eſſentiam & vitam habeant, licet mi-
norem quam eſſentia ſpiritualis &
vita intellectualis.

Et ſi habeant, quomodo corpus &
ſenſus a Deo removeatur ſimpliciter.

Si non habeant, quomodo Deus
iſtam talem eſſentiam & vitam pro-
ducere potuerit.

VI. Vtraque autem in Deo con-
Pſ. 107. 27.
1. Tim. 6. 16. ſideranda eſt cum supereminentiæ
modo, id eſt, excellenter ſupra om-
nium creaturarum eſſentiã & vitam.

VII. Eſſentia Dei eſt, qua Deus
eſt, vel primum Naturæ divinæ
momentum, quo Deus eſſe intel-
ligitur.

VIII. Quia omnis eſſentia, quæ Col. 1. 16.
eſt in ſuperiore & inferiore rerum
natura, diſtribuitur in ſpiritualem &
corpoream, quarum illa perfectio-
nem notat ſimpliciter, hæc defectum
ab illa perfectione: hinc corpo-
ream a Deo ſecundum modum re- Deut. 4. 12.
motionis ſeparamus, & ſimul omnia 1. Reg. 8. 27.
illa, quæ corporeæ eſſentiæ, ſive Luc. 24. 39.
ſimplici ſive compoſitæ, quâ talis, Ioan. 4. 24.
conveniunt: utpote magnitudinem, 1. Tim. 1. 17.
Heb. 12. 9.
figuram, locum, partes, ſive ſenſi-
biles ſive imaginabiles, unde etiam
ſenſibus corporeis ſive externis ſive
internis percipi nequit, inviſibilis,
intactilis, inimaginabilis. Spiritua-
lem vero illi adſcribimus, & cum
ſupereminentiæ modo, ut Spirituum
Patri.

Itaque

1. Rejicimus Anthropomorphita- Deut. 4. 15. 16
rum dogma, & Pontificiorum into- Rom. 1. 23.
lerandum morem in effigianda Dei Eſ. 40. 18.
eſſentia uſurpari ſolitum. Act. 17. 29.

2. Quum Deo membra corporea
in Scripturis tribuuntur, id fit ob ſi-
militudinem effectuum, quos crea-
turę non niſi illorum membrorum
officio producere ſolent.

IX. Modus, quo eſſentia Dei Eſ. 43. 10. &
ſupereminenter & eſt, & ſpiritualis 44. 9. 14. &
46. 9.
eſt, ſupra omnium eſſentiarum, etiam Apoc. 1. 8.
ſpiritualium, excellentiam, negativè Rom. 11. 35.
36.
enunciari ut debet, ita primò &
immediatè unico verbulo poteſt, 1. Cor. 8. 4.
6.
quod ſit ἄναρχος καὶ ἀναίτιος, princi- Rom. 9. 5.
pij & cauſſæ expers tum externæ
tum internæ. Quum enim progreſ-
ſus in infinitum eſſe nequeat (ſecus

Ee enim

enim nulla eſſet eſſentia, nulla ſcientia) unam eſſe oportet, ſupra & ante quam nulla ſit alia. Illam autem Dei eſſe neceſſe. Cuicunque enim illa tribuetur, eo ipſo Deus id erit.

X. Quia Dei eſſentia omnis cauſæ expers eſt: hinc primò exiſtunt Simplicitas & infinitas Entitatis in Eſſentia Dei.

Rom. 11. 35. 36. Heb. 2. 10. Eſ. 40. 12. 22.

XI. Simplicitas eſt modus ſupereminens eſſentiæ Dei, quo omnis compoſitionis partiumque componentium, ſive ſenſibilium ſive intelligibilium expers eſt. Compoſitionis, quia expers cauſæ externæ: Partium componentium, quia cauſæ internæ expers. Non conſtat igitur Dei eſſentia ex partibus materialibus, integralibus, quantitativis, non ex materia & forma, non ex genere & differentia, non ex ſubjecto & accidente, non ex forma & formato (eſt enim ipſa ſibi forma per ſe exiſtens & ſe ipſa individuans:) non ex ſuppoſito & natura, non ex potentia & actu, non ex eſſentia & eſſe, unde Deus eſt ſua ipſius eſſentia & ſuum eſſe, idemque in eo quod eſt & quo eſt; totus oculus, auris, manus, pes, quia totus videt, audit, operatur, ubique eſt.

Pſa. 119. 8. 9. 10. 11. 12.

Itaque

Jacob. 1. 17.

Quidquid de Deo prædicatur abſolutè, id eſſentialiter non accidentaliter intelligitur: & quæ, ceu multa & diverſa, de Deo prædicantur, in Deo multa non ſunt ſed unum, noſtro tantùm conſiderationis modo, qui compoſitus eſt, ut multa & diverſa diſcernuntur. Quanquam non incommodè dici poſſit, quòd etiam formali ratione diſtinguantur.

Pſa. 145. 3.

XII. Infinitas Entitatis eſt modus ſupereminens eſſentiæ Dei, quo illa omnis limitationis & termini expers eſt: tum ſuperiùs tum inferiùs; tum antè tum poſt; ſuperiùs, quia à nullo ſuum eſſe accepit: inferiùs, quia forma, quæ ipſa eſt, non limitatur ad capacitatem alicujus materiæ, quæ ipſam recipiat: Ante, quia à nullo efficiente: Poſt, quia non eſt alius finis gratia. Intùs verò terminatur eſſentia proprietate ſua ſecundum quam eſt id quod eſt & non aliud; verum per hoc infinitati ejus non præſcribitur: eo ipſo enim quod ſit ſuum eſſe per ſe ſubſiſtens, non receptum ab alio, neque in alio, diſtinguitur ab omnibus alijs, & alia removentur ab eo.

Eſ. 43. 10. Eſa. 44. 9. Rom. 11. 36. Prov. 16. 4.

Itaque

Quicquid de Deo abſolutè prædicatur, immediatè, primò, & citra cauſam de illo prædicatur.

XIII. Ex ſimplicitate & infinitate eſſentiæ divinæ exiſtunt, Infinitas ratione temporis, quæ Æternitas; & ratione loci quæ Immenſitas dicitur; Impatibilitas, Immutabilitas, Incorruptibilitas.

Gen. 21. 33. Pſa. 90. 2. Eſa. 44. 6. 2. Tim. 1. 9.

XIV. Æternitas eſt modus ſupereminens eſſentiæ Dei, quo illa temporis expers eſt ſecundum terminum initij & finis; quia eſt Infinitæ Entitatis ſucceſſionem prioris & poſterioris, præteriti & futuri; quia ſimplicis Entitatis quæ nunquam potentia ſed ſemper actu eſt. Secundum illam igitur Eſſe Dei ſemper ipſius eſſentiæ univerſum, totum, plenum, indiſtanter, fixe & in præſenti adeſt, momenti inſtar quod partibus etiam intelligibilibus caret, & nunquam in fluxum progreditur; verum in ſeipſo manet. Licebit ergo Æternitatem cum Boëthio definire, vitæ nomine in eſſentiæ (bona illius venia) permutato, quod ſit Interminabilis tota ſimul & perfecta eſſentiæ

eſſentiæ poſſeſſio. Iure autem aliquo iſtam mutationem poſtulare poſſe videor, quia eſſentia in priore Naturæ divinæ momento conſideranda venit quàm vita, & æternitas non eſſentiæ per vitam, ſed vitæ per eſſentiam convenit.

Itaque

Quæcumque de Deo prædicantur abſolutè, illa ab æterno illi conveniunt, tota ſimul, quæque illi ab æterna non conveniunt, certum eſt illa non abſolutè, ſed per relationem ad creaturas de illo prædicari, ut Creatorem, Dominum, Iudicem eſſe univerſorum.

1. Re. 8 17. Iob. 11. 8. 9. XV. Immenſitas eſt modus ſupereminens eſſentiæ Dei, quo illa loci expers eſt ſecundum ſpatium & terminum; ſpatium coextenſum, quia eſt ſimplicis Entitatis, non habens partem & partem; itaque non partem extra partem: terminum ambientem ſeu extra quem non ſit, quia infinitæ Entitatis: fuitque Deus ante omnia ſolus ipſe ſibi & mundus & locus & omnia: ſolus autem, quia nihil extrinſecus præter ipſum.

Pſ. 139. 2. 9 Eſ. 66. 1. Act. 17. 27. 28. XVI. Ex hac immenſitate ſequitur, poſitis jam creaturis & locis, quibus creaturæ continentur, omni præſentia ſive ubiquitas eſſentiæ Dei, ſecundum quam tota illa eſt ubicunque creatura aliqua aut locus aliquis eſt, idque æqualiter puncti inſtar, quod totum adeſt toti peripheriæ, & ſingulis partibus ejus, abſque tamen circumſcriptione. Diſcrimen ſiquod eſt, illud a voluntate, potentia & actione Dei eſt.

XVII. Impatibilitas eſt modus ſupereminens eſſentiæ Dei, ſecundum quē illa paſſionis omnis expers eſt; tum quia nihil in illam agere poteſt, eſt enim Entitatis infinitæ, & cauſæ externæ expers; tum quia recipere nullius actionem poteſt; eſt enim ſimplicis Entitatis.

Itaque

Chriſtus non eſt paſſus ſecundum eſſentiam Deitatis ſuæ.

XVIII. Immutabilitas eſt modus ſupereminens eſſentiæ Dei, quo illa mutationis omnis expers eſt: Tranſlationis de loco in locum, quia ipſa ſibi finis eſt & bonum, & quia immenſa eſt: Generationis & corruptionis, alterationis, incrementi & decrementi eadem de cauſa; qua eſt Impatibilis, unde etiam in Scriptura illi Incorruptibilitas attribuitur: imo ne motus quidem in illum cadit ex operatione; convenit enim illi, & ſoli, in operatione quietum eſſe. Pſ. 102. 27. Mal. 3. 6. Iacob. 1. 17. Rom. 1. 23. Eſ. 40. 28.

XIX. Hi modi eſſentiæ Dei ita proprij ſunt Deo ut omni alij rei ſint incommunicabiles; tum ſecundum ipſos æquè atque ipſa Dei eſſentia, cujuſmodi ſunt, ſine qua communicari non poſſunt, niſi ipſam proprijs eſſendi modis ſpoliatam deſtruere velimus: tum ſecundum analogiam magis quam eſſentia; quia enim ſunt ſupereminentes, nihil illis analogum eſſe poteſt.

Itaque

Chriſtus non eſt ubique ſecundum humanitatem ſuam.

XX. Quum Vnum & Bonum ſint generales Entis affectiones, eædem Deo quoque ſunt tribuendæ, ſed cum ſupereminentiæ modo, juxta menſuram ſimplicitatis & infinitatis eſſentiæ ipſius. Gen. 1. 31. Mat. 19. 17.

XXI. Vnitas eſſentiæ Dei eſt, ſecundum quam ipſa ita omnimodè una eſt, ut in ſe prorſus ſit indiviſibilis, ſecundum numerum, Deut. 4. 35. 1 Cor. 8. 4.

 ſpeciem,

ſpeciem, genus, partes, modos, &c.
Ioſ.24.19. XXII. Convenit etiam eſſentiæ
Eſ.6.3. Dei, quod diviſa ſit ab omni alio
Gen. 1.3. & in nullius alterius rei compoſitio-
Exod.13.2. nem venire queat; idque nonnulli
1.Pet. 1.0. ſimplicitati, alij unitati eſſentiæ; qui-
1.Theſ.5.18 dam utrique adſcribunt. Legimus
autem Deo in Scripturis crebrò ſan-
ctitatem adſcribi, quæ plerunque
ſeparationem deſignat; fortè itaque
non incommodè id ipſum, quo Deus
ita diviſus eſt ab alijs, Sanctitatis
nomine appellari poterit.

Itaque

Deus non eſt anima Mundi, non
forma univerſi, non forma inhæ-
rens, non forma corporis.

Matt.19.17. XXIII. Bonitas eſſentiæ Dei &
Iacob.1.17. ſecundum quam ipſa ſummum &
1.Cor.10,31. ipſum bonum eſt, eſſentialiter in ſe
ipſa, ex cujus participatione omnia
alia ſunt, & bona ſunt: & ad quam
omnia alia tanquam ad ſummum fi-
nem ſunt referenda. Hac ratione
dicitur communicabilis.

XXIV. Hi modi & affectiones ita
eſſentiæ primò tribuuntur, ut per
reliqua omnia, quæ in poſteriore
naturæ divinæ momento conſide-
randa veniunt, duci debeant, quod ſi
Mal.3.6. fiat, præſertim per ea quæ ad opera-
Num.23.19. tionem Dei pertinent, tum peram-
Thr.3.22. pla utilitas ex illis & earum cogni-
Hoſ.11.9. tione ad nos redundabit: quam non
præſtant, ſi in hoc tantum naturæ
divinæ momento conſiderentur.

DE VITA DEI.

Pſal.42.3. XXV. Vita Dei, quæ in ſecundo
Hebr.3.12. momento naturæ divinę conſide-
Num.14.21. randa venit, eſt Actus ab eſſentia
Dei fluens, quo illa in ſe actuoſa eſſe
ſignificatur.

XXVI. Actum ab eſſentia fluen-
tem dicimus: quia quum intelle-
ctus noſter in natura Dei eſſentiam
& vitam ſub formis diſtinctis con-
cipiat, & illam prius hac: cavendum
ne hæc ut actus ad illam accedens
concipiatur, unitatis inſtar, quæ uni-
tati addita facit binarium: ſed ut
actus ab illa fluens promovente ſe ad
ſui perfectionem, quemadmodum
punctus ſuo fluxu ſe promovet in
longitudinem: atque hęc tantum no-
ſtræ conſiderationis modo intelligi
volumus, qui cogimur tenebroſitatis
noſtræ vocibus uti ad lucem illam
inacceſſam aliquo modo adumbran-
dam.

XXVII. Eſſentiam per vitam Heb.4.12.
actuoſam dicimus, quia omnes Dei
actiones tum internæ, tum externæ,
tum ad intra, tum ad extra, vitæ ip-
ſius tanquam proximo & immedia-
to principio ſunt adſcribendæ. Qua
enim vivit Deus Pater producit ex
ſua eſſentia Sermonem & Spiritum
ſuum; Qua vivit Deus, intelligit,
vult, poteſt, facit omnia, quæ intel-
ligit, vult, poteſt, facit. Vnde quum 1.Tim.1.11.
beatitudo in actu conſiſtat, vitæ illa Rom.6.23.
proprie adſcribitur, quæ etiam cauſa Ierem.4.2.
videtur, quod juramentum præſtari
voluerit hiſce conceptis verbis: Vi-
vit Dominus.

XXVIII. Vita Dei eſt ipſamet 1.Tim.1.17.
eſſentia; ipſumque eſſe Dei; quia 2.Tim.6.16
eſſentia divina ſimplex eſt omni Gen.2.7.
modo, eſt infinita, & propterea Æ- Act.17.28.
terna & Immutabilis: undè immor- Rom.8.10, 11.
talitas illi tribuitur & quidē ſoli, quę 1.Cor.15.28.
propterea nulli creaturæ communi-
cari poteſt. Eſt immenſa ſine incre-
mento & decremento; eſt una & in-
diviſa, ſancta & ſecreta ab omnibus
rebus; bona & hinc communicabi-
lis ipſa, & communicativa ſui, tum
per creationem, & conſervationem,
tum

tum per inhabitatioem inchoatam in hoc ſeculo, conſummandam in futuro.

XXIX. Vita autẽ Dei tribus facultatibus actuoſa eſt. Intellectu, Voluntate, & Potentia propriè dicta. Intellectu objectum ſuum qualecunq; intus conſiderante, ſive unum ſit, ſive unitum ipſi in intellectione. Voluntate primum, ſummum, & οἰκεῖον ſuum objectum intus volente; reliqua extrinſecus. Potentia tantum extrinſecus operante, quæ etiam cauſa eſſe poteſt, quod illa propriè potentiæ nomine appelletur, utpote quæ in omnia ſua objecta prius operari poſſit quam reipſa operatur.

DE INTELLECTV DEI.

Rom. 11. 33. XXX. Intellectus Dei eſt vitæ ipſius facultas natura & ordine prima, qua omnia & ſingula, quæ Entitatem qualemcunque habent, habitura ſunt, habuerunt, habere poſſunt, ex hypotheſi haberent, omniumque & ſingulorum inter ſe ordinem, connexionem, reſpectuſque varios, quos habent, aut habere poſſunt, diſtinctè intelligit, ne excluſa quidem illa Entitate, quæ rationis eſt, & in mente, imaginatione, enuntiatione tantum exiſtit, vel exiſtere poteſt.

Act. 15. 18.
Heb. 4. 13.
Mat. 11. 31.
Pſal. 147. 4.
Eſ. 41. 22. 23.
Eſa. 44. 7.
Mat. 10. 30.
Pſalm 145.
1. *Ioan.* 3. 20.
1. *Sam.* 16. 7.
1. *Reg.* 8. 39.
Pſ. 94. 11.
Eſ. 40. 28.
Pſ. 147. 5.

XXXI. Intelligit ergo Deus ſeipſum: Novit omnia poſſibilia, ſive illa ſint in potentia Dei vel creaturæ; in potentia activa vel paſſiva; in potentia operandi, imaginandi, enuntiandi: novit omnia quæ exiſterent poſita aliqua hypotheſi, novit alia à ſe, neceſſaria, contingentia: bona, mala; univerſalia, ſingularia; futura, præſentia, preterita; excellentia, vilia: ſubſtantialia, accidentalia, omnis generis; actiones, paſſiones, modos & circumſtantias omnium; externa dicta & facta; internas cogitationes, conſultationes, conſilia, decreta: Entia rationis, complexa, incomplexa. Quæ omnia junctim intellectui Dei tributa id efficere videntur, ut Deus infinita noſſe meritò dici queat. *Pſalm.* 139. *Pſalm* 94. 9. *Pſ.* 40. 13. 14.

XXXII. Novit Deus omnia quæ novit, non per ſpecies intelligibiles, non per ſimilitudinem; (non enim opus eſt ut utatur abſtractione & applicatione ad intelligendum) ſed per ſuam ipſius eſſentiam, & ſolam, exceptis malis, quæ indirectè novit per oppoſita bona, ſicut mediante habitu cognoſcitur privatio.

Itaque

1. Seipſum totum novit & adæquatè; eſt enim totus ens, lux, & oculus; alia verò etiam tota, ſed excellenter ut in ipſo ſunt & ejus intellectu, adequatè ut in proprijs naturis. 1. *Cor.* 2. 2. *Pſal.* 94. 9.

2. Seipſum primò novit, & impoſſibile eſt, ut primum & per ſe intellectum à Deo ſit aliud, quàm ipſius eſſentia.

3. Intelligere Dei eſt ipſius eſſe & eſſentia.

XXXIII. Modus quo Deus intelligit non eſt ſucceſſivus, qui eſt vel per compoſitionem & diviſionẽ, vel per diſcurſum; ſed ſimplex & per infinitum intuitum. *Heb.* 4. 13.

Itaque

1. Ab æterno novit omnia, nihil de novo. Nam nova illa perfectio aliquid adderet eſſentiæ ejus per quam omnia intelligit; vel intellectio excederet eſſentiam ſi nunc intelligeret, quod non intelligebat antea; quod fieri nequit, quum per eſſentiam omnia intelligat. *Act.* 15. 18. *Epheſ.* 1. 4.

 2. Immen-

Pſ.147.5. 2. Immenſè novit omnia citra augmentum & decrementum rerum cognitarum & ipſius ſcientiæ.

Iac.1.17. 3. Immutabiliter cognoſcit omnia non variate cognitione ejus ad infinitas rerum cognitarum mutationes.

Hebr.4.13. *1.Reg 8.39.* *Pſ.34.10.&c.* 4. Vno & individuo actu cognoſcit omnia, non diſtractus ipſe in plurima, ſed collectus in ſemetipſum: neque tamen confuſè, nec universè & in genere tantum, ſed diſtinctè & ſpecialiſſimè ſeipſum in ſeipſo, res in cauſſis ipſarum, in ipſis, in eſſentia ſua, in ipſis præſenter, in cauſſis antecedenter, in ſeipſo ſupereminenter.

Pſal.13.2. 5. Et propterea quum Deo ſomnus, dormitatio, oblivio tribuitur, eo ſignificatur tantum dilatio repetundarum de hoſtibus pœnarum, & ſolatij auxilijque amicis præſtandi procraſtinatio.

XXXIV. Quanquam Deus uno & ſimplici actu intelligat omnia, tamen ordo quidam in objectis cognitionis non incommode aſſignari poteſt, imo & debet noſtra cauſa. 1. novit ſeipſum. 2. omnia poſſibilia, quæ ad tria velut genera referri poſſunt: ut Primum ſit eorum, ad quæ potentia Dei immediatè ſe extendere poteſt, ſeu quæ puro & ſolo ipſius actu exiſtere poſſunt. Secundum illorum, quæ a creaturis, ſive illæ exſtituræ ſint ſive non, ipſius conſervatione, motu, auxilio, concurſu, permiſſu exiſtere poſſunt. ſive illæ in hoc, ſive in illo, ſive in infinitis rerum ordinibus collocarentur, imò & quæ exiſterent a creaturis, ſi hæc vel illa hypotheſis poneretur. Tertium illorum quæ Deus de actibus creaturarum vel ſibi vel actibus convenienter facere poteſt. 3. omnia Entia, ſive illa ut futura, vel ut præterita, vel ut præſentia conſiderentur: atque horum etiam triplex ordo; Primus ordo eſt eorum, quæ puro ipſius actu ſunt exſtitura, exſtant, exſtiterunt. Secundus eorum quæ interventu creaturarum, vel ab ipſis vel per illas ipſius conſervatione, motu, auxilio, concurſu, permiſſu ſunt exſtitura, exſtant, exſtiterunt. Tertius illorum, quæ ipſe de actibus creaturarum vel ſibi vel actibus convenienter facturus eſt, facit, fecit. Quę conſideratio infinitæ eſt utilitatis in varijs doctrinæ Theologicæ capitibus.

1.Sam.23.11.12. *Mat.11.21.* *Ier.18.6.* *Eſa.44.7.* *Act.15.18.* *Pſ.139.4.* *Deut.28.*

Pſal.94. *1.Thes.2.4.* *Rom.2.18.* XXXV. Sanctè Deus intelligit omnia, res prout ſunt citra admixtionem conſiderans; unde non ſecundum perſonam & faciem judicare dicitur, ſed ſecundum veritatem.

1.Sam.23.11.12. *Mat.11.21.* XXXVI. Intellectus Dei certus eſt, neque unquam falli poteſt, adeò ut etiam futura contingentia certò & infallibiliter videat, ſive illa videat in cauſis ipſarum, ſive in ipſis. Nititur autem iſta certitudo infinitate eſſentiæ Dei, per quam omnia intelligit præſentiſſimè.

Eſ.40.13.14. *Rom.11.14.35.* XXXVII. Intellectio Dei a nulla cauſa externa cauſatur, ne ab objecto quidem: quanquam ſi objectum futurum non ſit; non ſit quoque de eo futura Dei intellectio.

Act.27.22.23.24.25.31. *Act.23.11.& v.12.16.&c.* *Act.2.10.12.* *Act.16.32.* *Rom.11.34.* *Pſ.147.5.* XXXVIII. Intellectio Dei quantumvis certa & infallibilis, neceſſitatem tamen rebus non imponit, imò potius contingentiam in illis ſtabilit. Quum enim illa non tantum ſit rei ipſius, ſed etiam modi rei, neceſſe eſt ut rem & modum rei, qualis eſt, cognoſcat, & propterea, ſi modus rei ſit contingens, non

eſſe

eſſe contingentem; quod nequit fieri, ſi rei iſte modus vel ſola ratione intellectionis divinæ in neceſſarium mutetur.

XXXIX. Quum Deus tam varia per unum infinitum intuitum distinctè intelligat, meritiſſimo jure illi omniſcientia vel omniſapientia tribuitur, quæ tamen in Deo non ſecundum modum habitus, ſed actus puriſſimi, eſt conſideranda.

XL. Cæterum ſcientia Dei unica & ſimpliciſſima poteſt ſecundum varia objecta & reſpectus ad objecta aliquot modis diſtingui, in theoreticam & practicam, viſionis & ſimplicis intelligentiæ.

Iſa.48.8. Eſa 37.28. & Eſ. 10.5. XLI. Theoretica ſcientia eſt qua res ſub ratione Entitatis & veritatis intelliguntur. Practica, qua ſub ratione boni, & ut objecta voluntatis & potentiæ ejus conſiderantur.

XLII. Scientia viſionis eſt qua ſe & omnia alia Entia novit quæ ſunt, erunt aut fuerunt. Simplicis intelligentiæ, qua poſſibilia: illam alij definitam & determinatam; hanc indefinitam ſeu indeterminatam appellant.

XLIII. Dicunt inſuper Scolaſtici ſcientiam Dei aliam eſſe naturalem & neceſſariam, aliam liberam, aliam mediam. Et naturalem quidem ſeu neceſſariam, qua Deus ſeipſum & omnia poſſibilia intelligit. Liberam qua novit omnia alia Entia. Mediam qua novit, ſi hoc ſit, illud futurum. Illa præcedit omnem liberum voluntatis divinæ actum. Iſta actum voluntatis liberum ſequitur. Hæc poſtrema actum quidem voluntatis liberum præcedit; ſed ex hypotheſi illius aliquid futurum videt. Strictè autem loquendo omnis Dei ſcientia neceſſaria eſt. Neque enim ex eo quod voluntatis liber actus objectum præſtat intellectui, hinc libera eſt intellectio Dei; ſed poſito objecto qualicunque, neceſſario illud cognoſcit intellectus divinus propter infinitatem eſſentiæ ipſius: poſito itidem ex hypotheſi objecto qualicunque, neceſſario intelligit Deus quid ex illo ſit exiturum.

XLIV. Scientia libera & viſionis, quæ & præſcientia dicitur, qua Entia alia cognoſcuntur, quum liberum voluntatis actum ſequatur, non eſt cauſa rerum, deque illa vere dicitur, quòd res non ſint quia eas futuras novit Deus, ſed quòd futuras novit quia ſunt futuræ.

XLV. Scientia Dei quæ practica, ſimplicis intelligentiæ, & naturalis ſeu neceſſaria dicitur, eſt cauſa omnium rerum per modum præſcribentis & dirigentis, accedente voluntatis & potentiæ actione: quanquam mediam illam intervenire neceſſe ſit in rebus, quæ à libertate arbitrij creati pendent. Pſ.104.24.

XLVI. Scientia Dei ita ipſi propria eſt, ut nulli rei creatæ communicari poſſit, ne Chriſti quidem animæ, quanquam lubentes fateamur Chriſtum omnia illa ſcire, quæ ad officij functionem & beatitatem ejus perfectam requiruntur. 1.Reg.8.39. Mat.24.36.

DE VOLVNTATE DEI.

XLVII. Voluntatis Dei nomine ipſa volendi facultas propriè, at figuratè nunc actus volendi, nunc objectum volitum ſignificatur. Ioan.9.31. Pſ.115.3.

XLVIII. Voluntatem Deo rectè tribui tum eſſentiæ & intellectus

Dei

Dei ratio, tum Scriptura & hominum conſenſus teſtatur.

XLIX. Illa eſt vitæ Dei facultas altera, intellectum ſequens & ex illo producta, qua Deus in bonum cognitum fertur. In bonum, quia ipſum eſt adæquatum voluntatis objectum. In cognitũ, quia in idipſum qua ens prius fertur intellectus, non tantum id quà ens cognoſcendo, ſed etiam quod bonum ſit judicando. Vnde illius actus eſt id, ceu bonum voluntati, ſibi congeneri, ſive potius ex ſe natæ, offerre, ut & ille ſuo circa idipſum officio & actu fungatur. Malum autem, quod culpæ dicitur, *Pſalm. 5. 5.* non vult Deus. Quia nullum bonum malo iſti connexum magis vult, quàm bonum, qui malitia peccati adverſatur, nempe bonum ipſum divinum; quod omnia Dei præcepta clariſſime demonſtrant.

Mat. 19. 7. L. Bonum autem duplex eſt, *Gen. 31.* ſummum & aliud à ſummo: *Rom. 11. 36.* ordo inter hæc eſt, ut hoc non ſit cum illo, ſed ab illo, per intellectum & voluntatem illius. Quare ſummum bonum eſt primum, potiſſimum & directum voluntatis divinæ objectum, *Pro. 8. 22. 23 24.* infinita ſc. ipſius eſſentia, quæ ab æterno infinitis ante exiſtentiam alius boni ſeculis ſola fuit, & propterea unicum Bonum: unde etiam non incommodè *ϊδιον* & adæquatum divinæ voluntatis objectum dici poteſt. In quam quum Intellectus & voluntas Dei ſuo ſinguli actu ferebantur, tantam Entitatis & bonitatis plenitudinem in ea compererunt, ut ille communicationem ejus ad extra inſtituendum judicaverit, & quidem hoc modo iſta communicationem hujuſmodi adprobarit: *Apo. 4. 11.* unde exiſtentia alius boni qualiſcunque à ſummo, quod propterea voluntatis Dei non niſi indirectum objectum dici poteſt, quod Deus *Pro. 16. 4.* vult propter illud ſummum, vel potius vult eſſe propter illud ſummum.

Itaque

Voluntas Dei eſt ipſamet Dei eſſentia, diſtincta tamen ab illa ſecundum formalem rationem.

LI. Actus quo voluntas Dei ten- *Pro. 16. 4.* dit in objecta ſua eſt. 1. ſimpliciſſimus: nam ut intellectus Dei ſimpliciſſimo actu intelligit eſſentiã ſuam, & per illam omnia alia; ſic voluntas *Eſa. 43. 7. Eph. 1. 5. 6. 7. 8. 9.* Dei uno & ſimplici actu vult bonitatem ſuam & omnia in bonitate ſua. Itaque multitudo volitorum non repugnat ſimplicitati voluntatis divinæ. 2. Infinitus, non enim mo- *Deut. 7. 7.* vetur à cauſa externa ut velit, *Mat. 11. 26.* non ab efficiente alio, non à fine, qui extra ipſum ſit; ne ab objecto quidem, quod non ſit ipſe. Imo volitio finis *Act. 17. 25.* non eſt ei cauſa volendi ea, quæ ſunt *Pſal. 16. 2.* ad finem; quanquam velit ea, quæ ſunt ad finem, ordinari in finem. Cui veritati non obſtat, quod non- *1. Sam. 2. 30.* nulla voliturus ſeu facturus non eſſet, niſi actus aliquis creaturæ interveniret. 3. Æternus, quia nihil poteſt Deo de novo aut eſſe aut videri bonum. 4. Immutabilis, quia quod *Mal. 3. 6.* ſemel illi bonum fuit aut viſum fuit, *Rom. 11. 1.* perpetuo illi tale eſt & videtur, & id, *2 Tim. 2. 19* quo Deus aliquid velle cognoſcitur, *Rom. 9. 11.* *Rom. 12. 2.* nihil aliud eſt quam ipſa immutabi- *Pſ. 119. 137.* lis Dei Entitas. 5. Sanctus, quia Deus in objectum ſuum tendit tantum quia bonum id ſit, non propter aliud quid ipſi adjunctum, & tantum quia intellectus id bonum ducit, non quia adfectus in id inclinet citra rectam rationem.

LII. Quemadmodum ſimplex & æternus actus, quo omnia ſua objecta

objecta cognoſcit intellectus divinus, ordinem ab ijs non excluſit, ita quoque ordinem quendam aſſignare licebit, ſecundum quem ſimplex & unus voluntatis Dei actus in ſua objecta fertur. 1. vult Deus eſſentiam & bonitatem ſuam. i. ſeipſum:
Prov. 16. 4. 2. vult omnia illa, quæ ex infinitis ſibi poſſibilibus entibus per extremum ſapientiæ ſuæ judicium facienda judicavit: & 1. quidem vult illa
Gen. 1. 31. facere: Deinde erga illa facta affectus eſt voluntate ſua, prout ſimilitudinem aliquam habent cum ipſius
Joan. 14. 13. naturâ. Tertium voluntatis objectum
Exod. 20. 1. 2 &c. ſunt illa, quæ æquum eſſe judicat,
Mich. 6. 8. ut a creaturis intellectu & libero arbitrio præditis fiant: & volitio circa hæc præcepto ſignificatur, cui etiam includimus prohibitionem illius, quod ab eadem creatura fieri non vult. An conſilia hic locum habere poſſint, diſceptari permittimus, modo ne illa quæ conſuluntur, velut ſupererogationis æſtimentur.
Act. 14. 16. 17. Quartum voluntatis divinæ objectū eſt Permiſſio divina, qua creaturæ
Pſ. 81. 13.
Eſaiæ 5. 4. rationali permittit id facere, quod prohibuit, & omittere quod præcepit: quæ conſtat ſuſpenſione impedimenti efficacis, non debiti & ſufficientis.
Eſaiæ 5. 5. Quintum voluntatis divinæ
1. Sam. 2. 30 objectum ſunt illa, quæ ſecundum
Geneſ. 22. 16 17. infinitam ſapientiam ſuam judicat facienda de actibus creaturarum rationalium.

LIII. Etſi autem volitionis Dei cauſa nulla ſit ab extra, tamen cum
Pſ. 2. 21. 22. Deus ordinem velit eſſe in rebus, qui in eo potiſſimum ſitus eſt, ut aliæ ſint aliarum cauſæ, eatenus volitio Dei, ut fertur in illa objecta, eſt quaſi cauſa ſui ipſius ut fertur in alia; ſic cauſa, cur alicujus condemnationem
Joan. 6. 40.
Rom. 7. 8. velit, eſt, quia vult ordinem juſtitiæ ſuæ obſervatum in univerſitate Mundi. Neque propterea negamus, quin actus creaturæ aut omiſſio ejus hucuſque occaſio, vel cauſa προκαταρκτικὴ eſſe poſſit volitionis alicujus divinæ; ut citra conſiderationem actus illius vel omiſſionis Deus iſta tali volitione ſuperſederet.

LIV. Deus per ſuam voluntatem, mediante potentia, omnium aliarum rerum cauſa eſt, ita tamen, ut cum per ſecundas cauſas agit vel cum illis vel in illis, modum proprium agendi ipſis divinitus inditum non tollat; verum eaſdem ſecundum modum proprium ipſarum ſuos effectus producere ſinat, neceſſarias neceſſariò, contingentes contingenter, liberas liberè, quæ ipſa contingentia & libertas cauſarum ſecundarum non impedit, quo minus certo fiat, quod Deus per eas iſto modo operatur; & propterea certa eventus futuritio neceſſitatem non includit. *1. Sam. 2. 30.* *Jer 18. 7 8.* *Thr. 3. 37. 38.* *Eſ. 10. 5. 6 7* *Gen. 45. 5. 8* *Act. 27. 23, 31.*

LV. Quanquam Deus uno & individuo actu velit omnia, quæ vult, poteſt tamen voluntas ejus, ſeu potius volitio, ex objectis ratione modi & ordinis, ſecundum quem in objecta fertur, diſtingui.

LVI. 1. Voluntas in objectum ſuum fertur aut ſecundum modum naturæ, aut ſecundum modum libertatis: ſecundum modum naturæ tendit in objectum primum, οἰκεῖον & naturæ adæquatum; ſecundum modum libertatis in alia omnia, hinc Deus
naturali neceſſitate vult ſeipſum, *2. Tim. 2. 13.*
liberè verò omnia alia. Quanquam actus poſterior ordine adſtrictus eſſe poſſit per liberum actum ordine priorem; quæ poteſt *Apoc. 4. 11.*
dici neceſſitas ex hypotheſi, originem

 habens

habens partim ex libera volitione & actione Dei; partim ex immutabilitate naturæ ipſius. *Heb. 6.10.11* Non eſt injuſtus Deus, inquit Apoſtolus, ut obliviſcatur laborioſæ charitatis piorum; quia liberè promiſit illis remunerationem, & naturæ immutabilitas promiſſa reſcindere non patitur.

Pro. 16. 4. LVII. Huic ſubjungendâ altera diſtinctio, ſecundum quam vult aliquid ut finem, alia ut media ad finem. In finem tendit naturali appetitu voluntas, in media per liberam electionem.

Pſa. 115. 3. Mat 3. 35. 1 The. 4. 3. Deut. 29. 29 1. Cor 2 11. 12. Pſal 33. 9. Rom. 9. 19. 1. Sam. 17. 14. Eſa. 54. 5. Mat. 20. 39. 40 41. Actor 5. 4. 1 Cor. 7. 23.

LVIII. Inde diſtinguitur voluntas Dei in illam, qua vult facere vel impedire aliquid, quæ beneplaciti dicitur vel potius placiti; & in illam, qua vult fieri vel non fieri aliquid à creaturis intellectu præditis, & voluntas Signi dicitur; hæc revelata eſt; illa partim revelata eſt, partim occulta eſt. Illa efficax eſt: utitur enim potentiâ, aut tantâ, cui reſiſti nequit, aut tali, cui certò ſcit nihil obſtiturum: hæc inefficax dicitur & crebro illi reſiſtitur, ita tamen ut cum hujus ordinem excedit creatura, ab illa in ordinem redigatur, fiatque de ijs voluntas Dei, à quibus voluntas Dei facta non eſt. *Act. 14. 16. Pſ. 81 13.* Huic voluntati duplici opponitur voluntatis remiſſio, quæ permiſſio dicitur, eaque duplex; una, quæ permittit aliquid poteſtati creaturæ rationalis non circumſcribendò actum lege, & hæc eſt oppoſita voluntati ſigni; alia, qua permittit aliquid potentiæ & voluntati creaturæ, non ponendo impedimentum efficax, & opponitur voluntati placiti & efficaci.

Deut. 7. 7. 8. Rom 11. 35. Ioan. 3. 16. Exod. 31 32. 33. LIX. Quę Deus vult facere, illa vel ex ſe vult non propter ullam cauſam extra ipſum poſitam, ſive id ſit citra ullius actus à creatura profecti conſiderationem, ſive ex actus creaturæ occaſione ſola, vel ob priorem aliam cauſam ex parte creaturæ poſitam, cujus diſtinctionis reſpectu dicitur aliquod opus proprium Dei, aliquod extraneum & alienum opus ipſius; quod etiam ſignificavit Eccleſia his verbis; O Deus, cujus proprium eſt miſereri ſemper & parcere. *1. Sam. 15. 17. 28. Thr. 3. 33. Eſ. 28. 21.*

LX. Diſtinguunt etiam nonnulli voluntatem Dei in antecedentem & conſequentem; quæ diſtinctio reſpectum habet ad unam eandemque volitionem ſive actionem creaturæ rationalis, quam ſi antecedat actus voluntatis divinæ, voluntas antecedens dicitur, ſi conſequatur conſequens. Verum illa antecedens, velleitas potius quàm voluntas dicenda videtur. *1. Tim. 2. 4. Act. 1. 25. Mat. 23. 37. 28.*

LXI. Ab iſta diſtinctione non multum abcedit altera, ſecundum quam Deus nonnulla velle dicitur, quatenus ſecundum naturam ſuam abſolutè conſiderata bona ſunt: alia verò quatenus ſpectatis etiam omnibus circumſtantijs appetenda intelliguntur.

LXII. Vult etiam Deus aliqua in cauſis ſuis antecedentibus, hoc eſt, qua ratione cauſas eorum vult, ipſaſque ita ordinat, ut effectus ex his conſequi, & ſi conſequantur, Deo per ſe placere poſſint. Alia non tantum in cauſis ſuis, verum etiam in ſeipſis vult. Cui coincidit diſtinctio voluntatis in conditionalem & abſolutam. *Ezech 33. 11. Geneſ. 4. 7. Ioan. 6. 40. Mat. 12. 15. 25.*

LXIII. Denique vult Deus nonnulla per ſe aut per accidens: per ſe quæ bona ſunt ſimpliciter & relativè; per accidens quæ reſpectu mala ſunt, at talia bona ſibi conjuncta *2 Pet. 3. 9.*

juncta

Ier. 9. 9. *Pſa. 50. 21.* *Ierem. 13. 6.* juncta habent, quæ magis vult quam bona reſpectiva illis malis oppoſita; ſic vult mala pœnæ; quia mavult ordinem juſtitiæ ſervari in punitione, quam impunitatem creaturæ peccatricis.

1. An duæ volitiones Dei affirmativè contrariæ in unum idemque & uniforme objectum tendere poſſint.

2. An una volitio Dei in objecta contraria tendere poſſit; problemata nobis ſunto.

Thom. 1. quæſt. 20. LXIV. In hoc divinæ naturæ momento conſideranda veniunt illa Dei attributa, quæ ipſi in Scripturis ſive propriè ſive figuratè tribuuntur ſecundum quandam analogiam affectuum & virtutum moralium in nobis; qualia ſunt Amor, Odium, Bonitas, Miſericordia, Deſiderium, Ira, Iuſtitia, &c.

LXV. Quæ affectuum analogiam habent, ad duo ſumma genera commodè referri poſſunt, ut unum ſit eorum, quos primos ſive præcipuos appellare poſſumus; alterum derivatorum à primis.

Prov. 15. 4. *Pſalm 11. 7.* *Ioan. 3. 16.* *Sap. 11. 25.* *Pſalm 5. 5.* LXVI. Primitivi ſunt Amor, cui oppoſitum eſt odium; & Bonitas, & his connexæ Gratia, Benignitas & Miſericordia.

Ezech. 23. 11 *Deut. 25. 15. &c.* *Eſa 1. 24.* *Pſalm 12. 5.* *Deut. 28. 63* *Eſa. 66. 4.* LXVII. Amor eſt affectus unionis in Deo, cujus objecta ſunt Deus ipſe & bonum Iuſtitiæ, Creatura & felicitas illius. Odium eſt affectus ſeparationis in Deo, cujus objectum eſt injuſtitia & miſeria Creaturæ. Cum autem Deus præcipuè amet ſe & bonum juſtitię, eodemque momento iniquitatem odio habeat; creaturam verò ejuſque beatitatem ſecundario amet, & iſto momento miſeriam creaturæ odio habeat; hinc fit, ut creaturam in injuſtitia pertinaciter perſeverantem odio habeat & amet miſeriam illius.

LXVIII. Bonitas eſt affectus in Deo communicandi bonum ſuum. *Apoc. 4. 12.* *Gen. 1. 31.* Hujus primum objectum ad extra eſt nihilum, & adeò neceſſario primum, ut illo ſublato nulla ad extra communicatio eſſe queat. Hujus bonitatis progreſſus *Eſ. 61. 4. 5.* primus eſt in creaturam qua creatura eſt, ſecundus in creaturam quà officium facit, ad communicandum bonum ultra remunerationem promiſſam, qui uterq; progreſſus commodè Benignitatis nomine appellari poteſt. Tertius progreſſus eſt in *Rom. 5. 7.* creaturam, quæ peccavit & eo ipſo *Ezec. 16. 6.* miſeriæ obnoxia facta eſt; qui Miſericordia dicitur; affectus nempe ſubveniendi miſero, nihil obſtante peccato. Hoſce progreſſus ita bonitati attribuimus, ut interea amori Dei erga creaturas ſuas quoque in illis partes concedamus.

LXIX. Gratia videtur bonitati *Exo. 34. 6.* & amori erga creaturas tanquam *Rom. 5. 8.* proprium adjunctum aſſiſtere, ſe- *2. Ioan. 4. 7.* cundum quam Deus affectus eſt ad communicandum ſuum bonum amandumque creaturas, non ex merito aut debito, neque ut ipſi Deo aliquid accedat, ſed ut benè ſit illi, cui bonum tribuitur, & qui amatur.

LXX. Affectus orti à primis *Pſa. 16. 2.* ſunt ſpeciales, utpote qui non circa bonum & malum in communi, verùm ſpeciatim circa illud quà abſens vel præſens eſt, verſantur, hos diſtinguimus ex noſtræ conſiderationis modo, quà vel in concupiſcibili vel in iraſcibili analogiam aliquam habent.

LXXI. In concupiſcibili. 1. de- *Pſa. 81. 14. 15. 16.* ſiderium & quod illi oppoſitum eſt, inde

inde gaudium & dolorem conſide-
Eſa. 48.18. 19. ramus. Deſiderium in Deo poni-
mus affectum obtinendi opera ju-
Pſalm 5. 5. ſtitiæ creaturis intellectu præditis
Ier. 5 7.9. præſcripta, & dandi remunerationis
præmium; huic oppoſitus eſt affe-
ctus, ſecundum quem execratur ope-
ra injuſtitiæ & remunerationis o-
miſſionem. Gaudium eſt affectus ex
Eſa.62.5. rei convenientis præſentia; quales
Pſa.81 14. ſunt, fruitio ſui ipſius, obedientia
Prov.1. 24. creaturæ, communicatio bonitatis
25. 26. ipſius, & interitus rebellium & ho-
Geneſ. 6. 6. ſtium ſuorum. Dolor illi oppoſitus
Iere 18 8.9. eſt ex inobedientia creaturæ, miſeria
10. ejuſdem, & occaſione data à popu-
lo ſuo blaſphemandi nomen Dei
inter Gentes. huic affinis eſt pœni-
tentia, quæ nihil aliud eſt in Deo,
quam mutatio voliti vel facti pro-
pter actum creaturæ rationalis.

Deut. 32 27 LXXII. In iraſcibili ſpem &
Eſaie 5.4. illi oppoſitam deſperationem, con-
Luc.15.6. 7. fidentiamque & iram ponimus, ne
metu quidem excluſo, quem etiam
per anthropopathiam Deo tributum
legimus. Spes eſt attenta boni ope-
ris à creatura debiti & per gratiam
Dei præſtabilis exſpectatio, quæ fa-
cilè cum præſcientia Dei certa con-
Ier 13 23. ciliari poteſt. Deſperatio eſt ex per-
Ephe 4.18.19 tinaci malitia creaturę abalienatæ à
Eſ 6 1.3.5. vita Dei & obduratæ in malo, quæ
Ezech.13.13. 14. poſteaquam dedoluit per cauterium
Eſa27.4. conſcientiæ inuſtum, ſeipſam proter-
Ierem.9.9. viç dedidit, ad certatim patrandam
Deut.32 35. impuritatem omnem. Confiden-
tiam in Deo dicimus, qua ille in-
genti ſpiritu bonum amatum & de-
ſideratum proſequitur, & malum
exoſum amolitur & repellit. Ira eſt
affectus depulſionis in Deo per pu-
nitionem Creaturæ legem ipſius
tranſgreſſæ, qua creaturæ infert ma-
lum miſeriæ pro injuſtitia, & vin-
dictam ſumit debitam ſibi, tanquam
indicem amoris erga juſtitiam, & *Ier. 10.24. & 12.13.*
odij adverſus peccatum. Hæc quum *Eſa.63.6.*
vehemens eſt, furor dicitur.

LXXIII. Hoſce affectus Deo
tribuimus propter effectus nonnul-
los ipſius illis analogos citra ullam
paſſionem, utpote ſimplici & im-
mutabili; & citra ullam inordinatio- *Exod.32.10.*
nem & rectę rationis repugnantiam; *11.12.13.14. Deut.32.26.*
ſanctè enim verſatur circa omnia *27.*
voluntatis ſua objecta. Vſum vero
& exercitium illorum infinitæ Dei
ſapientię ſubjicimus, cujus eſt ſin-
gulis objectum, modum, finem, cir-
cumſtantiaſque præfigere, & decer-
nere, utri præ reliquis agendi partes
ſint concedendæ.

LXXIV. Quę in Deo analo-
giam habent virtutum moralium,
velut moderatricium iſtorum affe-
ctuum, ſunt partim ad omnes affe-
ctus generales, ut juſtitia; partim
ſpeciatim nonnullos concernunt, ut
patientia, & quæ iræ ſunt & pœna-
rum ex ira moderativæ.

LXXV. Iuſtitia eſt æterna & *Pſal.11. 7. 2.Tim.2.13*
conſtans in Deo voluntas ſuum cui- *Nu.23.19.*
que tribuendi: Deo ipſi quod ipſius *Rom. 3. 4.*
eſt, & creaturæ quod illius eſt. Hanc *1.Tim. 5.24 Heb. 6.10.*
in dictis & factis ipſius conſidera- *; 17.18.*
mus. In dictis omnibus veracitatem *Pſ.145 17.*
& conſtantiam, in promiſſis fideli- *2.Theſ. 1.6. Apoc 2 23.*
tatem. Factorum eſt duplex, diſpo-
ſitiva & remunerativa; illa eſt, ſe-
cundum quam Deus omnia in actio-
nibus ſuis ex ſapientia ſua ad æqui-
tatis ab illa vel præſcriptæ vel mon-
ſtratæ normam diſponit. Iſta eſt
per quam Deus creaturæ ſecundum
opus ipſius ex pacto cum ipſa inito
reddit quod ipſius eſt.

LXXVI. Patientia eſt, qua bo- *Eſaie 5. 4. Ezech.18.23.*
ni amati, deſiderati, ſperati abſen- *Mat.21.33.*
tiam, & mali exoſi præſentiam tole- *&c.*
ranter

Luc.13.6.7.8. tanter ſuffert: parcens peccatoribus, tum ut judicia miſericordię & ju-
Rom.2.4.5. ſtitiæ ſuæ per illos exequatur, tum ut eos ad reſipiſcentiam perducat, vel contumaces æquius & gravius puniat.

2.Pet.3.9. LXXVII. Iræ & pœnarum mo-
Exod.34.6. deratrices ſunt, longanimitas, man-
Eſa.48.8.9. ſuetudo, facilitas ad ignoſcendum,
Pſal.103.9. & clementia. Longanimitas ſuſpendit iram, ne properet ad depulſionem mali ſimul atque id meritum creaturæ poſtulaverit. Manſuetudinem ſive lenitatem adpellamus, quæ iram temperat, ne nimia ſit magnitudine, imò ne reſpondeat illius gravitas ſcelerum magnitudini. Facilitatem ad ignoſcendum dicimus, quæ iræ moderatur, ne duret in ſeculum pec-
Pſ.103.10. catorum merito convenienter. Cle-
Pſal.30.6. mentia eſt, qua moderatur pœnas
Ierem.3.5. debitas, ut gravitate & diuturnitate
Ioel.2.13.
2.Sam.7.14 ſua inferiores ſint multum peccati
Pſ.103.13.14. merito, & vires creaturæ non exſuperent.

DE POTENTIA DEI.

LXXVIII. Potentiæ Dei nomine, non paſſiva potentia, quæ in Deum purum actum cadere non poteſt; neque actus, quo Deus intus in ſe ipſo ex naturæ neceſſitate ſemper agit, intelligitur: ſed potentia activa, quâ extrinſecus operari poteſt, & quando viſum eſt, operatur.

Pſ.135.5. LXXIX. Illam deſcribimus, quòd
Thren.3.37.38. ſit vitæ facultas, intellectu & volun-
Pſal.33.9. tate ordine poſterior, quâ Deus ex
Ier.18.6. libertate voluntatis ſuæ extrinſecus operari poteſt, quæcunque liberè velle poteſt; & operatur, quæ liberè vult, unde apparet potentiam eſſe velut principium exſequens id, quod voluntas imperat, dirigente ſcientia, volumus autem impeditionem ſub operatione comprehenſam.

Itaque

Potentiam generandi & ſpirandi ab hac excludimus, utpote naturaliter agentem & ad intra.

LXXX. Menſura potentiæ divinæ *Pſ.115.3.*
eſt libera voluntas Dei; & adæquata *Mat.11.25.27.*
quidem. Quidquid enim velle poteſt Deus liberè, id ipſum etiam facere poteſt, & quidquid facere poteſt, idipſum liberè velle poteſt, & quidquid velle non poteſt, id quoque facere nequit, & quod non facere, id quoque non velle: facere autem quia velle, & non facere quia non velle. Facit enim quæ facit, ideò quòd vult ita facere, non facit quia non vult: non contra. Vnde objectum potentiæ commodiſſimè ex objecto liberæ voluntatis Dei circumſcribi poteſt, imo & debet.

LXXXI. Et quidem hoc pacto. Quum voluntas libera innitatur voluntate ſecundum modum naturæ ſe habente, & utraque intellectum habeat prævium, qui unâ cum voluntate eſſentiam ipſam Dei pro fundamento habet; atque hinc illa tantum liberè poſſit velle Deus, quæ eſſentiæ ipſius & naturali voluntati non ſunt contraria, intellectuque ipſius tanquam entia & vera comprehendi poſſunt; ſequitur illa ſola Deum poſſe, imò & omnia; quum ſolis illis adſtricta ſit voluntas libera, & propterea etiam potentia Dei. Quumq; illa talia ſola ſint ſimpliciter & abſolutè poſſibilia, reliqua omnia impoſ-
ſibilia, meritò Deus dicitur facere poſ- *Luc.1.37.& 18.27.*
ſe omnia poſſibilia. Quomodo enim *Mar.14.36.*
ens, verum, bonum eſſe poſſit, quod ejus eſſentię & voluntati naturali eſt

 contra-

contrarium, intellectuique incom-
præhenſibile?

LXXXII. Et hæc quidem ita
poſita omnibus in confeſſo ſunt, ge-
neratimque in ſcholis impoſſibilia
deſcribuntur, quæ contradictionem
implicant. At in ſpecie quæritur,
Iac.1.17. quænā illa ſint. Nos non nulla refe-
Pſalm 5.5. remus. Deus Deum alium facere
Num.23.19 non poteſt, non mutari, non pec-
2 Tim.2.13. care, non mentiri, non efficere ut
Phil.4.11. aliquid ſimul ſit & non ſit, fuerit &
non fuerit, futurum ſit & non ſit
futurum, ut hoc ſit & non ſit hoc, ut
hoc ſit & contrarium ejus, ut acci-
dens ſit ſine ſubjecto, ut ſubſtantia
mutetur in ſubſtantiam præexiſten-
tem, panis in corpus Chriſti, ut cor-
pus ſit ubique, atque hæc quum di-
cimus, non potentiæ ipſius injuriam
facimus, ſed ne eſſentiæ, intellectui,
voluntati ipſius indigna tribuantur
cavemus.

Apoc.1.8. LXXXIII. Potentia Dei eſt
Eph.3.20. infinita, non tantum quia omnia
Matt.3.9. poſſibilia poteſt, quæ ſunt innume-
Mat.16.11. ra, adeo ut non poſſint tot numerari
Rom.9.19. quin poſſit plura: ſed etiam quia illi
Phil.3.21. reſiſti nequit. Omnia enim creata
ab illa tanquam à principio efficien-
te pendent, tum ineſſe, ut loquun-
tur, tum in conſervari; unde meritò
illi omnipotentia tribuitur.

Dan.3.17.18 LXXXIV. Quum menſura
Rom.4.20.21. potentiæ Dei ſit voluntas libera ip-
Mat.8.2. ſius, & Deus ideò aliquid faciat quia
Luc.1.19.20 34.35.36. id facere velit, non poteſt ex om-
nipotentiâ Dei concludi aliquid fu-
turum, niſi conſtet de voluntate
Dei. De illa autem ſi conſtet, certum
eſt id fore quod facere ille voluerit;
etiamſi menti creaturæ fieri non
poſſe videatur: atque hîc locum ha-
bet, mentem captivandam eſſe ſub
fidei obſequium.

LXXXV. Diſtinctio potentiæ
in abſolutam & ordinariam ſive a-
ctualem, non tam reſpectum habet
ad illam quam ad voluntatem, qua
potentia utitur ad nonnulla facien-
da, quum ea uti vult; non utitur, Mat.3.9.
quando non vult; licet ea uti poſſet,
ſi vellet, & ſi uteretur, multò plura
faceret per illam, quam facit.

LXXXVI. Omnipotentia Dei 1.Tim.6.15.
nulli rei createç communicari poteſt. Iude 4.

DE PERFECTIONE DEI.

LXXXVII. Ex horum om- Mat 5.48.
nium, cum modo ſupereminentiæ
conſideratorum, ſimplici & infinito
complexu exiſtit perfectio Dei: non
illa qua ſingula habet perfectiſſimè,
nam hoc ſimplicitas & infinitas Gen.17.1.
præ ſtiterunt, ſed quâ omnia habet, Exod.6.3.
quæ perfectionem aliquam notant, Pſ.50.10.
perfectiſſimè, poteſtque illa non in- Act.17.25.
commodè deſcribi, quod ſit inter- Iacob.1.17.
minabilis tota ſimul & perfecta eſ-
ſentiæ & vitæ poſſeſſio.

LXXXVIII. Hæc perfe- Rom.11.35.
ctio Dei omnium creaturarum per- 36.
fectioné infinitè excedit, & quidem 1.Cor.4.7.
triplici nomine. Omnia enim ha- Act.17.28.
bet, modo perfectiſſimo & non 29.
aliundè. Creaturæ autem quam ha- 2.Cor.3.18.
bent perfectionem, à Deo habent, 2.Pet.1.4.
adumbratam ad archetypum illius: Mat.5.48.
aliæ alijs majorem & quo majorem
eò ſunt Deo ſimiliores & propin-
quiores.

LXXXIX. Ex hac perfectio- 1 Tim.1.11.
ne mediante aliquo actu Dei inter- & 6.15.
no exiſtit Beatitudo ejus, & me- Ex.33.18.
diante aliquo reſpectu ejus ad extra,
Gloria ipſius.

DE BEATITATE DEI.

XC. Beatitas eſt per actum Gen.17.1.
intelle-

Pſ.16.11. 1.Cor.2.9.10. intellectus, an etiam voluntatis? ita quidem nos arbitramur, & ſic illam delineamus; quod ſit Actus vitæ Dei, quo ille perfectione ſua per intellectum plenè cognitâ, & per voluntatem ſummè amatâ fruitur cum acquieſcientia in eadem.

1.Cor.15.28. XCI. Dei beatitudo ita ipſi propria eſt, ut nulli creaturæ communicari poſſit. Eſt tamen ipſe creaturarum intellectu præditarum bonum beatificum ratione objecti, & effector actus in objectum tendentis, inque eodem acquieſcentis: Ex quibus beatitudo creaturæ conſtat.

Rom.1.23. & 9.5. Pſalm 8.2. XCII. Gloria eſt à perfectione cum reſpectu ad extra, & ſic aliquo modo deſcribi poteſt, quod ſit Excellentia Dei ſupra omnia. Hanc Deus actibus externis variè manifeſtam facit.

Mat.17.2.5. Luc.2.9. Exod.16.10. 1.Reg.8.11. Pſal.19.1. Ioan.2.11. XCIII. Modi autem manifeſtationis duo potiſſimum in Scripturis nobis declarantur, unus per luminis ſplendoriſque inuſitati effulgentiam, vel per oppoſitam illi denſam tenebroſitatem. Alter per productionem operum perfectioni ejus & Excellentiæ convenientium. Hujus autem prolixiore diſquiſitione ſuperſedentes, Deum gloriæ ardentibus votis ſupplices rogemus, ut quum nos ad gloriam ſuam formaverit, inſtrumenta gloriæ ſuæ inter homines illuſtrandæ magis magiſque facere dignetur, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſplendorem gloriæ, & characterem hypoſtaſeos ipſius, Amen.

THESIS QVINTA
DE
Perſona Patris & Filij.

Reſp. RETRO DE LA FITE.

I.

PAtris nomen hîc non accipimus, prout aliquando in Script. ſumitur, reſpectu adoptionis, ſecundùm quam fideles in Filios ſibi adoptavit Deus; neque reſpectu creationis rerum, ſecundùm quam ipſa etiam Gentilitas Deum Patrem novit, & appellavit; ſed hoc nomine ſignificamus Deum ſecundùm relationem quam habet ad Filium ſuum unigenitum, & proprium, qui eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & ſic deſcribimus: Quod ſit prima Perſona in Sacroſancta Trinitate, quæ Sermonem ſuum, qui Filius ejus eſt, ex ſe genuit ab æterno, divinitatem ſuam illi communicando. Gal.4.6. Act.17.28. Epheſ.1.3.

II. Perſonam eſſe dicimus, non quà vox illa à perſonando dicta eſt, & alterius repræſentationem notat, ſed quà definitur ſubſiſtens individuum, incommunicabile, naturæ viventis, intellgentis, volentis, potentis, agentis; quæ ſingula Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti in Script. S. tribuuntur. Subſiſtentia; qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt. Vita; ſicut me miſit vivens Pater. Intelligentia; O profundas divitias, tum ſapientiæ, tum cognitionis Dei. Voluntas; Hæc eſt voluntas Patris. Potentia; Tua eſt potentia, ô Pater. Actio; Pater meus uſque adhuc operatur. Apoc.1.4. Ioh.6.53.57. Rom.11.33. Ioh.6.39. Mat.6.13. Ioh.5.17.

operatur. De vocibus non contendimus. Illa talia Perſonæ nomine comprehendimus, quæ cum Patri conveniant, Perſonæ nomen illi denegari jure nequit.

III. Perſonam dicimus in SS. Trinitate, id eſt divinam, quod tantundem nobis valet, atque ſi Deum diceremus. Quanquam enim Patris Deitas à pleriſque, qui Filij in dubium vocarunt, agnita fuit; tamen ab illis negata eſt, qui Deum V. Teſtam. alium fuiſſe dixerunt, quam Novi, & Patrem I. Chriſti alium à creatore cœli & terræ eſſe affirmarunt. Hiſce opponimus dictum Chriſti: Confiteor tibi Pater, Do-
Mat. 11. 25 mine cœli & terræ. Illis hoc alte-
Ioh 8. 54. rum ejuſdem Chriſti: Pater ille meus eſt, qui me glorificat, quem vos dicitis Deum veſtrum eſſe. Vtriſque ſimul illud totius Eccleſiæ
Act. 4. 24. 25. 26. 27. Hieroſolymitanæ: Tu es Deus, qui feciſti cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt: Qui per os David pueri tui dixiſti, &c. Et paulo poſt: Coacti ſunt verè adverſus ſanctum Filium tuum Ieſum, quem unxiſti.

Mat. 28. 19. Ioh. 5. 26. 27 IV. Primam ponimus in SS. Trinitate: ſic enim docuit nos Chriſtus, jubens baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. & primam non temporis, ſed ordinis ratione; qui ordo fundamentum habet in eo, quod Pater fons eſt & origo totius divinitatis, & Filij ipſius principium, & cauſa, quod ipſa Patris vox ſignificat. Hoc pia antiquitas illuſtrare conata eſt ſimilitudine fontis & rivi, Solis & radij, mentis & rationis, radicis & fruticis, & ſimilibus. Hac de cauſa Pater dicitur ἀγέννητος, illique auctoritas, ὑπεροχή, ἐξοχὴ a Patribus tribuitur. Hinc etiam eſt quod Dei nomen ſæpe Patri in Scripturis peculiariter, & καθ' ἐξοχὴν tribuatur.

V. Generationem activam illi tribuimus, etiam voce Patris comprehenſam; cujus modum & rationem lubentes fatemur nos ignorare. Attamen, cùm omnis generatio propriè dicta fiat per communicationem ejuſdem naturæ, quam habet qui generat, rectè dicimus Patrem ex ſe genuiſſe Filium communicando illi Deitatem ſuam, quæ natura ipſius eſt. Principium ergo, quod generat, Pater eſt, principium quo generatio peragitur, natura eſt. Vnde perſona gignere, & gigni dicitur. At natura neque gignere, neque gigni, ſed communicari. Quæ communicatio rectè intellecta caſſam facit objectionem Antitrinitariorum Catholicis quaternitatem impingentium.

VI. Ab æterno genuiſſe dicimus, quia nec ante Deus I. Chriſti, quam Pater ejus, neque ante Deus ſimpliciter, quam Pater ejuſdem. Vt enim mentem, quæ ſit abſque ratione, fingere non poſſumus, ita Deum ani- Iam. 1, 18.
mo concipere, qui ſit abſque Sermone ſuo, nefas dicimus. Accedit ex ſententia ſanctæ vetuſtatis, & Catholicæ Eccleſiæ, quod cum generatio iſta ſit operatio interna, & ad intra, etiam ab æterno ſit: Tales enim operationes omnes æternæ, niſi mutationi Deum obnoxium ſtatuere velimus.

VII. Hactenus de Patre. Filius Mat. 28. 19.
eſt perſona ſecunda in SS. Trinitate, Ioh. 1. 1. Mich. 5. 2.
Sermo Patris, ab æterno a Patre ge- Ioh. 1. 3.
nitus, & egreſſus per communicationem ejuſdem Deitatis, quam Pater habet ſine origine. Dicimus enim illum non per creationem: Omnia

Omnia enim per illum creata ſunt, quæcunque creata ſunt: Neque per adoptionem Filium factam eſſe; Omnes enim in illo adoptati ſumus; ſed per generationem à Patre egreſſum eſſe: Non per creationem ex non Entibus, ſive ex increatis Elementis; non per adoptionem, quaſi priùs fuerit aliquid aliud, quam Filius: hoc enim nomen illi primum, & intimæ naturæ ſignificativum eſt; ſed per generationem, ut filium naturâ participem totius divinitatis Paternæ.

Ioh. 1. 12. Eph. 1. 5. 6.

VIII. Perſonam dicimus Filium, eadem ſignificatione, qua de Patre illam vocem prædicavimus antea. Eſt enim ſubſiſtens individuum, incommunicabile, dicente Ioanne; Sermo erat in principio; Et, Sermo erat apud Deum. Naturæ viventis: Ego vivo propter Patrem. Intelligentis: Filius qui eſt in ſinu Patris enarravit nobis. Volentis: Et cuicunque voluerit Filius revelare. Ita & Filius quos vult vivificat. Potentis: Pro efficacitate qua poteſt ſibi omnia ſubjicere. Agentis; Et ego operor.

Ioh. 1. 1. Ioh. 6. 57. Ioan 1. 18. Mat. 11. 27. Ioh. 5. 21. Phil. 3. 21. Ioh. 5. 17.

IX. Perſonam in SS. Trinitate, hoc eſt divinam, & Deum dicimus, quod cum Orthodoxa antiquitate quatuor argumentorum claſſibus diſtinctis probamus. 1. à nominibus, quibus adpellatur in Script. 2. ab attributis divinis, quæ illi adſcribit Script. 3. ab operibus, quæ ab illo producta enarrat Scriptura. 4. Ex collatione locorum Scripturæ, quæ in veteri Teſtamento de Patre prolata, in Novo, Filio adpropriantur.

X. Ex nominibus quæ illi in Script. tribuuntur id patet; 1. quod Deus adpellatur, & non attributivè tantùm, ut, Sermo eſt Deus: Qui eſt Deus benedictus in ſecula; ſed etiam ſubjectivè: Deus manifeſtatus in carne. O Deus, Deus tuus te unxit oleo letitiæ: Imo & magnus Deus. 2. Filij vox idem evincit, præſertim quatenus illi iſta proprie & unicè competit, juxta id quod dicitur proprius, & unigenitus Filius Dei: quas voces tantundem valere dicimus, ac ſi naturalis eſſet appellatus. 3. Quia vocatur Rex Regum, & Dominus Dominantium; Item Dominus gloriæ. Quæ nomina longè fortius evincunt quod volumus, ſi cum V. T. Scripturis conferantur, ubi eadem illi, qui Iehovah dicitur, attribuuntur. 4. Ex nomine λόγυ pia antiquitas idem adſtruxit, quod ſermonem προφορικὸν & propria ſubſiſtentia carentem ſignificare non poteſt, propter ea quæ illi in Scripturis tribuuntur: Dicitur enim fuiſſe in principio; & fuiſſe apud Deum: Eſſe Deus: Et per illum creata eſſe omnia, &c.

Ioh. 1. 1. Rom. 9. 5. 2 Tim. 3. 16. Heb. 1. 9. Tit. 2. 13. Rom 8. 32. Ioh. 1. 18. Ap. 17. 14. Ap. 19. 16. 1. Cor. 2. 8. Psal. 95. 3. Ps. 24. 8. 10.

XI. Attributa Dei eſſentialia Filio Dei tributa in Script. hoc etiam declarant planiſſimè. 1. Immenſitas: Pater, & ego ad illum veniemus & manſionem apud illum faciemus. Vt Chriſtus inhabitet per fidem in cordibus veſtris. Ego vobiſcum ſum ad conſummationem ſeculi. 2. Æternitas: In principio erat Sermo. Ego ſum α, & ω, primus & noviſſimus. 3. Immutabilitas: Tu autem Domine permanes; Tu idem es & anni tui non deficient. 4. Omniſcientia etiam illi tribuitur: ſcrutatur enim renes & corda: Novit omnia. Videt cogitationis Phariſæorũ. 5. Omnipotentia: Pro efficacitate qua poteſt ſibi ſubjicere omnia. Cui autem propria Dei eſſentialia tribuuntur, illi divina natura adimi nequit,

Ioh 14. 23. Eph 3. 17. Mat. 28. 20. Ioh. 1. 1. Apo. 1. 11. & 2. 8. Heb. 1. 11. 12. Phil. 3. 21. Apoc. 2. 23. Ioh. 21. 17. Mat. 12. 25. Ioh. 5. 21. Apoc. 5. 11.

citra contradictionem. Majeſtas denique & gloria patri æqualis illi competit: Vt omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem. Seſſori throni & Agno benedictio, & honor, & gloria, & robur, in ſecula ſeculorum.

Iob 1.3. XII. Opera divina idem ad-
Heb 1. 2. ſtruunt, quæ ipſi tribuuntur: 1. Re-
1 Cor. 8. 6. rum omnium creatio: Omnia per
Hebr. 1. 3. ipſum facta ſunt. Per quem, & mun-
Ioh. 5. 17. dum, ſeu ſecula condidit. Vnus Dominus Ieſus per quem omnia. At quæ omnia? Eadem omnia, quæ ex Patre eſſe dicuntur 2. Rerum omnium conſervatio: Suſtinens omnia verbo ſuo potente: Pater meus uſque adhuc operatur, & ego ope-
Ioh. 16. 14. ror. 3. Miraculorum patratio: Quæ operatus eſt per Spiritum ſuum; qui ſpiritus à Chriſto accepiſſe dicitur ea, per quæ glorificaturus eſt Chriſtum. In quo profectus prædicavit
1. Pet. 3. 19. ſpiritibus olim immorigeris. Qui Spiritus ita proprius eſt Chriſto, ut Apoſtoli miracula edere dicantur in nomine, & virtute Chriſti. 4. Addantur opera ad ſalvationem Eccleſię pertinentia, quæ ab eo, qui purus homo eſt, patrari non poſſunt.

XIII. Quartum argumentorum claſſem nobis ſuppeditat collatio locorum, que in V. Teſt. tribuuntur Deo, qui Iehovam ſe appellat, & in Novo Filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto attribuuntur; quorum, quia numerus ingens eſt, recitatione prolixiore ſuperſedentes pauca ex
Num 21. 6. multis proferemus: Num. 21. Dici-
1. Cor. 10. 9. tur populus loquutus contra Dominum, & perijſſe ab ignitis ſerpentibus. 1. Cor. 10. inquit Apoſtolus: Ne tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt & perierunt à Serpentibus. Locum Pſalm. 68. de Ps. 68. 19.
Dei aſcenſu in altum, Apoſtolus Ephes 4. 8.
Epheſ. 4. de Chriſto interpretatur. Ps. 102. 26.
Quod Pſal. 102. de vero Deo dici- Heb. 1. 10.
tur, id Heb. 1. Chriſto accommoda- Esaie 6. 9.
tur. Viſionem Eſaiæ cap. 6. de- Ioh. 12. 40.
ſcriptam interpretatur Iohan. Euang. Esaie 8. 14.
cap. 12. de viſione gloriæ Chriſti. Luc. 2. 34.
Eſai. 8. Iehova dicitur futurus domi- Rom. 9. 33.
bus Iſraël in laqueum, & offendicu- 1. Pet. 2. 5.
lum: Et Simeon Lucæ, 2. Paulus Rom. 9. 1. Pet. 2. dicunt Chriſtum poſitum eſſe in ruinam multorum, in lapidem offenſionis, & petram ſcandali infidelibus, & immorigeris.

XIV. Perſonam ſecundam dici- Mat. 28 19.
mus, juxta ordinem nobis à Chriſto monſtratum. Filius enim eſt à Patre, ut-pote á quo exiviſſe dicitur.
Filius vivit propter Patrem, & Pater Ioh. 6. 57.
dedit Filio habere vitam in ſeipſo. Ioh. 5. 19.
Filius intelligit à Patre, quia Pater Ioh. 1. 18.
demonſtrat Filio opera, que ipſe fa- Ioh. 3. 32.
cit, & quæ Filius vidit apud Patrem in ſinu ejus exiſtens illa teſtatur, & enarrat nobis. Filius operatur à Patre, quia Filius a ſemetipſo non poteſt operari, niſi viderit Patrem operantem, ſic Filius a ſeipſo non loquitur, ſed Pater, qui in ipſo ma-
net, facit operá. Quæ etiam cauſa Ioh. 5. 19.
eſt, quod Filius jure merito omnia Ioh. 19. 14.
ad Patrem, tanquam ad illum a quo Ioh. 17. 7.
ipſe omnia, quæ habet, acceperit, Phil. 2. 6.
referat: & cùm in forma Dei eſſet rapinam non duxerit eſſe æqualem Deo; ſed exinaniverit ſe forma ſervi accepta, Patrique obediens factus ſit ad mortem uſque crucis.

XV. Ab æterno autem genitum Mich. 5. 2.
dicimus. 1. quia egreſſus ejus a diebus ſeculi eſt, & egreſſus, qui eſt ex Patre; quem ſiquis de alio, quam generatione, interpretari volet, neceſſe

eſt ut

eſt ut iſtum generationis egreſſu poſteriorem faciat, & ſic quoque generationis æternitatem ſtabilitat. 2. quia, cùm Filius æternus ſit, ut ante monſtravimus, & non ante fuerit quam Filius eſſet, Filio autem competat generari, hinc rectè illum ab æterno genitum eſſe dicimus.
Ioh.1.1.9. 3. Quum λόγος in principio fuerit apud Patrem, neceſſe eſt, niſi collateralem Patri λόγον ſtatuere velimus, ut & in principio fuerit à Patre, & quidem priùs ſecundùm naturæ ordinem à Patre, quàm apud Patrem. At à Patre non eſt, niſi ſecundum modum generationis, ſecus alio modo a Patre λόγος erit, alio Filius, quod impingit in ipſius Filij æternitatem ante a nobis adſtructam. Ergo λόγος generatus ab æternò.

Phil.2.6. XVI. Ex hiſce poſitis videmus inter Patrem, & Filium convenientiam eſſe, & diſtinctionem. Convenientiam, ratione unius ejuſdemque naturæ & eſſentiæ, ſecundùm quam Filius in forma Dei eſſe dicitur, Patrique æqualis, & juxta Nicenæ Synodi decretum ὁμοούσιος Patri, non ὁμοιούσιος, quia comparatio rerum in eſſentia, non ad ſimilitudinem vel diſſimilitudinem, ſed ad paritatem, vel imparitatem referenda eſt, juxta ipſam rerum naturam, & veritatem. Diſtinctionem ſecundùm modum exiſtendi vel ſubſiſtendi, quo uterque habet divinitatem; Pater enim iſtam habet a nullo, Filius a Patre ſibi communicatam; ſecundum illam, Filius unum cum Patre dicitur, ſecundum hanc, alius a Patre, ſecundum utramque verò Filius & Pater ad dilectos ſuos venturo, & manſionem apud ipſos facere per inhabitantem in eis Spiritum utriuſque, quem Filius illis mittit a Patre. Cujus communionem nobis quoque Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater omnis conſolationis elargiri dignetur, in Filio dilectionis ſuæ: Amen.

Ioh.10.30. Ioh.5.31. Ioh.14.23. Rom.8.9-11 Ioh.15 20.

THESIS SEXTA DE

Spiritu Sancto.

Reſp. IACOBO MAHOTIO.

Cum de Deo Patre & Filio præcedente diſputatione tractatum ſit, requirit ordo ut de Spiritu Sancto nunc agamus.

I.

SPiritus vox ſignificat primò, propriè & adæquate, rem actu primo & eſſentia ſubtiliſſimam, & ſimpliciſſimam, actu verò ſecundo & efficacia maxime activam, hoc eſt, potentem & actuoſam, unde etiam accidit ut diſtinctè & oppoſitè accipiatur, nunc pro vi & potentia per ſe ſubſiſtente & hypoſtatica, nunc pro vi alicui rei ſecundum modum qualitatis vel proprietatis inhærente. Potentiæ ſubſiſtenti vox illa prius & propriè competit, inhærenti poſterius & per tranſlatitiam communicationem. Ioan.3.8. Pſal.104.4. Luc.1.35. 2.Reg.2.9.

II. Deo verò imprimis & veriſſimè tribuitur, tum quia ſecundum eſſentiam actus purus eſt & ſimpliciſſimus, tum quia ſecundum efficaciam maximè activus eſt, ad agendum promptiſſimus & potentiſſimus, hoc eſt, primum & ſummum Ens, primumque & ſummum Ioan.4.24.

 agens.

agens. Singulari verò proprietate tribuitur virtuti hypoſtaticæ, quæ in Deo eſt, & quidem ſæpe cum additamento, Spiritus elohim, Spiritus Iehovæ, Spiritus Sanctus: quo ſignificatur hunc eſſe, per quem Deus Pater & Filius omnia in cœlo & in terra operantur, eumque non modo in ſe ſanctum eſſe, ſed & ſanctificatorem omnium, quæ ullo modo ſancta ſunt & dicuntur. De Spiritu hac poſtrema ſignificatione accepto nunc nobis ſermo eſt.

Gen. 1. 2. Eſai. 11. 2. Eſ. 61. 1. Mat. 12. 28. Luc. 11. 20.

III. Quem nobis non definire, id enim nefas eſt, ſed deſcribere aliquo modo ſecundum Scripturam hac ratione liceat, quòd ſit perſona in ſacroſancta & individua Trinitate ſubſiſtens ordine tertia, quæ à Patre emanat, & à Filio mittitur, & propterea Spiritus ab utroq; procedens & ſecundum hypoſtaſin diſtinctus ab utròque, infinitus, æternus, immenſus, & ejuſdem cum Deo Patre & Filio divinitatis. Quam definitionem ſecundum partes ſuas ordine pertractabimus.

Mat. 28. 19. Ioan. 1. 26. & 25. Ioan. 14. 16. 1. Cor. 2. 10. 11. Geneſ. 1. 2. Pſ. 139. 7. 8.

IV. Quatuor autem hîc conſideranda veniunt, & firmis rationibus adſtruenda: 1. quòd Spiritus Sanctus ſit ὑφιστάμενον & Perſona, non aliquid ſecundum modum qualitatis & proprietatis, pura bonitatis, miſericordiæ, patientiæ, in Deo inexiſtens. 2. quòd ſit perſona a Patre & Filio procedens, ideoque ordine tertia in Trinitate. 3. quod ſit a Patre & Filio ſecundum hypoſtaſin diſtinctus. 4. quòd ſit infinitus, æternus, immenſus, & ejuſdem cum Patre & Filio divinitatis, hoc eſt, non creatura, ſed Deus.

V. Primum probatur ab illis attributis, quæ ipſa hominum univerſitas rei ſubſiſtenti & quam ſub perſonæ notione concipit, ſolet tribuere? illa enim omnia Spiritui Sancto competere dicimus, ſive actu primo, ſive actu ſecundo, perſonæ ſint convenientia. Ex ijs quæ actu primo rei ſubſiſtenti & perſonæ conveniant concludimus. Cui eſſentia, ſeu exiſtentia, vita, intelligentia, voluntas, potentia convenit, id meritò perſona dicitur, aut nihil omninò in rerum naturà perſonæ nomine appellari poteſt. At Spiritui ſancto convenit, 1. Eſſentia ſeu exiſtentia. Eſt enim in Deo, & a Deo emanat, a Filioque mittitur; Secundò vita, incubat enim aquis ut gallina pullis, eſtque auctor vitæ animalis & ſpiritualis omnibus viventibus: Tertiò, intelligentia, ſcrutatur profunditates Dei; Quarto, voluntas, nam diſtribuit ſua dona prout vult; Denique potentia, quâ Prophetæ alijque ſancti, & ipſe adeò Meſſias inſtruitur & corroboratur.

1. Cor. 2. 11. & Ioan. 15. 26. Gen. 1. 2. Iob 33. 4. Ioa. 3. 5. & Rom. 8. 2. 11. 1. Cor. 2. 10. 1. Cor. 12. 11. Mich. 3. 8. Eph. 3. 16. Eſa. 11. 2.

VI. Idipſum ſecundò probatur ex ijs quæ Perſonę actu ſecundo tribui ſolent; iſtiuſmodi enim actiones Spiritui ſancto tribuuntur, quæ nulli rei præterquam ſubſiſtenti & perſonæ competere ſolent; quales ſunt, creare, conſervare, vivificare, ſcientia, fide, charitate, ſpe, timore Domini, fortitudine, patientiâ alijſque virtutibus inſtruere, irruere in Samſonem, recedere a Saule, Requieſcere per Meſſiam, ſupervenire & obumbrare Miriam, mittere Prophetas, conſtituere Epiſcopos, deſcendere corporea ſpecie tanquam columbam ſuper Chriſtum, & ſimiles operationes: Accedant & metaphoricæ locutiones, quæ illi paſſiones tribuunt nulli rei præterquam ſubſiſtenti & Perſonæ convenientes, quales ſignificantur iſtis locis. Effundam

Iob 33. 4. & Pſ. 104. Iud. 14. 6. 1. Sam. 16. 14. Eſai. 11. 2. Luc. 1. 35. Eſai. 61. 1. Act. 20. 28. Luc. 3. 22.

de Spiritu meo ſuper omnem carnem, Ioël. 2. *Flavit in eos & dixit: Accipite Spiritum Sanctum*, Ioh. 20. *Iraſci fecerunt Spiritum S.* Eſai. 63. 10. *Ne triſtitia afficite Spiritum*, Eph. 4.30. *Blaſphemare & loqui adverſus Spiritum.* Matth. 12. 31.32. *Spiritum gratia contumelia afficere*, Heb. 10. 29.

Mat.28.19. 1.Cor.9.7. 1.Cor.12.4.5.6. 2.Cor.13.13. VII. Horſum etiam faciunt illi Scripturę loci, qui Spiritum S. eadem ſerie Patri & Filio connumerant, qualis ille eſt, qui in Patris, Filij & Spiritus S. nomen baptizari jubet, tres in cœlo teſtificari dicit, Patrem, Sermonem & Spiritum. Eundem Spiritum, eundem Dominum, eundem Deum facultates efficere, miniſteria inſtituere, dona effundere declarat; gratiam Domini Ieſu, Charitatem Dei, & communionem Spiritus ſancti fidelibus precatur. Abſurdum enim foret duobus ὑφισταμένοις ſeu perſonis eadem ſerie & ordine qualitatem ſeu proprietatem inexiſtentem adnumerare.

Io.14 & 15. Ioel.2.28. Gal.4.9. Ioan.15. 26. Ioan.16.14. Ioan.20.22. VIII. Secunda pars tria membra continet, quorum primum, proceſſio nempe Spiritus Sancti a Patre, probatur ijs locis, quibus Spiritus Dei & Patris & Spiritus qui ex Deo eſt, appellatur, a Patre emanare, egredi, dari, effundi, mitti, paterque per illum agere & operari dicitur. Secundum, proceſſionem ſcilicet a Filio ſimilia loca probant, quæ illum Spiritum Filij nuncupant, a Filio dari, mitti, accipere & propterea Filium glorificare dicunt; addito etiam alicubi dationis modo, qui afflatio vel inſpiratio dicitur. Tertium, quod ſit perſona ordine non gradu nec tempore tertia, apparet præcipuè ex eo quod Spiritus Patris & Filij, & a Patre Filioque mitti & dari dicitur, Paterque & Filius per illum operari: quinetiam ex ordine in Baptiſmi inſtitutione uſurpato; *Baptizantes in nomen Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* (Mat.28.19.)

IX. Diſtinctionem verò ejuſdem a Patre & Filio, non ſecundum nomen tantum, ſed & ſecundum hypoſtaſin, quæ tertia definitionis poſitæ pars eſt, probant omnia illa loca quæ præcedente theſi alio fine fuerunt allata, & inter alia hæc idipſum expreſsè affirmantia. *Ego rogabo Patrem & alium Conſolatorem dabit vobis.* Conſolator ille *Spiritus Sanctus quem mitet Pater in nomine meo*; *Cum venerit Conſolator ille quem ego mittam vobis à Patre. Spiritus Domini Iehovæ ſuper me, eo quod unxit Iehova me*, aliaque innumera, adeò ut miranda ſit Sabellij cæcitas, quod in tam clara luce cæcutire potuerit. Ioan.14.16. Ioan.14.16. Ioan.15.26. Eſai.61.1.

X. Denique, infinitatem Spiritus Sancti probat ejus tum omniſcientia, qua etiam profunditates Dei ſcrutari dicitur, omnia que noſſe quæ in Deo ſunt; tum ejus omnipotentia, qua cuncta creavit & conſervat, & ſecundùm quas Spiritus Scientiæ & virtus altiſſimi dicitur. Æternitatem illi aſtruit tum rerum omnium creatio: quidquid enim eſt ante omnia quæ facta ſunt, id æternum eſt; tum tituli quibus inſignitur: virtus enim altiſſimi & digitus Dei nuncupatur: Qui tituli rei principium temporis habenti competere nequeunt: Immenſitatis ejus argumentum luculentiſſimum eſt, quod nemo a Spiritu Dei fugere poſſe, Spiritusq; Domini in ſanctis omnibus tanquam in templo habitare dicitur. 1.Cor 2 10. 11. Iob 26.13. Iob 33. 4. Luce 1.35. Luc.11. 20. Pſ.139.7. 1.Cor.6.19.

XI. Ex quibus omnibus liquidò apparet Spiritum S. ejuſdem eſſe cum Patre & Filio divinitatis, Deique nomine verè inſigniendum. Qui

enim creatura non eſt, & tamen verè ſubſiſtit, ille Deus ſit neceſſe eſt, & qui ex Deo eſt, & a Patre egreditur, non per emanationem externam, neque per creationem virtute divina alia interveniente factam, ſed per emanationem internam ipſe virtus Dei exiſtens, quo jure Dei vocabulo ſpoliabitur? Cum enim dari, effundi, mitti dicitur, non id divinitatis diminutio eſt, ſed originis ex 1.Cor.12.4. & 6.7.8.9. 10.11. Deo, proceſſuſque à Patre & Filio, miſſioniſque ad officium ſignificatio. cujus rei indicium eſt quod & ipſe cum plena poteſtate ſecundum voluntatem ſuam divina dona diſtribuere, parique cum Patre Deo, & Filio Domino auctoritate dona dare, miniſteria inſtituere & operationes efficere dicitur.

XII. Atque hæc de Sacroſancta & individuâ Trinitate doctrina myſterium continet, omnem humanum & angelicum intellectum longiſſimè exſuperans, ſi ſecundum internam, quæ in Patre, Filio, & Spiritu Sancto eſt unitatem, relationemque quæ inter eoſdem eſt originis & proceſſus conſideretur: At verò ſi œconomiæ & diſpenſationis illius, quâ Pater in Filio, & uterque per Spiritum Sanctum ſalutem noſtram perficit, ratio habeatur, admirabilis eſt dulcedinis, & exuberantiſſimos fructus fidei, ſpei, charitatis, fiduciæ, timoris, obedientiæ producit in cordibus fidelium ad laudem 2.Cor.13.13. Dei creatoris, Filij redemptoris, & Spiritus ſancti ſanctificatoris, illius charitas, iſtius gratia, hujus communicatio ſit nobiſcum & cum omnibus ſanctis: Amen.

Baſilius Everſor. 3.

Quæ neceſſitas eſt, ſi dignitate & ordine eſt Spiritus, tertium etiam ipſum eſſe naturâ? Dignitate equidem tradidit fortaſſis pietatis doctrina: Natura verò tertia uti, neque ex ſanctis Scripturis didicimus, neque ex prædictis velut conſequens colligere poſſibile eſt. Sicut enim Filius ordine quidem ſecundus eſt, quia ab illo eſt, & dignitate, quoniam principium & cauſa ut ſit ipſe, Pater eſt, & quoniam per ipſum proceſſus & acceſſus ad Deum & Patrem: natura autem non amplius ſecundus eſt, quoniam Deitas in utroque una eſt: Ita nimirum & Spiritus ſanctus, etiamſi ſequitur Filium, & ordine, & dignitate, ut omninò etiam concedamus, non tamen veriſimiliter velut aliena exiſtens natura.

Nazianz. Orat. 3. de Theolog.

Vt Compendio dicam, in diſtinctis eſt impartibilis Deitas, & velut in tribus ſolibus mutuò ſeſe complexis una lucis temperatura. Quare quum ad ipſam ſive deitatem, ſive primam cauſam, ſive monarchiam reſpexerimus, unum quiddam animo concepimus. Rurſum quum ad ea, in quibus eſt Deitas, quæque ex ipſa prima cauſa exiſtunt, illinc pari gloria ſine ulla temporis ratione promanantia convertor, tria quædam adoranda comperio.

THESIS

THESIS SEPTIMA
DE
Primo primi hominis peccato.

Reſp. ABRAHAM. APPART.

I.

Vſus doctrinæ. Gen. 9.22. QVum de hoc primo malo inquiritur, non ideò agitur ut cum impio Chamo nuditatem περιπωλάτων retectam indignè traducamus; verum ut illo accurate cognito, tanquam lethalis morbi cauſâ inventâ, medicam manum imploremus ſtudioſius. Gal. 2. 16. Quatuor autem potiſſimum in ejus diſquiſitione tractanda videntur. Primum erit de ipſo peccato. Alterum de ejus cauſis. Tertium de gravitate. Quartum de effectis illius.

1. Peccatum ipſum. II. Peccatum autem hoc commodiſſime ab Apoſtolo inobedientia & offenſa ſive lapſus appellatur. Rom. 5. 19. Inobedientia: Quum enim lex illa adverſus quam patratum eſt, ſymbolica fuerit, data ad teſtificandum hominem eſſe ſub legem Deo, & obedientiam ejus explorandum, ejuſque præſtatio futura erat manifeſta devotæ ſubmiſſionis & debitæ obedientiæ profeſſio; ſanè ejus tranſgreſſio non poteſt commodiore quam inobedientiæ nomine inſigniri, continentis in ſe ſubjectionis negationem & obedientiæ renunciationem. Rom. 5. 15. 17. 18. Offenſa ſeu lapſus; quia quum homo antè in ſtatu integritatis conſtitutus, inoffenſo pede in via mandatorum Dei incederet, hoc facto in ipſam legem impegerit, & à ſtatu integritatis deciderit.

III. Eſt itaque peccatum hoc tranſgreſſio legis de non edendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali à Deo hominibus primis latæ, libera hominis voluntate, ex deſiderio ſimilitudinis Dei, per Satanæ ſerpente abuſi ſuaſionem perpetrata, propter quam homo in offenſam & iram Dei incidit, mortis utriuſque reum ſe fecit, juſtitiæque & ſanctitatis primævæ, in quibus bona pars imaginis Dei conſiſtebat, privationem meruit. Gal. 2. 19. Rom. 5. 19. Gen. 3. 5. 6. Gen. 3. 3. 4. Gen. 3. 23. 24. Rom. 5. 12. 16. Luc. 19. 29.

2. Cauſæ illius. IV. Cauſa peccati iſtius efficiens duplex eſt. Immediata & propinqua una, altera remota & mediata. Illa eſt homo ipſe, libera ſua voluntate citra ullam neceſſitatem vel internam vel externam, legem ſibi propoſitam, comminatione & promiſſione ſancitam, obſervatu ſibi poſſibilem; tranſgreſſus. Iſta eſt diabolus, qui invidens gloriæ divinæ & ſaluti hominum ad legis iſtius tranſgreſſionem hominem ſolicitavit. Inſtrumentalis eſt ſerpens, cujus lingua abuſus eſt Satan ad proponendum homini iſta argumenta, quæ illi perſuadendo convenientia putabat, forte ex ſe ipſo conjecturam faciens, qui iiſdem argumentis ad peccandum fuiſſet pellectus. Geneſ. 3. 6. Rom. 1. 19. Gen. 2. 17. Gen. 2. 9. & 1. v. 23. 24. Ioan. 8. 44. Gen. 3. 1. & 2. Cor. 11. 3. Gen. 3. 4. 5.

V. Argumenta iſta, quæ cauſæ intus moventes & προκαταρκτικαὶ dici poſſunt, duo fuerunt. Vnum directè ſuadens, deductum ab utili, quod inde conſecuturus erat homo, ſimilitudinem nempe Dei. Gen. 3. 5. 6. Alterum, diſſuaſionis argumentum à comminatione Dei deſumptum, removens, Gen. 3. 4.

removens, ne timor pœnæ deſiderio ſimilitudinis prævalens ab eſu hominem prohiberet. Quorum hoc quanquã propoſitionis ordine priores obtineat, poſteriores tamen efficientiæ partes obtinuiſſe arbitramur.
Geneſ.3.6. Hiſce argumentis iungi poſſunt duæ qualitates fructui arboris iſtius à creatore inditę, ſenſus hominis blandè afficere & allicere aptè, quæ ſignificantur hiſce verbis, *quod bona eſſet arbor ad veſcendum, & deſiderabilis oculis.* Verum hoc diſcrimen eſt inter argumenta illa & haſcę qualitates, quod illa propoſita ſint à diabolo ad perſuadendum peccatum, qua tale; qualitates illæ à Deo inditæ ad eſum tantum ſuadendum, ſiquidem citra peccatum obiri poſſet.

VI. Cauſę προηγούμεναι, ſed per accidens, fuerunt tùm affectus erga ſimilitudinem Dei homini ab ipſo Deo inſitus, ſed certo ordine & modo
2 Cor.3.18. uſurpandus. (Imago enim & ſimilitudo Dei gratioſa, ad quam homo erat conditus, tendebat ad imaginem Dei & ſimilitudinem glorioſam) tum affectus naturalis erga fructum boni ſaporis & jucundi aſpectus animali vitæ conſervandę & recreandę convenientem.

VII. Verum omnium & ſingularum illarum cauſarum efficacitati ut reſiſtere debuit, ita quoq; po-
Gen.26.27. tuit homo ad imaginem Dei condi-
Colo.3.10. tus, ac propterea agnitione Dei, ve-
Eph. 4.24. ra ſanctitate & juſtitia præditus; extra operantes repellendo & rejiciendo; intus impellentes in ordinem cogendo & legi ſpirituique Dei
Geneſ.3.7. ſubjiciendo; quod ſi feciſſet, tentatio iſta ex qua victor diſceſſiſſet, illi in culpam violatę legis imputata non fuiſſet.

Pſalm 5.5. VIII. Deo autem nullo modo
Iacob.1.13. culpa iſtius peccati tranſcribi poteſt, neque ut efficienti neque ut deficienti cauſæ. Non ut efficienti, quia neque per hominem hoc perpetravit, neque ullam homini vel intus vel extra adhibuit actionem, qua illum ad peccandum incitaret. Non ut deficienti, quia nihil ad vitandum hoc peccatum & legem præſtandam neceſſarium negavit aut abſtulit homini ſed ſufficienter illum ab omnibus eò requiſitis inſtruxerat, & inſtructum conſervabat.

IX. Interceſſit autem permiſſio Geneſ.2.17. divina, non qua actum illum juri & poteſtati illius permiſit, ut potuerit illum citra peccatum patrare, (illa enim legiſlationi eſt contraria,) ſed qua illum liberæ voluntati & potentiæ hominis permiſit. Illa autem Eſai.5.4. permiſſio non eſt gratiæ neceſſariæ & ſufficientis ad legem præſtandam negatio ſeu ablatio, (illa enim legiſlationi iuncta Deo peccati efficientiam adſcriberet:) Sed eſt ſuſpenſio alicujus efficientiæ Deo tum ſecundum jus tum ſecundum potentiam poſſibilis, quæ uſurpata peccatum actu impediret; quod impedimentum efficax vulgò appellatur. Hoc autem impedimentum Deus præſtare non tenebatur, utpote poſitis peccato illis impedimentis quæ hominem à peccando dimovere & deterrere poterant & debebant, nempe imaginis ſui communicatione, legis poſitione, pœnæ comminatione & præmij pollicitatione.

X. Hujus permiſſionis cauſa, Deut.29.29. quanquam in illorum numero cenſeri poſſit, quæ Deus nobis occulta eſſe voluit, tamen a nobis modeſte & reverenter Dei actiones inſpicientibus, duplex ſtatui poſſe videtur, una eſt a priori, altera poſteriori.

Illam

adverſ. Marc. lib. 2. cap. 1. Illam Tertulliani verbis enunciabimus, *ſi ſemel homini permiſerat arbitrij libertatem & digne permiſerat, utiq; fruendas eas ex ipſa inſtitutionis auctoritate permiſerat: fruendas autem quantum in ipſo, ſecundùm ipſum, id eſt ſecundùm Deum, id eſt in bonum. Quis enim adverſus ſe permittet aliquid? quantum vero in homine ſecundùm motus libertatis ipſius.* Alteram verbis Auguſtini proferemus. Enchir. cap. 100. *Non ſineret bonus fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet benè.*

XI. Materia peccati iſtius eſt eſus ipſe de fructu arboris ſcientiæ boni & mali, qui ſua natura indifferens eſt, & homini in tanta copia fructuum bonorum & variorum facile evitabilis. Vnde mira Dei benignitas & comitas elucet, qui obedientiam creaturę ſuæ experiri voluit in actu quem facillime omittere potuit citra naturæ noxam, imò & citra voluptatis detrimentum. Quod ipſum Deus ſignificaſſe videtur, quum preceptum hoc modo proponeret: Gen. 2. 16. 17. *Ex omni arbore horti comedendo comedes. At de arbore ſcientiæ boni ac mali non comedes,*

XII. Forma vero peccati illius eſt ipſa ἀνομία, quæ actui iſti competit qua lege vetitus eſt. 1. Ioan. 3. 4. Qui reſpectus quia actui iſti adhæſit ab eo tempore quo Deus illum lege circumſcripſit, effecit ut actus omittendus fuerit. Dan. 3. 8. Majus enim erat malum morale, quod illi per Dei prohibitionem adhærebat, quàm bonum illud naturale fuit quod actui inerat per naturam. Erat etiam in homine imago Dei, ſecundùm quam magis abhorrere debebat ab actu illo, quia peccatum illi adhærebat, quàm per naturalem affectum inclinari ad actum ipſum, quia bonum aliquod ipſi conjunctum eſſet.

XIII. Finis peccato iſti poni non poteſt. Gen. 35. 6. Malum enim per ſe finem non habet, utpote qui ſemper boni rationem habet. Actus autem finis ſunt, tum ut homo ſimilitudinem Dei aſſequeretur in ſcientia boni & mali, tum ut ſenſui guſtus & viſus ſatisfaceret. Similitudinem autem illam non eſt arbitratus ſe conſecuturum per peccatum, quâ tale, ſed per actum quâ naturalis eſt. Rom 9. 22. 25. Terminum autem habet quem illi divina determinatio circumpoſuit, eumque duplicem, unum naturæ peccati convenientem ſecundum ſeveritatem Dei, alterum peccatum tranſcendentem, imò illi contravenientem ſecundum gratiam & miſericordiam Dei.

3. Gravitas peccati.

XIV. Ex hiſce ita pertractatis judicium fieri poteſt de gravitate peccati iſtius, quæ in hiſce quatuor potiſſimum videtur poſita. 1. quod Gen. 17. 4. ſit tranſgreſſio legis non particularis, Gen. 1. 26. 27. & Col. 3. 10. & Ephe. 4. 24. ſed universè obligationem hominis erga Deum conteſtantis & obedientiam explorantis: cujus contemptus Gen. 2. 16. 17. fœderis cum Deo initi & obedientiæ ex fœdere debitæ renunciationem in ſe habet. Gen. 2. 15. 16. & 3. ver. 6. 23. & Apoc. 2. 7. 2. Quod homo in ſtatu integritatis conſtitutus & tam excellentibus agnitionis Dei, juſtitiæ & ſanctitatis dotibus à Deo ornatus, id peccatum perpetravit. 3. Quod cum tanta eſſet non peccandi, iſto præſertim actu, facilitas, tamen à peccato illo non abſtinuerit. 4. Quod loco ſanctificato in typum paradiſi cœleſtis, illud peccatum admiſit. Sunt nonnulla alia quæ hoc peccatum adgravare poſſunt, verum quia illa cum pleriſque alijs peccatis communia habet, non attingemus.

4. Effecta peccati. 1. Ioan. 3. 4. Gen. 3. 11. Gen. 3. 16. 17. 18. 19. 21. 14. Gen. 2. 17. Rom. 6. 23. Luc. 19. 26. Rom. 8. 14. 15. 1. Cor. 1. 12.

XV. Effectus peccati iſtius proprius & immediatus fuit numinis offenſio. Quum enim peccati forma ſit tranſgreſſio legis, illa primo & immediatè impingit in ipſum legiſlatorem, & impingit cum offenſione illius, utpote qui voluerit in legem ſuam non impingi: unde juſtam iram concipit, quę eſt peccati ſecundum effectum. Ex ira vero ſequitur illatio pœnæ, quæ hic duplex eſt. 1. reatus mortis utriuſque. 2. privatio ſanctitatis & juſtitiæ illius primævæ; quæ quia erant effecta Spiritus ſancti inhabitantis in homine, permanere non debuerunt in homine, qui ex favore Dei exciderat, & iram illius incurrerat. Spiritus enim ille favoris & benevolentiæ Dei eſt ſignaculum.

XVI. Totum vero hoc peccatum non eſt proprium primorum hominum, ſed commune totius generis & omnium poſterorum, qui tum temporis cum peccabant iſti in lumbis illorum erant, & poſtea naturali propagationis modo ſecundum primęvam benedictionem ab illis deſcenderunt. (Rom. 5. 12.) *Omnes enim in Adamo peccarunt.* Quare etiam quidquid illatum eſt pœnæ parentibus primis, etiam poſteritatem omnem pervaſit (Ephes. 2. 3.) & urget, adeò ut omnes filij iræ ſint natura, rei condemnationis, & mortis tum temporariæ tum ęternæ, (Rom. 5. 12. 18. 19.) denique vacui originariæ illius juſtitiæ & ſanctitatis: Quibus malis oppreſſi manebunt in æternum, niſi ex illis liberentur per Ieſum Chriſtum: Cui ſit gloria in ſecula.

THESIS OCTAVA

DE

Peccatis Actualibus.

Reſp. CASPARO WILTENS.

I.

VT Theologi & Philoſophi propter vocabulorum penuriam ſæpius ſynonyma diſtinguere & voces latiore vel ſtrictiore ſignificatione accipere coguntur, quam earum natura & etymologia paritur: ſic in hac materia. *Peccatum Actuale* quanquam etiam peccato primo Adami competat, tamen vulgò diſtinctionis accuratioris gratia pro eo tantum ſumunt, quod homo ex naturæ ſuæ corruptione ab eo tempore quo ratione uti novit perpetrat, & definiunt. *Cogitatum, dictum, factum contra legem Dei, vel cogitati, dicti, facti, lege illâ mandati omiſſionem.* aut brevius, *Peccatum eſt tranſgreſſio legis,* quod Ioannes, unâ voce compoſita *ἀνομίας* explicavit. 1. Ioan. 3. 4.

II. Nam cum lex ſit præceptiva boni, & prohibitiva mali, neceſſarium eſt, non tantum actionem, ſed & actionis neglectionem pro peccato cenſeri: unde oritur prima peccati diſtinctio, in *Commiſſionis*, quum actus prohibitus perpetratur, ut furtum, homicidium, adulterium, & *Omiſſionis*, cum ab actu præſcripto abſtinetur, ut ſiquis magiſtratui honorem debitum non exhibeat, pauperi pro facultatibus nihil largiatur. Et cum Lex ſit duplex, alia lex operum, (Rom. 3. 27.)

operum propriè lex dicta, & lex fidei, quæ eſt Euangelium gratiæ Dei, hinc peccatum eſt vel quod contra Legem committitur, vel quod contra Euangelium Chriſti. Quod con- Heb.2.2.3.
tra Legem committitur, iram Dei in peccatores provocat, quod contra Euangelium, efficit ut ira Dei ſuper nos maneat, illud merendo pœnam, hoc ne remittatur pœna impediendo.

III. Deinde peccatum aliud eſt *per ſe*, aliud *per accidens*. *Per ſe* peccatum eſt omnis externa vel interna actio lege prohibita, vel omnis actionis lege mandatæ neglectio. *Per accidens* peccatum eſt vel in neceſſarijs & lege adſtrictis, vel in adiaphoris. In neceſſarijs, vel quando actus lege præſcriptus non cum debitis circumſtantijs præſtatur, quale eſt eleemoſynam dare ut lauderis ab
Matt.6.2. hominibus, vel quando actus lege prohibitus non ex debita cauſa & in juſtum finem omittitur; ut ſi quis iram ad tempus cohibeat ut vindictam exerceat crudeliorem. in a-
Rom.14.15.21. diaphoris, cum quis ijs utitur cum ſcandalo infirmorum.

IV. Dividitur etiam peccatum ratione objecti perſonalis in quod peccatur, eſtque vel in Deum, vel in proximum, vel in nos ipſos, juxta
Tit.2.11. id quod dicitur ab Apoſtolo, *Gratia Dei ſalutaris illuxit omnibus hominibus, ut abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus temperanter, & juſte, & pie vivamus in præſenti ſeculo*: ubi *temperantia* ad ipſum hominem, *juſtitia* ad proximum, *pietas* ad Deum commodè refertur, quæ etiam compræhenſa dicimus in iſtis duobus præceptis, Dilige Deum ſuper omnia, & proximum ſicut te ipſum. Vtut enim in decem præceptis tantum quod Deo & proximo debemus præſcribi videatur, tamen idipſum ejus eſt naturæ, ut præſtari nequeat ab homine, quin & ille ſibi tribuat quod ſibi debet.

V. Diſtribuitur præterea peccatum ex cauſa; in peccatum *ignorantiæ, infirmitatis, malitiæ, & negligentiæ*. *Ignorantiæ* peccatum eſt quando quis id quod facit ignorat eſſe peccatum: ſic [f] Paulus perſecutus eſt Chriſtum f 1.Tim.1.3
in Eccleſia ipſius: *Infirmitatis* quando ex metu qui etiam in fortem virum cadit, vel ex aliquo alio vehementiore affectu & animi perturbatione aliquid patratur; ſic [g] Petrus g Matth.26.70.
abnegavit Chriſtum, David a Nabale offenſus, ad illum ejuſque domeſticos occidendos profectus eſt [h]: h 1.Sam.25.13.21.
Ex malitia, quando deſtinato animi propoſito & deliberato conſilio aliquid admittitur; [i] ſic Iudas negavit i Mat.26.14.15.
Chriſtum, [k] ſic David curavit occi- k 2.Sam.11.15.
dendum Vriam: *Negligentiæ*, quando quis à peccato circumſiſtente [l] præ- l Gal.6.1. Heb.12.1.
occupatur antequam de facto apud ſe diſpiciat, quale dicetur [m] Pauli m Act.23.3
adverſus Ananiam Pontificem, ſiquidem in eo peccaſſe dicatur.

VI. Affinis eſt diſtributio peccati in id quod eſt *contra conſcientiam*, & quod *non eſt contra conſcientiam*. *Contra conſcientiam* eſt quod ex malitia & deliberato animo perpetratur, conſcientiam vaſtans, & eouſque Spiritum S. (ſi à ſanctis perpetretur) contriſtans, ut à [n] ſolita ſua functione n Pſal.51.13
ducendi illos in rectam viam, & exhilarandi illos in conſcientijs teſtificatione ſua interna, deſiſtat. & illud κατ' ἐξοχὴν contra conſcientiam dicitur, quanquam latè ſumpta illa voce etiam peccatum quod ex infirmitate, certâ tamen & ad factum adplicatâ ſcientiâ præeunte patratur,

 contra

1 Ioh. 5.16. X. Fit etiam in Scriptura mentio peccati *ad mortem*, quod ſpeciatim ſic dicitur quia omnibus qui id perpetrarunt mortem certam reipſa infert; & peccati *non ad mortem* quod illi opponitur: cum quo pari paſſu incidit diviſio peccati in *remiſſibile* & *irremiſſibile*. Peccatum *non ad mortem* & *remiſſibile* dicitur quod & poteſt habere reſipiſcentiam ſubſequentem & ſic remitti, & multis per pœnitentiam ſuccedaneam eſt remiſſum, quale illud eſt quod in filium hominis admitti dicitur. *Ad mortem* vel *irremiſſibile* eſt quod nunquam habet pœnitentiam ſubſequentem, vel cujus auctor ad pœnitentiam revocari nequit; qualе eſt illud quod *peccatum* vel *blaſphemia in Spiritum Sanctum* dicitur: de quo dicitur neque in hoc neque in futuro ſeculo remittendum. qua de cauſa & pro illo peccato non dicit orandum eſſe Iohannes.

Mat. 12. 32. Luce 12, 10.

XI. Quanquam autem propria peccati in Spiritum S. ratio & natura difficillimæ ſit cognitionis, tamen illos ſequi malumus qui id quàm graviſſimè definierunt, quam qui ſex ejus ſpecies ſtatuendo *irremiſſibile* coacti ſunt explicare in nonnullis ſpeciebus pro eo quod eſt *difficulter & raro remitti*, vel, *ex ſe mereri ut non remittatur*. Cum illis itaque dicimus peccatum in Spiritum S. perpetrari, cum quis divinæ veritati, & quidem Euangelicæ, cujus fulgore ſic perſtringitur ut ignorantiam cauſari nequeat, tamen deſtinatâ malitiâ reſiſtit, in hoc ut reſiſtat. Quod peccatum non ideò in Spiritum S. dicitur quod non ſit in Patrem & in Filium, quomodo enim non peccet in Patrem & Filium qui in Spiritum utriuſque peccat? ſed quia adverſus operationem Spiritus ſancti, convictionem nempe veritatis per miracula, & mentis illuminationem committitur.

XII. Cauſa verò cur peccatum illud irremiſſibile dicatur, & qui id commiſit ad pœnitentiam non poſſit renovari, non eſt Dei impotentia, quaſi per abſolutiſſimam ſuam omnipotentiam iſti homini pœnitentiam ad vitam dare & ſic blaſphemiam iſtam remittere nequeat: ſed cum alicubi neceſſum ſit ut ſiſtat miſericordia Dei, terminis ipſius juſtitiæ & æquitatis ſecundum præſcriptum ſapientiç circumſcripta, quod Deus illum qui tam horrendum flagitium perpetravit, & ſpiritum gratiç contumelia affecit, prorſus indignum æſtimet cui convertendo ſuam benignitatem & ejuſdem Spiritus S. operationem occupet, ne vilem illam habere videatur & ipſe homine peccatore imo tanto peccatore indigere.

XIII. Cauſa efficiens peccatorum actualium eſt homo ex libera ſua voluntate. Cauſa προηγουμένη eſt propenſio noſtra originalis in id quod legi divinæ eſt contrarium, quam per carnalem generationem ex primis noſtris parentibus contraximus. Cauſæ προκαταρκτικαὶ ſunt objecta & occaſiones quæ ad peccandum ſollicitant. Materia ſeu materiale eſt actus ſecundùm naturam boni rationem habens. Forma ſeu formale eſt legis tranſgreſſio ſeu ἀνομία. Fine caret, quia peccatum ἁμαρτία eſt, quod aberrat à ſcopo. Objectum eſt commutabile bonum ad quod homo cum inclinat deſerto incommutabili bono, peccat.

XIV. Effecta verò peccatorum actualium ſunt calamitates omnes & miſeriæ hujus vitæ, tum mors

temporaria, denique mors æterna. In obduratis verò & excæcatis etiam præcedentium peccatorum effectus ſunt pe ccata conſequentia.

THESIS NONA
DE
Iuſtitia & efficacia Providentiæ Dei in malo,

Reſp. RODOLPHO de ZYLL.

I.

INter cauſas & prætextus quibus humana tum ignorantia inducta, tum perverſitas abuſa eſt ad negandam providentiam Dei, non poſtremum obtinet locum mali, hoc eſt, peccati in mundum egreſſus, & mi-
Mat.10.28. re fertilis exuberantia. Quum enim
Pſal.147.5. Scriptura duce & natura teſte ſta-
Apoc.4.8. *Rom.1.20.* tuendum ſit Deum eſſe bonum, omniſcium, potentiſſimum, idque omnibus, qui aliquam divinitatis conceptam animo notionem habent ſit perſuaſiſſimum; ex eo concludebant illi, malum ſub his tribus divinæ majeſtatis conditionibus evenire non potuiſſe, ſiquidem Deus omnia providentia ſua adminiſtraret, & de malo ſecundùm illas naturæ ſuæ proprietates curare vellet: ideoque cum evenerit tamen, omnino providentiam Dei negandam eſſe. Præſtare enim otioſum Deum & rerum mundanarum, præſertim quibus libertas arbitrij creaturæ rationalis intervenit, negligentem ſtatuere, quam bonitatis, ſapientiæ, potentiæ decus illi adimere. At neutrum neceſſe eſſe, & tria illa majeſtatis ſupremæ decoramenta una cum providentia Deo ſalva eſſe poſſe, commodò efficacitatis Dei circa malum explicatio docebit.

II. Cui paucula fundamenti vice præſtruenda de ipſo malo. 1. quid ſit propriè peccatum. 2. quod poſſibile fuerit illud perpetrari à creatura rationali & quomodo. 3. quod ſummum malum dari nequeat, quod nempe cum ſummo bono ex æquo contendat, ut Manichæi ſtatuebant; alioqui omnium malorum, quæ excogitari poſſunt, ſummum eſt ipſum, de quo agimus, peccatum: &, ſi ſtrictè loqui liceat, unicum & ſolum, reliqua enim non mala, ſed alicui mala.

III. Peccatum propriè eſt aberratio à norma, quę norma eſt ęquitas in mente Dei pręconcepta, & menti creaturæ rationalis per legiſlationem expreſſa, juxta quam fas eſt ut illa vitam inſtituat; quare etiam unico
verbo ſed compoſito à Iohanne defi- *1.Ioan.3.4.*
nitur ἀνομία .i. legis tranſgreſſio: ſive illa pręceptiva ſit boni, ſive mali pro-
hibitiva, unde malum commiſſio- *Pſal.34.15.*
nis adverſus hanc, vel omiſſionis adverſus illam legem perpetratum. In peccato autem duo conſideranda veniunt: ipſe actus qui boni naturalis rationem habet; ſub actu autem & ceſſationem ab actu comprehendimus: & ἀνομία quæ mali moralis vicem obtinet. Actus materiale, ἀνομία formale peccati dici poteſt.

IV. Peccatum verò à creatura rationali perpetrari potuit: nam quâ creatura deficere a ſummo bono potuit, & affici erga minus bonum, actumque quo iſto potiri poſset: Qua rationalis intelligere potuit, & ſecundùm Deum ſibi vivendum eſſe,

eſſe, & quæ illa æquitas eſſet, ſecundum quam vita ejuſque actiones ſpeciatim inſtituendæ eſſent. Quâ creatura rationalis, lex illi à Deo poni potuit, imò ex æquo & juſto debuit, quâ vetaretur à ſummo bono deficere, & actum illum quamvis naturaliter bonum patrare. Modus in arbitrij libertate, creaturæ rationali à Deo tributa, poſitus eſt, ſecundum quam legi debitum obſequium præſtare potuit auxilio gratiæ, vel ejus limites vi propria tranſilire.

V. Quum verò ſummum malum dari nequeat, hinc claret, quanquam malum bono ſit contrarium, tamen boni, quod ſummum eſt univerſum ordinem excedere non poſſe, quin ab illo ipſo ſummo bono in ordinem redigi, & ſic ad bonum dirigi poſſit; propter iſtius boni ſapientiam infinitam, qua novit quid de malò fieri poſſit, & potentiam, quâ poteſt hoc de malo facere quod de illo fieri poſſe novit. Fac itaque peccatum univerſi creati ordinem exceſiſſe, ipſius tamen creatoris & ſummi boni ordine circumſcribitur. Ex quibus omnibus poſitis, quum appareat providentiam Dei intercedere non debuiſſe, quo minus malum à creatura libera patraretur, ſequitur etiam ex malo in mundum ingreſſo, & euſque ingreſſo, ut totus mundus in malo jaceat, providentiam Dei deſtrui non poſſe. Quod latius porro demonſtrabimus, ipſam providentiæ Dei circa malum efficientiam pertractantes. 1. Ioan. 5.15.

VI. Efficientia Dei circa peccatum, quum in illo ut dictum, actus vel ceſſatio ab actu, & ἀνομία conſideranda ſint, concernit tum actum ipſum tum vitioſitatem ejus: & quidem ſive principium peccati, ſive progreſſum illius, ſive denique extremum ejus & conſummationem intueamur. Efficientia quæ circa initium conſideratur, vel impeditio vel permiſſio eſt: cui addimus adminiſtrationem argumentorum & occaſionem ad peccatum incitantium: Quæ circa progreſſum directio & determinatio; quæ circa finem & terminum punitio & remiſſio. De concurſu Dei quando quidem ille ad actum tantum eſt, quâ actus & naturaliter bonus, agere ſuperſedebimus.

VII. Prima Dei circa malum efficientia eſt impeditio vel impedimenti poſitio, ſive illud ſufficiens ſit, ſive efficax. Convenit enim bono ut malum, quantum fas eſſe novit, impediat. Impedimentum autem ponitur, vel poteſtati, vel potentiæ, vel voluntati creaturæ rationalis, quæ tria etiam in impediente conſideranda. Impedimentum poteſtati poſitum eſt, quo actus aliquis poteſtati creaturæ rationalis adimitur, ad quem præſtandum illa affectum habet, & vires ſufficientes; quâ circumſcriptione fit ut creatura actum illum ſine peccato patrare nequeat, eaque fit per legiſlationem. Sic circumſcriptus eſus de arbore boni & mali, cum eſus aliarum concederetur; & hæc impeditio eſt peccati qua tale: & à Deo ponitur creaturæ rationali, quâ illi jus eſt & poteſtas in illam. Ierem 51. 32. 33. Gen. 2. 17.

VIII. Impedimentum potentiæ poſitum eſt quo efficitur ne creatura actum, ad quem præſtandum affectionem habet & vires, citra hoc impedimentum, ſufficientes, patrare poſſit. Illud autem ponitur quatuor modis. 1. eſt per efficientiā

& vi-

& vitæ, quæ fundamentum ſunt potentiæ, ablationem. Sic impedita Hieroſolymorum expugnatio, & Heliæ ad Achaziam abductio, iſtic centies & octoagies mille viris ab angelo cæſis, hîc bis quinquaginta ab igne conſumptis. 2. eſt per potentiæ ablationem vel diminutionem. Sic impeditus Ieroboam ne Prophetam Dei apprehenderet, per areſactionem manus ipſius. Sic impeditur peccatum ne dominium exerceat in hominem, cum corpus peccati enervatur & aboletur. 3. eſt per potentiæ maioris vel ſaltem æqualis oppoſitionem. Ita impeditus Vzzia ne ſuffiret Iehovæ obſiſtentibus Sacerdotibus: ita & caro impeditur ne faciat quod vult, quia ſpiritus concupiſcit adverſus carnem, & ille qui in nobis eſt, eſt fortior quam ille qui eſt in mundo. 4. eſt per objecti ſubductionem. Sic impediti ſæpè Iudæi ne Chriſto nocerent, quia ſubduxit ſe è medio illorum, ſic Paulus per tribunum Iudæis, qui in necem ipſius conſpiraverant, ereptus eſt.

1. Reg. 19. 2. Reg. 1. 1. Reg. 13. 4. Rom. 6. 6. 2. Chron. 26. 18. Gal. 5. 17. 1. Ioan. 4. 4. Ioan. 8. 59. Act. 23. 10.

IX. Impedimentum ponitur voluntati, cum argumento aliquo ei perſuadetur ne velit patrare peccatum. Argumenta autem quibus voluntas movetur ad haſce tres claſſes referimus. Aut enim ſumuntur ab impoſſibili vel difficili, aut ab injucundo, incommodo, inutili vel damnoſo etiam; aut denique ab inhoneſto, injuſto, indecoro. 1. argumento impediti Phariſæi & Scribæ ſæpius, ne manus violentas Chriſti injicerent: exiſtimabant enim illum à populo defenſum iri qui illum ut Prophetam eſtimabant. Eodem modo impediti Iſraëlitæ ne ad amatores ſuos, falſos Deos, abirent, ſepivit enim Deus ſepem, & viam ad illos ſpinis ſepivit, ne ſemitas ſuas conſuetas invenire poſſent: ſic ſancti a peccando abſterrentur, quum vident impios in vijs iniquitatis & perditionis laſſari. 2. argumento fratres Ioſephi impediti ne illum occiderent quum per venditionem illius finem ſuum aſſequi poſſent: ſic Iob impeditus ne peccaret oculis ſuis, quia ſciebat quæ eſſet portio Dei deſuper, & hæreditas excelſis in illos qui oculos adulterio plenos habent. 3. argumento impeditus Ioſephus, ne ſe adulterio turpi commacularet, impeditus David ne manum ſuam mitteret in unctum Domini.

Mat. 21. 45. Hoſ. 2. 6. 7. Sap. 5. 7. Gen. 37. 26. 27. Iob. 31. 1. 2. Gen. 39. 8. 9. 1. Sam. 24. 7.

X. Sequitur permiſſio peccati quæ impeditioni contraria eſt, non illi tamen, qua actus poteſtati creaturæ rationalis adimitur per legis lationem, ſic enim idem actus peccatum eſſet & non peccatum, peccatum qua vetitus, non peccatum quà iſto modo permiſſus i. non vetitus: verum iſti quà potentiç & voluntati creaturæ impedimentum ponitur. Eſt autem permiſſio non unius vel alterius impedimenti, quod potentiæ vel voluntati objici poteſt, ſed omnium ſimul impedimentorum ſuſpenſio, quæ Deus novit, ſi adhiberentur, peccatum reipsâ impeditura, quod neceſſe eſt, quia ab uno tâli peccatum impediretur. Peccatum itaq; permittitur potentiæ creaturæ, quum Deus nullum iſtorum impedimentorum, quorum antea mentionem fecimus theſi 7. adhibet. Qua de cauſa iſta permiſſio hiſce actibus Dei permittentis conſtat: continuatione eſſentiæ & vitæ creaturæ, conſervatione potentiæ ejuſdem, cuja ne major vel æqualis ſaltem potentia opponatur, denique objecti, in quod peccatum committitur,

ritur, oblatione. Permittitur etiam voluntati, non quod nulla à Deo impedimenta objiciantur voluntati à peccando abſterrendæ idonea, ſed quod videns illa ipſa, quæ proponuntur, nihil effectura, alia quæ in arcanis ſapientię ſuæ & potentiæ

Ioan.18.6. Mar.14.56. Ioan.9.6.

theſauris habet non adhibeat. Quod in paſſione Chriſti tum potentiæ tum voluntatis eorum qui eum ad mortem poſcebant reſpectu, planiſſimè apparet. Neque inde ſequitur, illa impedimenta fruſtra adhiberi, quanquam enim non ſequantur eventus iſtis impedimentis convenientes, fines tamen ſuos obtinet Deus potentiſſimè, eo quod non ſequantur eventus qui debebant.

Rom.1.20 21

XI. Fundamentum iſtius permiſſionis eſt tum libertas arbitrij, cum qua creaturam rationalem condidit Deus, quam conſtantia ipſius reſcindi non patitur, ne mutabilitatis inſimuletur Deus; tum infinita

Gen.1.2.3. 2.Cor.4.6

ipſius ſapientia & potentia, qua novit & poteſt ex tenebris facere lucem, & ex malo bonum producere. Et propterea permittit Deus id quod permittit, non inſcius virium & affectus creaturarum rationalium; novit enim omnia: Non invitus, potuiſſet enim creaturam non producere quæ eſſet liberi arbitrij: non impotens impediendi, vidimus enim quot modis & potentiam & voluntatem creaturæ impedire poſſit: non otioſus ſeu negligens ejus quod agitur, quia antequam fiat jam varias circa id actiones obivit, &, ut poſt videbimus, argumenta & occaſiones objicit, determinat, dirigit, punit & remittit peccatum: ſed quidquid permittit id conſultò & volens permittit, voluntate immediatè verſante circa permiſſionem, permiſſione verò ipſa circa peccatum, qui ordo citra periculum inverti nequit.

XII. Quæ hic generatim de impeditione & permiſſione peccati diximus per differentias ejus nonnullas explicemus diſtinctius. Peccatum. 1. diſtinguitur ex cauſis in ignorantiæ, infirmitatis, malitiæ & negligentiæ peccatum. Impedimentum ponitur peccato ignorantiæ per revelationem divinæ voluntatis: infirmitatis, per Spiritus S. corroborationem, adverſus mundi & Sathanæ machinationes, quin & carnis noſtræ imbecillitatem: malitiæ per lapidei cordis ablationem, carneique dationem, & inſcriptionem legis Dei in illo: negligentiæ per ſanctam ſollicitudinem & timorem Dei excitatum in cordibus fidelium. Ex quibus facile liquet quorum actuum ſuſpenſione permiſſio peccatorum cujuſque generis conſtet; permiſit Deus Paulo legis præpoſtero zelatori ut Chriſtum ex ignorantia perſequeretur, uſq; dum Filium ſuum ipſi retegeret, quo facto ex perſecutore factus eſt Paſtor: ſic permiſit Petro Chriſtum amanti at pluſculum de ſe confidenti, ut per infirmitatem illum abnegaret, quem majore vi ſpiritus inſtructus confeſſus eſt intrepide uſque ad mortem. Sauli, quem in irâ ſuâ Regem dederat Iſraëlitis, permiſit, ut ex malitia Davidem, de cujus integritate convictus erat, perſequeretur, Ionathane filio ipſius fruſtra obſiſtente: Davidi multis victorijs potito, & otium adepto, cum negligentius ageret, permiſit, ut ſe turpi adulterij crimine commacularet.

Pſ.119.105. Epheſ.3.10. & 6.1. 12.13. Ezech.11.19. Ier.31.33. Mat.14.38. Ier.32.40.

Gal.1.13.14

Mat.26.70. Act.5.41. Ioan.21.19. Oſea 13.18. 1.Sam.9.1. 1.Sam.14. 18.19.

2.Sam.11.

XIII. Diſtinguitur deinde peccatum ſecundum reſpectum duplicis legis, præcipientis nempe bonum

& vetantis malum; contra hanc peccari poteſt, vel committendo actum, vel non debita cauſa & fine omittendo; contra illam vel omittendo actum, vel non debito modo, cauſſa & fine committendo. Hiſce etiam impeditio & permiſſio Dei aptari poteſt. Impedivit Deus, ne
Genſ. 37. 26 27. fratres Ioſephi illum occiderent, at permiſit ut non debitâ cauſâ & fine illi parcerent; cum enim vendere poſſent, cujus occaſio ipſis divinitus oblata erat, inutile ſibi arbitrabantur occidere illum. Sic Abſalon im-
2. Sam. 17. peditus ſequi conſilium Achitophelis ſibi utile Davidi noxium, non quia iniquum ſed quia damnoſum eſſe exiſtimabat, perſtitit enim in propoſitio perſequendi patrem,
Num. 23. quod & opere explevit. Biliamum impedivit Deus ne malediceret Iſraëli, effecitq; ut illi benediceret, at ſic ut perverſâ mente ab illa abſtinuerit & hanc obierit. Hujus tum impeditionis tum permiſſionis rationes aliquo modo intelligemus, ſi in peccato actum & ἀνομίαν diſtinctè conſiderantes, utriq; impeditionem & permiſſionem applicuerimus.

XIV. Quanquam autem actus & ἀνομία in peccato uno inſeparabiliter juncta ſint, & propterea neutrum ſine altero impediri vel per-
Genſ. 37. 26. 27. mitti poſſit, mente tamen diſtingui poſſunt, & impeditio permiſſioque nunc hujus nunc illius reſpectu potiſſimum fieri à Deo, & facta à nobis conſiderari, non ſine magna ſa-
2. Reg. 1. pientiæ Dei commendatione & noſtro emolumento. Impedivit Deus ne fratres Ioſephum occiderent, non quâ peccatuum erat, quia permiſit ut in eadem mente perſtantes illum venderent, ſed quâ actus: nam illo Ioſepho vitam ademiſſent, cui Deus parcitum volebat. Permiſit ejuſdem venditionem non qua peccatum potiſſimum, ſed quâ actus, quia per venditionem qua actus eſt, finem ſuum obtinuit Deus. Impedivit Deus ne Helias ad Achaziam abduceretur interficiendus, non qua id peccatum erat, ſed qua actus: ex fine id apparet & impeditionis modo; Ex fine, quia voluit parcitum vitæ Prophetæ ſui, non ne Achazias in Deum peccaret; ex modo impeditionis: quia conſumſit bis quinquaginta viros ad illum comprehendendum emiſſos, quod ſignum fuit iræ divinæ adverſus Achaziam & illos, qua non peccatum ut tale, ſed ut actus alteri futurus noxius impediri ſolet, ex gratia verò impeditur ut tale. Permiſit Deus ut Sathan & Iob. 1. & 2.
Chaldæi Iobo noxam adferrent, non qua id peccatum erat, ſed qua actus, volebat enim Deus ſervi ſui patientiam explorare, & ad Satanæ confuſionem patefacere, hoc autem fit per actum, quo ut tali, noxa inferebatur Iobo. Impeditus eſt David ne 1. Sam. 24. 7
manus violentas Sauli inferret, non qua actus erat, ſed qua peccatum; id patet ex argumento quo impeditus abſtinuit, abſit à me, inquit, ut manus mittam in unctum Domini; hoc argumentum à peccato, ut tale, abſterret: liquet etiam ex fine impeditionis, voluit n. Deus ut David per afflictionum tolerantiam ad regnum 1. Reg. 21.
perveniret, veluti Chriſti veri Davidis typus. Permiſit Deus ut Achab Nabothum interficeret, non quà actus ſed qua peccatum erat actus ille; Nabotum enim alia ratione ad ſe transferre potuit Deus, ſed voluit Achabum menſuram ſcelerum ſuorùm implere Deus, ſibique & ſuis exitium accelerare. Impeditus eſt Abime-

Abimelech ne Saram Abrahæ uxorem vitiaret, tum qua actus erat, tum qua peccatum. Noluit enim Deus ut ſe Abimelech iſto crimine commacularet, eo quod in integri-
Gen.20.6. tate cordis feciſſet, voluit etiam parcere famulo ſuo Abrahamo, cui indelebilis dolor ex vitiatione uxoris ſuæ illatus fuiſſet tanquam ex actu. Permiſit Deus ut Iudas nurum ſuam
Gen.38.18. Thamar cognoſceret, tum qua actus, tum qua peccatum, quia voluit Deus ex Iuda naſci filium ſuum, & ſimul declarare, nihil tam eſſe inquinatum quod non in illo ſanctificaretur. Non enim abs re dicit Ma-
Matt.1.3. thæus Iudam ex Thamar & Davidem ex uxore Vriæ genuiſſe filios, ex quibus perpetua ſerie natus eſt Chriſtus.

XV. Quum verò actus, quanquam potentiæ & voluntati creaturæ permiſſus, poteſtati ejuſdem ademptus ſit per legiſlationem, & propterea ſæpenumero futurum ſit, ut creatura non omnino in malo obdurata, actum quia peccato junctus ſit patrare nolit, niſi argumentis quibuſdam & occaſionibus, quæ velut incitamenta ſunt ad illum patrandum, objectis; iſtius quoque objectionis adminiſtratio penes Dei providentiam eſt, qui irritamenta iſta objicit, tum ut exploret an creatura à peccando abſiſtere velit, etiam irritamentis incitata, quandoquidem exigua laus abſtinentiæ ubi illa abſunt, tum ut, ſi creatura velit iſtis incita-
Eccl.10.23. & 31.10. mentis cedere, ille ſuum opus per actum creaturæ efficiat, non neceſſitate impulſus, quaſi opus ſuum citrà actus creaturæ interventum producere nequeat, ſed voluntate multiformis ſuæ ſapientiæ illuſtrandæ permotus. Sic argumenta, quibus fratres Ioſephi incitati ſunt pro ſua malitia, ut fratrem ſuum è medio ſui ſublatum vellent, & occaſiones quibus illum è medio ſui auferre poterant, illis diſpenſatione divina oblata ſunt, partim mediato hominum actu intercedenter, partim immediato ipſius Dei. Argumenta fuerunt Geneſ.37.
accuſatio Ioſephi, quâ fratrum prava facta patri detegebat, amor Iacobi peculiaris erga Ioſephum, & ſomnij immiſſio immiſſique narratio, quibus fratrum animi odio & invidia adverſus illum accenſi ſunt. Occaſiones fuerunt tum miſſio Ioſephi ad fratres à patre facta, tum Iſmaëlitarum in Ægyptum proficiſcentium, iſto temporis momento, quo de illo tollendo deliberabant, oblatio. Et hæc quidem circa initium peccati conſideranda ſunt, circa progreſſum peccati jam permiſſi incidit directio & determinatio.

XVI. Directio peccati eſt actus providentię divinę, quo Deus peccatum ſapientiſſimè & potentiſſimè dirigit quò vult, pertingens ab extremo
ad extremum fortiter & diſponens Sap.8.1.
omnia ſuaviter. In iſta directione conſiderandus terminus à quò & ad quem: quum enim dirigit peccatum quo vult, intelligitur illud abducere ab eo, quo illud tendere non vult. Eſt autem directio illa duplex, in objectum & finem. Directio in objectum eſt, quando peccatum, quod permittit, non pro arbitratu creaturæ in quodvis objectum quacunq; ratione obvium & obnoxium injuriæ peccati ferri patitur, ſed in certum objectum à peccante aliquando
vel prorſus non petitum, vel ſaltem Prov.16.9.
non præciſè petitum dirigit. Quod Prov.21.1.
Scriptura generatim enuntiat his verbis: Cor hominis excogitat viam

 ſuam,

ſuam, Iehova autem dirigit greſſum ejus. Speciatim vero de corde Regis: Rivi aquarum cor Regis in manu Domini, ad omne quod vult inclinat illud. Cujus illuſtre exemplum habemus in Nabucadnezare, qui cum apud animum ſuum conſtituiſſet populos ſibi ſubigere, ac dubitaret utrum in Ammonitas moturus eſſet, an verò in Iudæos, Deus ita adminiſtravit divinationes illius, ut ſtatueret ire adverſus Iudæos omiſſis Ammonitis. *Ezec. 21.19. 20.21.22.*

XVII. Directio in finem eſt, quando peccatum quod permittit, non cujus fini, quem intendit creatura, ſervire patitur, ſed in illum finem uſurpat, quem ipſe vult, ſive creatura illum intendat (quod ſi faceret tamen à peccato non excuſaretur) ſive alium imo & prorſus contrarium: novit enim Deus ex tenebris & noxa peccati educere lucem gloriæ ſuæ & emolumentum ſuarum creaturarum. Sic quod cogitaverunt fratres Ioſephi in malum ipſius, hoc Deus convertit in bonum, non modo Ioſephi, ſed integræ familiæ Iacobi, & totius regni Ægyptiaci. Satanas afflictionibus Iobo immiſſis conatus eſt illum adigere ad blaſphemiam: at Deus ijs ipſis patientiam ſervi ſui exploravit, & per illam de Satanâ triumphavit: Rex Aſſyriorum ſtatuerat perdere & exſcindere gentes multas, at Deus ſuum opus executus eſt per illum miſſum ad gentem & populum furoris ſui. Neque mirum Deum uſurpare actus, quos creaturæ ſine peccato non perpetrant, in fines ſibi placitos, quia id juſtiſſimè facit, & triplici ratione. 1. enim Dominus eſt creaturæ quanquam peccatricis, utpote quæ per peccatum non magis ſe eximere Dei dominio potuit, quam ſe ipſam in nihilum redigere. 2. quia ut creatura affectu & potentiâ à Deo inſtructa actus iſtos perpetrat, etſi non ſine peccato, utpote vetitos. 3. quia creatura ſerra eſt in manu creatoris & intentionem primi agentis cauſæ inſtrumentariæ non attingunt. *Geneſ. 50. 20. 21.* *Iob 1. 11. 12. 22. & 2. 9. 10.* *Eſaie 10.* *Eſ. 10. 15.*

XVIII. Determinatio eſt actus providentiæ divinæ, quo Deus permiſſioni ſuæ modum ponit, & peccato terminum, ne pro arbitratu creaturæ vagetur in infinitum. Modus iſte & terminus ponitur per præſcriptionem temporis, & magnitudinis determinationem: Præſcriptio temporis vel puncti eſt ſive momenti, quando fiat, vel durationis quamdiu: momentum temporis determinat Deus, quum peccatum, cui patrando affecta eſt creatura, non illo tempore permittit fieri, quo vellet quidem creatura, ſed ut alio tempore fiat ſapienter & fortiter adminiſtrat. Studebant Ieſum præhendere Iudæi, ſed nemo injecit manum in illum, quia nondum venerat hora ejus; ubi vero tempus adeſſet à Patre præfinitum, inquit Chriſtus, hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum. Durationi ponitur modus, quando ſpatium temporis quo peccatum permiſſum durare poterat, acciditur & circumſcribitur ut ſiſtat ſeſe. Sic Chriſtus, niſi decurtati fuiſſent dies iſti non fieret ſalva omnis caro. Verum hic quoque vel actus quà talis, vel peccati quà tale, habetur ratio. Actus durationi ponitur terminus hiſce locis: Non requieſcet virga iniquitatis ſuper ſortem juſtorum, ne mittant juſti ad iniquitatem manus ſuas: Novit Dominus pios è tentatione eripere. Peccati durationi ponitur terminus hiſce locis: *Ioh. 7. 30.* *Luc. 22. 53.* *Matt. 24. 22.* *Pſ. 125. 3.* *2. Pet. 2. 9*

Sepiam

Hoſ.2.6. Sepiam viam tuam ſpinis ne amatores tuos invenias: Tunc dices vadam & revertar ad virum meum priorem. Præteritis ætatibus ſivit Deus gentes ſuis ipſarum vijs incedere. Nunc verò denuntiat omnibus ubique hominibus ut reſipiſcant. Act.14.16. Act.17.30.

XIX Magnitudini peccati ponitur modus, quum Deus non permittit peccatum excreſcere & vires majores ſumere. Hoc etiam tum actus, tum peccati reſpectu. Actus reſpectu, ut in hiſce Scripturæ locis: Permiſit Deus, ut hoſtium furor inſurgeret adverſus Iſraëlitas, ſed non eſt paſſus ut deglutiret eos: Tentatio vos non cepit niſi humana: Premimur at non coarctamur, perſecutionem patimur at non deſerimur, dejicimur at non perimus. Diabolo permiſit Deus, primum, ut in illa, quæ Iobi erant, manum injiceret, ipſum verò non attingeret; deinde, ut corpus quidem illius attingeret, at vitam illi non adimeret: Non diſperdam illos per manum Siſac, ſed faciam ut ſint ei ſervi. Reſpectu peccati permiſit Deus, ut David apud animum ſuum ſtatueret, Nabalem & omnes ejus domeſticos gladio interficere, & rectâ ad illum contenderet, ſed non permiſit ut effunderet ſanguinem innocentem & manus ipſius ſervaret ipſum. Permiſit eidem Davidi, ut ad Achis confugeret & ſtultitiam ſimularet, at non permiſit ut cum ejus exercitu adverſus Iſraëlem pugnaret, vel ipſi Achis exercitui iſta fraude uſus noxam inferret; neutrum enim ſine ſcelere inſigni patrare potuiſſet. Quanquam & illa determinata, ut actus, per quos noxa inferri illis poterat, quibus Deus damnum illarum nolebat. Pſal.124.2.3. 1.Cor.10.13. 2.Cor.4.8.9. Iob 1.12. & 2.6. 2.Par.12.7.8. 1.Sam.25.22.26.31. 1.Sam.21.13. & 27.2 29.6.7.

XX. Propter illam incitamentorum & occaſionum oblationem, directionem & determinationem Dei permiſſioni peccati additam, dicitur Deus, quæ ab hominibus malis & Satanâ perpetrantur, mala ipſe facere. E. g. Non vos huc me miſiſtis, inquit Ioſeph fratribus ſuis, ſed Deus; quia illi venditione peracta ſecuri erant, quò abducendus & quid de illo futurum eſſet, Deus autem in Ægyptum abduci & vendi curavit, ibidemque per ſomniorum interpretationem evexit. Iobus Deum abſtuliſſe dicit, quod Satanæ inſtinctu & opera ablatum erat: tum quod ille commendatione Dei in Iobum inſtigatus ſit pro ſuâ malitiâ, tum quod nocendi potentiam adeptus non amplius effecerit quam Deus determinavit. Sic Deus feciſſe dicitur quod Abſalom fecit: quia potiſſimè partes in actionibus, iſti apoteleſmati producendo adhibitus, Dei fuerunt. Accedit huc, quod quum ſapientia Dei norit, ſi per talem incitamentorum & occaſionum oblationem, directionem & determinationem rem totam adminiſtret, certò & infallibiliter exſtiturum quod ſine ſcelere à creatura perpetrari nequit; & voluntas ipſius decernat adminiſtrationem iſtam, liquidius pateat cur Deo factum hujuſmodi tribuatur. Gen 45.8. Gen.37.25.28. & 40.12.13. & 41.19. Iob 1. & 2. 2.Sam.12.11.12. 2.Sam.15. & 16.

XXI. Sequitur denique punitio & remiſſio peccati, quibus actibus providentia circa peccatum jam factum verſatur, qua tale eſt, non quâ actus. Punitur enim & remittitur peccatum quâ malum & quia malum. Punitio peccati eſt actus Providentiæ Dei, quo peccato rependitur pœna ſecundum juſtitiam Dei illi debita. Punitio illa vel futurum ſæculum concernit, vel in

hujus mundi ſæcula incidit. Illa eſt totius hominis æterna à Deo ſeparatio. Quæ in hac vita inferri ſolet, duplex eſt, corporalis & ſpiritualis. Quæ corpus attingunt variæ ſunt, ſed enumeratu propoſito noſtro non neceſſariæ. At ſpiritualis pœna diligenter conſideranda, quæ ſic pœna eſt peccati, ut & inſequentium aliorum ſit cauſa ob malitiam ejus cui infligitur. Illa eſt privatio gratiæ & traditio in poteſtatem mali. Privatio gratiæ pro duplici gratia, habituali nempe & aſſiſtentiæ, duplex eſt: una ablatio gratiæ eſt per excæcationem mentis & obdurationem cordis. Altera eſt ablatio aſſiſtentiæ Spiritus S. qui intus ſuccurrere ſolet infirmitati noſtræ, & foris Satanæ & mundi furores reprimere, adhibito etiam angelorum bonorum miniſterio & cuſtodia. Traditio in poteſtatem mali, eſt vel in reprobam mentem & efficaciam erroris, vel in deſideria carnis & cupiditates peccati, vel denique in poteſtatem Satanæ principis mundi, qui potenter agit in filijs contumaciæ. Quum vero ex iſta punitione multa alia exiſtant peccata, & quidem tum ſecundum certam Dei ſcientiam, quâ novit, ſi ita puniat, fore, ut illa inde exiſtant, tum ſecundum propoſitum ipſius, quo ſtatuit ita punire, ut propter graviora inde commiſſa peccata ſeverius puniat, iſtæ in Scripturis exiſtunt locutiones: Ego verò indurabo cor Pharaonis, ut non dimittat populum, neque audiet vos, & mittam manum meam in Miſraim. Item, & non audiverunt Filij Eli vocem patris ſui, quia volebat Dominus occidere illos. Item, & non acquievit Amazia reſponſo Ioas Regis Iehudæ, quia à Deo erat ut traderet eos in manum, quia quæſiverunt Deos Edom. Hæc conſideratio diſtinguit gubernationem Dei circa peccata, quatenus illa vel circa induratos, vel non induratos verſatur.

Eſ. 6. 9. 10. Rom. 8. 26. Heb. 1. 14 Pſal. 91. 11. Rom. 1. 28. 2. Theſ. 2 9. 10. 11. Rom. 1. 24. 2. Cor. 4. 4. Exod. 4. 21. & 7. 4. 1. Sam. 2. 25. 2. Par. 25. 20.

XXII. Remiſſio peccati eſt actus Providentiæ Dei, quo reatus peccati condonatur, & pœna peccato ſecundum illum debita auſertur. Hæc remiſſio ut hominem ante inimicum in gratiam Dei reſtituit, ita quoque facit ut adminiſtratio Dei circa illum porro gratioſa ſit, quantum æquitas & juſtitia poſtulat: immunis nempe per illam eſt à pœnis iſtis ſpiritualibus, ſuperiore theſi memoratis; à corporalibus quanquam non immunis, tamen ijs non afficitur ex ira Dei ut punientis peccatum, ſed tantum ex affectu declarantis ſe peccatum odiſſe, & porro caſtigantis ne in illud incidatur: quâ de cauſa omnino alia eſt circa iſtum hominem providentiæ gubernatio, ab ea, quæ fuit ante remiſſionem impetratam.

Pſa. 51. 11. 12. 13. 2. Sam. 12. 11. 12. 13. Pſal 119. 67 1. Cor. 11. 32. Pſal. 32. 1. 2. 3.

XXIII. Ex ijs quæ huc uſque tractavimus, arbitramur liquidò conſtare, neque ideò quod mala ingreſſa ſunt in mundum ipſam providentiam, neque ejus circa eadem gubernationem negandum eſſe. Neque poteſt Deus propter illam injuſtitiæ reus peragi, non tantum quia in optimos fines omnia adminiſtraverit, piorum nempe caſtigationem, explorationem & manifeſtationem, improborum punitionem & patefactionem, & gloriæ ſuæ illuſtrationem; fines enim ſoli actionem non juſtificant: ſed multo magis quod ea adminiſtrationis forma uſus ſit, quæ creaturas ſuos motus & actus, non ſponte modo, ſed & liberè peragere ſinit.

THE-

THESIS DECIMA
DE
Iuſtitia & efficacia Providentiæ Dei in malo.

Reſp. GERARDO ADRIANI.

I.

MAli, quod culpæ ſeu delicti dicitur, conſideratio multos induxit, ut Providentiam Dei circa Creaturas intellectu & libera voluntate præditas earumque actiones negarent, & duplici de cauſâ. 1. quod putarent Deum, eo quod bonus & juſtus, omniſcius & omnipotens eſt, peccatum omnino impediturum fuiſſe ne fieret, ſiquidem Providentia ſua creaturas rationales, earumq; actiones curaret. 2. quod Providentiæ divinæ non aliam circa peccatum adminiſtrationem animo conciperent, quam quæ Deum ipſum culpæ involveret, & creaturam, tanquam efficientiæ ipſius irreſiſtibili actu ad peccandum impulſam, crimine eximeret. Quâ de cauſâ cum fides Providentiæ Dei prorſus ſit neceſſaria, cui bona ſuæ gubernationis pars adimitur, ſi creaturas rationales earumque actiones curare negetur, conabimur paucis Providentiæ divinæ circa malum efficientiam explicare, & ſimul commonſtrare ex illa Deo nullam injuſtitiam aut peccati maculam adſpergi poſſe, imo contra plurimum ſervire juſtitiæ Dei commendandæ.

Mat. 10. 11. *Pſ.* 147. *Apoc.* 4. 8. *Mal.* 2. 17. & 3. 14.

Luc. 12. 21.

II. In peccato autem tum actus, ſub quo & omiſſionem actus complectimur, tum ἀνομία conſideratur: ille boni naturalis rationem habet, & materiale peccati, hæc malum morale eſt, & formale peccati dicitur: utriuſque intuitus, ubi de efficientiâ Dei circa peccatum agitur, eſt neceſſarius. Verſatur enim circa actum quâ actus eſt, & qua contra legem prohibentem fit, & circa omiſſionem actus qua talis, & qua contra legem præcipientem eſt. Conſideranda autem eſt illa efficientia. 1. circa initium peccati, ejuſque primum in corde creaturæ rationalis conceptum, & conatum, exque conatu perpetrationem: deinde circa peccatum conſummatum. Efficientia Dei circa initium peccati eſt, vel impeditio, vel permiſſio & permiſſioni addita tum argumentorum & occaſionum ad peccatum incitantium adminiſtratio, tum concurſus immediatus ad actum producendum. Circa progreſſum peccati eſt ejuſdem directio & determinatio. Circa peccatum conſummatum verſatur punitio vel remiſſio.

III. Prima Dei circa peccatum efficientia eſt impeditio vel impedimenti poſitio, quod tum efficientiæ, tum objecti ratione triplex eſt. Efficientiæ quidem: eſt enim aut efficacitatis ſufficientis quidem, ſed quæ actu peccatum non impedit: aut efficacitatis tantæ, ut ei reſiſti non poſſit; aut efficaciæ taliter adminiſtratæ per ſapientiam Dei, ut impediat peccatum re ipſa ſecundum eventum, & certò ſecundum præſcientiam Dei, quanquam non neceſſario & inevitabiliter. Objecti vero reſpectu etiam triplex eſt: nam ponitur impedimentum vel poteſtati, vel potentiæ,

Matt. 11. 21. 23. *Ioan.* 18. 6. *Gen.* 20. 6.

tentiæ, vel voluntati creaturæ ratio-
Gen.1.16.17. nalis. Quod poteſtati ponitur, eſt
quo actus aliquis poteſtati creaturæ
rationalis adimitur, ad quem præ-
ſtandum illa affectum habet, & vi-
res ſufficientes: hæc fit per legiſla-
tionem, quâ fit ut creatura actum il-
lum ſine peccato patrare non poſſit.
Impedimentum potentiæ poſitum
eſt, quo efficitur ne creaturæ actum,
ad quem præſtandum affectum ha-
bet & vires citra hoc impedimen-
tum ſufficientes, patrare poſſit: illud
1. Reg. 19. autem ponitur quatuor modis. 1.
2 Reg.1. *1 Reg 13. 4.* eſſentiæ & vitæ, quæ potentiæ fun-
Rom 6 6. damentum ſunt, ademptione. 2. per
2. Chron. 26. 8. potentiæ ablationem vel diminu-
Gal 5. 17. tionem. 3. per potentiæ majoris vel
Ioan 8. 59. ſaltem æqualis oppoſitionem. 4. per
Mat.21. 46. objecti, in quod actus tendit, ſubdu-
Hoſ.2. 6. ctionem. Impedimentum ponitur
Geneſ. 37. 26. 27. voluntati, cum aliquo argumento ei
Geneſ 39. 8. 9. perſuadetur, ne velit patrare pecca-
tum, ſive id argumentum deſuma-
tur ab impoſſibili, vel difficili, ſive
ab injucundo, incommodo, inutili,
damnoſo, ſive denique ab injuſto,
inhoneſto, indecoro.

IV. Permiſſio peccati contraria
eſt impeditioni, non illi, qua actus
adimitur poteſtati creaturæ per le-
giſlationem, ſic enim actus idem
peccatum eſſet, & non peccatum,
peccatum quâ vetitus, non pecca-
tum quâ permiſſus creaturæ poteſta-
ti, id eſt, non vetitus: verum iſti im-
peditioni, qua potentiæ & volunta-
ti creaturæ ponitur impedimentum.
Quæ permiſſio eſt omnium impedi-
mentorum ſuſpenſio, quæ Deus no-
vit ſi adhiberentur peccatum reipſa
impeditura, quod neceſſe eſt, quia
ab uno tali impediretur peccatum.
Itaque permittitur potentiæ creatu-
ræ cum Deus nullum iſtorum im-
pedimentorum, quorum theſi tertia
mentio facta eſt, adhibet: quâ de
cauſa permiſſio iſta hoſce actus Dei
vel junctos vel præcedaneos habet.
Continuationem eſſentiæ & vitæ *Exo.9. 16.*
creaturę, conſervationem potentiæ *Ioan 18. 6.* *Mat.26.2.*
ejuſdem, curam ne major vel æqua- *1.Sam.20.*
lis ſaltem potentia opponatur, deni- *31.32.*
que objecti, in quod peccatum com- *Mat.21. 21.*
mittitur, oblationem. Permittitur
etiam voluntati, non ſuſpenſione
omnis impedimenti voluntati, à
peccando abſterrendæ idonei, ſed
non adhibitione eorum quæ reipſa
eſſent impeditura, qualis fieri nequit
quin Deus in ſapientiæ & potentiæ
ſuę theſauris plurima habeat.

V. Fundamentum iſtius permiſ-
ſionis eſt, tum libertas arbitrij, quam
creaturę rationali indidit Deus crea-
tor, & cujus uſum creaturæ iſti adi-
mi non patitur conſtantia datoris:
tum infinita ejus Sapientia & Po-
tentia, qua ſcit & poteſt ex malo bo-
num producere. Et propterea per-
mittit Deus id quod permittit, non *Gen.1.2. 3.*
inſcius virium & affectus creatura- *2.Cor. 4. 6.*
rum; novit n omnia: non invitus, po- *1. Sam 25. 11. 12.*
tuiſſet enim creaturam non produce- *Apoc. 4. 11.* *Ier. 18.6.*
re, quæ eſſet liberi arbitrij, & poſſet *Pſalm. 94.*
productam abolere: non impotens *9. 10.*
impediendi; qui poſſit id omniſcio &
omnipotenti tribui: non otioſus
ſpectator, nec negligens ejus quod
agitur; quia etiam antequam fiat va-
rias circa id actiones obit, & porro
interitum in id oculum habet ad di-
rigendum, determinandum, pu- *Pſalm. 81.*
niendum, remittendum: ſed quid- *12. 13.*
quid permittit id conſultò & vo-
lens permittit, volitione immedia-
tè verſante circa permiſſionem,
permiſſione vero ipſa circa pecca-
tum: qui ordo citra noxam divinæ
juſtitiæ & veritatis inverti nequit. *Pſalm.5.5.*

VI. Quæ

VI. Quæ ſic generatim de impeditione & permiſſione peccati diximus, per nonnullas peccati differentias diſtinctius explicanda ſunt. 1. diſtinctio peccati ex cauſis, in ignorantiæ, infirmitatis, malitiæ, & negligentię peccatum, horſum facit: Pſal 119. 105. nam impedimentum ponitur ignorantiæ peccato, per revelationem Epheſ. 3. 16. divinæ voluntatis: Ier. 31. 33. infirmitatis, per Ez. 11. 19. Sp. S. corroborationem: Ier 32. 40. malitiæ per lapidei cordis ablationem, carneiq; dationem, & inſcriptionem legis Dei in illo: negligentię per ſanctam ſollicitudinem excitatam in cordibus fidelium. Ex quibus facile liquet, quorum actuum ſuſpenſione permiſſio peccatorum cujuſq; generis iſtius conſtet. 2. diſtinctio peccati ſecundum reſpectum legis præcipientis bonum & vetantis malum etiam hic locum habet: nam contra vetantem peccatur vel committendo actum, vel non debita cauſa & fine omittendo: contra pręcipientem vero, vel omittendo actum, vel Geneſ. 37. 26. 27. non debito modo, cauſa & fine committendo. Hiſce etiam impeditio & permiſſio Dei aptari poteſt. Nam impediti ſunt fratres Ioſephi illum occidere, at non inducti ut 2. Sam. 17. debita cauſa & fine illum actum omitterent. Abſalom impeditus ſequi conſilium Achitophelis ſibi utile, Davidi noxium, ſed non abſtinuit ab illo juſtâ cauſa & fine bono. Num. 23. Bileamum impedivit Deus ne malediceret Iſraëli, effecitque ut illi benediceret, at ſic, ut pravo animo ab illa abſtinuerit & hanc pronunciaverit.

VII. Hujus tum impeditionis, tum permiſſionis rationes & cauſas rectius perſpiciemus; ſi in peccato actum & ἀνομίαν diſtinctè conſiderantes, utrique impeditionem & permiſſionem applicuerimus. Etſi enim actus & ἀνομία in peccato inſeparabiliter juncta ſint, ideoque neutrum ſine altero permitti vel impediri poſſit, mente tamen diſtingui poſſunt: & impeditio permiſſioque nunc hujus vel illius tantum, nunc unius potiſſimum, nunc utriuſque reſpectu fieri à Deo poteſt, & facta à nobis conſiderari. Impedivit 2. Reg. 1. Deus ne Helias ad Achaziam abduceretur interficiendus, non qua id peccatum erat, ſed qua actus: ex fine id apparet, & modo impedimenti: ex fine, quia voluit parcitum vitæ prophetę, non, ne Achazias in Deum peccaret: ex modo impedimenti, quia conſumpſit bis quinquaginta viros ad illum comprehendendum miſſos, quod fuit ſignum iræ divinæ adverſus Achaziam & illos, quâ non peccatum ut tale, ſed ut actus alteri futurus noxius impediri ſolet, ex gratia vero impeditur ut peccatum. Permiſit Deus venditionem Ioſe- Geneſ. 37. phi, cum impedierit occiſionem, non tam qua peccatum erat venditio, quam qua actus, per illam enim Gen. 50. 20 qua actus finem ſuum obtinuit Deus. Pſ. 105. 17. Impedivit autem Deus ne David manum inferret Sauli, non tam qua 1. Sam. 24. id erat actus, quam qua peccatum: 1. Reg 22. apparet ex argumento quo inductus David, abſit à me ut manum meam mittam in unctum Domini. Permiſit Deus ut Achab Nabothum occideret, potius qua id erat peccatum, quam qua actus, nam ſic implevit Achab ſcelerum ſuorum menſuram, & pœnam ſibi accelaverit; potuiſſet autem Deus Nabothum alia via ad ſe transferre. Cæterum Abimelechus impeditus eſt à vitianda Sara, Gen. 20. tum qua actus, per quem illatus fuiſ-

ſet indelebilis dolor Abrahamo dilecto ipſius, tum qua peccatum, noluit enim ut Abimelech ſe iſto crimine commacularet, eo quod in integritate cordis feciſſet. Permiſit contra Deus, ut Iudas nurum ſuam Thamaram cognoſceret, qua actus, voluit enim ex Iuda naſci Chriſtum, & qua peccatum, nam voluit declarare, nihil eſſe tam inquinatum, quod in Chriſto non queat ſanctificari: Non enim fruſtra dixit Matth. Chriſtum eſſe Filium Iudæ ex Thamar, ſicut & Davidis ex Vriæ uxore. Quæ res diligenter à nobis perpenſa, ſervit tum gloriæ ſapientiæ Dei illuſtrandæ, tum utilitati noſtræ, ſi ſollicitè in conſcientijs noſtris obſervemus, à quibus actibus & quo reſpectu impediamur, & qui actus nobis permittantur.

Gen. 38. 18. *Matth. 1.*

VIII. Præter iſtam permiſſionem, alia eſt Providentiæ Dei circa peccati initium efficientia, nempe adminiſtratio argumentorum, & occaſionum, quæ ad actum, qui ſine peccato à creatura patrari nequit, incitant, ſi non ex intentione Dei, ſaltem ſecundum affectum creaturæ & non raro ſecundum eventus, qui inde exiſtunt. Objiciuntur autem argumenta iſta vel menti, vel ſenſibus tum externis tum internis: & hoc quidem vel mediata creaturarum opera interveniente, vel immediata actione Dei. Finis Dei in iſta adminiſtratione eſt, tum ut exploret an creatura à peccando abſtinere velit, etiam irritamentis incitata: quandoquidem exigua laus eſt abſtinentiæ, ubi illa abſunt: tum, ut ſi creatura iſtis invitamentis cedere velit, ille ſuum opus per actum creaturæ efficiat, non impulſus neceſſitate, quaſi opus ſuum citra operam creaturæ nequeat perficere, ſed ex deſiderio multiformis ſuæ ſapientiæ demonſtrandæ. Conſiderentur argumenta, quibus Ioſephi fratres pro ipſorum malitia incitati ſunt, ut fratrem ſuum è medio ſui ſublatum vellent: ſcilicet, accuſatio Ioſephi, qua fratrum facta patri detegebat, amor Iacobi peculiaris erga Ioſephum, ſomnij divini immiſſio, & narratio: item occaſiones, miſſio Ioſephi ad fratres à patre facta & Iſmaëlitarum in Ægyptum proficiſcentium commoda oblatio.

2. Sam. 12. 11. 12. & 16. 21. 22. 23. 2. Sam. 24. 1. & 1. Par. 21. 1. Pſ. 105. 25. Iob 1. & 2. Eſa. 10. 5. 6, 7. Gen. 37.

IX. Vltima Dei circa peccati initium efficientia, concurſus ejus eſt, qui neceſſarius eſt ad actum omnem producendum, cum nihil omnino entitatem ullam habere poſſit, niſi à primo & ſummo ente immediatè illam producente. Eſt autem concurſus Dei non influxus illius immediatus in cauſam ſecundam, ſeu inferiorem, ſed actio Dei immediatè influens in effectum creaturæ, ſic ut effectum idem una & eadem totali actione à Deo ſimul & creaturâ producatur. Qui concurſus quanquam ſit poſitus in puro puto arbitrio Dei, ejuſque libera diſpenſatione, tamen illam nunquam denegat creaturæ rationali & liberæ, quando ejus potentiæ & voluntati actum permiſit. Contradicentia enim ſunt permittere potentiæ & voluntati creaturæ ut actum patret, & concurſum ſuum, ſine quo actus patrari nequit, denegare. Cæterum iſte concurſus eſt ad actum, quà talis, non quâ peccatum eſt: & propterea ejuſdem effectus ſimul eſt effector, & permiſſor Deus, & permiſſor prius quam effector: ſi enim creatura actum talem perpetrare noluiſſet, influxus Dei per concurſum in illum

illum actum non fuiſſet: neque debet Deus ideo, quod actum illum creatura ſine peccato patrare non poteſt, concurſum ſuum illi ad eum patrandum propenſæ denegare: fas enim eſt, ut creaturæ obedientia exploretur, & ut ab actu illicito abſtineat creatura & obediendi deſiderio, non ex defectu concurſus requiſiti: quia hoc reſpectu abſtinetur ab actu qua naturale bonum eſt; at vult Deus ab eo abſtineri, qua morale malum eſt.

X. Et hæc quidem circa initium peccati conſideranda ſunt: circa progreſſum peccati incidit efficientia Providentiæ divinæ duplex, directio & determinatio. Illa eſt Providentiæ divinæ actus, quo peccatum ſapienter, juſte, & potenter dirigit, quò vult, pertingens ab extremo ad extremum fortiter & omnia diſponens ſuaviter: in directione etiam continetur abductio ab eo, quo illud intendere non vult. Eſt autem directio illa duplex, in objectum, & finem. In objectum & quando peccatum quod permittit nō pro arbitratu creaturæ, in quodvis objectum quacunq; ratione obvium, & obnoxium injuriæ peccati ferri patitur, ſed in certum objectum, à peccante aliquando vel prorſus non petitum, vel ſaltem non præciſè petitum, dirigit. Cujus illuſtre exemplum habemus in NebucadNezare, qui populos ſubigere paratus, divina divinationum ipſius adminiſtratione, potius in Iudeos quam in Ammonitas movit. Directio in finem eſt, quando peccatum quod permittit, non cuivis fini, quem intendit creatura, ſervire patitur, ſed in illum finem uſurpat, quem ipſe vult, ſive creatura illum intendat, quo tamen à peccato non excuſaretur, ſive alium, imo prorſus contrarium propoſitum habeat: huc faciunt Ioſephi in Ægyptum venditio, Iobi tentatio, Regis Aſſyriorum in Iudæam expeditio.

Prov. 16. 9. Pro. 21. 1. Ez. 21. 19. 20. 21. Gen. 50. 20. 21. Iob 1. & 2. Eſa 10. 5. 6. 7.

XI. Determinatio peccati eſt actus Providentiæ divinæ, quo Deus permiſſioni ſuæ modum ponit & peccato terminum, ne pro arbitratu creaturæ vagetur in infinitum. Modus iſte & terminus ponitur per circumſcriptionem temporis, & magnitudinis determinationem. Circumſcriptio temporis eſt, quando ſpatium temporis quo peccatum permiſſum durare poterat, acciditur ac circumſcribitur, ut ſeſe ſiſtat. & hic quoque actus qua talis, & peccati qua tale habenda eſt ratio. Actus durationi ponit terminum Deus, cum virgam iniquitatis aufert à juſtis, ne quid indignum ſe committant, & cum pios è tentatione eripit: Peccati durationi ponit terminum, cum ſepit vias Iſraëlitarum, ne amplius committant idololatriam, quum denuntiat gentibus ut reſipiſcant, quas ſivit in ſuis ipſarum vijs incedere præteritis ætatibus. Magnitudini peccati ponitur terminus, quum Deus non permittit peccatum excreſcere & majores vires ſumere. hoc etiam tum actus vel peccati reſpectu: illo reſpectu impedijt Deus, ne furor hoſtium quem inſurgere permiſerat, deglutiret Iſraëlitas: ne tentatio pluſquam humana caperet Corinthios: ne Diabolus in vitam Iobi manum mitteret: ne Rex Ægypti Siſac perderet Iudæos, ſed tantum ſibi in ſervos ſubjiceret. Peccati reſpectu impedivit Deus, ne David Nabalis & domeſticorum ejus ſanguine ſe inquinaret, quod factūrum ſe juraverat, & quo jam con-

Matth. 24. 22. Pſ. 135. 5. 2. Pet. 2. 9. Hoſ. 2. 6. 7. Act. 14. 16. 17. 30. Pſal. 124. 2. 3. 1. Cor. 10. 13. Iob. 1. & 2. 2. Par. 12. 7. 9. 1. Sam. 25. 22. 26. 1. Sam. 27. 2. & 10. 6. 7.

contendebat: item, ne idem David cum exercitu Achis, ad quem confugerat & apud quem ſtultitiam ſimulaverat, egrederetur ad pugnam, vel ad perdendum populum ſuum, vel ad noxam inferendam Achis exercitui, quorum neutrum ſine ſcelere poterat: quanquam & ſic peccatum qua actus impeditum videatur.

XII. Propter illam permiſſionem Dei, permiſſionique additam
Gen.45.8. argumentorum & occaſionum oblationem, directionem & determinationem, quin & concurſum, dicitur Deus quæ ab hominibus & Satana perpetrantur mala, ipſe facere:
Iob 1. & 2. miſiſſe Ioſephum in Ægyptum; ab-
2.Sam. 12. 1. 12. ſtuliſſe Iobo bona ſua; palam & coram ſole feciſſe quod David clancu-
2. Sam. 16. Eſaiæ 10 5. 6. 7. lum perpetraverat adverſus Vriam. Et quidem hiſce de cauſis. 1. Quia potiſſimæ partes, in actionibus, quæ ad tales effectus producendos, adhibitæ fuerunt, ipſius Dei ſunt. 2. quia effectus & eventus, qui ex omnibus iſtis, tum à creatura perpetratis actionibus reſultant, non tam intentioni ipſarum creaturarum, quam
2. Sam.23. 1Reg.12.13. Dei propoſito reſpondent. 3. Quia ſapientia Dei novit ſi hujuſmodi adminiſtratio ab ipſo adhibeatur, certo exſtiturum quod ſine ſcelere à creatura perpetrari nequit: & quia iſtam adminiſtrationem voluntas ejus decernit. Quarta addi poteſt, quod Deus, qui cauſa eſt univerſalis, fortius influit in effectum quam creatura, cujus omnis efficacia à Deo dependet.

XIII. Sequitur deniq; efficientia Providentiæ divinæ circa peccatum jam conſummatum, quæ conſiſtit in punitione & remiſſione illius. Et hæc efficientia verſatur circa peccatũ quà tale eſt: punitur enim & remittitur peccatum quà malum & quia malum. Punitio peccati eſt actus providentiæ Dei, quo peccato rependitur pœna ſecundum juſtitiam Dei illi debita: Punitio illa vel eſt hujus, vel ſeculi futuri: hæc eſt totius hominis ęterna à Deo ſeparatio,
& in ſtagno ignis afflictio. Quæ in *Matth.25. 14.*
hac vitâ infertur, corporalis eſt vel *Ap.20. 15.*
ſpiritualis: quæ corpus tangunt & ſtatum vitæ animalis variæ ſunt: ſed enumeratu noſtro propoſito non neceſſariæ. At ſpiritualis pœna diligenter eſt conſideranda, quæ ſic pœna eſt peccati pręcedentis, ut & inſequentium aliorum ſit cauſa, per malitiam ejus cui infligitur. Eſtque privatio gratiæ, & traditio in poteſtatem mali: privatio autem vel habitualis gratiæ, vel aſſiſtentis. Illa eſt per excæcationem mentis, & obdurationem cordis: hæc eſt ablatio aſ-
ſiſtentiæ Spiritus ſancti, qui intus *Eſ. 6. 9. 10.*
ſuccurrere ſolet infirmitati noſtræ, & foris Satanæ mundique tentatio-
nes à dextris, & ſiniſtris reprimere, *Rom. 8. 14.*
adhibito etiam bonorum angelo- *Heb. 1. 14.*
rum miniſterio & cuſtodia: Tradi- *Pſa. 91. 11.*
tio in poteſtatem mali, eſt vel in re- *Rom. 1. 18.*
probam mentem & efficaciam erro- *2. Theſ. 2. 9. 10.*
ris, vel in deſideria carnis & cupidi- *Rom. 1. 24.*
tates peccati, vel denique in poteſta- *2. Cor. 4. 4.*
tem Satanæ principis mundi, qui potenter agit in filijs contumaciæ. Quum vero ex iſta punitione multa alia exiſtant peccata, & quidem, tum ſecundum certam Dei ſcientiam, qua novit, ſi ita puniat, fore ut illa inde exiſtant, tum ſecundum propoſitum ipſius quo ſtatuit ita punire, hinc iſte veniunt ſententiæ: ego
indurabo cor Pharaonis; &, non au- *Exod. 4. 21. 7. 6.*
dierunt filij Eli vocem patris ſui, *1. Sam. 2. 25.*
quia volebat Dominus occidere *2. Par. 25. 20.*
illos;

illos: item, non acquievit Amazia reſponſo Ioas Regis Iſraël, quia à Deo erat ut traderet eos in manum, quia quæſiverunt Deos Edom. Hæc conſideratio diſtinguit Dei gubernationem circa peccata, quatenus illa vel circa induratos, vel non induratos verſatur.

XIV. Remiſſio peccati eſt actus Providentiæ Dei, quo reatus peccati condonatur, & pœna peccato ſecundum illum debita aufertur: hæc remiſſio ut hominem ante inimicum in gratiam Dei reſtituit, *Pſal. 51. 11. 12. 13.* ita quoq; facit ut adminiſtratio Dei circa illum porro gratioſa ſit, quantum æquitas & juſtitia poſtulat: immunis nempe per illam eſt à pœnis ſpiritualibus ſuperiori theſi memoratis: *2. Sam. 12. 11. 12. 8. Pſ. 119. 57. 1. Cor. 11. 32. Pſal. 32. 1. 2. 3.* à corporalibus quanquam non immunis eſt, tamen iis non afficitur ex ira Dei ut punientis peccatum, ſed tantum ex affectu declarantis ſe peccatum odiſſe, & porro caſtigantis ne in illud recidatur. Quâ de causâ omnino alia eſt circa iſtum hominem Providentiæ gubernatio, ab ea quæ fuit ante remiſſionem impetratam. Quæ conſideratio utiliſſima eſt ad ingenerandam homini ſollicitam curam & ſedulum ſtudium obtinendi à Deo gratiam, quæ non modo ſufficiat ei impoſterum à peccatis præſervando, ſed & ſic juxta gratioſam Dei providentiam adminiſtretur, prout congruum novit Deus, ut ipſo actu à peccato cuſtodiatur.

XV. Et hæc efficientia divinæ providentiæ eſt circa peccatum, quæ nullius injuſtitiæ poteſt inſimulari. Nam quod impeditionem attinet, illa à Deo adhibetur, quæ ſuâ naturâ ſufficiens eſt ad impediendum, & quâ creatura à peccato impediri deberet, etiam actu impediretur, niſi ipſa obſiſteret & gratiæ deeſſet: *Rom. 1. & 2. Eſaie 5. 4. Matt. 11. 21. 23.* non tenetur autem Deus omnibus modis ſibi poſſibilibus uti ad peccatum impediendum. Permiſſioni autem peccati cauſa adſcribi non poteſt: non efficiens, quia eſt ſuſpenſio efficientiæ divinæ: non deficiens, quia præſuppoſuit homini adeſſe potentiam non patrandi peccatum per auxilium gratiæ divinæ quæ aut præſto eſt, aut ſi deeſt, ipſius hominis culpâ præſto non eſt. Objectio argumentorum & occaſionum peccatum non efficit, niſi per accidens: taliter enim adminiſtratur, ut creaturam motus ſuos & actus non ſponte modo, ſed & liberè peragere ſinat: liberum autem eſt Deo creaturæ ſuę obedientiam iſto modo explorare. Non magis concurſui divino injuſtitia adſcribi poteſt, nam nulla eſt ratio, cur Deus debeat concurſum ſuum actui iſti, qui propter præceptum poſitum ſine peccato à creatura patrari nequit, *Geneſ. 2. 16. 17.* denegare, quem conceſſurus erat creaturę ad eundem actum, ſi lex poſita non fuiſſet. Directio & determinatio difficultatem non habent. Punitio & remiſſio manifeſtam habent æquitatem, *Eſa. 6. 7. Rom. 1. 2. Theſ. 2. 9. 10. 11. 12.* etiam illa punitio quæ excæcationem & obdurationem continet, cum illa non niſi propter magnum meritum & pene deploratam creaturæ contumaciam infligi à Deo ſoleat.

THESIS VNDECIMA
DE
Libero hominis Arbitrio ejuſque viribus.

Reſp. PAVLO LEONARDI.

I.

ARbitrij vox propriè ſignificat mentis ſive intellectus, tum facultatem, qua mens de aliqua re ſibi propoſita judicare poteſt: tum ipſum judicium à mente ſecundum iſtam facultatem peractum. Transfertur autem à mente ad voluntatem propter arctiſſimam, quæ inter illas eſt, unionem. Libertas arbitrio tributa propriè affectus eſt voluntatis, quanquam radicem ſuam habeat in intellectu & ratione. Illa generatim conſiderata varia eſt. 1. eſt ab imperio præcipientis & obligatione obedientiæ præſtandæ. 2. ab inſpectione cura & gubernatione ſuperioris. 3. à neceſſitate, ſive illa ſit à cauſa externa cogente, ſive a natura intrinſecus ad unum abſolutè determinante. 4. a peccato & dominio illius. 5. a miſeria.

I I. Ex iſtis libertatis modis duo priores ſoli Deo creatori competunt, cui etiam propterea αὐτεξουσία tribuitur; Creaturis verò utpote imperio & providentiæ Dei ſubjectis competere non poſſunt. Quare quum de libero hominis arbitrio agimus, iſtorum modorum nulla hic nobis eſt conſideratio. Reliqui verò homini competere poſſunt, imò & certo reſpectu conveniunt: & illa quidem, quæ eſt a neceſſitate, quia a natura ineſt voluntati, ut proprium ejus attributum, ita ut non ſit futura voluntas ſi non ſit libera; ſemper illi convenit. Quæ a miſeria eſt libertas, conveniebat homini recens condito & nondum in peccatum lapſo, rurſus conveniet, quando corpore & anima in cœleſtem beatitatem tranſlatus erit. Sed de iſtis etiam duabus nulla hic nobis eſt quæſtio. Reſtat ergo ut de illa libertate diſpiciamus, quæ eſt a peccato & dominio illius, de qua hodie potiſſima eſt controverſia.

I I I. Quæritur igitur, an & quouſque homini inſit arbitrij libertas a peccato & dominio illius, vel potius quæ ſint totius hominis vires ad bonum intelligendum, volendum, faciendum. Ad quam quæſtionem ut commodè reſpondeatur, tum boni objecti diſtinctio, tum ſtatuum hominis diverſitas conſideranda eſt. Bona homini objecta triplicia ſunt; naturalia, quæ cum multis alijs creaturis habet communia: animalia, quæ illi ut homini conveniunt: & ſpiritualia, quæ & cœleſtia ſeu divinâ merito appellantur, illique ut naturæ divinæ participi ſunt conſentanea. Status item triplex, primævæ integritatis, in quo a Deo per creationem eſt conſtitutus: inſecutæ corruptionis, in quem per peccatum lapſus a priore eſt deſtitutus: denique renovatæ juſtitiæ, in quem per gratiam Chriſti eſt reſtitutus.

I V. Quia verò ad noſtrum propoſitum magni momenti non eſt, diſpicere quæ vires ſunt liberi arbitrij ad bona naturalia & animalia intel-

intelligendum, volendum & faciendum, iſtis omiſſis de bono ſpirituali, quod vitam hominis ſpiritualem & quam ſecundum Deum vivere tenetur, concernit, conſiderabimus; inquirentes ex ſcripturis, quas homo, dum in via eſt hujus animalis vitæ vires habeat ad bona ſpiritualia, quæ ſola verè bona ſunt & Deo placentia, intelligendum, volendum, faciendum. Cui inquiſitioni directricem operam præſtabit triplicis, de quo ante, ſtatus conſideratio, variata ſcilicet virium iſtarum ratione ad ſtatus cujuſque immutationem.

V. In ſtatu primævæ integritatis habuit homo mentem clara lucis & veritatis cœleſtis de Deo ejuſque operibus & voluntate, quantum ad ſalutem hominis & gloriam Dei ſufficiebat, intelligentiâ præditam, cor juſtitia & ſanctitate vera ſalutarique boni amore imbutum; vires denique abundè inſtructas ad legem ſibi a Deo poſitam perfectè præſtandam. Quod tum ex deſcriptione imaginis Dei, ad quam conditus dicitur, tum ex lege ipſi divinitus lata & promiſſionis comminationiſque appendice addita, denique ex analoga ejuſdem imaginis reſtitutione in Chriſto comprobari poteſt. Gen. 1. 26. 27. Gen. 2. 17. 9. Eph. 4. 14. Col. 3. 10.

VI. Non fuit autem in hoc ſtatu ita confirmatus, quin objecta boni alicujus ſive inferioris & animalem hanc vitam, ſive ſuperioris & ſpiritualem concernentis ſpecie, ad illud inordinate & illegitime intuendum & deſiderandum moveri, & ex deſiderio præpoſtero erga idipſum ab obedientia ſibi præſcripta deficere proprio ſuo, ſpontaneo, quin & libero motu potuerit: imo vero a lumine mentis ſuæ & ſummo ſuo bono, quod Deus eſt, averſus, vel ſaltem in illud non eo quo decuit modo, & præterea in bonum inferius mente & corde converſus, præceptum ſibi ad vitam datum tranſgreſſus eſt: quo facto ex inſigni iſto ſtatu in conditionem infœliciſſimam, quæ ſub dominio peccati eſt, ſe præcipitavit. Cui enim quis obedit & a quo devictus eſt, huic ſervus eſt addictus. Rom. 6. 16. 2. Pet. 2. 19.

VII. In hoc ſtatu liberum hominis arbitrium ad verum bonum non modo vulneratum, ſauciatum, infirmatum, inclinatum & attenuatum eſt, ſed & captivatum, perditum, amiſſum: vireſque ejus non modo debilitatæ, & caſſæ, niſi adjuventur a gratia, ſed & nullæ niſi excitentur ab eadem; dicente Chriſto, ſine me nihil poteſtis facere. Cujus loci verba ſingula diligenter ponderans Auguſtinus, ita inquit: *Non dicit ſine me parum poteſtis facere, nec dicit ardui aliquid ſine me non poteſtis facere, vel difficulter ſine me poteritis, ſed nihil ſine me poteſtis. Nec dicit ſine me non poteſtis perficere, ſed nihil poteſtis facere ſine me.* Hoc ipſum ut dilucidius pateat, ſingulatim mentem, affectus ſeu voluntatem, & potentiam contra illa diſtinctam, quin & ipſam vitam hominis non renati conſiderabimus.

VIII. Mens hominis in iſto ſtatu cæca eſt; ſalutari Dei ejuſque voluntatis cognitione deſtituta, non capax illorum, quæ ſunt Spiritus Dei, juxta Apoſtolũ, animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei; ubi animalis non a corpore animali, ſed ab ipſa anima nobiliſſima hominis parte dicitur, itaque ita tenebris ignorantiæ obſita, ut inſipientiæ & vanitatis, titulis inſigniatur, homines ipſi obtenebrati mente, amantes & ſtulti quin & tenebræ, appel- 1. Cor. 2. 14. Rom. 1. 21. 22. Ephes. 4. 17. 18.

Tit. 3. 3. Epheſ. 5. 8. Rom. 1. 21. 1. Cor. 1. 18.

appellentur. Quod verum eſt non modo quum ex veritate legis, illi aliquo modo inſcripta per διάνοιαν concluſiones eſt fabricatura, ſed etiam cum veritatem Euangelij ſibi extrinſecus oblatam ſimplici apprehenſione eſſet exceptura. Stultitiam enim eſſe judicat quæ Dei ſapientia excellentiſſima eſt. Qua de cauſa id ipſum quod hic dicitur non de practico tantum intellectu & ſingularis approbationis judicio, ſed de theoretico etiam & generalis æſtimationis intelligendum eſt.

IX. Mentis cęcitatem ſequitur affectuum & cordis perverſitas, ſecundum quam id, quod verè bonum eſt & Deo gratum, odit & averſatur, malum vero amat & proſequitur. quam perverſitatem Apoſtolus luculentius deſcribere non potuit quam illis verbis: Affectus carnis inimicitia eſt adverſus Deum. Legi enim Dei non ſubjicitur, nam ne poteſt quidem. Ergo qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt. Qua de cauſa cor ipſum hominis fraudulentum & perverſum, incircumciſum, durum & lapideum dicitur frequentiſſimè; cujus figmentum tantum malum eſt ab ipſa adoleſcentia, ex quo egrediuntur male cogitationes cædes, adulteria, &c.

Rom. 8. 7. Jer. 13. 10. Ez. 36. 26. Geneſ 6. 5. Mat. 15. 19.

X. Mentis cæcitati & cordis perverſitati reſpondet ex æquo virium omnium impotentia, ad id quod verè bonum eſt præſtandum, & malum, quo decet, modo, fini, cauſa, omittendum. Cui impotentiæ deſcribendæ ſerviunt hæc Chriſti dicta: Arbor mala non poteſt bonos fructus facere. Quomodo poteſtis bona loqui cum ſitis mali. Item, quod ad bonum Euangelio propriè præſcriptum pertinet: Nemo poteſt venire ad me niſi Pater traxerit illum. Et quod Apoſtolus ait: Affectus carnis non poteſt ſubjici legi Dei: Ergo homo in quo ille dominatur non poteſt quod lex jubet præſtare. Item, cum eſſemus in carne, affectus peccatorum vigebant ſeu operabantur in nobis. Horſum etiam faciunt omnia loca, quibus homo in hoc ſtatu exiſtens dicitur ſub poteſtate peccati & Sathanæ in ſervitutem redactus & captivatus eſſe.

Mat. 7. 18. Mat. 12. 34. Ioan. 6. 44. Rom. 8. 7. Rom 7. 5. Rom. 6. 20. 2 Tim. 2. 26.

XI. Accedat ad hæc conſideratio totius vitæ hominis in peccato conſtituti, cujus luculentiſſimas deſcriptiones nobis exhibet Scriptura, & conſtabit nihil de homine in hoc ſtatu verius dici quam illum in peccatis prorſus mortuum eſſe. Iungantur teſtimonia Scripturæ, quibus beneficia Chriſti per Spiritum ejus menti & voluntati hominis adeoque toti homini collata deſcribuntur. Non poteſt enim planius liquere quibus bonis homo per peccatum ſpoliatus ſit, quam ex ingenti bonorum cumulo quæ per Spiritum ſanctum obtingunt credentibus; quando quidem omne id naturę deeſſe intelligitur, quod Spiritus ſancti opera homini præſtitum & communicatum eſſe Scriptura teſtatur. Quare ſi ubi Spir. Dei eſt ibi demum libertas ſit & vere liberi ſint ij ſoli, quos Filius liberaverit, ſequitur arbitrium noſtrum à lapſu primo liberum non eſſe, ad bonum nempe, niſi à Filio per Spiritum ipſius liberetur.

Rom. 3. à 10. ad 19. 1. Cor 6. 9. 10. 11. Gal. 5. 19. 20 21. Epheſ. 2. 2. 3. Ibid. 4. 17. 18. 19. Tit. 3. 3. 2. Cor 3. 17. Ioan. 8. 36.

XII. At verò longè alia eſt ratio liberi arbitrij hominis in tertio ſtatu conſtituti. Quum enim in mente illius nova lux & agnitio Dei Chriſtique & voluntatis divinę accenſa ſit, in corde novi affectus, incli-

inclinationes & motus cum lege Dei congruentes excitati & novæ vires ipſi ingeneratæ ſint, fit, ut libe-
Epheſ. 5. 8. ratus è regno tenebrarum & jam lux factus in domino verum & ſalutare bonum intelligat: ut lapidei cordis duritie in carneam mollitiem mutata, eique lege Dei ſecundum fœdus
Ier. 31. 35. gratiæ inſcripta; id quod bonum, juſtum & ſanctum eſt, amet & amplectatur, & ut potens in Chriſto factus, bonum cognitum & amatum Deo jam cooperans proſequatur, & ipſe opere præſtare incipiat: hoc autem quicquid eſt, cognitio-
Eſai 11. 2. nis, ſanctitatis & virium à Spiritu
Zach 12. 10. ſancto ipſi ingeneratur. Qui pro-
2. Cor. 4. 13. pterea Spiritus Sapientiæ & intelli-
Rom. 8. 16. gentiæ, conſilij, & fortitudinis, ſcientiæ & timoris Iehovę, gratiæ & fidei adoptionis in filios & ſanctificationis appellatur, cuique actus illuminandi, regenerandi, renovandi, confirmandi in Scriptura tribuuntur.

XIII. Duo autem hic obſervanda. Primum, quod opus illud regenerationis illuminationiſq; non uno momento perficiatur, ſed per quotidiana incrementa indies pro-
Rom. 6. 6. vehatur & promoveatur. Vetus e-
2. Cor. 4. 16. nim noſter homo crucifixus eſt, ut enervetur corpus peccati, & internus renovetur quotidiè. Qua de cauſa in regenitis, quam diu in hoc
Gala. 5. 17. mortali corpore degunt, caro adverſus Spiritum concupiſcit. Vnde fit, ut non ſine reſiſtentia & lucta bonum peragant, & a malo deſiſtant: imò verò etiam accidit, ut vel ex ignorantia, vel ex infirmitate & nonnunquam ex malitia peccent, ut in Moſe, Aaraone, Barnaba, Petro & Davide eſt videre. Neque accidit modo, ſed etiam in perfectiſſimis locum habent dicta iſta: In multis labimur omnes, &c. non Iacob. 3. 2.
eſt homo qui non peccet. 1. Reg. 8. 46.

XIV. Alterum eſt, quod ſicut initium ipſum primum omnis boni, ita quoq; progreſſus, continuatio & confirmatio, ipſaque in bono perſeverantia non a nobis, ſed a Deo eſt per Spir. ſanctum. Qui enim cœ- Phil. 1. 6.
pit opus bonum in nobis, perficiet 1. Pet. 1. 5.
in adventum Chriſti: & virtute Dei 1. Pet. 5. 10.
cuſtodimur per fidem: Deus abſolutos reddit, ſtabilit, roborat, fundat. Imò verò ſi contingat renatos in peccatis labi, non reſipiſcunt, neque reſurgunt, niſi a Deo vi ejuſdem Spiritus reſuſcitentur & ad pœnitentiam renoventur. Quod exemplis Davidis & Petri probatur firmiſſimè. Omne igitur bonum do- Iaco. 1. 17.
num cælitus deſcendit a Patre luminum, cujus vi mortui excitantur ut vivant, lapſi reſuſcitantur ut reſurgant, cæci illuminantur ut videant, nolentes incitantur ut velint, infirmi confirmantur ut ſtent, volentes adjuvantur ut operentur & Deo cooperentur. Cui ſit laus in Eccleſia per Ieſum Chriſtum in omnis ætatis ſæcula ſæculorum, Amen,

Auguſt. contra 2. Epiſt. Pelag. lib. 2. c. 9.

Hominis propoſitum bonum adiuvat quidem ſubſequens gratia, ſed nec ipſum eſſet niſi præcederet gratia. Studium quoque hominis, quod dicitur bonum, quamvis cum eſſe cæperit adiuvetur gratia, non tamen incipit ſine gratia, ſed ab illo inſpiratur, de quo dicit Apoſtolus, Gratias autem Deo, qui dedit idem ſtudium pro vobis in corde Titi Si ſtudium quiſque ut pro alijs habeat, Deus dat, ut pro ſeipſo habeat quis alius eſt daturus.

Bernhardus de Libero Arbit. & gratia.

Quid igitur agit (ais) liberum arbitrium? Breviter reſpondeo. Salvatur. Tolle liberum arbitrium, non erit quod ſalvetur. Tolle gratiam non erit unde ſalvetur. Opus hoc ſine duobus effici non poteſt. Vno à quo fit; altero cui vel in quo fit. Deus author eſt ſalutis; liberum arbitrium tantum capax, nec dare illam niſi Deus, nec capere valet niſi liberum arbitrium.

THESIS DVODECIMA DE

Lege Dei.

Reſp. DION. SPRANCKHVYSEN.

I.

LEx universè definitur, vel *ex fine*, Ordinatio rectę rationis ad commune & ſingula[r]e bonum omnium & ſingulorum ſubordinatorum, ab eo lata qui totius communitatis & in ea ſingulorum curam habet: Vel ex *forma* & Efficacitate ſua; Ordinatio præcipiens quid faciendum & omittendum ſit, lata ab eo, qui jus habet poſtulandi obedientiam, obligans creaturam rationis & libertatis uſu pollentem ad obediendum, ſancta promiſſione præmij, & denunciatione pœnæ. Et in *Humanam* & *Divinam* diſtinguitur: hæc *Deum*, illa *hominem* authorē habet; non quidem quod ulla lex ab homine lata proba ſit, quæ non ſit ad Deum authorem omnis boni referenda: ſed quia homines ex lege Divina deducunt pręcepta accomodata ſtatui cui præſunt, ſecundum conditiones & circumſtantias illius particulares. Nos impræſentiarū de *Lege Divina* agemus.

I I. *Lex Divina* poteſt conſiderari *Rom.* 2. 14. 15.
vel ut *ſermone inſito* mentibus homi- *Gen.* 2. 17.
num eſt impreſſa, vel ut *ſermone foras* *Exod.* 34. 1.
prolato enunciata, vel denique ut *ſcripto* comprehenſa. Qui modi Legiſlationis non integris objectis differunt: ſed in eo diſcriminantur, quod primus fundamenti cujuſdam inſtar eſt reliquis: poſteriores verò, quod ad ea, quæ præcipiuntur & vetantur, latius ſe extendant. *Nos de Lege Dei quæ ſcripto eſt comprehenſa tractabimus:*
quæ etiam *Moſis Lex* appellatur, eò *Mal* 4. 4.
quod Deus eo mediatore uſus eſt *Gal.* 3. 19.
ad illam Populo ſuo Iſraëlitico tra- *Exod.* 20.
dendam. Illa autem eſt triplex juxta *& deinceps.*
objecti varietatem, hoc eſt operum patrandorum, Vna ἠθικὴ ſive *Moralis*, altera ἱερατικὴ ſive *Ceremonialis*, tertia πολιτικὴ *Iudicialis* vel *Forenſis* dicitur.

I I I. *Lex Moralis* (quæ per totam *1. Sam.* 15.
Scripturam V. & Novi Teſtamenti 22.
ſparſa & ſummatim in decalogo *Amos* 5. 21.
comprehenſa eſt) eſt ordinatio 22. 23.
præcipiens ea, quæ Deus per ſe gra- 24.
ta habet, & ab omnibus hominibus *Mich* 6. 6.
ſemper & ubique pręſtari vult & ve- 7. 8.
tans contraria. Hęc itaq; eſt perpetua *Matth.* 22.
& immutabilis vivendi norma, ex- 36. 37.
preſſa imago interni conceptus divi- *Mal.* 1. 6.
ni, ſecundum quem ut creatura ra- *Rom.* 12.
tionalis vitam ſuam totam ſemper & *&* 13. *&* 14.
ubique inſtituat, fas & æquum eſſe *Tit.* 2. 11. 12.
judicat legiſlator Deus. Illa breviter *dilectione Dei & proximi*, continetur; ſive partim ijs officijs quę ad amorem, honorem, timorem, & cultum Dei pertinent; partem ijs quæ proximis, ſuperioribus, inferioribus, paribus debemus; quorum complexu etiam illa

illa comprehenduntur, quæ quiſq; ſibi præſtare tenetur.

IV. *Vſus legis moralis* varius eſt ſecundum varios ſtatus hominis. Rom 2.13. & 10.5. & 4.4. *Primarius* & à Deo per ſe intentus juxta amorem ipſius erga juſtitiam & creaturam ſuam, erat *ut homo per illam vivificaretur*, hoc eſt illam præſtaret & ex ejus præſtatione juſtificaretur, & præmio per illam promiſſo ex debito afficeretur. Et hic uſus primævo hominis ſtatui fuit accommodatus, quum peccatum nondum in mundum ingreſſum eſſet. *Vſus ſub ſtatu peccati* eſt, ordine primus adverſus hominem peccatorem, tum ut Rom.3.19. 20. & 7. *illum de tranſgreſſione & reatu arguat, itaque & condemnationi Dei ſubjiciat*, tum ut *eundem de impotentia peccato reſiſtendi legique ſe ſubjiciendi convincat*. *Inſequens illum eſt*, ſiquidem Deo viſum miſericorditer & gratioſè cum Gal.2.16. 17. homine peccatore agere, erga peccatorem, tum ut *illum ſic convictum & ſubditum condemnationi Dei ad gratiam deſiderandam & quærendam compellat, & ſic ad Chriſtum liberatorem vel promiſſum vel datum confugere cogat*. Servit præterea lex in hoc ſtatu tum Deo, ut hominem ſub ejus ductu ſaltem 1.Tim. 1.9. ab externo opere peccati & ſceleribus formidine pœnæ, & promiſſione præmiorum temporalium cohibeat: tum *peccato*, Rom. 6. 12. 13. 14. & 7. verſ. 5. 8. 11. 13. in homine carnali & ſub lege exiſtente inhabitanti & regnanti, ut incendat peccati deſiderium, peccatum augeat, & operetur omnem concupiſcentiam. Illud fit ex bonitate Dei & amore erga generis humani ſocietatem animalem: hoc ex malitia peccati regnantis & dominantis.

V. Tit. 3. 8. Jacob. 2. 8. Rom. 8. 3. *Tertius uſus legis Moralis erga hominem iam Spiritu Dei & Chriſti renatum conveniens ſtatui gratiæ eſt, ut ſit perpetua regula vitæ ſecundum Deum ejuſque Spiritum inſtituenda*: Non ut per illam juſtificetur homo, quia horſum per carnem impotens & inutilis facta eſt, etiam ſi tantum unicum ab homine peccatum perpetratum eſſet: ſed ut Deo pro gratioſa redemptione & ſanctificatione gratias agat, Pſ. 116. 12. 13. bonam conſcientiam ſervet, vocationem ſuam & electionem firmam efficiat, 1.Tim 1 19. 2.Pet. 1.10. 1.Pet. 3.1. alios ſuo exemplo Chriſto lucrifaciat, Joh. 1. & 2. diabolum confundat, Heb. 11 7. impium mundum condemnet, & Rom. 2. 7. 1.Cor. 6.10. per viam bonorum operum ad cœleſtem hæreditatem & gloriam contendat, Mat. 5.16. Gal. 5 21. Deumque glorificet ipſe & alijs glorificandi Deum occaſionem & materiam ſubminiſtret.

VI. Ex hiſce uſibus facile colligere eſt, quouſque lex Moralis inter fideles & ſub gratia Chriſti conſtitutos obtineat & quouſque abrogata ſit. 1. *Abrogata eſt, quod ad vim & uſum juſtificandi attinet.* Nam ſi data fuiſſet lex quæ poſſet vivificare vere ex lege eſſet juſtitia. Rom. 8. 3. Cauſa cur id nequeat, eſt quia per carnem infirmata eſt, ob quam Deus gratioſè cum hominibus agere volens, promiſſionem dedit & ipſum Chriſtum, Gal. 3.16. 17. 8. 22. ut hæreditas ex promiſſione & fide Chriſti obtingere credentibus, Lex autem ſuperveniens promiſſionene,que irritam eam reddere potuit: fuit enim ſancita autoritate; neque promiſſioni adjungi aut ſuperaddi, ut ex utraque juncta juſtitia & vita contingeret. 2. *Abrogata eſt quoad maledictionem & condemnationem.* Gal 3. 10. 11. 12. 13. 1.Cor. 15. 55. 56. Chriſtus enim ſub lege & maledictione factus, redemit nos à lege & ejus maledictione, Rom. 7. 4. 5. 6. & ſic ademta lex eſt peccato, ne virtus ejus ſit ad condemnandum. Rom. 7. 4. 1.Tim. 1.9. Gal. 4 18. 3. *Abrogata eſt & ademta peccato, quatenus per illam occaſionem*

nactum, per eandem omnem concupiſcentiam operabatur in homine carnali, in quem dominum exercebat peccatum. 4. *Abrogata eſt quoad ductum, quo hominem urſit ad bonum faciendum & abſtinendum à malo, metu pœnæ & ſpe præmij temporalis.* Fideles enim & renati

1. Joan. 5. 3. 4. Iacob 2. 8. 1. Joan. 2. 12.

ſunt mortificati legi in corpore Chriſti, ut ſint alterius nempe Chriſti, cujus Spiritu porro ducantur & agantur in novitate vitæ, ſecundum charitatem, & regiam libertatem: unde apparet illam quoad ad obedientiam Deo præſtandum abrogatam non eſſe, quanquam illa ipſa ſecundum ἐπιείκειαν non ſecundum ſtrictum rigorem ſub gratia Chriſti & Euangelij poſtuletur.

Gal. 4. 1. 2. 3. Heb. 8. 5. & 10. 1. Col. 2. 14. Pſal. 17. 4. Col. 2. 11. 1. Cor. 5. 7.

VII. *Lex Ceremonialis* eſt, quæ continet præcepta de cultu Dei externo, data Eccleſiæ Iſraëliticæ, & temporibus, quibus Eccleſia Dei ut infans ſub ἐπαγγελίᾳ & veteri Teſtamento fuit, accommodata: inſtituta tum ad ſignificandum, præfigurandum, obſignandum tum ad εὐταξίαν in conventibus & actibus Eccleſiaſticis obſervandum: illi fini ſerviebant, *Circumciſio, Agnus Paſchalis, Sacrificia, Sabbatha, adſperſiones, ablutiones, mundationes, conſecrationes, dedicationes, rerum animatarum.* Hinc dictæ *Sacerdotum, Levitarum, Cantorum, Ianitorum* functiones, functionumque vices, & circumſtantiæ locorum & temporum, quibus ſingulæ actiones ſacræ peragendæ erant.

1. Par. 14. & 15. & 16.

Heb. 10. 1. 2. 3. Heb. 7. & 9. & 10. Col. 2. 4. Heb. 9. 8. 9. 10. Col. 2. 17. Heb. 10. 11. Gal. 3. 24.

VIII. *Vſus Legis* iſtius *Ceremonialis* fuit. 1. *ut populum veterem ſub ſpe & exſpectatione promiſſorum bonorũ contineret:* quem uſum præſtitit per varios perſonarum, rerum, actionum, eventuum typos, figuras umbras, quibus tum peccata, veluti chirographo nobis adverſo, obſignata ſunt, ut intelligeretur neceſſitas promiſſionis factæ; tum expiatio & promiſſa bona eminus oſtenſa ſunt, ut promiſſio certo implenda crederetur: & hoc reſpectu, quum illorum typorum & umbrarum corpus & expreſſa forma ad Chriſtum pertineat, Lex illa merito pædagogus ad Chriſtum dicitur.

Eph. 2. 14. 15. Exod. 12. Act. 2. 10. 44.

2. *ut populum Iſraëliticum, tanquam Deo peculiari nomine ſanctificatum, à reliquis gentibus diſcerneret, & tanquam paries intergerinus diſterminaret;* ita tamen ut & extranei per circumciſionem ad illius communionem admitterentur. 3. *ut ip iſto operoſo cultu occupati, neque cultus alios ipſi comminiſcerentur, neque ab alijs populis uſurpatos aſſumerent:* atque ita ab Idololatria & ſuperſtitione puri conſervarentur, ad quam propenſiſſimi fuerunt, & occaſiones undique à populis tum vicinis, tum in medio illorum habitantibus offerebantur.

Deut. 12. Deu 31. 16. 27. 28. 29.

Col. 2. 11. 12. 14. 17. Heb. 8. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Gal. 4. 9. 10. 1. Cor. 7. 19. & 9. 19. 20. 2. Cor. 3. 13. 14. 15. 16.

IX. Hæc lex eſt per Chriſti crucem, mortem, reſurrectionem, adſcenſionem in cœlos, & miſſionem Sp. Sancti abrogata, per umbrarum à Sole depulſionem, & corporis in earum locum ſubingreſſum, quod typorum omnium eſt juſtum complementum. At gradus ſunt in abrogatione conſiderandi. *Primo momento abrogata eſt quoad neceſſitatem obſervandi, & obſervationis utilitatem, omni iure obligandi ſimul & ſemel illi adempto:* quo ipſo viva eſſe deſijt, & mortua eſt: *Deinde facto ipſo* fuit abolenda, quod factum eſt partim per doctrinam Apoſtolorum inter fideles, qui paulatim intellexerunt Chriſtum eſſe finem Legis, & ejus quod aboletur; ideoque volentes ab uſu ejus Legis abſtinuerunt; partim per potentiam Dei in diſtructione Ieroſolymorum, & Templi ubi ſedes

erat

erat Religionis, & locus cultibus illis exercendis deſtinatus, adverſus contumaciam infidelium Iudęorum. Act. 16. 3. & 21. vers 28 22. 23. 24. &c. Gal. 2 3. 11. 12. Exod. 21 & 22. & 23. &c. A quo tempore mortiferæ eſſe cæperunt Ceremoniæ, quæ intermedio illo ſpatio tolerabiles fuerunt, ipſorum etiam Apoſtolorum judicio, ſed inter Iudæos tantum modo ne gentibus imponerentur, quod novæ inſtitutionis inſtar erat æſtimandum.

X. *Lex Iudicialis* eſt quam Deus per Moſem populo ſuo Iſraëlitico, cujus peculari ratione rex erat, præſcripſit, continens præcepta de forma gubernationis politicæ in civili ſocietate uſurpandæ, ad bonum tum animalis vitæ, tum etiam ſpiritualis, per conſervationem & exactionem cultus externi, & diſciplinæ externæ in lege Morali & Ceremoniali mandatæ procurandum, utpote de Deut. 17. 1. *Magiſtratibus, Contractibus, Bonorum diviſionibus, Iudicijs, Pœnis &c.* Hæ leges commodè ad duo genera referri poſſunt. Aliæ juris communis ſunt, quoad ſubſtantiam ipſarum, quanquam ſecundum nonnullas circumſtantias Deut. 15. 1. 2. & 6. 17. illi reipublicæ ſint peculiares, aliæ ſimpliciter ad jus ſingulare pertinent.

XI. *Vſus huiuus legis* etiam triplex fuit. *Primus ut totus ſtatus populi Iſraëlitici certa norma publica æquitatis & iuſtitiæ ordinaretur*, eſſetque ut Civitas benè & apte ſibi ſecundum omnes Psa. 122. 3. & ſingulas partes per commiſſuras & nervos præceptorum iſta lege præſcriptorum coagmentata & pariter conjuncta. *Alter ut populus iſte ab alijs populis, qui ſuas proprias Leges habebant, etiam hac lege diſcriminaretur*: adeò voluit Deus ut ubicunque id ſecundum rerum ipſarum & hominis naturam fieri poterat, populus iſte ſuus nihil cum alijs commune haberet. Et hi duo uſus ad præſentem Iſraëliticæ Reipub. ſtatum pertinebant. Psalm. 2. Ez. 34. 23. 24. *Tertius ad ea quæ futura erant reſpexit, & fuit typicus*; totus enim ille ſtatus & totum Regnum, regnique adminiſtratio, & adminiſtrationis principes, Iudices, Reges Chriſtum, regnumque ejus, & ſpiritualem ejus adminiſtrationem adumbrarunt: quo reſpectu etiam hæc Lex pædagogus ad Chriſtum dici poteſt.

XII. Matth. 3. 2. Matth 16. 28. *Hæc Lex quatenus in Chriſtum reſpexit abrogata eſt univerſè.* Nullum enim jam regnum, nullus populus, nulla adminiſtratio ſervit ad Chriſtum, ejuſque regnum vel adminiſtrationem typicè figurandam. Joan. 18. 36. Matth. 11. 12. Regnum enim illius, quod regium cœlorum eſt, & non de hoc mundo, advenit jam, & ille venit in regnum ſuum. Quantum verò ad ejus ſimplicem obſervationem attinet, illa neque vetita eſt, neque præſcripta ulli populo, nec abſoluta neceſſitate ſervanda vel omittenda. Excipiuntur quæ communis juris ſunt, & naturali æquitate fundata. Illa omnino obſervari neceſſe eſt, ubique & ab omnibus. Et quæ, quod ad ipſam ſubſtantiam & finem præcipuum attinet, in Chriſtum reſpiciunt, illa nulli populo licet uſurpare.

COROLLARIVM.

Doctrina Pontificiorum de Conſilijs & operibus ſupererogationis divinorum præceptorum perfectioni derogat.

THESIS DECIMATERTIA DE

Legis & Euangelij comparatione.

Reſp. PETRO CVNÆO.

I.

QVum Lex dupliciter conſiderari debeat, tum ut primitus hominibus in primæva integritate conſtitutis lata eſt, tum ut per Moſen data & peccatoribus poſita eſt (quo reſpectu Veteris Teſtamenti ſeu fœderis nomen ſortita eſt in Scripturis) commodè poterit cum Euangelio (quod Novi Teſtamenti nomine appellatur prout Veteri id oppoſitum) juxta hunc duplicem reſpectum conferri: & quidem tum convenientię, tum differentiæ ratione, quanquam convenientiam communiter citra iſtud diſcrimen conſiderare haud incommodè poſſumus, ne bis idem repetere cogamur.

II. Convenit igitur Lex, tum ut primum lata Adamo, tum ut poſtea per Moſen data cum Euangelio. 1. generali authoris unius conſideratione. Eſt enim Deus unus idemque author utriuſque, qui Legem tulit ut Legiſlator, Euangelium verò protulit ut omnis gratiæ & miſericordiæ Pater, unde & illa Lex Dei & hoc Euangelium Dei ſæpe nominantur. 2. Generali ratione materiæ, utraq; enim doctrina conſtat mandato obedientiæ, & remunerationis promiſſione. qua de cauſa nomen habet תורה utriq; etiam in Scriptura communiter tribuitur. 3. Fine generatim conſiderato: qui eſt gloria ſapientiæ bonitatis, & juſtitiæ Dei. 4. Subjecto per ſpeciales reſpectus non diſcriminato, hominibus enim & Lex poſita, & Euangelium patefactum eſt.

Genes. 2. 17. Exo. 20. 2. Rom. 1. 1. Eſaie 2. 3.

III. Eſt præterea convenientia aliqua Legi, prout Adamo lata eſt, cum Euangelio propria; à qua Lex, ut per Moſen data eſt, excluditur. hæc ſita eſt in præſtationis poſſibilitate. potuit enim Adam ijs viribus, quas in creatione acceperat, Legem præſtare, cum auxilio Dei. Secus illi in culpam imputari tranſgreſſio non poterat. inſcribitur etiam Euangelium in cordibus fœderatorum Dei, ut conditionem illo præſcriptam implere poſſint.

IV. Differentia verò inter Legem, ut primùm lata eſt, & Euangelium, in hiſce potiſſimum conſiſtit. 1. in ſpeciali authoris reſpectu. Nam Deus Legem tulit citra reſpectum in Chriſtum, ut benevolus quidem creaturæ ſuæ integræ, ſed ex juſtitia ſtricta poſtulans obedientiam, & promittens mercedem, pœnamque denuntians, Euangelium vero patefecit ut gratioſus & miſericors in Chriſtum ſuum reſpiciens. ex juſtitiâ miſericordiâ temperata poſtulans & promittens. 2. In ſingulari materiæ ipſius ratione. Lex enim dicit, *Hoc fac & vives*. Euangelium verò, *Si credideris ſervaberis*, & hoc diſcrimen eſt non modò in poſtulato (unde & illa operum, Euangelium verò Lex fidei appellatur) verùm etiam in promiſſione. quanquam enim utrobiq; vita æterna promittatur, Euangelio tamen ut

Rom 10. 5. Rom. 3. 27. 2. Tim. 1. 10.

ex

ex morte & ignominia, Lege verò ut ex naturali felicitate conferenda. præterea in Euangelio remiſſio peccatorum, ut vitæ æternæ præcedanea annuntiatur; cujus nulla mentio in Lege: quia nec ipſa remiſſio neceſſaria non peccatori, nec illius annuntiatio utilis futura quanquam peccaturo.

Rom 4. 4 V. Differunt inſuper in modo remunerationis. Operanti enim ſecundum Legem merces fuiſſet data ex debito, & tranſgredienti pœna illata ex ſeveritate ſtrictæ juſtitiæ. Ioh 3. 19. Ioh. 9. 41. Gen. 2. 17. Credenti verò merces datur ex gratia; incredulo verò condemnatio debetur ſecundum juſtitiam ἐπιεικείᾳ in Chriſto temperatam. 4. Diſcriminantur ſpeciali ſubjecti intuitu. Lex enim lata homini integro, & in favore Dei jam tum conſtituto: 2. Cor. 5. 19. Euangelium verò homini peccatori, & in gratiam Dei, quia verbum reconciliationis eſt, reducendo. 5. Finis peculiari reſpectu differunt. Lege 1 Cor. 1. 20. 21 23. 24. Ephe. 1. 8. Rom. 3 24. 25. 26. n. illuſtratur ſapientia, bonitas, & juſtitia Dei ſtricta. Euangelio verò ſapientia Dei longè illuſtrior, bonitas cum gratioſâ miſericordia juncta, & juſtitia in Chriſto temperata.

VI. Diſcrimen verò inter Legem, quatenus per Moſen data eſt, & Vetus Teſtamentum appellatur, & Euangelium, quà Novi Teſtamenti nomine venit, in hiſce ſequentibus juxta Scripturas ſitum eſt. Heb. 9. 5. 1. in diſtincta proprietate inſtitutoris Dei. Vetus enim pactum fecit ut iratus peccatis, quæ ſub priori fœdere manebunt inexpiata. 2 Cor. 5. 17. &c. Eph. 2. 16. 17. Novum verò inſtituit ut reconciliatus, vel ſaltem reconciliationem illo ipſo fœdere peracturus in Filio dilectionis ſuæ & ſermone gratiæ. 2. in modo inſtitutionis reſpondente utrinque inſtituentis conditioni. Nam Lex lata cum ſignis planiſſimis iræ, & horrendi judicij divini adverſus Heb. 12 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. peccata & peccatores. Euangelium verò cum indicijs certis benevolentiæ, εὐδοκίας & amoris in Chriſto. Heb. 7. 16. unde Apoſtolus. Col. 2. 14. Non acceſſiſtis ad contractabilem montem, & incenſum ignem ac turbinem & caliginem & procellam: ſed ad montem Sion. 3. in materia mandatorum, & promiſſionum. mandata enim ejus pleraque carnalia fuerunt, continentia Chirographum contrarium nobis: promiſſiones verò plæræque corporales, & terrenam hæreditatem, veteri homini convenientem, ſpondentes: Heb. 10. 1. Ioh. 4. 21. 23. Euangelium verò ſpirituale, mandata continens ſpiritualia & promiſſionem hæreditatis cœleſtis, Heb 8 6. Ephes. 1. 3. Matt. 6. 33. novo homini congruentis. quanquam terrena bona adjectamentorum inſtar polliciatur quærentibus primô regnum Dei & juſtitiam ejus.

VII. Quartam differentiam ponimus in mediatore ſeu interceſſore. Gal. 3. 19. Hebr. 9 15. Heb. 3 5. & 6 Veteris enim Teſtamenti mediator eſt Moſes; Novi Ieſus Chriſtus: Io. 1. 17. Lex per ſervum data eſt; Gal. 3. 19. Euangelium verò per ipſum Dominum patefactum. Lex per Moſen data eſt; gratia & veritas per Ieſum Chriſtum. Lex data in manu mediatoris; Levi 26. 46. Deut. 5. 26. qui Moſes eſt, juxta id quod dicitur alibi, Heb. 9. 15. & Chriſtus Novi Teſtamenti mediator dicitur. Exo. 24 5. Heb 9. 18. 19. 20. Quintum diſcrimen eſto in ſanguine ad confirmationem utriuſque Teſtamenti adhibito; Heb. 9. 14. Mat. 26. 28. Vetus fœdus ſancitum eſt ſanguine animalium: Exo 19. 18. Eſa. 2. 7. Mich 4 2. Novum verò pretioſo ſanguine Flij Dei: qui etiam propterea ſanguis Novi Teſtamenti appellatur. Gal. 4. 24. &c. 6. Differunt loco promulgationis. Heb. 12. 18. &c. Vetus enim promul-

mulgatũ eſt de monte Sina. Novum
verò ex Sion & Hieruſalem exivit.
quod diſcrimen Apoſtolus etiam ad-
notat planiſſimè.

VIII. Septima differentia ſu-
metur à ſubjectis, tum quibus lata,
tum quibus inſcripta ſunt. Lex Ve-
tus lata eſt Veteri homini: Novum
Teſtamentum Novo homini inſti-
tutum. unde & Auguſtinus arbitra-
Exo. 31. 18. tur Veteris & Novi appellationem
Ier. 31. 33. ſortita eſſe duo iſta Teſtamenta. Lex
2. Cor. 3. 3. Vetus inſcripta eſt tabulis lapideis:
Euangelium vero inſcriptum in ta-
bulis carneis. Octavum diſcrimen
eſt in adjunctis; idque dupliciter. 1.
Gal. 4. 9. Lex Vetus egena eſt, & impotens
3 & 3. 21. vivificandi. Euangelium vero con-
Epheſ. 3. 8. tinet imperveſtigabiles opes Chri-
Rom. 5. 16. ſti, & potentia Dei eſt ad ſalutem
Act. 15. 20. cuivis credenti. 2 Lex Vetus onus
Matth. 11. 29. 30. fuit importabile, quod neque patres
illorum ferre potuerunt. Euange-
lium vero jugum & onus Chriſti
continet, quod ſuave eſt & leve.

IX. Novum diſcrimen ſumetur
2. Cor. 3. ab effectorum diverſitate. Vetus e-
nim Teſtamentum eſt Littera occi-
dens, Miniſterium mortis & con-
demnationis, Novum eſt Spiritus
vivificans, Miniſterium Spiritus,
Gal. 4. 23. 24. Iuſtititæ, & vitæ. Vetus pactio ge-
nerabat ad ſervitutem, Agaris inſtar:
Rom 5. 20. Nova pactio gignit ad libertatem,
Rom. 4. 15. ut Sara. Lex intravit ut abundaret
Matth. 26 peccatum; & iram operatur: San-
Heb. 9. 14. 15. & 12. 24. guis verò Novi Teſtamenti Euan-
Col. 2. 14. gelio exhibitus, expiat peccata, &
Eſ. 61. 1. meliora loquitur quam Abel. Vetus
Teſtamentum eſt Chirographum,
Ier. 41. 32. quo peccata obſignantur. Euange-
Heb 8. 8. 9. lium verò eſt prædicatio libertatis,
Gal. 3. 19. & ſermo Crucis, cui Chirographum
Heb. 7. 18. affixum eſt, & eo ipſo è medio ſub-
1. Cor. 3. 10. latum. Decima differentia ſtatuetur
in tempore tum promulgationis u-
triuſque, tum durationis: Vetus Te-
ſtamentum promulgatum, quum
Deus populum Iſraëliticum educe-
ret ex Ægypto. Novum verò no-
viſſimis & poſtremis temporibus.
Vetus Teſtamentum uſque ad Chri-
ſtum durare debuit, & poſtea abro-
gatum eſt. Novum vero manet in
æternum. utpote ſancitum ſanguine
Sacerdotis, qui ex vi indiſſolubilis
vitæ per ſermonem juramenti con-
ſtitutus eſt Sacerdos, & per Spiritum Heb. 7. 16. 28.
æternum Deo ſe obtulit. ex hoc po-
ſtremo diſcrimine forte Veteris & Heb. 9. 14.
Novi appellationis ortum duxe-
runt.

X. Ne quis verò arbitretur Pa-
tres, qui ſub Lege & Vet. Teſt. vi-
xerunt, gratiæ fideique & vitæ æter-
næ exſortes fuiſſe; ſciendum etiam
tum promiſſionem Adamo factam Gen. 3. 15.
de ſemine mulieris, & de ſemine Gal. 3. 16.
Abrahami, cui promiſſio facta eſt, Act. 3. 18.
& in quo benedicendæ erant omnes
nationes, exſtitiſſe, & fide à ſanctis
patribus acceptam fuiſſe. Quæ pro-
miſſio quum à Theologis ſub Vet.
Teſtamenti nomine latè ſumpto
comprehendatur, & ab Apoſtolo
διαθήκη, quin & in plurali, junctâ Gal 3. 16.
voce promiſſionis, διαθῆκαι τῆς ἐπαγ- Epheſ. 2. 12.
γελίας appellatur, breviter etiam vi-
deamus, quatenus pactum hoc pro-
miſſionis & Teſtamentum Novum,
ſive Euangelium ſic excellenter di-
ctum, tanquam promiſſionum com-
plementum & ἐπαγγελία, inter ſe Gal. 3. 16. 17.
conveniant & differant. Hebr. 9 13.

XI. Convenientiam ponimus
in ijs quæ ſubſtantiam utriuſque
concernunt. Nam. 1. ad efficientem
cauſam quod attinet, utrumque ex Gen. 15. 6.
purâ putâ gratioſâ Dei miſericordia Rom. 4.
in Chriſtum reſpicientis ſancitum Heb. 11.
eſt.

Rom. 9. 4. Heb. 15. 8. Act. 3. 19. 10. Act. 15. 32.

eſt. 2. una eademque utriuſque materia, Fidei ſc. obedientia utrobiq; requiſita & vitæ æternæ hæreditas promiſſa per juſtitiæ fidei imputationem, & gratioſam in Chriſto adoptionem. 3. unum objectum, Chriſtus: quem promiſſum Patribus in Scripturis Propheticis Deus exhibuit Euangelio. 4. Vnus finis, laus glorioſæ Dei gratiæ in Chriſto.

Rom. 4. 2. 3. Rom. 9. 8. 11. 30. 31. 32. 33.

5. utrumque pactum initum cum hominibus eadem ratione formali veſtitis, nempe cum peccatoribus, ijſque non operantibus, ſed credentibus in eum, qui juſtificat impium.

1. Cor. 4. 13. Rom. 9. 4. Gal. 3. 18. Rom. 8. 15. Ephe. 1. 4. Rom. 9. 7.

6. Idem utrobique Spiritus eſt obſignans utriuſque veritatem in mentibus fœderatorum. Quum enim adoptio & hæreditas competat etiam Patribus in Vet. Teſt. Spiritus, qui adoptionis eſt, & arrhabo hæreditatis illis negari nequit. 7. Conveniunt effectis. utraque enim Pactio generat filios ad libertatem.

Gal. 4. 31. 28.

In Iſaac enim vocabitur tibi ſemen, &, Nos fratres non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, & ſecundum Iſaac filij promiſſionis. Vtraque juſtitiam fidei adminiſtrat, & ex illa hæreditatem. Vtraque gaudium ſpirituale excitat in cordibus fidelium. Denique & in eo conveniunt quod utraque per juramentum Dei eſt confirmata, neutra g. abolenda, ſed prior per poſteriorem complenda.

Rom. 4. 13. Ioan. 8. 6. Luc. 2. 10. Gen. 22. 6. Luc. 1. 57.

XII. Differentia autem eſt in accidentalibus nonnullis, quæ nihil derogat unitati ſubſtantiali, & primo quidem circa accidens objecti. Nam promiſſione offertur Chriſtus venturus. Euangelio vero jam exhibitus. unde etiam ſecunda differentia circa accidens fidei in objectum requiſitæ, ut enim præſentia & præterita clarius cognoſcantur quam futura; ſic fides in venturum Chriſtum obſcurior fuit fide quæ Chriſtum præſentem intuetur, quibus addatur diſcrimen tertium, quod Chriſtus cum beneficijs ſuis jam olim Iſraëlitis ſub typis, & umbraculis propoſitus fuit, in Euangelio vero revelata facie inſpiciendus offertur, rerumque ipſarum veritas & corpus exhibetur. Quæ adminiſtrationis varietas quartum exhibet diſcrimen in ipſo hærede. Iſraëlitarum enim gentem hæredi parvulo comparat Apoſtolus, qui præſidio, tutore & pædagogo indigebat. Fideles vero ſub Novo Teſt. hæredi adulto. unde quintum deducitur diſcrimen, quod hæres parvulus, tanquam nihil differens a ſervo, ſub œconomica Legis ceremonialis ſervitute detinebatur; à qua liberati ſunt, qui poſt temporis tutelæ a Patre præfiniti expirationem in Chriſtum crediderunt. Huic ſtatui hæredes parvuli ſuus quoque Spiritus accommodetur, & ſextum dabit diſcrimen: quod hæres Spiritu adoptionis actus quidem fuit, ſed, quia infans ſervitutis Spiritu contemperato; hæres vero adultus Spiritu adoptionis in ſolidum, excluſo ſervitutis illo. Septima differentia eſt in vocatorum numero ad communionem utriuſque. Promiſſio terminis Iſraëliticæ Reip. concluſa fuit, à quâ Gentes alienæ etiam extraneæ fuerunt à pactis promiſſionis. Euangelium vero omni creaturæ quæ ſub cælo eſt, ſublata maceriâ, annunciatum eſt.

Hebr. 6. 13. 14. 17. & Hebr. 7. 20. 21. Mal. 3. 1. 1. Ioan. 1. v. 1. 2. & 4. 14.

Heb. 11. 13. Num. 14. 17. Heb. 10. 1. Gal. 4. 16. 2. Cor. 3. 18. Io. n. 1. 7. Col. 2. 17. Gal. 3. 15. 25.

Gal. 4. 1. 2.

Gal. 4. 2. 3. 4. 5.

Rom. 8. 15. Gal. 4. 6.

Ephe. 2. 12. 11. 13. 17. Mat. 28. 19. Mar. 16. 15. Col. 1. 23.

XIII. Poſſunt vero hæc ipſa, Lex, Promiſſio, & Euangelium, alio quodam ordine, vel ut oppoſita inter ſe, vel ut ſibi ſubordinata, conſiderari. Excludit ergò Legis ut

Adamo lata fuit, conditio, faciendæ
promiſſionis & Euangelij annun-
tiandi neceſſitatem; & viciſſim illius
faciendę & huius annuntiandi ne-
ceſſitas, declarat hominem Le-
gi ſibi datæ non obtemperaſſe. Iu-
Gal. 2. 17. ſtificatio enim ſimul ex gratia &
Rom. 4. 4. 5. debito fieri nequit: neque gloria-
Rom. 3. 32. tionem ſimul admittere & exclude-
2. Pet. 5. 10. 11. 12. re. Promiſſionem etiam præire de-
Agg. 2. 8. cuit Euangelio, & ipſam viciſſim
Mal 3. 1. Euangelio compleri, ut enim, tan-
Gal. 3. 19. 21. 22. tum bonum dari non decuit niſi de-
23. 24. ſideratum; ita quoque fruſtrari fas
Act. 13. 38. 36. non fuit deſiderium exſpectantium.
Gal. 2. 15. 16. Nec minus æquum ut factâ promiſ-
ſione lex œconomicè repeteretur,
Col. 2. 14. 17. quo promiſſionis gratiæ neceſſitas
Heb. 10. 9. 10. appareret, & de illa convicti ad ejus
præſidium confugere compelleren-
Pſalm. 119. 105. tur: qui uſus Legis etiam ſervit Euan-
Tit. 3. 8. gelio per fidem recipiendo. Du-
rante etiam promiſſione voluit Deus
alias inſuper & præſertim Ceremo-
niales addere præceptiones, quibus
peccatum obſignaretur, & promiſ-
ſionis complementum præſignifica-
retur; quo exiſtente illæ abrogaren-
tur tanquam munere ſuo defunctæ.
Deniq; ipſa Moralis Lex tum pro-
miſſioni, tum Euangelio jam per
fidem acceptis ſervire debuit, inſtar
normę, ad quam fideles vitam con-
formarent. Faxit autem Deus ut
hanc admirabilem ipſius œcono-
miam magis magiſque ex Verbo
ipſius intelligere queamus, ad glo-
riam ipſius, & noſtri omnium in
Chriſto aggregationem.

THESIS DECIMAQVARTA,

DE

Officijs Ieſu Chriſti Domini noſtri.

Reſp. PETRO FAVERIO.

I.

QVum officia omnia certi finis gratia inſtituantur & imponantur, ideoque mediorum inſtar habeant, ad finem iſtum obtinendum: commodiſſima de officijs Chriſti tractandi ratio erit, ſi illam ad nominis, quo adpellatur, notionem exegerimus. Dicitur enim Ieſus Chriſtus vocabulis perſonæ ſecundum ſenſum ijs ſignificatum etiam καθ' ἐξοχὴν competentibus: quorum priore finis, poſteriore officiorum ratio ad finem facientium comprehenditur.

II. Vox Ieſus Salvatorem ſignificat, σωτὴρ Græcis. Salvare autem eſt à malis tutum prę ſtare, vel curando ne ingruant, vel ſi invaſerint auferendo, & ex conſequente, contraria bona conferendo. Inter mala autem, duo peſſima; peccatum & ejus ſtipendium mors æterna: Inter bona etiam duo momenti maximi, juſtitia & vita æterna. Salvatur itaque modo eximio eſt, qui à peccato & morte æterna malis maximis ijſque jam adjacentibus & urgentibus liberat, juſtitiamque & vitam confert. Ob hunc ſalvandi modum nomen Ieſu huic noſtro juxta Angeli inter-

interpretationem convenit. Decebat enim talis ſalvandi modus hujus perſonæ, quæ Filius Dei proprius, naturalis & unigenitus eſt, excellentiam: quum ſalvationes aliæ à ſervis Moſe, Ioſua, Othoniele, Gedeone, Iephthe, Davide, perfici potuerint. *Mat. 1. 21.*

III. Vox Chriſtus, unctum notat מְשִׁיחַ Hebræis Vnctio antiquitus in V. T. oleo fiebat, quod quia ſecundum naturalem efficientiam tum fragrãtia reddebat corpora, tum agilia, accommodum erat duabus rebus ſupernaturalibus ſignificandis: quarum una eſt, perſonæ ad munus aliquod divinum obeundum ſanctificatio & conſecratio, altera adoptatio, ſeu donorum ad illud neceſſariorum collatio. utraque autem iſta actio propriè & per ſe competit Spiritui Sancto, Sanctitatis & omnium donorum authori & datori. quocirca decuit, ut qui κατ' ἐξοχὴν מְשִׁיחַ dicebatur, Spiritu ſancto, & quidem præ omnibus conſortibus ſuis ungeretur, hoc eſt, Sanctus ſanctorum fieret, & non tantum aliquibus Spiritus ſancti donis, ſed ipſo toto Spiritu citra menſuram donaretur. Cæterum quum ſervator dicatur per unctionem, inde adparet illum nobis hîc conſiderandum eſſe ut ſervatorem mediatorium, qui ſit conſtitutus à Deo Patre & ipſi ſubordinatus, ideoque nobis non modo ſecundum naturam humanitatis, de qua antea, ſed & ſecundum modum ſalvandi propior quod plurimum facit nobis in fide & ſpe contra tentationes confirmandis. *Eſa 11. 20. Pſal. 45. 8. Ioh. 3. 34. & 1. 14.*

IV. Ad ſalvationem nomine Ieſu ſignificatam duo diſtincti & ſubordinati actus pertinent; tum neceſſariò ad illam requiſiti, tum ſufficienter illius integram vim complexi. Vnus eſt, redemptionis à peccato & morte æterna, juſtitiæque & vitæ impetratio & acquiſitio. Alter eſt acquiſitæ ſalutis communicatio ſeu diſtributio. Secundum priorem actum dicitur Chriſtus ſalvator noſter merito: ſecundum poſteriorem efficacia. Secundum illum eſt mediator pro hominibus conſtitutus in ijs quæ apud Deum peragenda ſunt: ſecundum hunc eſt mediator vicem Dei gerens in ijs quæ apud homines peragenda ſunt: unde apparet duo officia ad ſalvandum eſſe neceſſaria, Sacerdotale & Regium, illud ſalutis acquiſitioni, hoc communicationi deſtinatum: qua de cauſa Salvator ille & Sacerdos Regius eſt & Rex ſacerdotalis, Melchiſedech nempe, Rex Salem & Sacerdos altiſſimi: ſicut & populus ejus, Sacerdotium Regale, & Regnum Sacerdotale. *Heb. 5. 1. Heb. 7. 2. 2. Pet. 2. 5. 9.*

V. Quia vero Deo ſapienti & juſto viſum eſt non ſalvare niſi credentes, neque ſane fas ſit quemquam ſalutis Sacerdotio Chriſti partæ & Regio munere diſpenſatæ participem fieri, niſi qui illum pro Sacerdote ſuo & Rege agnoſcit, & agnitio Chriſti, fideſque in illum per verbi prædicationem tanquam ordinatum à Deo medium cordibus hominum ingeneretur vi Spiritus ſancti; hinc etiam munus Propheticum ad ſalvandum eſt neceſſarium, & oportet perfectum Salvatorem, Prophetam, Sacerdotem & Regem eſſe, hoc eſt omni ratione ſecundum quam cuipiam meritò illud amplum nomen tribui poſſit. Habemus itaq; Ieſum hoc eſt Salvatorem, excellentiſſima & perfectiſſima notione Chriſtum, appellatum, quia unctus ſit à Deo in Prophetam, Sacerdotem *Mat. 17. 5. Pſa. 110. 4. Pſalm. 2. 6. Ioh. 18. 37.*

& Regem. De quibus ſingulis officijs quatuor ordine erunt pertractanda. 1. Quod omnia iſta & ſingula munia Chriſto noſtro competant. 2. Qualitas munerum iſtorum. 3. Functiones ad ſingula pertinentes. 4. Eventus.

Deut. 18. 15. VI. Meſſiam Patribus in V. T. promiſſum Prophetam futurum, dixit Moſes. Prophetam vobis ſuſcitabit Dominus. Et Eſaias. Dabo te in fœdus populi, & in lucem Gentium, ut aperias oculos cæcorum. *Eſa 42. 6.* *Eſ. 49. 1. 2.* Et, Iehova ab utero vocavit me, poſuit os meum tanquam gladium acutum, prędicta etiam fuit vocationis illius ad munus propheticum obſignatio per unctionem. Spiritus *Eſai. 61. 1.* *Pſ. 11. 1. 2.* Domini ſuper me, eo quod Iehova unxit me, Item inſtructio vocati & obſignati per dona neceſſaria. Requieſcet ſuper eum Spiritus intelligentiæ, & ſapientiæ: denique & aſſiſtentia divina promiſſa. In umbra manus ſuæ abſcondit me, in pharetra ſua abdidit. Atque hæc quidem res publice nota fuit, non modo Iudæis, ſed & Samaritanis, ut patet ex muliere dicente. Quum Meſſias venerit, ille nobis annuntiabit omnia. Ipſe autem Ieſus noſter teſtatur prędictiones illas in ſe impletas eſſe, ſeque à Deo prophetam in mundum miſſum eſſe: ſic inquiens lecto loco *Luc. 4.* ex Eſaia: Hodie impleta eſt Scriptura hæc, audientibus vobis. *Ioan. 18. 37.* Et ego ad hoc natus ſum, & veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam *Mat. 3. 16.* veritati: teſtatus eſt & ipſe Deus de cœlo quum illi à Iohanne jamjam baptizato cœlos aperuit, Spiritum ſanctum ſuper illum dimiſit, eumque voce commendatitia velut inauguravit.

VII. In Prophetici muneris qualitate conſideranda venit excellentia, tum vocationis, inſtructionis, & aſſiſtentiæ divinæ, tum doctrinæ ab ipſo propoſitæ, ſecundum quæ omnem longè excedit omnium prophetarum dignitatem. *Luc. 4.* Miſſio enim illius triplici peculiari ſigno à Deo comprobata eſt, cœli apertione, Spiritus ſancti in corporea ſpecie ſuper illum demiſſione, & voce ipſa Patris ad illum delata. *Num. 12.* Inſtructio qua didicit quæ docere debuit, non fuit per ſomnia, non per viſiones, non per internum vel externum Angeli alloquium neq; per communicationem ore ad os, quæ tamen ipſa viſione gloriæ & faciei Dei fuit deſtituta; *Ioan. 1. 18.* ſed per claram Dei viſionem, & intimum intuitum ſecretorũ Patris. *Ioan. 3. 32.* Filius enim qui in ſinu Patris eſt, ipſe annuntiavit nobis, & quæ audivit & vidit loquitur, ipſe in cœlo exiſtens. Aſſiſtentia Spiritus, tam illi fuit prompta, & ad quævis momenta præſto, ut ipſe velut poſſeſſione & uſu Dominus, pro arbitrio Spiritu uſus ſit, quotieſcunque ipſi viſum fuit. Doctrinæ vero excellentia in *Rom. 4. 4.* eo ſita eſt, quod non legem, neque *Col. 2. 14.* quâ ut potentia ad ſalutem operanti *Gal. 3. 17. 18. 19.* idque ex debito, neque quâ peccati *Eſaiæ 61. 1.* eſt & condemnationis ſignaculum: *Mat. 11. 5.* non ἐπαγγελίαν quo juſtitia & ſalus *Rom. 10. 4.* credenti promiſſa eſt ex gratia, ſed *Rom. 1. 1. 2.* Euangelium annuntiavit, juxta id: Ad Euangelizandum pauperibus miſit me quod gratiam & veritatem exhibuit, ut continens finem legis & promiſſionis complementum.

VIII. Functiones ad Propheticum Chriſti munus pertinentes ſunt, doctrinæ propoſitio, ejuſdem confirmatio, & pro felici ſucceſſu precatio; quas omnes Chriſtus obivit, potentiſſimè & fideliſſimè. 1. doctri-

nam

nam propoſuit maxima ſapientia, cui reſiſtere non potuerunt adverſarij, ardentiſſimo zelo erga gloriam Dei patris ſui & ſalutem hominum, citra reſpectum perſonarum, & inuſitata alijs doctoribus etiam ipſis Prophetis authoritate. 2. doctrinæ addita eſt ſua confirmatio, non modo per Scripturas V. Teſtamenti, ſed etiam per omnis generis ſigna, quibus doctrinę alicujus divinitas adſtrui poteſt. 1. per ſcientiæ, quæ Deo propria eſt, declarationem, qualis eſt cordium inſpectio, aliorumque arcanorum revelatio, & futurorum prædictio. 2. per potentiam ſoli Deo competentem, quæ monſtrata eſt in ſignis, prodigijs & virtutibus. 3. per ſummam tolerantiam, qua & mortem crucis volens ſubivit pro veritate Dei, ut confirmaret promiſſiones Patrum, teſtatus apud Pontium Pilatum veram profeſſionem. denique & preces adhibuit frequentiſſimas & ardentiſſimas, cum gratiarum actione devotiſſima. quâ causâ ſæpe in loca ſolitaria conceſſit, ubi noctes integras precando conſumſit.

IX. Eventus Prophetici muneris Chriſti, quatenus illud in propria perſona quum in terris verſaretur, obivit, fuit tum paucorum inſtructio, tum à plurimis etiam primoribus facta rejectio: ille eventus eſt ſecundum ipſius doctrinæ naturam & meritum; iſte per accidens & malitia hominum utriusq; mentionem facit ipſe apud Eſaiam, non ſine querela dicens. Ecce ego & pueri quos dedit mihi Iehova, in ſigna & potentia in Iſraël à Iehova exercituum. Et, in vanum laboravi, inaniter & vane fortitudinem meam conſumpſi. Quia autem repulſa illa fieri non potuit ſine infirmorum ſcandalo, huic Deo occurrere viſum eſt ſapientiſſimè & potentiſſimè, tum per propheriam, quæ hanc ipſam futuram prænuntiavit, inquiens: Lapis, quem reprobaverunt ædificantes, factus eſt in caput anguli; tum per prædictionis complementum quod factum eſt per reſuſcitationem Chriſti ex mortuis & ad dexteram Dei collocationē: qua Chriſtus caput & fundamentum factus eſt anguli, qui duos muros, Iudæorum ſcilicet & Gentilium conjunxit, juxta id Prophetæ Eſaię; Leve eſt ut ſis mihi ſervus, ad ſuſcitandas tribus Iacob, etiam dedi te in lucem Gentium, quo ſignificatur fructus prophetiæ Chriſti per legatos ipſius adminiſtratæ.

Eſ. 8. 18. *Eſa. 49. 4.* *Pſalm. 118.* *Eſa. 49. 6.*

X. In Sacerdotali munere Chriſti eadem veniunt conſideranda. Primum eſt: Meſſiam olim promiſſum fore Sacerdotem: Ieſumq; Nazarenum eſſe Sacerdotem. Illud probatur. 1. Expreſſis Vet. Teſtamenti ſcripturis, & nomen Sacerdotis & rem nomine ſignificatam Meſſiæ tribuentibus Nomen, tu es Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Rem ipſam, Vere languores noſtros ipſe tulit, vulneratus eſt propter prævaricationes noſtras. Iehova conjecit in illum iniquitates omnium noſtrûm. Quum poſuerit ſacrificium pro delicto anima ejus videbit ſemen, ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus oravit. 2. argumentis: tum ex collatione dignitatis perſonæ & ſacerdotij. Eſt enim, Meſſias Filius Dei primogenitus, & præcipua Sacerdotij dignitas & præfectus domui Patris: propterea pertinet ad illum Sacerdotij excellentia in domo Dei, quæ cœlum eſt, adminiſtrandi; id enim templo

Pſal. 110. 4. *Eſ. 53. 4. 5. 6 10. 11. 12.* *Rom. 4. 15.* *Pſal 2. 7. & 89. 28.* *Gen. 49. 3.* *Heb. 3. 6. & 10. 21.* *Heb. 9. 24.*

Sacerdotij loco propriè eſt figuratum, præcipuè intima ejus parte quæ Sanctum ſanctorum vocatur. Tum ex natura populi, cui præpoſitus eſt Meſſias, deductis: qui populus eſt
Exod. 19. 6. Regnum Sacerdotale, & Regale Sa-
1. Pet. 2. 9. cerdotium, Ieſum vero Nazarenum
Heb. 5. eſſe Sacerdotem, pro axiomate ha-
Heb. 2. & 5. bet fides Chriſtiana, ex Novo Te-
Heb. 2. 10. ſtamento apertiſſimis ſcriptis: ubi &
Heb. 2. 18.
Pſal. 40 7. titulus & omnia ad munus Sacerdo-
Heb 10. 1. tale pertinentia ipſi tribuuntur. Pa-
& 8 3. ter enim honorem illum ei contulit,
Rom. 8 34. ſanctificavit eum & conſecravit, & quidem per paſſiones, ut fidelis & miſericors eſſet pontifex, & compati poſſet ijs qui tentantur; aures illi perfodit, ſeu corpus ei aptavit, ut haberet quod offerret, & ex mortuis reſuſcitatum in cœlis ad dexteram ſuam collocavit; ut perpetuò illic, pro nobis intercederet.

Pſal. 110. 4. XI. De natura vero & propria
Heb. 1. 5 6. Sacerdoti Meſſiæ qualitate loquitur
Pſal. 40. 7. 8. Scriptura V. Teſtamenti: non eſſe
Heb. 10. 6. illud ſecundum ordinem Levi. Sic
7. 8. 9. 10. enim David in perſona Meſſiæ. Sacrificium & oblationem noluiſti, aures perfodiſti mihi; holocauſtum & ſacrificium pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi, ecce venio, in volumine libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam Deus mi. Volui; & lex tua in medio viſcerum meorum. Noluiſti, ſcilicet, ſacrificia quæ ſecundum legem ritu
Pſa. 110. 4. Levitico offeruntur. Eſſe autem ſecundum ordinem Melchiſedech: Tota autem natura Sacerdotij iſtius diſtinctius explicatur in Nov. Teſt. præſertim in epiſtola ad Hebræos,
Heb. 10. 5. præſtructa primum Sacerdotij Meſſiæ excellentia ſupra Leviticum. idque per diſſimilem collationem utriuſque. 1. Sacerdotium Leviticum erat typicum & umbratile; Meſſiæ vero eſt reale & verum, & corpus ipſum rerumque expreſſam imaginem continens. 2. In Sacerdotio Levitico, Sacerdos & victima ſubjecto
differebant. Leviticus enim Sacerdos *Heb. 9. 14.*
alienas hoſtias offerebat. Meſſias ve- *Heb. 9. 12.*
ro & Sacerdos eſt & victima, nam *Heb 10. 14. & 9 26.*
ſeipſum obtulit, & per proprium *Eph. 5. 30.*
ſanguinem ingreſſus eſt in cœlum & hoc quidem qua eſt Sacerdotium expiatorium: quâ vero eſt Euchariſticum (totam enim ſacerdotij amplitudinem continet) offert quidem Meſſias hoſtias, ab ipſo ſecundum perſonam diſtinctas, attamen tales, quę caro ſunt à carne ejus, & os de oſſibus ejus, ex Spiritu ipſius deſuper
renatæ. 3. Differunt modo in in- *1. Pet. 2. 5.*
ſtitutionis & confirmationis. Leviticum inſtitutum eſt per Legem
mandati carnalis. Meſſias vero ſe- *Heb. 7. 16.*
cundum Legem ſpiritualis mandati, & vim indiſſolubilis vitæ: illud ſine juramento inſtitutum eſt, hoc per juramentum, quo corroboratum eſt
præ illo. 4. differentia eſt in tempo- *Heb. 7. 20. 21.*
re inſtitutionis, illud prius inſtitu-
tum eſt, hoc poſterius, illud tempo- *Heb. 7. 28.*
ribus Veteris, hoc N. Teſtamenti, illud cum Eccleſia eſſet infans, hoc quum eſſet adulta, illud tempore ſervitutis, hoc libertatis.

XII. Quintum diſcrimen eſt in *Heb. 7. 28.*
perſonis Sacerdotio fungentibus. il- *Heb. 5. 3.*
lic erant Sacerdotes ex tribu Leviti- *Heb. 7. 14.*
ca, homines infirmi, mortales, pec- *Heb. 5. 7.*
catores, & propterea pro ſe & ſuis peccatis offerre neceſſe habentes: Meſſias vero eſt ex tribu Iuda, infirmus quidem in diebus carnis ſuæ, at ex mortuis excitatus immortalis, &
indiſſolubili vita præditus: inno- *Heb. 7. 26. 27.*
cens, pius, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, qui propterea non neceſſe

neceſſe haberet pro ſeipſo offerre. 6. differentiam licet notare in fine inſtitutionis. Leviticum inſtitutum eſt veteri fœderi ſanciendo, Meſſiæ vero ſacerdotium confirmando novo: Vnde & Novi Teſtamenti mediator, & melioris fœderis ſponſor dicitur, quod melioribus promiſſis ſancitum eſt. 7. differunt efficacitate. Nam Leviticum eſt inutile & ineſficax, non potens auferre peccata, manebant enim ſub veteri fœdere, non ſanctificare aut conſummare cultores in conſcientia, ſanctificat enim tantum ad carnis puritatem. At Meſſiæ Sacerdotium efficax eſt: abolevit peccatum, æternam redemtionem obtinuit, conſecrat Sacerdotes, & ſanctificat in conſcientia cultores, & qui per Meſſiam accedunt ad Deum ſalvos facit. 8. differentiam ponimus cum Apoſtolo in duratione: Leviticum abrogari debuit, & abrogatum eſt, Meſſiæ vero durat in æternum, cujus differentiæ tot habemus cauſas, quot antea indicavimus differentias.

Heb. 9. 15. Heb. 8. 6. Heb. 10. 11. Heb. 9. 9. 10 Heb. 9. 12. Heb. 9. 14. Heb. 8. 13.

XIII. Nona qualitas Sacerdotij Meſſiæ diſtincta à Levitico Sacerdotio eſt, quod Meſſias ſemel in fine ſeculorum ſeipſum obtulit & unica hoſtia conſecravit in perpetuum qui ſanctificantur. Levitici vero Sacerdotes per ſingulos dies, menſes, annos, eaſdem hoſtias iterato offerebant. 10. Proprietas Sacerdotij Meſſiæ eſt ejus naturæ, ut de uno ad alium non tranſeat. Meſſias enim neque ſucceſsit alteri, neque ſucceſſorem habuit poſt ſe ullum. Quum Leviticum Sacerdotium de Patre in Filium tranſierit. Cui jungimus undecimam differentiam, quod Meſſias fuerit unicus ſui ordinis, Melchiſedech enim typus illius fuit, aſsimulatus illi, at nullo modo æquiparatus; Levitici vero plures facti ſunt Sacerdotes, eo quod mors prohiberet eos manere: interque eos majoris, minoris, paris dignitatis nonnulli. 12. & ultimam diſtinctionem ex loco deducimus, ubi utrumque adminiſtrabatur. Leviticum enim in terra, & certo quidem loco illi propriè aſsignato eſt adminiſtratum, meſsiæ vero quanquam in terra cœperit, in cœlo tamen eſt conſummatum.

Heb. 10. 12. & 14. Heb. 7. 27. & 9. 25. Heb. 7. 24. 25. Heb. 7. 3. Heb. 7. 3. Heb. 7. 23. Heb. 9. 24.

XIV. Actiones ad Sacerdotale Chriſti munus pertinentes ſunt oblatio, & interceſsio. Iuxta illa loca omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, ut offerat dona & hoſtias pro peccato, & ſemper vivens ut intercedat pro nobis. Oblationis duo nobis diſcribuntur actus, unus qui in terra perractus eſt, traditio corporis ſui in mortem, & ſanguinis effuſio: quo actu & conſecratus eſt ſeu conſummatus, & cœlum ſibi apperuit, nam debuit intrare in cœlum per proprium ſanguinem, & per velum quod eſt caro ipſius; & caro quidem ſanguine, id eſt vita ſua deſtituta, & in mortem pro mundi vita data, quamquam inde in vitam reſuſcitata. Alter eſt præſentatio ſui ipſius ſic ſanguine proprio adſperſi coram vultu Patris in cœlo: ejuſdemque ſanguinis oblatio: cui adjungenda eſt iſtius ſanguinis adſperſio ſuper conſcientijs fidelium, ut mundatæ ab operibus mortuis ſerviant Deo vivo. Interceſsio eſt ſecundus actus Sacerdotij Meſsiæ, quæ & precationem Chriſti pro nobis continet & ſimul defenſionem ſeu patrocinium noſtrum adverſus accuſationem, quę nobis ab adverſario intentatur: cujus inter-

Heb. 5. 1. Heb. 7. 25. Heb. 9. 12. & 10. 29. 10 Ioan. 6. Heb 9. 14. 25 26. Heb. 10. 12. Heb. 7. 25. Rom 8. 34. 1. Ioh. 2. 1. 2.

interceſsionis vis, quia in ſanguine ex parte ſita eſt, quo & ipſe Chriſtus & noſtræ conſcientiæ adſperſæ *Heb. 12.24.* ſunt, dicitur ſanguis Chriſti meliora loqui quam ſanguis Abel, qui vindictam clamat apud Deum adverſus fratricidam.

XV. Quartum eſt de apoteleſmatis. Officium autem Sacerdotale ad generale ſalvandi apoteleſma con- *Heb. 2.10. & 5.9. 10.* currere apparet ex eo, quod Chriſtus dicitur per conſecrationem quæ *Heb. 7. 24. 25.* per paſsiones facta eſt, author ſalutis factus, cognominatus Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech. Item, Chriſtus propterea quod in æternum manet perpetuum habet Sacerdotium, unde & ſervare prorſus poteſt qui per ipſum accedunt ad Deum. Particularia autem apoteleſmata ex functionibus Sacerdotalibus provenientia juxta duplicem actum oblationis & interceſſionis *2. Cor. 5. 19.* diſtinctè conſiderata, hæc ſunt po- *Heb 9. 12.* tiſſimùm. Oblationis, Reconcilia- *Rom. 3. 24. 25.* tio noſtri cum Deo Patre, remiſſio- *Zach. 1. 31.* nis peccatorum, æternæ Redem- *Gal. 3. 13.* ptionis & Spiritus gratię impetratio, *Dan. 9 24.* venæ patentis ad expiationem pec- *Act. 20. 28.* cati, ad adſperſionem apertio, ma- *Phil. 2. 6. 7. 8. 9 10.* ledictionis ablatio, juſtitiæ ſeculo- *Rom. 5. 9.* rum & vitæ æternæ, quin & Eccle- *2. Pet. 2 9.* ſiæ, cui iſta omnia bona communi- *Rom 8 34.* centur, ſummæque ſuper omnia in *1. Tim. 2. 6.* *Matt. 20. 28* cœlo & in terra poteſtatis acquiſitio: & ut verbo dicam, totius juris in vitam æternam, & quæcunque ad illam tum dandam, tum accipiendam ſunt neceſſaria, adeptio. Interceſſio obtinet, ut reconciliati ab ira futura ſerventur: preces gratiarum actiones atque adeò totum cultum rationalem quem juſtificati Deo præſtant, offert Deo fragranti odore ſacrificij ſui perfuſum, & accuſationis quam Satan fidelibus intentat, jacula excipit & amolitur. Et hæc quidem omnia bona ex Sacerdotali Chriſti functione proveniunt, quia verum pretium redemptionis Deo pro nobis obtulit, quo ipſius juſtitię ſatisfecit, & medium ſe inter Patrem, ob peccata noſtra merito iratum, & nos interpoſuit, & placatum nobis reddidit. Eventus vero per ac- *Heb. 10. 29.* cidens eſt, ex conculcato Filio Dei & ſanguine fœderis profanato, major contaminatio & acerbioris ſupplicij meritum.

XVI. Neque vero merito & ſatisfactioni Chriſti, quæ illi tanquam *Joh. 3. 16.* Sacerdoti, & victimæ conveniunt, *Rom. 4. 25.* repugnat, quod Deus ipſe dicitur *2. Cor. 5. 19.* mundum dilexiſſe & Filium ſuum *Luc. 1 68.* *Rom. 3. 24.* dediſſe, in mortem tradidiſſe, mundum ſibi in Chriſto reconciliaſſe, noſque redemiſſe, & peccata gratis remittere. Nam duplex in Deo conſiderandus eſt amoris affectus, unus erga creaturam, alter erga juſtitiam, qui habet junctum odium adverſus peccatum. Vtrique iſti amori voluit Deus ſatisfacere. Amori erga creaturam & peccatricem ſatisfecit, quum Filium dedit, qui mediatoris partes perageret: amori verò erga juſtitiam & odio adverſus peccatum ſatisfecit, quum Filio impoſuit mediatoris munus per ſanguinis ſui ef- *Heb 2. 10. & 5. 8. 9.* fuſionem & mortem obeundum: *Heb. 9. 22.* cumque admittere noluit interceſſorem pro peccatoribus niſi proprio ſanguine adſperſum, in quo expiatio peccatorum fieret. Rurſus ſatisfacit amori erga creaturam quum peccata remittit, & gratis remittit, quia & amore erga creaturam remittit: quamquam impoſita Filio plaga, in qua pax noſtra fuit, amori ſuo erga juſtitiam jam ſatisfecerat. Nam illa

plaga non eſt effectus, ut Deus crea-
turam ſuam amaret, ſed ut non ob-
ſtante amore erga juſtitiam, ex amo-
re erga creaturam peccata remitteret,
& vitam æternam largiretur. Quo
reſpectu etiam rectè dici poteſt,
Deum ſibi ipſi ſatisfeciſſe, & ſeip-
ſum placaſſe in Filio dilectionis
ſuæ.

XVII. Reſtat regium munus.
In quo primo conſiderandum Meſ-
ſiam ſecundum promiſſionem Re-
gem fore, & Ieſum Nazarenum
Ier. 23.5. Regem eſſe. Suſcitabo Davidi ger-
Ez. 37.24. men juſtum, & regnabit Rex. Et,
Servus meus David erit Rex ſuper
illos. Unctione autem conſtitutus
Pſalm. 2.6. eſt Rex. Ego unxi Regem meum ſu-
per montem Sion meum, unde &
nomen Meſſiæ illi propria quadam
ratione competit. Neque Regem
Pſal. 45.8. tantum fore, ſed & inter Reges exi-
Pſal 89.28. mium. Oleo lætitiæ unxit te Deus
Pſal. 2.12. tuus, præ conſortibus tuis. Primo-
Pſal. 72.11. Pſal. 72.1. genitum Regibus ponā eum, excel-
Pſal. 110.2. ſum regibus terræ. Imo & Regum
Pſalm. 2.9 omnium dominum. Et nunc Reges
Eſai 11.2. Pſal. 89.22. & judices terræ oſculemini Filium.
Mat. 2.36. Incurvabunt ſe ei omnes Reges. In-
Ap. 17.14. Mat. 28.18 ſtruendum etiam omnibus ad regni
Joh 17.3. adminiſtrationem neceſſarijs. Deus
Act. 2.35. judicia tua Regi da. Virgam forti-
Heb. 1.6.14. 1. Cor. 15.25. tudinis tuæ emittet Iehova è Sion.
Pſal. 110.1. Conteres eos virga ferrea. Spiritus
Iehovæ requieſcet ſuper illum. Et
Deum perpetuò illi adſtiturum. Ma-
nus mea cum eo firma erit, etiam
brachium meum roborabit illum.
Ieſum vero Nazarenum fecit Deus
Dominum & Chriſtum Regem re-
gum, & Dominum dominantium,
poteſtate illi data in cœlo & in terra,
& authoritate in omnem carnem, ut
omne genu ſe illi flectat. Inſtruxit
etiam illum verbo & Spiritu, tan-
quam medijs ad regnum admini-
ſtrandum neceſſarijs. Et angelos illi
miniſtros dedit ad exſequendum
mandata ejus. Perpetuo etiam illi
adſiſtit, utpote in dextera ejus collo-
cato, uſque dum ponit inimicos ejus
ſcabellum pedum ipſius.

XVIII. De qualitate Regni
Meſſiæ verbo dicimus, id ſpirituale
eſſe, non hujus ſed futuri mundi,
non terrenum ſed cœleſte. Tale e-
nim prædictum eſt fore Regnum
Meſſiæ. Tale etiam eſſe dicimus
Regnum Ieſu Nazareni. Primum *Ez. 37.25.*
probamus. 1. Quia David & Salo- *2. Sam. 7.*
mon regnumque utriuſque typi fue- *12. &c.*
runt Meſſiæ & Regni ejus. Nam *Pſa. 72.12. &c.*
Meſſias David appellatur, & quæ de *Pſalm. 12.*
Salomone dicta ſunt, in Meſſiam *Pſa. 10.12. Eſ. 55.10.*
competunt, juſtius omnia, quæ ex- *Pſa. 110.4.*
cella ſunt, & nonnulla in ſolum. At *Pſa. 50.6.7. 8 9.*
terrena & carnalia ſunt typi rerum
ſpiritualium & cœleſtium, non ſibi *Exod 19.6.*
homogenearum. 2. De Meſſia præ- *Ier. 31.31. 32.33.34.*
dictum eſt, quod ſit moriturus & re- *Eſa. 60.3. 4. &c.*
ſurrecturus & ſic viſurus ſemen, at *Pſa. 87.10. 11.*
reſurrecturus in vitam ſpiritualem.
Ergo Rex futurus ſpiritualis, itaque *Pſa 110.3.*
& Regnum ejus ſpirituale. Meſſię
Sacerdotium prædictum eſt fore
ſpirituale, & verum non typicum.
Ergo & Regnum tale erit, inter quæ
eſt mutua analogia. Iuxta id, vos
eſtis Regnum Sacerdotale. 4. Quia
lex Moſis fuit abroganda, utpote
carnalis at ſecundum illam admini-
ſtratum Sacerdotium & Regnum
Iſraëlis. Ergo Meſſiæ Regnum de-
bet ſecundum aliam legem admini-
ſtrari, eamque excellentiorem, ideo-
que Spiritualem. At qualis lex talis
Rex & Regnum. 5. Quia gentes
fuerunt vocandæ ad participatio-
nem Regni Meſſiæ, & totæ acceſſu-
ræ una cum Regibus ſuis, qui &

manſuri ſunt Reges, & tamen voluntarie Meſſiæ ſervituri, deque eo gloriaturi & beatitatem ſuam in eo collocaturi. Quod fieri nequit niſi Meſsiæ Regnum ſit ſpirituale. 6. Quia Iudæi fuerunt rejiciendi propter rebellionem, & à Meſsia nolente illos habere pro populo, nulloque ipſius Meſsiæ, ſed ipſorum tantum Iudæorum malo. Quod eſt indicium Regis & Regni ſpiritualis. 7. Concludi id ipſum poteſt ex Regni Meſsiæ excellentia, amplitudine, duratione, adminiſtrationis modo. Ieſu vero Nazareni Regnum eſſe ſpirituale & cœleſte dixit ipſe. Credite, appropinquavit enim Regnum cœlorum Et Regnum meum non eſt de hoc mundo. Quod porro monſtrari poteſt in omnibus quæ ad Regnum illud pertinent. Rex enim non amplius ſecundum carnem noſcitur. Spiritualis enim factus eſt, per reſurrectionem, & Dominus de cœlo. Subditi illius ſunt, qui de Spiritu illius renati jam ſunt ſecundum animam, aliquando etiam corpore ſpirituales futuri, illi confirmandi. Lex Regni eſt ſpiritualis. Euangelium Dei ſcilicet, & præſcriptio rationalis & ſpiritualis cultus. Bona etiam ſpiritualia, remiſsio peccatorum, Spiritus gratiæ & vita æterna. Modus etiam adminiſtrandi, & media omnia ſpiritualia. Quamquam enim illi etiam omnia temporalia ſint ſubdita, illa tamen adminiſtrat prout novit ſpirituali & ſupernaturali vitæ conducere.

Mal. 1. 10. Eſa. 65. 2. 3. &c. *Mat. 4. 17. Ioan. 18. 36.* *Rom. 8. 2. Cor. 15.* *Rom. 12. 8. Ioan. 4.*

XIX. Actiones ad Regium Chriſti munus pertinentes, vocatione & judicio generatim comprænenduntur, quas ſi paulo diſtinctius conſiderare libeat, quadripartitas ponere licet. ut 1. ſit Vocatio. 2. Legiſlatio. 3. Bonorum communicatio, & malorum amotio. 4. Iudicium poſtremum & univerſale. Vocatio eſt prima functio qua Chriſtus Rex vocat homines ex ſtatu vitæ animalis & peccati ad participationem gratioſi fœderis quod ſanguine ſuo confirmavit. Non enim invenit ſubditos in rerum natura, ſed quemadmodum illos ſibi acquirere debuit per Sacerdotium, ita & per verbum ſuum, debet illos ad ſe vocare, & ſpiritu ſuo adducere tanquam Rex. Vocatio illa habet duas partes, præſcriptum reſipiſcentiæ & fidei: & additam promiſsionem, cui ſua etiam eſt ſubnexa comminatio. Legiſlatio quam diſtincte conſideramus, eſt altera functio Regij muneris Chriſti qua jam vocatis & ad participationem gratioſi fœderis adductus, ſubditiſque ſuis jam factis, præſcribit porrò, piè, juſtè & ſobrie vivendi regulam, etiam additis promiſsis & minis; cui addenda eſt Spiritus S. actio, qua idonei redduntur ad officium faciendum. Tertia actio eſt bonorum ſive ad hanc animalem, ſive ad ſpiritualem vitam ſint neceſſaria vel conducibilia, communicatio, & malorum oppoſitorum averruncatio, non ex ſtricto judicio, ſed ſecundum certam diſpenſationem hujus vitæ tempori convenientem: juxta quam & ſuper malos æque atque ſuper bonos pluit, & judicium Dei ſæpe ab ipſa ejus domo incipit. Quarta & ultima eſt judicium illud ultimum & univerſale, quo Chriſtus tanquam judex univerſorum à Deo conſtitutus ſententam juſtificationis electis ſuis pronuntiaturus, eoſque vita æterna donaturus eſt, adverſus reprobos verò ſententia con-

Eſ. 63. 10. Pſa. 110. 1. 2. 3. Epheſ. 3. 17. Marc. 1. 14. 15. Matt. 28. 19. 20. Tit. 3. 8. *Matt. 5. 45. 1. Pet. 4. 17. Matth. 25.*

condemnationis prolata eos æternis pœnis afficiet.

XX. Hiſce functionibus facile eſt ſua apoteleſmata, quæ ex ipſis functionibus ſecundum naturam ipſarum exiſtunt, ſubjungere, & ſimul eventus ex malitia hominum Chriſtum Regem repudiantium provenientes. Inter illa ſunt ipſa reſipiſcentia & fides, adeoque ipſa Eccleſia, ejuſque ad Chriſtum caput aſſociatio. Obedientia mandatis Chriſti præſtita, & benedictionum in ſpatia hujus vitæ incurrentium participatio, & à malis immunitas; denique vita æterna. Inter hoſce ſunt excæcatio, obduratio, in reprobum ſenſum, inque poteſtatem Satanæ traditio, peccati imputatio, morſus conſcientiæ in hac vita, & multorum malorum ſenſus, denique ipſa mors æterna. Quæ omnia Chriſtus ut omniſcius, omnipotens, & inflexibilis judex, boni ſcilicet amator, & peccati oſor infert, cujus oculos latere non poſſumus, potentiam effugere nequimus, rigorem flectere non valemus. Quæ ut nobis ſerviant ad filialem & ſerium Dei Chriſtique judicis timorem ingenerandum, faxit Deus per Filium ſuum Ieſum Chriſtum in vi & efficacia Spiritus ſancti. Amen.

THESIS DECIMAQVINTA,

DE

Divina Prædeſtinatione.

Reſp. WILHELMO BASTINGIO.

I.

DEcretum hoc Prędeſtinationem vocamus. Græcè προορισμὸν à Verbo προορίζειν, quod ſignificat, determinare, conſtituere, decernere aliquid anteaquam illud agas. Secundum hanc generalem notionem Prædeſtinatio Deo tributa, erit Decretum ejus de omnium rerum gubernatione, quam Providentiam appellare ſolent Theologi. Minus generali notione conſiderari ſolet, quatenus in genere circa creaturas rationales ſervandas vel damnandas ſpectatur, puta Angelos & homines. Strictius de hominum prędeſtinatione ſumitur, & tunc etiam dupliciter uſurpari conſuevit: alias enim ad utroſque tum Electos, tum Reprobos accommodatur, aliâs ad ſolos electos reſtringitur, & tunc oppoſitam habet Reprobationem: Nos hoc poſtremo ſignificatu, quo illam ubique fere Scriptura uſurpat, de Prædeſtinatione agemus. *Act. 2. 28. Act. 17. 26. Rom. 8. 29.*

II. Prædeſtinatio itaque, ad rem quod attinet ipſam, eſt Decretum Beneplaciti Dei in Chriſto, quo apud ſe ab æterno ſtatuit fideles, quos fide donare decrevit, juſtificare, adoptare, & vita æterna donare ad laudem glorioſæ gratiæ ſuæ. *Epheſ. 1. Rom. 9.*

III. Genus Prædeſtinationis *Rom. 9. 11. Epheſ. 1, 11.*

Decretum ponimus, quod πρόθεσιν & βουλὴν τοῦ θελήματος θεοῦ Scriptura appellat, & Decretum non Legale, ſecundum quod dicitur, qui fecerit ea homo vivet in illis: ſed Euangelicum, cujus his eſt ſermo. [Rom. 10. 5.] Hæc eſt voluntas Dei ut omnis qui videt Filium & credit in illum habeat vitam æternam, [Ioh. 6. 40.] & propterea Decretum hoc eſt peremptorium & irrevocabile, [Rom. 11. 29. Act. 2. 27. Heb. 1. 1. & 2. 2. 3.] quia Euangelio continetur totius conſilij Dei de ſalute noſtra extrema patefactio.

IV. Cauſa eſt Deus ſecundùm beneplacitum ſeu benevolum affectum voluntatis ſuæ. [Ephes. 1. 5. Ier. 18. 6 Mat. 20. 15.] Et Deus quidem ut jus habens tum de hominibus creaturis ſuis & preſertim peccatoribus; tum de bonis ſuis ſtatuendi prout vult, ſecundum Beneplacitum voluntatis ſuæ, quo motus in ſe & apud ſe decretum illud fecit. Hoc beneplacitum non modo excludit omnem cauſam, quam ab homine ſumere potuit aut ſumere fingi potuit: [Rom. 11. 35.] verum etiam amolitur quicquid in homine vel ab homine erat, quod Deum juſtè permovere poterat, ne decretum illud gratioſum faceret.

V. Decreti illius Fundamentum ponimus Ieſum Chriſtum, Mediatorem Dei & hominum, [Ephes. 1. 4 Mat. 3. 17. Luc. 3. 11. 14. 2 Cor. 5. 19. & 21.] in quo Patri bene eſt complacitum, in quo Deus mundum ſibi reconciliavit, non imputans ipſis peccata illorum, quem Deus peccatum fecit, ut nos eſſemus Iuſtitia Dei in illo: per hunc debuit juſtitia ſeculorum adduci, [Dan. 9. 24. Gal. 4. 5. & 9. 6. Ioh. 6. 51.] adoptio acquiri, Spiritus gratiæ & fidei impetrari, vita æterna comparari, omniſque benedictionum ſpiritualium plenitudo præparari: quorum communicatio, prædeſtinatione erat decernenda. Hic etiam caput conſtitutus eſt à Deo omnium illorum, qui iſtorum bonorum communionem ſunt divina Prædeſtinatione accepturi. [Ephes. 1. 22. & cap. 5. 23. Heb. 5. 9.]

VI. Decreto iſti Æternitatem tribuimus, quia Deus nihil in tempore facit, quod ab æterno facere non decreverit. [Act. 15. 18.] Nota enim ſunt Domino Deo noſtro omnia opera ſua ab ævo, & elegit nos in Chriſto antequã jacerentur fundamenta mundi: [Ephes. 1. 4.] ſecus Deo mutatio impingitur.

VII. Objectum ſeu Materiam Prędeſtinationis duplicem ponimus: tum res divinas, tum perſonas, quibus illarum communicatio eſt hoc decreto prædeſtinata. [Ephes. 1. 4. Rom. 8. 24. 30.] Res illæ ab Apoſtolo generali vocabulo: Benedictionum ſpiritualium appellantur: quales ſunt in hâc vitâ Iuſtificatio. Adoptio in Filios, Spiritus gratiæ & adoptionis, denique poſt hanc vitam, vita æterna: [Ephes. 1. 5. Ioh. 1. 12. Gal. 4. 6. 7. Ioh. 3. 15. 16.] quæ omnia gratiæ & gloriæ nominibus comprætendi ſolent & enunciari in ſcholis Theologorum. Perſonas circumſcribimus voce fidelium, quæ peccatum præſupponit: [Mat. 9. 13. 11. 28.] nam in Chriſtum non credit niſi peccator, & qui ſe peccatorem agnoſcit. Inde benedictionum illarum plenitudo, earumque facta in Chriſto præparatio, nonniſi peccatoribus neceſſaria erat. [Rom. 9. 32. Gal. 2. 16. Matt. 11. 25 Matt. 13. 11 Ioh. 6. 44. Phil. 1. 9.] Fideles autem dicimus non qui tales propriis meritis aut viribus erant futuri, ſed qui Dei beneficio gratuito & peculiari in Chriſtum erant credituri.

VIII. Forma eſt ipſa bonorum iſtorum fidelibus decreta communicatio, fideliumque in mente Dei præexiſtens & prçordinata ad Chriſtum caput iſtorum relatio & ordinatio: [2. Tim. 1. 9. 10. Ioh. 1. 16. 17. Ioh. 17. 11. 12. 22. 23. 24.] cujus fructum percipiunt ex reali & actuali cum Chriſto capite

ſuo

Ephe. 4. 13. 13. ſuo unione, hic gratioſum per unionis inchoationem & provectionem, in futura vita glorioſum per unionis perfectam conſummationem.

Ephe. 1. 6. IX. Finis Prædeſtinationis eſt Laus glorioſæ gratiæ Dei, quum enim gratia ſeu gratuitus Dei Amor Rom. 11. 36. in Chriſto Prædeſtinationis cauſa ſit, æquum eſt ut illi eidem omnis iſtius actus gloria cedat.

Rom. 9. 6. 11. Rom. 11. 1. X. Hoc autem Prædeſtinationis Decretum eſt ſecundùm electionem, ut inquit Apoſtolus, quæ Electio cum neceſſariò inferat Reprobationem, hinc Prædeſtinationi contraria opponitur Reprobatio, Iud. 4. 1. Theſ. 5. 9. quæ etiam Abjectio dicitur, deſcriptio ad damnationem, & conſtitutio ad iram.

Ioh. 3. 18. Luc. 7. 30. Ioh. 12. 37. 38. & 39. 40. 2. Theſ. 2. 10. 11. Rom. 9. 22. XI. Illam autem ex lege contrariorum definimus Decretum iræ ſeu ſeveræ voluntatis Dei, quâ ab æterno ſtatuit infideles, qui culpa ſua & juſto Dei judicio credituri non ſunt, ut extra unionem Chriſti poſitos, condemnare ad mortem æternam, ad declarandam iram & potentiam ſuam.

Rom. 2. 11. XII. Quanquam fide in Ieſum Chriſtum peccatorum omnium remiſſio impetretur & peccata non Heb. 8. 14. Ioh. 9. 41. 2. Theſ. 1. 9. imputentur credentibus: tamen Reprobi non tantum infidelitatis, per cujus contrarium poterant evadere pœnam reliquis peccatis commeritam, ſed etiam peccatorum adverſus legem perpetratorum pœnam pendent exitij æterni à facie Domini & potente gloria ipſius.

Pſa. 115. 3. Pſal. 33. 9. 11. XIII. Vtrique huic decreto tum Prædeſtinationis tum reprobationis ſua ſubjungitur exequutio, cujus actus eo ordine peraguntur, quo in decreto ipſo & à decreto ſunt ordinati: objectaque tum decreti tum exſequutionis ſunt eadem prorſus uniformia, ſive eâdem ratione formali veſtita.

XIV. Hujus doctrinæ ita ex Scripturis traditæ magnus eſt uſus. Servit enim gloriæ gratiæ Dei adſtruendæ, afflictis conſcientijs ſolandis, impijs percellendis & ſecuritati illorum excutiendæ. Adſtruit autem Epheſ. 1. gratiam Dei, cum totam laudem Vocationis, Iuſtificationis, Adoptionis & Glorificationis noſtræ ſolius Dei miſericordiæ transſcribit, ademptam viribus, operibus & meritis noſtris. Rom. 8. 29. 30. Conſolatur conſcientias cum tentatione luctantes, quando Epheſ. 1. illas de gratioſa Dei in Chriſto ab Eſa. 54. 8. æterno ipſis decreta & in tempore 1. Cor. 1. 9. præſtita, æternumque duratura benevolentia certiores reddit, eamque non ex operibus, ſed ex vocante firmam oſtendit. Valet ad terrendos Rom. 9. 11. impios, quia docet irrevocabile eſſe Heb. 3. 17. 18. 19. decretum Dei de infidelibus, & qui veritati non obtemperant, obediunt 2. Theſ. 2. 11. autem mendacio, æterno exitio adjudicandis.

XV. Et propterea non modo intra privatos parietes & in ſcholis, ſed etiam in cœtibus ſanctorum in Eccleſia Dei ſonare debet hæc doctrina: hâc tamen cautione obſervatâ, ut extra Scripturas nihil de illa doceatur, modo Scripturis uſitato proponatur, & ad eundem finem, quem Scriptura illam tradens propoſitum habet, referatur, quod nos feciſſe cum bono Deo arbitramur, cui

Sit gloria in Eccleſia per Chriſtum Ieſum in omnes ætates ſeculi ſeculorum, Amen.

Eccleſiaſtici 3.

Potentia Dei magna eſt, ſed ab humilibus gloriam conſequitur: difficiliora quam quibus par ſis, inconſideratè ne quæras, & quæ tuas ſuperant vires ne ſtultè exquiras. Quæ tibi mandata ſunt à Deo ea ſanctè meditare: neque enim opus eſt tibi quæ ſunt arcana oculis cernere. Quæ non neceſſaria ſed ſupervacanea ſunt orationi tuæ, ea curioſè ne tracta. Nam plura, quam intellectus humanus capiat, demonſtrata ſunt tibi.

THESIS DECIMASEXTA
DE
Vocatione hominum ad ſalutem.

Reſp. IACOBO BONTEBAL.

I.

TItulus tria continet. Vocationem, Homines, Salutem. Vocationis vox actum notat totum & integrum omnibus ſuis ſive eſſentialibus ſive integralibus partibus conſtantem, quæcunque neceſſariæ ſunt ad hoc ut vocationi divinæ ab hominibus reſponderi poſſit. Homines conſiderari poſſunt duplici reſpectu; vel ut in ſtatu animalis vitæ poſiti citra peccatum; vel ut peccato obnoxij, quales hic conſideramus. Salus ſynecdochicè continet etiam quidquid ad ſalutem ſeu vitam æternam obtinendam neceſſarium eſt ex ordinatione Dei, præter vocationem ipſam quâ vocamur ad ſalutem.

Prov.1.24. Mat.11. 20.21. Mat.23.37. Gen.2.16.17 Mat.5.31. Luc.19.9. 2.Cor.6.2.

II. Vocationem difinimus, Gratioſam actionem Dei in Chriſto, qua homines peccatores, reos condemnationis & ſub dominio peccati conſtitutos ex animalis vitæ conditione & mundi hujus inquinamentis & corruptelis evocat per verbum & Spiritum ſuum ad Chriſti, regnique ipſius, & bonorum ejus communionem, ut cum illo tanquam capite ſuo uniti vitam, ſenſum, motum, omniſque ſpiritualis benedictionis plenitudinem ex ipſo percipiant ad Dei gloriam & ipſorum ſalutem.

2.Tim.1.9. Mat.11.28. 2.Tet.2.9. 10. Gal.1.4. 2. Pet.2.20 Rom.10.14. 15.16. 1.Pet.3.19. Geneſ.6.3. 1.Cor.1.9. Gal.2.20. Ephe.2.5.6. 2.Theſ.2. 13.14.

III. Cauſa efficiens hujus vocationis eſt Deus & Pater in Filio: qui filius & ipſe ut Mediator & rex Eccleſiæ à Patre conſtitutus vocat per Spiritum ſanctum, qua ille Spiritus Dei eſt datus Mediatori, & Spiritus Chriſti Regis & capitis Eccleſiæ, per quem Pater & filius operantur adhuc. Hæc autem vocatio ſic adminiſtratur per Spiritum, ut & ipſe Spiritus ſanctus effector vocationis ſit, nam ille conſtituit in Eccleſia Epiſcopos, mittit doctores, donis eos inſtruit, aſſiſtit illis, verboq; authoritatem & efficaciam conciliat & præſtat.

1.Theſ.2. 12. Ephe.2.17 & 4.11. 12. Apoc.3.20. Ioan 5.17. Heb.3.7. Act.13.2. Act.20.28 1.Cor.12.4. 7.9.11. Heb.2.4.

IV. Cauſa προηγουμένη eſt gratia, miſericordia & φιλανθρωπία ſalvatoris Dei, qua ille affectus eſt ad ſuccurrendum miſeriæ hominis peccatoris, illique fœlicitatem æternam impartiendi. Cauſa vero diſpoſitiva eſt ſapientia & juſtitia Dei, qua novit quomodo deceat vocationem iſtam adminiſtrari, & vult illam pro ut fas eſt diſpenſare, unde factum eſt decretum voluntatis de adminiſtratione & modo ejus.

2.Tim.1.9. 1.Cor.1. 17.18. 2 Tim.1.9. 2.Cor.5. 18.19. 20.

V. Cauſa προκαταρκτικὴ Deum extrinſecus movens eſt Ieſus Chriſtus per

2.Theſ.2. per obedientiam & interceſſionem
14. ſuam. Inſtrumentalis vero eſt ver-
bum Dei ſive prædicatione ſive ſcri-
ptione adminiſtratum ope a homi-
num: quod fit odrinarie, ſive citra
operam humanam, intus menti &
voluntati propoſitum à Deo imme-
diatè, quod eſt extraordinarium. Et
Matt.9.13. verbum quidem tum legis tum
Euangelij partitis operis ſibi ſubor-
dinatorum.

VI. Materia ſeu ſubjectum vo-
Tit.2.12. cationis ſunt homines in animali vi-
Epheſ.2.11. ta conſtituti, mundani, naturales,
12. animales, carnales, peccatores, alie-
Ephe.4.17. nati à vita Dei, mortui in peccatis;
18. & propterea indigni qui vocentur,
Ephe.5.14. & inepti ad reſpodendum vocationi
Ioan.5..9. niſi dignatione gratioſa Dei digni
Ioan.6.44. æſtimentur, & potenti ejus opera-
Mat.0.11. tione apti reddantur ad vocationi
12.13. obtemperandum.
Act.16.14

Rom.9.24. VII. Forma vocationis in ipſa
25.26. Verbi & Spiritus ſancti admini-
Rom.10.17. ſtratione ſita eſt, quam Deus ſic in-
18.19. ſtituit, ut ſe & juſtitiam ſuam miſe-
20.21. ricordiâ in Chriſto temperatam de-
Rom.11.25. cere novit; ſemper ſibi plenam libe-
29.30. ramque reſervans poteſtatem, non
32.33. omnes modos ſibi ſecundum ſapien-
Ez.3.6. tiæ & potentiæ theſauros ad conver-
Matth.11. ſionem hominum poſſibiles uſur-
21.23. pandi, & paribus imparem, impari-
bus verò parem gratiam præſtandi,
imò verò & pejoribus majorem ad-
hibendi.

VIII. In omni verò vocatione
1.Pet.2.9. terminus a quo & ad quem conſide-
2.Pet.1.4. randus venit. Terminus à quo vo-
Ephe.2.1.2 cantur divina vocatione homines,
3.4.5.6. eſt tum ſtatus vitæ animalis, tum
Rom.6.17. peccati & miſeriæ propter pecca-
18. tum; nempe ex reatu & condemna-
tione. Deinde ex ſervitute & do-
minio peccati. Terminus ad quem
eſt primo ſtatus gratiæ ſeu boni ſu- Ephe.1.3.4.
pernaturalis & omnis benedictionis Ioan.1.14.
ſpiritualis in hac vita communio in 16. Rom.8.28.
Chriſto, in quo plenitudo eſt gra- 29.30.
tiæ & veritatis; deinde ſtatus gloriæ
& conſummata ipſius Dei fruitio. Prov.1.24.

IX. Finis proximus vocationis Heb.3.7.
eſt ut vocati Deo & Chriſto vocan- Apoc.3.20.
ti per fidem reſpondeant, & ſic Dei Epheſ.2.11. 12.13.
fœderati per Chriſtum fœderis novi Tit.3.8.
Mediatorem fiant: fideles verò fa- Deut.6.4.5.
cti & fœderati Deum & Chriſtum Ier.32.38. 39.
ament, timeant, honorent, colant, Luc.1.74.
obedientiamque in juſtitia & ſancti- 75. 2.Pet.1.10.
monia veritatis preceptis divinis
præſtent in omnibus, & hac ratione
vocationem & electionem ſuam
firmam faciant.

X. Finis remotus eſt ſalus Ele- Phil.1.14.
ctorum & gloria Dei, cujus reſpectu Epheſ.1.6.
ipſa ad gratiam vocatio medium eſt
à Deo ordinatum, ſed ex ordinatio-
ne Dei neceſſarium ad ſalutis com-
municationem, reſponſio vero qua Prov.1.24.
vocationi paretur, conditio eſt ad 25.26.
finem iſtum conſequendum etiam Act.13.46.
ex Dei ordinatione requiſita & ne- Luc.7.30.
ceſſaria. Gloria Dei ſummè ſapien-
tis, boni, miſericordis, juſti, & po-
tentis in iſta tum gratiæ tum gloriæ
ſuæ communicatione tam clarè elu- Apoc.4.8.
cet, ut Angelorum & hominum 10.& 5.
mentes merito in admirationem 8.9.10.
rapiat, & linguas in laudem & cele-
brationem Dei reſolvat.

XI. Vocatio partim externa par- 1.Cor.3.5.
tim interna eſt. Externa eſt per mi- 6.7.8.9.
niſterium hominum verbum legis 2.Cor.3.3.6
& Euangelij proponentium, qui ea
de cauſa Dei cooperarij, plantato-
res, rigatores, ædificatores, miniſtri
per quos Eccleſia credit, nuncupan- Act.16.14.
tur. Interna eſt per operationem 1.Cor.3.5.
Spiritus ſancti mentem illuminantis 1.Pet.1.22.
& cor afficientis, ut ſeriò attendatur
ijs quæ

ijs quę dicuntur, fideſque verbo adhibeatur. Ex utriuſque concurſu, vocationis efficacitas exiſtit.

Thessal. 3. 5. 6. XII. Illa autem diſtributio non eſt generis in ſpecies, ſed totius in partes, ſeu totalis vocationis in par-
Rom. 1. 5. tiales actiones ad unum apoteleſma concurrentes: quod eſt obedientia vocationi præſtita; unde vocatorum & vocationi reſpondentium cœtus Eccleſia dicitur; quæ ipſa eodem
Rom. 10. 10. modo in viſibilem & inviſibilem,
2. Cor. 4. 16. viſibilem quæ ore confitetur, & inviſibilem quę corde credit, diſtinguitur: ut & homo in externum & internum.

1. Pet. 1. 23. 25. XIII. Cavendum autem ne cum ſpiritualibus & Enthuſiaſtis verbum
Rom. 10. 14. 15. 16. 17. quod miniſterio hominum propo-
2. Cor. 3. 3. 4. 5. 6. nitur, præparatorium tantum exiſtimemus, à Spiritu verò verbum a-
1. Cor. 15. 1. 2. 3. 4. liud, quod conſummatorium ſit, intus adhiberi credamus; ſive quod idem eſt, ne arbitremur Spiritum, ſua interna actione in aliam Dei Chriſtique agnitionem mentem illuminare, quam quæ verbo extrinſecus propoſito continetur, aut cor & animum alijs ſenſibus afficere, quam qui ex ipſo eodem verbo proponuntur.

XIV. Eventus vocationis per accidens, & à Deo per ſe non intentus, eſt ſermonis gratiæ repulſa, conſilij divini contemptus, reſiſtentia
Act. 13. 46. Spiritui ſancto facta; quæ propriam
Luc. 7. 30. cauſam & per ſe habet, malitiam &
Act. 7. 51. 2. Thes. 3. 2. duritiem cordis humani: hunc verò
2. Cor. 4. 4. eventum & alius eventus non rarò ſubſequitur, juſtū Dei verbi & vo-
Psa. 81. 12. 13. cationis ſuæ contemptum, Spirituique ſuo ſancto factam injuriam vin-
Es. 63. 10. Es. 6. 9. 10. dicantis, judicium; exque eo nata
Ioan. 12. 37. 38. mentis excæcatio & cordis obdu-
39. 40. ratio, inque reprobum ſenſum & poteſtatem Sathanæ traditio.

XV. Cęterum quum Deo noſtro opera ſua nota ſint ab ævo, Act. 15. 18.
Deuſq; nihil faciat in tempore quod ab æterno facere non decreverit, hęc quoque vocatio ſecundum Dei de- Ephe. 3. 5. 6. v. 11.
cretum æternum inſtituitur & ad- Iacob. 1. 18.
miniſtratur: ſic ut quicumque vo- 2. Tim. 1. 9.
catur in tempore ab ęterno prædeſtinatus ſit ut vocetur, eòque ſtatu, tempore, loco, modo, efficacitate vocetur, quibus vocari prædeſtinatus eſt. Secus executio à decreto variabit, quod Deo citra noxam mutabilitatis & mutationis impingi nequit.

THESIS DECIMASEPTIMA

DE

Reſipiſcentia.

Reſp. HENRICO NIELLIO.

Proximis diſputationibus de Fide & Iuſtificatione ex fide actum eſt, ſeries huc uſque obſervata poſtulat, ut de Reſipiſcentia, ſine qua neque κοινωνίαν cum Chriſto habere, neque ipſius juſtitiæ participes fieri poſſumus, agamus.

I.

RES iſta de qua in præſentiarum agimus tribus vocibus nunciari ſolet, *Reſipiſcentiæ*, *Pœnitentiæ*, *Converſionis*. Primæ reſpondet Gręca vox *μετάνοια*, alteri *μεταμέλεια* tertiæ *ἐπιστροφή*. Hebræi vocem תשובה ſæpiſſimè in hoc negotio uſurpant *In Biblijs, paſſim.*
reſpondentem tertiæ. Eſt vox נחם quę ſecundam exprimit. Sunt autem

voces

Sunt autem voces iſtæ ſecundum rei eſſentiam & naturam ſynonymę, at ſingulæ formalem conceptum peculiarem ſignificant: illa intellectus eſt, iſta affectus, tertia actus ex utroque exiſtentis; imò verò intellectū, affectū, & ex utroq; actum ultiorem complectens. Illa ſignificat mentis poſt aliquod factum mutationem, & illius poſt factum malum in melius mutationem; iſta cordis poſt factum dolorem, & quidem poſt factum malum, dolorem ſecundum Deum, non ſecundum mundum, quamquam & ſic vox iſta in ſcriptura aliquando uſurpetur. Tertia notat converſionem ad aliquod unde averſio facta erat; & hîc illam quæ eſt à malo ad bonum, à peccato, à Sathana, à mundo ad Deum. Prima comprehendit improbationem mali & approbationem boni oppoſiti. Altera dolorem de malo præterito & affectum deſiderij erga bonum contrarium. Tertia averſionem à malo cui adhæſit, & converſionem ad bonum à quo abalienatus erat. Sunt autem hi tres conceptus ſecundum ipſam rerum naturam & Dei præſcriptum ita inter ſe connexi, ut neque reſipiſcentia, neque pœnitentia, neque converſio vera & recta ſit, niſi unaquæque illarum reliquas duas ſibi junctas habeat, vel ut præcedaneas, vel ut ſubſequentes.

II. Secundum iſtam conceptuum variorum diſtinctionem variæ factæ ſunt definitiones unius ejuſdemque rei ſecundum eſſentiam, Puta *Reſipiſcentia eſt mutatio mentis & animi à malo in bonum ex dolore ſecundum Deum profecta.* Et, *Eſt dolor poſt peccatum perpetratum propter offenſum Deum, & ex dolore mutatio totius animi à malo in bonum.* Item, *Eſt vera ad Deum vitæ noſtræ converſio, à ſyncero ſerioque timore Dei profecta, quæ carnis noſtræ veterisque hominis mortificatione & Spiritus vivificatione conſtat.* Quarum nullam improbamus, quia re & eſſentia inter ſe conveniunt, & naturam rei ſufficienter ad veram pietatem declarant. Plenior autem definitio talis dari poteſt. *Reſipiſcentia, Pœnitentia, Converſio eſt actus totius hominis, quo peccatum universè conſideratum, intellectu improbat, affectu odit, & quæ à ſe perpetratum, dolet totaque vita ſua fugit: & Iuſtitiam intellectu probat, affectu amat, totaque vita ſua proſequitur: & ſic à Sathana mundoque ſe avertit & ad Deum convertit eiq; adhæret, ut Deus in ipſo & ipſe in Deo maneat.*

III. Actum hominis dicimus ut diſtinguamus à Regeneratione quæ Dei actus eſt. Habent quidem nonnulla communia & affinia, tamen revera ſecundū naturam ſuam, quam habent peculiarem, diſtincta ſunt, licet ſecundum ſubjectum non ſint diſſeparata. Addimus totius ho- 1.Reg 18.37
minis: eſt enim illius ſecundum ani- Rom.12.1.2
mam, eamque totam & omnes facultates illius, & ſecundum corpus, quâ illud animæ unitum organum & inſtrumentum nutui & imperio animæ ſubjectum eſt: utpote totam hominis vitam, quâ rationalis eſt, & in peccatum Deumque tendere, & ab utroque averti apta nata eſt, concernens; quę intellectu, affectu, ſenſu, motu conſtans, omnibus illis junctim quanquam ſubordinatè, ad reſipiſcentiam, pœnitentiam, converſionem concurrit. Intellectus officium ſuum facit; tum generali æſtimatione, tum particulari adprobatione & improbatione. Affectus, quâ ἐπιθυμητικὸς, amando, odio habendo, dolendo, gaudendo:

Ephe. 4. & 5 cap. Rom. 6. 13. 19.

quà θυμοειδὴς, iraſcendo, zelando, indignando, timendo, ſperando. Senſus tum interni tum externi averſione ſui ab objectis non decentibus & converſione ad convenientia: Motus denique linguæ, manuum, pedum & aliorum corporis membrorum ab illicitis & inexpedientibus amotione & ad licita & expedientia applicatione.

Pſalm. 34. 19. Ez. 18. 28.

IV. Objectum Reſipiſcentiæ eſt malum injuſtitiæ ſeu peccati, tum universè, tum quâ ab ipſo reſipiſcente patratum eſt, conſideratum; & bonum juſtitiæ. Illud ordine, hoc dignitate prius eſt. Ab illo incipit reſipiſcentia, in hoc deſinit & quieſcit. Poteſt objectum etiam paulò aliter conſiderari. Nam quum ad Deum converti jubemur, à quo averſi eramus, etiam Deus objectum converſionis & Reſipiſcentiæ eſt, quâ peccati malorumque oſor, & juſtitiæ juſtorumque amator, & reſipiſcentibus bonus ſummumque bonum, contra in peccato perſeverantibus ſeverus vindex & certa pernicies. Huic objecto ex adverſo opponi poteſt aliud objectum perſonale, Diabolus. A quo per Reſipiſcentiam diſceſſio facienda eſt. Cui addi poteſt objectum ipſi ſuccenturiatum, Mundus, cujus princeps dicitur, tum quâ argumenta in ſe continet Sathanæ apta ad ſeducendum, divitias, honores, voluptates: tum quâ & ipſe perſonæ inſtar Diabolo ſervit; utroque modo homines ad ſe trahens, & unitos apud ſe detinens: à quo etiam avertere nos jubemur. Imo vero & ipſe homo objecti Dei oppoſiti vicem obtinere poteſt, à quo ſeparationem ipſe homo facere jubetur, ut non ſecundum hominem ſed ſecundum Deum vivat.

Mala. 3 7. Zach. 1. 3. Deut. 6 5. Ephe 4 27. Iac. 4. 7. Ioh 12. 31. & 14. 30. Luc. 4. 5. & 6. 1. Ioh. 2. 15. 16. Rom. 6. 7 Ephe. 4. 22 Col. 3. 9. & ſeqq. Rom. 6. 10. & 11. & toto reliquo cap.

V. Cauſa Reſipiſcentiæ efficiens primaria eſt Deus, & Chriſtus quà Mediator per Spiritum utriuſque. Cauſa προηγουμένη eſt bonitas, gratia & φιλανθρωπία Dei creatoris & redemptoris noſtri, amantis ſalutem creaturæ ſuæ & divitias miſericordiæ ſuæ declarare deſiderantis in ſalute miſeræ creaturæ ſuæ Cauſa προκαταρκτική per modum meriti, eſt obedientia mors, & interceſſio Chriſti; & per modum moventis ad miſericordiam, miſera conditio peccatorum, quos Diabolus laqueis iniquitatis captivos tenet, periturorum merito ſuo ſecundum conditionem Legis, & neceſſariò, ſecundum voluntatem Dei Euangelio patefactam, niſi reſipiſcant.

Ier. 31 18. Ezec. 36. 25. 26. Act. 5. 31. Act. 17. 31. Rom. 12 22. 32. Eſai. 53 5. 1. Cor. 1. 32. 2. Cor. 5. 21. Ioh 3. 16. Ezech. 16. verſ. 3 & ſeqq. Luc. 13. 3. & 5. Eſai 31. 6. Ier. 3. 14. Pſ. 119. 71. & in Prophetis paſſim. Rom 6 17. Rom. 16. 5. Act. 2. 37.

VI. Cauſa proxima, minus tamen principalis, eſt homo ipſe converſus & convertens ſevi & efficacitate gratiæ Dei & Spiritus Chriſti. Cauſa προκαταρκτική ad reſipiſcendum incitans, eſt ſtatus miſer peccatorum non reſipiſcentium, fœlixque & beatus eorum qui reſipiſcunt, cognitus, ſive ex lege vel Moſis vel naturæ, ſive ex Euangelio, ſive ex propria experientia, ſive etiam ex aliorum exemplis qui per impœnitentiam in graviſſimas plagas inciderunt, & per Reſipiſcentiam multorum bonorum participes facti fuerunt. Προηγουμένη intus movens eſt tum peccati conſcientia & ſenſus miſeriæ ex timore offenſi numinis; cum deſiderio liberationis ab utroque: tum fides & ſpes gratioſæ Dei miſericordiæ & veniæ.

VII. Cauſæ inſtrumentales quibus Deus ordinariè utitur ad noſtri converſionem & nos ad Reſipiſcentiam ſollicitamur & adducimur: ſunt Lex & Euangelium: quorum tamen

in

in hoc negotio diſtincta ſunt munia, ita ut Euangelio potiores in eo partes competant, Lexque ei inſerviat. Imprimis enim ipſum Reſipiſcentiæ mandatum Euangelicum eſt, eique addita veniæ promiſſio & æterni exitij peremptoria comminatio, niſi reſipiſcat homo, ad Euangelium propriè pertinet. Lex vero reſipiſcentiæ neceſſitatem evincit, hominē de peccato & ira offenſi numinis convincendo, ex qua convictione dolor quidam naſcitur & pœnę metus, qui ſervilis initio ſui, ex ſolo ad Legem reſpectu, progreſſu fit filialis ex intuitu Euangelij. Ex illis porro per loco motivæ rectionem abſtinentia quędam externa ad operibus malis, & patratio externæ cujuſdam juſtitiæ etiam non hypocritica exiſtit. At quum Lex ultra mortis & literæ adminiſtrationem non procedat, Euangelij rurſus hic opera neceſſaria eſt quod Spiritum adminiſtrat, cujus illuminatione, inſpiratione & corroborratione gratioſa & efficaci, ipſa reſipiſcentia partibus ſuis eſſentialibus & integralibus abſolvitur & perficitur. Imo vero & ipſa de peccato convictio ad Euangelium aliquo modo pertinet, quatenus ipſum peccatum adverſus præceptum tum de fide tum de reſipiſcentia patratum eſt.

Mat. 3. 2. Marc. 1. 4. Luc. 24. 47. Rom. 3. 13. & 20. Rom. 7. 7. Mat. 3. 5. Mat. 7. 17. Iac. 2. 14. & ſeqq. Marc. 16. 16. Ioh. 16. v. 25

VIII. Sunt & cauſæ ad Reſipiſcentiam adjuvantes aliæ, partim ab ipſo Deo adhiberi ſolitę, partim à reſipiſcentibus uſurpatæ. Deus enim interdum crucem & afflictiones immittit, quibus velut ſtimulis ad Reſipiſcentiam excitat & invitat: aliquando contrarijs benedictionibus viſitat, ut bonitate & lenitate invitatos ad pœnitentiam adducat. Quas ipſi uſurpant reſipiſcentes, ſunt vigiliæ, jejunia, aliæque corporis caſtigationes, imo & præces (quarum ardori excitando etiam reliquæ ab hominibus uſurpatæ ſerviunt) ad reſipiſcentiam impetrandam & præſtandam efficaciſſimæ. Poteſt inter haſce adjuvantes & antecedentes inſtrumentales hæc eſſe relatio, ut hæ illis ſerviant quatenus ad Legis & Euangelij ſeriam & aſſiduam meditationem exſuſcitant, & rectum utriuſque intellectum magis magiſque a gratia Dei impetrant.

1. Cor. 11. 32. Ier. 31. 18. Pſa. 80. & 85. fere toto paſſim. Pſalm. 119. Rom. 2. 4. Rom. 5. 3. 4. Rom. 12. 12.

IX. Forma Reſipiſcentiæ eſt ipſa rectitudo averſionis à malo & converſionis ad Deum & juſtitiam, conformata ad normam præſcripti divini, & informata à certa fide & ſpe miſericordiæ divinæ, & à ſynceræ ipſius averſionis & converſionis intentione. Quâ rectitudine cum pœnitentia Saulis, Achabi, Iudæ, deſtituta fuerit, hoc nomine cenſeri non meretur. Quum autem rectitudinis iſtius ſibi mens reſipiſcentis conſcia eſt, non eſt neceſſe ut anxiè & ſollicitè examinet, an intenſivè, vel extenſivè, vel appretiativè tanta ſit, quantam juſtitiæ rigor poſtulare poſſet.

1. Sam. 15. 24. 25. 1. Reg. 21. 27. Mat. 27. 3.

X. Fructus Reſipiſcentiæ qui & finium rationem habere poſſunt, ſunt peccatorum remiſſio ex parte Dei, ſecundum fœderis gratioſi conditionem in Chriſto propter obedientiam ejuſdem & per fidem in illum: Et ex parte noſtra bona opera quæ reſipiſcentiam decent quæque Deus in Chriſto creavit ut fideles & reſipiſcentes in ijs ambulent. Finis ultimus eſt gloria Dei Redemptoris juſti ſimul & miſericordis in Ieſu Chriſto Domino noſtro, reſultans tum ex gratioſa efficaci actione Dei reſipiſcentiam dantis & nos ad ſe con-

Luc. 24. 47. Act. 5. 31. Rom. 3. 24. Mat. 3. 5. Luc. 3. 8. Apoc. 16. 9.

convertentis, tum ex ipſa actione reſipiſcentium, quâ à peccatis ſe avertentes & ad Deum convertentes, ambulant in novitate vitæ omnibus diebus vitæ ſuæ: & reſultans ſecundum ipſiſſimam reſipiſcentiæ intentionem.

Pſal. 14. 15. Ierem. 4. 1. XI. Partes reſipiſcentiæ ut ex antecedentibus abunde liquet, juxta terminos ejus duos, tum à quo incipit, tum in quem tendit & deſinit, duæ ſunt, Averſio à Diabolo & peccato, & Converſio ad Deum & juſtitiam, indiſſolubili nexu inter ſe conjunctæ, ſed illa ut præparativa ad hanc, hæc ut perfecta illius. Pontificij autem tres pœnitentiæ (qua voce præ cæteris in hoc negotio delectari videntur) faciunt partes. Contritionem cordis, Confeſſionem oris & ſatisfactionem operis, de quibus duo breviter dicimus. Primum, ſi ut partes pœnitentiæ apud Deum neceſſariæ accipiuntur, Contritionem nullam tantam eſſe poſſe vel intenſive vel appretiativè quæ vel ulla meritoria ſit vel impetratoria remiſſionis peccatorum: Confeſſionem oris, ne quidem quæ Deo fit (modo cordis adſit) neceſſariam eſſe ad accipiendam remiſſionem, multò minus quæ homini ulli fit etiam Sacerdoti: Satisfactionem quâ vel pro peccato vel pro pœna, etiam minimis, Dei juſtitiæ ſatisfiat, nullam eſſe, præter obedientiam paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Iterum, Si accipiantur ut partes iſtius Pœnitentiæ, quam qui ſcandalo Eccleſiam læſit, coram Eccleſiæ obit, ut illis ſatisfaciat ejuſque edificationi ſerviat, tunc ſane voces illæ commodum ſenſum habere poſſunt & diſtributio illa Eccleſiæ utilis eſſe. (Act. 4. 12. Heb. 10. 10. & 14. 1. Cor. 1. 30.)

XII. Contrarium Reſipiſcentiæ eſt Impœnitentia & pertinax in peccatis perſeverantia: cujus duo ſunt gradus, unus pœnitentiæ dilatio, alter finalis impœnitentia ad mortem uſque. Hæc certam habet æterni exitij exſpectationem, etiam ſecundum miſericordiſſimam Dei in Chriſto & Euangelio patefactam voluntatem; ne quis ſibi perſuadeat tandem ipſos Diabolos, & homines vita in impietate defunctos miſericordiam Dei experturos. Illa mirum in modum eſt periculoſa, idque triplici de cauſa. Primò, quia in Dei poteſtate & manu eſt, vel unius horæ dilationem finalem impœnitentiam facere, quum penes illum dominium ſit vitæ & mortis noſtræ. 2. quia peccandi conſuetudine per quotidiana exercitia introductâ homo fit ἀναισθητὸς & conſcientia κεκαυτηριασμένη. 3. quia porta gratiæ juſto Dei judicio propter malitioſam in peccatis continuationem occluſa, non patet exitus Spiritui, neceſſario reſipiſcentiæ authori. Vnde reſonet ſemper in auribus noſtris iſta vox, Hodie ſi vocem ejus audieritis ne obdurate corda veſtra. Et illud Apoſtoli. Operamini ſalutem veſtram in timore & tremore, quia Deus eſt qui efficit in vobis velle & perficere pro beneplacito. Quod utinam nobis benignè largiatur Deus Pater miſerationum in Filio dilectionis ſuæ per Spiritum ſanctum utriuſque, cui ſit laus & gloria in ſecula. Amen. (1. Tim. 4. 2. Heb. 3. 7. 8. Pſal. 94. 4. Phil. 2. 12. 13.)

COROLLARIA.

Non rectè dicitur lapſis poſt Baptiſmum Pœnitentiam eſſe ſecundam poſt naufragium tabulam.

Perperam facere qui exemplo Dei

Dei peccata non niſi pœnitenti remittentis, detrectant condonare fratri, niſi culpam faſſus & deprecatus fuerit.

THESIS DECIMAOCTAVA

DE

Eccleſia ejuſq; capite.

Reſp. GERH. HELMICHIADE.

Quum utiliſſimum ſit rectam de Eccleſia Dei ejuſque Capite fidem tenere, & magna ſit inter Orthodoxos & Põtificios ea de re controverſia, non abs re facturi videmur, ſi paucis theſibus de Eccleſia & ejus Capite pertractemus.

I.

ECcleſia nomen eſt Græcum origine, uſurpatum in Veteris Teſtamenti Græcâ verſione pro Hebræo קהל & proprie ſignificat cœtum evocatorum, ex ipſo vocis Etymo & ex uſu frequentiſſimo ſacrarum litterarum, citra diſtinctionem paucitatis aut multitudinis ad cœtũ illum pertinentium. Nunc n. omnem evocatorum univerſitatem ſignificat, nunc inſignem multitudinem, nunc paucos & unicâ familiâ comprehenſos; idque propter unam eſſentialem rationem omnium, quæ quum æque competat paucorum, multorum, & omnium conventui, etiam ex æquo nomen Eccſiæ participant, hoc ſolum diſcrimine, quod cœtus conſtans ex pluribus major Eccleſia dicatur, at non magis Eccleſia, juxta Logicorum axioma, Subſtantia non magis & minus recipit.

Deut. 23. 2. *Iud.* 20. 2. *Act.* 20. 28 *Ephe.* 1. 22. *Act.* 2 v. 41. 47. *Rom* 16. 5.

II. Secundum hanc generaliſſimam notioné definitur Eccleſia Dei, cœtus à Deo evocatorum ex naturâ ipſorum in ſupernaturalem dignitatem adoptionis Filiorum Dei ad gloriam ipſius, & vocationi Dei reſpondentium. Actus enim vocationis, ut à Deo vocante profectus & à vocatis convenienter receptus, conſummat Eccleſiam ipſius. Sub hac definitione comprehenduntur etiam Angeli qui electi dicuntur in Scriptura, ſive conſiderentur ut cœtus ab hominibus ſeparatus, ſive ut ad unam Eccleſiam cum hominibus pertinentes. Secundum quam notionem Eccleſia omnium maximè Catholica dicitur. At omiſſis Angelis de quorum vocatione parcè loquitur Scriptura, de Eccleſia quâ ex hominibus conſtat videbimus: illi duplici reſpectu hic nobis conſiderandi, ſecundum ſtatum primævum in quo conditi ſunt ad imaginem Dei, & ratione lapſus ab illo ſtatu in corruptionem & miſeriam.

1. *Tim.* 5. 21. *Pſa.* 68. 18. *Iud* 14. &c. *Apoc.* 5. 11. *Heb.* 12. 22.

III. Hominibus in primo ſtatu conſideratis, quia non tantum creati erant ut hoc eſſent quod erant, ſed ut porro in ſtatum feliciorem eveherentur, convenientem imagini Dei qua inſigniti Patrem ſuum ut Filij referebant, convenit evocatio quâ ex naturâ & naturali felicitate vocati ſunt ad participandum fructum adoptionis divinæ, per obſervationem Legis ipſis poſitæ, & promiſſione vitæ beatæ per Sacramentum arboris vitæ obſignatâ mortiſq; comminatione ſancitæ. Vnde illi Eccleſia Dei fuerunt, non ſanguine Chriſti redempta, neque Spiritus rege-

Gen. 1. 27. *Luc.* 3. 38. *Gen* 2. 9. 22.

regeneratione, vel novâ creatione reformata, ſed creatione Dei primævâ inſtituta & vocatione ſecundum fœdus Legale informata.

Gen. 17.7. Rom. 5. 12. 14. IV. Hæc Eccleſia ante lapſum actu conſtitit ex primis parentibus Adamo & Eva tantum, potentia vero complexa eſt totum humanum genus quod illorum lumbis incluſum naturali propagatione ex illis proditurum erat, idque ordinatione Dei conſtanti & perpetua, ſecundum quam fœdere cum parentibus inito omnes illorum includit poſteros, ſiquidem parentes in iſto perſtiterint. Et hoc reſpectu Eccleſia ante lapſum Catholicæ nomen ſortiri poteſt, verum cum fœderi iſti, promiſſio remiſſionis peccatorum

Ier. 31. 33. adnexa non fuerit, hanc ubi Legem tranſgreſſi ſunt, quæ in obedientiæ experimentum poſita erat, à fœdere exciderunt, & deſierunt eſſe Eccleſia Dei, expulſi ab arbore vitæ & Paradiſo, Symbolis vitæ æternæ & domicilij illius, factique ſunt filij iræ natura.

Geneſ. 3. 23.

Ier. 31. 33. Matt. 26. 28. V. Quare ſi denuo Eccleſia ex hominibus colligenda fuit, evocanda illa fuit ex ſtatu illo peccati & miſeriæ, at fuit colligenda ex decreto gratioſæ miſericordiæ Dei, quare & evocationis modum adhibuit ſtatui iſti convenientem, novi nempe & gratioſi, prout illa vox in Euangelicis ſcriptis uſurpatur, fœderis inſtitutionem: quod ſanguine Mediatoris Chriſti Filij Dei unigeniti ſancitam remiſſionem peccatorum exhibet & Spiritum gratiæ per fidem in illum. Ad cujus participationem vocati ſunt diverſimodè ſecundum temporis Oeconomiam ſapientiſſimè à Deo diſtributam, prius per ἐπαγγελίαν ſeu promiſſionem ſeminis

Heb. 9. 15. Gal. 3. 25. & 4. 9.

Gen. 3. 15. Rom. 1. 2. Gal. 4. 1. 2. 3. 4.

benedicti, quum hæres deſtinatione conſtitutus infans eſſet, quare etiam ad tempus ſub Legis Oeconomicè repetitæ Pędagogia detinendus erat, inde quum ſecundum tempus à Deo Patre præſtitutum hæres adultus eſſet, per plenam illam in Euangelio manifeſtationem. Matt. 11. 28. 12. 13.

VI. Hæc vero Oeconomica diſtinctio & diverſitas modi evocationis duplicem & ſubſtantia diverſam Eccleſiam non facit. Vnus enim idemque homo infans eſt & adultus, non niſi ætatis, & qui ſecundum ætatem eſt profectus rationem diſtinctus. Dicitur autem tota Eccleſia ante & poſt Chriſtum unus hæres, unus etiam novus homo dicitur tota Eccleſia ex Iudæis & Gentibus collecta, & Iudæis non tantum qui poſt Chriſti adventum fuerunt, ſed etiam qui ante, quum Gentes erant ſine Chriſto alieni à Republica Iſraëlis & extranei à pactis promiſſionis. Vna etiam eſt civitas Dei cœleſtis Hieruſalem, mater omnium qui benedicuntur cum fideli Abraham, & ſecundum Iſaac promiſſionis filij ſunt. Vna domus Dei fundata in lapide angulari Chriſto, qui poſitus eſt fundatione fundatiſſima non modo per Apoſtolorum ſed & per Prophetarum prædicationem, ad quam etiam Abraham, Iſaac & Iacob pertinent, quin & ipſe Moſes ſecundum promiſſionis dignationem filius, quamquam ſervus in domo ratione Oeconomicæ Legiſlationis in manu illius adminiſtratæ.

Gal. 4. Ephes. 2. 14. 15. 14. 15.

Gal 4. 26. 27. 28.

Ephe. 2. 20. 21. 22. Heb. 11. 15. & 26.

Heb 3. 4.

VII. Hic cœtus unius hæredis & novi hominis unius civitatis & domus Dei nominibus, eo quo dictum eſt modo inſignitus, ampliſſima ſignificatione latiſſimo ambitu Eccleſia Catholica dicitur ex homi-

Hebr. 11. Heb 12. 22. 23. 24.

hominibus collecta, continens omnium temporum à promiſſione ſeminis mulieris, ad finem mundi omniumque locorum homines ad gratiæ Dei participationem & cultum illius gloriæ evocatos, & vocationi obſecutos: & in duo membra integralia toti homogenea & ſimilaria ſingula diſtribuitur: In Eccleſiam nempe quæ ante Chriſtum fuit & in illam quæ poſt, de quarum convenientia & diſtinctione quia prolixioris eſſet operæ, hic non agemus: imo omittentes peculiarem illius ante Chriſtum conſiderationem, de Chriſtiana ſic ſpeciatim dicta porro videbimus, non tamen cum expreſſa illius excluſione.

Gal. 4. 14. Heb. 11. 40.

VIII. Eccleſiam itaque Chriſtianam nobis definire liceat, cœtum fidelium, qui vocatione Dei ſalutari è ſtatu corruptionis in dignitatem Filiorum Dei per Euangelium vocati, & Chriſto tanquam viva membra capiti per veram fidem inſiti ſunt ad laudem glorioſæ gratiæ Dei. Quæ definitio ut generalis, omni cætui fidelium ſive exiguus ſit ſive magnus competit, etiam Catholicæ continenti univerſitatem fidelium à Chriſti in regnum ſuum adventu, uſque ad conſummationem ſeculi, quam Catholicam propriè deſcribimus, ſi hęc pauca verba adjecerimus, fidelium univerſorum ex omni lingua, tribu, populo, natione & vocatione evocatorum, &c. Vnde apparet Eccleſiam Catholicam nulla re ad ſubſtantiam Eccleſiæ pertinente differre à particularibus, ſed ſola tantum amplitudine: quod diligenter adverſus Pontificios eſt notandum.

Mat. 5. 15. 16. Act. 4. 31. 1. Pet. 2. 9. 1. Pet. 5. 10. Rom. 8. 19. Rom. 6. 5. Epheſ. 3. 17. & 5. 30.

IX. Cauſa Eccleſię efficiens, tum procreans per regenerationem, tum conſervans per quotidianam educationem, deniq; & conſummans per illius ad ſe immediatam adunationem, eſt Deus & Pater in Filio ſuo dilecto Ieſu Chriſto per Spiritum Chriſti Redemptoris & Capitis Eccleſiæ. Inſtrumentum ponimus Euangelium quod eſt ſemen incorruptibile ex quo renaſcitur Eccleſia: unde & illi, quos adminiſtros ſtatuit Euangelij Deus, cauſæ inſtrumentariæ & cooperarij Dei appellantur, quorum alij ſunt fundatores alij ſuperædificatores. Et fundatores quidem multarum Eccleſiarum particulariter per prædicationem viva voce factam, omnium vero Eccleſiarum & totius Catholicæ per ſcriptionem nobis conſignatam: quo nomine tota Eccleſia Chriſti Apoſtolica dicitur.

2. Tim. 1. 9. 1. Pet. 1. 12. 1. Pet. 1. 23. 25. 1. Cor. 3. 10. Rom. 15. v. 18. 19. 20. 21. Ephe. 2. 20.

X. Actionem hujus cauſæ Eccleſiam procreantis & conſervantis, evocationem appellavimus: quæ vox primo includit terminum à quo & ad quem, inde medium per quod ab uno ad alterum tenditur. Terminus à quo, eſt ſtatus peccati & miſeriæ, in quo ſtatu peccator ſine Lege exiſtens acquieſcit, & blanditur ſibi, quem peccator ſub Lege exiſtens per præviam vocationem à Spiritu Legali & Servitutis adminiſtratam averſatur, liberationem ex illo deſiderās. Terminus ad quem eſt dignitas adoptionis Filiorum Dei qui etiam reſpectu deſiderij evocatorum, finis illorum commodè appellari poteſt. Medium per quod tenditur ab uno termino in alium fides eſt in Chriſtum, per quam, dignitatem illam adipiſcimur, & ex regno tenebrarum in regnum lucis & Filij Dei transferimur, ex decreto prædeſtinationis divinæ.

Mat. 9. 13. & 11. v. 28. Rom. 7. Ier. 1. 12. Col. 1. 13. Act. 16. 17.

XI. Hinc facile apparet quam hujus

Gal. 1. 15. hujus evocationis materiam ſtatua-
16. 11. mus, circa quam illa verſatur, & in
Mat. 9. v. qua operationem ſuam exerceat.
13. & 11. Remota ſunt peccatores, illis enim
v. 28.
Rom. 8. 28. ſolis neceſſarius eſt viæ illius ingreſ-
29. 30. ſus. Propinquior ſunt peccatores
Hebr. 5. 9. peccata ſua ex Lege agnoſcentes,
ſtatumq; ſuum deplorantes & redem-
ptionem expectantes. Proxima ſunt
fideles, qui ſoli vocantur in com-
munionem Ieſu Chriſti & partici-
pationem hæreditatis, quam ille ſuis,
Act. 2. 41. ſanguine ſuo, acquiſivit, & cujus
diſpenſator conſtitutus eſt ijs qui
ipſi obtemperant. Vocatio enim ut
ut actu perfecta eſt, quum à vocante
eſt profecta, effectus tamen relativus
requiritur ad hoc ut vocati nomine
Eccleſiæ cenſeri poſſint. Quare ab
Eccleſia excludimus, Infideles, Apo-
Ephe. 1. 8. ſtatas, Hypocritas, Hæreticos qui
Chriſtum caput non tenent. Non
Baptizatos externo Baptiſmo aquæ,
Excommunicatos ſententia Eccle-
ſiæ, & Schiſmaticos diſtinguimus
& ſecundum variam diſtinctionem
vel ad Eccleſiam pertinere vel non
pertinere affirmamus.

XII. Formam Eccleſiæ quia illa
eſt de genere relatorum, neceſſariam
in relatione conſtituimus & quidem
in relatione diſquiparantiæ, ut ju-
bent nomina relata quibus appella-
Ephe. 1. 2. tur. Dicitur enim Corpus, Sponſa,
Ioan 3. 29. Civitas, Domus, relate ad Caput,
Hebr. 1. 20. Sponſum, Regem & Herum ſeu Pa-
21. trem familias. Relatio autem inter
1. Tim. 3. 15. iſta relata in tribus poſita eſt ſive
Ephe. 1. 22.
Col. 1. 18. momentis ſive gradibus. 1. Vnione.
19. 2. Ordinatione. 3. Communicatio-
Gal. 2. 20. ne. Forma itaque Eccleſiæ in unio-
Rom. 8. 9. ne eſt cum Capite Sponſo eſt Rege
14.
Ephe. 5. 23. ſuo, quæ fit per Spiritum illius &
Eccleſiæ fidem. In ſubordinatione
illius ſub Capite Sponſo & Rege ſuo
quam requirit perfectio & virtus
Capitis & neceſſitas utilitaſque Ec-
cleſiæ. In influentia vitæ ſenſus &
motus à Capite benevole proceden-
te & ab Eccleſia percepta fœliciter.

XIII. Finis Eccleſiæ ſummus Ephe. 1. 12.
eſt illius gloria, cujus gratioſa evo- Rom. 11. 36.
catione Eccleſia eſt quod eſt. Et glo- 1. Pet. 2. 9.
ria quidem quam ille perficit in a- Ephe. 3. 21.
ctionibus ſuis gratioſis erga Eccle- & 5. 20.
ſiam, illam creando, conſervando,
promovendo, denique conſumman-
do. Cui merito ſubordinatur gloria
quam illi tribuere jubetur, tribuetq;
Eccleſia ut complementum illius per
omnes ſeculorum ætates. ſalus Ec-
cleſię quum ſit donum Capitis &
Regis, illius Eccleſiæ finis eſſe non
poteſt, quamquam finis ſit Eccleſiæ
quem illa intendit fide ſua, & quam
aſſequi ut beata ſit coram Deo ad-
nititur.

XIV. Iam vero ſecundum a-
ctus Dei erga Eccleſiam quatenus
vel omnes vel aliquos percepit, di-
ſtinguitur ipſa. Quę percepit crea- Ephe. 6. 11.
tionis & conſervationis actum tan- 12.
tum, in via eſſe dicitur & militans Heb. 12. 1. 4.
adpellatur, utpote cui adhuc ſit cum
peccato, carne, mundo & Sathana
confligendum. Quæ inſuper con-
ſummationis particeps facta eſt, in
patria eſſe dicitur & triumphans Apoc. 3. 21.
nuncupatur, quæ devictis hoſtibus 14. 13.
quieſcit à laboribus ſuis quæ cum
Chriſto regnat in cœlis. Huic parti
militanti in terris, etiam titulus Ca-
tholicæ attribuitur quatenus omnes
particulares militantes ſuo ambitu
complectitur. In Purgatorio neq; Ec-
cleſiam ullam neque quicquam Ec-
cleſiæ ſtatuimus. Eſt enim illud vera
Vtopia & inter omnes celebratiſſima.

XV. Hinc quum evocatio Ec- Act. 16. 14.
cleſiæ fiat intus per Spiritum, foris
per

per verbum prædicatum, & vocati intus reſpondeant fide, foris profeſſione fidei, prout qui vocantur in- *1.Cor.4.16.* ternum & externum hominem habent, *Rom. 10,9 10.* hinc Eccleſia ratione eorundem vocatorum diſtinguitur in viſibilem & inviſibilem ab adjuncto externo & accidente. Inviſibilem qua credit corde ad juſtitiam, viſibilem qua confitetur ore ad ſalutem. Et hęc viſibilitas & inviſibilitas, non magis aut minus, toti Eccleſiæ Catholicæ quam ſingulis particularibus Eccleſijs convenit: quod n. Catholica Inviſibilis dicitur, quia in unum locum non poteſt convenire & ſic exponi *Mat.10.16.* viſui, id horſum non pertinet. At vero quia plures vocati quam electi, & *Tit.1.16.* multi vocati Deum ore profitentur ſe ſcire, factis vero negant, de quorum tamen corde ſolus Deus indicat, qui ſolus novit qui ſunt ſui, hinc ta- *2.Tim.2.19* les propter promiſſionem ad Eccleſiam viſibilem pertinere judicantur, quamquam æquivocè, quum ad inviſibilem non pertineant, & internam communionem cum Capite, quę forma eſt Eccleſiæ, non habeant.

XVI. Deinde, quum Eccleſia *Ioan.15.19.* ex hoc mundo, qui totus in malo ſi- *Mat.15.9.* tus eſt, colligatur, & ſæpè per admi- *2.Cor.11 5.* *Gal 3.1.* niſtros, qui præter verbum Dei etiam aliud verbum annunciant, quumque illa conſtet ex hominibus deceptioni & lapſui expoſitis, quin etiam ex deceptis & lapſis, hinc Eccleſia diſtinguitur reſpectu doctrinæ fidei in Orthodoxam & hæreticam; reſpectu cultus divini, in Idololatricam, & Deum Chriſtumque ejus rectè colentem; reſpectu morum ſecundâ Legis tabula præſcriptorum, in puriorem vel impuriorem; ubi etiam gradus ſunt animadvertendi, ſecundum quos una magis eſt heretica, idololatrica, impura quam altera: de quibus omnibus rectum ſecundum Scripturas judicium eſt ferendum. Hic quoque Catholicæ vox uſurpatur de ijs Eccleſijs, quæ nec hæreſi exitiali laborant, neque Idololatricæ ſunt.

XVII. Quare inverſa & præpoſtera eſt quæſtio, qua quæritur, an Catholica Eccleſia errare poſſit: quum potius quærendum ſit, an cœtus qui errat ſit Eccleſia. Vt enim fides eſt prior Eccleſia, & Eccleſia illud nomen obtinet quia fidelis, ſic cœtui alicui nomen Eccleſiæ adimitur eatenus quatenus aberrat à fide; ſi tamen quis urgeat illam quæſtionem, dicimus illa nihil aliud rogari, quam an futurum ſit ut uno aliquo tempore nullus ſit toto orbe terrarum cœtus hominum rectè in Chriſtum & Deum credentium: cui *Mat.18.2. 10.* facilè reſpondetur per negationem eo quod Eccleſia in terris nunquam ſit totaliter defectura, ſed ad finem *Apoc.2.5.* uſque mundi ſine temporis interru- *Pſal.110.* *v.1.2.* ptione colligenda, quamquam non ſemper ex iiſdem locis & populis. Secus Chriſtus in terris regnum aliquod non habebit, & non dominabitur in medio inimicorum, uſque dum ponantur illi ſcabellum pedum ipſius.

Et huc uſque de Eccleſia ipſa; de Capite paucis videamus.

XVIII. Capitis Eccleſiæ conditiones ſunt, ut omnia ad Eccleſiæ vitam & ſalutem neceſſaria perfectiſſimè in ſe contineat, ut debitam habeat ad Eccleſiam Symmetriam & convenienter ipſi unitum & cum *Col. 1.19.* illa ordinatum ſit, ut denique virtu- *Ioan.1.16.* te ſua vitam, ſenſum & motum Ec- *Ephes.1.22. & 5.23.* cleſiæ ſuppeditet. Hæ autem con- *Rom 8.9 10 11, 12.* ditiones ſoli Chriſto conveniunt: inha-

inhabitat enim in illo omnis plenitudo, & ex plenitudine ejus omnes accipimus. Ille eſt quem Pater conſtituit Caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, qui dat ſalutem corpori ſuo quod eſt Eccleſia. Cujus Spiritu Eccleſia animatur, ſentit, movetur. Neque hoc tantum de interna communicatione intelligendum eſt, ſed etiam de externa adminiſtratione:
Matth. 28. 19. Act. 2. 32. Ephe. 4. 11. & 12. 1. Pet. 4. 5. Marc. 16. 20. Act. 4. 30.
Ille enim eſt, qui verbum ſuum & Spiritum emittit, qui miniſterium in Eccleſia inſtituit, qui Apoſtolos, Euangeliſtas, Paſtores & Doctores miniſterio iſti præficit, unde & Paſtorum Princeps dicitur, qui miniſterio adſiſtit, per ſigna, prodigia, virtutes & varias Sp. Sancti diſtributiones, qui Eccleſiam ſuam adverſus hoſtes defendit, & illius etiam temporarium bonum procurat, quouſque judicat internum & æternum illius bonum poſtulare.

XIX. Quare neque Apoſtolo Petro neque Pontifici Romano illud nomen ſecundum ullam conſiderationem adaptari poteſt; non ſecundum internam communicationem, concedunt ipſi Pontificij; non ſecundum externam adminiſtrationem, ſic probamus de Petro.
Ephe. 4. 11. & 11. 1. Pet. 1. 1.
1. Petrus ipſe conſtitutus à Chriſto eſt Apoſtolus, eadem conſtitutione qua dicitur Chriſtus conſtituiſſe Apoſtolos. Ergo reliqui Apoſtoli à Petro non conſtituti, quod Paulus expreſsè de ſe negat, quum dicit ſe neque ab hominibus neque per hominem Apoſtolatum adeptum.
Gal. 1. 1.
2. Petrus eſt Sympresbyter. Ergo non Princeps Presbyterorum.
1 Pet. 5. 1. Gal 2. 7. 8. 9.
3. Petro concreditum eſt Euangelium circumciſionis ut Paulo preputij pari jure & authoritate, quare etiam ſibi dextras dederunt invicem ſocietatis. 4. Petrus à Paulo fuit reprehenſus, quod non incederet recto pede ſecundum veritatem Euangelij. Non fuit idoneus cui totius Eccleſiæ adminiſtratio committeretur.
Ibidem.
5. Iacobus, Cephas, & Ioannes pari gradu ab Apoſtolo Paulo collocantur, imo & ab Eccleſijs habiti citra differentiam, columnæ. 6. Fundamentis novæ Hieruſalem inſcripta ſunt nomina. 12. Apoſtolorum, ſingulis ſingula citra ullius eminentiam. 7. Paulus dicit ſe nihilo inferiorem eſſe ſummis Apoſtolis. Ergo nec Petro qui inter illos.
2. Cor. 12. 11. 1 Cor. 15. 10.
8. Paulus dicit ſe plus laboraſſe quam reliqui omnes, quod verè dicere non poteſt, ſi Petro totius Eccleſiæ adminiſtrandæ cura incubuit, eamque per Paulum & alios adminiſtraret. Quæ Pontificij pro primatu Petri objiciunt in ipſa diſputatione examinabuntur.

XX. Hinc ſequitur nec Pontifici Romano illum titulum competere; quidquid enim illi competit juris & dignitatis, hoc a Petro illi derivatum eſſe dicunt, utpote qui in Petri cathedram & functionem ſucceſſerit. At vero dato non conceſſo quod Petro primatus adminiſtrationis, in totam Eccleſiam conceſſus fuerit, inde tamen non ſequitur, jus aliud in Romanum Pontificem devolutum eſſe: antequam enim illa hypotheſi hoc Thema concludi poſſit, iſta ſunt præſtructim probanda. 1. Ius illud fuiſſe non perſonale ſed ſucceſſivum. 2. Alligatam fuiſſe ſucceſſionem iſtam alicui Cathedræ, ut qui in illam ſuccederet, iſte jure potiretur, & quidem irrefragabiliter quocunque modo ad iſtam Cathedram perveniſſet. 3. Petrum Romanum Epiſcopum fuiſſe & in functione iſtius Epiſcopatus Romæ diceſ-

diſceſſiſſe è vivis. 4. Ex eo quod Petrus in Epiſcoptus Romani functione Romę mortuus ſit, primatum illum Romanæ Cathedræ alligatum fuiſſe. Hæc igitur probanda illis & quidem argumentis indubitatis, quum doceant de neceſſitate ſalutis eſſe, ut omnis homo ſubſit Pontifici Romano. *Extra vag. de Maior. & Obed.*

In quo, a quo, per quem, & propter quem omnia conſiſtunt, ſit laus & gloria ab æterno in æternum.

THESIS DECIMANONA,

DE

Iuſtificatione Hominis coram Deo.

Reſp. ALARDO de VRIES.

Quum crebra fiat in Scripturis mentio Iuſtificationis, ejuſque doctrina magni ad ſalutem ſit momenti, & non parum hodie ſit controverſa, non abs re facturi videmur, ſi de illa συζήτησιν ex Scripturis inſtituamus.

I.

QVum Iuſtificationis vox a juſtitia deducta ſit, ex hujus notione illius ſignificatio commodè derivabitur. Iuſtitia propriè ſumpta rectitudinem ſignificat, vel convenientiam cum recta ratione. Eaque vel ut qualitas; vel ut actus conſideratur; qualitas inhærens in ſubjecto; actus productus ab efficiente. Iuſtificationis vox actum denotat, qui in eo occupatur, ut vel perſonæ alicui juſtitiæ qualitatem infundat, vel acquirat; vel de perſona ejuſque actibus judicium faciat, & ſententiam pronunciet. *Pſal. 11.7. Ephe. 6. 14. Phil. 1. 11. 1. Ioan. 3. 7. Ephe. 4. 24.*

II. Iuſtificatio igitur ſecundum qualitatem, ſi ſit acquiſitio juſtitiæ, eſt actio ejus, qui juſtitiæ habitum ſibi crebris actionibus comparat, nempe creaturæ rationalis. Si ſit juſtitiæ infuſio, eſt actio ejus qui juſtitiæ habitum creaturæ rationali infundit, nempe Dei, vel creatoris, vel Regeneratoris. Iuſtificatio circa perſonam actuſque ejus occupata, eſt actio judicis mente ſua factum factique authorem æſtimantis, & juxta æſtimationem judicium facientis & ſententiam pronuntiantis, ſcilicet hominis Dei ſapientiam & juſtitiam, principis cauſam ſubditi, Pharisæi ſeipſum, Dei factum Phineaſi, & Publicani juſtificantis. *Eſa. 5. 23. Matth. 11. 19. Pſalm 81. Luc. 16. 15. Pſalm. 106. 31. Luc. 18. 14.*

III. Ex qua iſtarum vocum neceſſaria diſtinctione apparet, Bellar. quum ſtatum controverſiæ inter ipſum & nos de hoc dogmate exiſtentis; hiſce verbis proponit; An juſtitia, qua formaliter juſtificamur, ſit inhærens an imputativa; & æquivocationem admittere & adverſarium ſibi fingere, quem non habet. Æquivocatio in eo eſt, quod juſtificationis vox, circa inhęrentem juſtitiam occupatæ, infuſionem juſtitiæ ſignificat, circa juſtitiam imputativam verò, mentis æſtimationem, judicium & ſententiæ dictionem. Adverſarium fingit, quia nemo negat, formam quâ quis intrinſecus juſtus eſt & dicitur, juſtitiæ habitum ſeu qualitatem inherentem eſſe; negamus autem vocem juſtificationis in diſputatione Paulina ad Romanos contra Gentes & Iudæos, & ad Gal. contra falſos fratres, imò & à Iaco- *Præfat. ad lib. de Iuſtificat.*

Rom. 2. & 3. & 4. & 5. Gal. 2. & 3. & 5. Iacob. 2.

Iacobo, iſto ſenſu accipi. Quapropter ſtatuendum eſt, aut de juſtificat. pro actu judicis accepta, inter nos controverti, aut controverſiam noſtram cum iſta Paulina nihil commune habere.

Rom. 2. & 3. Luc. 18. 14. — Rom. 1. 17. & 3. 23. — Pſal. 143. 2. Heb. 4. 16. Rom. 3. 27. Rom. 2. & 3. & 4. & 9. & 11. Gal. 2. & 3. & 5.

IV. Eſt itaque juſtificatio coram Deo, quâ ille coram Dei tribunali conſtitutus, à Deo, ut à judice, juſtus, & juſtitiæ præmio dignus cenſetur & pronuntiatur, unde & ipſa præmij remuneratio ſequitur conſequentis neceſſitate. Verùm quia tria hic conſideranda veniunt, homo judicandus, Deus judex, & lex ſecundum quam judicium peragendum eſt: quæ ſingula variè conſiderari poſſunt, etiam juxta iſta ipſam juſtificationem variare neceſſe eſt. Nam homo conſiderari poteſt, vel ut juſtitiæ operibus functus, ſine peccato, vel ut peccator. Deus ut throno inſidens rigidæ & ſeveræ juſtitiæ; vel throno gratiæ & miſericordiæ. Lex eſt operum vel fidei; quorum quia ſingula ſingulis σύστοιχα ſunt, & mutuò ſibi reſpondentia, ad duas ſpecies ſeu formas oppoſitas juſtificatio revocari poteſt; quarum una ex lege, in lege, vel per legem, ex operibus legis, operantis & legem facientis, ex debito & non ex gratia, dicitur. Altera verò, fidei, ex fide, per fidem, peccatoris ſed credentis, gratis facta, ex gratia, non ex debito, ſine operibus legis appellatur.

1. Sam. 15. 21. Amos 5. 21. 22. 23. Rom. 10. 5. — Rom. 4. 4. & 3. 27. Ephe. 3. 8. 9

V. Cæterum cum lex, cujus in quæſtione de juſtificatione mentio fit, duplex ſit; Moralis nempe & Ceremonialis, (Iudicialis enim hîc in conſiderationem non venit) videndum, quo modo & ſenſu utrique juſtificatio vel tribuatur vel adimatur. Legi morali tribuitur juſtificatio, eò quod opera præſcripta Deo per ſe & in ſe grata ſint, & ipſa ſtrictè & rigidè ſumta juſtitia, adeò ut qui ea fecerit, eo ipſo citra abſolutionem vel gratuitam imputationem juſtus ſit; qua de cauſa illi juſtificatio non adimitur, niſi eo quod præſtita non ſit. Vnde & juſtificatio ex illa ſic definiri poteſt, quod ſit, quâ homo legis moralis juſtitia citra tranſgreſſionem functus, coram tribunali ſeveræ juſtitiæ Dei conſtitutus, juſtus à Deo & vitæ æternæ præmio dignus, in ſe, ex debito, ſecundum legem, citra gratiam cenſetur & pronunciatur, ad ipſius ſalutem, & juſtitiæ tum divinæ, tum humanæ gloriam.

Mich. 6. 7. 8 Coloſ. 2. 16. 29. 21. — Act. 13. 38. Heb. 9. 10. — Col. 2. 14. 17. Heb. 10. 1. Gal. 2. 16. Gal. 3. 22. 23. 24.

VI. Legis verò ceremonialis longè alia eſt ratio: Nam neque opera ejus Deo per ſe grata ſunt, ut ipſa juſtitiæ nomine venire poſſint; neque illum reſpectum habent, ut abſolutio à peccatis contra legem moralem patratis, per illa obtineatur, vel ipſa gratioſè in juſtitiam imputentur. Qua de cauſa illi, non quia præſtita non ſit, ſed ſimpliciter propter ipſius, non carnis peccatricis impotentiam, juſtificatio adimitur in Scripturis. Eſt tamen uſus ejus ad juſtificationem duplex ſecundum duplicem ejus, tum in legem moralem & peccata adverſus illam patrata, tum in Chriſtum & fidem in illum reſpectum. Iuxta priorem, eſt chyrographum obſignās debita & peccata. Iuxta poſteriorem, continet umbram & typum Chriſti, bonorumq; futurorum, id eſt, juſtitiæ & vitæ. Secundum hunc, Chriſtum typicè monſtravit: ſecundū illum confugere ad eundem compulit per fidem in illū.

Rom. 3. 20. 28. Gala. 2. 16. Ioan. 5. 24.

VII. Et hæc cauſa eſt, cur Apoſtolus Paulus toti legi ſimul & ſemel juſtificationem adimat; quanquam diver-

Pſa 143.2. Rom.3 & 4 diverſis de cauſis, quas ſemper commemorare neceſſe non eſt. Fidei verò juſtificatio tribuitur, non quod illa ſit juſtitia ipſa, quæ rigido & ſevero Dei judicio opponi poſſit, quanquam Deo grata, ſed quod ex judicio miſericordiæ triumphans ſupra judicium, *Act. 13. 39.* abſolutionem à peccatis obtineat, & gratioſe in juſtitiam imputetur: cujus rei cauſa eſt, *Rom.3.24.25.* tum Deus juſtus & miſericors, tum Chriſtus obedientia, oblatione, & *Rom.3.& 4. & 5.& 9. & 10. & 11.* interceſſione ſua ſecundum Deum ex beneplacito & mandato ipſius. Illa verò ſic definiri poteſt, quod ſit juſtificatio, quâ homo peccator, ſed fidelis, coram tribunali gratiæ quod in Chriſto Ieſu ἱλαστηρίῳ erectum eſt, conſtitutus, à Deo, juſto & clemente judice, juſtus & juſtitiæ præmio dignus, non in ſeſe, ſed in Chriſto, ex gratia, ſecundum Euangelium, cenſetur & pronunciatur ad laudem juſtitiæ & gratiæ Dei, ipſiuſque juſtificati ſalutem.

Rom 14. 15. Rom. 11. 6. VIII. Hiſce duabus juſtificationis formis, junctim & oppoſitè conſideratis, competit; primò, ſic adverſas eſſe, ut ambæ ſimul uni ſubjecto convenire nequeant. Nam qui per legem juſtificatur, per fidem juſtificari neque poteſt, neque indiget; & qui per fidem juſtificatur, illum per legem juſtificari non potuiſſe certum eſt; ita illa hanc excludit *Rom 4. 4. 5.* præcedenter per cauſam, hæc illam *Rom 9. 30. 31. 32.* conſequentia concluſionis. Secundò, componi inter ſe non poſſe, ne- *Rom. 10. 3. 4. 5. 6.* que per unionem confuſam, neque *Gal. 3. 10.* per mixtionem: ſunt enim formæ *Iac. 2. 10.* perfectæ ſimplices & in puncto in- *Heb. 1. 1.* dividuo diſcretæ, ita ut unius atomi additione ab una ad alteram tranſeatur. Tertiò, quod alterutra hominem juſtificari oporteat, aut à juſtitia, & propterea à vita excidere. Euangelium enim eſt poſtrema revelatio, in qua juſtitia Dei patefacta eſt ex fide in fidem, & poſt illam alia nulla eſt expectanda.

IX. Ex iſtis ſic ſecundum Scripturas poſitis concludimus, juſtificationem pro actu judicis uſurpatam, aut puram putam eſſe imputationem juſtitiæ, ex miſericordia de throno gratiæ in Chriſto propitiatore factam peccatori, ſed credenti: Aut hominem coram Deo ex debito juxta rigorem juſtitiæ citra ullam condonationem juſtificari. Quod ipſum quia Pontificij negant, alterum illud concedere debent: & hoc uſque adeo verum eſt, ut ſanctorum nemo, quantavis fide, charitate, ſpe præditus, operaque fidei, ſpei, charitatis, quàm præſtantiſſima, & plurima operatus, juſtificationis ſententiam à Deo judice relaturus ſit, niſi ille tribunali ſeveri judicij relicto, gratiæ thronum conſcendat, & inde ſententiam abſolutionis pro illo pronunciet, totumque illud bonum, cum quo ſanctus ille comparet, gratioſè pro juſtitia æſtimet clemens & miſerator Dominus. Væ enim innocentiſſimæ vitæ, ſi citra miſericordiam judicetur. Quod ipſum etiam fateri videntur Pontificij, qui opera ſanctorum, niſi ſanguine Chriſti tincta, coram judicio Dei conſiſtere poſſe negant.

Rom. 1.16. 17. Gal.1.6.7. Rom.3.& 4

Pſa.32.1. 2.6. Pſa. 143. 2. 1 Ioan. 1. 7. 8. 9. 10. 1 Cor. 4. 4.

X. Vnde porro deducimus: Si juſtitia, quâ coram Deo judice juſtificamur, formalis vel qua formaliter juſtificamur, (ſic enim loquitur Bellar.) dici poſſit, juſtitiam formalem, & qua formaliter juſtificamur, nullo modo inhærentem dici poſſe, ſed juxta Apoſtolicam phraſin commodo ſenſu imputativam poſſe appel-

appellari, utpote quæ vel gratioſa Dei æſtimatione juſtitia ſit, quum id nominis ſecundum rigorem juris ſeu legis non mereatur, vel aliena cum ſit, nempe Chriſti, noſtra per gratioſam Dei imputationem fiat. Neque eſt cur ab illa voce tantopere abhorreant, quum Apoſtolus Rom. 4. ubi hujus articuli ſeu argumenti ſedes eſt, undecies eadem voce utatur, & quum gratioſæ æſtimationis Dei eadem ſit efficacia ad ſalvandum, quæ eſſet ſeveræ & rigidæ, ſiquidem homo legem perfectè ſine ulla transgreſſione præſtitiſſet.

Roman. 4. 2. Cor. 5. 20. 21.

XI. Et quanquam Bellarm. juſtificationis vocem confundendo, fidem informatam & informem diſtinguendo, inter opera legis, & vi Spiritus ſancti à renatis facta diſcernendo, iiſque mercedem non adſcribendo niſi quia illa gratuitò promiſſa ſit, & ijs promiſſa, qui jam in ſtatu gratiæ & adoptionis filiorum conſtituti ſunt, quo ipſo & jus illos in hæreditatem cœleſtem habere fatetur, concedendo præterea mercedem ipſam operis dignitatem excedere, & ipſam totam hominis judicandi vitam rigido examini ſubtrahendo; Romanæ Eccleſiæ ſententiam ſic explicare conetur, ut ſententiæ Apoſtoli conſona eſſe videatur, (ſaltem ne aperte in illam impingant;) tamen quum Eccleſia Romana dicat, bona opera ſanctorum divinæ legi pro ſtatu hujus vitæ planè ſatisfacere, vitamque æternam verè promereri; noſque quum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis ſatisfecit, conformes fieri, operaque Sanctorum, orationem, jejunium, eleemoſynam, & alia ſatisfactoria eſſe pro pœna temporali, etiam pro omni pœna, & quod amplius, pro reatu ipſo, adeoque peccatorum eſſe expiatoria, quum Miſſæ ſacrificium dicat eſſe propitiatorium pro peccatis & pœnis vivorum & mortuorum, quum denique nonnullorum opera ſupererogatoria, eouſque extollat, ut etiam alijs ad ſalutem ſint utilia: dicimus illius doctrinam directè contra Apoſtolicam pugnare.

THESIS VICESIMA,

DE

Libertate Chriſtiana.

Reſp. ENGELBERTO SIBELIO.

I.

LIbertas in genere eſt ſtatus, ſecundum quem quis eſt ſui juris, & alteri non obligatus; cui opponitur ſervitus, ſecundum quam quis ſui juris non eſt, ſed obnoxius alteri, vel ad agendum quod præcipit, omittendumque quod vetat, vel ad patiendum quod infligit. Libertas Chriſtiana dicitur præcipuè ab authore Chriſto, qui illam comparavit, tum etiam à ſubjectis, quia Chriſtianis, id eſt, in Chriſtum credentibus, competit. Præſupponit autem ſervitutem; quia Chriſtus non fuit neceſſarius niſi ijs, *qui metu mortis per omnem vitam obnoxij erant ſervituti.* Heb. 2. 15.

II. Libertas Chriſtiana eſt ſtatus ille plenitudinis gratiæ & veritatis, in quem à Deo per Chriſtum conſtituti, & per Spiritum S. obſignati ſunt fideles; conſtans partim liberatione à ſervitute peccati & legis, tum verò

verâ tum œconomicâ, partim adoptione in jus filiorum Dei & miſſione Spiritus Filij in corda eorundem; cujus finis eſt laus glorioſæ Dei gratiæ in Chriſto, & ſalus credentium ſempiterna.

Col. 1. 12. 13. Ioan. 8. 36. Gal 5. 1. 2. Cor. 3. 17 18. Luc. 1. 78. Rom. 5. 6. & ſeqq. & cap. 8. 2. 3. Rom. 8. 15. 16. Ephe. 1. 13. 14. 2. Cor. 5. 19. Ioan. 1. 12. Rom. 5. 2. Gal 3. 16.

III. Cauſa efficiens eſt Deus Pater, qui offert, Filius mediator qui confert, & Spiritus ſanctus qui intus eam obſignat. Προηγουμένη eſt gratia & φιλανθρωπία Dei in Chriſto. Προκαταρκτικὴ eſt ἀντίλυτρον & ſatisfactio Chriſti. Obſignans & conſervans eſt Spiritus ſanctus arrhabo & teſtis in cordibus fidelium. Inſtrumentum eſt duplex: unum ex parte Dei exhibentis, Euangelij ſermo; alterum ex partehominis eſt fides in Chriſtum. Materia circa quam eſt tum peccatum, & lex, peccati virtus; tum jus filiorum Dei, & ſpiritus Chriſti.

Gal. 1. 3. Gal. 4. 6. Gal. 1. 26. Ephe 1. 14. Rom. 6. 21. Hebr. 6 18. 19. 20. Rom 6. 18. 19. 20. 21 22. 1. Pet. 2. 16

IV. Forma conſiſtit in liberatione ex ſervitute ſpirituali peccati & legis, tum vera, tum œconomica, & donatione juris filiorum Dei, & miſſione Spiritus S. in corda credentium. Subjectum ſunt omnes fideles à tyrannide peccati & legis exempti, & per gratiam adoptionis à Deo propter Chriſtum in filios aſſumpti. Finis ſummus eſt laus glorioſæ Dei gratiæ; ſubordinatus ſalus fidelium. Effectus ſive fructus duplex eſt; primus ſervit conſolationi, alter admonitioni, ut à peccato liberi, ſervi fiamus juſtitiæ.

V. Quia verò libertas illa opponitur ſervituti, quæ illam præceſſit, ideò de ſervitute iſta prius dicendum, ut facilius conſtet ratio libertatis huius. Sciendum autem primum hominem liberum à Deo conditum eſſe, ſed illum libertate ſua, abuſum eandem amiſiſſe, ſervumq; factum illius, cui obedivit, id eſt peccato, tum quò ad reatum condemnationis, tum quo ad Dominum: quæ vera eſt ſervitus & ſumma miſeria. Hanc excepit ſervitus Oeconomica, inducta à Deo per legis moralis repetitionem, & ceremonialis poſitionem. Servitus ſub lege morali fuit rigida illius exactio, quâ homo ad deſperationem illius præſtandæ adductus, tyrannidem peccati dominantis agnoſceret. Servitus ſub lege ceremoniali fuit condemnationis obſignatio, qua homo de reatu convinceretur, & ſic per hanc & illam ad Chriſtum confugeret, qui à reatu & dominio peccati liberaret.

VI. Iam videamus, quomodo fideles ab hac ſervitute per libertatem Chriſtianam vindicentur: reſtrictâ conſideratione ad Eccleſiam N. Teſt. cui integra illa libertas competit: omiſſis fidelibus V. T. Quanquam & illis per promiſſionem ſeminis benedicti, & fidem in illud, liberatio a vera ſervitute, & jus filiorum Dei Spiritusque adoptionis competat; ſed Spiritu ſervitutis œconomicæ contemperatus.

Gen. 3 15. & cap. 15. 6. Heb. 11. Gal. 4. 1. 2. 3.

VII. Illam libertatem quatuor gradibus circumſcribimus. Primus gradus conſiſtit in immunitate à reatu & condemnatione peccati, quod ſanguine Chriſti expiatum eſt, in cujus fide remiſſionem peccatorum obtinemus, & juſtificationem ab ijs, a quibus per legem Moſis abſolvi non potuimus. Secundus eſt in liberatione a Dominio & tyrannide peccati inhabitantis, eò quod vis illius per Spiritum Chriſti inhabitantem mortificata, & enervata eſt, ne amplius dominetur ijs, qui ſunt ſub gratia. Vtraque autem iſta libertas

Rom. 6. 14.

libertas ex eo eſt, quod peccatum in
Cap. 8. 3. carne Chriſti ſit condemnatum, &
propterea nec jus habeat condemnandi, neque imperandi.

VIII. Tertium gradum ponimus in temperamento rigoris iſtius, quo Deus Legis moralis obſervationem poſtulavit in primo ſtatu, & inde poſtulare potuit, ſi eodem modo cum hominibus agere voluiſſet; & actu ipſo, ſed œconomico poſtu-
Exod. cap. 15. 18. lavit a populo V. Teſtamenti. Quod
Gal. 4. 24. 25. horribili iſta legis latione in monte
Sinai indicavit. Nos vero acceſſi-
Esaie 2. 3. mus ad montem Sion, & N. Teſta-
Mich. 4. 2. menti mediatorem Chriſtum, cujus
Hebr. 12. 18. &c. jugum facile eſt & onus leve, eò
Mat. 11. 30. quod Chriſtus jugum exactionis fregit, & Deo viſum fuit ſecundum ἐπιεικείαν agere in Novi Teſtamenti pactione.

IX. Quartum gradum ſtatuimus in vindicatione à ſervitute œconomica legis ceremonialis; quæ quatuor ſub V. T. reſpectus habuit. 1. Enim fuit ſignaculum condemnationis, & debiti noſtri Chyrographum, Gal. 3. 21. Hebr. 10. 3. 4. 2. Symbolū ac teſſera, quā populus Iudaicus à reliquis omnibus gentibus uſque ad Chriſti adventum diſcerneretur. Gen. 17. 1. 3. 14. 3. Typica adumbratio Chriſti, & præſignificatio beneficiorum ejus. Hebr. 9. 9. 10. & cap. 10. 1. 4. Denique fuit tanquam miles præſidiarius, pædagogus & tutor, quo Eccleſia in infantili ætate ſub elementis mundi in ſpe promiſſi & venturi Meſſiæ cuſtodiretur, & in fidem illius, & ad illum deduceretur; ut Paulus Gal. 3. in fine, & princip. cap. 4. docet.

X. Primum reſpectum ſublatum eſſe oportet, ſublatâ condemnatione peccati, cujus erat ſignaculum. Illam vero per Chriſtum eſſe abolitam, theſi 7 docuimus. Conſequens igitur eſt, hunc quoque finem ſuum nactum eſſe; quod Paulus docet Coloſſ. 2. 14. ubi inquit: *Chriſtum, deleto, quod adverſum nos erat, ritnum Chyrographo, illud cruci affixum è medio ſu-* *Ephe. 2. 15.*
ſtuliſſe ſuoque ſanguine perfudiſſe & obliteraſſe. Secundo quoque reſpectui amplius locus ſupereſſe non poteſt, 14.
poſtquam *gentes, quæ olim erant longinquæ propinquæ factæ ſunt per ſanguinem Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui ex utraque fecit unum, & intergerini parietis ſeptum ſolvit: Inimicitias, id eſt, lege præceptorum, quæ in ritibus poſita eſt, per carnem ſuam abolitis; ut ex duobus illis conderet, in ſemetipſo unum novum hominem, faciens pacem,* &c. Tertius reſpectus conſiſtebat in typis & umbris Chriſtum cum ipſius beneficijs præfigurantibus; qui nullâ ratione ſtare poteſt, poſtquam jam corpus ipſum eſt exhibitum. Coloſſ. 2. 17. Quartus denique reſpectus poſt adventum Chriſti eſt inutilis. Quando enim hæres ad adultam ætatem pervenit, non amplius præſide, pædagogo & tutore indiget, ſed ipſe hereditatem adminiſtrare, & ſibi ipſi ſuo judicio in rebus potiundis præire & ſufficere poteſt, ſic poſtquam Eccleſia ex annis infantiæ exceſſit, & adultam in Chriſto ætatem eſt ingreſſa, non amplius cultui Moſaico ſub egenis mundi elementis ſubeſt, ſed ductui Spiritus Chriſti eſt ſubjecta, Roman. 8. 15. Galat. 4. 4. 5. 6. 7.

Gravis ergo eſt error Phariſæorum & Ebionitarum, quo legis Ceremonialis obſervationem cum Evangelio, à Chriſtianis etiam gentilibus coniungendam eſſe ſtatuebant.

XI. Huic quarto gradui libertatis

Chri-

Christianæ adnectimus liberum rerum indifferentium uſum & exercitium: quam tamen libertatem Deus duplici lege circumſcriptam eſſe voluit; quò & ſuæ gloriæ, & Eccleſiæ ſaluti conſuleret; lege videlicet charitatis & fidei. Lex fidei præſcribit, ut de legitimo rerum indifferentium uſu recte ſis inſtructus, & ſufficienter confirmatus. Lex charitatis ædificationem proximi ſive infirmi, ſive confirmati, procurare jubet. Exempla habes Roman. 14. 1. Cor. 8. 9. & cap. 10. 27. 28. 29. &c. Actor. 16. 3. Quo etiam pertinet, ut ritibus in Eccleſia receptis inſiſtas, ne importunâ mutatione Eccleſiæ vel ſchiſma, vel moleſtias apportes.

Rom. 14. v. 5. 14. & 13.

1. *Graviter ergò errant, qui in abſtinentia hujus libertatis, privatum ſuum commodum & εὐζωίαν ædificationi proximi anteponunt.*

Gal 5. 13. Rom. 14. 3. & 10.

2. *Gravius errant, qui hâc libertate vel ad ſatiandam carnis libidinem, vel intempeſtivo zelo ad contemptum & offendiculum fratrum infirmorum, abutuntur.*

3. *At omnium graviſſimè errant, qui vel rebus adiaphoris neceſſitatis cultum affingunt, vel res adiaphoras eſſe fingunt, quæ minimè tales ſunt.*

XII. Fortè non utiliter & quintum libertatis gradum hiſce addemus, nempe immunitatem à legibus judicialibus fori Iſraëlitici. De qua tenendum, leges politicas Moſis continere. 1. jus politicum commune naturæ. 2. jus ſingulare genti Judeorum accommodatum. Ius naturę commune notiones univerſales juſtitiæ, æquitatis, honeſtatis complectitur. Ius ſingulare, quà genti Judæorum proprium, eatenus certis determinationibus ſecundum perſonas, quarum bono eſt ſancitum, res & negotia, de quibus eſt ſancitum, & circumſtantias, cum quibus eſt ſancitum, eſt definitum. Vnde de immutabilitate & mutabilitate harum legem judicium fieri debet. Immutabile eſt, quicquid ſecundum principia univerſalia naturę, & rationem communem legis moralis, ad commune bonum vel jubendo, vel vetando, vel munerando, vel puniendo, eſt ordinatum; proinde ad hoc ſe Chriſtiana libertas non extendit. Mutabile eſt, quicquid juris ſingularis particularem reſpectum habet. Non ergò tenentur Chriſtiani hiſce legibus, quâ ſunt determinatæ jure ſingulari ad modum reipub. Iudaicę, hoc eſt perſonarum, actionum, & finis, ſive boni particularis. Quæ verò ex his legibus mixti ſunt generis; in his τὸ ἠθικὸν ἀπὸ τοῦ πολιτικοῦ eſt diſtinguendum. Quicquid morale, obligat & permanet vel ratione communi, vel analogia: quicquid politicum, quo ad ſingulares determinationes non aſtringit.

Improbamus ergo κακοζηλίαν Monetarij & Caroloſtadij, qui magiſtratum Chriſtianum neceſſitati obſervandarum legum particularium forenſium Moſis, in jure dicendo alligarunt.

XIII. Libertatem iſtam ex ſervitute peccati & legis, cui pax conſcientiæ adnexa eſt, ſequitur jus filiorum Dei & miſſio Spiritus adoptionis in corda fidelium. Ius illud in eo conſiſtit, quod conſtituti ſunt hæredes Dei & cohæredes Chriſti, quò non pertinet tantùm animarum immortalitas beata, ſed & liberatio corporum à vanitate, & ſervitute interitus in libertatem Filiorum Dei, quę etiam adoptionis nomine venit, & redemptio corporum noſtrorum dicitur.

Rom. 8. 15. Gal. 4. 5. 6.

Rom. 8 19. Rom 8 21. Rom. 8 23.

dicitur. Vnde etiam ij, qui filij reſurrectionis erunt, filij Dei dicuntur. Spiritus vero adoptionis mittitur in corda filiorum Dei; utpote Filij Spiritus exiſtens, ut ſit arrhabo, ſigillum & primitiæ iſtius hæreditatis, quo certi reddimur, quòd, quũ vita noſtra cum Chriſto in Deo abſcondita ſit, una cum Chriſto glorioſè patefacto manifeſtandi ſimus & nos glorioſi: & ſic libertas gloriæ in æternum duratura excipiet hanc gratiæ libertatem, quam in Chriſto Domino noſtro per fidem in ſanguine ipſius hic obtinemus.

Luc.20.36. Galat.4.6. 2.Cor.1.22. Ephes.1.14. Coloſſ.3.4.

CVI SIT LAVS IN SECVLA.

Coronidis loco quæritur.

I. Vtrùm libertas à ſervitute peccati, & ſervitute œconomica uno eodemque, an verò duplici actu ſit peracta? Prius dicimus.

II. Vtrùm Idolothytis veſci liceat? Diſtinguimus.

THESIS VICESIMAPRIMA
DE
Pontifice Romano, & præcipuis, qui ipſi attribuuntur, titulis.

Reſp. IOHANNE MARTINIO.

I.

DE Pontifice Romano, aliquot jam ſeculis nihil humile nec mediocre, ſed omnia grandia & precellentia ſenſerunt & loquuti ſunt, quotquot ejus notitiam habuerunt; ita poſtulante ſublimi illo dignitatis gradu in quem evectus fuit. Eaque ipſa tam diverſa imò adverſa, ut mirabile ſit tam variantia & contraria de uno eodemque judicia & eloquía inter Chriſtianos, ſaltem profeſſionis tenus, reperiri: alij enim titulis honeſtiſſimis eum non ornant modo, ſed & onerant; quum illum ſponſum, caput, fundamentum Eccleſiæ Catholicæ, vicarium Dei & Chriſti in terris, dominum univerſi populi Chriſtiani abſolutum quod ad ſpiritualia attinet, in temporalibus verò quatenus ad ſpiritualia ordinata ſunt, & principem paſtorum & Epiſcoporum appellant: alij verò prorſus contrarijs illum dehoneſtant, adulteri & lenonis Eccleſiæ, pſeudo prophetæ, deſtructoris & everſoris Eccleſiæ, adverſarij Dei & Antichriſti, ſervi mali & perverſi, qui nec Epiſcopi munere fungitur, nec nomine dignus ſit. Nos hiſce poſtremis accedentes, prioribus titulis indignum dicimus, & hoſce meritiſſimo jure ipſi tribui aſſerimus: quod paucis theſibus commonſtamus.

II. Sponſus & Maritus Eccleſiæ Catholicæ unus eſt ſingulariſſimâ unitate, ſecus Eccleſia adultera eſt; illius propria ſunt, quod Eccleſiam dilexit, ſeipſum pro eâ expoſuit, proprio ſanguine ſibi illam acquiſivit, ex propriâ carne & oſſibus per Spiritum regenerationis illam fabricavit, ſanguine & ſpiritu ſuo illam ſanctificavit & mundavit, ut ſiſteret illam ſibi ſanctam, inculpatam & glorioſam: quod arrhabone ſui Spiritus, velut annulo maritali, eam ſibi deſponſatam obſignavit, ſua bona

Ephes.5.25. 26.27. Act.20.28. 2.Cor.1.21. 22. Rom.8.9. 15 16. Ephes.5.23. Act.4.12. Ap.21.17. 2.Cor.11.2.

bona illi ad vitam & ſalutem neceſſaria & ſufficientia communicat; quod Eccleſia in illum reſpicit, ab eo ſolo omnia bona petit, exſpectat, accipit: quod Apoſtoli Eccleſiam illi tanquam virginem puram uni viro ſiſtendam præparant. At hæc ſoli Chriſto competunt; Pontifex verò Romanus non eſt Chriſtus, ergo neque ſponſus vel maritus Eccleſiæ Catholicæ: neque

Ioh. 3. 29.

poteſt ulla inter Chriſtum & Pontificem Romanum, etiam optimè habentem, major fingi propinquitas, quam quæ amici ſponſi, & paranymphi nomine ſignificatur.

Extrav. de maior. & obedientia ver. 8. Ioh. 17. 15. 1. Cor. 6. 17. 19.

III. Caput Eccleſiæ unum eſt, ſecus Eccleſia monſtrum erit. illius propria ſunt; internâ Spiritus, & fidei copulâ cum Eccleſia unitum eſſe: Eccleſiam ſibi ſubjectam & ſubordinatam habere: omnia Eccleſiæ ad vitam & ſalutem neceſſaria perfecte in ſe continere, Eccleſiæ vitam, ſenſum, & motum Spiritus ſui efficaciâ inſpirare; Eccleſiæ totius omniumque & ſingulorum ejus

Ephe. 3. 17. 5. 24. 25. Gal. 2. 20. Heb. 4. 15. Act. 9. 4. 5. Ephe. 2. 6. Phil. 3. 20.

membrorum malis affici, imò in ipsâ Eccleſia perſecutionem & afflictiones pati tanquam in proprio ſuo corpore, ijſque ſubvenire; in ipſius perſona Eccleſiam unà excitatam, unaq; in cœlis collocatam eſſe, quæ etiam propterea ſuum in cœlis πολίτευμα habet. At hæc omnia ſoli

Rom. 12. 4. 5. 6. 7. 8.

Chriſto conveniunt; Pontifex autem Romanus non eſt Chriſtus: ergo neque caput Eccleſiæ: nec poteſt ulla inter Chriſtum & Pontificem Romanum propinquitas fingi, quæ

2. Cor. 12. 4. 5. 6. & per totum caput.

non membri alicujus in corpore, vel officij membro alicui competentis nomine ſignificetur: nec major ipſi dignitas ſub Chriſto capite convenire, quam quæ Apoſtoli, Prophetæ, Euangeliſtæ, Doctoris, Paſtoris, Epiſcopi, poteſtatis, doni ſanationum, opitulationis gubernationis vocibus comprehenditur. Et illæ omnes dignitates membris corporis Eccleſiæ attribuuntur; ergo ob nullam earum nomen Capitis Pontifici competit.

1. Tim. 3. 15. Hebr. 3. 6. Ephe. 2. 20. 21. 22. Mat. 16. 18. Eſa. 28. 16. 1. Pet. 2. 4. 5. 6.

IV. Fundamentum Eccleſiæ Catholicæ unum eſt, quia eſt una domus Dei & Chriſti illius propria ſunt, ſuâ vi ſtare, neque ulli fundamento inniti: totam domum ex duobus populis Iudæorum & gentilium illi tanquam angulari lapidi inædificatis conſtantem, vi ſibi inſitâ ſuſtinere, adverſus omnia quæ extrinſecus, ſive deſuper, ſive ab inferis, ſive à lateribus, à dextris, à ſiniſtris ingruere poſſunt, immobile perſiſtere, non nutare, non mergi, non labi: omnibus vivis lapidibus, qui illi inædificati ſunt, immediatum fulcrum & ſtabilimentum eſſe; cui qui credit, non pudefit, qui verò non credit, ſed immorigerus eſt, impingit, conquaſſatur & perit. Et hæc omnia & ſingula ſoli Chriſto conveniunt; Pontifex autem Romanus non eſt Chriſtus: ergo neque eſt fundamentum Eccleſiæ. Cæterum metonymia, qua Prophetæ & Apoſtoli dicuntur fundamenta Eccleſiæ; & ſancti ſuperſtructi ſuper fundamento Prophetarum & Apoſtolorum, nihil illis ultra tribuit,

Apoc. 21. 14. Ephe. 2. 20.

quam quod fuerint cooperarij Dei in ponendo hoc fundamento Chriſto, & totâ domo illi inædificandâ. Inter hos verò & Petrus fuit, nulla

1. Cor. 3. 9. 6. 7. 8. 9. 11. 12. 1. Cor. 15. 10.

præ reliquis Apoſtolis prærogativa pollens, ſed Paulo, licet non poteſtate, at inædificationis amplitudine, inferior.

V. Vicarius Dei generalis ſive

universalis eſt, qui omnia Dei nomine, juſſu, authoritate in cœlis & in terris adminiſtrat: huic neceſſe eſt
Ioh. 5.22. 26 27. Ioh. 17.2.24 ut competat. I. poteſtas, minor quidem ratione diſpenſationis, quam illius eſt, qui ipſum conſtituit, attamen illi proxima, & à nulla alia quam Dei dependens; adeò ut &
1. Cor. 15.27. Apoc. 2 & 3 Phil. 3.21. Gal. 2. 20. αὐτοκρατορικὴ & παντοκρατορικὴ non immeritò dici poſſit: II. Scientia potentiaque neceſſaria ad adminiſtrandum omnia; quæ non poteſt divina minor eſſe; opertet enim illam ad omnia & ſingula extendi; & quidem immediatè, ſi internam efficacitatem gubernationis conſideremus. Et hic vicarius Dei ſolus Chriſtus eſt, utpote cui uni iſta conveniunt; Pontifex vero Romanus non eſt Chriſtus, ergo non univerſalis Dei vicarius, ne in Eccleſia quidem, quia eadem illius ratio, quæ totius univerſi. Vicarius Chriſti univerſalis eodem modo erit, qui
Ioh 1. 6 7. & 13.14.15 Act 20.28. Act. 13. 2. Rom. 8. 14. Chriſti cauſam agit, omniaque ejus nomine & authoritate adminiſtrat potentia & ſapientia purè divinâ. Et hic Spiritus Chriſti eſt, advocatus ejus, Spiritus ſapientiæ & virtutis Dei.; qui Chriſti nomine conſtituit Apoſtolos, Prophetas, Doctores, Epiſcopos, agitque & regit credentes, incredulos vero convincit & condemnat: Pontifex Romanus ille Spiritus non eſt, neque illum acce-
Rom. 12. 3. Ephes. 4. 7. pit ſine menſura: Neque poteſt ulla ſuccenſuriata eſſe Pontificis Romani ſub Chriſto poteſtas, quam particularis, utpote Spiritu non niſi ſecundum menſurã donationis Chriſti præditi, etiam cum optimè habet: eaque non qua Chriſtus Sacer-
1. Cor. 3. 5. 6. &c. dos eſt, nam id munus vicarium non admittit; ſed qua Rex & Propheta ſummus eſt; & tantum quatenus externam alicujus partis regni & populi Chriſtiani adminiſtrationem, ſive per doctrinam, ſive per regimen concernit, interna ipſi Chriſto interea in ſolidum remanente, & Spiritu illius.

VI. Dominium cœli & terræ, ſive in univerſam Eccleſiam (hæc enim ſeparari nequeunt) divinâ donatione competit in illum ſolum, qui dixit omnia mihi tradita ſunt à Patre meo; omnia quæ Pater habet mea ſunt: mihi eſt data poteſtas in cœlo & in terra, profecti ergo docete omnes gentes; quemadmodum dediſti illi authoritatem in omnem carnem, ut quotquot dediſti ei, det eis vitam æternam; quem collocavit Deus ad dexteram ſuam in cœlis, longè ſupra omne imperium, poteſtatem, dominium, & nomen quod nominatur in hoc & in futuro ſeculo; qui dicitur principium ſeu principatus, primogenitus ex mortuis, ut in omnibus primas teneat; in quo Eccleſia completa eſt; qui eſt caput omnis imperij & poteſtatis; in cujus veſtimento & femore ſcriptum eſt nomen, Rex regum, & Dominus dominantium; at ille eſt ſolus Chriſtus; Pontifex autem Romanus non eſt Chriſtus. Diſcrimen plenariæ poteſtatis quoad ſpiritualia & temporalia, tum plenetudini poteſtatis, tum ſubordinationi ſpiritualium & temporalium contrarium eſt & confictum ob defectum potentię, qua ad temporalia ſibi ſubjiciendum deſtituitur Pontifex, etiam iſtis in populis, ubi ſpiritualium poteſtatem obtinuit. Mat. 11.27 Ioh 17. 10. Mat. 28.18. Ioh. 17. 2. Ephes. 1.21. Coloss. 1. 18. & 2.10. Ap. 19.16.

VII. Princeps Epiſcoporum, Apoſtolorum, Prophetarum, Euangeliſtarum, Paſtorum, Doctorum unus eſt, ſecus non unus in Eccleſia monar- 1. Cor. 12. 4. 5. 6. &c.

monarcha & dictator, quod monarchicus ſtatus & regimen poſtulant, ſed duûmviri obtinebunt principatum. illius propria ſunt, Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores, Doctores, & omnes Epiſcopos in Eccleſia inſtituere, ſanctificare, ad opus miniſterii ſegregare, illis dicenda & agenda præſcribere, eoſdem donis neceſſariis & ſufficientibus inſtruere, munere fungentibus præſentem vi Spiritus & gratiæ ſuæ adeſſe, efficaciam functioni concedere, ad rationem reddendam adigere, facta & omiſſa ſingulorum diſpungere, & pro ratione adminiſtrationis præmium vel pœnam retribuere: Hęc vero ſoli Chriſto competunt; at Pontifex Romanus non eſt Chriſtus; ergo neq; princeps Epiſcoporum: ſed ſi quæ illius etiam optimè habentis partes ſint in hoc munere, alio nomine appellari nequit, quam Epiſcopi, Paſtoris, Doctoris, reliquos omnes Epiſcopos pro ſympresbyteris agnoſcere debentis, citra ullam poteſtatis, quæ ad muneris eſſentiam pertineat, imparitatem.

Ephe. 4:4. 5. 10. 11. 12. Matth. 28. 18. 19. 20. Rom. 12. 3. 2. Cor. 3. 5 6. Matt. 28. 20. Marc. 16. 20. 1. Cor. 3. 6. 1. Pet. 5. 4. Matt. 25. 19. usque ad 30.

1. Pet. 5. 1.

VIII. Quum igitur Pontifex Romanus honorificentiſſima illa Chriſti nomina ſibi attribuat vel attribui volens patiatur; blaſphemiam in illis ſitã nec exhorreſcens, nec ullo indicio diſplicere ſibi teſtificans, ſequitur illum ſe Chriſti loco conſtituere, & Chriſto ſummè contrarium eſſe: neque excuſat illa explicatio quod caput & fundamentum miniſteriale ſit, quod omnia iſta ſibi attribuat ſub ipſo Chriſto, velut à Deo & Chriſto ad iſtam dignitatem per gratiam evecto. Proteſtatio enim eſt facto directe contraria: tantopere Dei & Chriſti adverſarius eſt tetrior, quanto magis ſe ut Dei & Chriſti authoritate munitum oſtentat. Illud enim eſt ſub amicitiæ ſimulatione veras inimicitias exercere, & ſub miniſtri lucis & juſtitiæ larvato ſchemate, regni tenebrarum & injuſtitiæ negotium agere. quâ etiam ipſa de cauſa poſteriora illa nomina, quę theſi prima poſuimus, in illum jure meritò competere aſſerimus: quod ſigillatim porrò monſtramus.

IX. Et primò quidem adulteri & lenonis Eccleſię. Adulter eſt Eccleſiæ, tum profeſſione publica, & mutua utriuſque; eò quod ille Eccleſiam ſponſam ſuam appellat; illa vero neque arrogantiam iſtius nominis repudiat, neque invidiam veretur: tum reipſa: ſpirituale enim cum Eccleſia adulterium exercet, & illa viciſſim cum eo. Iubet ſcripta apocrypha pro divinis & canonicis haberi, veterem Bibliorum vulgatam latinam verſionem pro authentica ubique ſuſcipi, & nullo prætextu rejici, interpretationes ſuas ſcripturarum indubitata fide recipi, traditiones non ſcriptas pari affectu & reverentia cum verbo Dei ſcripto venerari, leges ad fidem & mores pertinentes figit & refigit, iiſque conſcientias alligat: indulgentias plenarias & remiſſionem peccatorum omnium ex plenitudine poteſtatis pollicetur & offert: ſeipſum ſupra omne σέβασμα effert, & ſeu Deum quendam adorandum cultu religioſo proponit. Et in hiſce omnibus habet ſibi obſecundantem Eccleſiam fraudibus ſuis deceptam. Adulter itaque eſt Eccleſiæ. Leno vero eſt Eccleſiæ, quia illi variorum ſpiritualium adulteriorum cum varijs Maritis, Angelis, Maria, ſanctiſq;

alijs demortuis; cum imaginibus Dei, Chriſti, Spiritus S. crucis, Angelorum, Mariæ, Sanctorum; cum pane in euchariſtia, alijſque rebus inanimatis exercitorum, & porro exercendorum, author, ſuaſor impulſor & conciliator eſt.

Eſa. 9.15. X. Pſeudoprophetæ nomen illi competit (quem ſcriptura caudam nominat capiti oppoſitam:) ſive id generali notione accipiatur, ſive ſingulari ad certam & determinatam 2. Pet. 2. 1. perſonam reſtricta. Generali notio- Actor. 13. 6. ne, ſive ſignificet eum qui mendacium docet citra arrogationem nominis Prophetæ, ſive eum qui ſe falſò Prophetam jactitat; quæ propria videtur vocis ſignificatio. Nam primo plurima falſa dogmata in Eccleſiam partim invexit ipſe, partim invecta, quum myſterium tantum exlegitatis perageretur, propugnat, ſtatuminat, propagat. qualia ſunt, de Bulla v. de maior & obedient. Tit. 8. ſcripturarum ſine traditionibus inſufficientia ad omnem veritatem neceſſariam probandam, & falſitatem confutandam: quod ſubeſſe Pontifici Romano omni humanæ creaturæ omnino ſit de neceſſitate ſalutis, quod panis euchariſtię tranſſubſtantietur in corpus Chriſti: quod Chriſtus quotidiè in miſſa à ſacerdote offeratur in ſacrificium propitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum, quod homo partim fide, partim operibus coram Deo juſtificetur, quod ſit purgatorium, in quod ingrediantur animæ nondum ſatis purgatorum, quæ inde liberantur precibus, ſuffragijs, vigilijs, eleemoſynis, indulgentijs, &c. Altero ſenſu; quia dicit ſe Prophetam eſſe, qui, ob perpetuam Spiritus S. cathedræ affixam adſiſtentiam, errare in rebus ad fidem & mores pertinentibus, non poſſit. ſingulari verò notione; quia Pontifex Romanus eſt ille pſeudopropheta, qui edit ſigna coram beſtia: ex cuius ore tres Apoc. 19. 20 impuri ſpiritus ſimiles ranis pro- Apoc. 16. 13. deunt, qui non incommodè per cau- Apoc. 12. 14 dam draconis intelligitur tertiam partem ſtellarum cœli trahentem.

XI. Everſor vero & deſtructor Eccleſiæ merito nuncupatur: quum enim Eccleſia per fidem doctrinæ Prophetarum & Apoſtolorum in- Ephe. 2. 20. 21. nixam lapidi angulari Chriſto ſu- 1. Pet. 2. 5. 6 perſtructa, porro per fidei obſequium Ephe. 4. 3. in recto numinis cultu & ſtudio ſanctimoniæ creſcat magis magiſque, & adoleſcat in domino, coagmentata in unum corpus per vinculum pacis & concordiæ; Pontifex Rom. quadruplici modo illius ſe everſorem demonſtrat. Primò fidem pervertendo: quod facit. I. Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ apocryphos libros & traditiones non ſcriptas addendo II. Seipſum Chriſto unico fundamento alterum fundamentum conjungendo: III. Plurima falſa dogmata veris admiſcendo: IV. Vera nonnulla auferendo, vel falſis interpretationibus corrumpendo. Secundò cultus divini ſinceritatem adulterando; quod facit, tum per additamentum ad perſonas, quæ ſolæ ſecundum Deum & præſcriptum ejus colendæ ſunt, inde per modi invictionem, qui expreſſe à Deo vetitus eſt. III. per ſuperſtitionum vanarum, anilium, ridicularum introductionem; denique per ſingularium devotionum, ſeparatarum fraternitatum, & commentitiarum Religionum Franciſci, Dominici, &c. inſtitutionem: Tertiò ſanctimoniæ & morum integritatem vitiando: quod ipſum hiſce potiſſimum actibus perfi-

perficit; I. faciles modos obtinendi remiſſionem peccatorum & plenarias indulgentias comminiſcendo; II. Præcepta nonnulla conſiliorum nomine indigetando. III. Quamplurimos ab obligatione debiti ſui ſolvendo. IV. Ad ea, quibus capiendis & præſtandis non quivis eſt idoneus obligando. V. Exempla peſſima omnis nequitiæ in orbem Chriſtianum invehendo. Denique concordiæ & unitatis vinculum rumpendo; quod hiſce potiſſimum actibus & artibus perficit. 1. quum poteſtatem ſibi, quam nullo jure habet, in alios arrogat. 2. quum multa dogmata falſa pro veris, non neceſſaria pro neceſſarijs credenda obtrudit. 3. per excommunicationes & bruta fulmina, quibus & in immeritos, & ſuæ diœceſi non ſubditos debacchatur. 4. Quum diſſidia inter principes & reſpublicas magiſtratuſque & ſubditos ſuſcitat, aut aliunde nata fovet, auget, continuat.

XII. Adverſarij porro Dei & Antichriſti nomen ipſi competere evidentiſſimâ ratione monſtratur. (2. Theſ. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.) Prius enim illi Apoſtolus tribuit, quum appellat illum hominem peccati, filium perditionis, adverſarium & efferentem ſe ſupra, vel contra omne id, quod dicitur Deus aut σέβασμα, ita ut in templo Dei tanquam Deus ſedeat, præ ſe ferens ſe eſſe Deum; qui ex collapſo imperio Romano exurget, ejuſque vacantem dignitatem occupabit. Hæc enim de Pontifice Romano ſola intelligenda eſſe & intelligi poſſe aſſerimus. Antichriſti vero nomen illi competit excellentiſſimè; ſive particula ἀντὶ oppoſitionem, ſive unius rei pro altera ſubſtitutionem, & quidem non ab eò qui poteſtatem habet ſubordinandi, ritè & legitimò factam, ſed talem, qua quis vel à ſeipſo, vel ab alio per vim & fraudem ſubordinatur, ſignificet. Nam & æmulus eſt Chriſto ejuſque adverſarius, quum ſe ſponſum, caput, fundamentum Eccleſiæ, poteſtatis plenitudine donatum jactitat, & tamen partes Chriſti ſe agere vicemque ejus in terris obire profitetur: proprij compendij cauſa, in manifeſtum Eccleſiæ Chriſti diſpendium. Nomen autem Chriſti prætexere neceſſe habuit, ut ſub Chriſti nomine reverentiam ſibi apud Chriſtianos conciliaret, quam obtinere nequiſſet, ſi ſe aperte vel Chriſtum, vel adverſarium Chriſti profeſſus eſſet.

XIII. Præterea dicimus Pontificem Romanum, quamquam ſervum ſe ſervorum Dei vocet, tamen κατ' ἐξοχὴν ſervum illum malum & (Mat. 24. 28.) perverſum eſſe, qui, cum videret Dominum ſuum tardare, cœpit verberare conſervos ſuos. Pontifex enim Romanus non modo in conſervos ſuos, hoc eſt Epiſcopos Eccleſiæ Dei, ſed etiam in ipſos Imperatores & Reges, quorum ante agnoſcebat ipſe imperium & dignitatem, dominatum & tyrannidem uſurpavit. Quem ut ſibi acquireret, & magis magiſque augeret & conſtabiliret, omni inſtrumentorum Satanicorum genere uſus eſt, ſophiſtica hypocryſi, mendacijs, æquivocationibus, perfidia, perjurijs, violentia, veneno, armis, adeò ut merito dici poſſit beſtiæ illi formidabili, quæ pardo, urſo, leoni ſimilis eſt, & qua Romanum imperium ſignificatum eſt, ſucceſſiſſe, ejuſque imaginem animaſſe, & effeciſſe, ut quicunq; imaginem beſtiæ non adorarent, occiderentur.

XIV. Ex

1. Tim. 3. tit. 1. XIV. Ex hiſce denique omnibus quanquam facile liqueat, Pontificem Romanum Apoſtoli, Prophetæ, Euangeliſtæ, Paſtoris, Doctoris, & universè Epiſcopi nomine indignum eſſe; 1. Cor. 3. 5. & 12. 28. Ephes. 4. 11. tamen & hoc peculiari argumento à proprijs illorum attributis & muneribus deducto, liquere poteſt illa ipſa ex ſcripturis veteris & Gal. 1. 7. 8. 9. N. T. præſertim epiſtolis Paulinis ad Tim. & Tit. inquirentibus. Zach. 11. 15. 16. 17. Neque valet effugium, quod quis per alium tanquam vicarium facit, hoc per ſe facere videtur. Nam ſolus Chriſtus eſt, qui iſtorum tanquam miniſtrorum vicariâ operâ utitur, & munera talia ſunt, quæ ab ipſis, qui nominibus iſtis inſigniuntur, obiri debent. Rectè ergo in Pontificem Romanum competit, quod Deus minatur per Zachariam, ſe excitaturum paſtorem ſtultum, & paſtorem idolum, qui ovium curam non geret, pinguium tamen carnes comedet, & ungulas earum confringet. Faxit Deus ut Eccleſia ab Antichriſti fraudibus & tyrannide liberata, Paſtores nanciſcatur, qui illam in veritate, charitate, & prudentia paſcant, ad ipſarum ovium ſalutem, & & ſummi Paſtoris gloriam, Amen.

COROLLARIA.

I. Religioſæ ſapientiæ eſt Curiam Romanam ab Eccleſia, in qua Pontifex ſedet, interſtinguere.

II. Pontificem Romanum etiam optimè habentem pro capite Eccleſiæ, ſeu univerſali Epiſcopo, ne humano quidem ſeu poſitivo jure eſſe agnoſcendum: eamque agnitionem non tam unitati in Eccleſia conſervandæ & licentiæ diverſum de Religionis articulis ſentiendi, loquendi, docendi, impediendæ, quam libertati neceſſariæ & verbo Dei conſentaneæ auferendæ, & tyrannidi introducendæ ſervijſſe hactenus, & naturâ ſuâ ſervire.

THESIS VICESIMA SECVNDA.

qua aſſeritur,

Eccleſias Reformatas à Romana Eccleſia ſeceſſionem non feciſſe: eaſque rectè facere, quod fidei cultuſque divini communionem cum eadem habere & profiteri detrectant.

Reſp. IACOBO CVSINO.

Eccleſias reformatas à Romana Eccleſia ſeceſſionem non feciſſe: Eaſque rectè facere, quod fidei cultuſq; divini communionem cum eadem habere & profiteri detrectant.

I.

FErt animus ad Dei gloriam, conſcientiarum imbecillium tranquillitatem, & animarum errantium directio-

directionem, paucis commonſtrare: Cœtus illos qui Eccleſiarum Reformatarum ſeu proteſtantium titulum præ ſe ferunt, à Romana Eccleſia ſeceſſionem non feciſſe: eoſque ipſos rectè, hoc eſt ſapienter, piè, juſtè, & modeſtè facere, quod fidei cultuſq; cum eadem Eccleſia Romana communionem habere & profiteri detrectant.

II. Eccleſiæ Romanæ vocabulo intelligimus, non Cœtum illum hominum, qui muris urbis Romæ concluſus Chriſtianam fidem profitetur; quamquam illa ſola ſit propria iſtius nominis interpretatio: non Romanam curiam ex Pontifice & Cardinalibus ipſi junctis conſtantem: non Eccleſiam repræſentativam in concilio præſide Pontifice Romano congregatam, neq; ipſum Pontificem Romanum ſub iſtius vocis involucro ſuam poteſtatem venditantem: Sed Cœtum Chriſtianorum olim pene per univerſam Europam diſperſum, jam verò contractiorem factum, in quo Pontifex Romanus, ſive ut caput Eccleſiæ ſub Chriſto quidem, ſed ſupra Concilium œcumenicum conſtitutus, ſive ut primus Epiſcopus Concilio univerſali minor, totius Eccleſiæ inſpector & curator, ſedet: qui cœtus fidem cultumque ſe Deo & Chriſto præſtare profitetur ſecundum Canones in Concilio Tridentino comprehenſos, ſive eos approbet, eò quod à Synodo Tridentina, quæ errare non potuerit, ſint conſcripti, ſive quod Scripturis ſacris I arum que doctrinæ conſentaneos arbitretur circa Concilij Tridentini reſpectum.

III. Eccleſias Reformatas appellamus Cœtus illos fidem Chriſtianam profitentes, qui Pontificis Romani quécunq; præſidatum improbant, & fidem cultumque ſe Deo & Chriſto præſtare profitentur, ſecundum Canones, quos ſinguli in Confeſſionibus ſuis vel Catecheſibus comprehenderunt, & ideò tantum illos approbant, quod ſacris Scripturis conſentaneos eſſe arbitrantur, quamquam primitivæ Eccleſiæ & patribus ſuum quemdam locum, ſed ſub Scripturis, concedant.

IV. Seceſſionem facere dicitur Eccleſia, non quæcunque ab alia Eccleſia ſeparatur, neque quæ ab ea, cui unita fuit, quovis modo disjungitur: ſed quæ ab ea, cui antea unita fuit, ipſa prior volenſque diſſidium facit ea in re, ſecundum quam antea unum fuerunt: unde neceſſe eſt, ut quatuor iſtæ conditiones concurrant in ea, quæ juremerito dici poterit ſeceſſionem feciſſe. Vna prærequiſita tanquam neceſſariò præcedanea, tres reliquæ requiſitæ tanquam inſitæ & ſeceſſioni innexæ. 1. eſt ut antea unita fuerit, cui addenda explicatio ejus rei in qua unio conſiſtit. 2. ut ſeparatio facta ſit, & quidem in eo, ſecundum quod antea unita fuit 3. ut prior ſeceſſionem fecerit. 4. ut volens ſeceſſerit. Quæ conditiones omnes in diſceptatione præſentis controverſiæ de diſſidio inter Romanam Eccleſiam & Reformatas diligenter conſiderandæ erunt.

V. Verum iſti quæſtioni ſecundum iſtas circumſtantias tractandæ alterius cujuſpiam eſt præſtruenda explicatio, nempe, qua in re generatim conſiſtat, tum unio Eccleſiarum tum ſeparatio. Eccleſiarum, quatenus Dei in Chriſti Eccleſiæ ſunt; unio conſiſtit in hiſce, ut Ephe 4.3. 4.5 6.

habeant unum Deum & Patrem, unum Dominum Ieſum Chriſtum, unam fidem, ſeu unam fidei doctrinam, unam ſpem vocationis ſuæ, hoc eſt unam hæreditatem promiſſam & ſperatam, unum Baptiſma, unum Panem & Vinum: & ut uno Spiritu cum Deo & Chriſto per vinculum fidei & charitatis copulatæ ſint. Hoc eſt, ut conſenſu fidei ſecundum veritatem, & concordia voluntatis ſecundum charitatem, unum ſint inter ipſas: non aliter quam multa membra ejuſdem corporis inter ſe unum ſunt, eo quod omnia cum capite unita ſunt, unde per Spiritus vinculum, vita, ſenſus, & motus in ſingula derivatur: & quam multi liberi in eadem familia inter ſe unum ſunt; quia omnes vinculo conſanguinitatis & charitatis parentibus ſuis connexi ſunt. Sunt enim omnes Eccleſiæ particulares magni illius corporis, quod Eccleſia Catholica dicitur, membra, majora, minora, prout amplæ fuerint ipſæ: & in familia illa, quæ Domus Dei dicitur, ſorores: juxta illud Cantici, ſoror eſt nobis parvula. Nulla Eccleſia in terris alterius Eccleſiæ mater eſt, ne illa quidem ex qua Doctores exierunt, qui alias Eccleſias fundarunt: Nulla etiam Eccleſia in terris eſt totum corpus capiti Chriſto unitum.

[1. Cor. 10. 16. 17. Ephe. 4. 15. Phil. 2. 2. Rom. 12. 5. 1. Cor. 12. 12. 13. Ephe. 1. 22. 23. & 1. Cor. 4. 15. Apoc. 3. 23. Cant. 8. 8. Gal. 4. 26. Act. 8. 1. 4. & 13. 1. 2. Heb. 12. 22. 23.]

VI. Ex iſta unionis inter Eccleſias deſcriptione & per ſimilia explicatione juxta ſcripturas facta, liquet duorum mediorum interventu opus eſſe ad Eccleſias inter ſe conviciendas. Primum medium eſt, ipſum vinculum quo uniuntur: Secundum eſt, Deus & Chriſtus cum quo immediatè unitæ, porrò inter ſe uniuntur mediatè. Prima enim & immediata relatio eſt inter quamvis Eccleſiam particularem & Chriſtum, altera & mediata inter ipſam & aliam ipſi congenerem. Vnde duplex ordo hîc ſtatui poteſt ſecundum quem conjunctio iſta conſiderari poteſt; unus, ſi à Chriſto initium fiat, & illud vinculum interveniat, quod ab illo exiens in Eccleſiam quamque tendit, eamque ipſi adunat: ubi primùm conſtituendus eſt Chriſtus tanquam caput & ipſiſſimum centrum unionis: ſecundò Spiritus qui ab illo exit hinc & inde: Tertiò Eccleſia Corinthiaca, Romana, Philippenſis, quarum unaquæque Chriſto per Spiritum ab illo exeuntem, & in iſtas tendentem, inque ipſis manentem adunatur. Alter ordo eſt, ſi ab Eccleſijs initium fiat, & illud vinculum interveniat, quod ab illis exiens in Chriſtum tendit, illamque ei convincit: ubi primo collocandæ Eccleſiæ Corinthiaca, Romana, Philippenſis: inde ponatur fides ab utraque exiens. Tertiò Chriſtus, in quem fides tendit omnium & ſingulas Chriſto connectit. Charitatis vinculum, quia illa mutua eſt, à Chriſto exit in Eccleſiam quamlibet, & ab Eccleſia qualibet in Chriſtum: verum iſtic non ſiſtit, ſed pergit ad Eccleſiam congenerem, ita tamen ut illam amet in Chriſto & propter Chriſtum; ſecus conſpiratio eſt ſine Chriſto, vel etiam adverſus Chriſtum.

[1. Cor. 12. 12. Ephe. 4. 3. Rom. 12. 5. Ioan. 17. 21. Ephe. 2. 21. 22. & 4. 16. Ephe. 2. 18. Ephe. 5. 23. Rom. 8. 9. 1. Ioan. 3. 24. 1. Ioan. 4. 13. 1. Ioan. 2. 24. Ephe. 3. 17. Ephe. 5. 21. 1. Cor. 15. 12. 19.]

VII. Ex unionis ratione ſeparatio illi contraria eſt æſtimanda, quæ nonniſi per unitionis analyſim & reſolutionem fieri aut explicari poteſt; oportet itaque quamvis Eccleſiam particularem ſeparari prius à Deo & Chriſto, quam ſeparari poſſit ab Eccleſia ſibi congenere & con-

concorpore: & prius vinculum fidei
Eph.3.13. vel charitatis diſcendi, quam à Deo
21. 21. 22. & Chriſto, & ſic ab alia Eccleſia
Rom.11.17. disjungi queat. Cæterum quum
18.19.20. Spiritus Chriſti, fides qua creditur
&c. & charitas inviſibilia ſint, ad ipſam
internam Chriſti & Eccleſiarum unionem & communionem pertinentia, fieri nequit ut ſecundum illa de unione aut ſeparatione Eccleſiarum æſtimatio aut judicium fiat ab hominibus. Qua de cauſa neceſſe eſt externa quædam & in ſenſus incurrentia, quæ internis illis analogia quadam reſpondeant, in medio poni, ut judicium de unione Eccleſiarum cum Chriſto & inter ipſas, deque oppoſita ſeparatione fieri queat
Eſa 29 21. à nobis. Illa ſunt verbum & verbo
Rom.10.15. adnexa ſigna viſibilia, quibus Chri-
1. ſtus cum Eccleſia ſua communicat:
Rom.10.10. & fidei cultuſque profeſſio & chari-
15. tatis per externa opera exercitium,
Ioan.13.35. quibus Eccleſia quævis ſuam cum Chriſto & cum alia Eccleſia unionem & communionem teſtatur. Cui
Apoc.2.5. ſua opponitur ſeparatio, conſiſtens
2.Pet.1.13.& in eo, ut Chriſtus candelabrum ſuum
2.10. auferat, & Eccleſiæ inter ſe fidei profeſſione varient, charitatiſq; requiſitę munia omittant, & odia exerceant.

VIII. Cæterum quia Eccleſiæ Dei & Chriſti, etiam quæ à Prophetis & Apoſtolis, inſtitutæ ſunt, paulatim deficere poſſunt, imo &
1.Cor.11.3. deficiunt nonnunquam, à fidei ve-
Gal.1 6. ritate, à cultus divini integritate, & à prima ſua charitate; vel addendo ad dogmata fidei, ad id quod colitur, & ad modum ritusq; quibus co-
Apoc.2.9. litur: vel detrahendo, vel denique re-
Ier 1.11.13. ctum fidei ſenſum invertendo, quod
2.Reg.16.3. colitur, non ut fas eſt conſiderando,
1.Reg.18.21. & modum legitimum cultus in a-
Ez.10.10. liam formam tranſmutando; & ta-
men à Deo & Chriſto adhuc pro Gal.3.1.2.3.
Eccleſijs & populo Dei agnoſcan- & 6.9.
tur, etiam tum quum Iehovam in 1.Cor.1.5.
vitulis colunt, imo vero Iehovam Apoc.2.
& Baalim ſimul colunt, quum filios Eſa.30.1.
quos Iehovæ generarunt Molocho per ignem offerunt, quum ad fidem in Chriſtum legales ceremonias adjungi, reſurrectionem in dubium vocari patiuntur: agnoſcantur, inquam, ſaltem ſecundum externam communicationem per verbum & ſigna ſacramentalia, eo quod candelabrum ſuum nondum auferat, librum repudii nondum mittat. Hinc fit ut unio inter tales Eccleſias, aliquid adhuc Dei & Chriſti, & aliquid ex Spiritu mendacii, & idololatrię habentes, duplex ſit: una illorum reſpectu, quæ adhuc reliqua habent ex prima inſtitutione per Prophetas & Apoſtolos facta; altera eorum quę poſtea per falſos Docto-
res & Pſeudoprophetas, imò & per 2.Tim 3.
Pſeudoprophetam illum inſignem, hominem peccati, filium perditionis invecta ſunt. Quanquam enim ſermo iſtorum ut gangræna depaſcat, impedivit tamen Dei bonitas & gratia ne integram Chriſtianæ fidei doctrinam abſumeret. Et huic poſtremæ unioni non minus ſua ex adverſo reſpondet ſeparatio, quam ſua priori iſti eſt oppoſita. Itaque cum de ſeparatione Eccleſiarum ſermo eſt, diligenter diſpici debet, quid illud ſit ſecundum quod ſeparatio facta eſt.

IX. Iſtis ſic θετικῶς præmiſſis ad quæſtionis noſtræ Hypotheſin veniamus, & quidem juxta conditiones, quas neceſſario illi Eccleſiæ tribuendas diximus, quæ meritò dici poterit ſeceſſionem feciſſe ab alia Eccleſia. Ad primam, quam ut

præcedaneam prærequiri diximus, fatemur: Eccleſias, quæ jam Reformatarum nomine ſe inſigniunt, ante illam Reformationem cum Romana unum fuiſſe, cumque eâ communionem fidei cultuſque, & charitatis officium habuiſſe: imò verò partem
Cor. 8. 8 illius, prout Theſi 2. à nobis defini-
1. Cor. 12. 12 ta eſt, fuiſſe; ſed duo expreſsè & di-
13. 27. ſtinctè addimus, 1. unionem & communionem illam fuiſſe ut inter pares, collaterales, ſorores, membra: non ut inter inferiores & ſuperiorem, filios & matrem, membra & caput; hoc eſt, ut in Scholis Philoſophicis loquuntur, relationem inter illas fuiſſe æquiparantiæ, in qua unum relatorum non magis fundamentum eſt, quam alterum: Ideoque parem fuiſſe utrinque obligationem, quamquam Pontifex Ro-
Bellarm. lib. 1 manus ſedens in Cathedra quam A-
Tit. 3. poſtolicam vocat & Romæ eſſe dicit, Eccleſiam Romanam matrem & caput reliquarum Eccleſiarum eſſe affirmat. 2. Unionem & communionem illam partim ſecundum ea, quæ Dei & Chriſti erant, fuiſſe, partim ſecundum ea, quæ defectionis, quam Apoſtolus venturam præ-
2. Theſ. 2. 3. dixit. Dicitur enim filius perditio-
4. nis ſeſſurus in Templo Dei. Quatenus ergò veræ fidei doctrina in illis ſonabat, quatenus Deus & Chriſtus colebantur & charitatis officia legitimè exercebantur, una fuerunt
Apoc. 2. 20. Chriſti patienter tolerantis & ad
21. pœnitentiam invitantis Eccleſia: quatenus vero fides variis additamentis, diſtortis interpretamentis fuit interpolata, cultus divinus per varias Idololatrias & ſuperſtitiones depravatus, & ſigna benevolentiæ in com-
Apoc. 2. 14. municatione partium Idolis immo-
20. latarum exhibita fuerunt, eatenus unionem ſecundum Spiritum defectionis & communionem iniquitatis fuiſſe.

X. Ad ſeparationem verò ipſam Reformatarum Eccleſiarum à Romana quod attinet, de illa bipartitò tractandum erit, propterea quod ſeparatio Eccleſiarum tùm fidei cultuſque, tum charitatis reſpectu fieri ſolet, quemadmodum antea vidimus, quæ ſeparationes eouſque diſtinctæ habentur ab ipſis Eccleſiis, ut quæ ſecundum fidem & cultum ſeparata eſt, Hæretica & Idololatrica, quæ ſecundum charitatem, ſchiſmatica dicatur. Prior itaque quæſtionis pars erit: An Eccleſiæ, quæ Reformatæ nunc dicuntur, ab Eccleſia Romana ſecundum fidem & cultum ſeceſſionem fecerint. Ad quam, reſpectu ad ſecundam conditionem habito, reſpondemus: fateri nos ſeceſſionem factam eſſe reſpectu fidei & cultus. Teſtatur enim res ipſa differre multis dogmatibus ad fidem pertinentibus, differre & cultu divino. At negant Reformatæ ſe differre à Romana ſecundùm articulos fidei quos ex traditione adhuc habet Apoſtolica, aut ſecundùm cultum quem divinitus præſcriptum adhuc uſurpat Romana Eccleſia: quod breviter ſic probat. 1. enim præterquam quod verbum Dei normam unicam veritatis ſtatuit, etiam articulos ſymbolo Apoſtolorum contentos, prout à quatuor primis univerſalibus Conciliis ſunt explicati, in vero & recto ſenſu approbare: quin & illa, quæ Eccleſia priſca adverſus Pelagium decrevit, certa & rata ſe habere profitetur. 2. Quia Deum & Chriſtum in Spiritu & veritate colit eo modo, iiſque ritibus, qui verbo Dei ſunt præſcripti:

Sepa-

Separationem ergo factam eſſe fatetur in iis, quæ Romana Eccleſia non ut Eccleſia Chriſti, ſed ut Romana & Pontificia habet, in iis verò quæ Chriſti habet, manere unionem.

XI. Ad tertiam conditionem quod attinet, negant Reformatæ ſe priores feciſſe ſeceſſionem: quod ut commodè intelligi poſſit, quum ſeparatio conſiſtat in variatione fidei & cultus, initium illud variationis dupliciter ſumi poſſe dicunt. Vel à temporis Apoſtolis vicino, quin & in Apoſtolorum tempora incidente, quum myſterium ἀνομίας, hoc eſt iniquitatis, vel potius exlegitatis (detur venia verbo ſignificantiori) peragi cœpit, quod myſterium poſtea revelatum, & quæ exlegitas poſtea in apertum producta eſt ab homine peccati & filio perditionis, qui eo ipſo ὁ ἄνομος & revelatus dicitur: Hunc Reformatæ Pontificem Romanum eſſe dicunt. Vel à temporibus Wiclefi, Huſſi, Lutheri, Melancthonis, Zuinglii, Oecolampadii, Buceri, Calvini, quum multi cœtus hominum variis in locis Europæ à Pontifice Romano primum clam inde palam diſcedere cœperunt. Ab illo priore puncto dicunt Reformatæ defectionis & ſeceſſionis initium faciendum eſſe & ſe unà cum Romana moderna defectionis à ſynceritate fidei Apoſtolicæ & Romanæ, quam in Romana Eccleſia ſui temporis commendat Apoſtolus, & à cultus divini integritate, reas fuiſſe fatentur & dolent. Ab altero defectionis & ſeceſſionis initium faciendum eſſe dicunt Pontificii, nullius defectionis culpa ſe teneri affirmantes.

2. Theſ. 2, 3. 4. 7. 8.

XII. Hic eſt cardo totius controverſiæ, hic ergo pes figendus. Si verè ſtatuunt Reformatæ defectionis initium, tum illarum à Romana moderna ſeparatio, non eſt ab Eccleſia Chriſti ſeceſſio, ſed ſeparationis antea factæ terminus, & ad veram puramque fidem, cultumque Dei ſyncerum, hoc eſt ad Deum & Chriſtum, Eccleſiamque primitivam & verè Apoſtolicam, imò & ad Romanam antiquam pura puta regreſſio & converſio. Sin contra initium defectionis rectè ſtatuitur à Pontificiis, tum verè ſeceſſionem fecerunt Reformatæ à Romana Eccleſia, & ea quidem, quæ hactenus in ſynceritate Religionis Chriſtianæ perſtiterit. Hæc autem controverſia eſt eius naturæ, ut quum diſcrimen conſiſtat in eo potiſſimum quod Romana addidiſſe veris falſa, Reformatæ veris detraxiſſe dicantur ab adverſaria parte, Romanæ tanquam affirmanti illa vera eſſe, quæ addidiſſe de ſuo dicitur, probatio incumbat: Quamquam Reformatæ probandi partes non defugiant, modo ex puris putis Scripturis rem agi & decidi permittat Romana: Quod quia non concedit Romana, ſed aliud verbum Dei non ſcriptum producit, ecce rurſus probandi neceſſitatem ſibi imponit, tum quod ſit aliquod Dei verbum non ſcriptũ, tum illud ipſum, quod profert, verbum Dei eſſe.

XIII. Dicunt denique Reformatæ, quod quarta conditio habet, ſe non volentes, hoc eſt non proprio inſtinctu, motu, arbitrio, ſed ægrè & dolenter diſceſsiſſe; cauſamque in Deum & culpam in ipſam Romanam Eccleſiam, ſeu prius in Romanam Curiam & Pontificem, inde in Eccleſiam Romanam quatenus Põtificem & Curiam Romanam audit,

Apoc. 18. 4. 1. Ioan. 5. 21. & illis ad ſervitia quævis preſto eſt, conjiciunt. In Deum: quia ille juſſit ut ſuus populus è Babylone matre fornicationum exiret, & ab Idolis ſibi caveret. In Romanam ſive Curiam ſive Eccleſiam, quæ triplici ratione proteſtantes Eccleſias à ſe abegit. Apoc. 17. 4. 1. Mixtione veneni letiferi in poculum Religionis, unde dogmata ad fidem & cultum Dei pertinentia propinabat: quæ junctum habebat duplex mandatum, tum prohibitivum, ne quis ex puris putis fontibus Iſraelis hauriret de aquis Salvatoris; tùm præceptivum, ut omnes ex iſto poculo abominationum biberent. Apoc. 13. 15. 16. 17. 2. Excommunicatione & Anathematiſmis: per illam, à ſui communione excluſit, per iſtos, diris omnibus devovit, ſuorumque ſatellitum rabiei in prædam & necem expoſuit, quotquot ex poculo ſic mixto lethale virus bibere Apoc. 17. 6. detrectarent. 3. Tyrannide & variis perſecutionibus non modo inſtitutis, ſed & exercitis adverſus eos, qui conſcientias ſuas inquinare turpi illa abominatione nollent. Quam verò dolenter & ægrè diſceſſerint, vel potius abigi ſe paſſæ ſint, dicunt ſe tribus manifeſtiſſimis indiciis declaraſſe. 1. Seriis monitis ſcripto & viva voce propoſitis, quibus neceſſitatem Reformationis, eiuſque modum & medium Concilium liberum demonſtrarunt. 2. Precibus & ſupplicationibus, quibus conventum ejuſmodi flagitarunt, vel hoc ſaltem fini, ut communi ſtudio diſquireretur, an non aliquid abuſuū & corruptionis in Eccleſiam irrepſerit, corrigendum, ubi compertum eſſet. 3. Diuturna patientia, qua Tyrannidis omne genus in ſe uſurpatæ tolerarunt. Quibus omnibus nihil impetratum eſt aliud, quam ut corruptelæ & abuſus authoritate plenaria Pontificis & Curiæ Romanæ conſtabilirentur.

XIV. Et hactenus de ſeparatione ſecundum fidem & cultum. Secundum charitatem verò nullo modo ſeceſſionem ſe feciſſe à Romana Eccleſia dicunt Reformatæ: Cuius teſtem in conſcientiis ſuis Chriſtum invocant, & his ſignis ſe illud hactenus condocefeciſſe exiſtimant. 1. Doctrina ſua tum viva voce tum ſcriptis toti mundo expoſita, quæ errores Romanæ Eccleſiæ ex verbo Dei detegunt & populos in errore verſantes ad converſionem ſolicitant. 2 Precibus & gemitibus, quibus divinam Majeſtatem ſolicitare non deſinunt, ut miſerum populum ſuum ab Antichriſti deceptione & Tyrannide liberatum, filio ſuo Ieſu Chriſto in ſolidum ſubjiciat. 3. Amica & leni converſatione, quâ multis in locis etiam ubi rerum potiuntur, erga Pontificiæ Religioni addictos utuntur, dum nec vim illorum conſcientiis inferunt, nec minis ad ullius fidei profeſſionem cultuſve exercitium adigunt, ſed fidem cultumque, quem mens illorum approbat, Deo, privatim ſaltem, adferre permittunt: ſolo utentes gladio ſpirituali, ut Hæreſi & Idololatria interfectis homines etiam hic ſecundùm corpora ſalvi, in diem Domini æternum ſalvari poſſint: impedimentum publicorum conventuum, hominumque ad audiendas Reformatorum conciones per mulctas pecuniarias compulſio, ſic adminiſtrari poſſunt, ut charitatis officia eſſe queat evinci. Quæ ſeverius imò & ſævius in ſe ſuoſq; conqueruntur patrata Pontificii, alla aut per tumultū licen-

licentiamque militarem, quorum ipſi plerumque auctores partim meritò partim exemplo præcedaneo fuerunt: aut propter delicta in ſtatum Reipublicę commiſſa,non propter Religionem, dicunt illis illata eſſe. Concludimus ergo Reformatas Eccleſias à Romana nec quoad fidem & cultum, nec quoad charitatem, ſeceſſionem feciſſe, quatenus Romana aliquid Chriſti habet; quatenus verò à Chriſto adverſa eſt, de ſeparatione gaudent & gloriantur.

XV. Reſtat propoſiti noſtri pars altera, quæ ſic habet: Eccleſias Reformatas rectè facere quod fidei cultuſque divini communionem cum Romana habere & profiteri detrectant: quod ex antecedentibus quidem generatim colligi poteſt, at hic ſpecialius deducendum eſt, ut conſtet quibus potiſſimum in rebus fidei cultuſque divini corruptela apud Romanam Eccleſiam conſiſtat ex Reformatarum ſententia. Triplex huius detrectationis cauſa eſt. 1. variæ hæreſes. 2. multiplex Idololatria. 3. immanis Tyrannis, ab Eccleſia Romana approbatæ & uſurpatæ. De hæreſibus primùm, ſed breviter, quia omnes enumerare prolixioris eſſet operæ. Prima, eaque non in articulum aliquē ſed in ipſum principium fidei impingens eſt, qua ſtatuitur: Aliud eſſe verbum Dei præter id quod veteris & novi Teſtamenti Canonicis libris eſt conſignatum, eiuſdem cum illo ad vera ſtabiliendum & falſa confutandum poteſtatis & neceſſitatis: cui additur: verbum Dei ſecundum ſenſum ſanctæ matris Eccleſiæ. 1. Romanæ intelligendum eſſe. Senſus autem ille eſt, quem Romana Eccleſia verſione latina vetere & vulgata, Confeſſionibus, Catechiſmis, Canonibus, præſenti neceſſitati vel ſententiæ pro tempore currenti accommodatè explicuit, & porro explicatura eſt. Quod antichriſtiani regni primum eſt fundamentum directè oppoſitum primo regni Chriſti fundamento, quod eſt immota veritas & perfectio doctrinæ Propheticis primum, inde Apoſtolicis ſcriptis comprehenſæ.

XVI. Accedit ad hanc proximè hæreſis alia, & ipſi principio fidei adverſa, quâ Pontifex Romanus totius in terris Eccleſię princeps, caput, ſponſus, univerſalis Epiſcopus, & Paſtor conſtituitur: qui omnem ſcientiam veritatis in ſcrinio pectoris ſui poſſidet, perpetuam habet Sp. Sanctus aſſiſtentiam, ita ut errare in præſcribendo, quæ fidem & cultum divinum concernunt, non poſſit: qui ſpiritualis ille homo eſt, qui omnes & omnia judicat, ipſe à nemine judicandus, cui omnes Chriſti fideles de neceſſitate ſalutis ſubeſſe oportet; cuius decretis & præceptis. non ſecus quam ipſius Dei & Chriſti, ſimplici fide & cæca obedientia aſſentiri & obſequi quemque Chriſtianum decet. Et hoc eſt alterum regni Antichriſtiani fundamentum, ex adverſo oppoſitum fundamento regni Chriſti ſecundo, quod Deus poſuit, quum Chriſtum filium ſuum Regem, Sponſum, Caput, Paſtorum Principem, & unicum Magiſtrum Eccleſiæ ſuæ conſtitueret.

XVII. Particulares & alicui articulo fidei contravenientes, aut circa gratiam Dei nobis in Chriſto factam, aut circa noſtrum erga Deū & Chriſtum officium verſantur.

Quę circa gratiam ſunt, aut in ipſum Chriſtum eiuſque officium, aut in beneficia

beneficia, aut in ſigna obſignantia impingunt. In Chriſtum ipſum, Panis & Vini in corpus eius & ſanguinem tranſubſtantiatio, cui nexa eſt eiuſdem in multis locis præſentia. In officium ſacerdotale, quoad oblationẽ, imprimis impingit Miſſæ ſacrificium, eidem tranſubſtantiationi inædificatum, in quo Hæreſium eſt cumulus. 1. quod corpus & ſanguis Domini iſtic offerri dicuntur in ſacrificium. 2. verè & propriè propitiatorium. 3. incruentum tamen, pro peccatis, pœnis & ſatisfactionibus, non modo vivorum ſed & mortuorum: cui adhæret vel ſubſternitur purgatorium & quicquid illi nixum eſt. 4. quotidie decies centies millies. 5. à Sacerdote homine peccatore. 6. qui ſuis precibus illi gratiam acceptationis apud Deum conciliat. Quoad interceſſionem, quum Maria, Angeli, & Sancti demortui, mediatores & interceſſores conſtituuntur, qui non modo precibus ſuis ſed & merito aliquid impetrent. In regium munus peccatur, quum iidem etiam diſpenſatores & datores bonorum eſſe creduntur. In beneficia impingitur tum juſtificationis tum ſanctificationis. In illam, quum fidei & operibus ſimul tribuitur, quorſum faciunt iſta: quod bona opera ſanctorum divinæ legi pro ſtatu huius vitæ plenè ſatisfaciunt, vitam æternam verè promereantur, ſatisfactoria ſint pro pœna temporali, pro omni pœna, pro reatu ipſo & peccatorum expiatoria: Imò verò & nonnullorum euſque ſuperogatoria, ut quum plus præſtent quàm teneãtur, aliis ad ſalutem ſint meritoria: quod denique homines quum ſatiſfaciendo patiuntur pro peccatis, Chriſto Ieſu qui pro peccatis ſatisfecit, conformes fiant. In ſanctificationem, quum homini naturali citra gratiam Dei, opera præparatoria, quæ Deo grata ſunt & ex congruo majorum donorum meritoria, tribuunt. In ſigna gratiæ variè impingunt, illa multiplicando, Baptiſmum variis additamentis inquinando; Cœnam altera parte mutilando & in privatam miſſam transmutando. Quæ in officium noſtrum erga Deum & Chriſtum impingunt, quum cultum divinum potiſſimum reſpiciant, & Idololatriam ſecum junctam habeant commodè ad ſecundam cauſam referentur.

XVIII. Secundam cauſam eſſe diximus multiplicem Idololatriam, quæ in Romana Eccleſia viget: tùm primi generis adverſus primum præceptum, quum colitur, adoratur, invocatur quod colendum non eſt; tum ſecundi generis adverſus ſecundum præceptum, quum in imagine colitur, quod colitur, ſive colendum, ſive non colendum ſit. Primi generis Idololatriam committit cum animatis & inanimatis rebus. Cum animatis, Angelis, Maria virgine, & ſanctis demortuis, templa iis fundando, altaria erigendo, cultus certos, cultuumque ritus, & collegia virorum & mulierum per quos, feſtoſq; dies quibus obeantur, inſtituendo, in neceſſitatibus invocando, dona & ſacrificia offerendo, eos provinciis, urbibus, pagis, vicis, domibus, certorum donorum diſpenſationi, morborum curationi, malorum ablationi, imò & immiſſioni præficiendo, denique per nomen illorum jurando. Quin & cum ipſo Pontifice Romano, titulos, poteſta-

poteſtatem, actus, Chriſto ſoli convenientes, ipſi tribuendo, & ab ipſo, ea quæ Chriſti & Spiritus eius ſunt petendo. Cum inanimatis Cruce & Pane Domini, cum reliquiis Sanctorum ſive veris, ſive falſis & fictis. Secundi generis Idololatria eſt, quũ Deum, Chriſtum, Angelos, Mariam & Sanctos reliquos in imagine colunt, ipſaſque imagines honore & cultu proſequuntur, veſtibus, auro, argento, gemmis ornando, in templis editiore loco & ſuper altaria collocando, humeris per plateas circumferendo, capita aperiendo, oſculando, genua flectendo: deniq; eaſdem vel ſaltem ad eas, tanquam ibi præſentius Numen ſit, invocando. Diſtinctiones cultus in λατρείαν, δουλείαν, ὑπερδουλείαν, poteſtatis in ſuperiorem & ſubordinatam ſeu miniſterialem, imaginationis in eam, qua quid alicui ut Deo & Chriſto, & qua non ut Deo & Chriſto præſtatur, imaginis & rei figuratæ; & dogma tranſubſtantiationis: tum figmenta eſſe dicimus, maximæ cultorum parti vel non intellecta, vel cum colunt, non cogitata, tum proteſtationes continere, quæ factis directè ſunt contrariæ. Et hæc ſola cauſa theſi probandæ eſt ſufficientiſſima.

XIX. Tertia cauſa eſt Tyrannis, quam Romana Eccleſia adverſus illos, qui iſtis Hæreſibus aſſentiri & idololatrias approbare, per conſcientiam non potuerunt, uſurpavit, & quamdiu Pontificem Romanum eiuſque curiam audiet, uſurpatura eſt. Tanti ſceleris reatu, quia obſtringere ſe verentur Reformatæ, ne ſanguis tot mille ſanctorum & fidelium Chriſti martyrum; qui teſtificati ſunt ſermonem Domini, & ſtolas ſuas in ſanguine Agni laverunt, ſuper ipſas veniat, fidei cultuſq; communionem cum Romana profiteri meritò detrectant. Nam præterquam quod profeſſio iſta ſatis apertam perſecutionis illius approbationem habitura eſſet, (præſertim proteſtatione nulla præmiſſa, quam ipſam Pontifex nunquam admitteret) etiam ipſa Doctrina Pontificia, cum populi adſtipulatione, eorum quos pro hæreticis habet per brachium ſeculare punitionem ſtabilit: adeo ut politicorum & tepidorum, imo & Atheorum nomine infamentur, qui cætera Pontificiæ Doctrinæ addicti, iſto zelo in hæreticos non feruntur. Quod utinam Reges, Principes, & Reſpublicæ ſeriò conſiderent, ut hac ſaltem parte proteſtentur ſe à communione Pontificis, Curiæque Romanæ diſcedere. Accedit quod iſta ipſa Tyrannis indicii manifeſti inſtar eſt, quod Pontifex Romanus ſit pravus ille ſervus, qui Dominio juxta ipſius mentem tardante, bacchari, inebriari, & conſervos ſuos verberare cœpit.

THESIS VICESIMA TERTIA.

DE

Idololatria.

Reſp. IAPHETO VIGERIO.

I.

SVmmus diabolicæ perverſitatis ſcopus ſemper fuit atq; etiamnum

 eſt, ut

eſt, ut ipſe tanquam Diabolus pro Numine habeatur & colatur, quo nihil in Deum verum eſt contumelioſius; vel ut omni numinis cogitatione & mentione ſublatâ mera ἀθεότης obtineat, & ſublatâ conſcientia, in omne genus flagitiorum ferantur homines. Verum quum idipſum propter penitus impreſſam humanis mentibus numinis, & quidem boni, notionem, efficere nequiret, & ſciret Deum verum ſolum pro Deo haberi & coli velle, idque ſine imagine, conatus eſt perſuadere hominibus, ut figmentum aliquod ſui cerebri vel creaturam quampiam pro Deo haberent & colerent, ſaltem ut verum Deũ in imagine colerẽt. Qui conatus illi feliciter olim ſucceſſit, & utinam hoc tempore inutilis eſſet, ut nos ſciendi tantum causâ, quid Idololatria ſit, & qualis olim apud Iudæos & Gentiles obtinuerit, diſquirere poſſemus citra ullam monelæ & cautelę curam. Verum quum illa, proh dolor! in ipſo orbe Chriſtiano longè lateque dominetur, nos paucis hiſce theſibus tum ſciendi, tum etiam cavendi & dehortandi cauſâ, de eadem, cum bono Deo, pertractabimus.

Exod. 20. 3. 4. 5. Deut. 32. 17. 1. Cor. 10. 20.

II. Ab Etymo itaque vocis incipientes, dicimus εἴδωλον generatim ſignificare ſimulachrum & imaginem quamvis; ſive illam mens conceperit, ſive manus effinxerit, tam rei non exiſtentis quam verè exiſtentis. Ex uſu vero Scripturæ & ſacrorum ſcriptorum ſignificat. I. Imaginem Numini, ſive vero ſive falſo, repræſentando & honorando affictam. II. Omne Numen falſum, ſive illud ſit purum putum cerebri humani figmentum, ſive res aliqua exiſtens inter Creaturas Dei; & ſic vera ſecundum abſolutam eſſentiam; quia eſt aliquid; falſa quoad relativã, quia non eſt Numen, quod tamen eſſe fingitur, & pro quo habetur Λατρεύειν, habere generali notione eſt ſervire, famulari עבד Hebraicè. At in Scriptura & apud Eccleſiaſticos ſcriptores uſurpatur propriè de cultu & ſervitio religioſo: qualia ſunt, amorem, honorem, timorem divinum exhibere, ſpem & fiduciam collocare, invocare & pro acceptis beneficijs gratias agere, juſſis ſine exceptione obedire, per nomen ejus jurare.

Exod. 20. 9. Act. 7. 41. Pſa. 115. 12. 1. Ioan 5. 21. 1. Cor. 8. 4. 1. Theſ. 1. 9. Coloſſ. 3. 5. Deut. 6. 13.

Matt. 3. 10. Deut. 5. 6. Malac. 1. 6. Pſal 37. 3. Pſa. 50. 15. Deut. 6. 13.

III. Idololatria itaque, quod ad vocem, eſt Idoli ſervitus, quod ad rem, eſt quando cultus divinus alij quam vero Deo exhibetur: ſive id fiat per erroneum mentis judicium, quo quod Deus non eſt pro Deo habetur, ſive fiat ſola cultus iſtius talis præſtatione, quamquam qui illum exhibet norit id Deum non eſſe, & proteſtetur ſe id pro Deo non habere, quum proteſtatio ſit contraria facto. Evincit hoc, quod non nullorum Deus venter eſſe dicitur, Avaritia, Idololatria, & Avari Idololatræ appellantur. Tantum vero ab eſt, ut iſta opinio ſeu ſcientia, qua id pro Deo non habet, ab Idololatria excuſet eum qui adorat, genuflectit, invocat, ut potius quia invocat, adorat, genuflectit, id dicatur pro Deo habere, quod ſecundum ſuam opinionem non habet pro Deo. Et ligno ex cujus una parte focum & furnum calefecit, ex altera Deum fecit, dicere, libera me, quia Deus meus es tu, item pater meus es tu; & lapidi, tu me genuiſti.

Eſa. 12. 8. Gal 4. 8. Exo. 32. 4. 5. Phil. 3. 19. Coloſſ. 3. 5. Ephe. 5. 5. 1. Cor. 10. 19. 20. Eſa. 44. 16. 17. Iere. 2. 27.

IV. Idololatria porro eſt duplex. 1. generis, quando id quod Deus non eſt, pro Deo habetur & colitur,

Exo. 20. 3. 4. 5.

colitur. 2. quando id quod pro Deo habetur, ſive verè ſive falſo, imagine corporea efformatur & in imagine vel ad imaginem colitur. Illa prohibetur primo præcepto, his verbis. *Non habebis Deos alios vel Deum alium coram me, vel præter me.* Hæc ſecundo præcepto,

Exo. 32. 6. 1. Cor. 10. 7.

Non facies tibi ullam ſimilitudinem, non incurvabis te eis, neque coles ea. Vnde apparet etiam aliter & triplici quidem modo variatam conſiderari poſſe Idololatriam. Primus modus eſt, quum verus Deus in imagine colitur; alter eſt quum falſus Deus colitur; tertius ex utroq; mixtus, quum falſus Deus in imagine colitur. Primus ſecundo

1. Reg. 16. 31.

levior eſt, juxta id. *Achabo leve fuit ambulare in peccatis Ieroboam* (qui Iehovam coluerat & colere docuerat in Vitulis) *abiit & ſervivit Baal incurvavitque ſe ei.* Tertius peſſimus, duplici conſtans mendacio, & divinitatis affictæ cui non competit, & aſſimilatæ, cui non eſt ſimilis: quo poſtremò dicebat Varro metum numinis ademptum & errorem additum mortalibus.

Eſa. 40. 19. 20. Ier. 10. 14.

Exo. 20. 3. Pſ. 81. 10.

V. In prohibitione, ne alium Deum præter Iehovam habeant, utitur Scriptura tribus vocibus ad alium Deum ſignificandum: una eſt אחר altera זר tertia נכר prima generatim alium Deum ſignificat, ſecunda extraneum, tertia alienũ & peregrinum. Quamquam autem voces iſtæ non ſic ſunt oppoſitæ, ut non coincidant aliquando, & indiſcriminatim de Deo non vero uſurpentur, tamen ex collatione illarum, prout in Scripturis uſurpantur, colligitur alium Deum ſub triplici differentia

Deut. 32. 16. 17.

concipi poſſe. Aut enim ipſi cultores primi eum commenti ſunt: Aut a patribus ſuis acceperunt; aut ab alijs populis aſſumpſerunt: quod poſtremum ſit vel aliqua neceſſitate, de qua David conqueritur, quum dicit: *Expellunt me ne adhæream hæreditati Iehova, dicendo, vade & ſervi dijs alijs vel alienis.* Vel ſuaſione, quemadmodum inclinatum eſt Cor Salomonis ab uxoribus ad colendum Deos alienos; vel pura puta voluntatis electione, qualiter Amaſias aſſumpſit Deos filiorum Seir, poſtquam veniſſet à cædendo eos. In gradibus iſtis Scriptura ſtatuit diſcrimen majoris & minoris delicti. Cum enim Ieroboamus ſæpe accuſetur, quod fecerit peccare Iſraelem & ad augendum crimen Idololatriæ, dicantur Iſraelitæ Deum ad zelum commoviſſe propter extraneos Deos, quos non noverunt neque coluerunt patres ipſorum; apparet gravius eſſe peccatum, Deum ſibi comminiſci, quam acceptum a patribus Deum alium colere. Quumque ad ignominiam Iehovæ maxime faciat alienorum populorum Deos ad cultum aſſumere, quo ipſo & Dij iſti Iehovæ præferri videntur, & religio illorum populorum legi Iehovæ; idipſum longe eſt graviſſimum.

1. Sam. 26. 19. 1. Reg. 11. 4. 2. Par. 25. 14.

1. Reg. 12. 30. & 14. 16. Deut. 32. 16.

Ier. 2. 11. 12. 13.

VI. In præſcriptione ſecundi præcepti, ne quod pro numine habetur in imagine colatur, etiam ſollicitè cavet Scriptura, ne quod ab humána mente inveniri poſſit effugium, aut latibulum. Materiam enim quod attinet, vetuit ne ex auro, argento, metallorum præſtantiſſimis, & propterea ex ullo metallo, vel ex ligno aut lapide fierent. Formam omnem prohibet, ſive imago referat rem exiſtentem, tum Cœleſtem, Solem, Lunam, Stellas, tum terreſtrem & ſubterraneam hominem, quadrupes, volatile, piſcem, ſerpen-

Exo. 20. 23. Eſa. 44. 12. 13. Ier. 2. 27. Exo. 20. 4. Deut. 4. 17. 18.

ſerpentem; ſive rem non exiſtentem, verum ex formis diverſis ab inſana humani cerebri vanitate compoſitam, nempe ſemivirumque bovem, ſemibovemque virum: Et, ut deſinat in piſcem mulier formoſa
Ier.10.19.14 Eſa.8.10.11 supernè. Modum faciendi omnem prohibet, ſive fiat par fuſionem, ſive per ſculpturam, ſive per picturam, quum dicit universè, non facies tibi ullam ſimilitudinem: addita cauſa, generatim omnem materiam, omnem modum efformandi excludente.
Deut.4.15.16. *Non enim vidiſtis ullam imaginem de quo locutus eſt Iehova ad vos in Horeb è medio ignis: Cavete igitur diligenter animabus veſtris, &c.*

VII. Modum verò cultus, & actiones ad illum pertinentes quod attinet, vix quidquam ejus excogitari, & Idolis, hoc eſt, tum ipſis falſis Dijs tum falſorum, & veri Dei imaginibus, præſtari poteſt, quod Scriptura non diſertè dicat Deo exoſum eſſe, ne quis ignorantiæ ſuę
Ier.16.5. prætexere quid poſſit. Nam honorē
1.Reg.11.7. & ſervitium omne illis adimit, qua-
& 12.31. litercumque prestari queat ſive tem-
12.31. 2.Reg.17. pla, excelſa, lucos ædificando, altaria
16. Eſ.8.11. erigendo, imagines ſuper altaria col-
Nu.25.2. locando, ſive ſacrificia offerendo,
1.Reg.13. ſuffitus adolendo, idolothyta eden-
18. Eſ.45.20. do, genua flectendo, oſculum fi-
Pſa.115.8. gendo, & humeris geſtando. Spem
Ier.10.5. quoque & fiduciam in illis colloca-
Ierem.5.7. ri prohibet, invocationem, proces, gratiarum actiones ad ea dirigi vetat, timeri & per ea jurari non vult, eo quod æque ad opitulandum atq; ad nocendum ſunt impotentia. obe-
Ier.10.8. dientiam illis præſtari non permit-
24. Leuit.18.21 tit, quia ſculptile eſt doctor mendacij & vanitatis, & falſi dij ea ſæpè à cultoribus ſuis poſtulant, à quibus tota natura creata & increata, Dei & hominis abhorret.

VIII. Cæterum quia humanum ingenium valde & proclive & idoneum eſt ad excogitandum & inveniendum excuſationes, imo & juſtificationes in peccatis, preſertim in peccato Idololatriæ: cui prætextus bonæ intentionis ad honorandum numen ideò faciliius patrocinetur, quod conſcientia non equè arguat cultum, vel falſo numini præſtitum, vel vero in imagine exhibitū atque cultus omittendam omiſſionem, & peccatum adverſus regulas æqui & boni, quod inter homines obtinet, commiſſum; operæpretium erit quid de eo judicij Deus faciat, conſiderare, cujus judicio ſtare & cadere nos oportet. Initium fiat ab ea ſpecie, quā verum numen in imagine colitur: ut Iehova in vitulo
Aaronis, & in vitulis Ieroboami. Exod.32.4.
Hoc ſuum judicium Deus verbo & 2.Reg.18.2.
facto ſuo manifeſtavit, & verbo primum declarationis, quid tum de
ipſa efformatione imaginis, tum de Pſa.106.19
cultu ſentiat. Efformationem dicit Rom.1.23.
eſſe tranſmutationem gloriæ incorruptibilis Dei in ſimilitudinem bovis comedentis herbam, hominis,
volucrium, quadrupedum, repti- Exod.32.8.
lium. Cultum vero præſtari dicit 1.Reg.12.32
non Deo, quem per imaginem repræſentare voluerunt, ſed ipſi Vitulo & efformatę Imagini. Sic enim inquit, *fecerunt ſibi vitulum fuſilem,*
adoraverunt illum & ſacrificaverunt ei, Et Act.7.
Stephanus, *fecerunt vitulum per illos* Exo.32.31.
dies & obtulerunt ſacrificium Idolo. qua 1.Reg.14.19.
de cauſa etiam imagines iſtas vocat Exod.32.
9.10.
doos aureos & argenteos, Deos alios 2.Par.13.
17.
& conflatiles. Inde verbo commi- Exod.32.28
nationis, quo vituli Aaronici culto- Rom.1.24.
ribus & Ieroboamo ejuſque poſte- 26.27.28
ris excidium denunciat. Facto verò

non modò iſtam comminationem implevit, tum Ieroboamum, ejuſque poſteritatem excidendo, tum multa Iſraëlitarum millia occidendo: ſed & alia horribili pœna excæcationis & in ſenſum reprobū traditionis, in ſimiles peccatores animadvertendo.

IX. Et hoc eſt judicium Dei de iſta Idololatriæ ſpecie, quæ committitur cum intentione colendi Deum, qui verè Deus eſt. Videamus quam ſeverum ſit adverſus illam, in qua colendi intentio eſt in id, quod verè Deus non eſt, in Deum alium, Molochum, Baalim, Chamoſum, Baalpeor, & ſimiles falſos Deos, quamquam pro Dijs habitis à ſuis cultoribus. Hujus ſui judicij indicia etiam verbo & facto edit Deus manifeſtiſſima, & verbo declarationis duo maxime inſignia, 1. quod factum hoc interpretatur deſertionem Dei, defectionem à vero Deo, & conjugalis pacti perfidam per ſpirituale adulterium cum alio viro diſſolutionem, Deique ipſius ad zelotypiam provocationem. Alterum, quod hoc adulterium dicit committi cum Dæmoniis & Diabolis; Sic enim cecinit Moſes celebratiſſimo cantico ſuo: *Sacrificaverunt dæmonijs non Deo, Dijs quos non noverant;* & Pſaltes: *Sacrificaverunt filios ſuos & filias ſuas Dæmonijs:* cum nempe de ſemine ſuo tranſire faciebant Molocho per ignem. Quibus ſuccinit Apoſtolus: *Quæ immolant gentes, non Deo, ſed Dæmonijs immolant.* Sive quia Dæmon aliquis in iſtis ſimulachris latitaverit: ſive quod iſta ſacra ex voluntate & præſcripto Dæmonum obiverint, vel apertè, per oracula, reſponſa, & carmina vatum, vel occultè per inſtituta mundi, id eſt, impiorum, quorum Princeps, & inter quos thronum ſuum habere dicitur Satanas. Comminationes pœnarum, earumque executiones per totam ſacram ſcripturam paſſim deſcribuntur.

Deut. 29. 17. 18. Deut. 12. 15. 16. 18. Deut. 32. 17. Pſalm. 106. 37. 38. Levit. 18. 2. 1. Cor. 10. 20. Arnob lib. 6. Aug. de civ. 8. 23. 1. Pet. 4. 3. 2. Cor. 4. 4. Apoc. 2. 13.

X. Iſta ſic ex Scripturis explicata ſi ad *Λατρείας* & *Ἰδολατρείας*, quæ in pontificia Eccleſia uſurpantur, applicentur, clarebit illam duplicis ſupra dictæ idololatriæ crimine ream teneri. Prioris ream ſe facit, eo quod pani in Euchariſtia, Mariæ, Angelis & Sanctis demortuis, reliquijs crucis Chriſti & Sanctorum, denique rebus conſecratis, divinum cultum exhibet: poſterioris quod Deum, Chriſtum, crucem Chriſti, Mariam, Angelos & Sanctos in imagine colunt: quæ ſingula monſtrabimus, & effugijs, per quæ, quum conſtricti tenentur Idololatræ, eripere conantur, occluſis, confirmabimus quam breviſſimè.

XI. Et primò de Sacramento Euchariſtiæ, cui à Catholica Eccleſia Romana Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, in veneratione adhiberi, & adorationem præſtari, quamquā ut ſumatur, à Chriſto ſit inſtitutū, dicit Synodus Tridentina, altera parte nos liberans: cui nos ſubjungimus, altera parte ſuſcepti muneris fungentes; at latriæ cultus Sacramēto Euchariſtiæ adhiberi nequit citra Idololatriam: ne in uſu quidem ipſo Euchariſtiæ quia panis manet panis quoad ſubſtantiam ſuam, neque transſubſtantiatur in corpus Chriſti per conſecrationem. Nam Euchariſtia ſic deſineret eſſe ſacramentum, de cujus eſſentia eſt re externa conſtare; & Chriſti corpus de novo eſſe inciperet, nihil enim poteſt mutari in id quod antea extitit. Multo minus extra uſum: quia etſi legitima conſe-

Seſ. 13. 18.

consecratio vim haberet transſub- *Mat.26.26.*
ſtantiandi, illegitima tamen tranſ- *1.Cor.10.16*
ſubſtantiare nequiret: omne enim *& 11.25.*
jus conſecrationis ab inſtitutione divina pedet; conſecratio autem ad adorandum non ad ſumendum, extra finem inſtitutionis eſt; itaq; ineſficax: propterea committit Cathol. Eccleſia Pontificia Idololatriam, quæ Sacramento Euchariſtiæ latriæ cultum, qui vero Deo debetur, adhibet.

XII. In Cultu quem Mariæ, Angelis & Sanctis demortuis præ-
1.Reg.10.18 ſtant Pontificij, Idolo latriam ab ipſis
2.Reg.17.5. committi dicimus, & duplici modo: qua adorando & qua invocando. Adorando quidem, quum omnes & ſingulos altaribus, miſſis, ferijs, vigilijs, jejunijs, imaginibus, candelis, oblationibus, ſuffitibus votis, peregrinationibus, genuflexionibus venerantur: quę omnia ad λατρείαν pertinent, & cultum divinum, ſive vero Deo ex ipſius voluntate, ſive falſis Dijs ex hominum ſuperſtitione exhibitum. Invocando, quum ad il-
Seſſ. 25. lorum orationes, opem & auxilium
Lombard. (ut loquitur Synodus Tridentina)
lib.4. diſt. confugiunt, quumque pro acceptis
25. beneficijs gratias illis agunt. Ad orationes vero illorum confugiunt, tanquam Interceſſorum, Mediatorum, Patronorum, Advocatorum qui intercedunt. 1. Affectu pio, quo cupiunt vota precantium ipſos impleri. 2. Meritis ſuis glorioſis & ſanctiſſimis, quæ ſuffragantur ijs, qui ipſorũ orationes ſupplici prece expoſcunt. Ad opem verò & auxilium illorum confugiunt tanquam ad auxiliatores, præſervatores, cuſtodes gratiæ & gloriæ, hoc eſt bonorum omnium largitores, liberatores in neceſſitatibus, quos etiam appellant vitam, ſalutem, tutelam, ſpem, præſidium, refugiũ, ſolatium; imo unicam *Pſal.46.1 &*
ſpem tutum propugnaculũ: qui tituli *Pſam.18.*
ſoli Deo & Chriſto competunt, tan- *3.*
quam ſummæ excellentiæ, ſapien- *Pſalm.36.*
tiæ, benevolentiæ & potentiæ deco- *10.* *Pſal.62.23.*
ramenta, quibus excogitari illuſtrio- *Eſai.45.10.*
ra nequeunt, ut ex ſcripturis manifo- *Actor.4.12.*
ſtum eſt, ubi iſti tituli Deo & Chriſto leguntur adſcripti, quum ſummus invocationis & adorationis honos ipſis à Sanctis exhibetur. Et quamquam turpitudo iſtius Idololatriæ ſit fœdiſſima, tamen immane quantum aggravatur redditione cauſę, quam iſti ſuo facto prætendunt, quâ nihil in Deum & Chriſtum contumelioſius fingi poteſt. In Deum quidem, quum dicunt patrem cœ-
leſtem dimidium regni ſui dediſſe *Gab.Biel.*
beatę virgini cœlorum reginę (quam *in can miſſ.*
etiam dominam Mundi, ſtellam *lect. 80.*
maris, portum ſalutis & Deum appellant.) eumque, quum habeat juſtitiam & miſericordiam, illa ſibi retenta, hanc virgini matri conceſſiſſe exercendam, & propterea à foro ju-
ſtitiæ Dei ad forum miſericordiæ *Anton.*
matris ejus eſſe appellandam. In *pag. 4.*
Chriſtum, eo quod dicunt, Chri- *Tit 15.*
ſtum non ſolum advocatum eſſe, *cap. 14.*
ſed & judicem cuncta diſcuſſurum, ita quod nihil remanebit inultum: propterea Deum nobis providiſſe de Advocata, quæ mitis & ſuavis eſt, in qua nihil invenitur aſperum: quæ etiam illa de cauſa appellatur thronus Chriſti, in quo quievit.

XIII. In reliquijs crucis Chriſti & Sanctorum venerandis Idololatria ſe commaculare Pontificios, tum actus adorationis tum invocationis illis præſtando, probatur, partim ex ipſorum confeſſione, partim ex ipſo exercitio actuum religioſorum, quos illis exhibent. Con-

feſſionem edit Tridentina Synodus, quum dicit, Sanctorum reliquijs venerationem & honorem deberi, eaſque & alja ſacra monumenta a fidelibus utiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ cauſa ſanctorum memorias non fruſtra frequentari. Accedit Doctor Angelicus qui omnia benè de Chriſto ſcripſiſſe creditur. Ait enim cruci Chriſti adorationem latriæ eſt præſtandam propter contactum membrorum Chriſti: quæ cauſa Antonino ſufficiens eſt, ut non modo crux Chriſti, ſed & omnia eius adorentur, clavi, lancea, veſtimenta & ſacra etiam tabernacula, quibus accinit Eccleſia; ecce lignum, crucis, crucem tuam adoramus Domine. Factis idipſum declarant variis, quum reliquias tum crucis Chriſti, tum ſanctorum auro, argento, gemmis ornant, linteamine byſſino & holoſerico involvunt, magna pompa in proceſſionibus, ſive gratiarum actionis ſive rogationum cauſa inſtitutis, circumgeſtant, in altaribus collocant, dona & anathemata ante illas ſuſpendunt, ſpectandas, oſculandas, genuflexione adorandas offerunt, & adorant, cereos ante illas accendunt, thura illis adolent, templa & altaria per illarum præſentiam conſecrant, & ſanctificata æſtimant; feſtos dies iis inſtituunt, miſſas in illarum honorem celebrant, cum hac opinione quod ſacræ ſuper altari, in qua reliquię poſitæ ſunt; ſanctiores & efficaciores ſunt: quod peregrinationes ad illas obeunt, tanquam amuleta & pręſervativa geſtant, ægrotis imponunt, ſudaria ſua, corollas & alia eius generis earum attactu ſanctificant ut eidem fini ſerviant: quod gratiam & virtutem divinam illis ineſſe exiſtimant, quam invocationibus & aliis cultibus apud illas quærunt; utuntur iis ad Diabolos maloſque ſpiritus fugandos, & omnia faciunt, quæ gentiles Idololatriæ ſuorum reliquiis exhibuerunt. Quibus omnibus acceſſit turpiſſima illuſio, reliquiarum ſc. multiplicatio & alienarum ſubſtitutio. Vnde natum dicterium, *multorum corpora honorari interra, quorum animæ cremantur in inferno.*

Seſſ. 25. Sum. p. 3. quæſt. 25. Ant. par. 3. titul. 12. c. 8. Cal. de reliq.

XIV. Quartum ſpecimen partim eiuſdem Idololatriæ, partim pluſquam Gentilis ſuperſtitionis præbent, tum in dedicationibus & conſecrationibus templorum, altarium, vaſorum & ornamentorum ad illa pertinentium, utpote crucis, calicis, patinarum, linteaminum, ſtolarum, thuribulorum, item in conſecrationibus Cerei paſchalis, aquæ luſtralis, Salis, olei Chriſmatis, Campanarum, Cerearum puparum, quos Agnos Dei vocant. Cœmiteriorum & ſimilium rerum; tum in rerum ſic conſecratarum uſu: precantur enim in conſecrationibus ut Deus illas res gratia, virtute & potentia inſtruat ad corporalia & ſpiritualia mala pellendum, & contraria bona largiendum, iiſque ut talem gratiam & virtutem habentibus utuntur, & cultum religioſum præſtant. Eius rei pauca hæc proferimus indicia: quod viſitationibus templorum ſic conſecratorum, peccatorum remiſſionem adſcripſerunt. Ex formulis etiam conſecrationum ſuper cruce conſecranda hæc uſurpantur; *Dignetis domine benedicere hoc lignum crucis, ut ſit remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas fidei, bonorum operum profectus & redemptio animarum, tutela contra ſæva jacula inimicorum.* Supra aqua luſtrali, iſta, *Exorcizo te*

Creatura aquæ ut fias aqua exorcizata, ad effugandam omnem poteſtatem inimici & ipſum eradicare & explantare valeas cum angelis ſuis apoſtatricis, &c. In conſecratione ſalis, iſta eſt. *Exorcizo te Creatura ſalis, ut efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem credentium, ut ſis omnibus te ſumentibus ſanitas animæ & corporis, &c.* Item, *dignare Domine hanc creaturam ſalis benedicere & ſanctificare, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis & quicquid ex eo tactum vel adſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritualis nequitiæ.* Conſecratis verò, quos vocant, Agnis Dei, tribuunt, quod omne peccatum frangunt & angunt, ut ſanguis Chriſti, & ſecundum iſtam opinionem utuntur iiſdem rebus, ſpem fiduciamque in iis tanquam iſta tali vi præditis collocantes.

X V. Quod verò ſecundum Idololatriæ genus in cultu imaginum committant ex propria ipſorum cōfeſſione, conſecrationū formulis, & praxi quotidiana ipſorum evincitur. Confeſſio eſt in Synono Tridentina

Seſſ. 25. quę dicit, *Imagines Chriſti, deiparæ virginis & aliorum ſanctorum in templis præſertim habendas & retinendas, iiſque debitum honorem & venerationem impartiendam, ita ut per imagines quas oſculamur & coram quibus caput aperimus & procumbimus Chriſtum adoremus, & ſanctos quorum illæ ſimilitudinem gerunt, venerentur; id quod ſecundæ Nicanæ Synodi decretis ſancitum eſt.* Videantur iſtius Synodi acta & apparebit adorationem & invocationem illam ſtabilitam, Idololatriam puram putam eſſe. Accedit Thomas & doctorum caterva qui ſentiunt eodem cultu afficiendas Imagines, quo prototypa coluntur, quæ repræſentant. Formulæ conſecrationum idem declarant. Sic enim Mariæ imago conſecratur.
Sanctifica Deus hanc formulam beatæ vir- 1. Reg. 8.
ginis ut tuis fidelibus ſalutaris auxilii opem ferat tonitrua aut fulmina ſi invaluerint, nocentia celerius expellantur, pluviarum quoque inundatio, aut civilium bellorum commotio ſeu paganorum devaſtatio ad præſentiam eius comprimantur. In Conſecratione Imaginis Io. Bapt. hæc ſunt verba: *Sit hæc imago Dæmonum ſancta expulſio, Angelorum advocatio, fidelium protectio, eiuſque in hoc loco vigeat potenter interceſſio.* In praxi quotidiana plerique actus tum adorationis, tum invocationis præſtantur imaginibus, quos antea ipſis Sanctis exhiberi diximus, & plerumque illos ipſos actus exhibent ſanctis ad imagines illorum vel in imaginibus, rarò mentis puro intuitu ipſos ſanctos inſpiciendo, cum hac opinione, quod ille honor ad ipſa prototypa pertineat, & propterea preces ad illos fuſæ citius faciliuſque exaudiantur.

X V I. Et hoſce quidem cultus, hæc ſervitia, hoſce tum adorationis tum invocationis actus ſe ſacramento Euchariſtiæ, Mariæ, Angelis, & Sanctis demortuis, reliquiis, rebuſq; conſecratis, & imaginibus iſtis exhibere non negant Pontificii, ſaltem negare niſi per manifeſtum mendacium non poſſunt: Attamen ab Idololatria ſe excuſant obtentu quarundam exceptionum, & diſtinctionum, quas eius valoris eſſe exiſtimant, ut eoſdem actus, qui ab aliis præſtiti, vere ſunt Idololatrici, ab ipſis tali mente & animo patratos ab Idololatria eximant. Exceptiones hæ ſunt: Prima, Secundum triplicem excellentiam, divinam, humanam & mediam, triplicem eſſe honorem: & hic diſtinctio adfertur

λατρείας,

λατρείας, δουλείας, & ὑπερδουλείας. cui adnecti poteſt quod dicunt, actus pleroſq; ad cultum iſtum pertinentes eſſe analogos. Secunda eſt ex intentione eorum qui cultus illos exhibent. Tertia eſt in diſcrimine interceſſionis & dationis, id eſt, Mediationis qua funguntur ſancti & qua Chriſtus. Quarta, in diſtinctione imaginis & Idoli.

XVII. Primi effugii tria membra ſunt. Ad primum reſpondemus, primò, Scripturas aliam à divina, quæ media dicatur, excellentiam non agnoſcere, quam quæ eſt ſecundum functiones, gratias, dignitates, per quas creaturæ rationales aliis aliæ ex divino præſcripto præſunt & miniſtrant: Homines quam diu in hac vita animali verſantur, Angeli uſque ad mundi finem. Et propterea nullum creaturæ præſtitum, præter eum qui iſtis ſuperioribus in hac terra exiſtentibus exhibetur, & quidem Scriptura approbante, ab Idololatria purum eſſe. Secundò mediam illam excellentiam & ei attemperatum cultum à Scriptura rejici, quum angelorum damnat θρησκείαν & Ezechiam laudat, quod æneum ſerpentem ideò, quod illi ſuffitus adolerentur, fregerit & combuſſerit. Ad ſecundum: diſtinctionem λατρείας & δουλείας hic fruſtraneam eſſe: Nam δουλείας cultum vindicat Apoſtolus Deo vero ſoli, quũ Gentes culpat quod illum præſtiterint iis qui natura non ſunt Dii. Et vox ipſa generatim ſumpta ſignificat ſervitium, quod ſolis illis, cum quibus nobis ſecundum Deum eſt negotium præſtari debet vel licitè poteſt, idque ex lege vel communi charitatis mutuæ, vel particularis reſpectus inter eos quibus inter ipſos eſt negotium, At cum iis de quibus hic agitur (angelos excipio) nullum eſt nobis negotium ſecundum Deum neque ulla lege iis ad ſervitum obſtricti ſumus. Ad tertium dicimus, primo ſacrificare, ſuffire templa, altaria ædificare, vovere, feſta, jejunia, peregrinationes inſtituere, per nomen jurare, cultus eſſe non analogicos, ſed univocos & ſoli vero Deo debitos; At multi eorum, imò omnes à pontificiis præſtantur aliis rebus quam vero Deo. Secundò, ipſam προσκύνησιν, quæ hominibus propter analogicam cum Deo ſimilitudinem legitimè tribuitur, ita Deo propriam cenſeri, quum religioſa eſt, ut totus cultus divinus illa ſola deſignetur, Chriſtus illam Diabolo & Angelus ſibi abjudicet, hoc argumento, quod Dei propria ſit.

Pſa.82.1.6. Ioh.10.35. Col.2.8. 2.Reg.18.4. Gal.4.8. Gal 5.13. Ephes.6.5.6 1.Reg.19.8. Matt 9 10. Apoc.19.10.

XVIII. Secundum effugium eſt ex diſtincta colentium intentione, quo ad omnis generis idololatrias ipſis impactas à ſe amoliendum utuntur. In prima: dicunt circa cultum Sacramenti Euchariſtiæ ſe non panem ſed verum Chriſti corpus intendere honore afficere. In ſecunda: ſe cultum quem præſtant creaturæ, etiam divinum, non ut Deo exhibere; hoc eſt, hoc fine ut illi opinionem concilient talem, qualis revera in ſolam Dei majeſtatem competit. In tertia: ſe creaturæ honorem exhibendo non in illa ſiſtere ſed ut Deus in illa & per illam glorificetur. In quarta: ſe non ipſam imaginem, verùm prototypon honorare. Reſpondemus ad omnes diſtinctiones, primò, factum ubique intentioni eſſe contrarium, & id ipſum revera fieri ab illis, quod intentione ſua vitare ſe velle profitentur. Secundo, Iudicium Dei illorum intentioni

Greg de Val. lib.2.c.1. & 3.

eſſe adverſum, qui non ex intentione factum interpretatur, ſed ex facto de intentione judicat, & facto tali intentionem ipſe convenientem adhibuit, quamquam, qui facit, de contraria ſua intentione proteſtatur. Claret ex his locis; *Fecerunt vitulum ſuſilem, adoraverunt eum & ſacrificaverunt ei, dixeruntque, iſti Dii tui Iſrael, qui eduxerunt te ex Ægypto.* Et *Incurvat ſe ſculptili ſuo adorat & dicit: Libera me, nam Deus meus es tu.* Et *ſacrificaverunt Dæmoniis non Deo.* Tertiò addimus; ſi illæ diſtinctiones valeant, nunquam Gentiles aut Iudæos Idololatriæ admiſſæ accuſari potuiſſe: iiſdem enim illi omnes cultus ſuos ſive vero, ſive falſo Deo, ſive ſummo, ſive inferioribus, ſive imagini exhibitos juſtificare poterunt. Intentio enim illorum nunquam opera digitorum ſuorum timuit, ſed eos, ad quorum imaginem facta, & quorum nominibus conſecrata ſunt; nunquam angelos, dæmones, minores Deos honoravit, niſi ut rediret in honorem ſummi Dei; nunquam illis conciliare voluit exiſtimationem, qualis in ſolam ſummi Dei majeſtatem competit, nunquam falſum Deum coluit.

Exod. 32. 8.
Eſa. 44. 17.
Deut. 32. 17.
Lact. l. 2. inſt. c. 2.

XIX. Tertia exceptio tendit ſpeciatim ad Invocationem Mariæ & Sanctorum juſtificandam. Dicunt enim ſe illos invocare, non ut primos authores & datores bonorum: neque ut Chriſtum, quem conſtituit Pater ſummum Sacerdotem, & cui omnem poteſtatem dedit in cœlo & in terra: verum ut amicos & interceſſores quidem & datores, ſed Chriſto ſubordinatos. Reſpõdemus, primò ex iis quæ dant, ipſos εἰδωλοδουλείας convinci poſſe. Invocatio enim, quam præſtant Mariæ virgini & Sanctis, δουλείας cultum eſſe fatentur. At faciunt ex Maria & Sanctis Idola, tum ante quam illos invocent per hæreſin, & falſo illis tribuendo quod intelligant preces, intercedant pro peccantibus, affectu & merito; & donent poſtulata: tum cultum invocationis tanquam talibus exhibendo. Hic enim modus eſt, quo ex re verè exiſtente Idolum fabricatur. Cui argumento robur accedit ex eo, quod etiamſi ſcirent rogata, affectu pio intercederent & ut ſpiritus adminiſtratorii darent poſtulata, tamen eo quod cum poteſtate non darent, invocandi non eſſent. Secundo, ſubordinationem ſub Chriſto verbis ponere, re ipſa deſtruere, & collateralitâtem introducere; quod ſi verum eſt, tum eo ipſo etiam ſunt Idololatræ: quia cultus quem pater filio ſuo exhiberi vult, λατρεία eſt; vult enim ut omnes honorent filium ſicut & Patrem. *Ioh. 5. 23.* At tollitur ſubordinatio, & collateralitas introducitur, primò universè, quum dicuntur omnes per merita ſua intercedere & impetrare bona, & ſic impetrata diſpenſare; quæ duæ notæ ſunt eversæ ſubordinationis & invectæ collateralitatis. Secundo ſpeciatim inter Chriſtum & Mariam, ut patet primo ex nominibus quibus illam invocant, Reginam cœli; Dominam mundi, ſalutem, portum, præſidiũ, refugium, ſolatium appellantes, quæ jure matris imperare poteſt redemptori; quæ voces Chriſtum ſubordinant. Secundò ex cauſa, cur invocandam dicunt, tum ut advocatam, quia cum Chriſtus non modo homo & advocatus ſit, ſed etiam Deus & Iudex, qui nihil inultum dimittet, ipſa tanquam nihil aſperum habens, tota mitis & ſuavis inter-

intercedere inter ipſum, & peccatores debeat: tum ut bonorum largitricem, quia pater dimidium regni ſui ipſi dederit, hoc eſt miſericordiam ſuam adminiſtrandam, cum ipſe ſibi juſtitiam reſervet, & omnis gratię plenitudinem in ipſam contulerit, ut ex ejus plenitudine hauriant omnes; quod nihil eſt aliud quam ipſam in locum Chriſti illo deturbato collocare.

XX. Quartum effugium eſt diſtinctio inter Imaginem & Idolum: quod imago ſit rei veræ, idolum falſæ ſimilitudo: quam quum explicat fallaciam committit Bellarminus, rem falſam interpretans, quæ cum ſit Ens, non eſt id quod eſſe fingitur, nempe Deus. At hoc diſcrimen falſum eſſe evincunt plurima in ſcripturis loca.

Gen. 31. 34. *Act. 7. 41.* *2. Reg. 12. 28.* *Hoſ. 4. 17. & 8. 31.*

Imago, quam Rachel ſurripuit patri ſuo, idolum dicitur. At fuit imago hominis. Vitulum fuſilem vocat Stephanus idolum, & erat Imago facta ad repreſentandum verum Deum. Vituli Ieroboami erant ſimulachra Iehovæ: attamen appellantur à Græcis Interpretibus & Latino, Idola. Simulachrum Michæ vocatur Idolum, & fuit tamen Iehovæ poſitum.

1. Cor. 12. 2. *Rom. 1. 23.*

Inter Idola muta, ad quæ abreptos ait Corinthios Apoſtolus, erant ſtatuæ hominum, forte quadrupedum, reptilium, avium; quod etiam rerum non exiſtentium, difficulter probaret Bellarminus. Quapropter ſi Idolum eſt quod nihil eſt, hoc eſt ſine re & mente ſonus, hoc ipſum diſcrimen, quum ſit purum putum humani cerebri commentum, vaniſſimum imo veriſſimum idolum eſt: qualia etiam ſunt omnes illæ diſtinctiones & intentiones Idolis Idolorumque cultibus nefarijs ſtabiliendis, excogitatæ ab Eccleſia malignantium, à matre fornicationum, quæ inſtar *mulieris ſcortantis comedit, deinde abſtergit os ſuum, & dicit, non ſum operata iniquitatem.* *Prov. 30. 20.*

COROLLARIUM.

Pontificem Romanum eſſe Idolum, & qui illum pro eo, quem ipſe & ſui eum venditant, habent & honorem ei exhibent quem poſtulat, eo ipſo Idololatras eſſe ex ſcripturis fortibus argumentis probari poſſe.

THESIS VICESIMA QUARTA, DE

Invocatione Sanctorum.

Reſp. IACOBO AD PORTUM.

I.

Sanctos appellamus, tum ex hypotheſi Pontificiorum, quos Rom. Pontifex ſua canonizatione in album Sanctorum retulit; tum ex rei veritate, qui Chriſti ſanguine aſperſi, & Spiritus Sancti, qui omnis ſanctitatis fons eſt, characterib. ſignati; vitæ ſanctimonia, quæ ex ſpirituali cum Chriſto coalitione emanat, in hac vita claruerunt, nunc autem corpore mortui in cœlis cùm Chriſto ſecundum animam vivunt; quales fuerunt olim Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, & ſimiles. Invocatio Sanctorum, eſt qua ad illorum ſuffragium, patrocinium, auxi-

Bellar. lib. 1. de Beat. Sanct. ca. 8 *1. Pet. 1. 2.* *Iob 14. 4. & 5.* *Apoc. 14. 13*

auxilium confugitur, opis implorandæ, impetrandæ, & obtinendæ gratiâ.

II. Triplici autem ratione invocari illos ſtatuunt Pontificii. 1. ut precibus, & ſuffragiis intercedere dignentur; 2 ut per, & propter merita ſua impetrét quæ petuntur; 3. ut ipſi dent beneficia quæ poſtulantur. Nam tribus hiſce reſpectib. induunt Sanctos defunctos Pontificii, quod ut Deo propinquiores, acceſſum ad illum & ad Chriſtum habeant liberiorem, quàm fideles in hac vita ſuperſtites; quod operibus ſupererogationis in vita patratis meriti ſint ut Deus ipſorum preces exaudiat; quòd denique à Deo conſtituti ſint adminiſtratores bonorum quæ ab illis petuntur: & ſic Mediatores, & meritò, & efficacia inter Deum, imo inter Chriſtum & fideles viventes ſtatuuntur.

Synod Trident. seſſ. 25. c. p. 2.

III. Hiſce tamen omnibus neceſſitatem invocandi Sanctos, ſuperſtruere non ſunt auſi Pontificii, dicunt tantum bonum, & utile eſſe ſuppliciter illos invocare, & impiè illos ſentire, qui negant Sanctos invocandos eſſe: niſi fortè poſtremis iſtis verbis, quæ ambiguum habent ſenſum, neceſſitatem voluerint innuere. Negat enim Sanctos invocandos eſſe, tùm qui dicit, non eſſe neceſſarium, tum qui dicit non eſſe licitum ut invocentur: illum ſenſum habent verba rigidè ſumpta, iſtum ſi oppoſitè ſumantur ad antecedentia. Bellarminus etiam, cum titulum hunc poſuiſſet, Sanctos eſſe invocandos, ſubjunxit hanc theſin; Sancti piè, & utiliter à viventibus invocantur. Verum quia verſutiſſimum illud conciliabulum ſæpè verborum ambiguitate ludit, vel coactum propter ſuorum coryphæorum diſſenſiones, vel perversè ingeniosum propter adverſarios, quorum ictus alioquin nulla ſpecie evadere poſſet. Nos de Invocatione Sanctorum quærimus, tum an neceſſaria ſit, tum an licita, & utilis?

Lib. 1. de beat. Sanct. cap. 29.

IV. Ad primum quod attinet, dicimus Pontificiis vel aſſentientibus, vel diſſentientibus, non eſſe neceſſarium, ut fideles in hac vita exiſtentes, Sanctos, qui in cœlis cum Chriſto converſantur, invocent. Quumque neceſſitas illa vel ſecundum officium ſit, quod præſtare teneantur fideles ſuperſtites ſanctis vita functis, & cum Chriſto viventibus; vel ſecundum finem, cujus obtinendi causâ invocatio, tanquam medium neceſſarium, ſtatuatur; Nos neutro modo dicimus neceſſariam eſſe invocationem Sanctorum.

V. Non ratione officii; quia invocatio Sanctorum à Deo neque præcepta, neque promiſſione aut comminatione ulla ſancita, quod tamen neceſſe eſſet, ſiquidem ex officio fidelibus in hac vita exiſtentibus, obeunda eſſet. Non ratione medii; quia neque merita neque interveniens adminiſtratio Sanctorum neceſſaria ſunt ad impetrandum, & obtinendum bona quæ petuntur precibus fidelium in hac vita. Secus enim Chriſti meditatio, & adminiſtratio, aut non eſt ſufficiens, aut impetrari nequit niſi Sanctis defunctis intercedentibus; quorum utrumque falſum eſt; & qui Sanctorum primus ingreſſus eſt cœlum, ille nulla priore Sancti interceſſione indiguit, aut uſus eſt.

VI. Quum itaque neceſſarium non

non ſit, ut fideles hic viventes, Sanctos cum Chriſto regnantes, invocent; etiam atque etiam Pontificiis videndum eſt, ſiquidem ullo bono conſcientiæ ſtudio tenentur, an non præſtabilius ſit illam invocationem omittere, quàm præſtare, etiamſi diſputari poſſet, an licita ſit nec ne, de quo poſteà videbimus. Nos id ipſum affirmamus duplici nixi ratione. Primo, cum quicquid non ſit ex fide, id eſt ex conſcientia certò perſuaſa, Deo gratum eſſe id quod præſtatur, peccatum ſit, & propterea ſine peccato omitti poſſit, de quo vel tantillum dubitetur, an licitum ſit, quum non neceſſarium eſſe ſit compertum; ſequitur potius omittendam eſſe invocationem, quam præſtandam. Secundò cum ipſi Pontificii fateantur: tantum diſcrimen eſſe inter cultum λατρείας & δουλείας, ut idololatriam committat, qui illo colit eum, cui hic tantum debetur; & populo idiotæ & devoto erga ſanctos, difficillimum ſit iſtud diſcrimen ſine ullo errore ſemper obſervare, periculum eſt, ne in idololatriam incidant Sanctos invocantes, quæ ratio etiam militat contra invocationem Sanctorum, quanquam probatum eſſet, licitam illam eſſe.

Lib. 1 de beat. Sanct. cap. 19. VII. Deinde quæritur, An invocatio Sanctorum licita ſit, & utilis? Vel, ut Tridentina Synodus; An bonum, & utile ſit ſanctos invocare? Vel juxta Bellarminum: An piè, & utiliter invocentur Sancti? Nos negativam tenentes, dicimus, neque pium, neque utile eſſe ut invocentur Sancti. Quod probamus, primò generatim, deinde ſpeciatim ſecundum particulares reſpectus juxtà quos Pontificii Sanctos invocant, & invocari poſſe ſtatuunt.

VIII. Generatim non eſſe pium, ſic probamus. Quum nulla actio per ſe, & propriè pietatis ſeu εὐσεβείας nomine venire poſſit, niſi quæ à Deo præſcripta eſt, cuius ſolius ſermone, & inſtitutione actio quævis ſanctificatur, ſecus communis futura, & certum ſit invocationem Sanctorum à Deo præceptam non eſſe, ſequitur eandem piam dici non poſſe. Dicitur quidem actio aliqua pia per metalepſin, quia ſuſcipiatur actionis piæ præſtandæ gratia; At illud hîc locum non habet. Non eſſe utile, eodem demonſtramus argumento; quia omnis cultus religioſus à Deo non præſcriptus, eſt inutilis, dicente Deo, & Chriſto, *Lev 10. 1. Eſ. 29. 13. Mat. 15. 9.* Fruſtra me colunt docentes doctrinas, & mandata hominum: At invocationem ſanctorum dicunt Pontificii eſſe cultum religioſum.

IX. Speciatim idipſum probamus ſecundum reſpectus, quibus induuntur Sancti à Pontificiis quum invocantur. Primò dicimus, Sanctos non poſſe piè, & utiliter invocari, ut datores bonorum. Quia Sancti non ſunt à Deo conſtituti bonorum ſive cœleſtium, ſive terreſtrium diſpenſatores. Hoc enim eſt officium Chriſto datum, cui ſubditi ſunt Angeli tanquam famuli in iſta adminiſtratione. Imò verò etiamſi Angelorum inſtar ſubordinatam ſuam operam hic Sancti præſtarent Chriſto ex Dei juſſu; tamen propterea invocandi non eſſent. Ad hoc enim requiritur plena diſpenſandi poteſtas, quæ diſtribuat prout vult: Angeli vero tantum miniſterialem, & inſtrumentalem operam hic Chriſto præſtant; qua de cauſa nec illos ut datores bonorum invocare licet. At ſancti miniſterialiter,

& inſtrumentaliter operam Chriſto Angelorum inſtar præſtare nequeunt, niſi dicamus & illos aſcendere & deſcendere Angelorum more. Ergò quum neque poteſtatem habeant dandi bona, neque potentiam, ſequitur eos nec piè, nec utiliter invocari poſſe ut bonorum datores.

X. Secundo, non poſſunt piè, & utiliter invocari, tanquam qui meritis ſuis à Deo exauditionem impetrent, quia Sancti neque ſibi, neque alijs quicquam mereri potuerunt. Neceſſe enim habuerunt dicere cùm Davide, Bonum noſtrum non ad te. Et cum omnia facerent non modo humiliter, ſed & veraciter profiteri, ſervos ſe inutiles eſſe; quin & pro peccatorum remiſſione veraciter Deum orare, ne intret in judicium cum ſervis ſuis. Pie ergo allegari non poteſt, quod falſo Sanctis attribuitur, neque utiliter alijs impendi, cujus ſufficientia ipſis Sanctis defuit.

Pſal. 16. 2. *Luc. 17. 10.* *Pſal. 32. 6.* *Pſal. 143. 2.*

XI. Denique non poſſunt piè & utiliter invocari, ut ipſi tanquam amici noſtri preces ſuas cum noſtris jungant, aut precibus ſuis pro nobis apud Deum intercedant; quia Sancti in cœlis ignorant ſingulares neceſſitates, & preces fidelium in terra degentium. Quod enim de ſpeculo Trinitatis dicitur, commentum eſt vaniſſimum, & eo confutatur, quod Angeli videntes faciem Patris, dicuntur ignorare diem judicij. Quod de revelatione divina, circulum habet inanem, & ridiculum: Quod de explicatione, quæ fiat vel per Angelos vel per animas recens defunctorum, ejuſdem eſt vanitatis; quum Scriptura ne verbulo quidem illorum indiciorum faciat mentionem, citrà quam religio nobis eſt in rebus tanti momenti quidpiam recipere tanquam verum, aut agendum ſuſcipere tanquam pium, & utile.

Eſai 63. 16. *1. Reg 8. 36.* *2. Reg. 22. 20.* *Mat. 18. 10.* *Mar. 13. 32.*

XII. Addimus denique, Pontificios per Sanctorum invocationem Chriſto injurios eſſe, & propterea illam ſine ſacrilegio non uſurpare. Et injurios quidem duplici ratione. Primò, quia officium Mediatoris, & Advocati noſtri Chriſto ſoli à Patre mandatum, & collatam poteſtatem, cum Sanctis communicant. Neque excuſantur eo quod dicunt, Sanctos eſſe Chriſto ſubordinatos. Eo enim quod merita Sanctorum allegant, & illos ut datores bonorum invocant, ſubordinationem tollunt, & collateralitatem ſtatuunt. Secundò, quia multum detrahunt benevolo iſti Chriſti in ſuos affectui, propenſiſſimæ miſericordiæ, & animo ad commiſerandum promptiſſimo; quę luculentiſſimè nobis in Scriptura proponuntur, ut indignitatis propriæ conſideratione non abſterriti, cum fiducia & libertate accedamus ad thronum gratiæ, & miſericordiam imploremus ad opportunum auxilium.

1 Tim. 2. 5. *Rom 8. 34.* *1. Ioan. 2. 1.* *Heb. 4. 16.*

XIII. Neque quum Sanctos invocandos eſſe negamus, omnem illis venerationem, ut calumniantur Pontificij, adimimus. Fatemur enim illorum memoriam grata celebratione venerandam eſſe. Venerationem autem hiſce terminis circumſcribimus, commemoramus primò cum gratiarum actione dona eximia, quæ in illos collata ſunt, & ipſos laudamus quod donis illis in exercitijs fidei, ſpei, & charitatis fideliter uſi ſunt. Secundo imitamur, quantum in nobis eſt, exempla illorum, & ipſo opere demonſtrare cona-

conamur, conuerſationem, quam ſanctam habuerunt in hoc mundo, gratam nobis eſſe, ſimilitudinem illorum affectantibus. Denique fœlicitatem, qua fruuntur cum Chriſtô apud Deum, illis gratulamur, & eandem nobis cum animi devotione precamur, ſperantes & confidentes eadem nos per ſufficientiſſimam Chriſti interceſſionem potituros, per quam ſoli & ipſi ejuſdem participes facti fuerunt.

COROLLARIVM.

An Pontificij in Sanctorum invocatione idololatriam committant? Affimatur.

THESIS VICESIMA QVINTA:

DE

Magiſtratu,

Reſp. IOANNE LE CHANTRE.

I.

Rom. 13. 10. 11. *Eph.* 1. 21. *Rom.* 13. 1.

DE origine & etymo vocis non anxiè ſoliciti, dicimus ſenſum illius ex uſu duplicem eſſe: aut enim in abſtracto ipſam poteſtatem & functionem ſignificat, aut in concreto illum qui conſtitutus eſt functionis iſtius cum poteſtate adminiſtrator. At quia conſideratio abſtractativa ſimplicior eſt, & concretivæ normam ponit, hinc in ejus deſcriptione primò & potiſſimum verſabimur.

II. Magiſtratum itaque in abſtracto definimus; Poteſtatem ſupereminentem adminiſtratricem, vel functionem cum Poteſtate ſupereminente in hoc à Deo inſtitutam & conſervatam, ut homines in ſocietate communi vitam tranquillam in vera pietate & juſtitia degere poſſint, ad ipſorum ſalutem & Dei gloriam. Ad cujus definitionis latiorem explicationem, tum objectum, tum cauſas hujus functionis externas, efficientem & finem; & internas, materiam & formam conſiderabimus, ex quibus reliqua derivabimus.

Rom. 13. 1. 2. 3. 1. *Tim.* 2. 2. 1 *Pet.* 2. 13. *Prov.* 29. 4. *Pſalm.* 72. *Iſa.* 45. 22. 23.

III. Objectum functionis iſtius eſt multitudo hominum, qui animantia ſociabilia ſunt, & multis inter ſe ſecundum naturam & gratiam indigentiæ & communicationis nexibus devincti, in ſocietate communi viventium. Quod objectū etiam finem ꝙ comprehendit, nempe illos quorum bono inſtitutus eſt Magiſtratus. Vnde & poteſtas hæc publicæ nomen meritò obtinet: utpote quæ primo, immediate & principaliter verſatur circa ſtatum & converſationē totius populi & univerſæ ſocietatis, ſecundario vero circa cujuſq; membri ſtatum & bonum, quanquam & totius univerſitatis, & ſingulorū in illa bonum per ſe intendat.

Num. 11. 12. 2. *Pet.* 1. 9. 10. *Rom.* 12. 4. 5. 1. *Cor.* 12. 12. 13. &c. *Ezech.* 3 1. 2. *Num.* 11. 12.

IV. Cauſa efficiens tum inſtituens, tùm conſervans, eſt Deus ipſe in quo poteſtas merè αὐτεξούσιος, voluntas optima, & potentia maxima, tanquam inſtitutionis & conſervationis principia conſideranda ſunt. Poteſtas nititur creatione & ex ea, dominij jure, quod Deus in omnia creata præſertim in homines habet. Voluntas inſtituendi eſt ex quadruplici ejus amore, nempe ordinis inter omnia creata; inde ipſorum hominum, tum eorum qui præficiuntur alijs,

Rom. 13. 1. 2. *Ioan.* 19. 10. 11. *Pſalm.* 24. 1. *Ier.* 27. 5. 6. 1. *Cor.* 14. 33. 2. *Cor.* 9. 8. 1. *Reg.* 11. 17. *Ind.* 2. 16. 17.

alijs, tum præſertim ſubditorum: tertio obedientiæ erga legem ſuam: denique illius ſubmiſſionis quam naturâ pares præſtant ijs qui puro Dei arbitratu ſunt ſuperiores. potentia vero, eaque maxima, horſum etiam neceſſaria fuit, tam propter affectum excellentiæ, quæ in hominibus eſt, quam propter infinitæ multitudinis potentiam, & uſurpata eſt à Deo per internam neceſſitatis iſtius ordinis in cordibus hominum impreſſionem, & per externam ejuſdem defenſionem.

2. Chron. 34. 31. 32. Pſal. 3. 2. 18. 1. Sam. 10. 26. & 11. 7. Joſ. 1. 16.

V. Finis inſtitutionis eſt bonum univerſitatis & ſingulorum in illa, tum animale ut pacatè vivant, tum ſpirituale, ut hîc Deo vivant, in cœlis eo fruantur ad gloriam actoris Dei. Cum enim homo ſecundum duplicem vitam, animalem nempe & ſpiritualem, utriuſque boni ſit indigus, & imaginis Dei natura utriuſque capax: & duæ poteſtates collaterales ſtare non poſſint, cumque bonum animale ad ſpirituale dirigatur, & vita animalis ſpirituali ſit ſubordinata, nefas eſt duo illa bona, & eorum procurationem vel reipſa vel adminiſtratione ſummæ poteſtatis diſſeparare: Si enim ſola vita animalis, ejuſque bonum curatur, pecudum eſt illa adminiſtratio: Si vero ad illum ſtatum perducta ſit ſocietas hominum, ut ſola ſpiritualis vita obtineat, tunc hæc poteſtas non eſt amplius neceſſaria.

1. Tim. 2. 2. Rom. 13. 4. Num. 11. 12. 13. Gen. 1. 26. Coloſſ. 3. 10. Mat. 16. 24. 2 Cor. 4. 18. Mat. 6. 33. Gal. 1. 10. 1. Cor. 15. 32. 1. Cor. 15. 24.

VI. Materia, ex qua conſiſtit iſta adminiſtratio, ſunt actiones ad illum finem præſtandam neceſſariæ, quas tribus hiſce claſſibus comprænhendimus, ut prima ſit νομοθεσία, ſub qua & curam legis moralis ſecundum utramque tabulam complectimur, & poſitionem legum ſubordinatarum, reſpectu ad locos, tempora, perſonas, quibus illius immotæ legis obſervatio curetur melius, & ſocietates variæ ad certos reſpectus reſtrictæ gubernentur rectius; nempe Eccleſiaſtica, Civilis, Scholaſtica, Domeſtica. Secunda contineat vocationem ad munera ſuccenturiata, & curationem omnium actionum & rerum quæ univerſæ ſocietati ſunt neceſſariæ. Tertia ſit malorum omnium vel ex ſocietate ſi interna ſunt, eradicatio, vel à ſocietate ſi externa ſint, depulſio; etiam bello ſi opus ſit, & ſalus ſocietatis id poſtulet.

Exod. 18. 18. 19. 20. 2. Par. 17. 6. 7. 8. 2. Reg. 13. 4. 5. &c. Deut. 1. 13. 15. 16. Exod. 18. 21. 22. 1. Par. 2. 14. 2. Par. 19. 7. 8. 9. 10. 11. Num. 11. 13. Prov. 20. 28. Pſal. 101. 8. 1. Tim. 2. 2.

VII. Forma eſt ipſa Poteſtas, ſecundum quam illæ ipſæ functiones cum auctoritate ſoli Deo ſubdita & præeminente quicquid humanum eſt, adminiſtrantur. Hæc enim Spiritum & vitam inſpirat & efficacitatem præſtat illis functionibus: quæ Poteſtas per jus gladij enunciatur, quo defendantur boni, & mali abſterreantur, coërceantur, puniantur, omneſque ad officium præſcriptum adigantur. Cui poteſtati tanquam ſummæ ſervit poteſtas tributa, vectigalea, aliaque onera ſubdítis imperandi, quæ ſunt nervorum inſtar, quibus auctoritas & potentia ad functiones iſtas neceſſaria continetur & ſtabilitur.

Rom. 13. 1. Pſal. 82. 6. Lament. 4. 2. Rom. 13. 4. 5. Rom. 13. 6.

VIII. Quanquam autem iſtius Poteſtatis uſus ante peccatum non fuerit, eo quod duo tantum eſſent homines qui unica familia continebantur, tamen arbitramur & in primæva hominum integritate locum habituram fuiſſe, neque à peccati ingreſſu ortam eſſe. Id enim ex natura hominis, qui animal ſociale eſt, & ab officio deviare poterat, ex finibus ipſius poteſtatis, ex cauſis quę Deum ad illam inſtituendam moverunt, ex ipſa

ex ipſa lege naturali & morali, denique ex poteſtatis ipſius in cordibus hominum impreſſione evinci poſſe putamus: ſi quidem aliqua hominum multitudo ante peccatum propagata fuiſſet.

Gen.3.6. 1.Tim.1.2. 1.Reg.10.9. Exod.20.12.15.

IX. Hæc autem Poteſtas eadem ſemper eſt ſecundum naturam functionis & prærogativam autoritatis, neq; variatur aut differente numero illorum quibus poteſtas illa eſt concredita, in Monarchia, Ariſtocratia, Democratia, aut differentia modi quo poteſtas datur, id eſt, ſive immediate à Deo, ſive humano jure aut more per ſucceſſionem, hæreditatem, electionem, obtingat, niſi acceſſerit limitatio ad certas conditiones reſtricta ab illo, vel illis qui jus poteſtatem illam conferendi habuerunt. Etiam illa utrobique eandem vim habet: neque licet illi qui poteſtatem accepit, ſub prætextu quod conditiones illæ aut conſcientiæ ſuæ contraveniant, aut ſuo ſtatui; imo & ipſi ſocietati noxiæ ſint, conditionibus reſciſſis majorem poteſtatem ſibi aſſumere.

Joſ.22.12. 1.Tim 2.2. 1.Pet.2.13. Jud 20. 1.Sam.16.12. 2.Sam.1. 1.Reg.11.12. 1.Reg.14.9

X. Cum Poteſtatis iſtius finis ſit bonum univerſitatis, ſeu totius ſocietatis hominum ad eandem civitatem pertinentium, hinc ſequitur civitatis principem ipſa civitate minorem eſſe, & hujus commoda non modo illius commodis anteferenda, ſed & cum detrimento ejus, imo & vitæ diſpendio redimenda. Quanquam viciſſim tota civitas vitam, ſalutem, dignitatem Principis, tanquam patris patriæ, omnibus viribus, legitimè tamen, defendere teneatur.

Ezech.34.2.3.4. 1.Sam.12.2.3. 1.Sam.8.2. 2.Sam.16.3

XI. Ex eo etiam, quod hæc poteſtas à Deo ſit inſtituta & certis legibus aſtricta, concluditur non licere illi, qui cum iſta poteſtate eſt, adverſus Deum ſe erigere, & leges ipſius legibus contrarias ferre, vel populum ſibi commiſſum ad actus à Deo vetitos compellere, vel ab actibus à Deo præſcriptis impedire. ſecus ſi faciat, reddendum ſibi Deo rationē & populum magis obediendū Deo quam ſibi aſtrictum eſſe, noverit. Duplex tamen hîc populo adhibenda eſt cautio. 1. ut actiones præſtandas ab oneribus tolerandis diſtinguat. 2. ut certus ſit Principis mandatum juſſui divino contravenire: ſecus præcipiti judicio inobedientiā committet in principem, cui eam re ſub Deo ordinatè obedire potuit.

Act.17.18.19. 1.Reg.12.28.29.30. 1.Reg.13.1. Dan.6.7.10. Pſal.82.1.2. Act.4.19 Mich.6.16. 1.Reg.22.5.

XII. Functiones iſtas, quas ut huic Poteſtati eſſentiales poſuimus, non ſunt Principis arbitrio ſubjectæ, ut vel univerſe illas, vel unam illarum trium negligere poſſit: quod ſi faciat, indignum ſe facit nomine Principis, & ſatius illi eſſet dignitatem deponere quam ceſſatorem eſſe in functione. Attamen diſtinctio & hic duplex eſt adhibenda. 1. inter ceſſationem ab ipſa functione, & vitium functioni adveniens. 2. inter ceſſationem & impeditionem, ne illa munia in Republica obeantur: hæc enim præproperum exitium afferret ſocietati, cum illa, modo alijs ea munia obire permittat, conſiſtere Reſpublica poteſt.

Pſal.82.1.2 &c. Ezec.1.2.3 &c.

XIII. Concludimus porro ex authore inſtitutionis, ex fine, & uſu muneris, ex functionibus ad illud pertinentibus, & ipſa ſupereminente poteſtate cum natura Chriſtianiſmi collatis, homini Chriſtiano Magiſtratum bona conſcientia ſuſcipere & gerere licere: imo vero neminem iſti muneri fungendo aptiorem eſſe: & quod amplius eſt, neminem

Act.10.11.48. Exod.18.2.

omnia eius munia ritè & plenè præſtare poſſe, quam Chriſtianum; quo tamen non negamus apud alios populos legitimum Magiſtratum eſſe.

Rom. 13. 1. 2 Pet. 2. 13. & 5. 5. Ioan. 19. 10 11. Act. 25. 10. 11. 1. Reg. 2. 26. 27. Rom. 13. 5.

XIV. Denique quia iſta Poteſtas eſſe supereminens, aſſeveramus omnem animam illi ſubjectam eſſe de jure divino, ſive Laicus ſit, ſive Clericus, Diaconus, Presbyter, Epiſcopus, Archiepiſcopus, Cardinalis, Patriarcha, Pontifex denique ipſe Romanus, ita ut mandatis eius parere, tribunal agnoſcere, ſententiam expectare, punitioni ſubeſſe debeat: à qua obedientia & ſubjectione ne ipſe quidem Princeps quempiam eximere & immunem habere poteſt, quanquam in onerum ferendorum ratione prærogativam aliquibus tribuere poſſit.

FINIS.

IACOBI ARMINII DISPVTATIONES PRIVATÆ, DE

Pleriſque Chriſtianæ Religionis Capitibus, Incoatæ potiſſimum ab Auctore ad corporis Theologici informationem.

THESIS PRIMA DE Ipſa Theologia.

I.

THeologicas Diſputationes denuo cum bono Deo ſuſcepturis, pauca de ipſa Theologia prælibanda ſunt.

II. Theologiæ voce non conceptum ſeu ſermonem ipſius Dei, quod etymon permittit, ſed de Deo rebuſque divinis intelligimus, ſecundum vulgarem uſum ejus.

III. Illa definiri poteſt doctrina vel ſcientia veritatis quæ eſt ſecundum pietatem, à Deo revelatam homini ut Deum divinaque noſcat, in illum credat, & ex fide amorem, timorem, honorem, cultum & obedientiam illi præſtet, & viciſſim beatitatem ab illo ex eius unione exſpectet & obtineat, ad Dei gloriam.

IV. Objectum doctrinæ illius ſeu ſcientiæ proximum & immediatum non eſt, ipſe Deus, ſed officium & actio hominis quam Deo præſtare tenetur: Qui Deus propterea in Theologia ut objectum illius officii conſiderandus eſt.

V. Qua de cauſa Theologia non theoretica ſcientia ſeu doctrina eſt, ſed practica, actionem poſtulans totius hominis, ſecundum omnes & ſingulas partes eius, eamque præſtantiſſimam, excellentiæ objecti reſpondentem quantum fert captus humanus.

VI. Vnde ſequitur, doctrinam iſtam non eſſe expreſſam ad exemplar ſcientiæ naturalis, qua Deus ſeipſum novit, ſed ad exemplar notionis illius, quam Deus de præſcriptione iſtius officii, & omnium ad illud requiſitorum, apud ſe ab omni æternitate, volens concepit.

THESIS SECVNDA DE Methodo qua Theologia informanda eſt.

I.

COnſtitutum eſt à Philoſophis Methodi & Ordinis Magiſtris, ut ſcien-

ut ſcientiæ Theoreticæ ordine compoſitivo, practicæ vero reſolutivo traderentur, idque ſecundum ipſarum ſcientiarum naturam & finem: qua de cauſa quum Theologia ſit ſcientia practica, ſequitur illam Methodo reſolutiva eſſe tractandam.

II. Initium igitur in hujus doctrinæ tractatione faciendum à fine ejus de quo tum quod ſit, tum quid ſit breviter prælibandum: inde medium ad finem adſequendum totâ tractatione docendum: cui finis adeptio eſt ſubjungenda, inque ea tractatio tota finienda.

III. Secundum hunc enim ordinem tum ipſa tota doctrina, tum omnes ejus partes ex fine præcipuo ſuo tractabuntur, & ſingula capita illum locum obtinebunt, qui ipſis competit ſecundum principalem reſpectum, quem habent ad totum ſuum, & ad finem totius.

IV. Etſi autem facilè nobis placeant omnes tractatus quibus Theologiæ corpus explicatum eſt, modo ſecundum veritatem in præcipuis ſaltem & fundamentalibus cum Scriptura ipſa conveniant, & omnibus ſuam lubentes laudem cum gratiarum actione tribuamus, tamen licet nobis ordinis tantum inquirendi cauſa, & accuratioris tractationis ergò, quid deſideremus explicare.

V. Imprimis ordo quo Theologia in Deum & actiones Dei tributa pertractatur inconveniens eſſe videtur: neque placet partitio in *πιϛολογικὴν* & *θρησκευτικὴν* præmiſſâ doctrinâ de principiis, fine, & efficiente: neque illa uſque quaque commoda videtur, qua præmiſſis principiis, verbo Dei & ipſo Deo, pro partibus ponuntur, cauſæ ſalutis noſtræ, ideoq; opera & effecta Dei, & ſubjectum ejus, nempe homo: ut neque partitio Theologicæ ſcientiæ in cognitionem Dei & hominis: neque illa qua de Deo & Eccleſia agi dicitur neque iſta qua de Deo, de motu creaturæ rationalis in Deum, & Chriſto agendum præſtruitur: ut nec iſta, qua de Deo, de creaturis, & præcipuè de homine & lapſu eius, de reparatione per Chriſtum, denique de Sacramentis & vita futura agendum præſcribitur.

THESIS TERTIA
DE
Beatitudine, fine Theologiæ.

I.

Theologiæ finis eſt Beatitudo hominis, eaque non animalis ſeu naturalis, ſed ſpiritualis & ſupernaturalis.

II. Illa conſiſtit in fruitione, cuius objectum eſt Bonum perfectum, ſummum, ſufficiens, quod eſt Deus.

III. Fruitionis iſtius fundamentum eſt vita, intellectu & affectu intellectuali prædita.

IV. Cauſa *συνεχὴς* fruitionis eſt unio Dei, qua vita iſta tantopere perficitur, ut quibus illa unio obtingit, naturæ divinæ & vitæ æternæ participes dicantur.

V. Medium fruitionis eſt intellectio & affectus: & intellectio non per ſpeciem, aut imaginem, ſed per viſionem claram, quæ facie ad faciem dicitur; & affectum iſti viſioni convenientem.

VI. Cauſa beatitudinis eſt ipſe

Deus

Deus, uniens ſe homini, id eſt, videndum, amandum, poſſidendum, & ſic fruendum dans homini.

VII. Cauſa προηγουμένη eſt bonitas & juſtitia Dei remunerativa, quæ præviam habet ſapientiam Dei.

VIII. Cauſa exſecutrix eſt potentia Dei, qua anima dilatatur ad capacitatem Dei, & corpus animale transformatur & transfiguratur in Spirituale.

IX. Finis, ſeu eventus, ſeu conſequens eſt duplex, glorioſæ Dei ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ, potentiæ, quin & perfectionis univerſæ demonſtratio, & illius à beatis glorificatio.

X. Adjuncta ejus propria ſunt, quod ęterna ſit, & talis cognita à poſſidente, quod ſimul & impleat omne deſiderium, & ſemper deſideretur.

THESIS QUARTA

DE

Religione.

I.

OMiſſa diſputatione an Deus poſſit hominem beatum reddere per ſui unionem citra intervenientem actum hominis: dicimus Deo viſum fuiſſe non beare hominem niſi officio aliquo ſecundum voluntatem Dei pręſtito, quod beatitudine æterna remunerari ſtatuit Deus.

II. Et hæc voluntas Dei ęquiſſima eſt nixa fundamento juſtitiæ & æquitatis ſecundum quas fas videtur ut Creator à Creatura ſua ratione prædita actum in Deum tendentem poſtulet; & viciſſim qua tenetur creatura rationalis in Deum auctorem & beneficum dominum ſuum tendere.

III. Hunc actum oportet eſſe totius hominis ſecundum ſingulas ejus partes; ſecundum animam eamque totam & ſingulas ejus facultates, & ſecundum corpus, qua illud eſt animæ mutum inſtrumentum, capax & ipſum, mediante anima, beatitudinis: oportet etiam ut actus ille ſit omnium quæ ab homine proficiſci poſſunt præſtantiſſimus & velut continuus, adeò ut quivis alij actus qui ab homine patrantur per voluntatis aliquem interventum, ſecundum iſtum & normam ejus debeant pręſtari.

IV. Officium illud quanquam, ſecundum totam eſſentiam & omnes partes ejus vix unico nomine appellari poſſit, Religionis tamen voce non incommode nuncupamus: quæ vox tria ſuo ambitu complectitur, actum ipſum, actus obligationem, & obligationem ſecundum Deum, propter quem actus ille præſtandus eſt. Sic tenemur parentes honorare propter Deum.

V. Religio ergo eſt actus ille quem Theologia noſtra informat, quę proptereа objectum Theologicæ doctrinæ merito dicitur.

VI. Modus illius non humano arbitrio ſed præſcripto Dei definitur: nam verbum Dei eſt norma & amuſſis ejuſdem, quod verbum cum hodie nonniſi in Scripturis V. & N. Teſtamenti habeamus, Scripturas iſtas dicimus eſſe Canonem, ſecundum quem Religio eſt conformanda: de qua Scriptura jam porrò agemus quantum requiritur ut illam pro Religioni Canone habeamus.

VII. Religioni contraria eſt tum impietas, id eſt, neglectus & contemptus Dei; tum ἐθελοθρησκεία id eſt, modus Religionis ab homine confictus. Hypocriſis non toti Religioni, ſed ejus integritati opponitur, cum corpore tantum id peragitur, quod à toto homine præſtari debet.

THESIS QVINTA DE

Norma Religionis verbo Dei, & potiſſimum de Scriptura.

I.

QVum Religio ſit hominis erga Deum officium, neceſſe eſt ut à Deo præſcribatur certo verbo ipſius, ſic ut conſtet homini ſe preſcripto iſto tanquam à Deo profecto obligari, vel ſaltem conſtare poſſit & debeat.

II. Verbum illud vel ἐνδιάθετον eſt vel προφορικὸν, illud menti hominis interna inſcriptione (ſive increatio ſit, ſive ſuperinfuſio) inſitum, hoc foris prolatum.

III Verbo inſito Deus homini Religionem præſcripſit, tum perſuadendo illi intus quod coli ab homine debeat & velit, inde univerſe cultum ſibi placitum menti ejus patefaciendo, dilectione Dei & proximi conſtantem, denique remunerationem cordi ejus obſignando. Quæ interna patefactio fundamentum eſt omnis externæ revelationis.

IV. Adhibuit Deus verbum προφορικὸν, primò ut quod inſitum erat repeteret, in memoriam revocaret, ejuſque exercitium urgeret. ſecundo, ut alia inſuper illi præſcriberet, quæ in quadruplici videntur poſita differentia? Aut enim legi naturali homogenea ſunt, quæ inſitis facile ſuperſtrui, at non æquè facile ab homine inde deduci poterant: aut talia videri poterant, at quæ viſum eſt Deo circumſcribere, ne ex inſitis concluſiones fierent voluntati Dei univerſe, vel pro iſto tempore repugnantes: aut purè putè poſitiva ſunt cum iſtis inſitis communionem non habentia, generali quanquam Religionis debito innixa: aut denique pro aliquo hominis ſtatu illi ſunt convenientia, præſertim in quem homo per lapſum a primævo inciderat.

V. Verbum illud externum vel enuntiatione vel ſcriptione cum homine communicat Deus: neutri communicationis modo neque ſecundum totam Religionem, neq; ſecundum partes ejus alligatus, ſed nunc hoc, nunc illo, nunc utroque utens pro arbitrio. Enuntiatione primum uſus eſt; inde ſcriptione, adverſus corruptelam & oblivionem medio certiore. In quâ etiam finivit, ſic ut jam verbum Dei infallibile non alibi quam in Scripturis habeamus; quæ propterea inſtrumentum Religionis commodè appellantur.

VI. Illæ Scripturæ V. & N. T. libris continentur, qui Canonici dicuntur. V. Moſis, Ioſuæ, Iudicum & Ruth; 2. Samuelis, 2. Regum, 2. Chronicorum, Ezræ & Nehemiæ, 2. x. capita Heſteræ, xv. Prophetarum libri, 3. majorum, 12. minorum, Iobi liber, Pſalmorum, Proverbia

verbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Daniel, Lamentationes Ieremiæ. Hi ſunt V. Teſt. Novi, ſequuntur IV. Euangeliſtæ, Actorum I. XIII. Epiſt. Pauli, & I. ad Hebr. Iacobi I. Petri II. Ioannis tres, Iudæ I. & Apocalypſis Iohannis. quorum alij indubitatè habiti pro authenticis, de nonnullis verò aliquando dubitatum fuit: ſufficiente tamen illorum numero de quibus nunquam dubitatum fuit.

VII. Cauſa primaria iſtorum librorum Deus eſt in Filio ſuo per Spiritum ſanctum. Inſtrumentales ſunt ſancti Dei homines, qui non proprio arbitratu ſed acti & inſpirati à Spiritu libros iſtos conſignarunt, ſive verba illis inſpirata fuerint, ſive dictata, ſive ab illis divina directione adminiſtrata.

VIII. Materia Scripturæ ſeu objectum eſt Religio, ut jam dictum eſt. Forma eſſentialis & interna eſt vera voluntatis Dei de Religione ſignificantia; externa eſt forma ſeu character ſermonis, qui contemperatus eſt dicentis dignitati, & naturæ rerum & hominum capacitati accommodatus.

IX. Finis eſt inſtructio hominis ad ipſius ſalutem & Dei gloriam. Inſtructionis totius partes, doctrina, redargutio, inſtitutio, correctio, conſolatio, comminatio.

THESIS SEXTA.
DE
Scripturæ auctoritate & certitudine.

I.

VErbi divini, quod Scripturis V. & N. Teſtamenti comprehenſum eſt, auctoritas eſt tum in veracitate totius narrationis, omniumq; enunciationum, ſive de rebus præteritis ſint, ſive de præſentibus & futuris; tum in poteſtate mandatorum & prohibitionum, quæ eodem continentur.

II. Auctoritas utraq; non poteſt aliunde pendere quam a ſolo Deo præcipuo verbi iſtius auctore, tum quia illa verax eſt citra falſitatis ſuſpicionem, tum quia poteſtatis irrefragabilis.

III. Qua de cauſa ſola notitia verbi, quod divinum ſit, obligat ad credendum, & obediendum, atque ita fortiter, ut obligatio illa nulla externa auctoritate augeri poſſit.

IV. Eccleſia qualicumque modo ſeu reſpectu conſiderata nihil huic auctoritati firmandæ facere poteſt: nam & ipſa iſti verbo omnem ſuam auctoritatem debet, & Eccleſia non eſt niſi jam ante verbo iſti tanquam divino fidem adhibuerit, & obedientiam ſpoponderit. Quare auctoritatem Scripturæ ab Eccleſia ſuſpendere ulla ratione, eſt negare Deum eſſe ſufficientis veracitatis & ſupremæ poteſtatis, ipſamque Eccleſiam eſſe Eccleſiam.

V. Varijs autem modis probatur verbum hoc divinitus eſſe profectum, vel ſignis verbi enuntiationi adhibitis, qualia ſunt miracula, prædictiones, divinæ apparitiones; vel argumentis ipſi verbo inſitis, qualia ſunt res ipſæ, ſtylus & character ſermonis, conſenſus in ſingulis & omnibus partibus, & ipſius verbi efficacia: Denique interna ipſius Dei per Spiritum ſanctum teſtificatione. Quibus omnibus ſecundariam probationem addimus, teſtimoni-

monium illorum qui illud verbum pro divino acceperunt.

VI. Hujus poſtremi teſtimonij vis & efficacitas tota humana eſt, & tanti momenti quanta eſt ſapientia, probitas, conſtantia teſtium. Et propterea auctoritas Eccleſia nullam aliam fidem quam humanam facere poteſt, quæ præparatoria eſſe poteſt ad divinam ingenerandam. Ergo Eccleſiæ teſtimonium non modo non eſt ſolum quo nobis certitudo Scripturæ confirmatur, ſed ne præcipuum quidem, imo vero omnium maximè imbecille.

VII. Nulla argumenta excogitari poſſunt ullius verbi divinitati adſtruendæ, quæ huic verbo juſtiſſima ratione non competant; & nulla viciſſim excogitari poſſunt quæ hujus divinitati deſtruendæ vel probabili ratione ſervire poſſunt.

VIII. Quanquam ad ſalutem neceſſarium abſolute non ſit, credere hunc vel illum librum eſſe ejus Scriptoris cujus titulum præfert; tamen id ipſum certioribus argumentis adſtrui poteſt; quam illa ſunt quæ ulli alij ſcriptori ſuum opus arrogant.

IX. Scripturæ eo ipſo quod Divinę ſunt, ſunt Canonicæ, quia continent regulam fidei, charitatis, ſpei, & omnium actuum noſtrorum internorum & externorum. Non ergo indigent auctoritate humana ut Canonem vel pro Canone recipiantur: imò reſpectus inter Deum & creaturas poſtulat, ut ejus verbum ſit norma vitæ creaturis.

X. Dicimus ad Scripturarum N. & V. Teſtamenti divinitatem adſtruendam, hanc disjunctivam irrefutabiliter valere: Scriptura aut eſt divina, aut (abſit dicto blaſphemia) omnium ſcriptorum ſtultiſſima, ſive ab homine, ſive a malo Spiritu profecta eſſe dicatur.

COROLLARIUM.

I. Affirmare quod Scripturæ auctoritas pendet ab Eccleſia, eò quod Eccleſia ſit Scripturis antiquior, eſt mendacium, ſtultiloquium, contradictionis multiplicis implicatio, denique blaſphemia.

II. Auctoritas Pontificis Romani ad teſtificandum de Scripturarum divinitate minor eſt cujuſvis Epiſcopi ipſo ſapientioris, melioris, conſtantioris.

THESIS SEPTIMA
De Scripturæ perfectione.

I.

Scripturæ ſacræ perfectionem appellamus omnium illorum quæ Eccleſiæ ſcitu, creditu, factu, ſperatu ad ſalutem neceſſaria fuerunt, ſunt, erunt, compræhenſionem.

II. Hanc adverſus inſpirationes, viſiones, ſomnia, & quoſvis novos enthuſiaſmos defenſuri, dicimus nullam ullius rei ad ſalutem vel cuipiam ſingulari homini, vel Eccleſiæ neceſſariæ inſpirationem, poſt tempora Chriſti & Apoſtolorum in terris verſantium factam eſſe, vel homini ulli vel cætui hominum cuicunque, quæ res non ſit in Scripturis ſacris plene & perfectiſſimè comprehenſa.

III. Dicimus etiam nullum dogma ad ſalutem neceſſarium ex illis ipſis Scripturis deductum eſſe poſterioribus ſeculis, quod ab ipſo Chriſtianæ Eccleſiæ initio non fuerit explicitè cognitum & creditum.

Ab

Ab adſcenſu enim Chriſti in cœlos adulta ſunt Eccleſia Dei, quæ creſcere quidem potuit in notitiâ & fide rerum ad ſalutem neceſſariarum, ſed novorum Articulorum acceſſiones capere non potuit: hoc eſt, creſcere potuit in fide qua creduntur capita Religionis, non in fide quæ creditur.

IV. Quæcunque poſtea acceſſerunt interpretationum & probationum vicem obtinent tantum, quæ ipſæ etiam non modo cum Scripturis pugnare non debuerunt, ſed ex ipſis Scripturis deſumendæ fuerunt, ſecus auctoritatem habere non debebant; ſed potius errori vicinæ judicari: tanta enim eſt non propoſitionum modò, ſed & explicationum & probationum in Scripturis comprehenſarum perfectio.

V. Compendioſiſſima etiam cujuſvis enuntiati dijudicandi via eſt, ſi diſpiciatur an ejus ſubjectum & prædicatum vel expreſſe vel æquipollenter in Scripturis contineatur: Si alterutrum non contineatur, ſaltem ut non neceſſarium ad ſalutem reſici poteſt, ſine ullo ſalutis diſpendio: tale autem eſſe poteſt prædicatum, ut iſti ſubjecto tributum ſine diſpendio ſalutis recipi non poſſit. E. G. Papa Romanus eſt caput Eccleſiæ, Maria eſt mediatrix gratiæ.

THESIS OCTAVA,

DE

Scripturæ perſpicuitate.

I.

PErſpicuitas Scripturæ eſt ei tanquam ſigno competens qualitas, ſecundum quam apta eſt ad conceptus, quorum ſigna ſunt verba Scripturâ compræhenſa, clare patefaciendos ijs, quibus illa ſecundum benevolam Dei providentiam adminiſtratur.

II. Illam Scripturæ competere ex cauſa ejus & fine probatur. In cauſa conſideramus ſapientiam & bonitatem auctoris: qui ſecundum illam ſcivit, & ſecundum hanc voluit ſenſa mentis ſuæ bene enunciare. In fine eſt neceſſitas eorum ad quos Scriptura dirigitur, qui ſine notitia iſta ſalutem adſequi nequeunt ex decreto Dei.

III. Perſpicuitas illa diſtinctè conſideranda venit tum objecti tum ſubjecti ratione. Neque enim æquè omnia & omnibus perſpicua ſunt, ſed in Epiſt. Pauli nonnulla difficilia ſunt, & Euangelium tectum eſt ijs qui pereunt, in quibus Deus hujus ſæculi mentes excæcavit.

IV. Illi vero ſenſus quorum notitia & fides ſimpliciter eſt ad ſalutem neceſſaria, ita plane in Scripturis patefacti ſunt, ut etiam à ſimpliciſſimis, modò uſu rationis polleant, percipi poſſint.

V. Sed illis tantum perſpicui ſunt qui Spiritus S. lumine colluſtrati oculos habent ad videndum, & mentem ad intelligendum & diſcernendum. Color enim quantumvis lumine ſatis colluſtratus non videtur niſi ab oculo qui videndi velut lumine interno præditus eſt.

VI. Verum & in ijs quæ ad ſalutem cognitu & creditu ſunt neceſſaria, diſtinguenda eſt lex ab Euangelio, præſertim ea parte quæ de Ieſu Chriſto crucifixo eſt & reſuſcitato. Nam legis opus etiam gentiles alieni à Chriſto inſcriptum habent

habent cordibus ſuis (quanquam id ſalutare non ſit niſi accidente illuminatione & inſpiratione Dei interna) at ſermo de cruce animali homini ſtultitia & ſcandalum, ſine Spiritus revelatione non percipitur.

VII. Sunt autem in Scripturis nonnulla ita difficilia intellectu, ut & perſpicaciſſima ingenia in ijs intelligendos toto vitæ curſu habeant quod laborent: Sic Deo temperante illas, ut neque inutiliter legi, neque cum faſtidio repelli poſſint infinities lectæ & relectæ.

THESIS NONA,

DE

Senſibus & interpretatione Scripturæ ſacræ.

I.

SEnſus legitimus & genuinus S. Scripturæ is eſt, quem author ipſius Spiritus ſanctus intendit, qui ex verbis ipſis ſive propriè ſive figuratè acceptis, colligitur, id eſt, grammaticus, ut loquuntur, ſenſus.

II. Ex hoc ſolo ſenſu efficacia argumenta peti poſſunt ad dogmatum probationem.

III. Propter vero rerum corporearum, carnalium, animalium, terrenarum, & hujus vitæ analogicam cum rebus ſpiritualibus, cæleſtibus, futuris & æternis ſimilitudinem, fit ut iiſdem Scripturæ verbis duplex & uterque certus, & ab auctore intentus ſenſus ſubſit, quorum unus typicus alter typo figuratus ſeu allegoricus appellatur: ad quem allegoricum etiam anagogicum, tanquam pari modo ad typicum collatum, referimus.

IV. Ab hiſce ſenſibus æthiologicus & tropologicus qui dicuntur non differunt, quum ille cauſam reddat ſenſus grammatici, iſte accommodationem ejus contineat, ad circumſtantias perſonarum, loci, temporis, &c.

V. Interpretatio Scripturæ tum verba ejus tum ſenſum reſpicit.

VI. Interpretatio verborum eſt vel ſingulorum, vel conjunctorum; & utraq; vel eorum in aliam linguam tranſlatio, vel per alia verba ejuſdem linguæ explicatio.

VII. Tranſlatio ita adſtricta eſto, ut ſi originalis ſermo ambiguitatem habeat, ille in quem transfertur eandem retineat, aut ſi fieri nequeat, marginali adſcriptione compenſetur.

VIII. In explicatione quæ per alia verba fiet, danda opera ut ex ipſa Scriptura verba explicantia petantur; quorſum utiliſſima erit ſynonymiæ & phraſeologiæ obſervatio.

IX. In ſenſuum interpretatione conandum ut ſenſus & normæ ſanorum ſermonum conveniat, & ſcopo ſeu intentioni authoris iſto loco ſit accommodatus, quo præter verborum intellectum facit locorum aliorum Scripturę ſive ſimilium ſive diſſimilium collatio, & ipſius contextus diligens intuitus; in quo potiſſimum occaſio, finis, antecedentium & conſequentium connexio, circumſtantiæ etiam perſonarum, temporum, locorum adnotabuntur.

X. Quum Scriptura non ſit privatę ſeu propriæ explicationis, conabitur Scripturæ interpres ut ſenſus in illa habeat exercitatos, quo interpretatio Scripturę, quæ prophetiæ nomi-

nomine in Scripturis venit, ab eodem Spiritu proficiſcatur qui ipſam prophetiam Scripturæ primitus inſpiravit.

XI. Nullius vero vel hominis vel Eccleſiæ (Prophetas κατ' ἐξοχὴν & Apoſtolos excipimus) tanta eſt auctoritas, ut ſuam interpretationem populo pro authentica obtrudere poſſit: ſemper judicio ejus cui proponitur ſubjecta eſt hucuſque, ut nonniſi quatenus robore argumentorum firmata eſt, illam recipere teneatur.

XII. Qua de cauſa neque patrum conſenſus, qui difficulter monſtrari poteſt, neque Pontificis Romani auctoritas pro norma interpretationis recipi debent.

XIII. Neque volumus licentiam invectam, qua cuivis ſive prophetæ ſive idiotæ, liceat interpretationes qualvis, ſive ab uno Propheta, ſive à pluribus factas ſine cauſa rejicere, ſed libertatem prophetandi in Eccleſia ſartam tectam cupimus: quam ipſam judicio tum ipſius Dei, tanquam vitæ & necis poteſtatem habentis, tum Eccleſiæ ſeu præſulum ejus ligandi & ſolvendi poteſtate præditorum, ſubjicimus.

THESIS DECIMA,

DE

Efficacia Scripturæ.

I.

QUum de vi & efficacia verbi Dei ſive pronunciati ſive ſcripti agitur, ſemper Spiritus ſancti præcipuam & concurrentem efficacitatem illi adjungimus.

II. Objectum efficaciæ illius eſt homo, ſed vel ut ſubjectum in quo efficacia operetur, ut objectum circa quod efficacia iſta verſetur conſiderandus.

III. Subjectum illius efficaciæ in quo eſt homo ſecundum intellectum & affectum, tanquam capacitate ſive activa ſive paſſiva præditus. Secundum intellectum, quo verbi ſenſa intelligere & pro veris ſibique bonis apprehendere poteſt: ſecundum affectum quo in verum & bonum monſtratum appetitu ferri, idipſum amplecti, & in eo acquieſcere poteſt.

IV. Efficacitas illa non eſt tantum præparatoria, qua intellectus & affectus præparentur ad aliud inſuper verum & bonum apprehendendum, quod verbo iſto externo non comprehenditur, ſed eſt conſummatoria qua intellectus & affectus humanus ſic perficiuntur, ut in hac vita ulteriorem perfectionem obtinere nequeat homo. Ergo rejicimus illos qui Scripturam litteram mortuam dicunt, & ſervire tantum homini præparando ut internum aliud verbum capere poſſit.

V. Iſta efficacitas in Scripturis ter binis actibus pulchrè circumſcribitur. Primò docendi quod verum eſt, refutandi quod falſum eſt. Secundò, adhortandi ad bonum, dehortandi à malo, & corripiendi ſi præter aut contra officium factum fuerit. Tertiò, conſolandi Spiritum contritum, & comminandi elato.

VI. Efficaciæ objectum circa quod eſt idem homo ante tribunal judicij divini conſtitutus, ut ſecundum verbum illud ſententiam vel juſtificatoriam vel condemnatoriam reportet.

THESIS VNDECIMA
DE
Religione & ejus principijs Scripturâ V. & N. Teſtamenti comprehenſis generatim egimus, jam ſtrictiùs de Religione agendum.

I.

QVum Religio officium hominis erga Deum contineat, neceſſe eſt illam fundari in mutua relatione quæ inter Deum & hominem eſt: quam ſi variari contingat, modum quoque Religionis variari neceſſe eſt, manentibus ſemper actibus ad Religionis cujuſque ſubſtantiam pertinentibus, notitia, fide, amore, timore, fiducia, metu, obedientia.

II. Prima inter Deum & hominem relatio eſt ex hujus ad imaginem Dei creatione, ſecundum quam Religio ipſi præſcripta eſt lege illa comprehenſa, quæ mentibus hominum eſt impreſſa, & poſtea decem præceptis per Moſen repetita: cui Deus probandæ obedientiæ cauſa adjunxit ſymbolicam legem de fructu arboris ſcientiæ boni & mali non edendo.

III. Per peccatum hominis alia introducta inter Deum & ipſum relatio eſt, ſecundum quam homo condemnationi Dei obnoxius, gratia reſtaurationis indiget: quam ſi Deus præſtet homini, jam etiam in illo actu, præter creationem, fundanda eſt Religio homini præſcribenda. Qui actus quum peccati agnitionem & gratiarum pro liberatione actionem poſtulet, adparet hic Religionis modum variari oportere; quemadmodum etiam ex Dei inſtituto variatus eſt reipſa.

IV. Hanc variationem Deo ſic adminiſtrare viſum eſt, ut non ſtatim iſtam gratiam plenè exhiberet, ſed aliquantiſper hominem ſub reatus obſignatione contineret addita tamen promiſſione gratiæ ſuo tempore exhibendæ: unde diſcrimen exiſtit Religionis à Moſe populo Iſraëlitico præſcriptæ, & à Chriſto ſuis traditę: quarum illa veteris Teſtamenti & ἐπαγγελίας hæc N. eſt & Euangelij, illa Iudaïca, hęc Chriſtiana appellatur.

V. Vtramque iſtam Religionem vel Religionis modum multis actibus differre docet clariſſimę legis ceremonialis ſub Moſe uſurpatio, & ejuſdem ſub Chriſto abrogatio: verum cum hoc tempore Chriſtiana Religio obtineat, & illa nobis ſit obeunda, de hac porrò agemus, ita tamen ut & illius primęvæ & iſtius Iudaïcæ ſuis locis mentionem interjicimus, quatenus illa Chriſtianæ Religionis explicationi ſervire poteſt & debet.

VI. Nolumus autem illud diſcrimen euſque extendi, ut ijs qui ſub V. Teſt. pædagogia, & ἐπαγγελίας fide Deo ſerviverunt ſalutis ſine Chriſti interventu adeptio attribuatur. Nam à tempore primæ promiſſionis obtiuuit illud: Nullum nomen ſub cælo datum eſt in quo oporteat homines ſalvari quam nomen D. noſtri Ieſu Chriſti.

VII. Hinc apparet ἀμφίλογον & falſum

falſum eſſe illud dictum à nonnemine veterum uſurpatum: Homines primum lege Naturę, inde lege Moſis, denique lege gratiæ Salvatos eſſe: quin & hoc; Confuſionem Religionis Iudaïcæ & Chriſtianæ qualem Mahumed invexit, diſpenſationi Dei prorſus eſſe contrariam.

THESIS DVODECIMA,

DE

Religione Chriſtiana, & primum de voce ejuſque ratione.

I.

DE Religione Chriſtiana porro tractaturi, primum quæ nominis ſit ratio expediemus, inde rem ipſam Religionis iſtius ordine conſiderabimus.

II. Religio Chriſtiana, quam hęreſin Nazarænorum vocabant Iudæi, à Ieſu Nazareno, quem Deus unicum Magiſtrum conſtituit nobis, & Chriſtum ac Dominum fecit, nomen ſortita eſt.

III. Duplici autem ratione nomen illud ei competit, à cauſa, & ab objecto. A cauſa, quia Ieſus Chriſtus, ut doctor à Deo datus, illam Religionem præſcripſit, tum ſua voce quum in terris verſaretur, tum per Apoſtolos in univerſam terram emiſſos. Ab objecto, quia ipſe idem Religionis illius ſecundum Deum objectum eſt jam exhibitus & plenè ſeu perfectè manifeſtatus; quum antea à Moſe & Prophetis tantum ut venturus promitteretur & prænunciaretur.

IV. Et doctor quidem reliquis omnibus doctoribus, Moſe, Prophetis, imo & Angelis ipſis præcellentior, tum modo perceptionis, tum doctrinæ eminentia. Modo perceptionis, quia ille in ſinu Patris exiſtens, & ad omnium Patris ſecretorum intimam viſionem admiſſus, Spirituſque plenitudine donatùs, vidit & audivit coram quæ loquitur & teſtatur: illi vero ſecundùm modum certum Spiritu donati, vel per viſionem vel per ſomnia, vel per alloquium ore ad os, vel Angeli interventu perceperunt quæ alijs enunciare debebant: qui ipſe Spiritus etiam Chriſti Spiritus dicitur.

V. Doctrinæ excellentia ſuperior fuit, quia ipſius Deitatis plenitudinem, totamque & poſtremam patris de ſalute hominum voluntatem ſimul & ſemel hominibus patefecit: adeò ut nihil ad finem uſque ſeculi neque ſecundum rem neque ſecundum expoſitionis claritatem addi queat aut opus ſit.

VI. Ab illius Religionis fide & profeſſione profeſſores illius Chriſtiani dicti ſunt Actor. 11. 26. & 1. Pet. 4. verſ. 16. cuius nominis excellētia ut competere alicui verè poſſit, non ſufficit ut Chriſtum Doctorem & Prophetam divinitùs dictum agnoſcat: ſed neceſſe eſt ut illum etiam tanquam objectum eiuſdem doctrinæ religiosè agnoſcat & colat: quanquam illa notitia & fides huic ſit præcedanea & ab illa ſola aliquando nonnulli in Chriſtum credidiſſe dicantur.

THESIS DECIMA TERTIA, DE Religione Chriſtiana quod ad rem univerſè.

I.

QVum omnis Religionis quibuſvis variatæ modis objectum Deus ſit, etiam hujus objectum Deum eſſe neceſſe eſt. At præterea ejuſdē objectum eſt Chriſtus ſecundum Deum, utpote à Deo & Patre conſtitutus Rex & Dominus univerſi, & caput Eccleſiæ ſuæ.

II. Qua de cauſa in Religionis Chriſtianæ tractatu ordine hæc nobis ſunt conſideranda. Primò, objectum ipſum in quod fides & cultus religioſus tendere debet. Secundò cauſa propter quā fides & cultus objecto præſtari poſſit & debeat. Tertio ipſe fidei & cultus actus, modusque utriuſque ſecundum præſcriptum Dei & Chriſti. Quarto, ſalus ipſa, quæ ut promiſſa & deſiderata cauſæ impellentis vim habet, ut obtenta præmium eſt præſtitę Religionis, unde Dei Chriſtique gloria exſurgit ſempiterna.

III. Homo vero cui Religio iſta præſtanda eſt, peccator eſt, ſed cui peccatorum remiſſio & reconciliatio jam impetrata eſt, ut diſtinguatur etiam hac nota à Religione Iudaïca, quam etiam peccatoribus præſcripſit Deus, ſed tum temporis quum remiſſio peccatorum nondum erat impetrata: qua de cauſa & modus Religionis tum alius fuit, præſertim quoad ceremonialia.

IV. Hæc Religio, quod ad omnia quæ in illa conſideranda diximus, eſt omnium Religionum præſtantiſſima, ſeu potius modus Religionis præſtantiſſimus. Objectum enim excellentiſſimo modo in illa proponitur, adeò ut nihil illius mens humana percipere poſſit quod iſtius Religionis doctrina non exhibeatur. Omne enim bonum ſuum Deus cum illa explicuit, & in Chriſto intuendum dedit.

V. Cauſa propter quam Religio iſti objecto præſtari poſſit & debet eſt omni modo efficaciſſima, adeo ut nihil excogitari poſſit cur alicui Numini Religio præſtari debeat & poſſit, quod in efficacitate illius cauſæ non ſit modo præcellenti comprehenſum.

VI. Actus ipſe fidei & cultus, modo maximè inſigni requiſitus & præſtandus, ſaluſque ex actu iſto exiſtens maxima & glorioſiſſima; tum quod Deus ſe plenius & perfectius videndum præbebit quam ſi per aliam Religionis formam ſalus impetrata fuiſſet, tum etiam quod Chriſtum, qui frater hominum eſt, caput in æternum ſunt habituri & conſpecturi qui ſalutis participes erunt, quo ipſo in ſalutis adeptione & poſſeſſione ipſis quodammodo Angelis ſumus futuri ſuperiores.

THESIS DECIMA QVARTA, DE Objectio Chriſtianæ Religionis;

ligionis; & primo de Deo, primario ejus objecto, & quod Deus ſit.

I.

RElígionis Chriſtianæ objectum eſt, in quod fides & cultus hominis religioſi tendere debet. Illud objectum eſt Deus & Chriſtus ejus. Deus principaliter, Chriſtus ſubordinatè ſub Deo; Deus per ſe, Chriſtus ut à Deo Religionis illius objectum conſtitutus.

II. In Deo primario Chriſtianæ Religionis objecto tria ordine conſideranda. Primo, Natura Dei, cujus ea eſt excellentia & bonitas; ut Religio illi honeſtè & utiliter præſtari poſſit. Secundo, Actiones Dei propter quas illi Religio præſtari debeat. Tertio, Voluntas Dei, qua vult ſibi præſtari Religionem, & præſtantem ipſe remunerari, contraque negligentem punire.

III. Tractatui de natura Dei præmitti oportet Religionis omnis primum & ſummum axioma, Deum eſſe: ſine quo inane eſt quicquid de natura Dei inquiritur, utpote quæ nullam exiſtentiam habens purum putum phantaſma ſit futura conceptus humani.

IV. Deum eſſe quanquam omni creaturæ rationali ſignificatum ejus vocis percipienti, deque iſto ſignificato cogitanti notum ſit, tamen argumentis varijs demonſtrari poteſt; & primò ab axiomatis nonnullis theoreticis, quæ propterea quod terminis tantum intellectis vera eſſe cognoſcuntur, notionum inſitarum nomine appellari merentur.

V. Primum axioma eſt; Nihil eſſe aut eſſe poſſe à ſe ipſo; ſic enim eſſet ſimul & non eſſet, ſeipſo prius & poſterius eſſet, ſuique ipſius cauſa & effectus eſſet. Ergo oportet unum aliquod ens eſſe neceſſario præexiſtens, unde ut à cauſa prima & ſuprema ortum ducunt omnia reliqua. At hoc eſt Deus.

VI. Secundum axioma eſt: Omnem cauſam efficientem primariam ſuo effecto præſtantiorem eſſe. Vnde ſequitur, quum & mentes omnes creatæ ſint in ordine effectuum, unam aliquam eſſe ſupremam & ſapientiſſimam mentem, à qua origiginem habent. At hæc eſt Deus.

VII. Tertium axioma eſt; Nullam vim finitam aliquid facere ex nihilo, & naturā primam eſſe ex nihilo factam: ſecus enim ab efficiente mutari neque potuit neque debuit. Et ſic ex illa nihil fieri potuit. Vnde ſequitur, aut omnia quæ ſunt eſſe ab æterno & entia prima, aut unum eſſe ens primum; & hoc eſt Deus.

VIII. Probat idem axioma practicum ſeu conſcientia quæ omnibus creaturis rationalibus ineſt; in benefactis excuſat & exhilarat, in malefactis excuſat & cruciat, etiam in iis quæ in nullius creaturæ notitiam venerunt aut venient unquam, quod manifeſto indicio eſt aliquem judicem ſupremum; qui requiret & judicabit. At ille eſt Deus.

IX. Quintum argumentum nobis ſuppeditat ipſa rerum exiſtentium magnitudo, perfectio, multitudo, varietas, concordia: quæ clamat ab aliquo & ab uno eſſe omnia iſta; non autem à multis. At hic eſt Deus.

X Sextum argumentum eſt ab ordine qui in rebus eſt, & ab ordinata omnium ad finem diſpoſitione & di-

& directione, etiam earum rerum quæ rationis exſortes propter finem agere, aut ſaltem finem intendere non poſſunt. Omnis autem ordo ab uno eſt, & directio in finem à ſapiente & bono. At hic Deus eſt.

XI. Septimum argumentum ſuppeditat ſocietatis Politicæ, Eccleſiaſticæ, & œconomicæ inter homines conſervatio, quæ in tanta Satanæ & malorum hominum perverſitate & rabie ſtabilis eſſe non poſſet, niſi ab uno præpotente ſarta tecta præſtaretur. At ille eſt Deus.

XII. Octavum argumentum ſumimus à miraculis quæ & facta eſſe credimus, & fieri videmus, quorum ea eſt magnitudo ut totam creati univerſi vim & potentiam longiſſimè excedant. Ergo neceſſe eſt cauſam eſſe quæ ipſum univerſum ejuſque potentiam ſuperet. At iſta eſt Deus.

XIII. Prædictiones rerum futurarum & contingentium, earumque accurata & ſtricta impletio nonum ſuppeditat argumentum, utpote quæ à nullo quam à Deo proficiſci potuerunt.

XIV. Accedit denique perpetuus & univerſalis omnium populorum conſenſus, qui inſtar legis, imo oraculi divini habendus eſt.

Corollarium.

An ex motu qui in mundo apparet, & ex eo quod quicquid movetur ab alio movetur, concludi poſſit Deum eſſe, propter virorum doctiſſimorum diſſenſiones, diſquiri permittimus.

THESIS DECIMA QVINTA,

De Natura Dei.

I.

De Deo primario Theologiæ objecto duo cognoſcenda, tum natura ejus, ſeu quid, vel potius qualis ſit Deus; tum quis ſit, ſive cui iſta natura tribuenda ſit: ne quid inſulſum vel inconveniens Deo tribuatur, neve Deus alius vel alienus pro vero habeatur. De priore primò aliquot diſputationibus pertractabitur.

II. Naturam Dei cum in ipſa cognoſcere non poſſimus, ex analogia naturæ quæ in rebus creatis, & potiſſimum in nobis ipſis eſt ad imaginem Dei conditis, aliquo modo aſſequi poſſumus; addito ſemper analogiæ illi modo eminentiæ ſecundum quem Deus intelligitur perfectiones rerum creatarum infinite excedere.

III. Cum in tota rerum natura, & in homine ejus compendio, duo tantùm conſiderari poſſint eſſentialia, ſive ſubjecto diſſeparata, ſive in eodem ſubjecto ordine quodam inter ſe connexa & ſubordinata, eſſentia ſcilicet & vita: naturam Dei quoque ſecundum duo iſta naturæ momenta intuebimur. Nam quatuor iſti gradus, eſſe, vivere, ſentire, intelligere, qui à multis ponuntur ad duo iſta momenta reſtringuntur, quum vivere ipſum ſentire & intelligere in ſe complectatur.

IV. Eſſentiam Dei primum naturæ divinæ momentum eſſe dicimus, quo Deus purè & ſimpliciter eſſe intelligitur.

V. Illam (cum tota rerum natura ſecundum eſſentiam in corpus & Spiritum diſtribuatur) ſpiritualem eſſe dicimus, & ex illa Deum Spiritum; eo quod fieri non poſſit ut primum

primum & ſummum Ens ſit corporeum. unde non immeritò, quis admiretur, tranſcendentem Dei vim & plenitudinem, qua etiam corporea nihil illi analogum habentia, creare poſſit.

VI. Eſſentiæ Dei nullum attributũ vel re vel ratione & puro mentis conceptu ab illâ diſtinctum, addi poteſt, ſed tantum modus ſupereminentiæ, ſecundum quem omnes omnium rerum perfectiones in ſe complecti & excedere intelligitur, tribui poteſt; qui uno verbo exprimi poteſt, quod eſſentia ſit ἄναρχ[illegible] καὶ ἀναίτιος.

VII. Vnde ſequitur illam eſſe ſimplicem & infinitam; inde æternam & immenſam: denique immutabilem, impatibilem, incorruptibilem, eo modo quo publicis theſibus demonſtratum eſt à nobis.

VIII. Cumque unum & bonum cum ente reciprocentur, & generales ſint omnis entis affectiones, etiam dicimus eſſentiam Dei unam eſſe, & Deum unum ſecundum illam, & propterea bonum, imò ſummum bonum; ex cuius participatione omnia tum quod ſint, tum quod bona ſint, habeant.

IX. Hæc eſſentia, ut ipſa pura eſt ab omni compoſitione, ita & in nullius rei compoſitionem venire poteſt: quod an ſanctitatis nomine in Scripturis appelletur, quæ ſeparationem denotat, diſquiri permittimus.

X. Hi modi ſupereminentiæ eo ipſo quod tales ſunt, nulli rei ſunt communicabiles: iique in vitâ Dei & vitæ facultatibus conſiderati; infinitam in Theologia utilitatem habent, & religionis veræ non minimum ſunt fundamentum.

THESIS DECIMA SEXTA, DE Vitâ Dei.

I.

VItam, quæ in ſecundo momento naturæ divinæ conſideranda venit, Deo competere non ſolum evidens eſt natura ſua, ſed & omnibus aliquem Dei, conceptum habentibus per ſe notum. Multò enim incredibilius eſt aliquid inane & mortuum eſſe Deum; quam nullum eſſe Deum: Et à poſteriori probatur facilè. Quum enim quicquid præter Deum eſt à Deo ſit, neceſſe eſt, quum in creaturis multa ſint quæ vitam habent, etiam Deo vitam tribui. Deum eſſe ſubſtantiam vivam, vitamque illi competere non tantum eminenter, ſed & formaliter, quum vita ſimpliciter ſit perfectio.

II. Verum, cum vita ſumatur aut in actu ſecundo, & ſic dicit operationem; aut in actu primo principali & radicali, & ſic eſt ipſa natura & forma rei viventis: hanc Deo per ſe tribuimus primò & adæquatè, adeò ut ipſe ſit ſui ipſius vita, non habens illam ab unione alterius rei; id enim eſt imperfectionis, ſed idem exiſtens quod illa ipſe vita & vivus actu primo, ſed vivificans actu ſecundo.

III. Vita Dei eſt ergo ſimpliciſſima, ſic ut re ab eſſentia non diſtinguatur, & ſecundum modum conceptionis noſtræ, quo ab eſſentia diſtinguitur, aliqua ratione deſcribi poteſt, quod ſit actus ab eſſentia Dei

fluens, quo illa in ſe actuoſa eſſe ſignificatur: & primum actione reflexa in ipſum Deum, inde in alia objecta, propter vitæ in Deo abundantiſſimam copiam & perfectiſſimam activitatem.

IV. Vita Dei non tantum actionis ad intra & ad extra fundamentum eſt & principium proximum & adæquatum, ſed etiam omnis fruitionis, quâ ipſe Deus in ſe beatus dicitur: quæ cauſa eſſe videtur cur Deus potiſſimum ſecundum vitam ſe à falſis Diis & mortuis idolis diſtingui voluerit, ſed & per nomen ſuum jurari hac concepta formula, vivit Dominus.

V. Quumque eſſentia Dei ſit infinita & ſimpliciſſima, æterna, impatibilis, immutabilis, incorruptibilis, etiam vitam eius cum iſtis eſſendi & vivendi modis conſiderare debemus. qua de cauſa illi per ſe immortalitatem tribuimus: & ad agendum fruendumque, inque agendo & fruendo promptiſſimum, potentiſſimum, indefatigabile, & inſatiabile, (ſic loqui fas eſt) deſiderium, robur, gaudium.

VI. Hæc vita duabus facultatibus intellectu & voluntate in ipſum Deum, tribus verò, accedente nimirum ad illas potentia, actuoſa eſt in alia: fruitioni verò accommodatæ ſunt intellectus & voluntas, & quidem principaliter, prout in ipſum Deum, ſecundariò, & quia ſic ipſi per abundantiam bonitatis placet, prout in creaturas tendunt.

THESIS DECIMA SEPTIMA,

De Intellectu Dei.

I.

INtellectus Dei eſt vitæ eius facultas natura & ordine prima, qua Deus vivus omnia & ſingula quæ entitatem qualemcumque quovis modo habent, habitura ſunt, habuerunt, habere poſſunt, ex hypotheſi haberent, omniumque & ſingulorum inter ſe ordinem, nexum, reſpectum diſtinctè intelligit, etiam entia rationis quæ in mente, imaginatione, enuntiatione exiſtunt, vel exiſtere poſſunt.

II. Novit Deus omnia, non per ſpecies intelligibiles, non per ſimilitudinem, ſed per ſuam ipſius eſſentiam & ſolam; exceptis malis, quæ indirectè novit per oppoſita bona; ſicut mediante habitu cognoſcitur privatio.

III. Modus quo intelligit eſt per ſimplicem & infinitum intuitum, non per compoſitionem & diviſionem, non per diſcurſum, ſecundùm ſucceſſionem quidem ordinis non temporis.

IV. Succeſſio ordinis in objectis divinæ cognitionis eſt huiuſmodi. Primò, Novit ſeipſum totum & adæquate, & hoc intelligere eſt ipſius eſſe. Secundò, Novit omnia poſſibilia in perfectione eſſentiæ ſuæ, ideoque omnia impoſſibila. In poſſibilium intellectu hic ordo eſt, ut primò noſcat quæ primo & ſolo ipſius actu exiſtere poſſunt: ſecundò, quæ à creaturis, ſive exſtituræ ſint ſive non, ipſius conſervatione, motu, auxilio, concurſu, permiſſu exiſtere poſſunt: tertiò, quæ de actibus creaturarum vel ſibi vel actibus convenienter facere poteſt. Tertiò, Novit omnia Entia, etiam juxta eundem ordnem, qui in poſ-

in poſſibilium ſcientia eſt monſtratus.

V. Intellectus Dei certus eſt & infallibilis, adeò ut etiam futura contingentia certò & infallibiliter videat; ſive illa videat in cauſis ipſarum, ſive in ipſis. Nititur autem iſta infallibilitas infinitate eſſentiæ Dei, non ipſius immutabili voluntate.

VI. Intellectio Dei à nulla cauſa externa cauſatur, ne ab objecto quidem: quamquam ſi objectum futurum non ſit, quoque futura de eo Dei intellectio.

VII. Intellectio Dei quantumvis certa neceſſitatem rebus non imponit, ſed potius contingentiam in illis ſtabilit. Quum enim & rem & modum rei noſcat, ſi modus rei contingens eſt, neceſſe eſt ut talem noſcat, & propterea contingens maneat etiam reſpectu ſcientiæ divinæ.

VIII. Scientia Dei ſecundum objecta diſtingui poteſt, & primò in theoreticam, qua res ſub ratione entitatis & veritatis intelligit, & practicam, qua ſub ratione boni, & ut objecta voluntatis & potentiæ ſuæ conſiderat.

IX. Secundo, ſcientia Dei alia eſt, ſimplicis intelligentiæ, qua ſe, omnia poſſibilia, omniumque entium naturam & eſſentiam intelligit. Alia viſionis, qua ſuam & omnium aliorum entium exiſtentiam vidit.

X. Scientia Dei qua ſuam eſſentiam & exiſtentiam, omnia poſſibilia, omniumque entium naturam & eſſentiam intelligit, ſimpliciter neceſſaria eſt, utpote ad perfectionem ſcientiæ ipſius pertinens. At vero quâ novit entium aliorum exiſtentiam, ex hypotheſi neceſſaria eſt, nempe ſi habeant, habuerint, vel habitura ſint exiſtentiam. Poſito enim objecto qualicunque, neceſſe eſt ut hoc in ſcientiam Dei cadat. Illa omnem liberum actum voluntatis divinæ præcedit, hæc ſequitur, ideoque à ſcholaſticis illa naturalis, hæc libera dicitur.

XI. Scientia quâ novit aliquid futurum ſi hoc ſit, media eſt inter illas duas: precedens quidem actum voluntatis liberum quoad intelligentiam, ſed nonniſi ex hypotheſi illius aliquid futurum ſciens ſecundum viſionem.

XII. Scientia libera & viſionis, quæ & præſcientia dicitur, cauſa rerum non eſt, at ſcientia quæ practica eſt, ſimplicis intelligentiæ & naturalis dicitur, ſeu neceſſaria cauſa eſt omnium rerum per modum præſcribentis & dirigentis, accedente voluntatis & potentiæ actione. Media illa intervenire debet in rebus quæ à libertate arbitrij creati pendent.

XIII. Ex objectorum varietate & multitudine, medio & modo intelligentię & viſionis adparet, Deo merito infinitam ſcientiam, & omniſcientiam tribui, eamque ſecundum objecta, medium & modum ſic Deo eſſe propriam, ut nulli rei creatæ poſſit competere.

THESIS DECIMA OCTAVA,

DE

Voluntate Dei,

I.

VOluntas Dei trifariam dicitur. Primò, ipſa volendi facultas.

 Secun-

habent cordibus ſuis (quanquam id ſalutare non ſit niſi accidente illuminatione & inſpiratione Dei interna) at ſermo de cruce animali homini ſtultitia & ſcandalum, ſine Spiritus revelatione non percipitur.

VII. Sunt autem in Scripturis nonnulla ita difficilia intellectu, ut & perſpicaciſſima ingenia in ijs intelligendos toto vitæ curſu habeant quod laborent: Sic Deo temperante illas, ut neque inutiliter legi, neque cum faſtidio repelli poſſint infinities lectæ & relectæ.

THESIS NONA,

DE

Senſibus & interpretatione Scripturæ ſacræ.

I.

SEnſus legitimus & genuinus S. Scripturæ is eſt, quem author ipſius Spiritus ſanctus intendit, qui ex verbis ipſis ſive propriè ſive figuratè acceptis, colligitur, id eſt, grammaticus, ut loquuntur, ſenſus.

II. Ex hoc ſolo ſenſu efficacia argumenta peti poſſunt ad dogmatum probationem.

III. Propter vero rerum corporearum, carnalium, animalium, terrenarum, & hujus vitæ analogicam cum rebus ſpiritualibus, cæleſtibus, futuris & æternis ſimilitudinem, fit ut iiſdem Scripturæ verbis duplex & uterque certus, & ab auctore intentus ſenſus ſubſit, quorum unus typicus alter typo figuratus ſeu allegoricus appellatur: ad quem allegoricum etiam anagogicum, tanquam pari modo ad typicum collatum, referimus.

IV. Ab hiſce ſenſibus æthiologicus & tropologicus qui dicuntur non differunt, quum ille cauſam reddat ſenſus grammatici, iſte accommodationem ejus contineat, ad circumſtantias perſonarum, loci, temporis, &c.

V. Interpretatio Scripturæ tum verba ejus tum ſenſum reſpicit.

VI. Interpretatio verborum eſt vel ſingulorum, vel conjunctorum; & utraq; vel eorum in aliam linguam tranſlatio, vel per alia verba ejuſdem linguæ explicatio.

VII. Tranſlatio ita adſtricta eſto, ut ſi originalis ſermo ambiguitatem habeat, ille in quem transfertur eandem retineat, aut ſi fieri nequeat, marginali adſcriptione compenſetur.

VIII. In explicatione quæ per alia verba fiet, danda opera ut ex ipſa Scriptura verba explicantia petantur; quorſum utiliſſima erit ſynonymiæ & phraſeologiæ obſervatio.

IX. In ſenſuum interpretatione conandum ut ſenſus & normæ ſanorum ſermonum conveniat, & ſcopo ſeu intentioni authoris iſto loco ſit accommodatus: quo præter verborum intellectum facit locorum aliorum Scripturę ſive ſimilium ſive diſſimilium collatio, & ipſius contextus diligens intuitus; in quo potiſſimum occaſio, finis, antecedentium & conſequentium connexio, circumſtantiæ etiam perſonarum, temporum, locorum annotabuntur.

X. Quum Scriptura non ſit privatę ſeu propriæ explicationis, conabitur Scripturæ interpres ut ſenſus in illa habeat exercitatos, quo interpretatio Scripturę, quæ prophetiæ nomi-

nomine in Scripturis venit, ab eodem Spiritu proficiſcatur qui ipſam prophetiam Scripturæ primitus inſpiravit.

XI. Nullius vero vel hominis vel Eccleſiæ (Prophetas καὶ ἐξοχὴν & Apoſtolos excipimus) tanta eſt auctoritas, ut ſuam interpretationem populo pro authentica obtrudere poſſit: ſemper judicio ejus cui proponitur ſubjecta eſt hucuſque, ut nonniſi quatenus robore argumentorum firmata eſt, illam recipere teneatur.

XII. Qua de cauſa neque patrum conſenſus, qui difficulter monſtrari poteſt, neque Pontificis Romani auctoritas pro norma interpretationis recipi debent.

XIII. Neque volumus licentiam invectam, qua cuivis ſive prophetæ ſive idiotæ, liceat interpretationes qualvis, ſive ab uno Propheta, ſive à pluribus factas ſine cauſa rejicere, ſed libertatem prophetandi in Eccleſia ſartam tectam cupimus: quam ipſam judicio tum ipſius Dei, tanquam vitæ & necis poteſtatem habentis, tum Eccleſiæ ſeu præſulum ejus ligandi & ſolvendi poteſtate præditorum, ſubjicimus.

THESIS DECIMA,

DE

Efficacia Scripturæ.

I.

Quum de vi & efficacia verbi Dei ſive pronuntiati ſive ſcripti agitur, ſemper Spiritus ſancti præcipuam & concurrentem efficacitatem illi adjungimus.

II. Objectum efficaciæ illius eſt homo, ſed vel ut ſubjectum in quo efficacia operetur, ut objectum circa quod efficacia iſta verſetur conſiderandus.

III. Subjectum illius efficaciæ in quo eſt homo ſecundum intellectum & affectum, tanquam capacitate ſive activa ſive paſſiva præditus. Secundum intellectum, quo verbi ſenſa intelligere & pro veris ſibique bonis apprehendere poteſt: ſecundum affectum quo in verum & bonum monſtratum appetitu ferri, idipſum amplecti, & in eo acquieſcere poteſt.

IV. Efficacitas illa non eſt tantum præparatoria, qua intellectus & affectus præparentur ad aliud inſuper verum & bonum apprehendendum, quod verbo iſto externo non comprehenditur, ſed eſt conſummatoria qua intellectus & affectus humanus ſic perficiuntur, ut in hac vita ulteriorem perfectionem obtinere nequeat homo. Ergo rejicimus illos qui Scripturam litteram mortuam dicunt, & ſervire tantum homini præparando ut internum aliud verbum capere poſſit.

V. Iſta efficacitas in Scripturis ter binis actibus pulchrè circumſcribitur. Primò docendi quod verum eſt, refutandi quod falſum eſt. Secundò, adhortandi ad bonum, dehortandi à malo, & corripiendi ſi præter aut contra officium factum fuerit. Tertiò, conſolandi Spiritum contritum, & comminandi elato.

VI. Efficaciæ objectum circa quod eſt idem homo ante tribunal judicij divini conſtitutus, ut ſecundum verbum illud ſententiam vel juſtificatoriam vel condemnatoriam reporter.

THESIS UNDECIMA
DE
Religione & ejus principijs Scripturâ V. & N. Teſtamenti comprehenſis generatim egimus, jam ſtrictiùs de Religione agendum.

I.

QUum Religio officium hominis erga Deum contineat, neceſſe eſt illam fundari in mutua relatione quæ inter Deum & hominem eſt: quam ſi variari contingat, modum quoque Religionis variari neceſſe eſt, manentibus ſemper actibus ad Religionis cujuſque ſubſtantiam pertinentibus, notitia, fide, amore, timore, fiducia, metu, obedientia.

II. Prima inter Deum & hominem relatio eſt ex hujus ad imaginem Dei creatione, ſecundum quam Religio ipſi præſcripta eſt lege illa comprehenſa, quæ mentibus hominum eſt impreſſa, & poſtea decem præceptis per Moſen repetita: cui Deus probandæ obedientiæ cauſa adjunxit ſymbolicam legem de fructu arboris ſcientiæ boni & mali non edendo.

III. Per peccatum hominis alia introducta inter Deum & ipſum relatio eſt, ſecundum quam homo condemnationi Dei obnoxius, gratia reſtaurationis indiget: quam ſi Deus præſtet homini, jam etiam in illo actu, præter creationem, fundanda eſt Religio homini præſcribenda. Qui actus quum peccati agnitionem & gratiarum pro liberatione actionem poſtulet, adparet hic Religionis modum variari oportere: quemadmodum etiam ex Dei inſtituto variatus eſt reipſa.

IV. Hanc variationem Deo ſic adminiſtrare viſum eſt, ut non ſtatim iſtam gratiam plenè exhiberet, ſed aliquantiſper hominem ſub reatus obſignatione contineret addita tamen promiſſione gratiæ ſuo tempore exhibendæ: unde diſcrimen exiſtit Religionis à Moſe populo Iſraëlitico præſcriptæ, & à Chriſto ſuis traditę: quarum illa veteris Teſtamenti & ἐπαγγελίας hæc N. eſt & Euangelij, illa Iudaïca, hęc Chriſtiana appellatur.

V. Utramque iſtam Religionem vel Religionis modum multis actibus differre docet clariſſimę legis ceremonialis ſub Moſe uſurpatio, & ejuſdem ſub Chriſto abrogatio: verum cum hoc tempore Chriſtiana Religio obtineat, & illa nobis ſit obeunda, de hac porrò agemus, ita tamen ut & illius primęvæ & iſtius Iudaïcæ ſuis locis mentionem interjicimus, quatenus illa Chriſtianæ Religionis explicationi ſervire poteſt & debet.

VI. Nolumus autem illud diſcrimen euſque extendi, ut ijs qui ſub V. Teſt. pædagogia, & ἐπαγγελίας fide Deo ſerviverunt ſalutis ſine Chriſti interventu adeptio attribuatur. Nam à tempore primæ promiſſionis obtinuit illud: Nullum nomen ſub cælo datum eſt in quo oporteat homines ſalvari quam nomen D. noſtri Ieſu Chriſti.

VII. Hinc apparet ἀμφίλογον & falſum

falſum eſſe illud dictum à nonnemine veterum uſurpatum: Homines primum lege Naturę, inde lege Moſis, denique lege gratiæ Salvatos eſſe: quin & hoc; Confuſionem Religionis Iudaïcæ & Chriſtianæ qualem Mahumed invexit, diſpenſationi Dei prorſus eſſe contrariam.

THESIS DVODECIMA,

DE

Religione Chriſtiana, & primum de voce ejuſque ratione.

I.

DE Religione Chriſtiana porro tractaturi, primum quæ nominis ſit ratio expediemus, inde rem ipſam Religionis iſtius ordine conſiderabimus.

II. Religio Chriſtiana, quam hęreſin Nazarænorum vocabant Iudæi, à Ieſu Nazareno, quem Deus unicum Magiſtrum conſtituit nobis, & Chriſtum ac Dominum fecit, nomen ſortita eſt.

III. Duplici autem ratione nomen illud ei competit, à cauſa, & ab objecto. A cauſa, quia Ieſus Chriſtus, ut doctor à Deo datus, illam Religionem præſcripſit, tum ſua voce quum in terris verſaretur, tum per Apoſtolos in univerſam terram emiſſos. Ab objecto, quia ipſe idem Religionis illius ſecundum Deum objectum eſt jam exhibitus & plenè ſeu perfectè manifeſtatus; quum antea à Moſe & Prophetis tantum ut venturus promitteretur & prænunciaretur.

IV. Et doctor quidem reliquis omnibus doctoribus, Moſe, Prophetis, imo & Angelis ipſis præcellentior, tum modo perceptionis, tum doctrinæ eminentia. Modo perceptionis, quia ille in ſinu Patris exiſtens, & ad omnium Patris ſecretorum intimam viſionem admiſſus, Spirituſque plenitudine donatus, vidit & audivit coram quæ loquitur & teſtatur: illi vero ſecundùm modum certum Spiritu donati, vel per viſionem vel per ſomnia, vel per alloquium ore ad os, vel Angeli interventu perceperunt quæ alijs enunciare debebant: qui ipſe Spiritus etiam Chriſti Spiritus dicitur.

V. Doctrinæ excellentia ſuperior fuit, quia ipſius Deitatis plenitudinem, totamque & poſtremam patris de ſalute hominum voluntatem ſimul & ſemel hominibus patefecit: adeò ut nihil ad finem uſque ſeculi neque ſecundum rem neque ſecundum expoſitionis claritatem addi queat aut opus ſit.

VI. Ab illius Religionis fide & profeſſione profeſſores illius Chriſtiani dicti ſunt Actor. 11. 26. & 1. Pet. 4. verſ. 16. cuius nominis excellētia ut competere alicui verè poſſit, non ſufficit ut Chriſtum Doctorem & Prophetam divinitùs dictum agnoſcat: ſed neceſſe eſt ut illum etiam tanquam objectum eiuſdem doctrinæ religioſè agnoſcat & colat: quanquam illa notitia & fides huic ſit præcedanea & ab illa ſola aliquando nonnulli in Chriſtum credidiſſe dicantur.

THESIS DECIMA TERTIA, DE

Religione Chriſtiana quod ad rem universè.

I.

QVum omnis Religionis quibuſvis variatæ modis objectum Deus ſit, etiam huius objectum Deum eſſe neceſſe eſt. At præterea eiuſdē objectum eſt Chriſtus ſecundum Deum, utpote à Deo & Patre conſtitutus Rex & Dominus univerſi, & caput Eccleſiæ ſuæ.

II. Qua de cauſa in Religionis Chriſtianæ tractatu ordine hæc nobis ſunt conſideranda. Primò, objectum ipſum in quod fides & cultus religioſus tendere debet. Secundò cauſa propter quā fides & cultus objecto præſtari poſſit & debeat. Tertio ipſe fidei & cultus actus, modusque utriusque ſecundum præſcriptum Dei & Chriſti. Quarto, ſalus ipſa, quæ ut promiſſa & deſiderata cauſæ impellentis vim habet, ut obtenta præmium eſt præſtitæ Religionis, unde Dei Chriſtique gloria exſurgit ſempiterna.

III. Homo vero cui Religio iſta præſtanda eſt, peccator eſt, ſed cui peccatorum remiſſio & reconciliatio jam impetrata eſt, ut diſtinguatur etiam hac nota à Religione Iudaïca, quam etiam peccatoribus præſcripſit Deus, ſed tum temporis quum remiſſio peccatorum nondum erat impetrata: qua de cauſa & modus Religionis tum alius fuit, præſertim quoad ceremonialia.

IV. Hæc Religio, quod ad omnia quæ in illa conſideranda diximus; eſt omnium Religionum præſtantiſſima, ſeu potius modus Religionis præſtantiſſimus. Objectum enim excellentiſſimo modo in illa proponitur, adeò ut nihil illius mens humana percipere poſſit quod iſtius Religionis doctrina non exhibeatur. Omne enim bonum ſuum Deus cum illa explicuit, & in Chriſto intuendum dedit.

V. Cauſa propter quam Religio iſti objecto præſtari poſſit & debet eſt omni modo efficaciſſima, adeo ut nihil excogitari poſſit cur alicui Numini Religio præſtari debeat & poſſit, quod in efficacitate illius cauſæ non ſit modo præcellenti comprehenſum.

VI. Actus ipſe fidei & cultus, modo maximè inſigni requiſitus & præſtandus, ſaluſque ex actu iſto exiſtens maxima & glorioſiſſima, tum quod Deus ſe plenius & perfectius videndum præbebit quam ſi per aliam Religionis formam ſalus impetrata fuiſſet, tum etiam quod Chriſtum, qui frater hominum eſt, caput in æternum ſunt habituri & conſpecturi qui ſalutis particeps erunt, quo ipſo in ſalutis adeptione & poſſeſſione ipſis quodammodo Angelis ſumus futuri ſuperiores.

THESIS DECIMA QVARTA, DE

Objectio Chriſtianæ Religionis;

ligionis; & primo de Deo, primario ejus objecto, & quod Deus ſit.

I.

RElìgionis Chriſtianæ objectum eſt, in quod fides & cultus hominis religioſi tendere debet. Illud objectum eſt Deus & Chriſtus ejus. Deus principaliter, Chriſtus ſubordinatè ſub Deo; Deus per ſe, Chriſtus ut à Deo Religionis illius objectum conſtitutus.

II. In Deo primario Chriſtianæ Religionis objecto tria ordine conſideranda. Primo, Natura Dei, cujus ea eſt excellentia & bonitas; ut Religio illi honeſtè & utiliter præſtari poſſit. Secundo, Actiones Dei propter quas illi Religio præſtari debeat. Tertio, Voluntas Dei, qua vult ſibi præſtari Religionem, & præſtantem ipſe remunerari, contraque negligentem punire.

III. Tractatui de natura Dei præmitti oportet Religionis omnis primum & ſummum axioma, Deum eſſe: ſine quo inane eſt quicquid de natura Dei inquiritur, utpote quæ nullam exiſtentiam habens purum putum phantaſma ſit futura conceptus humani.

IV. Deum eſſe quanquam omni creaturæ rationali ſignificatum ejus vocis percipienti, deque iſto ſignificato cogitanti notum ſit, tamen argumentis varijs demonſtrari poteſt; & primò ab axiomatis nonnullis theoreticis, quæ propterea quod terminis tantum intellectis vera eſſe cognoſcuntur, notionum inſitarum nomine appellari merentur.

V. Primum axioma eſt: Nihil eſſe aut eſſe poſſe à ſe ipſo; ſic enim eſſet ſimul & non eſſet, ſeipſo prius & poſterius eſſet, ſuique ipſius cauſa & effectus eſſet. Ergo oportet unum aliquod ens eſſe neceſſario præexiſtens, unde ut à cauſa prima & ſuprema ortum ducunt omnia reliqua. At hoc eſt Deus.

VI. Secundum axioma eſt: Omnem cauſam efficientem primariam ſuo effecto præſtantiorem eſſe. Vnde ſequitur, quum & mentes omnes creatæ ſint in ordine effectuum, unam aliquam eſſe ſupremam & ſapientiſſimam mentem, à qua originem habent. At hæc eſt Deus.

VII. Tertium axioma eſt; Nullam vim finitam aliquid facere ex nihilo, & naturã primam eſſe ex nihilo factam; ſecus enim ab efficiente mutari neque potuit neque debuit. Et ſic ex illa nihil fieri potuit. Vnde ſequitur, aut omnia quæ ſunt eſſe ab æterno & entia prima, aut unum eſſe ens primum; & hoc eſt Deus.

VIII. Probat idem axioma practicum ſeu conſcientia quæ omnibus creaturis rationalibus ineſt; in benefactis excuſat & exhilarat, in malefactis excuſat & cruciat, etiam in ijs quæ in nullius creaturæ notitiam venerunt aut venient unquam, quod manifeſto indicio eſt aliquem judicem ſupremum, qui requiret & judicabit. At ille eſt Deus.

IX. Quintum argumentum nobis ſuppeditat ipſa rerum exiſtentium magnitudo, perfectio, multitudo, varietas, concordia: quæ clamat ab aliquo & ab uno eſſe omnia iſta; non autem à multis. At hic eſt Deus.

X Sextum argumentum eſt ab ordine qui in rebus eſt, & ab ordinata omnium ad finem diſpoſitione

& di-

& directione, etiam earum rerum quæ rationis exſortes propter finem agere, aut ſaltem finem intendere non poſſunt. Omnis autem ordo ab uno eſt, & directio in finem à ſapiente & bono. At hic Deus eſt.

XI. Septimum argumentum ſuppeditat ſocietatis Politicæ, Eccleſiaſticæ, & œconomicæ inter homines conſervatio, quæ in tanta Satanæ & malorum hominum perverſitate & rabie ſtabilis eſſe non poſſet, niſi ab uno præpotente ſarta tecta præſtaretur. At ille eſt Deus.

XII. Octavum argumentum ſumimus à miraculis quæ & facta eſſe credimus, & fieri videmus, quorum ea eſt magnitudo ut totam creati univerſi vim & potentiam longiſſimè excedant. Ergo neceſſe eſt cauſam eſſe quæ ipſum univerſum ejuſque potentiam ſuperet. At iſta eſt Deus.

XIII. Prædictiones rerum futurarum & contingentium, earumque accurata & ſtricta impletio nonum ſuppeditat argumentum, utpote quæ à nullo quam à Deo proficiſci potuerunt.

XIV. Accedit denique perpetuus & univerſalis omnium populorum conſenſus, qui inſtar legis, imo oraculi divini habendus eſt.

COROLLARIUM.

An ex motu qui in mundo apparet, & ex eo quod quicquid movetur ab alio movetur, concludi poſſit Deum eſſe, propter virorum doctiſſimorum diſſenſiones, diſquiri permittimus.

THESIS DECIMA QUINTA,

De Natura Dei.

I.

DE Deo primario Theologiæ objecto duo cognoſcenda, tum natura ejus, ſeu quid, vel potius qualis ſit Deus; tum quis ſit, ſive cui iſta natura tribuenda ſit: ne quid inſulſum vel inconveniens Deo tribuatur, neve Deus alius vel alienus pro vero habeatur. De priore primò aliquot diſputationibus pertractabitur.

II. Naturam Dei cum in ipſa cognoſcere non poſſimus, ex analogia naturæ quæ in rebus creatis, & potiſſimum in nobis ipſis eſt ad imaginem Dei conditis, aliquo modo aſſequi poſſumus; addito ſemper analogiæ illi modo eminentiæ ſecundum quem Deus intelligitur perfectiones rerum creatarum infinite excedere.

III. Cum in tota rerum natura, & in homine ejus compendio, duo tantùm conſiderari poſſint eſſentialia, ſive ſubjecto diſſeparata, ſive in eodem ſubjecto ordine quodam inter ſe connexa & ſubordinata, eſſentia ſcilicet & vita: naturam Dei quoque ſecundum duo iſta naturæ momenta intuebimur. Nam quatuor iſti gradus, eſſe, vivere, ſentire, intelligere, qui à multis ponuntur ad duo iſta momenta reſtringuntur, quum vivere ipſum ſentire & intelligere in ſe complectatur.

IV. Eſſentiam Dei primum naturæ divinæ momentum eſſe dicimus, quo Deus purè & ſimpliciter eſſe intelligitur.

V. Illam (cum tota rerum natura ſecundum eſſentiam in corpus & Spiritum diſtribuatur) ſpiritualem eſſe dicimus, & ex illa Deum Spiritum; eo quod fieri non poſſit ut primum

primum & ſummum Ens ſit corporeum. unde non immeritò, quis admiretur, tranſcendentem Dei vim & plenitudinem, qua etiam corporea nihil illi analogum habentia, creare poſſit.

VI. Eſſentiæ Dei nullum attributũ vel re vel ratione & puro mentis conceptu ab illâ diſtinctum, addi poteſt, ſed tantum modus ſupereminentiæ, ſecundum quem omnes omnium rerum perfectiones in ſe complecti & excedere intelligitur, tribui poteſt; qui uno verbo exprimi poteſt, quod eſſentia ſit ἄναρχος καὶ ἀναίτιος.

VII. Vnde ſequitur illam eſſe ſimplicem & infinitam; inde æternam & immenſam: denique immutabilem, impatibilem, incorruptibilem, eo modo quo publicis theſibus demonſtratum eſt à nobis.

VIII. Cumque unum & bonum cum ente reciprocentur, & generales ſint omnis entis affectiones, etiam dicimus eſſentiam Dei unam eſſe, & Deum unum ſecundum illam, & propterea bonum, imò ſummum bonum; ex cuius participatione omnia tum quod ſint, tum quod bona ſint, habeant.

IX. Hæc eſſentia, ut ipſa pura eſt ab omni compoſitione, ita & in nullius rei compoſitionem venire poteſt: quod an ſanctitatis nomine in Scripturis appelletur, quæ ſeparationem denotat, diſquiri permittimus.

X. Hi modi ſupereminentiæ eo ipſo quod tales ſunt, nulli rei ſunt communicabiles: iique in vitâ Dei & vitæ facultatibus conſiderati; infinitam in Theologia utilitatem habent, & religionis veræ non minimum ſunt fundamentum.

THESIS DECIMA SEXTA,

DE

Vitâ Dei.

I.

VItam, quæ in ſecundo momento naturæ divinæ conſideranda venit, Deo competere non ſolum evidens eſt natura ſua, ſed & omnibus aliquem Dei, conceptum habentibus per ſe notum. Multò enim incredibilius eſt aliquid inane & mortuum eſſe Deum; quam nullum eſſe Deum: Et à poſteriori probatur facilè. Quum enim quicquid præter Deum eſt à Deo ſit, neceſſe eſt, quum in creaturis multa ſint quæ vitam habent, etiam Deo vitam tribui. Deum eſſe ſubſtantiam vivam, vitamque illi competere non tantum eminenter, ſed & formaliter, quum vita ſimpliciter ſit perfectio.

II. Verum, cum vita ſumatur aut in actu ſecundo, & ſic dicit operationem; aut in actu primo principali & radicali, & ſic eſt ipſa natura & forma rei viventis: hanc Deo per ſe tribuimus primò & adæquatè, adeò ut ipſe ſit ſui ipſius vita, non habens illam ab unione alterius rei, id enim eſt imperfectionis, ſed idem exiſtens quod illa ipſe vita & vivus actu primo, ſed vivificans actu ſecundo.

III. Vita Dei eſt ergo ſimpliciſſima, ſic ut re ab eſſentia non diſtinguatur, & ſecundum modum conceptionis noſtræ, quo ab eſſentia diſtinguitur, aliqua ratione deſcribi poteſt, quod ſit actus ab eſſentia Dei

in poſſibilium ſcientia eſt monſtratus.

V. Intellectus Dei certus eſt & infallibilis, adeò ut etiam futura contingentia certò & infallibiliter videat; ſive illa videat in cauſis ipſarum, ſive in ipſis. Nititur autem iſta infallibilitas infinitate eſſentiæ Dei, non ipſius immutabili voluntate.

VI. Intellectio Dei à nulla cauſa externa cauſatur, ne ab objecto quidem: quamquam ſi objectum futurum non ſit, quoque futura de eo Dei intellectio.

VII. Intellectio Dei quantumvis certa neceſſitatem rebus non imponit, ſed potiùs contingentiam in illis ſtabilit. Quum enim & rem & modum rei noſcat, ſi modus rei contingens eſt, neceſſe eſt ut talem noſcat, & propterea contingens maneat etiam reſpectu ſcientiæ divinæ.

VIII. Scientia Dei ſecundum objecta diſtingui poteſt, & primò in theoreticam, qua res ſub ratione entitatis & veritatis intelligit, & practicam, qua ſub ratione boni, & ut objecta voluntatis & potentiæ ſuæ conſiderat.

IX. Secundo, ſcientia Dei alia eſt, ſimplicis intelligentiæ, qua ſe, omnia poſſibilia, omniumque entium naturam & eſſentiam intelligit. Alia viſionis, qua ſuam & omnium aliorum entium exiſtentiam vidit.

X. Scientia Dei qua ſuam eſſentiam & exiſtentiam, omnia poſſibilia, omniumque entium naturam & eſſentiam intelligit, ſimpliciter neceſſaria eſt, utpote ad perfectionem ſcientiæ ipſius pertinens. At vero quâ novit entium aliorum exiſtentiam, ex hypotheſi neceſſaria eſt, nempe ſi habeant, habuerint, vel habitura ſint exiſtentiam. Poſito enim objecto qualicunque, neceſſe eſt ut hoc in ſcientiam Dei cadat. Illa omnem liberum actum voluntatis divinæ præcedit, hæc ſequitur, ideoque à ſcholaſticis illa naturalis, hæc libera dicitur.

XI. Scientia quâ novit aliquid futurum ſi hoc ſit, media eſt inter illas duas: precedens quidem actum voluntatis liberum quoad intelligentiam, ſed nonniſi ex hypotheſi illius aliquid futurum ſciens ſecundum viſionem.

XII. Scientia libera & viſionis, quæ & præſcientia dicitur, cauſa rerum non eſt, at ſcientia quæ practica eſt, ſimplicis intelligentiæ & naturalis dicitur, ſeu neceſſaria cauſa eſt omnium rerum per modum præſcribentis & dirigentis, accedente voluntatis & potentiæ actione. Media illa intervenire debet in rebus quæ à libertate arbitrij creati pendent.

XIII. Ex objectorum varietate & multitudine, medio & modo intelligentię & viſionis adparet, Deo meritò infinitam ſcientiam, & omniſcientiam tribui, eamque ſecundum objecta, medium & modum ſic Deo eſſe propriam, ut nulli rei creatæ poſſit competere.

THESIS DECIMA OCTAVA,

DE

Voluntate Dei,

I.

Voluntas Dei trifariam dicitur. Primò, ipſa volendi facultas.

 Secun-

Secundò, Actus volendi. Tertiò, Objectum volitum. Prima ſignificatio eſt principalis & propria, ſequentes duæ ſecundariæ & figura.

II. Deſcribi poteſt, quod ſit vitæ Dei facultas altera, à vita ulterius tendente per intellectum fluens, quâ Deus in bonum cognitum fertur. In bonum, quia hoc eſt adęquatum omnis voluntatis objectum. Incognitum, non modo quâ Ens eſt, ſed etiam qua bonum: ſive reipſa ſit, ſive in intellectione divina tantum: utrumq; autem monſtrat intellectus. Malum .a. quod culpæ dicitur ſimpliciter & abſolutè non vult Deus.

III. Bonum duplex eſt, ſummum & à ſummo. Illud eſt primum, immediatum, principale, directum, οἰκεῖον & adæquatum divinæ voluntatis objectum. Hoc ſecundarium & indirectum, in quod nonniſi illo mediante tendit.

IV. Voluntas Dei in objecta ſua hoc ordine fertur. Primò, vult ſeipſum. Secundò, vult omnia illa quę ex infinitis ſibi poſſibilibus per extremum ſapientiæ ſuæ judicium facienda judicavit. Et primò quidem illa vult facere ut ſint, deinde in illa affectus eſt voluntate ſua, prout ſimilitudinem aliquam habent cum ipſius natura, vel veſtigium aliquod illius. Tertium voluntatis objectum ſunt illa quæ æquum eſſe judicat ut à creaturis intellectu & libero arbitrio preditis fiant: cui includitur prohibitio eius quod non vult fieri. Quartum divinæ voluntatis objectum eſt promiſſio ipſius, illa potiſſimum qua creaturæ rationali permittit facere quod prohibuit, & omittere quod præcepit. Quintò vult illa quæ ſecundum ſapientiam ſuam judicat facienda de actibus creaturarum rationabilium.

V. Volitionis Dei cauſa προηγουμένη extra Deum nulla eſt, nec finis ullus extra ipſum. creatura autem eiuſque actio vel paſſio προκαταρκτικὴ cauſa eſſe poteſt, ſine qua Deus iſta volitione ſuperſederet.

VI. Omnium vero aliarum rerum cauſa eſt Deus per intellectum & voluntatem ſuam, mediante potentiâ: ita tamen, ut, cum per creaturas, vel cum illis, vel in illis agit, modum proprium agendi vel patiendi ipſis divinitus inditum non tollat, ſed eaſdem ſecundum modum proprium ipſarum ſuos effectus producere, & Dei actiones in ſe recipere ſinat, vel neceſſario, vel contingenter, vel liberè: quæ contingentia & libertas, ut incertam Dei præſcientiam non faciunt, ita à Dei volitione, certaque, quoad intellectum Dei, eventuum futuritione non tolluntur.

THESIS DECIMA NONA,

De Variis voluntatis Dei diſtinctionibus.

I.

QVanquam voluntas Dei una & ſimplex ſit, poteſt tamen ex objectis ſuis ratione modi & ordinis ſecundum quem in objecta fertur, variè diſtingui, quarum diſtinctionum magnus in totâ Scriptura, multiſque eius locis explicandis eſt uſus.

II. 1. Voluntas Dei fertur in obje-

objectum ſuum vel ſecundum modum naturæ, vel libertatis; illius ratione tendit Deus in objectum ſuum primum οἰκεῖον & adæquatum, hoc eſt, in ſeipſum: ſecundum modum libertatis in alia; & in omnia alia libertate exercitii, in multa libertate ſpecificationis; quia non poteſt odiſſe res quatenus ſimilitudinem aliquam Dei habent, id eſt, bonæ ſunt; quanquam amare eas neceſſario non teneatur, quum poſſet eas ubi viſum eſſet in nihilum redigere.

II. 2 Voluntas Dei diſtinguitur in eam quâ vult præciſè aliquid facere, vel impedire, vel qua vult aliquid fieri, vel non fieri à creaturis rationalibus. illa voluntas beneplaciti vel potius placiti dicitur, hæc ſigni. Hæc revelata eſt, ſic enim poſtulat uſus: illa partim revelata, partim occulta. Illa utitur potentia vel irreſiſtibili; vel ſic accommodata objecto & ſubjecto, ut effectum ſit ſortitura, quanquam ſecus accidere poſſet. Huic voluntati duplici opponitur voluntatis remiſſio, id eſt, permiſſio duplex, una oppoſita voluntati ſigni, altera placiti: illa eſt qua permittit aliquid creaturæ rationalis poteſtati non circumſcribendo actum aliquem lege: hæc eſt qua permittit aliquid potentiæ & voluntati creaturæ non ponendo impedimentum quo actus reipſa impeditur.

IV. Quæ Deus vult facere, illa vel ex ſe vult, non propter ullam cauſam extra ſe poſitam, ſive id ſit citra ullius actus à creatura perpetrati conſiderationem, ſive ex actus creaturæ occaſione ſolâ, vel ob præcedentem cauſam à creatura datam; cuius diſtinctionis reſpectu opus aliquod proprium Dei dicitur, aliquod extraneum & alienum. Quæ vero vult fieri in duplici ſunt differentia: Ea enim vel Deo in ſeipſis grata ſunt & accepta, ut moralia opera: vel per accidens & propter aliud placent, ut ceremonialia.

V. 3. Voluntas Dei eſt peremptoria, vel cum conditione. Peremptoria, quæ ſtrictè & rigidè obtinet. ut, qui non credit ira Dei manet ſuper illum, qui credit ſalvus erit. Euangelii nempe vox quæ continet poſtremam Dei revelationem. item Samuelis ad Saulem; projecit te Iehova ne ſis Rex ſuper Iſraëlem. Cum conditione eſt, quæ adnexam habet conditionem ſive tacitam, Nineve ſubvertetur intra 40. dies: maledictus qui non permanet in omnibus; videlicet, niſi per Chriſtum liberetur a maledictione, quod Gal. 3. exprimitur. Hierem. 18.7.8.9.10.

VI. 4. Voluntas Dei alia eſt abſoluta, alia reſpectiva. Abſoluta, quâ vult ſimpliciter aliquid citra reſpectum ad volitionem vel actionem creaturæ, qualis eſt de fidelibus ſalvandis. Reſpectiva, qua vult aliquid cum reſpectu ad creaturæ volitionem vel actionem. Eaque eſt vel antecedens, vel conſequens. Antecedens quâ vult aliquid cum reſpectu ad ſequentem volitionem vel actionem creaturæ, ut, Deus vult omnes homines ſalvari ſi credunt. Conſequens eſt, quâ vult aliquid cum reſpectu ad antecedentem volitionem vel actionem creaturæ, ut, melius fuiſſet homini iſti per quem filius hominis traditur, ſi natus non fuiſſet. utraque dependet ex iſtâ abſolutâ, & ſecundum illam regulatur.

VII. 5. Vult Deus nonnulla quatenus ſecundum naturam ſuam abſolutè conſiderata bona ſunt. Sic

IV. Amor eſt affectus unionis in Deo. cujus objecta ſunt tum Deus ipſe & bonum juſtitiæ, tum creatura, vel ſecundum imaginem, vel ſecundum veſtigium tantum Deum referens, & fælicitas illius. Fertur autem affectus ille vel ad fruendum habendumque, vel ad benefaciendum. Ille dicitur amor complacentiæ, hic amicitiæ qui in bonitatem incidit. Complacet ſibi Deus in naturæ ſuæ perfectione, quare & ſeipſo fruitur. Complacet etiam ſibi in effectibus ſuis ad extra productis; tum actibus, tum operibus, quæ ſunt perfectionis iſtius ſpecimina, & evidentia τεκμήρια; quare & iſtis aliquomodo frui dici poteſt. placet etiam ipſi juſtitia à creatura præſtita: quare ad illam habendam affectus ejus extenſus eſt.

V. Odium eſt affectûs ſeparationis in Deo, cujus objectum primarium eſt injuſtitia, ſecundarium, miſeria creaturæ. Illud ex amore complacentiæ, hoc ex amore amicitiæ. Quum autem Deus proprie ſe amet & bonum juſtitiæ, eodemque momento iniquitatem odio habeat, creaturam vero ejuſque beatitatem ſecundariò amet & iſto momento miſeriam creaturæ odio habeat: hoc eſt; à creatura averruncatam vult; hinc fit ut creaturam in injuſtitia perſeverantem odio habeat & amet miſeriam illius.

VI. Odium autem collaterale amori non eſt, ſed ab amore neceſſariò fluens; quum amor non in omnia quæ intellectui Dei objiciuntur, tendat vel tendere poſſit. Competit ergò Deo actu primo, eſtque in Deo ponendum ante ullam rei odio dignæ exiſtentiam: qua poſita actus odij inde exiſtit naturali neceſſitate, non libertate voluntatis.

VII. Amor autem cum totam voluntatem Dei non expleat, adjunctam habet ſibi bonitatem, quæ & affectus in Deo communicandi bonum ſuum. Hujus objectum primum ad extra eſt nihilum: & adeò neceſſariò primum, ut illo ſublato nulla ad extra communicatio eſſe queat. Actus ejus eſt creatio. Secundum objectum eſt creatura, qua creatura, & ejus actio dicitur conſervatio ſeu ſuſtentatio, creationis veluti continuatio. Tertium eſt creatura officium faciens ex præſcripto Dei, & ejus actio eſt evectio ad ſtatum digniorem & fæliciorem, communicatio nempe boni majoris quam quod per creationem obtinuit creatura. Vterque hic progreſſus bonitatis nomine commode & benignitatis חסד Hebraice appellari poteſt. Quartum objectum eſt creatura non faciens officium, ſeu peccatrix, & eo ipſo miſeriæ obnoxia juxta judicium juſtum Dei, & ejus actio eſt liberatio à peccato per peccati remiſſionem & mortificationem. & hic bonitatis progreſſus miſericordiæ nomine adpellatur, quæ eſt affectus ſubveniendi miſero, nihil obſtante peccato.

VIII. Gratia eſt quoddam bonitatis & amoris adjunctum, quo ſignificatur Deum affectum eſſe ad communicandum ſuum bonum amandumque creaturas, non ex merito aut debito, aut ulla cauſa extrinſecus impellente, neque ut ipſi Deo aliquid accedat, ſed ut bene ſit illi cui bonum tribuitur & qui amatur, quæ etiam liberalitatis nomine appellari poteſt: & ſecundum hanc Deus dives dicitur bonitate, miſericordia, &c.

IX. Affe-

IX. Affectus ab illis orti, & qui circa bonum vel malum qua abſens vel præſens eſt verſantur, conſiderantur ut analogiam habentes vel in ijs qui in concupiſcibili animæ noſtræ parte ſunt, vel in iraſcibili.

X. In concupiſcibili eſt primum deſiderium & quod illi oppoſitum eſt. Secundo, gaudium & dolor. Deſiderium eſt affectus obtinendi opera juſtitiæ à creaturis rationalibus, & dandi remunerationis præmium, quin & pœnam inferendi ſi contumaces ſint. Huic eſt oppoſitus affectus ſecundum quem execratur opera injuſtitiæ & remunerationis omiſſionem. Gaudium eſt affectus ex rei convenientis præſentia, quales ſunt, fruitio ſui ipſius, obedientia creaturæ, communicatio bonitatis ipſius & interitus rebellium & hoſtium ſuorum. Dolor illi oppoſitus eſt ex inobedientia creaturæ, miſeria ejuſdem, & occaſione data à populo ſuo blaſphemandi nomen Dei inter Gentes. Huic affinis eſt pœnitentia, quæ nihil aliud eſt quam mutatio voliti vel facti propter actum creaturæ rationalis, vel potius deſiderium mutationis illius.

XI. In iraſcibili ſpes eſt, & oppoſita deſperatio, confidentia, & ira, etiam metus adfirmativę ſpei oppoſitus. Spes eſt attenta boni operis à creatura debiti & per gratiam Dei præſtabilis exſpectatio, quæ facile cum præſcientia Dei certa conſiliari poteſt. Deſperatio eſt ex pertinaci malitia creaturæ gratiæ Dei ſe opponentis & Spiritui ſancto reſiſtentis. Confidentia eſt qua Deus ingenti Spiritum bonum deſideratum proſequitur, & malum exoſum repellit. Ira eſt affectus depulſionis in Deo per punitionem creaturæ legem ipſius transgreſſæ, quâ creaturæ infert malum miſeriæ pro injuſtitia, & vindictam ſumit debitam ſibi, tanquam indicem amoris erga juſtitiam, & odij adverſus peccatum. Hæc quum vehemens eſt furor dicitur. Metus eſt ex malo quod Deus averſatur imminente.

XII. Horum affectuum nonnulli Deo per ſe competunt ut ſimpliciter perfectionem in ſe continentes: alij, qui videntur imperfectionis quidpiam habere, illi tribuuntur ἀνθρωποπαθῶς propter effectus nonnullos ipſius analogos effectibus creaturarum, citra tamen ullam paſſionem, utpote ſimplici & immutabili, & citra ullam inordinationem & rectæ rationis repugnantiam. uſum verò & exercitium illorum infinitæ Dei ſapientiæ ſubjicimus, cujus eſt ſingulis objectum, medium, finem, circumſtantiaſque præfigere, & decernere, cui præ reliquis agendi partes ſunt concedendæ.

THESIS VICESIMA PRIMA, DE

Attributis Dei virtutum moralium, quæ velut moderatrices ſunt affectuum præcedente Diſputatione conſideratorum, analogiam habentibus.

I

ILlæ autem generatim omnibus affectibus præſunt, aut ſpeciatim non-

nonnullos concernunt Generalis eſt juſtitia, quæ univerſalis (ſeu legalis) dicitur: de qua vetus dictum, quod virtutes omnes in ſe contineat: ſpeciales ſunt, juſtitia particularis, patientia, & quę iræ caſtigationumque & pœnarum ſunt moderatrices.

II. Iuſtitia Dei univerſaliter conſiderata, eſt virtus Dei, qua omnia rectè & decenter, juxta id quod ipſi convenire dictat ſapientia ipſius adminiſtrat: quę una cum ſapientia omnibus illius actionibus, decretis, factis præeſt; & ſecundum quam Deus juſtus & rectus dicitur, via ejus æqua, & juſtus in omnibus vijs ſuis.

III. Iuſtitia Dei particularis eſt, qua ſuum cuique convenienter tribuit: Deo quod ipſius eſt, & creaturæ quod illius eſt: quam tum in factis Dei, tum in dictis conſideramus ipſius. Decretorum ratio hic diverſa non eſt; quia quicquid facit aut dicit, ſecundum decretum ſuum æternum facit aut dicit. Et hęc quidem partim amoris erga bonum obedientiæ; partim amoris erga creaturam & bonitatis moderamen continet.

IV. Iuſtitia in factis hoc ordine conſiderari poteſt: ut prima ſit in communicatione boni, ſeu ſecundum creationem primam, ſeu ſecuudum regenerationem: altera eſt in præſcriptione officij ſeu legiſlatione, quæ conſtat poſtulatione facti, & promiſſione præmij, pænæq; comminatione: tertia eſt in judicio de factis, quæ retributiva eſt, tum communicativa præmij, tum vindicativa. In omnibus iſtis Dei magnanimitas; in communicatione, promiſſione & remuneratione etiam liberalitas & magnificentia conſideranda ſunt; & commodè partim ad distributivam, partim ad commutativam juſtitiam referri poſſunt.

V. Iuſtitia in dictis etiam triplex eſt: veritas, qua ſemper enunciat prout res habet. cui opponitur mendacium: ſynceritas & ſimplicitas, qua enuntiat prout intus concipit, ſecundum animi ſui ſenſum & propoſitum, cui opponitur hypocriſis & cordis duplicitas: & fides, qua conſtans eſt in ſervandis promiſſis & communicationibus, cui opponitur inconſtantia & perfidia.

VI. Patientia eſt, qua boni, id eſt, obedientiæ pręſcriptæ quam amat, deſiderat, ſperat, abſentiam & mali, quod vetat, præſentiam, toleranter ſuffert: parcens, peccatoribus, tum ut judicia miſericordiæ & ſeveritatis ſuæ per illos exſequatur, tum ut eos ad reſipiſcentiam adducat; vel contumaces æquius & gravius puniat. Et hæc quidem videtur amorem erga bonum juſtitiæ temperare.

VII. Iræ & caſtigationum, pœnarumque moderatrices ſunt longanimitas, manſuetudo, ſeu lenitas, clementia & facilitas ad ignoſcendum.

VIII. Longanimitas eſt virtus, qua Deus ſuſpendit iram, ne properet ad mali depulſionem ſimulatque idipſum creatura peccatis ſuis merita fuerit.

IX. Manſuetudo eſt virtus, qua Deus mediocritatem ſervat circa irá in vindicando, ne illa vehemens nimis ſit: imò verò ne gravitas illius reſpondeat ſcelerum magnitudini.

X. Clementia eſt virtus, qua Deus caſtigationes & pœnas creaturæ debitas, etiam tum quum eas infligit, ita temperat, ut gravitate & diutur-

diuturnitate ſua peccatorum magnitudinem non exæquent: imo ut vires creaturæ non exſuperent.

XI. Facilitas ad ignoſcendum eſt virtus, qua Deus ſe creaturæ exorabilem præbet, & iræ modum ad terminum figit, ne peccatorum merito convenienter in æternum duret.

Corollaria.

An iuſtitia Dei permittat ut creaturam rationalem non peccatricem deſtinet æternæ morti? N.

An iuſtitia Dei permittat, ut creatura in peccatis perſeverans ſalvetur? N.

An iuſtitia & miſericordia non poſſint commodo aliquo ſenſu ut quodam reſpectu oppoſita conſiderari? Aff.

THESIS VICESIMA SECUNDA, DE Potentiâ Dei.

I.

POtentiam Dei conſideraturi, ut paſſivam, quæ in Deum ut purum actum, cadere non poteſt, negamus; ita eam, quæ internis actibus, idque ex naturæ neceſſitate occupata eſt, omittimus: eamque ſolummodo examinandam in præſenti exhibemus, quæ agendi vi conſtat, & qua Deus extra ſe, & operari poteſt, &, quando viſum eſt operatur.

II. Eſtque hæc vitæ facultas, qua ille præeunte intellectu, qui monſtrat & dirigit, & voluntate quæ imperat, extrinſecus operari poteſt, quæcunque libere velle poteſt, & operatur quæcunque libere vult.

III. Menſura potentiæ divinæ eſt libera voluntas & quidem adæquata; ſic ut objectum potentię commodiſſimè ex objecto liberæ voluntatis Dei circumſcribi ac limitari poſſit, imò & debeat. Quicquid enim ſub voluntatem ejus cadere nequit, nequit etiam ſub potentiam, & quicquid illi ſubeſt, etiam ſubeſt, iſti.

IV. Voluntas autem Dei ſolum illud velle poteſt quod eſſentiæ Dei (quæ tum intellectus ipſius, tum voluntatis fundamentum eſt) non adverſatur, hoc eſt, nihil niſi ens, verum, bonum. Vnde neque aliud poteſt ipſius potentia. Rurſus, cum ſub hoc quod non adverſatur divinæ eſſentiæ, comprehendatur quidquid ſimpliciter & abſolutè eſt poſſibile; & Deus hoc totum velle poſſit; ſequitur Deum poſſe ome poſſibile.

V. Impoſſibilia Deo ſunt, quæ involvunt contradictionem, ut facere Deum alium, mutari, peccare, mētiri, efficere ut aliquid ſimul ſit & non ſit, fuerit, non fuerit, &c. ut hoc ſit, & non ſit hoc, ut hoc ſit & contrarium ejus, ut accidens ſit ſine ſubjecto, ut ſubſtantia mutetur in ſubſtantiam præexiſtentem, panis in corpus Chriſti, ut corpus ſit ubique, &c. que partim impotentię eſt poſſe facere, partim inſanię velle facere.

VI. Eſt autem infinita Dei potentia, idque non eo tantum, quod omnia poſſibilia poteſt, quæ profecto innumera ſunt, adeo ut non poſſint tot numerari, quin poſſit plura, tanta ponderari quin poſſit majora; ſed etiam quia illi reſiſti nequit. Omnia enim creata ab illo tanquam à principio efficiente pendent, tum in eſſe, tum in conſervari: unde illi merito tribuitur omnipotentia.

VII. Quæ

VII. Quæ nulli creaturæ poteſt communicari.

THESIS VICESIMA TERTIA,

DE

Perfectione, beatitate, & gloria Dei.

I.

SEquitur jam ex omnium, quæ hactenus Deo tributa ſunt, cum modo ſupereminentiæ conſideratorum ſimplici & infinitio complexu reſultans Dei perfectio, non qua ſingula habet perfectiſſimè (nam hoc ſimplicitas & infinitas præſtiterunt) ſed qua omnia habet quæ perfectionem aliquam ſimpliciter notant perfectiſſimè: poteſtque illa non incommodè deſcribi, quod ſit interminabilis tota ſimul & perfecta eſſentiæ & vitæ poſſeſſio.

II. Atque hæc Dei perfectio triplici nomine omnem creatam perfectionem infinite excedit, ſiquidem habet primò omnia. Secundo modo perfectiſimo. Tertiò, non aliundè. Creaturæ autem, ut à Deo perfectionem ex participatione habent adumbratam ad archetypon illius, ita conſequenter nec omnem habent, nec modo perfectiſſimo: ſed tamen aliæ aliis habent majorem, & quo majorem, eo Deo ſunt ſimiliores & propinquiores.

III. Ex hac perfectione Dei, mediante aliquo actu interno, exiſtit eius beatitudo, & mediante aliquo reſpectu eius ad extra, gloria ipſius.

IV. Beatitas eſt actus vitæ Dei, quo ille perfectione ſua per intellectum plenè cognita & per voluntatem ſummè amata fruitur cum acquieſcentiâ in eadem. Itaque eſt per actum intellectus & voluntatis: & intellectus quidem attingentis objecti eſſentiam, ſed cuius actus circa objectum non eſſet actus fælicitatis, niſi id, ut eſſet actus fælicitatis, à voluntate haberet perpetuo intuitum objecti beatifici deſiderante, & in eodem acquieſcente.

V. Eſt autem hæc beatitudo ita Deo propria, ut nulli creaturæ communicari poſſit. Eſt tamen ipſe creaturarum intellectu præditarum bonum beatificum ratione objecti, & effector actus in effectum tendentis, inque eodem acquieſcentis, ex quibus beatitudo creaturæ conſtat.

VI. Gloria eſt excellentia ſupra omnia, quam ipſe actibus externis variæ manifeſtam facit.

VII. Modi autem manifeſtationis duo potiſſimum nobis in Scripturis declarantur: unus per luminis ſplendoriſque inuſitati effulgentiam, vel per oppoſitam illi denſam tenebroſitatem: alter per productionem operum eius perfectioni & excellentiæ congruentium.

VIII. Et hæc naturæ divinæ deſcriptio primum omnis Religionis fundamentum eſt: ex perfectione enim iſta & beatitate Dei, concluditur religionis actum Deo dignè & utiliter exhiberi poſſe, in cuius rei notitiam per gloriæ manifeſtationem deducimur.

Theſis de Patre & Filio, itemque de Sp. Sancto, ſanctâ & individuâ Trinitate, candidus Lector ex præcedentibus Diſputationibus publicè hic ſupplere poterit.

THESIS VICESIMA, QVARTA;

DE

Creatione.

I.

DE Deo, qui primum eſt Religionis Chriſtianæ objectum, egimus; de Chriſto, qui juxta Deum alterum eſt eiuſdem Religionis objectum, ageremus: at nonnulla præmittenda, ſine quibus nec Chriſto eſſet Religionis objectum, neque neceſſitas Religionis Chriſtianæ intelligeretur: imò verò cauſa primum explicanda eſt propter quam Deus jus habet Religionem ullam ab homine poſtulandi; unde etiam Religio ex vi iſtius cauſæ & juris præſcripta, denique eventus qui exſtitit, unde neceſſitas conſtituendi Chriſtum Salvatorem & Chriſtianam Religionem orta eſt, quam & Deus ex voluntate ſua uſurpavit, qui jus ſuum quod per creationem obtinet in hominem per peccatum hominis non amiſit, & affectum ſuum erga hominem peccatorem & miſerum non omnino depoſuit.

II. Quumq; Deus ſit objectum Religionis Chriſtianæ non modò ut creator, ſed etiam ut recreator, quo poſteriore reſpectu etiam Chriſtus qua conſtitutus à Deo Salvator. Religionis Chriſtianę objectum eſt; neceſſe eſt ut de creatione primæva, & quæ illi ſecundum naturam juncta ſunt, & poſt illam ex hominis facto exſtiterunt, primum agamus, antequam tractare incipiamus de recreatione, ubi primum eſt Chriſti tanquam Mediatoris conſideratio.

III. Creatio eſt actio Dei externa qua Deus verbo & Spiritu ſuo omnia propter ſemetipſum ex nihilo produxit.

IV. Efficiens primaria eſt Deus Pater per ſermonem & ſpiritum ſuum. cauſa impellens, quam in definitione particula [propter] indicavimus, eſt ipſa Bonitas Dei, ſecundum quam affectus eſt ad bonum ſuum communicandum. Ordinatrix eſt ſapientia, executrix potentia, qua uſa eſt voluntas libera ex effectu bonitatis, ſecundum ſapientiæ præſcriptum juſtiſſimum.

V. Materia ex qua Deus omnia creavit, trifariam conſideranda eſt; vel primà omnium unde omnia univerſè ſunt producta, inquam etiam propterea reduci & relabi poſſunt omnia; eſt ipſum Nihilum, quod mens noſtra per ἀφαίρεσιν omnis entitatis ut materiam primam conſiderat: illud enim ſolùm capax eſt primæ Dei communicationis ad extra: nam in materiam coævam neque jus haberet Deus formam ſuam introducendi, neque agere potens eſſet, utpote æternam & mutationi nulli obnoxiam: vel ſecunda, unde omnia corporeá jam ſecundum ſuas formas ſeparatas diſtincta; & hæc eſt chaos rudis indigeſtaque moles ab initio condita: vel tertia, quæ ſunt tum elementa iſta ſimplicia & ſecreta, tum nonnulla, corpora compoſita, unde reliqua ſunt producta; ut ex aquis reptilia volatilia, piſces, ex terra reliqua animantia, arbores, frutices, virgulta, ex Adami coſta mulier, ex ſemine, ſpecierum perpetuatio.

VI. Forma eſt ipſa rerum

omnium ex nihilo productio, ſecundum archetypon in mente Dei ſine ulla propria entitate (ne quis mundum idealem fingat) præexiſtens informata.

VII. Ex Materiæ & formæ intuitu primo elucet creationem eſſe actionem immediatam ſolius Dei, tum quia creatura quæ eſt finitæ virtutis in nihilum operari non poteſt, tum quia materiam informare formis ſubſtantialibus nequit. Secundo, liberè productum non neceſſariò, quia Deus nec obligatus fuit nihilo nec indigus formarum.

VIII. Finis, non qui Deum ad creandum movit, Deus enim ab extremo non movetur, ſed qui ex ipſo creationis actu continenter & immediatè reſultat, imo vero ipſius actus eſſentia continetur, eſt ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ divinæ demonſtratio, Quæ enim proprietates divinæ ad agendum concurrunt, illę in actione elucent natura ſua: Bonitas, in ipſa communicatione, ſapientia in modo, ordine, & varietate, potentia in eo, quod tot & tanta ex nihilo ſint producta.

IX. Finis, qui cui dicitur, eſt bonum ipſarum creaturarum, & prꝗſertim hominis, ad quem plerꝗque aliæ creaturæ, velut ipſi utiles, referuntur, juxta inſtitutionem creationis divinæ.

X. Effectum creationis eſt mundus hic univerſus, qui cœli & terræ, aliquando etiam maris, tanquam extremorum omnia complectentium nominibus venit in Scriptura. Hic mundus totum aliquod eſt perfectum & abſolutum, neque defectum habens ullius formæ, quæ relationem ad totum aut partes ejus habere poſſit, neque ulla forma redundans quæ nullam relationem ad totum & ejus aliquas partes habeat. Eſtque unum quid, non unitate indiviſibili, ſed ſecundum connexum & coordinationem mutuæque relationis adfectum, conſtans partibus non modò ſecundum locum & ſitum, verum etiam ſecundum naturam, eſſentiam, & exiſtentiam peculiarem diſtinctis: quod neceſſe fuit non modo perfectionem Dei aliquomodo in varietate & multitudine adumbrandum, ſed etiam ad commonſtrandum quod non neceſſitate naturali, ſed libertate voluntatis mundum condidit omnipotens.

XI. Totum autem hoc univerſum in tres creaturum rerum claſſes ſecundum Scripturas quàm optimè diſtribuitur: in creaturas merè ſpirituales & inviſibiles quales Angeli; in creaturas purè corporales; deniq; in creaturas una ſui parte corporales & viſibiles, altera ſpirituales & inviſibiles; quales ſunt homines.

XII. Ordinem in creatione hunc obſervatum arbitramur, ut primò ſpirituales creaturæ, id eſt, Angeli conditi ſunt; inde corporales & quidem juxta ſeriem ſex dierum, non ſimul & uno momento: deniq; homo & corpore & Spiritu conſtans, & quidem corpore prius formato, inde anima inſpirata creando, & creata inſpirando; ut quemadmodum in Spiritu cœpit, ita in Spiritum finiat creationem Deus, ipſe Spiritus immenſus & æternus.

XIII. Hęc creatio fundamentum eſt illius juris quod Deus ab homine Religionem poſtulare poteſt, quod ipſum certius & plenius intelligetur, ubi de ipſa primæva hominis creatione ſpeciatim pertractaverimus. Qui enim non eſt creator

 omnium,

omnium, ideoque non omnia ſub ſuo imperio habet, ei non poteſt tuto credi, neque certa ſpes & fiducia in illum collocari, non ſolus timeri: qui actus ad Religionem pertinent.

COROLLARIA.

I.

Mundus neque conditus eſt ab æterno, neque ab æterno creari potuit: quanquam Deus ab æterno inſtructus fuerit illa potentia qua mundum condere potuit & poſtea condidit: quanquam quoque nullum temporis momentum à nobis concipi poſſit, quo mundus creari non potuerit.

II. *Qui creationem accuratè mente ſua concipit, neceſſe eſt ut præter plenitudinem ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ divinæ, duplicem concipiat ſive privationem ſive vacuitatem; unam ſecundum eſſentiam & formam, quæ erit inſtar infiniti Nihili, quod infinitarum formarum capax eſt; alteram ſecundum locum, quæ erit inſtar infiniti vacui, quod plurimorum mundorum poteſt eſſe receptaculum.*

III. *Vnde & hoc ſequitur, tempus & locum ſeparatas creaturas non eſſe, verum rebus ipſis concreari, vel potius ad rerum creationem ſimul exiſtere, non abſoluta ſed relativa entitate, ſine qua res creata nulla concipi aut cogitari poſſit.*

IV. *Creatio hæc omnium actionum divinarum externarum & creatoris intentione, & actu ſeu reipſa prima eſt, & actio in ſe perfecta, non alteri principaliori inſerviens tanquam medium illius, quanquam nonnullas creaturas Deus fecerit, quæ præter hoc quod per creationis actum facta ſunt, etiam apta ſunt ulterius promoveri, & ad ſtatum excellentiorem evehi.*

V. *Si quod obiectum creationis ponetur, nullum convenientius poni poſſe videtur quam ex omnibus poſſibilibus illa quæ actu creationis ex non eſſe ad eſſe producta ſunt.*

THESIS VICESIMA QVINTA, DE

Angelis in genere & ſpecie.

I.

ANgeli ſunt ſubſiſtentiæ merè ſpirituales, ad imaginem Dei conditæ, tum ut creatorem ſuum agnoſcerent, diligerent, colerent, beatique cum illo viverent; tum ut certa munia circa reliquas creaturas ex mandato Dei obirent.

II. Subſiſtentias dicimus adverſus Sadducæos, aliosque, contendentes Angelos nihil aliud eſſe, quam vel bonos, aut malos animorum motus; vel exercitia potentiæ adjuvandum, aut nocendum: quod cum tota Scriptura pugnat, uti actiones (quæ ſunt ſuppoſitorum) apparitiones, & nomina quæ ipſis tribuuntur ſatis ſuperque demonſtrant.

III. Merè Spirituales addimus, ut ab hominibus ſpecie oppoſita disjungamus, & naturam ſignificemus. Ac quamvis compoſitio ex materia & forma non cadit in Angelos, tamen eos abſolutè eſſe compoſitas ſubſtantias adſerimus, & primum quidem ex eſſe & eſſentia, deinde ex actu & potentia; tertio denique ex ſubjecto & accidente inhærente.

V. Cæterū quoniam creaturæ ſunt, finitæ ſunt, ac metimur eos loco, tem-

tempore, & numero. Loco quidẽ, non quod in eo ſint *τοπικῶς*, hoc eſt, occupent & repleant certum ſpacium locale ſuæ ſubſtantiæ commenſuratum, ſed *τοπικῶς*, hoc eſt, exiſtant in loco ſine ullius ſpacij localis occupatione ac repletione, quod ſcholaſtici appellant definitivè in loco eſſe. Verum ut multis in locis ſimul eſſe poſſunt, ſed modo in uno ſunt, modo in alio, ita non ſine tempore moventur, licet vix perceptibili. Tempore metimur illos ſive ævo, quia principium habent eſſendi, & totum ſuum ævum quo durent ſucceſſivè habent, per partes præteriti, præſentis, & futuri, non autem totum eodem momento & indiſtanter ſibi præſens. Numero denique, qui licet in ſacra pagina non ſit definitus, ac proinde nobis incognitus, Deo vero notus: eſt tamen longe maximus, qui nec minuitur nec augetur, cum nec generentur nec intereant.

V. Ad imaginem Dei conditos dicimus; appellantur enim filii Dei: quam imaginem dicimus partim conſtare iis, quæ ad naturam eorum pertinent, partim iis quæ ſunt doni ſupernaturalis. Ad naturam pertinet, tum ſpiritualis eſſentia tum facultas intelligendi, volendi, & potenter agendi. Ad ſupernaturale donum, lux notitiæ in intellectu, & illam ſequens rectitudo ſeu ſanctitas voluntatis. Immortalitas doni quidem eſt ſupernaturalis, ſed quod Deus illis conſervare ſtatuit quocunque modo erga Deum ſe gerant.

VI. Finis ſubnectitur duplex, ut thronum Dei, tanquam apparitores circumſtantes, ad divinæ majeſtatis gloriam, tum Deum perpetuo laudent & celebrent: tum Miniſteria ſibi à Deo injuncta ad eius nutum velociſſimè exſequantur.

VII. Inter Angelos ordinem quendem eſſe, ex ipſa Scriptura didicimus, quæ Angelos & Archangelos nominat, & ipſi Diabolo Angelos ſuos attribuit. At quæ & qualis ſit illa in ordines & varios gradus diſtinctio lubenter ignoramus. Arbitramur etiam poſitis certis Angelorum ordinibus, veriſimilius eſſe Deus ad eadem Miniſteria diverſi ordinis Angelos uſurpare, quam ſingulis diſtinctis Miniſteriis diſtinctos ordines præficere: quanquam ſecus ſentientes non ſine ratione ſic ſentire putemus.

VIII. Angeli ad Miniſteria injuncta obeundum, ſæpe corporibus induti apparuerunt, quæ corpora non ex nihilo, ſed ex præexiſtente materia ſibi ipſis formarunt & adſumpſerunt, non unione eſſentiali, neque perſonali, ſed locali, quia tunc extra illa corpora non fuerunt, & ſecundum rationem inſtrumentalem, ut iis uterentur ad actiones injunctas commodè peragendas.

IX. Itaque nec vivificarunt iſta corpora, neque per illa viderunt, audierunt, guſtarunt, olfecerunt, tetigerunt, phantaſmata conceperunt, &c. ſed illas tantum actiones per eorum organa produxerunt, quæ ab inhabitante, ſeu potius inexiſtente Angelo, tanquam motore ſecundum locum perfici potuerunt. Qua de cauſa fortè non incommodè affirmatur, verè humana corpora, quæ anima vivificans & informans inhabitat, à corporibus iſtis adſumptis, humano judicio diſcerni poſſe.

X. Præſcripſit etiam Deus Angelis legem certam, ex qua vitam ſecundum Deum, non ſecundum ſe ipſos

ipſos inſtituerent, cujus obſervatione beati eſſent, aut tranſgreſſione æternum miſeri, citra ullam ſpem veniæ. Viſum enim Deo eſt cum Angelis ſecundum ſtrictam juſtitiam agere, neque omne ſuum bonum in illis ad ſalutem producendis explicare.

XI. An vero unus obedientiæ actus beatitatis, æternæ fuit impetratorius, quemadmodum unus inobedientiæ actus æterni exitij fuit meritorius, non decidimus.

XII. Ex Angelis nonnulli legem ſibi poſitam ſunt tranſgreſſi, idque propria culpa ipſorum, quum iſta gratia qua erant inſtructi, & qua Deus ipſis adſiſtebat, & adſiſtere paratus erat, legi obedire, & in integritate ſua perſiſtere potuerint.

XIII. Hinc facta Angelorum in bonos & malos Diviſio, quorum illi ſic dicuntur quia in veritate perſtiterunt, & domicilium ſuum ſervarunt: iſti vero mali dicuntur, quia in veritate non ſteterunt & domicilium ſuum deſeruerunt.

XIV. Boni autem dicuntur non tantum ſecundum habitum infuſum, ſed etiam ſecundum actum quem præſtiterunt, & ſecundum confirmationem inhabituali bonitate, cujus cauſam ponimus in gratiæ augmento, & ſancto illorum propoſito quod conceperunt, partim ex intuitu pænæ, quâ Angeli apoſtatæ affecti ſunt, partim ex ſenſu auctæ gratiæ. An etiam ex perfectâ beatitudine cui nihil addi poſſit, non negamus propter doctorum conſenſum, quanquam rationes adferri poſſe videantur in contrarium.

XV. Angeli mali dicuntur, primo malitiâ actuali, inde & habituali, & obfirmatione in iſta: unde delectantur facere quidquid in contumeliam Dei & exitium proximi tendere poſſe arbitrantur. Obſtinatio verò iſta in malo, partim ex irati Numinis intuitu, & inde nata mala conſcientia, partim ex propria illorum malitia ortum ducere videtur.

XVI. De peccati verò ab Angelis perpetrati ſpecie, quodnam illud fuerit adſeverare nihil audemus: ſuperbiæ tamen crimen fuiſſe probabiliter affirmari poſſe dicimus, ex eo quod hominem argumento ab excellentiæ deſiderio ad peccandum ſollicitaverit.

XVII. Quum Deus Angelorum bonorum opera uti vult, non modo ijs viribus & facultatibus quas ipſis contulit, ſed etiam auctis ab ipſo uti poteſt dici: at vero, ut Diabolus quorum operam uſurpat majore ſcientia & potentia inſtruere dicatur quam ex creatione & propria experientia habent, contravenire veritati arbitramur.

COROLLARIA.

I. *An Angeli boni dici poſſunt inter ſe aliquando ſalva caritate quam Deo, ſibi invicem. & hominibus debent, contendere, diſquiri permittimus.*

II. *An indiguerint Mediatore, & an Chriſtus Mediator ſit Angelorum?* N.

III. *An omnes Angeli ſint unius ſpeciei? veriſimilius exiſtimamus quam contrarium ejus*

THE-

THESIS VICESIMA SEXTA,

DE

Creatione hominis ad Imaginem Dei.

I.

HOmo eſt Creatura Dei ex corpore & anima rationali conſtans, bona & ad imaginem Dei condita, & quidem ſecundum corpus ex præexiſtente materia, nempe terra; liquore aqueo & æthereo perfuſa; & ſecundum animam ex nihilo, per inſufflationem Spiritus in nares ipſius.

II. Illud autem corpus incorruptibile fuiſſet, potuiſſetque non mori ex gratiâ Dei, ſi homo non peccaſſet, eoque moriendi neceſſitatem ſibi acceſſiviſſet. Et quia futurum erat animæ receptaculum, variis atque excellentibus organis inſtructum eſt à ſapiente creatore.

III. Anima verò admirandæ prorſus eſt naturæ, ſi ipſius ortum, ſubſtantiam, facultates, habitumque conſideres. Ortu: nam ex nihilo eſt, creata infundendo, & infuſa creando, corpore ad eam recipiendam ritè præparato, ut materiam tanquam forma informaret, & nativo vinculo cum corpore unita, cum eo unum componeret ὑφισαμένη. creata, inquam à Deo in tempore, prout quotidie adhuc novas in ſingulis corporibus animas creat.

VI. Subſtantiæ: quæ ſimplex eſt, immaterialis & immortalis: ſimplex inquam, non reſpectu Dei, conſtat enim ex actu & potentia, eſſe & eſſentia, ſubjecto & accidentibus, ſed reſpectu Materiatorum & Compoſitorum. Immaterialis; quia per ſe ſubſiſtere, & à corpore ſeparata, ſola operari poteſt. Immortalis, non quidem à ſe, ſed per ſuſtentantem Dei gratiam.

V. Facultatibus: quæ duæ ſunt, Intellectus, & Voluntas, prout objectum animæ duplex eſt. Intellectus enim apprehendit Ens & verum, tum univerſale tum ſingulare naturali & neceſſariâ, adeoque uniformi actione: voluntas verò propendet ad bonum, ſed vel ſecundum modum naturæ, ad bonum univerſale, & id quod ſummum eſt, vel ſecundum modum libertatis ad alia omnia.

VI. Deniq; habitibus: qui ſunt primò ſapientia, quâ intellectus verum & bonum ſupernaturale tum fælicitatis, tum juſtitiæ clarè & ſufficienter intelligebat. Secundò juſtitia & ſanctimonia veritatis, quâ voluntas apta erat & prompta ſequi id quod ſapientia iſta jubebat faciendum, & monſtrabat deſiderandum. Quæ juſtitia & ſapientia originalis dicitur. tum quia homo ab origine ſuâ illam habuit, tum quia ſi homo in integritate perſtitiſſet, poſteris quoque eius communicata fuiſſet.

VII. In his autem omnibus mirificè relucebat Imago Dei; quam dicimus eſſe ſimilitudinem, qua homo creatorem ſuum referebat, & ſecundum modum capacitatis ſuę exprimebat. In anima, inquam, ſecundum ſubſtantiam & facultates eius & habitus: in corpore, quanquam id propriè ad imaginem Dei conditum dici nequeat, qui purus eſt Spiritus, tamen aliquid divinum eſt,

tum in eo quod, ſi homo non peccaſſet, nunquam fuiſſet moriturum, & quod capax eſt ſpecialis incorruptibilitatis & gloriæ de qua eſt 1. Cor. 15. tum quod excellentiam aliquam & majeſtatem præ ſe fert ſupra reliqua animantium corpora: Denique quod inſtrumentum ſit admirabilibus actionibus & operationibus accommodum. In tota denique perſona, ſecundum excellentiam, integritatem & dominium in alias creaturas ipſi collatum.

VIII. Partes iſtius Imaginis ſic diſtingui poſſunt, ut nonnullæ homini dicantur naturales, aliæ ſupernaturales, nonnullæ eſſentiales ipſi, aliæ accidentales. Animæ naturale eſt & eſſentiale eſſe Spiritum; & vi intelligendi & volendi tum ſecundum naturam, tum ſecundum modum libertatis eſſe præditam. Supernaturale verò & accidentale notitia Dei rerumque ad ſalutem æternam pertinentium, & voluntatis ſecundum illam notitiam Rectitudo & Sanctitas. Immortalitas hucuſque eſt animæ eſſentialis ut mori nequeat niſi eſſe deſinat: ſed eo ſupernaturalis & accidentalis, quia ex gratia eſt aſſiſtentiâ conſervationis, quam Deus animæ præſtare non tenetur.

IX. Immortalitas verò corporis tota eſt ſupernaturalis & accidentalis: poteſt enim illi corpori auferri, & corpus in pulverem, unde ſumptum eſt, reverti. Excellentia præ aliis animantibus, & aptitudo ad varias effectiones producendum illi eſt naturalis & eſſentialis. Dominiū in creaturas, quod toti homini quâ ex corpore & anima conſtat, competit, partim, ut ſecundum naturæ excellentiam illi conveniens, partim, ut gratioſo dono in illum collatum cōſiderari poteſt, cuius rei ſignum hoc eſſe videtur, quod nunquam illi in univerſum adimatur hoc ipſum, quanquam varietur & ſecundum gradus & partes augeatur & minuatur.

X. Atqui ita creatus eſt homo, ut Deum creatorem ſuum agnoſceret, diligeret, coleret, & cum eo beatus in æternum viveret. Cuius creationis actu Deus gloriam ſapientiæ bonitatis, & potentiæ ſuæ planiſſimè exhibuit.

XI. Ex iſta hominis deſcriptione apparet hominem, tum aptum eſſe ad Religionis actum Deo præſtandum, ſiquidem ille ab ipſo poſtuletur; tum capacem remunerationis, quæ Religionem Deo præſtantibus, decenter obtingere, & pœnæ, quæ illam negligentibus juſtè infligi poteſt; & propterea Religionem ab ipſo jure merito, ſecundum iſtum quidem reſpectum poſtulari poſſe. Et hic eſt potiſſimus reſpectus ſecundum quem de hominis ad imaginem Dei creatione in SS. Theologiâ eſt pertractandum.

XII. Præter iſtam imaginem Dei & reſpectum ad ſupernaturalia & ſpiritualia, etiam conſiderandus venit ſtatus vitæ animalis, in quo primus homo conditus & conſtitutus fuit juxta Apoſtolum, 1. Cor. 15. Quod animale prius eſt inde quod ſpirituale: qui ſtatus fundatur in naturali corporis & animæ unione, & in vitâ quam anima naturaliter vivit in corpore, ex qua unione & vita eſt, ut anima corpori ſuo procuret ipſi bona, viciſſim corpus animæ præſto ſit ad officia ipſius naturæ & deſideriis congrua. Secundum hunc ſtatum mutuus eſt reſpectus inter homi-

hominem & bona huius mundi, qui efficit ut homo ea deſiderare, & iis ſibi comparandis operam, quam neceſſariam & convenientem arbitratur, impendere poſſit.

THESIS VICESIMA SEPTIMA, DE Dominio Dei.

I.

EX creatione competit creatori Dominium in omnia ab ipſo creata: quod propterea primum eſt, à nullo alio vel alius dominio dependens: ideoque ſummum quo nullum majus eſt, & abſolutum quod in totam creaturam eſt, ſecundum ipſam totam & partes omnes ſingulaſque eius, omneſque reſpectus qui inter creatorem & creaturam ſunt: & propterea perpetuum, nempe quamdiu creatura exiſtet.

II. Eſt autem dominium Dei creatoris jus, & poteſtas eius in creaturas, ſecundum quam illas ſibi proprias habet, iis imperare, uti, & de illis facere poteſt, quicquid ratio creationis, & æquitas illi innixa permittit.

III. Ius enim ulterius extendi non poteſt quàm cauſa illa, ex qua totum illud jus eſt, & unde dependet, patitur: quâ de cauſa non convenit huic juri Dei vel ut creaturam ſuam alteri addicat, qui pro arbitratu in illam dominetur, ita ut neque Deo cogatur reddere ſui dominatus rationem, & creaturæ injuriæ càpaci omne malū inferre poſſit citra creaturæ ipſius traditæ meritūm, aut ſaltem non in aliquod creaturę iſtius bonum: vel ut creaturæ actum imperet, cui præſtando vires neque habuit neque habere poteſt ſufficientes & neceſſarias: vel ut ea utatur ad peccatum in mundum introducendum, quo per eius punitionem vel remiſſionem glorioſus evadat, vel deniq; de illâ faciendi quicquid ſecundum abſolutam ſuam potentiam de illa facere poteſt, ſcilicet, æternum punire vel affligere citra peccatum.

IV. Poteſtas illa prout in creaturas rationales eſt (quorum reſpectu potiſſimum de dominio & poteſtate Dei agitur) ſecundum uſum conſiderari poteſt bifariam, vel ut δεσποτικὴ, vel ut βασιλικὴ ſeu πατρικὴ. Illa eſt, qua utitur citra ullam boni, quod creaturæ utile aut ſalutare ſit, intentionem: hæc eſt, quando etiam creaturæ ipſius bonum intendit. Et hac poſtrema utitur Deus ex bonitatis & ſufficientię ſuę abundantiâ uſque dum creaturam ob eius perverſitatem indignam æſtimet, cui regio & paterno imperio præſit.

V. Hinc eſt quod Deus aliquid imperaturus creaturæ rationali, neque omne quod jure poſſet exigit, & ſuaſionibus utitur per argumenta utilitatem & neceſſitatem ipſarum ſpectantia.

VI. Imò verò, & contractum ſeu fædus ineat cum creatura, idque horſum ut creatura non tàm ex debito, quàm ex ſpontanea, libera & liberali obedientia Deo ſerviat juxta naturam fæderationum quæ ſtipulationibus conſtant & promiſſionibus: unde Deus legem ſuam ſæpè fæderis nomine inſignit.

VII. Hæc tamen adnexa eſt

 ſemper

ſemper iſti fœderationi conditio, ut homo fœderis immemor, & dulcis illius imperii contemptor, ſemper dominatu illo verè dominico, ſtricto, & rigido urgeatur, in quem incidit jure qui alteri parere recuſat.

VIII. Vnde exiſtit duplex Dei jus in creaturam rationalem, unum quod ipſi competit ex creatione, alterum ex contractu: illud innitens bono, quod accepit creatura à creatore ſuo, hoc innitens beneficio majori quod accipiet creatura à Deo conſervatore, promotore, & glorificatore.

IX. Adverſus quod duplex jus ſi contingat creaturam peccare, jam Deo, Domino, Regi & Patri ſuo jus eo ipſo tribuit ipſam ut creaturam peccatricem tractandi, & debitas pœnas inferendi; & hoc jus tertium eſt, quod ipſius creaturæ in Deum maleficio innititur.

THESIS VICESIMA OCTAVA, DE

Providentia Dei.

I.

PRovidentiam Deo competere tum natura ipſa Dei, & rerum ipſarum, tum Scriptura, quin & experientia evidenter oſtendit.

II. Providentia autem non notat aliquam Dei proprietatem, non qualitatem, ſive potentiam, ſive habitum: ſed actum, qui non ad intra, neque internus eſt, ſed ad extra & externus: circa objectum aliud à Deo, idque non ut Deo ab æterno in intellectione ipſius unitum, ſed ut ſeparatum, & reipſa exiſtens.

III. Eſtque actus intellectus practici, ſeu voluntatis intellectu utentis, non unico momento peractus, ſed per momenta durationis rerum continuatus.

IV. Et definiri poteſt, intuitus Dei ſollicitus, ubique potens & continuus, ſecundum quem totum mundum & ſingulas creaturas, earumque actiones & paſſiones, curat, ſe decenter, & illis convenienter in bonum ipſarum creaturarum, præſertim piorum hominum, & perfectionis divinæ declarationem.

V. Objectum eius poſuimus tum mundum univerſum, quatenus unum quid eſt ex partibus multis inter ſe certa relatione affectis, & ordinem ad ſe invicem habentibus, tum ſingulas creaturas, earumque actiones & paſſiones: ſervato diſcrimine bonitatis quæ in ipſis eſt, primò ſecundum naturam ex creatione, ſecundò juxta gratiam ex donorum ſupernaturalium communicatione, & ad dignitates evectione; Tertiò juxta rectum tum naturæ, tum gratiæ uſum: quæ tamen duo poſteriora etiam providentiæ actui adſcribimus.

VI. Regula providentiæ ſecundum quam actus ſuos producit, eſt ſapientia Dei, monſtrans quid Deum deceat, vel ſecundum bonitatem, vel ſecundum ſeveritatem ipſius, vel ſecundum amorem ipſius erga juſtitiam, vel erga creaturam, ſemper ſecundum æquitatem.

VII. Actus providentiæ ad eius exſecutionem pertinentes ſunt tum conſervatio, quæ videtur verſari circa eſſentias, qualitates, quantitates, tum Gubernatio, quæ actibus & paſſio-

paſſionibus præſidet: cuius actus præcipui ſunt motus, auxilium, concurſus, permiſſio; illi tres ad bonum ſe extendentes, ſive naturale, ſive morale: hæc ad malum tantum pertinens.

VIII. Hiſce actibus, excepta permiſſione, exſequendis ſervit universè & ſemper ipſa Dei potentia ſpeciatim & aliquando ipſæ creaturæ. Vnde actus providentiæ vel immediatus, vel mediatus dicitur. Quando utitur creaturis, tunc ipſis motus ſuos naturæ ipſarum convenienter agere permittit, niſi ipſi præter ordinem quid agere videantur.

IX. Deinde, qui juxta quendam certum naturæ vel gratiæ tenorem peraguntur, ordinarii dicuntur: qui præter vel ſupra, vel etiam contra ordinem iſtum uſurpantur, extraordinarii dicuntur: concluſi tamen ſemper terminis decentiæ & convenientiæ, de quibus in definitione diximus.

X. Gradus in providentia ponuntur, non ſecundum ipſum intuitum, neque ſecundum præſentiam, vel continuitatem; ſed ſecundum ſolicitudinem & curam (quæ tamen ſecura eſt) quæ maior eſt de homine, quàm de bobus; major circa fideles & pios, quàm circa impios.

XI. Finis providentię actuumque ipſius omnium eſt tum perfectionis divinæ, utpote ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ, ſeveritatis, potentiæ declaratio; tum bonum univerſi, præſertim hominum electorum.

XII. Quum verò Deus nihil faciat vel permittat in tempore, quod non ab æterno decreverit vel facere vel permittere, hinc decretum illud quoque providentiæ, eiuſque actionibus præficitur, ut internus, actus externo.

XIII. Effectum, ſeu conſequens potius, ipſi Deo competens eſt præſcientia ipſius: quæ partim naturalis & neceſſaria, partim libera dicitur: & libera quidem, quia ſequitur actum liberæ voluntatis divinæ, ſine quâ objectum illius non eſſet; Naturalis & neceſſaria, quatenus, poſito per actum voluntatis divinæ objecto iſto, id ipſum ignorari à divino intellectu nequit.

XIV. Præſcientiam iſtam ſequitur aliquando prædictio, quum Deo viſum creaturis ſignificare rerum eventus antequam fiant: Sed neque prædictio, neque præſcientia ulla rei futuræ neceſſitatem infert: quum natura & ordine re futura ſint poſteriores. Res enim non fit quia præſcita, aut prædicta eſt, ſed quia futura eſt præſcitur & prędicitur.

XV. Imò verò neque ipſum decretum, ſecundum quod providentiam eiuſque actus adminiſtrat dominus, neceſſitatem rebus futuris infert: cùm enim actus Dei internus ſit, in re ipſa nihil ponit; Sed ſecundum modum potentię, quâ Deo uti viſum in rerum adminiſtratione, vel neceſſariò vel contingenter fiunt & eveniunt res.

THESIS VICESIMA NONA, DE

Fœdere Dei cum primis hominibus inito.

I.

QVanquam Deus pro jure & poteſtate ſuâ in hominem à ſe ad imaginem ſuam conditum obedientiam illi in omnibus ad quæ præſtandum vires habebat, aut gratia Dei habiturus erat in illo ſtatu idoneas, præſcribere poterat: tamen, ut obedientiam voluntariam & liberalem, quæ ſolum illi grata eſt, ab homine eliceret, contractum & fœdus cum illo inire voluit, quo obedientiam poſtulavit, & viciſſim præmium promiſit, addita pœnæ denuntiatione, ne omninò inter pares res agi videretur, atque ſi homo Deo omninò obſtrictus non eſſet.

II. Qua de cauſa lex Dei ſæpiſſimè fœdus dicitur, eò quod duabus illis partibus conſtat, præſcripto ſcilicet operis, & promiſſo præmii, cui adjungitur pœnæ denuntiatio ad ſignificandum jus Dei in hominem quod non omninò remiſit, & hominem magis ad obedientiam incitandum.

III. Hanc obedientiam præſcripſit Deus primum lege menti hominis indita & impreſſa, qua ipſius naturale ergà Deum & proximum, proptereaque & erga ſeipſum officium continetur, qui eſt amoris cum timore, honore, cultu erga ſuperiorem. Cum enim virtus vera conſiſtat in adfectuum ordinatione, quorum primus, potiſſimus, & à quo alii dependent eſt amor, illius ordinatione tota lex continetur. Quumque obedientia eſſe non videatur ubi quis totam ſuam voluntatem ſine ullo vel minimo reniſu exſequitur; Hinc ad explorandam obedientiam præſcribendum fuit id à quo aliquo adfectu abhorrebat homo, & vetandum in quod aliquo adfectu ferebatur. Ordinandus itaque amor noſtri, qui, ut homo ſecundum hominem vivat prima & proxima cauſa eſt.

IV. Huic legi aliam viſum Deo eſt adjungere, Symbolicam. Eſt autem Symbolica lex quæ præcipit vel vetat actum aliquem Deo per ſe neque gratum neque ingratum, id eſt, indifferentem; huic fini ſerviens ut experiatur Deus an homo obedientiam ipſi præſtare velit ea ſola de cauſâ quia viſum eſt Deo poſtulare illam, etſi nulla alia ratio excogitari poſſit cur Deus legem illam tulerit.

V. Lex illa Symbolica hîc fuit prohibitiva actus alicuius ad quem homo naturali aliqua inclinatione propendebat, nempe de arbore ſcientiæ boni & mali comedere, quanquam pulchra eſſet adſpectu & deſiderabilis ad comedendum. Actus indifferentis præſcriptione non videtur æquè commodè obedientiam explorare potuiſſe.

VI. Inter utramque obedientiam hoc diſcrimen eſſe videtur, quod illa vera & ipſiſſima Deo grata ſit obedientia, quam qui præſtat ſecundum Deum verè vivere dicitur: hæc autem non tam ſit obedientia quàm profeſſio externa de obedientia lubenter præſtanda, & propterea recognitio ſeu recognitionis Symbolum, quo quæ ſe Deo ſubeſſe fatetur & lubenter ſubeſſe declarat: non ſecus atque vazallus Domino obedientiam præſtat pro illo adverſus hoſtes ipſius decertando, quam ſe ipſi dare lubenter fatetur, munuſculum exiguum quotannis illi offerendo.

VII. Ex qua collatione apparet,

ret, obedientiam legi Symbolicæ præſtitam longè eſſe inferiorem ea quæ præſtatur naturali, at verò inobedientiam præſtitam Symbolicæ non minus eſſe gravem, vel graviorem etiam: quia eo ipſo profitetur homo ſe ſubeſſe nolle, & ne in aliis quidem obedire & majoris momenti & difficilioris operæ.

VIII. Præmium quod legis ipſius ſummæ, & cujus præſtatio per ſe Deo grata eſt obedientiæ reſpondet (ex æquo obſervata quæ inter Deum & hominem eſt analogia & differentia) eſt ipſa vita æterna, totius voluntatis & deſiderii noſtri impletio: præmium verò quod legis Symbolicæ obſervationi reſpondet, eſt fructuum Paradiſi libera fruitio, & poteſtas edendi de arbore vitæ, cujus eſu in priſtinum rigorem ſemper erat reſtituendus homo. Fuit autem hæc arbor vitæ, Symbolum vitæ æternæ, qua potiturus erat homo, ſi ab illa abſtinendo obedientiam profeſſus eſſet, & legi morali verè illam præſtitiſſet.

IX. Arbitramur, ſi primi homines in integritate per obedientiam utrique legi præſtitam permanſiſſent, Deum eodem pacto cum eorum poſteris acturum fuiſſe, nempe legis moralis cordibus inſcriptæ, & alicujus ſymbolicæ vel ceremonialis obedientiam præſtando, quanquam de arbore ſcientiæ boni & mali idipſum affirmare ſpeciatim non audeamus.

X. Sic quoque, ſi perſtitiſſent in obedientia utriuſque legis, certis temporibus à vita animali per intermediam mutationem animalis, mortalis, corruptibilis corporis, in ſpirituale, immortale, incorruptibile, ad immortalem & beatam vitam in cælis agendam transferendos fuiſſe homines veriſimile putamus.

COROLLARIUM.

An Eva, à Deo immediatè, an verò per Adamum præceptum hoc Symbolicum de arbore ſcientia boni & mali acceperit diſquiri permittimus.

THESIS TRICESIMA,

Quomodo ſe homo geſſerit in fœdere primo præſtando, ſeu de peccato primorum parentum.

I.

Fœdere hoc à Deo cum hominibus inito, hominis erat ſecundum conditiones & leges fœdere illo præſcriptas vitam perpetuò formare, & inſtituere, ſiquidem præmia promiſſa ex utriuſque conditionis præſtatione obtenturus eſſet, & in pœnas inobedientiæ debitas & denuntiatas non incurſurus. Id quamdiu fecerit ignoramus, at non perſeveraſſe in obedientiâ ipſa Sacræ literæ teſtantur.

II. Fœderis autem illius violationem dicimus fuiſſe tranſgreſſionem legis ſymbolicæ poſitæ de non edendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali.

III. Cauſa illius efficiens fuit homo, voluntatem ſuam ad objectum illud vetitum determinans, & poten-

potentiam ad faciendum applicans. Cauſa vero externa movens per ſe & principalis fuit Diabolus, qui aggreſſus fœminam (quam imbecilliorem putabat viro, &, cui ſi perſuaſiſſet, facilè viro perſuaſum iri) argumentis falſis uſus eſt ad perſuadendum. Vnum deductum ab utilitate boni ex actu iſto conſequuturi: alterum ex remotione prohibentis, nempe negatione pœnæ inſequuturæ. Inſtrumentalis, Serpens, cuius lingua abuſus eſt ad argumenta, quæ vellet, proponenda. Per accidens fructus ipſe, qui oculis deſiderabilis & ſapore delectabilis videbatur. Occaſionalis, Lex Dei, quæ actum natura ſua indifferentem, ad quem homo adfectum & vires habebat interdicto ſuo circumſcripſit, ne ſine peccato perpetrari poſſet.

VI. Cauſa interna ſeu προηγουμένη fuit duplex affectus in homine, tum ſuperior erga ſimilitudinem Dei, tum inferior erga fructum deſiderabilem, oculis delectabilem, & ad veſcendum bonum. Vterque à Deo per creationem inditus, ſed certo modo, ordine, tempore uſurpandus. Immediata & proxima fuit voluntas hominis, quæ prælucente & monſtrante intellectu ſe ad actum applicuit. Atque hę ſunt cauſæ quæ ad efficiendum hoc peccatum concurrerunt, quibus omnibus ut per imaginem Dei reſiſtere potuit, ita per poſitionem legis debuit. Nulla itaque harum, neque ſi qua alia in genere cauſarum detur, neceſſitatem homini intulit. Non externa, ſive Deum aut quid ex Deo, ſive Diabolum, ſive hominem conſideres.

V. Non Deus. Ille enim quum ſummum bonum ſit, nil niſi bonum agit, eoque cauſa peccati efficiens dici non poteſt, neq; deficiens, quum quæ ad hoc peccatum evitandū ſufficientia & neceſſaria erant adhibuit. Neq; quid in Deo. Non intellectus aut voluntas Dei, quæ præcipit quæ juſta ſunt, facit quæ bona, permittit quę mala ſunt. Atque permiſſio hæc tantum eſt ceſſatio ab actu tali qui actum hominis revera impediturus eſſet, nihil extra ſe efficiendo, ſed efficientiam aliquam ſuſpendendo. Itaque cauſa eſſe non poteſt. Non Diabolus. Ille enim tantum conſuluit, non impulit, non neceſſitate adegit. Non Eva. Hæc enim exemplo tantum præire potuit, aut aliqua ratione allicere, non cogere.

VI. Non interna, ſive naturam communem conſideres, quæ ad unum tantum bonum ferebatur, ſive particularem, quæ communi ad amuſſim reſpondebat: neque quid in natura particulari, hoc enim intellectus foret: at hic ſuaſione & conſilio agere poteſt, non neceſſitate. Voluntate igitur libera, motu proprio à Deo permiſſo, à Diabolo perſuaſo, peccavit homo.

VII. Materia peccati illius fuit eſus de arbore. Actus ſua natura quidem indifferens, per legis autem poſitionem vetitus, & poteſtati hominis ſubtractus, à quo facilè homo abſtinere potuit etiam ſine jactura voluptatis. In quo mira Dei bonitas apparet, explorantis an homo ipſius imperio ſubeſſe vellet in re tam facilè vitabili.

VIII. Forma fuit legis poſitæ tranſgreſſio, ſive actus eſendi, qua vetitus: qua enim vetitus erat ordinem actuum licitorum & bonorum exceſſerat; ac poteſtati hominum ademptus erat, ne citra peccatum exerceri poſſet.

IX. Fi-

IX. Finis peccati nullus fuit, boni enim ſemper rationem induit. Hominis vero finis propoſitus, ſed non obtentus fuit, ut tum affectui ſuperiori erga imaginem Dei, tum inferiori erga fructum ſatisfaceret. Diaboli vero finis fuit, hominis à Deo ſuo averſio, & ex hac in exilium & mali ſocietatem pertractio. Permiſſio vero Dei reſpectum habuit ad antecedentem conditionem creationis, quæ liberi arbitrij homines fecerat, & ad actus Deo glorioſos, qui inde exiſtere poterant.

X. Gravitas peccati illius ex his potiſſimum claret: primo, Quod fuerit transgreſſio legis ejuſmodi quę erat poſita ad explorandum, an homo Deo vellet eſſe ſubjectus, & complura alia peccata gravia ſecum vehebat. 2. Quod a Deo tam inſignibus donis cumulatus homo id perpetrare auſus fuerit. 3. Quod cum eſſet tanta à peccato abſtinendi facilitas, tam facile ſe induci paſſus ſit, & in tanta rerum copia affectui ſuo non ſatisfecerit. 4. Quod loco ſanctificato & typo cæleſtis paradiſi id perpetraverit ſub oculis pene ipſius Dei, qui familiariter ipſo verſabatur.

THESIS TRICESIMA, PRIMA,

DE

Effectis peccati primorum parentum.

I.

Effectus peccati, quod patrarunt Adam & Eva de fructu vetito veſcentes primus & immediatus eſt tum Numinis offenſio, tum Reatus: Offenſio ex poſita prohibitione, Reatus ex addita ejus ſanctione per denuntiationem pænę, ſi prohibitionem negligerent.

II. Ex offenſione Numinis ejus ira naſcitur ob violatum mandatum, in qua violatione triplex cauſa juſtæ excandeſcentiæ. 1. Poteſtatis ejus ſeu juris derogatio. 2. Ejus erga quod afficiebatur denegatio. 3. Volitionis per mandatum ſignificatæ contemptus.

III. Ex reatu & ira divina ſequitur poena, cujus æquitas ex reatu eſt, inflictio ab irâ. Verum illam antegreſſa eſt tum conſcientię offenſa, tum timor irati Numinis & metus pęnæ, quorum ſignum fuit, quod inde exſtit fuga & abſconſio à facie Domini deambulantis in horto ad auram diei, & vocantis hominem.

IV. Cauſa fugæ & abſconſionis iſtius adjuvans fuit agnitio propriæ nuditatis, & pudor de illa, cujus illos antea non pudebat: quæ ipſa & conſcientiæ vellicandæ, timorique & metui iſti excitando vel augendo ſervire videtur.

V. Cum conſcientia offenſi Numinis Spiritus gratiæ intus habitans conſiſtere nequit: ideoque diſceſſit ille ad perpetrationem peccati, & cordis proprij condemnationem. Quare etiam ducere hominem deſijt Spiritus Dei bonus, & de favore Dei intus cordi ipſius teſtificari. Quod ipſum jure, cum prava conſcientia, accuſante, teſtificante, convincente & condemnante, magnæ pœnæ loco habendum eſt.

VI. Præter illam pœnam ſtatim inflictam duplici alteri pœnæ obnoxij facti ſunt, morti ſcilicet temporali, quæ eſt animæ à corpore

ſeparatio, & æternæ, quæ eſt totius hominis à Deo ſummo ipſius bono ſeparatio.

VII. Vtriuſque judicium fuit illorum ex paradiſo ejectio. Hujus, quia paradiſus erat typus & figura cæleſtis domicilij, in quo ſummo & plena viget beatitas, & relucentia majeſtatis divinæ. Illius, quia in illo horto fuit arbor vitæ plantata, cujus fructus comeſtus per ſe aptus erat ad vitam animalem homini continuandam, citra interventum mortis. Quæ arbor & Symbolum vitæ cæleſtis ereptæ hominibus & motis, æternæ ſecuturæ indicium fuit.

VIII. Acceſſit pœna viro & fæminæ peculiariter inflicta. illi, quod ex ſudore vultus ſui pane ſuo veſci debuit, & terra in ipſius opere maledicta tribulos & ſpinas prolatura. Huic, quod varijs conceptus & partus ſui doloribus fuit obnoxia, Viro inflicta pœna circa ſtudium conſervandi individua, & fæminæ circa perpetuationem ſpeciei.

IX. Quoniam verò ratio fœderis à Deo cum hominibus primis initi hęc fuit, ut ſi ipſi in favore Dei & gratia per præcepti iſtius & aliorum obſervationem permanerent, ad poſteros dona in illos collata tranſmitterentur, eadem gratia divina, quę illi obtigit: ſi vero illi eorum ſe indignos facerent per inobedientiam, poſteri quoque ipſorum ijs carerent, & contrarijs malis obnoxij eſſent: Hinc accidit, ut omnes homines qui naturaliter ex ipſis propagandi fuerint morti temporali & æternæ obnoxij evaſerint, & dono iſto Spiritus ſancti ſive juſtitia originali vacui: quæ pœna privatio imaginis Dei & peccatum originale appellari ſolet.

X. An vero præter carentiam juſtitię originalis aliqua contraria qualitas conſtituenda ſit, tanquam peccati originalis pars altera, diſquiri permittimus: quanquam arbitramur veriſimilius illam ſolam carentiam ipſum peccatum originis eſſe, utpote quæ ſola ſufficit ad quævis peccata actualia committendum & producendum.

XI. Diſputatio an peccatum originis per animam an per corpus propagetur, inutilis nobis videtur, ideoque & altera iſta, an anima ſit ex traduce nec ne, ad hanc rem haud neceſſaria videtur.

THESIS TRICESIMA SECVNDA, DE

Neceſſitate Religionis Chriſtianæ.

I.

NVlla homini cum Deo citra Religionem unio eſt: nulla Religio citra pręſcriptum & inſtitutionem Dei, quam utpote illius ſive creationis, ſive inſuper etiam reſtitutionis, jure prout viſum eſt, variare poteſt. Ita ut quomodocumque illam inſtituat, hominem ſemper ad obſervandum obliget, eique ex obligatione obſervandi neceſſitatem imponat.

II. Modus autem religionis (nam quo ad ſubſtantiam, quæ in Dei notitia, fide, amore, &c. conſiſtit, ſemper eadem eſt, niſi ad ſubſtantiam referendum videatur, quod Chriſtianam Religionem Chriſtus ut objectum ejus ingrediatur) non mutatur niſi mutata inter Deum homi-

hominemq; illi uniendum relatione; & hæc mutata variatur ſcilicet, præſuppoſito quod homo adhuc Deo uniendus ſit.

III. Relatio prima (& quæ Religionis primæ fundamentum fuit primum) inter Deum & hominem fuit, illum quidem ut creatorem, hunc verò ut creatum ad imaginem Dei & integrum: unde Religio relationi illi ſuperſtructa rigidæ ſtrictæq; fuit juſtitię & obedientiæ legalis. At mutata illa relatio eſt, nempe per peccatum hominis, non jam integri Deoque accepti, ſed tranſgreſſoris & damnabilis. Vnde poſt peccatum aut nullus homini ſperandus ad Deum ejuſque unionem aditus fuit, violato ſcilicet abrogatoque cultu Dei, aut Deo per hominis gratioſam reſtitutionem nova ſui ad illum fundanda fuit relatio, novaque ſuper illam relationem inſtituenda fuit Religio. Id quod & fecit miſericors Deus ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ.

IV. Sed quum Deus non ſit reſtitutor peccatoris niſi in Mediatore expiante peccata, Deum placante, peccatorem ſanctificante, niſi, inquam in uno illo Mediatore Dei & hominum homine Ieſu Chriſto, noluit glorioſiſſimus Deus ſolus citra mediatorem illum aut fundamentum eſſe inter ipſum & reſtitutum ab ipſo peccatorem, aut objectum eſſe Religionis, quam relationi illi (ad ſuum reſtituentis honorem & æternam reſtituti fœlicitatem) ſuperſtrueret. Placuit enim Patri per Chriſtum reconciliare ſibi omnia & per hunc reſtituere, tum quæ in cœlis, tum quę in terra ſunt. Placuit etiam patri ut omnes honorent filium prout honorant patrem, adeo ut non honoret patrem quiſquis non honorat filium.

V. Vnde poſt ingreſſum peccatum nulla hominum à Deo ſalus, niſi per Chriſtum, nullus ſalutaris cultus Dei niſi in nomine & reſpectu Chriſti, qui Chriſtus peccatorum, ſed in ipſum credentium ſalvator eſt, adeo ut ſine Deo ſit quiſquis ſine Chriſto eſt & ſine Chriſto quiſquis ſine fide, ſine cultu, & Religione Chriſti eſt: ſine cujus ſive promiſſi, typiſque adumbrati, ſive exhibiti clareque annunciati fide ac ſpe, neque antiquitas ſalva fuit, neque ſalvi ſumus nos.

VI. Qua de cauſa cum primi fœderis tranſgreſſio neceſſitatem contineat Religionis alterius conſtituendæ, eaque non accidiſſet, ſi fœdus illud initum non fuiſſet, apparet ea quæ de fœdere primævo & eius tranſgreſſione ab hominibus primis facta tractantur in Scriptura, occaſionem continere reſtitutionis à Deo per Chriſtum faciendæ, & propterea in Chriſtiana Religione ſic tractanda eſſe. Quod ex ipſa forma narrationis à Moſe factæ facile concluditur.

VII. Eſtque Deus Religionis Chriſtianæ objectum, tum ut creator, tum ut reſtaurator in Chriſto filio dilectionis ſuæ, quæ nomina rationem continent, cur Deus Religionem poſtulare ab homine poſſit; qui factus eſt à Creatore creatura, & à Reſtauratore nova creatura. In quo objecto etiam conſiderandum quod velit eſſe glorificator hominis qui illum ex peccati merito & miſeria ad æternam fœlicitatem perducat. Quæ tria nomina, Creatoris, Reſtauratoris, Glorificatoris potiſſima

gumenta continent quibus homini Religio perſuadetur.

VIII. Cæterum quia viſum Deo eſt reſtaurationem illam facere per filium ſuum Ieſum Chriſtum Mediatorem; hinc etiam filius Dei, qua conſtitutus à Deo Chriſtus & Dominus, objectum eſt Religionis Chriſtianæ Deo ſubordinatum, quamquam ille in terra, ut ſermo patris ſui, in patre ab æterno exiſtens conſiderari & poſſit & debeat.

THESIS TRICESIMA TERTIA, DE

Inſtauratione Hominis.

I.

CVm Religionis Chriſtianæ objectum ſit Deus non tantum quâ creator, ſed etiam & propriè qua reſtaurator humani generis: creationis tractatione defuncti, de reſtauratione porrò agemus: utpote quæ alteram in ſe contineat cauſam, cur Deus jure merito ab homine & peccatore Religionem poſtulare poſſit.

II. Reſtauratio illa eſt hominis peccatoris & per peccatum æternæ & temporariæ morti peccatique dominio obnoxij reſtitutio, & nova ſeu ſecunda creatio.

III. Cauſſa προηγουμένη eſt gratioſa Dei miſericordia, qua peccatum condonare & creaturæ ſuæ miſeriæ ſuccurrere voluit.

IV. Materia circa quam eſt homo peccator, & propter peccatum iræ Dei & peccati ſervituti obnoxius; quæ in ſe continet cauſſam προκαταρκτικὴ miſericordiæ illius gratioſæ, ſed per accidens, ex eo quod Deus delectatus eſt miſericordiâ, cum alioquin peccatum ſit per ſe & propriè cauſa προκαταρκτικὴ & meritoria iræ & damnationis.

V. Formam ſub generali quidem reſtitutionis, ſeu reparationis, ſeu redemptionis notione concipere poſſumus: at explicatam dare non poſſumus niſi ſub duabus particularibus actionibus: quarum altera eſt peccatorum remiſſio, vel in gratiam receptio, altera hominis peccatoris ad imaginem Dei renovatio ſeu ſanctificatio, quibus ipſa in Filium Dei adoptio continetur.

VI. Finis primus eſt laus glorioſæ gratiæ Dei quæ ex ipſa, & ſimul cum ipſa reſtitutionis ſeu redemptionis actione exiſtit: alter eſt ut ſic reparati piè juſtè & ſobriè vivant in hoc ſæculo, & in altero beatam fœlicitatem obtineant.

VII. Viſum autem eſt Deo hanc miſericordiam in reſtituendo homine citra declarationem juſtitiæ ſuæ, quâ juſtitiam diligit & peccatum odit, non exercere, ideoque & conſtituit ut modus peragendæ reſtaurationis eſſet per Mediatorem inter ipſum & hominem peccatorem intervenientem, quæ ſic obiretur, ut verò conſtaret ipſum peccatum odiſſe & juſtitiam amare, deque jure ſuo nihil velle remittere niſi ejus juſtitiæ ſatisfactum eſſet.

VIII. Huic mediationi peragendæ conſtituit Filium ſuum unigenitum Mediatorem inter ipſum & homines, & Mediatorem quidem per ſanguinem & mortem ipſius, omnino nolens ut ſine ſanguinis effuſione & interventu mortis ipſius teſtatoris eſſet remiſſio, aut Teſtamenti

menti novi, quod remiſſionem & legis divinæ in cordibus inſcriptionem promittit, confirmatio.

IX. Quæ cauſa eſt quod Ieſus Chriſtus reſtaurationis iſtius Mediator, poſtquam à Patre factus eſt Chriſtus & Dominus caputque Eccleſiæ eſt conſtitutus, ſit objectum alterum Deoque ſubordinatum Religionis Chriſtianæ. Ita ut per illum ad Deum accedendum ſit religionis illi præſtandæ cauſsâ, & illi una cum Deo patre religionis officium præſtandum, quo ſpiritum utriuſque nullo modo excludimus.

THESIS TRICESIMA QVARTA.

DE

Perſona Ieſu Chriſti Domini noſtri.

I.

QVia Dominus noſter Ieſus Chriſtus objectum ſecundarium eſt Religionis Chriſtianæ, de eo porrò ut tali aliquot diſputationibus pertractandum eſt. Imprimis autem perſonam ipſam qualis in ſe eſt conſiderare neceſſe habemus.

II. Perſonam hanc eſſe dicimus Filium Dei & Filium hominis, duplici natura conſtantem, divina & humana, impermixtè, inconfuſa, inſeparabiliter unitis, non ſecundum habitudinem vel inhabitationem tantum, ſed unione quam veteres rectè ὑποστατικὴν appellarunt.

III. Divinam naturam eandem habet cum Patre per internam & æternam communicationem.

IV. Humanam naturam habet ex virgine Maria per operationem Sp. Sancti, qui ſupervenit & obumbravit eam ſemen illius fæcundando, ut ex eo promiſſus Meſſias ſupernaturali modo naſceretur.

V. Conſtat autem ſecundum humanam naturam ex corpore verè organico, & anima verè humana, quæ corpus vivificavit, & in hoc ſimilis eſt reliquis perſonis ſeu hominibus, adeoque omnibus eſſentialibus & naturalibus proprietatibus tùm corporis tùm animæ.

VI. Ex unione iſta perſonali exiſtit idiomatum ſeu proprietatum communicatio non realis, ac ſi quæ divinæ naturæ propria ſunt effuſa eſſent in naturam humanam, ſed verbalis, innixa tamen unionis ipſius veritati, & arctiſſimam utriuſque naturæ conjunctionem ſignificans.

COROLLARIUM.

Vox αὐτοθεοῦ quatenus ſignificat Filium Dei eſſentiam divinam à ſe habere, filio Dei tribui ſecundum Scripturas & Eccleſiæ tàm Græca quàm Latina ſententiam non poteſt.

THESIS TRICESIMA QVINTA,

DE

Sacerdotali Chriſti munere.

I.

QVanquam perſona Chriſti propter excellentiam digniſſima ſit

COROLLARIA.

I. Collationem ſacerdotii Chriſti & Melchizedek vel præcipuè vel ullo modo in eo conſiſtere, quod Melchizedek panem & vinum obtulerit, cum occurreret Abrahamo à cæde Regum redeunti, Negamus.

II. Sacrificium Chriſti propitiatorium eſſe incruentum contradictionem implicat ſecundum ſcripturas.

III. Chriſtus vivus nullibi quàm in cælo patri repræſentatur. Ergo non offertur in Miſſâ.

THESIS TRICESIMA SEXTA, DE

Prophetiâ Chriſti.

I.

PRophetia Chriſti dupliciter conſideranda venit, vel quatenus in propriâ perſona illam obivit in terris converſatus, vel quatenus per Miniſtros ſuos adminiſtravit ſedens in cœlis ad dextram Patris. Nos de ea ſecundum priorem rationem agemus in præſenti.

II. Objectum prophetiæ Chriſti proprium non fuit lex, quanquam illam explicuerit, & à pravis corruptelis vindicaverit; neque ἐπαγγελία, quamvis & illam patribus factam confirmarit, ſed Euangeliũ & ipſum N. T. vel regnum cœlorum & juſtitia eius.

III. In hac prophetiâ Chriſti conſideranda tum muneris impoſitio, tum functio. Impoſitio habet ſanctificationem, inſtructionem, inaugurationem, aſſiſtentiæ promiſſionem.

IV. Sanctificatio eſt, quâ ad hoc munus à Patre jam ab ipſo momento ſuæ conceptionis per Spiritum eſt ſanctificatus (unde & natum ſe dicit, ut teſtimonium perhiberet veritati) & quidem excellentiore longè modo, quam Ieremias & Ioannes ſanctificari dicuntur.

V. Inſtructio eſt donorum ad prophetiam obeundam neceſſariorum collatio, quæ conſtat Sp. Sancti copioſiſſimâ in illum effuſione & ſuper illum manſione; & Spiritus quidem ſapientię, intelligentię, conſilij, ſcientiæ, timoris Domini, & fortitudinis: quo Spiritu f ctum, ut & omnia quæ eſſent docenda, vellet docere ſecundum Deum & auderet, contra omnia impedimenta ſufficienter & abundanter inſtructa mente, & adfectu tum concupiſcibili tum iraſcibili.

VI. Inſtructio autem à rebus cognitu neceſſarijs dicitur in S. Scriptura facta per viſionem & auditum, per intimam ſecretorum Patris intuitionem: quæ ſignificatur phraſi, quâ dicitur eſſe in ſinu patris & in cœlo.

VII. Inauguratio facta eſt per Baptiſmum, quem illi Ioannes contulit, ubi vox à Patre cælitus delata & Spiritus tanquam columba corporea ſpecie ſuper ipſum deſcendens, fuerunt tanquam litteræ fiduciariæ, quibus illi tanquam legato Patris eſt adſerta docendi poteſtas.

VIII. Cui jungenda eſt perpetua Spiritus ſancti adſiſtentia, hoc ipſo ſigno columbæ, ſuper ipſum requieſcentis & manentis promiſſa, ut munus tam arduum animos è adminiſtraret.

IX. In functione conſideranda doctrinæ propoſitio, conformatio, eventus.

X. Doctrinæ propoſitio facta eſt, tum rebus ipſis tum perſonis convenienter. Perſonæ ipſius & eorum quos docebat cum gratia & auctoritate, nullius hominis faciem accipiendo, cuiuſcunque ſtatus aut conditionis eſſet.

XI. Confirmatio facta eſt, tum per ſanctimoniam doctrinæ adamuſſim reſpondentem, tum per miracula, futurorum prædictiones, cogitationum & aliorum ſecretorum revelationes, denique per ipſam mortem acerbiſſimam & contumelioſiſſimam.

XII. Eventus fuit duplex, unus doctrinæ ipſius naturæ reſpondens, paucorum ad ipſum converſio, ſed citra ipſius talem notitiam, qualem doctrina poſtulabat: habebant enim in cogitationibus de regno externo reſtituendo. Alter ex pravitate auditorum, doctrinæ & doctoris repulſa, & crucifixio, & interfectio. Vnde de ipſo conqueritur Eſaias 94. ſe in vanum laboraſſe, & fruſtra conſumpſiſſe fortitudinem ſuam.

XIII. Quod ipſum cum Deus futurum præſciverit, certum eſt illum voluiſſe ut hæc prophetia ſerviret Chriſto per paſſiones ad Sacerdotale & regium munus capeſſendum & adminiſtrandum conſecrando. Et ſic prophetia Chriſti quatenus ab illo per Apoſtolos & alios ipſius ſervos eſt adminiſtrata, medium fuit per quod Eccleſia ipſius ad fidem adducta & ſalvata eſt.

COROLLARIVM.

An Chriſti anima ullam ſcientiam acceperit à λόγῳ immediatè in illam operante citra Spiritus ſancti interventum, qua ſcientia unionis dicitur, diſquiri permittimus.

THESIS TRICESIMA SEPTIMA,

DE

Regio Chriſti munere.

I.

QVum Chriſtus per paſſiones conſecratus factus ſit author ſalutis omnibus temperantibus ipſi, ad ſalvandum verò non tantum bonorum impetratio, cui ſervit Sacerdotale munus, ſed & communicatio requiratur: oportuit illum regia dignitate inſigniri, & Dominum ſuper omnia conſtitui, cum plena poteſtate ſalutem, & quæ ad illam neceſſaria ſunt, impartiendi.

II. Regium Chriſti officium eſt munus Mediatorium, quo ille omnium quæ in cælo & in terra ſunt Dominus, & peculiariter Rex caputque Eccleſiæ conſtitutus à Patre, omnia, illamque Patris nomine gubernat ad Eccleſiæ ſalutem & Dei gloriam. De quo videbimus accommodatè ad Eccleſiam, quia iſta conſideratio nos potiſſimum concernit.

III. Functiones ad regium munus pertinentes hæ eſſe videntur. Vocatio ad participationem regni Chriſti: Legiſlatio; bonorum in hac vita ad ſalutem neceſſariorum collatio, & malorum illis oppoſitorum averruncatio: denique judicium & quæ illi adnexa ſunt.

IV. Voca-

IV. Vocatio eſt prima functio regii muneris Chriſti, qua homines peccatores vocat ad reſipiſcentiam & fidem Euangelio habendam; propoſito præmio de participatione regni, & comminatione addita æterni exitii à facie Domini.

V. Legiſlatio eſt ſecunda functio officii regii Chriſti, qua fidelibus officium ipſorum præſcribit, quod Deo & Chriſto tanquam capiti & principi ſuo ipſi velut ſubditi præſtare tenentur, addita ſanctione per præmia & pænas, quæ ſtatui regni iſtius ſpiritualis proprie conveniunt.

VI. Inter bona quibus communicandis ſervit tertia functio muneris Chriſti regii, non tantum numeramus remiſſionem peccatorum, & Spiritum gratiæ: intus teſtificantem cordibus noſtris quod ſumus filii Dei, ſed etiam omnia quæ ad officium præſtandum neceſſaria ſunt, utpote illuminatio, bonarum cogitationum & deſideriorum inſpiratio, corroboratio adverſus tentationes, & omnino legis Dei in cordibus noſtris inſcriptio: præterea ex bonis animalis huius vitæ quantum ſaluti fidelium ſuorum conducere novit. Mala verò quibus avertendis functio hæc præſidet iſtis bonis contraria intelligenda ſunt.

VII. Iudicium eſt extremus actus regii muneris Chriſti, quo de univerſis omnium hominum ad tribunal ſuum ante citatorum & conſtitutorum cogitatis, dictis, factis, item & omiſſis juſtè & citra reſpectum perſonarum ſententiam dicit & exequitur irreſiſtibiliter per præmiorum juſtam & gratioſam, pænarumque debitam retributionem, quæ in vitæ æternæ largitione, & mortis æternæ inflictione conſiſtit.

VIII. Apoteleſmata iſtis functionibus reſpondentia ſunt. 1. Collectio Eccleſiæ ſeu ædificium templi Iehovæ: quæ collectio conſtat vocatione gentium, & reductione ſeu reſtauratione Iudæorum per fidem qua reſpondetur vocationi divinæ. 2. Eſt obedientia mandatis Chriſti præſtita ab iis qui crediderunt Domino, & per fidem cives regni cælorum facti ſunt. 3. Eſt adeptio remiſſionis peccatorum, & Spiritus S. aliorumque bonorum ad ſalutem facientium, & liberatio à malis in hac vita infeſtantibus. Deniq; eſt reſurrectio ex mortuis, & vitæ æternę participatio.

IX. Media quibus Chriſtus regnum ſuum adminiſtrat nobis potiſſimum in Eccleſia conſideranda ſunt, tum verbum, tum Spiritus ſanctus, quæ ſeparari non debent. Nam Spiritus ipſe utitur verbo aut ſenſibus verbi ordinariè eius externâ prædicatione: & verbum ſolùm citra Spiritus ſancti illuminationem & inſpirationem eſt inſufficiens. Chriſtus verò hæc duo non ſeparat niſi culpa verbum repellentium, & Spiritui ſancto reſiſtentium.

X. Eventus apoteleſmatis oppoſiti ſunt, jugi abjectio, peccati imputatio, Spiritus ſancti negatio vel ablatio, & traditio in poteſtatem Satanæ, in reprobam mentem, & duritiem cordis, præter mala temporalia, mors denique æterna.

XI. Ex hiſce apparet propheticum munus quo Eccleſia per verbum colligitur, debere regio muneri eſſe ſuccenturiatum; ideoque eius adminiſtros rectè Apoſtolos & ſervos Chriſti appellari, tanquam illos in or-

in orbem terrarum in quem poteſtatem habet emittentis, & verbum in ore illorum ponentis: cuius etiam aſſiſtentia perpetua neceſſaria eſt, ut verbum fructum naturæ ſuæ convenientem proferre poſſit.

XII. Munus hoc Regium ita Chriſto ſub Deo Patre proprium eſt, ut nullum ne quidem ſubordinatè in illius conſortium admittat, tanquam illo velut capite miniſteriali uſurus. Qua de cauſa Romanum Pontificem ſe caput & ſponſum Eccleſiæ quanquam ſub Chriſto appellantem, Antichriſtum eſſe dicimus.

THESIS TRICESIMA OCTAVA,

DE

Statibus Chriſti tum humilitatis, tum exaltationis.

I.

Circa impoſitionem & executionem officiorum Chriſto competentium duo ſtatus eius conſiderari ſolent, requiſiti ad hoc ut Salvatoris nomen ſecundum Dei voluntatem gerere poſſit, & rem nomine ſignificatam ipſo facto præſtare. Vnus eſt humilitatis, & ſecundum carnem animalis; alter eſt gloriæ ſecundum Spiritum, & Spiritualis.

II. Ad priorem pertinent hi fidei noſtræ Articuli, *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, ſepultus, deſcendit ad Inferos*, ad poſteriorem iſti *Reſurrexit, aſcendit ad cælos, ſedet à dextram Dei Patris, unde venturus eſt ad judicium.*

III. Paſſio Chriſti continet omnis generis contumelias & cruciatus tum animæ tum corporis, quos partim furor hoſtium ei intulit, partim immediata ipſa Patris caſtigatio. Hoſce poſtremos dicimus non animalis vitæ bono, ſed Spiritualis vitæ eſſe contrarios. Initium autem paſſionum iſtarum ducimus à captivitate ipſius: nam quę ante ipſi acciderunt προπάθειαι potius fuiſſe putamus, quibus exploraretur, an præſcius ferendorum, & quidem per ſcientiam experimentalem, tamen voluntaria obedientia promptus foret ad alia tolerandum.

IV. Crucifixio habet modum occiſionis, qui modus docet Chriſtum pro nobis maledictionem eſſe factum, ut nos per illius crucem à maledictione legis liberaremur. Hęc enim tota cauſa videtur cur Deus maledictum pronunciavit qui penderet in cruce, ut intelligeremus Chriſtum divinâ potius diſpenſatione quam humana opera in crucem actum, maledictum ab ipſo Deo noſtra cauſâ cenſeri.

V. Mors Chriſti fuit vera animæ ipſius à corpore ſeparatio, & ſecundum effectus, & ſecundum locum: quæ quidem ex crucifixione, & præſertim ex crurifragio ſequuta fuiſſet: Qua de cauſâ meritò à Iudæis interfectus fuiſſe dicitur: ſed à Chriſto ipſo eſt præoccupata, ut declararet ſe poteſtatem à Deo Patre accepiſſe animam ſuam & vitam deponendi, & volentem mortuum eſſe. Illud ad confirmationem veritatis ab ipſo tanquam prophetâ annuntiatæ, hoc ad Sacerdotalis muneris rationem pertinere videtur.

VI. Sepul-

VI. Sepultura Chriſti habet rationem certæ mortis, eiuſque in ſepulchro manſio ſignificat illum ſub Dominio mortis fuiſſe uſque ad reſurrectionem, quem ſtatum notari putamus per exiſtentiam Chriſti apud Inferos, cuius initiũ fuit deſcenſus ad Inferos, ut ſepelitio manſionis in ſepulchro. Hæc interpretatio firmatur tum cap. 2. Act. tum conſenſu V. Eccleſię quæ in Symbolo fidei alterutrum tantum illorum habuit, aut, deſcendit ad inferos, aut ſepultus eſt: Si quis tamen alium eſſe ſenſum Articuli putet, *deſcendit ad inferos*, non refragamur, modo ille cum Scripturis & analogia fidei conſentiat.

VII. Atque hic ſtatus neceſſarius fuit tum ut Patri ſuo obedientiam præſtaret, tum ut tentatus in omnibus ſine peccato tamen compati poſſit iis qui tentantur; denique ut per paſſiones conſecraretur in Sacerdotem & Regem, & in gloriam ſuam intraret.

VIII. Status verò glorię & exaltationis continet tres gradus, Reſurrectionem, Aſcenſionem in cælos, & ſeſſionem ad dextram Patris.

IX. Initium gloriæ fuit liberatio à vinculis inferni & ex mortuis reſuſcitatio, qua corpus eius mortuum & in ſepulchro poſitum, deletis mortis in eo effectibus, animæ redunitium, & in vitam reductum eſt, non hanc animalem ſed ſpiritualem; quanquam ex vi abundante animalis vitę munia obire potuerit quamdiu poſt reſurrectionem in hac vita cum Diſcipulis ad fidem reſurrectioni adhibendum commorari eum neceſſe fuit: quam reſurrectionem non Patri modo per Spiritum ſanctum, ſed etiam Chriſto ipſi tribuimus, qui poteſtatem habuit ſuam animam reſumendi.

X. Aſſumptio Chriſti in cælum habet progreſſum exaltationis ipſius. Cum enim in terra munus injunctum adminiſtraſſet, & corpus adeptus eſſet non animale, terrenum, corruptibile, carnale, & ignominioſum; ſed ſpirituale, cæleſte, incorruptibile, & glorioſum, & alia munia ſaluti hominum procurandæ neceſſaria in cælo & de cælo obeunda eſſent, fas fuit ut eò eveheretur, & iſthic porrò donec ad judicium veniret permaneret. *Vnde dogma Pontificiorum de Tranſubſtantiatione, & Vbiquitariorum de Conſubſtantiatione vel corporali corporis Chriſti in, cum, ſub pane præſentia refellitur.*

XI. Exaltatio Chriſti ad dextram Patris habet exaltationis illius ſupremum gradum. continet enim ſummam gloriam & poteſtatem Chriſto ipſi à Patre communicatam. Gloriam, quod adſideat Patri in throno majeſtatis, tum quod ipſi regium munus collatum ſit cum pleno imperio in cælo & in terra ſuper omnia & in omnia create, tum quod ipſi dignitas collata fungendi porrò muneris Sacerdotalis in iſta actione quæ in cælis à Sacerdote cælis facto ſublimiore peragenda erat.

XII. Ratione Sacerdotii fuit ſtatus ille neceſſarius, quia debuit in cælo coram Patris vultu comparere ſanguine ſuo adſperſus, & intercedere pro fidelibus; ratione regii quia debuit de cælis verbum (ecce prophetiæ adminiſtrationem regio muneri ſubordinatam) & Spiritum mittere, omnia in nomine Patris de ſolio majeſtatis adminiſtrare, & imprimis Eccleſiam, bona promiſſa verbo & Spiritu obſignata confe-

rendo obtemperantibus ipſi, & mala inferendo immorigeris, poſtquam Dei patientiâ abuſi fuerint tamdiu quam juſtitia tolerare potuit. Cuius adminiſtrationis poſtremus actus erit judicium univerſale quod expectamus. Veni Domine Ieſu.

THESIS TRICESIMA NONA,

DE

Voluntate & mandato Dei Patris & Chriſti quo Religionem ſibi ab homine peccatore præſtari volunt & mandant.

I.

PRæter iſta quæ Deus in Chriſto & Chriſtus ex mandato Patris fecit ad humani generis quod per peccatum perierat redemptionem, quo uterque Religionem ſibi ab homine peccatore præſtari meruit, & præter hoc quod Pater Chriſtum Servatorem & Caput conſtituit cùm plenâ poteſtate & potentia ſalvandi per Sacerdotalis & regii muneris adminiſtrationem, propter quam poteſtatem dignus eſt Chriſtus qui religione colatur, & remunerari cultores potens ne fruſtra colatur, requirebatur ut voluntas Dei Patris & Chriſti accederet quo Religionem ſibi præſtari vellent & juberent, ne Religionis præſtatio ἐθελοθρησκεία eſſet.

II. Hoc mandatum Deus per modum fœderis proponi voluit, id eſt, per mutuam partium contrahentium ſtipulationem & promiſſionem, & quidem fœderis nunquam abrogandi aut interituri, quod propterea novum dicitur, & ſanguine Ieſu Chriſti tanquam Mediatoris eſt ſancitum.

III. Qua de causâ quia Chriſtus conſtitutus eſt à Patre Princeps & Dominus cum plena poſſeſſione omnium bonorum ad ſalutem neceſſariorum, etiam Teſtamentum dicitur: propterea quod ille etiam ut Teſtator mortuus eſt, & morte ſuâ ratam fecit promiſſionem teſtamentariam antea factam, de obtinenda hæreditate æterna per remiſſionem peccatorum.

IV. Stipulatio ex parte Dei & Chriſti eſt Deum fore Deum & Patrem in Chriſto, ſi Chriſtum nomine & mandato Dei Dominum & Salvatorem agnoſcat, hoc eſt, in Deum per Chriſtum, & in Chriſtum credat, & utrique amorem, cultum, honorem, timorem, & integram ex præſcripto obedientiam præſtet.

V. Promiſſio ex parte Dei Patris & Chriſti eſt, Deum fore Deum & Patrem, Chriſtum verò fore Salvatorem per Sacerdotalis & regii muneris adminiſtrationem, illorum qui fidem & ex fide obſequium Deo Patri & Chriſto præſtabunt, hoc eſt, gratam habituros Religioſi officii præſtationem, idque remuneraturos.

VI. Vice verſa hominis peccatoris eſt, ſe in Deum & Chriſtum crediturum, & ex fide obſequium ſive obedientiam præſtiturum; ſtipulatio verò ut Deus memor pacti & teſtimonii ſui ſancti eſſe velit.

VII. Chri-

VII. Chriſtus ab utraque parte intervenit, à parte Dei ſtipulationem proponit, & promiſſionem ſanguine ſuo confirmat, quin & ratam fore cordibus illorum perſuadet & obſignat: ex parte vero hominis peccatoris promittit ſe Spiritus ſui efficacia effecturum ut homo præſtet promiſſa ſuo Deo, viciſſim à Patre poſtulat ut promiſſi ſui memor talibus remiſſionem peccatorum omnium & vitam æternam largiri dignetur. Imò verò intervenit, officium ab homine præſtitum Deo repræſentando, & odore fragrantiæ ſuæ gratum Deo acceptumq; reddendo.

VIII. Adhibentur etiam ſignacula externa quę Sacramenta appellata ſunt à veteribus Latinis, quæ ex parte Dei obſignant promiſſionem ab ipſo factam: ex parte verò hominum obligationis illius qua ſe Deo obſtrinxerant ſunt chirographa; ut omni modo nihil deſideretur quod ad fœderis & pacti conſenſu partium initi naturam & rationem ullo modo facere poſſe videtur.

IX. Ex hiſce omnibus apparet Chriſtianæ Religionis perfectio ſufficientiſſima & excellentia præ cæteris eximia, quanquam & verę eſſe fingantur. Sufficientia in eo eſt, tum quod officii illius ab homine peccatore præſtandi neceſſitatem evincit prorſus eſſe abſolutam, & nullo modo remiſſibilem, quo ſecuritati carnis via præcluditur, tum quod adverſus deſperationem fortiſſimè munit, tùm peccatores ut ad pænitentiam adducantur, tum officium facientes ut ſpe certa futurorum bonorum in cœpto fidei & bonorum operum curſu perſeverent. Quæ duo ſunt mala maxima in omni Religione cavenda.

X. Excellentia hîc præ cęteris eſt, quod omnia iſta Chriſti Mediatoris, Sacerdotis & Regis interventu peragantur: in quo quamplurima argumenta nobis propoſita ſunt tum firmandæ neceſſitati illius præſtationis, tum confirmandæ ſpei, & deſperationi auferendæ, quæ in nullâ alia Religione commonſtrari poſſunt. Qua de cauſa non mirum eſt, Chriſtum dici Dei ſapientiam & potentiam Euangelio patefactam ad ſalutem fidelium.

COROLLARIVM.

Nullas preces nullumque officium à peccatore præſtitum Deo gratum eſſe niſi reſpectu Chriſti, & tamen populum rectè feciſſe optando & Deum precando, ut Deus Regi Meſſiæ & Regni ipſius progreſſui benedicere vellet.

THESIS QVADRAGESIMA DE

Prædeſtinatione fidelium.

I.

QVum hucuſque actum ſit de objecto Religionis Chriſtianæ, ſcil. de Deo & Chriſto, & de rationibus formalibus cur illis utiliter Religio præſtari poſſit & debeat, inter quas poſtrema eſt voluntas Dei & mandatum eiuſdem præſcribentis Religionem per fœderis pactionem cui ſubnecti oportebit de vocatione hominum ad fœderis iſtius participationem: non incommodè hic interſeremus de Predeſti-

natione tum quâ ſtatuit Deus ſecundum iſtud præſcriptum cum hominibus agere, tum qua decrevit vocationem iſtam & media ad illam administrare, & prius de priore.

II. Prædeſtinatio illa eſt decretum Beneplaciti Dei in Chriſto, quo apud ſe ab æterno ſtatuit fideles juſtificare, adoptare, & vita æternâ donare, ad laudem glorioſæ gratiæ ſuę, imò ad declarationem juſtitiæ ſuæ.

III. Hæc prædeſtinatio eſt Euangelica & propterea peremptoria & irrevocabilis: cumque Euangelium ſit purè putè gratioſum, etiam hæc prædeſtinatio gratioſa eſt juxta benevolum affectum Dei in Chriſto. Gratia autem illa excludit omnem cauſam quæ ab homine excogitari poteſt potuiſſe proficiſci, quâ Deus moveatur ad Decretum iſtud faciendum.

IV. Chriſtum autem ponimus fundamentum iſtius prædeſtinationis & cauſam meritoriam eorum bonorum quæ iſto decreto fidelibus deſtinata ſunt. Amor enim quo Deus homines præcisè ad ſalutem amat, & ſecundum quem præcisè illis intendit vitam æternam dare, non eſt niſi in Ieſu Chriſto filio dilectionis, qui non tantum efficaci communicatione, ſed & merito digniſſimo cauſa ſalutis, non tantum diſpenſator reparatæ ſalutis, ſed & impetrator & reductor perditæ. Non ſatis ergo Chriſto tribuitur, cum executor dicitur Decreti jam antea facti, & citra conſiderationem ipſius tanquam in quo Decretum fundatum eſt.

V. Materiam illius prædeſtinationis duplicem ponimus, tum res divinas tum perſonas quibus illarum communicatio eſt prędeſtinata. Res illæ ſunt benedictiones Spirituales gratiæ & gloriæ nominibus appellari ſolitæ. Perſonæ ſunt homines fideles credentes, ſcilicet in Deum juſtificantem impium, & Chriſtum ex mortuis reſuſcitatum. Fides autem præſupponit peccatum, nempe quę in Chriſtum eſt Mediatorem inter Deum & homines & ipſam quoque peccati agnitionem.

VI. Formam ponimus in ipſa actione internâ Dei præordinantis fidelibus hanc cum Chriſto capite unionem & communionem beneficiorum ejus. Finem vero in laude glorioſæ gratiæ Dei, quæ cum cauſa ſit iſtius decreti, æquum eſt ab illa celebretur, quanquam Deus illam ipſam uſurpando eandem illuſtraverit & glorificaverit juſtitię etiam ipſius hic mentio incidit, utpote cujus interventu datus eſt Chriſtus Mediator & poſtulata fides in illum, utpote citra quem Mediatorem Deus miſereri non voluit, neque citra fidem in illum ſalvare.

VII Cum autem hoc prædeſtinationis Decretum ſit ſecundum electionem, quæ neceſſariò includit reprobationem, & de hac videndum eſt; quam oppoſitè definimus Decretum iræ ſeu ſeverę voluntatis Dei, quo ab æterno ſtatuit infideles & impœnitentes condẽnare ad mortem æternam, ad declarandam potentiam & iram ſuam, ita tamen ut infideles non tantũ propter infidelitatem, ſed & propter reliqua peccata à quibus per fidem in Chriſtũ liberari poterãt iſta pœna adficiantur.

VIII. Vtrique huic Decreto ſua ſubjungitur executio, cujus actus ſua peraguntur quo in Decreto ipſo à Deo ſunt ordinati, objectaque tum Decreti tum executionis ſunt

ſunt eadem prorſus & uniformia, ſive eadem ratione formali veſtita, quamquam in Decreto ut in mente Dei per intellectum conſiderata, in executione ut actu talia exiſtentia.

IX. Hæc prædeſtinatio eſt fundamentum Chriſtianiſmi, ſalutis, & certitudinis de ſalute & de illa agitur ad Rom. 8. 28. 30. & cap. 9. & ſequentibus, etiam ad Epheſios. 1.

THESIS QVADRAGESIMA PRIMA, DE

Prædeſtinatione mediorum ad fidem.

I.

POſtquam actum eſt de Prædeſtinatione qua Deus ſtatuit fidei in ſe & in Chriſtum ad ſalutem obtinendam neceſſitatem, ſecundum quam fides præſcribitur præſtanda tanquam officium ab homine peccatore Deo & Chriſto debitum, ſequitur ut agamus de Prędeſtinatione qua ſtatuit Deus media ad fidem adminiſtrare.

II. Quum enim actus ille fidei non ſit in poteſtate hominis naturalis, carnalis, animalis, peccatoris, eumque nemo pręſtare poſſit niſi per gratiam Dei, omnis autem gratia Dei ſecundum voluntatem Dei adminiſtretur, & voluntatem quam apud ſe ab æterno habuit: eſt enim actio interna; hinc neceſſe eſt ut ſit aliqua prædeſtinatio in mente & voluntate Dei præconcepta juxta quam gratiam illam ſeu media ad illam diſpenſet.

III. Prædeſtinationem autem illam definire poſſumus quod ſit Decretum Dei ęternum quo apud ſe ſapienter & juſte conſtituit media ad fidem hominibus peccatoribus ingenerandam neceſſaria & ſufficientia ſic adminiſtrare ut novit miſericordiam & ſeveritatem ſuam decere ad nominis ſui gloriam & fidelium ſalutem.

IV. Hujus Prædeſtinationis objectum ſunt tum media fidei ingenerandæ, tum homines peccatores quibus illa aut dare aut non dare decrevit, quemadmodum præcedentis fuit fides ipſa in præconceptione mentis Dei exiſtens.

V. Cauſa προηγουμένη ad Decretum faciendum impellens eſt tum miſericordia tum ſeveritas Dei: ſapientia verò modum præſcribit quē juſtitia adminiſtrat, ut miſericordiæ tribuatur quod ex ęquo ipſi debetur, & ſeveritatis quoque ratio habeatur interea, ſecundum quam minatur Deus ſe famem verbi miſſurum in terrâ.

VI. Materia eſt mediorum diſpenſatio conceſſa vel negata. forma eſt ipſa ordinata diſpenſatio ſecundum quam his conceditur illis negatur, vel hoc & non illo pacto conceditur vel negatur.

VII. Finis cuius gratia & qui ipſi adminiſtrationi eo ipſo momento conjunctus eſt, eſt miſericordiæ Dei & ſeveritatis ſapientiæque & juſtitiæ declaratio. Finis cui, ſequens ex adminiſtratione eſt fidelium ſalus. Eventus eſt condemnatio infidelium & nonnullorum gravior condematio.

VIII. Media autem deſtinata propria & οἰκεῖα ſunt verbum & Spiritus, quibus etiam jungi poſſunt bona

bona & mala huius animalis vitæ, quibus Deus ad eundem finem utitur, de quorum natura & efficacitate in ipſa vocatione, ubi uſurpantur, agemus.

IX. Hiſce tribuimus duo epitheta, neceſſitatem & ſufficientiam, quæ ipſis ſecundum Dei voluntatem & naturam competunt, quæ etiam ſimul jungimus. Neceſſitas iis ineſt, quia ſine iis fidem concipere non poteſt peccator: Sufficientia, quia fruſtra adhibentur ſi non ſufficiant, quam tamen ſufficientiam non neceſſe habemus ponere in primo momento quo uſurpari incipiunt, ſed in toto progreſſu & complemento.

X. Iſta media nemini Deus deſtinat propter vel ſecundum merita ipſius, ſed ex purâ puta gratia; nemini etiam denegat niſi juſtè propter præcedentia peccata.

THESIS QVADRAGESIMA SECVNDA, DE

Vocatione hominũ peccatorum ad Chriſtum & ſalutis in eo participationem.

I.

Vocatio ad communionem Chriſti & beneficiorum eius, eſt gratioſa actio Dei quâ homines peccatores reos condemnationis & ſub dominio peccati conſtitutos, ex animalis vitæ conditione ex mundi huius inquinamentis & corruptelis evocat per verbum & Spiritũ ſuum ad vitam ſupernaturalem in Chriſto per pœnitentiam & fidem conſequendam, ut in illo tanquam capite ſuo à Deo deſtinato & ordinato uniri, & beneficiorum eius communione frui queant, ad gloriam Dei & ipſorum ſalutem.

II. Cauſa efficiens huius vocationis eſt Deus & Pater in Filio, qui Filius & ipſe ut Mediator & Rex à Deo Patre conſtitutus vocat per Spiritum ſanctum, qua ille Spiritus Dei eſt datus Mediatori, & Spiritus Chriſti Regis & capitis Eccleſiæ, per quem Pater & Filius operantur adhuc. Hæc autem vocatio ſic adminiſtratur per Spiritum ut & ipſe Spiritus auctor eius rectè appelletur: nam ille conſtituit in Eccleſia Epiſcopos, ille mittit Doctores, ille donis illos inſtruit, adſiſtit eis, & verbo vim & authoritatem conciliat.

III. Cauſa προηγουμένη eſt gratia, miſericordia, & φιλανθρωπία Dei, qua ille adfectus eſt ad ſuccurrendum miſeriæ hominis peccatoris, illique beatitatem impertiendum: cauſa verò diſpoſitiva eſt ipſa ſapientia Dei & juſtitia quâ novit quâ ratione deceat vocationem iſtam adminiſtrari, & vult eam prout fas eſt diſpenſare. Vnde factum eſt Decretum voluntatis de adminiſtratione & modo eius.

IV. Cauſa inſtrumentalis vocationis eſt verbum Dei ſive prædicatione ſive ſcriptione adminiſtratum opera hominis, quod fit ordinariè: ſive citra operam humanam intus menti & voluntati propoſitum à Deo immediatè, quod eſt extraordinarium: & verbum quidem tum legis

legis tum Euangelij partitis operis ſibi ſubordinatum.

V. Materia vocationis ſunt homines in animali vita conſtituti, mundani, naturales, animales, peccatores.

VI. Terminus à quo vocantur eſt ſtatus tum vitæ animalis, tum peccati & miſeriæ propter peccatum, nempe à condemnatione & reatu, deinde a ſervitute & dominio peccati.

VII. Terminus ad quem eſt ſtatus gratiæ ſeu boni ſupernaturalis & omnis benedictionis Spiritualis communicatio, quarum plenitudo in Chriſto capite eſt, item poteſtas & vis, quin & affectus communicandi.

VIII. Finis proximus vocationis eſt ut Deum & Chriſtum ament, timeant, honorent, colant, obedientiamque in juſtitia & ſanctimonia veritatis juxta præſcriptum verbi divini præſtent vocanti Deo, & hac ratione firmam faciunt vocationem & electionem ſuam.

IX. Finis remotus eſt ſalus vocatorum, & gloria Dei & Chriſti vocantis, quæ poſita ſunt in unione Dei & hominis. Qua enim Deus ſe unit homini & unire ſe homini paratum dicit, gloriam ſuam illuſtrat Deus: qua homo Deo unitur ſalutem obtinet homo.

X. Vocatio iſta tum externa eſt, tum interna. Externa per miniſterium hominum verbum proponentium: interna per operationem Spiritus ſancti illuminantis & cor afficientis, ut attendatur ijs quæ dicuntur, fideſque verbo adhibeatur. Ex utriuſque concurſu efficacitas vocationis exiſtit.

XI. Illa autem diſtributio non eſt generis in ſpecies, ſed totius in partes, hoc eſt, totalis vocationis in partiales actiones ad unum pariter ἀποτέλεσμα concurrentes, quod eſt obedientia vocationi præſtita; unde vocatorum & vocationi reſpondentium cœtus, Eccleſia datur.

XII. Eventus vocationis per accidens, eſt ſermonis gratiæ repulſa, conſilij divini contemptus, reſiſtentia Spiritui ſancto facta; quorum propriam cauſam & per ſe habet malitiam & duritiem cordis humani; cui non raro adjungitur juſtum Dei verbi ſui contemptum vindicantis judicium, exque eo nata mentis excæcatio & cordis obduratio inque reprobum ſenſum, & poteſtatem Satanæ traditio.

THESIS QVADRAGESIMA TERTIA, DE

Pœnitentiâ qua reſpondetur vocationi divinæ.

I.

QVum Deo viſum ſit in ſalutis negotio agere cum homine per rationem fœderis, id eſt, per ſtipulationem ſeu poſtulationem & promiſſionem, etiam vocatio ad participationem fœderis reſpicit, utrimque & ſeorſim inſtituitur, ut homo præſtet poſtulatum ſeu præſcriptum Dei quo obtineat promiſſum eius. Reſpectus autem mutuus inter iſta duo hic eſt, ut promiſſum argumenti

inſtar ſit, quo Deus utitur ut ab homine poſtulatum ſuum obtineat; poſtulati verò præſtatio viciſſim cōditio ſit ſine quâ homo promiſſum à Deo obtinere nequit, & per quam certò certius obtinet promiſſum.

II. Vnde apparet primum omnium quod iſtam vocationem excipit eſſe fidem, qua creditur, ſi quis poſtulatum præſtet promiſſo potiturum; ſi verò non præſtet, promiſſis cariturum, imò verò contrariis malis afficiendum, juxta naturam fœderationis divinæ, ubi nulla promiſſio eſt ſive comminatione illi contraria: quæ fides fundamentum eſt cui obedientia vocationi Dei præſtanda innititur, & propterea fundamentum Religionis.

III. Iſtius verò obedientiæ partes universè tres conſtituuntur à Theologis. Prima eſt pœnitentia, vocatio enim eſt peccatorum ad juſtitiam: Secunda, eſt fides in Chriſtum, & in Deum per Chriſtum; vocatio n. fit per Euangelium quod eſt verbum fidei: Tertia, eſt obſervatio mandatorũ Dei, in qua conſiſtit ſanctimonia vitæ, ad quam vocantur fideles & ſine qua nemo videbit Deũ.

IV. Pœnitentia eſt dolor & peccatis agnitis, & contracto per peccatum mortis debito & ſervitute peccati cum deſiderio liberationis. Vnde liquet ad pœnitentiam concurrere, unum velut antecedens, alterum ut conſequens, tertium ut illius naturam propriè & pleniſſimè complexum.

V. Quod antecedentis inſtar eſt, agnitio eſt peccatorum, quæ duplici conſtat notitia, generali qua quid ſit peccatum universè & ex præſcripto legis cognoſcitur: particulari, qua peccatum perpetratum eſſe ex memoria factorum tum patratorum tum omiſſorum, eorundemque ad legem examine agnoſcitur. Hæc agnitio junctam habet duplicis meriti conſcientiam, damnationis ſeu mortis, & ſervitutis peccati, peccati enim ſtipendium mors eſt, & qui peccat ſervus eſt peccati. iſta agnitio vel interna eſt animi, vel etiam externa & confeſſio appellatur.

VI. Quod naturam pœnitentiæ intimè complectitur eſt dolor ipſe de peccato perpetrato & merito illius, qui tantò major eſt quanta peccati agnitio clarior eſt & amplior: à qua etiam generatur mediante duplici timore pœnæ non modo corporalis & temporalis, ſed etiam ſpiritualis & æternæ; & Dei quo timetur judicium tam boni & juſti Numinis quod per peccata offenſum eſt: & hic timor rectè initialis dici poteſt; & ſpem aliquam huic timori annexam eſſe credimus.

VII. Quod ſequitur eſt deſiderium liberationis à peccato, hoc eſt, à condemnatione peccati & à Dominio illius, quod tanto eſt maius quantò maior eſt agnitio miſeriæ & dolor ob peccatum.

VIII. Huius pœnitentiæ cauſa eſt Deus per verbum & Spiritum ipſius in Chriſto: Eſt enim pœnitentia non ad deſperationem ſed ad ſalutem tendens: at talis non poteſt eſſe niſi reſpectu Chriſti, in quo ſolo liberationem à peccati condemnatione & dominio obtinere poteſt peccator. Verbum autem quo utitur initio verbum legis eſt, non tamen ſub conditione legali ipſi propria, ſed adnexa Euangelii prædicationis, cuius prima vox eſt, liberationem expoſitam pœnitentibus. Spiritus autem Dei non immerito Spiritus

Chriſti

Chriſti dici poteſt qua ille Mediator eſt, primum urgens hominem verbo legis, inde gratiam Euangelii oſtendens: quorum verborum connexio ſic concinnè facta & ſecuritatem aufert, & deſperationem prohibet, quæ ſunt pernicies Religionis & animarum.

IX. Satisfactionem quam Pontifici tertiam pœnitentiæ partem faciunt non agnoſcimus, quanquam non negemus eum quem verè pœnitet, proximo, adverſus quem peccaſſe fatetur, conaturum ſatisfacere, & Eccleſiæ quam ſcandalo læſit. Deo verò nullo modo ab homine per ullam pœnitentiam, dolorem, contritionem, eleémoſynarum dationem, voluntariam pœnarum ſuſceptionem & illationem ſatisfieri poteſt: Quod ipſum ſi præſcriberet Deus perpetuo angore Gehennæ imminentis torqueri conſcientias neceſſum eſſet, non minus quàm ſi nulla gratiæ promiſſio peccatori facta eſſet. Illam verò quam deſcripſimus pœnitentiam ſi vera ſit Deus dignatur gratioſa à peccato & miſeria liberatione, quæ fidem habet ſubſequentem, de qua ſequenti diſputatione agendum erit.

COROLLARIVM.

Pœnitentia neque quoad ipſam, neque quoad ſigna eius externa Sacramentum eſt.

THESIS QVADRAGESIMA QVARTA,

De Fide in Deum & Chriſtum.

I.

DE prima parte obedientiæ quæ præſtatur vocationi Dei ſuperiore diſputatione egimus, ſequitur altera, quę obedientia fidei dicitur.

II. Fides univerſè eſt adſenſus veritati adhibitus, & divina divinitus revelatæ. Fundamentum quo fides divina nititur eſt duplex, unum externum & extra mentem, alterum internum in mente. Externum eſt ipſa veracitas enuntiantis Dei, qui nihil falſum enuntiare poteſt. Internum duplex eſt, tum communis notio qua Deum veracem eſſe novimus, tum notitia qua verbum illud Dei eſſe agnoſcimus. Ea pro duplici revelationis modo duplex eſt, legalis & Euangelica, quarum hęc præſentis conſiderationis, tenditque in Deum & Chriſtum.

III. Fides Euangelica eſt adſenſus animi à Spiritu ſancto per Euangelium in peccatoribus & peccata per legem agnoſcentibus, deque iiſdem pœnitentibus productus, quo tum certò ſibi perſuaſum habent, Ieſum Chriſtum à Deo conſtitutum eſſe authorem ſalutis obtemperantibus ipſi, & ſuum quoque ſi in ipſum crediderint, tum in illum tanquam talem credunt, & per eum in Deum tanquam Patrem benevolum in ipſo, ad ſalutem credentium & gloriam Chriſti & Dei.

IV. Objectum fidei eſt tum Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, tum ipſe Chriſtus hic ab illo conſtitutus auctor ſalutis obedientibus ſibi.

V. Forma eſt adſenſus ipſi tali objecto adhibitus, qui non per diſcurſum ex principiis natura notis acquiſitus eſt: ſed ſupra naturæ ordinē

infuſus, qui tamen per quotidiana precum, mortificationis carnis, & bonorum operum exercitia confirmatur & augetur. Notitia eſt fidei antecedens: prius enim conſpicitur filius quàm credatur in illum. Fiducia autem conſequens: per fidem enim fiducia collocatur in Chriſtum, & per eum in Deum.

VI. Auctor fidei eſt Spiritus ſanctus quem Filius mittit à Patre tanquam Advocatum & Vicarium ſuum, qui ipſius cauſam in mundo & contra mundum agat. Inſtrumentum eſt Euangelium ſeu verbum fidei, continens ſenſum de Deo & Chriſto, quem Spiritus intellectui proponit & perſuadet.

VII. Subjectum in quo eſt animus, non tantum quatenus ille objectum hoc ut verum, ſed etiam ut bonum agnoſcit, quod vox Euangelii declarat: quare non modo ad intellectum theoreticum, ſed etiam ad adfectivum & practicum pertinet.

VIII. Subjectum cui, vel objectum circa quod eſt homo peccator & peccata agnoſcens & pænitens: eſt enim fides illa neceſſaria ad ſalutem credenti, at non neceſſaria non peccatori. Et propterea nemo niſi peccator Chriſtum pro Servatore ſuo agnoſcere poteſt. Eſt enim Salvator peccatorum. Finis quem nos noſtro bono intendimus eſt ſalus noſtra. At finis ſummus eſt gloria Dei per Ieſum Chriſtum.

COROLLARIVM.

An fides Patrum ſub pactis promiſſionis eadem fuit quoad ſubſtantiam attinet cum noſtra ſub N. T.? Affirm.

THESIS QVADRAGESIMA QVINTA, DE

Vnione fidelium cum Chriſto.

I.

CVm Chriſtus ſit conſtitutus à Patre ſalvator credentium, qui omnia bona ſua quæ à patre impetravit, & obedientia ſua & actu ipſo obtinuit, in cœlum ad dextram patris exaltatus fidelibus communicet: communicatio autem bonorum per communicationem eſſe nequeat niſi ubi præceſſit ordinata & apta inter eum qui communicat & quibus communicatur unio, hinc neceſſe eſt ut de ipsâ Chriſti nobiſcum unione primum agamus, utpote quæ & primum & immediatum effectum eſt fidei quâ in illum tanquam unicum ſalvatorem creditur.

II. Huius ipſius rei veritas unioniſque neceſſitas ſignificatur nominibus quibus Chriſtus relatione quadam ad fideles inſignitur; qualia ſunt capitis, ſponſi, fundamenti, vitis, & ſimilium. Vnde viciſſim fideles appellantur membra in corpore ipſius, quod eſt tota Eccleſia credentium, ſponſa Chriſti, lapides vivi ipſi inædificati, palmites ſive rami, quibus etiam vocibus arctiſſima inter Chriſtum & fideles unio ſignificatur.

III. Quam definire ſeu deſcribere poſſumus ſpiritualem eamque arctiſſimam, & propterea myſticè eſſen-

eſſentialem conjunctionem, quâ fideles ab ipſo Deo patre & Ieſu Chriſto per Spiritum Chriſti & Dei ipſi Chriſto immediatè, & per Chriſtum Deo connexi unum cum ipſo & cum patre fiunt, & omnium bonorum eius participes, ad ſuam ſalutem & Chriſti Deique gloriam.

IV. Auctor unionis & Deus pater, qui filium ſuum caput conſtituit Eccleſiæ, eumque Spiritu donavit citra menſuram, & filio ſuo adunat fideles: & Chriſtus qui à patre ſpiritum illum acceptum cum fidelibus communicat, ut illi per fidem adhærentes unus ſpiritus ſint. Adminiſtri ſunt Prophetæ, Apoſtoli & alii diſpenſatores myſteriorum Dei, qui Chriſtum fundamentum ponunt & ei ſponſam adducunt.

V. Partes uniendæ ſunt tum Chriſtus ipſe, quem Chriſtus conſtituit caput, ſponſum, fundamentum, vitem, &c: deditque ei omnem perfectionem cum poteſtate plenariâ & mandato eandem communicandi, tum homo peccator ideoque deſtitutus gloria Dei, attamen fidelis & Chriſtum pro ſalvatore agnoſcens.

VI. Vinculum unionis eſt tum ex parte credentium, tum ex parte Dei & Chriſti conſiderandum. Ex parte credentium, ipſa fides in Chriſtum & Deum, per quam datur Chriſtus habitare in cordibus noſtris. Ex parte Dei & Chriſti Spiritus utriuſque qui ex Chriſto ut capite conſtituto fluit in credentes, ut illos tanquam membra ipſi aduniat.

VII. Forma unionis eſt ipſa ordinata harmonica & ubique ſibi conſentiens per juncturas, ſecundum menſuram donorum Chriſti idoneé ſubminiſtratas, compactio & coagmentatio, quæ ſecundum varias ante allatas ſimilitudines appellatur variè: reſpectu capitis & membrorũ, incorporatio: fundamenti & domus illi ſuperſtructæ, inædificatio: ſponſi & ſponſæ, carnis & oſſium participatio, ſeu caro ex carne, os ex oſſibus Chriſti: vitis & palmitum, ſeu oleæ & ramorum, inſitio & implantatio.

VIII. Finis proximus & immediatus eſt communio partium inter ſe unitarum, quæ ipſa quoque effectum eſt conſequens ex unione iſtâ, ſed activè intellecta prout à Chriſto fluit; paſſivè verò prout in fideles influit, & ab illis recipitur: cuius rei cauſa eſt quod relatio ſit diſquiparantiæ, ubi fundamentum eſt Chriſtus omnia poſſidens & nullâ re indigens: Terminus fidelis omnium egens. Remotus eſt ſalus fidelium æterna, & gloria Dei & Chriſti.

IX. Cæterùm non modò bona ſua Chriſtus cum fidelibus ſibi unitis communicat, verum etiam propter iſtam arctiſſimam unionem æſtimat bona & mala quæ fidelibus inferuntur ſibi quoque fieri: unde commiſeratio erga ſuos & certum ſubſidium; ira verò in affligentes quæ manet ſuper illos niſi reſipiſcant; & beneficentia erga eos qui vel potum aquæ frigidæ alicui ſuorum in nomine ipſius dederint.

THESIS QVADRAGESIMA SEXTA,

De Communione fidelium cum Chriſto, & quidem cum morte illius.

 I. Vnio

I.

VNio fidelium cum Chriſto ad communionem cum eo tendit, quæ finem & fructum omnem unionis in ſe continet, & immediatè ex ipſa unione fluit.

II. Communio cum Chriſto eſt quâ fideles ipſi uniti omnia quæ ipſius ſunt cum eo habent communia, ſervata tamen diſtinctione quæ inter caput & membra eſt, inter eum qui communicat & qui participat, qui ſanctificat & qui ſanctificantur.

III. Communio illa ſecundum Scripturas bipartito conſideranda. Aut enim eſt communio mortis ipſius, aut vitæ. Chriſtus enim dupliciter ſic conſiderandus eſt, aut ſecundum ſtatum in corpore carnis ipſius quod crucifixum, mortuum, ſepultum eſt; aut ſecundum ſtatum glorioſum & novam vitam in quam reſuſcitatus eſt.

IV. Mortis communio eſt quâ ipſi complantati ſimilitudine mortis, ejus vim & omnia ex illâ promanantia beneficia participamus.

V. Complantatio illa eſt veteris hominis noſtri ſeu corporis peccati in & cum corpore carnis Chriſti crucifixio, mortificatio, & ſepelitio; quibus gradibus corpus carnis Chriſti eſt abolitum, quod etiam ſuo modo corpus peccati dici poteſt, quatenus Deus illum pro nobis peccatum fecit, eiq; peccata noſtra in corpore ipſius perferenda dedit ſuper ligno.

VI. Vis & efficacia mortis Chriſti conſiſtit in abolitione peccati & mortis, quin & legis, quæ chirographum adverſus nos eſt, & vis peccati quâ peccatum nos occidit.

VII. Beneficia quæ mortis Chriſti efficacia per communionem cum illa fidelibus contingunt ſunt hæc potiſſimum. Primum, Ablatio maledictionis quam per peccatum meriti eramus, quę includit aut adnexam habet reconciliationem noſtri cum Deo, redemptionem perpetuam, remiſſionem peccatorum, juſtificationem.

VIII. Secundum eſt liberatio à dominio & ſervitute peccati, ne peccatum amplius vires ſuas in crucifixo, mortuo, & ſepulto noſtro corpore peccati exerceat ad obtinendum deſideria ſua per obedientiam quam illi in corpore noſtro peccati ſecundum veterem hominem præſtare ſoliti ſumus.

IX. Tertium eſt, liberatio à lege tum quâ illa chirographum fuit adverſus nos, conſiſtens in inſtitutis ceremonialibus; tum qua rigidus exactor debiti noſtri, ac inutilis & inefficax propter carnem noſtram, & corpus peccati, ſecundum quod carnales eramus, quamquam ipſa ſpiritualis eſſet. Denique & qua peccatum malitia ſua & perverſitate lege ipſa abuſum eſt ad nos ſeducendos & occidendos.

THESIS QVADRAGESIMA SEPTIMA,

DE

Communione fidelium cum Chriſto quoad vitam illius.

I.

COmmunio cum vita Chriſti, eſt qua illi conformatione vitæ ipſius

ipſius inſiti, totam vitæ ipſius vim & omnia beneficia ex illa promanantia participamus.

II. Confirmatio noſtri cum vita Chriſti, eſt vel huius vel futuræ vitę. Huius vitæ, eſt reſuſcitatio in novam vitam, & noſtri in Chriſto capite in cœleſtibus collocatio quoad Spiritum. Futuræ vitæ, eſt reſuſcitatio noſtri in novam vitam ſecundum corpus, & in cœleſtibus collocatio quoad totum hominem.

III. Hinc conformitas noſtri cum Chriſto ſecundum eundem duplicem reſpectum; hic reſurrectio noſtri in vitam ſpiritualem, & converſatio in cœlis ſecundum ſpiritum: poſt hanc vitam reſurrectio corporum, eorumque cum Chriſti corpore glorioſo conformitas & fruitio cęleſtis beatitatis.

IV. Beneficia ex vita Chriſti promanantia partim in ſpacia huius vitæ incidunt, partim in futuræ vitæ tempora.

V. In ſpacia huius vitæ incidentia ſunt, adoptio noſtri in filios Dei & Spiritus ſancti communicatio: quæ communicatio tria in ſe complectitur beneficia particularia. Primo, Regenerationem noſtri per mentis illuminationem & cordis renovationem. Secundo, Perpetuam Spiritus ſancti aſſiſtentiam ad excitandum & cooperandum. Tertiò, Teſtificationem eiuſdem cum cordibus noſtris quod ſimus filii Dei, quo nomine Spiritus adoptionis dicitur.

VI. In ſpacia vitæ futuræ incidentia ſunt conſervatio à futura ira & vitæ æternæ datio, quanquam conſervatio illa ab ira videri poſſit continuata actio, hic cæpta & provecta, ſub tempus verò judicii extremi conſummata.

VII. Sub conſervatione ab ira non ineptè etiam comprehenditur continua juſtificatio à peccatis per interceſſionem Chriſti, qui in ſanguine ſuo eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & advocatus noſter apud Deum.

THESIS QUADRAGESIMA OCTAVA, DE Iuſtificatione.

I.

Beneficia ſpiritualia quæ fidelibus ex unione Chriſti per communionem mortis & vitæ ipſius in hac vita contingunt, commodè ad juſtificationis & ſanctificationis beneficium referri poteſt, utpote quibus duobus tota promiſſio novi fæderis comprehenditur, quo Deus promittit ſe peccata remiſſurum, & leges ſuas in cordibus fidelium fæderatorum ſuorum inſcripturum.

II. Iuſtificatio eſt actio Dei Iudicis juſta & gratioſa, qua de throno gratiæ & miſericordiæ hominem peccatorem ſed fidelem, propter Chriſtum Chriſtique obedientiam & juſtitiam à peccatis abſolvit, & juſtum cenſet, ad juſtificati ſalutem, & juſtitiæ gratiæque divinę gloriam.

III. Actionem Dei judicis eſſe dicimus, qui licet ut ſupremus legiſlator de lege ſua diſpenſare potuerit, & re ipſa diſpenſaverit, tamen non ex abſoluta infinitæ poteſtatis plenitudine diſpenſationem adminiſtravit,

ſtravit, verum inter juſtitiæ limites ſeſe continuit, quam duplici modo demonſtravit. Primo, quod nonniſi præeunte reconciliatione & ſatisfactione per Chriſtum in ſanguine ejus peracta; ſecundo, quod nonniſi peccata ſua agnoſcentes & in Chriſtum credentes juſtificare voluit.

I V. Gratioſam & miſericordem actionem dicimus non reſpectu Chriſti, ac ſi pater ex gratia contra ſtrictam & rigidam juſtitiam diſtincta Chriſti obedientiam acceptaſſet pro juſtitia, ſed noſtri reſpectu, tum quia Deus ex gratioſa miſericordia erga nos, Chriſtum pro nobis peccatum & nobis juſtitiam fecit, ut nos eſſemus Dei juſtitia in illo, tum quia in fide Euangelij communionem Chriſti, illumque per fidem propitiatorium poſuit.

V. Cauſſa meritoria juſtificationis eſt Chriſtus per obedientiam & juſtitiam ſuam, qui & propterea merito cauſa [illegible] dici poteſt: idemque Chriſtus in obedientia & juſtitia ſua eſt cauſſa juſtificationis noſtræ materialis, quatenus Deus Chriſtum nobis in juſtitiam dat, ejuſq; juſtitiam & obedientiam nobis imputat: cujus duplicis cauſſæ meritoriæ ſcilicet & materialis reſpectu, obedientia Chriſti juſti conſtitui dicimur.

V I. Objectum juſtificationis eſt homo peccator, talem ſe cum dolore agnoſcens, & fidelis, credens nempe in Deum qui juſtificat impium, & in Chriſtum traditum propter peccata noſtra, & reſuſcitatum propter juſtificationem noſtri, qua peccator juſtificatione ex gratia indiget, qua fidelis juſtificationem ex gratia obtinet.

V I I. Fides eſt cauſſa vel actio inſtrumentalis qua Chriſtum nobis in propitiationem & juſtitiam à Deo propoſitum apprehendimus, juxta præſcriptum & promiſſum Euangelij, quo dicitur, qui crediderit juſtificabitur & ſervabitur, qui non crediderit condemnabitur.

V I I I. Forma eſt ipſa gratioſa æſtimatio Dei, qua Chriſti juſtitiam nobis imputat, & fidem nobis in juſtitiam imputat, hoc eſt, peccata noſtra nobis fidelibus propter Chriſtum fide apprehenſum remittit, juſtoſque in illo cenſet; quæ æſtimatio junctam habet adoptionem in filios, & collationem juris in hæreditatem vitæ æternæ.

I X. Finis cujus gratia eſt juſtificati ſalus: actio enim illa pergitur bono ipſius hominis qui juſtificatur. Finis qui ex juſtificatione exiſtit citra ullum Dei juſtificantis commodum, eſt juſtitiæ & gratiæ divinæ glorioſa demonſtratio.

X. Effecta juſtificationis hujus excellentiſſima ſunt pax cum Deo, & conſcientiæ tranquillitas, gloriatio ſub ſpe gloriæ Dei in afflictionibus, & in Deo ipſo, certaque vitæ æternæ expectatio.

X I. Sigillum juſtificationis externum eſt baptiſmus, internum eſt Spiritus Sanctus, una cum corde noſtro teſtificans nos eſſe filios Dei, & clamans in cordibus noſtris *abba pater*.

X I I. Hanc vero juſtificationem conſiderare habemus, tum circa initium converſionis, quandò omnia peccata antecedentia condonantur, tum per totam vitam, propterea quod Deus pollicitus eſt remiſſionem *peccatorum fidelibus, fœderatis ſuis quoties* reſipiſcũt, & vera fide ad Chriſtum propitiatorem & expiatorem confu-

confugiunt: finis verò & complementum erit ſub exitum vitæ, quum miſericordiam ſuam ab omnibus per totam vitam perpetratis peccatis abſolventem invenire dabit vitam in ſide Chriſti ſinentibus, declaratio verò & manifeſtatio erit in futuro judicio univerſali.

XIII. Contraria juſtificationi eſt condemnatio, & contrarietate immediata, ſic ut inter duo illa nullum medium excogitari poſſit.

COROLLARIA.

I. Fidem & opera ad iuſtificationem concurrere eſt impoſſibile.

II. Fidem non rectè dici cauſſam formalem iuſtificationis, & quando iſto nomine à nonnullis noſtræ profeſſionis Doctoribus appellatur, tum formalis cauſſa abuſivè ab illis dicitur.

III. Chriſtum non eſſe promeritum ut fidei dignitate & merito iuſtificemur, multo minus ut operum merito iuſtificemur, quia meritum Chriſti iuſtificationi ex operibus adverſatur, fidesque & meritum in Scripturis opponuntur.

THESIS QVADRAGESIMA NONA, DE Sanctificatione hominis.

I.

SAnctificationis vox notat actum quo aliquid ab uſu communi ſeparatur, & uſui divino conſecratur.

II. Vſus communis, de cujus ſanctificatione agimus, eſt vel ſecundum naturam ipſam, qua animalem vitam vivit homo, vel ſecundum corruptionem peccati, qua peccato vivit, eique obedit in concupiſcentijs ipſius. Vſus divinus eſt cum homo ſecundum Deum vivit in conformitate ſanctitatis & juſtitię in qua conditus eſt.

III. Hæc ergo ſanctificatio reſpectu termini à quo eſt vel ab uſu naturali, vel ab uſu peccati: terminus ejus ad quem eſt uſus ſupernaturalis & divinus.

IV. Quum verò de homine peccatore agitur, tunc ſanctificatio definitur, quod ſit actus gratioſus Dei quo hominem peccatorem, ſed fidelem, repurgat ab ignorantiæ tenebris, à peccato inhabitante & concupiſcentia ejus, & Spiritu ſcientiæ, juſtitiæ & ſanctitatis imbuit, ut à vita mundi ſeparatus, & conformis Deo factus, vitam Dei vivat ad laudem juſtitiæ & glorioſæ gratiæ Dei, & ſalutem ipſius.

V. Hæc ergo ſanctificatio in duobus iſtis conſiſtit, in mortificatione veteris hominis, qui ſecundum deſideria corruptus, & Vivificatione novi hominis, qui ſecundum Deum conditus eſt in juſtitia & ſanctimonia veritatis.

VI. Sanctificationis auctor eſt Deus pater ſanctus ipſe, in filio ſuo, qui ſanctus eſt ſanctorum, per Spiritum ſanctificationis. Inſtrumentum externum eſt verbum Dei internum fides verbo prædicationis præſtita: non enim ſanctificat verbum qua prędicatum tantum, niſi accedat fides qua purificantur corda.

VII. Objectum ſanctificationis eſt homo peccator, ſed fidelis: peccator, quia per peccatum contaminatus & vitæ peccati addictus ineptus eſt ad ſerviendum Deo vivo: fidelis,

fidelis, quia per fidem in Chriſtum Chriſto, in quo ſanctitas noſtra eſt fundata, unitus, illique conformatione mortis & reſurrectionis ejus complantatus & junctus eſt: unde peccato moritur, & ad novam vitam excitatur.

VIII. Subjectum eſt propriè anima hominis, & primo mens quę illuminatur, depulſis ignorantiæ tenebris: inde affectus ſeu voluntas, qua à dominio peccati inhabitantis liberatur, & Spiritu ſanctitatis perfunditur. Corpus neque quoad eſſentiam, neque quoad qualitates internas mutatur: ſed cum ſit pars hominis Deo conſecrati & inſtrumentum animæ conjunctum, ab anima ſanctificata inhabitante peccati uſibus ademptum ſervitio Dei adhibetur, ut integer noſter ſpiritus, anima, & corpus inculpatè in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſervetur.

IX. Forma eſt in ipſa repurgatione à peccato, & conformatione cum Deo in corpore Chriſti per ſpiritum ipſius.

X. Finis eſt ut homo fidelis Deo conſecratus in Sacerdotem & Regem, illi ſerviat in novitate vitæ, ad nominis divini gloriam & ſalutem ipſius.

XI. Quemadmodum in V. T. ſacerdotes ad cultum Deo præſtandum acceſſuri ſanguine adſpergi ſolebant: ita & ſanguinis Ieſu Chriſti, qui ſanguis eſt N. T. huic rei ſervit, nobis ſcilicet ab ipſo conſtitutis ſacerdotibus adſpergendis ad ſerviendum Deo vivo. Quo reſpectu adſperſio ſanguinis Chriſti, quæ præcipuè ſervit peccatis expiandis, & juſtificationis cauſſa eſt, etiam ad ſanctificationem pertinet. Illic enim ſervit adſperſio peccatis perpetratis abluendis, hic hominibus remiſſionem peccatorum adeptis ſanctificandis, ut porro cultum Deo & ſacrificia per Chriſtum offerre poſſint.

XII. Illa ſanctificatio uno momento non perficitur, ſed peccatum à cujus dominio per crucem & mortem Chriſti liberati ſumus, per quotidiana detrimenta magis ac magis enervatur, & interior homo renovatur indies magis magiſque, dum mortificationem Chriſti in corpore noſtro circumferimus, & externus homo corrumpitur.

COROLLARIUM.

An & quomodo mors corporis ſanctificationis perfectionem & complementum adferat, diſquiri permittimus.

THESIS QUINQUAGESIMA, DE

Eccleſia Dei & Chriſti: ſeu de Eccleſiæ poſt lapſum in genere.

I.

CUm per fidem, quę prima eſt officij noſtri erga Deum & Chriſtum pars, ex unione & communione Chriſti beneficia juſtificationis & ſanctificationis obtinuerimus, per quæ beneficia tum ex filijs iræ & ſervis peccati filij Dei & ſervi juſtitiæ conſtituti ſumus, unde & fas eſt ut parenti noſtro & Domino obedientiam & cultum præſtemus: tum potentiam & fiduciam

nacti

nacti ſumus obedientiam & cultum iſtum præſtandi, ſequeretur jam ut de obedientia & cultu tanquam altera parte officij noſtri ageremus.

II. Verum cum multi ſint qui per iſta beneficia filij & ſervi Dei facti ſunt, qui inter ſe per eandem fidem & Spiritum Chriſti uniti ſunt tanquam membra in uno corpore, quod Eccleſia dicitur, cujus ſæpè in Scripturis mentio fit: Videtur de hac Eccleſia primitus agendum, utpote quæ à fide iſta ortum ducens, omnes illos complectitur quibus cultus Deo & Chriſto præſtandus præſcribitur.

III. Deinde cum Deo viſum fuerit certa ſigna inſtituere, quibus tum communio fidelium cum Chriſto & inter ipſos, & participatio beneficiorum iſtorum; tum illorum viciſſim erga Deum & Chriſtum officium gratitudinis obſignetur: videbitur & de iſtis ſignis agendum fore antequam ad ipſum cultum Deo & Chriſto debitum progrediamur. Et quidem de Eccleſia primo.

IV. Quæ vox notat univerſe cætum evocatorum, non tantum actum & juſſum evocantis, ſed & obſequium reſpondentium vocationi, ſic ut apoteleſma ipſius actus ea voce concludatur.

V. Definitur autem cętus evocatorum è ſtatu vitæ animalis & peccati à Deo & Chriſto, per verbum & Spiritum utriuſque, ad vitam ſupernaturalem ſecundum Deum & Chriſtum in agnitione & cultu utriuſq; vivendum, ut utriuſque participatione æternum beati ſint, ad gloriam Dei per Chriſtum, & Chriſti in Deo.

VI. Cauſſa efficiens iſtius evocationis eſt Deus pater in filio ſuo Ieſu Chriſto, & Chriſtus ipſe per Spiritum tum Patris, tum Filij qua Mediator eſt & caput Eccleſiæ, ſanctificans & regenerans Eccleſiam ad novam vitam. Cauſſa impulſiva eſt gratioſum beneplacitum Dei Patris in Chriſto, & Chriſti amor erga illos quos ſibi ſanguine ſuo acquiſivit.

VII. Cauſſa exſecutrix gratioſi iſtius beneplaciti Dei in Chriſto, quæ & hoc reſpectu ſecundum diſpenſationem adminiſtra dici poteſt, eſt ſpiritus Dei & Chriſti per verbum Dei & Chriſti quo foris poſtulat vitam ſecundum Deum & Chriſtum, addi à promiſſione præmii & comminatione pœnæ; & intus mentem illuminat in notitiam iſtius vitæ, & nos afficit amore & deſiderio iſtius vitæ, totique homini vim & potentiam tribuit vitam iſtam vivendi.

VIII. Materia circa quam ſive objectum vocationis ſunt homines animales & peccatores, qui ſecundum naturam quidem capaces ſunt inſtructionis à ſpiritu per verbum accipiendæ, at ſecundum vitam hujus mundi & ſtatum peccati, obtenebrati mente & ab alienati à vita Dei; qui ſtatus poſtulat ut à prædicatione legis qua illa peccatum arguit & de peccato convincit initium prędicationis fiat, & ſic ad prædicationem gratioſi Euangelii progreſſus fiat.

IX. Forma Eccleſiæ ſita eſt in mutua Dei Chriſtique vocantis, & Eccleſiæ illi obedientis relatione, ſecundum quam Deus in Chriſto per ſpiritum utriuſque illi vitam ſupernaturalem ſenſum & motum influit, illa viciſſim vivificata & ſenſu motuque affecta vivere & incedere

ſecundum Deum incipit, & in expectatione promiſſorum bonorum.

X. Finis evocationis illius eſt, qui & Eccleſiæ ſummum bonum continet, beatitudo ex unione Dei in Chriſto perfecta & conſummata: unde reſultat gloria Dei Eccleſiam unientis ſibi & beatificantis, quæ ipſo unitionis & beatificationis actu declaratur, & porrò gloria eiuſdem Dei quum illi laus, honor, & gloria canitur ab Eccleſia in ſecula ſeculorum.

XI. Ex actu evocationis illius & forma Eccleſiæ inde exiſtente, apparet inter homines ſeu cætum qua homines ſunt, & qua evocati & vocationi obſecundantes diſtinguendum eſſe; adeoque diſtinguendum ut cætus cui nomen Eccleſiæ aliquando competebat, ita deficere poſſit ab iſto obſequio, ut Eccleſiæ nomen amittat, Deo candelabrum ſuum auferente, & libellum repudii immorigeræ & adulteræ uxori mittente. unde conſtat vanam eſſe gloriationem pontificiorum de eo quod Eccleſia Romana errare non poſſit & deficere.

THESIS QVINQVAGESIMA PRIMA,

DE

Eccleſia V. T. ſeu ſub promiſſione.

I.

Qvum Ieſus Chriſtus ſit heri, hodie, idem & in ſecula, & imus angularis lapis, cui Eccleſia tum à Prophetis tum ab Apoſtolis ædificata eſt ſuperſtructa, caputq; omnium qui ſalutis erunt participes: tota Eccleſia iſto ſenſu Chriſtiana dici poteſt: quanquam iſto nomine peculiariter veniat Eccleſia quæ poſt ipſius actualem in cælos aſcenſum colligi cœpit.

II. Quanquam autem una ſit Eccleſia reſpectu fundamenti ipſius, & eorum quæ ſubſtantiam ipſam concernunt, tamen quia Deo viſum eſt diverſimodè illam adminiſtrare, ratione illius poteſt diſtingui Eccleſia quàm commodiſſimè in Eccleſiam quæ temporibus V.T. fuit ante Chriſtum, & in eam quæ temporibus N.T. & poſt Chriſtum exhibitum.

III. Eccleſia ante adventum Chriſti ſub diſpenſatione V. T. eſt, quæ per verbum promiſſionis de ſemine mulieris & ſemine Abrahami, & de Meſſiâ venturo, ex ſtatu peccati & miſeriæ evocata eſt ad participationem juſtitiæ fidei & ſalutis, & fidem iſti promiſſioni habitam, & per verbum legis ad cultum Deo in fiducia miſericordiæ in hoc ſemine benedicto & Meſſia promiſſo obtinendæ præſtandum, infantili ipſius Eccleſiæ ætati convenienter.

IV. Verbum promiſſionis principio generaliſſimè, & obſcurius, procedentibus verò ſeculis ſpecialius & diſtinctius propoſitum eſt, eoque magis quo tempora adventus Meſſiæ in carne propinquiora fuerunt.

V. Lex quæ iſti vocationi ſervivit, fuit tum moralis tum ceremonialis (forenſis enim hic in conſiderationem non venit) & utraque tum qua vivâ voce tradita, tum qua per Moſen ſcripto comprehenſa & propoſita, quo poſteriore reſpectu de ea potiſſimum agitur in Scripturis tum V. tum N. Teſtam.

VI. Lex moralis iſti officio ſervit duplici modo, primo neceſſitatem gratioſæ promiſſionis demonſtrando, quod facit de peccatis adverſus legem, & de infirmitate præſtandi legem convincendo: cui fini rigidè & ſtrictè propoſita eſt & ut ſic propoſita conſideratur, juxta id, qui fecerit ea vivet: &, maledictus omnis qui non manſerit in omnibus. Secundo ἐπιεικῶς obſervationem eius à fœderatis promiſſionis poſtulando.

VII. Ceremonialis, quanquam ipſius obſervatio Deo per ſe & propter ſe grata non ſit, tamen duplici nomine obſervanda præſcripta eſt, tum ut de reatu peccatorum & maledictione convinceret, & ſic gratioſæ promiſſionis neceſſitatem declararet; tum ut ſub ſpe promiſſionis per typicam rerum futurarum præſignificationem confirmata fideles contineret: Iſto reſpectu peccatorum, hoc verò gratiæ & remiſſionis ſignaculum fuit.

VIII. Conſideranda itaque eſt Eccleſia iſtius temporis tum qua heres dicitur, tum quâ infans, vel ſecundum ipſam ſubſtantiam ſui, vel ſecundum tempori iſti convenientem diſpoſitionem & œconomiam. Secundum illum reſpectum fuit ſub promiſſione ſeu fœdere promiſſionis, ſecundum hunc ſub lege & ſub V. T. quo reſpectu populus ille ſervilis dicitur, & hæres infans non differens à ſervo, quemadmodum reſpectu promiſſionis populus liber ex libera natus, & ſecundum Iſaac recenſitus in ſemine, cui facta eſt promiſſio.

IX. Secundum promiſſionem eſt populus ſpontaneus, ſecundum V. T. populus carnalis: ſecundum illum reſpectum ſpiritualium & cœleſtium bonorum hæres; ſecundum iſtum ſpiritualium & terrenorum præſertim terræ Canaan & bonorum eius: ſecundum illum reſpectum Spiritu adoptionis donatus fuit, ſecundum hunc Spiritum habuit ſervitutis contemperatum durante promiſſione.

X. Horum reſpectuum aperta conſideratio, fœderiſque promiſſionis & legis ſeu V. T. commoda collatio & oppoſitio, plurimorum in Scriptura locorum interpretationi ſervit, qui alioquin difficilius imò verò vix explicari poſſunt.

COROLLARIA.

I. Quia V. T. abrogari debuit, propterea non ſanguine Teſtatoris aut Mediatoris, ſed animalium brutorum fuit confirmandum.

II. V. T. in Scripturis numquam pro fœdere gratiæ uſurpatur.

III. Confuſio promiſſionis & Vet. Teſt. in Theologia Chriſtiana obſcuritatem parit, & non unius erroris cauſſa eſt.

THESIS QVINQVAGESIMA SECVNDA,

DE

Eccleſia N. Teſt. ſeu ſub Euangelio.

I.

Eccleſia N. T. eſt, quum à confirmato per ſanguinem Chriſti Mediatoris N. T. ſeu ab eiuſdem in cœlos adſcenſu, ex ſtatu peccati per

verbum Euangelii planè manifeſtati, & Spiritum Chriſti ætatis adultæ hæredibus convenientem, evocari cœpit ad participationem juſtitiæ fidei, & ſalutis per fidem Euangelio habitam, & ad cultum Deo Chriſtoque præſtandum in unitate Spiritus eiuſdem, & porrò evocabitur eodem modo ad finem uſque mundi, ad laudem glorioſæ Dei & Chriſti gratiæ.

II. Cauſa efficiens eſt Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui jam ſe planiſſimè Iehovam & Patrem D. N. I. C. manifeſtavit, & ipſe Chriſtus ad dextram Patris evectus, & plena poteſtate in cœlo & in terrâ, quin & verbo Euangelii & Spiritu S. citra menſuram donatus. cauſa προηγουμένη eſt gratia & miſericordia Dei Patris & Chriſti, ipſaque Dei juſtitia, cui jam in Ieſu Chriſto pleniſſimè ex beneplacito Patris eſt ſatisfactum, & quæ clarè in Euangelio eſt manifeſtata.

III. Spiritus Chriſti eſt cauſa ſecundum œconomiam miniſtra, quatenus Vicarius Chriſti eſt, & de eo quod Chriſti eſt accipit, ad Chriſtum glorificandum per evocationem iſtam in Eccleſia ipſius; cum plenâ tantum poteſtate adminiſtrandi omnia prout vult. Qui utitur verbo Euangelii poſito in ore ſervorum ſuorũ immediatè vocationem ipſam peragente, & verbo legis ſive ſcriptæ ſive mentibus inſitæ: Euangelio tum antecedenter ut locus illi fiat, tum conſequenter ubi fide receptum eſt ſerviente.

IV. Evocationis iſtius objectum ſunt non modo Iudæi, ſed & Gentiles, ablato per Chriſti carnem & ſanguinem pariete intergerino qui Gentes à Iudæis diſtinguebat antea, id eſt, citra diſcrimen omnes homines communiter, & promiſcuè, verum peccatores reipſa exiſtentes, ſive ſe tales agnoſcant quibus prædicatio Euangelii ſtatim exhibetur, ſive ad agnitionem peccatorum ſint adducendi.

V. Hæc Eccleſia propterea quod adulta eſt, & propterea tutore & curatore non indiget, libera eſt à ſervitute legis œconomicâ, & regitur Spiritu plenæ libertatis nullo modo Spiritu ſervitutis contemperato, & propterea libera eſt ab uſu legis ceremonialis, quatenus illa obſignandis peccatis ſerviebat, & Chirographum erat adverſus nos.

VI. Eadem quoque revelatâ facie gloriam Domini velut in ſpeculo intuetur, ipſamque habet rerum cæleſtium expreſſam imaginem, & Chriſtum imaginem invisibilis Dei, characterem hypoſtaſeos Patris & ſplendorem gloriæ eius, ipſumque corpus futurorum quod Chriſti eſt; & propterea non indiget lege umbram habente futurorum bonorum: quâ de cauſa ab eadem lege ceremoniali, quâ typicè Chriſtum & bona futura præfigurabat, libera eſt.

VII. Eccleſia N. T. nullam omninò quoad verbum ipſum ſeu Spiritum toto ſuo decurſu mutationem ſenſit, ſentit, aut ſentiet uſque ad finem huius mundi: extremis enim temporibus loquutus eſt nobis in Filio, & per illos qui ipſum audiverunt.

VIII. Hec eadem Eccleſia peculiari ſenſu & diſtincto contra Eccleſiam quæ fuit ſub V. T. Catholica dicitur, quatenus per univerſum orbem terrarum diffuſa eſt; & omnes omninò nationes, tribus, populos, lin-

linguas complexa eſt ambitu ſuo: quam univerſalitatem Iudæorum plærorumque rejectio non impedit, cum & ipſi aliquando magno numero & velut agmine facto ad eandem ſint acceſſuri.

IX. Eccleſiæ quatenus fuit à temporibus Iohannis uſq; ad Chriſti in cælos adſcenſum, ſtatum, inconſiſtentem & velut inter medium inter promiſſionis & Euangelii, ſeu V. & N.T. ſtatum non malè aut incommode appellare poſſumus.

X. Quâ de causâ Iohannis Miniſterium utrique tum Prophetarum tum Apoſtolorum Miniſterio interponimus, tum neutri planè & omnimodò conformem: unde & major dicitur Propheta, & minor minimo in regno Dei.

COROLLARIUM.

Iohannis baptiſma hucuſque cum Chriſti baptiſmate unum fuiſſe ut ille reſtaurari non debuerit.

THESIS QVINQVAGESIMATERTIA,

DE

Eccleſiæ Capite & Notis.

I.

QVanquam caput & corpus unius naturæ ſint, & ſecundum naturam unum propriè ὑφιστάμενον conſtituant, tamen is qui ſecundum naturam Eccleſiæ caput eſt, cum eâ naturæ communionem habere non poteſt, eſt enim creatura eius.

II. Sed viſum eſt Deo, qui & caput Eccleſiæ eſt ſecundum naturam, & creator illius, Eccleſiæ dare caput filium Ieſum Chriſtum hominem factum, per quem etiam Eccleſiam condere voluit, novam ſcilicet creaturam, ut arctior inter Eccleſiam & caput ipſius eſſet unio, & liberior fidentiæque communicatio.

III. Capitis autem Eccleſiæ ad ipſam triplex eſt reſpectus. I. Vt caput omnia in ſe perfectiſſimè contineat, quæ ad vitam & ſalutem eius ſunt neceſſaria & ſufficientia. II. Vt Eccleſię, ſuo corpori aptè ſit adunitum per commiſſuras & compages Spiritus & fidei. III. Vt caput perfectionis ſuæ virtutem illi influere poſſit, & illa eandem ab illo accipere ſecundum ordinem præordinationis & ſubordinationis aptè ſibi juxta utriuſque differentiam reſpondentis.

IV. Hęc autem tria ſoli Chriſto competunt, imò verò nullum illorum trium eſt, quod ulli perſonæ vel rei præterquam Chriſto convenit: quare ille ſolus eſt caput Eccleſiæ, cui Eccleſia immediatè ſecundum internam & ipſiſſimam eſſentiam cohæret.

V. Nemo verò illi ſecundum iſtum reſpectum vicarius eſſe poteſt: non Petrus Apoſtolus, non Pontifex aliquis Romanus, imò verò ne quidem ſecundum externam adminiſtrationem Eccleſiæ quempiam inter homines vicarium habere poteſt, & quod amplius eſt, non Miniſtrum univerſalem qui vicarii nomine minor ſit.

VI. Non tamen diffitemur illos qui

qui ab illo capite Miniſtri conſtituti ſunt, functiones illas obire quæ ad munia capitis pertinent; propterea, quod ipſi viſum ſit mediante hominum opera Eccleſiam ſuam ſibi congregare, eamque gubernare.

VII. Hæc verò Eccleſia nulli quam capiti ſuo ſecundum internam eſſentiam nota, etiàm aliis innoteſcit per ſigna & indicia quæ originem ſuam ex ipſiſſima ejus interna eſſentia habent, ſiquidem vera non fucata ſint & ſpecie fallentia.

VIII. Signa hæc ſunt fidei veræ profeſſio, & vitæ ſecundum Spiritus præſcriptum, & inſtinctum inſtitutio quod ad externas actiones attinet, de quibus ſolis judicare poſſunt homines.

IX. Haſce notas dicimus eſſe Eccleſiæ extrinſecus bene habentis: At fieri poteſt ut ſola fidei profeſſio per publicam verbi prædicationem & auditum, per Sacramentorum adminiſtrationem & uſurpationem, per preces & gratiarum actiones in ea obtineat, & vita ipſa tota à profeſſione degeneret, & deniq; Chriſtum, quem ſcire verbo profitetur, factis neget; quo caſu non deſinit eſſe Eccleſia quantiſper Deo & Chriſto viſum eſt illam eiuſque mores tolerare, eique libellum repudii non mittere.

X. Accidit verò ut & in ipſa profeſſione falſa veris incipiat admiſcere, & Iehovam ſimul & Bahalim colere: tunc ſanè eius conditio peſſima & proxima excidio, & iubentur omnes qui illi adhærent eam deſerere, hucuſque ſaltem ne abominationum eius participes fiant, ſeque inquinamentis idololatriæ contaminent, imò verò matrem ſuam accuſare quòd meretrix ſit, & mariti fœdus violaverit.

XI. In qua defectione non illi qui deſerunt, ſed quæ juſtè deſeritur cauſa diſſidii eſt, quia ipſa prior à Deo & Chriſto defecit, cui omnes fideles & quemque particulariter adhærere individuo nexu neceſſe eſt.

XII. Pontifex Romanus Eccleſiæ caput non eſt, & quia ſe caput Eccleſiæ jactat eo ipſo nomen Antichriſti illi merito competit.

XIII. Notæ Eccleſię quas Pontificii venditant, antiquitas, univerſitas, durati , amplitudo, ſucceſſio doctorum non interrupta, conſpiratio in doctrina, præter haſce quas poſuimus confutæ ſunt, quia accommodantur præſenti ſtatui Eccleſiæ Romanæ.

THESIS QVINQVAGESIMA QVARTA, DE

Eccleſia Catholica, eius partibus & reſpectibus.

I.

ECcleſia Catholica eſt cætus fidelium univerſorum, ex omni lingua, tribu, populo, natione & vocatione evocatorum: qui vocatione Dei ſalutari ex ſtatu corruptionis in dignitatem filiorum Dei per verbum fœderis gratuiti vocati, & Chriſto tanquam viva membra capiti per veram fidem inſiti fuerunt, ſunt & erunt ad laudem glorioſæ gratiæ Dei. Vnde

Vnde apparet Eccleſiam Catholicam nulla re ad ſubſtantiam Eccleſiæ pertinente differre à particularibus, ſed ſola tantum amplitudine.

II. Quemadmodum autem ratione materię (quæ omnes complectitur qui unquam vocationis ſalutaris participes, & in familiam Dei adſciti fuerunt, ſunt, erunt) Catholica dicitur Eccleſia: ſic à forma (quæ conſiſtit in mutua relatione Eccleſię Chriſtum tanquam caput ſuum & ſponſum fide complectentis, & Chriſti Eccleſiam ſibi tanquam corpus & ſponſam ita arctè unientis per Spiritum ſuum, ut ipſius Chriſti vitâ vivat Eccleſia, & particeps eius omniumque eius bonorum fiat) Eccleſia dicitur una & ſancta.

III. Vna, quod ſub uno Deo & Patre qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, velut unum corpus, uni capiti Chriſto Domino per unum Spiritum ſit adunata per unam fidem eodem verbo habitam eandem ſpem hæreditatis eiuſdem, mutuamque charitatem coagmentata ſit in templum ſanctum & habitaculum Dei in Spiritum. Quare tota hæc unitas Spiritualis eſt, quanquam qui adunati ſunt partim corpore, partim Spiritu conſtent.

IV. Sancta, eo quod beneficio Sancti ſanctorum ex mundo immundo ſit ſegregata, ſanguine eius à peccatis lota, Dei præſentia & gratioſa inhabitatione decorata, denique per Spiritus ſancti ſanctificationem vera ſanctitate ornata.

V. Cæterum Eccleſia hæc, licet unum ſit, ſecundum actus tamen Dei erga eandem, quatenus vel omnes vel aliquos percepit, diſtinguitur. Quæ percepit creationis ſuæ & conſervationis actum tantum, in via eſſe dicitur, & militaris appellatur; utpote cui adhuc ſit cum peccato, carne, mundo, & Satana confligendum. Quæ inſuper conſummationis particeps facta, & in patria eſſe dicitur ea triumphans nuncupatur, quæ devictis hoſtibus quieſcit à laboribus ſuis, quæque cum Chriſto regnat in cælis. Huic parti militanti in terris etiam titulus Catholicæ attribuitur, quatenus omnes particulares militantes ſuo ambitu complectitur.

VI. Diſtribuitur autem Catholica ſecundum partes ipſius in multas particulares Eccleſias, ſiquidem illa multis cœtibus conſtet ſecundum locum diſſitis & diſtinctis. Illæ autem particulares Eccleſiæ, ut nomen Eccleſiæ habent, ita quoque rem nomine ſignificatam & integram definitionem habent, ſimilarium partium inſtar, quæ totius nomen & definitionem participant, & ſola tantum univerſitate Catholica differt à ſingulis particularibus, nulla prorſus alia re quæ ad eſſentiam Eccleſiæ pertinet. Vnde facile intelligitur quomodo intelligi queat, cum particulares Eccleſiæ ſingulæ errarę queant, tamen Catholica errare non poſſit; hoc nempe ſenſu, quod nunquam ſit futurum tempus quo non ſint futuri aliqui fideles qui in fundamento Religionis non errent. Verum ex hac interpretatione apparet, ex eo quod Catholica dicitur iſto ſenſu ab errore immunis eſſe, concludi non poſſe, ullum cætum, quantumvis magnum, errore exemptum eſſe, niſi ſit in illo unus vel plures qui ita ducti ſint in omnem veritatem ut errare nequeant.

 VII. Hinc

VII. Hinc cum evocatio Eccleſiæ fiat intus per Spiritum, foris per verbum enuntiatum, & vocati intus reſpondeant fide, foris profeſſione fidei, prout qui vocantur internum & externum hominem habent: hinc Eccleſia ratione eorundem vocatorum, diſtinguitur in viſibilem & inviſibilem, ab adjuncto externo accidente: inviſibilem qua credit corde ad juſtitiam, viſibilem qua confitetur ore ad ſalutem. Et hæc viſibilitas aut inviſibilitas non magis aut minus toti Eccleſiæ Catholicæ, quam ſingulis particularibus Eccleſiis convenit.

VIII. Deinde quum Eccleſia ex hoc mundo, qui totus in malo ſitus eſt colligatur, & ſæpe per adminiſtros qui præter verbum Dei etiam aliud verbum annuntiant, quumque illa conſtet ex hominibus deceptioni & lapſui obnoxiis, quin etiam ex deceptis & ex lapſis: hinc Eccleſia diſtinguitur reſpectu doctrinæ fidei in orthodoxam & hæreticam, reſpectu cultus divini in idololatricam, & Deum Chriſtumque eius rectè colentem: reſpectu morum ſecunda legis tabula præſcriptorum in puriorem vel impuriorem; ubi etiam gradus ſunt animadvertendi ſecundum quos una magis eſt hæretica, idololatrica, impura quàm altera: de quibus omnibus rectum ſecundum Scripturas judicium eſt ferendum. Sic quoque Catholicæ vox uſurpatur de iis Eccleſiis quæ nec hæreſi exitiali laborant, neque idololatricæ ſunt.

THESIS QVINQVAGESIMA QVINTA, DE

Poteſtate Eccleſiæ in dogmatis tradendis.

I.

Eccleſiæ poteſtas ſecundum varia objecta conſiderari poteſt variè. Verſatur enim vel circa dogmata tradenda, vel circa leges ferendas, vel circa conventus agendos, vel circa Miniſtros inſtituendos, vel denique circa juriſdictionem.

II. Eccleſiæ (ſive illa universè conſideretur, ſive ſecundum partes) poteſtas in dogmatis inſtituendis, vel primum tradendis nullá prorſus eſt. Eſt enim ſponſa Chriſti, & propterea vocem ſponſi ſui audire tenetur non ipſa ſibi normam volendi, credendi, faciendi, ſperandi, præſcribere poteſt.

III. Tota verò eius circa dogmata poteſtas eſt in traditorum à Deo Chriſtoque diſpenſatione & adminiſtratione, quam neceſſariò præcedit dogmatum divinorum humilis & pia acceptio, quæ efficit ut nomen ſemel acceptum meritò conſervit.

IV. Quemadmodum acceptatio & cuſtodia dogmatum vel ſecundum verba, vel ſecundum rectum ſenſum conſiderari poteſt, ita etiam acceptorum & cuſtoditorum dogmatum traditio vel ſecundum verba eſt, vel ſecundum rectum ſenſum diſtinguenda.

V. Se-

V. Secundum verba traditio eſt, quando ipſiſſima verba quæ accepit ſive ſcripto ſive viva voce à Deo tradita, ſine alia additione, diminutione, mutatione, tranſpoſitione profert, ſive ex archivis ubi ſcripta divina recondidit, ſive ex ſua memoria qua viva voce tradita cum cura fideliter conſervavit: ſanctè teſtificans illa ipſa eſſe quæ accepit divinitus pura & ſyncera, & vel ipſa morte teſtificationem iſtam confirmare parata, quantum varietas exemplarium in ipſis originalibus linguis tranſlatori in alias linguas permittit, quæ tamen fundamentum euſque non concernit, ut de eo propter iſtam varietatem dubitari poſſit.

VI. Traditio ſecundum ſenſum eſt dogmatum verbis divinis propoſitorum & comprehenſorum latior explicatio & applicatio, in qua ſe intra verbi ipſius traditi terminos continere debet, nullam particularem dogmatis vel loci interpretationem proferens quæ toti fundamento non innitatur, & ex aliis locis comprobari nequeant: quod cavebit diligentiſſime ſi quam maximè ipſius verbi traditi vocibus inhæreat, & quantum fieri poteſt ab exoticis vocibus abſtineat.

VII. Huic poteſtati adnexum eſt jus dogmata à quovis Spiritu propoſita examinandi & dijudicandi, ubi etiam normam verbi quod certo conſtat divinum eſſe, & ut tale receptum eſt uſurpabit, & quidem ſolius, ſi examen & judicium rectè facere velit, & ab errore immunis eſſe. Si tamen qualiacunque ſcripta humana pro regula uſurpaverit non erit ei lux matutina & propterea in tenebris palpabit.

VIII. Cavere autem Eccleſia debet tum ne verba ſibi divinitus tradita à quopiam abſcondat, eorumve lectione aut meditatione cuipiam interdicat: tum ne cum ſuis verbis dogmata divina certis de cauſis enuntiat, quempiam ad illorum ſuſceptionem vel approbationem compellat, niſi ſub hac conditione quatenus ſenſui divinis verbis comprehenſo conſentanea ſunt: Denique ne quempiam prohibeat dogmata verbis Eccleſiæ propoſita legitimè examinare volentem. Quicquid enim horum fecerit arrogatæ ſibi, & præter fas jus & equum uſurpatę poteſtatis crimen effugere non poterit.

COROLLARIVM.

Commentum eſt Pontificiorum de Spiritu ſancto ſic aſſiſtente Eccleſia ut in judicio de authenticis ſcriptis faciendo, & recta ſenſuum divinorum interpretatione errare non poſſit.

THESIS QVINQVAGESIMASEXTA, DE

Poteſtate Eccleſiæ in legibus ferendis.

I.

LEges quæ Eccleſiæ pręſcribi poſſunt, aut ut præſcriptæ conſiderari poſſunt duplices ſunt, notabili diſcrimine & doctrina inſigni inter ſe diſcriminatæ, tum ſecundum materiam, actus nempe qui præſcribuntur, tum ſecundum finem cuius gratia pręſcribuntur, denique ſecundum vim & neceſſitatem obligationis.

II. Aliæ enim ipſam vitæ ſecundum Deum & Chriſtum inſtituendæ eſſentiam & actus fidei, ſpei, charitatis neceſſarios concernunt, eæque neceſſariç & primariæ ſeu principales, & velut fundamentales ipſius regni Dei dici poſſunt. Aliæ verò actus quoſdam ſecundarios & ſuccenturiatos, circumſtantiaſq; actuum principalium reſpiciunt, quæ omnia ad illorum priorum commodiorem facilioremq; obſervationem faciunt; qua de cauſa poſitivç & inſervientes dici merentur.

III. Ad leges neceſſarias & ipſius fidei, ſpei, charitatis actus eſſentialiter concernentes ferendas neque jus habet Eccleſia, neque ulla neceſſitate adſtringitur. Illud enim Dei & Chriſti eſt propriiſſime, & tam prolixe à Chriſto eſt uſurpatum ut nihil ad fidei, ſpei, charitatis actus pertinere poſſit eſſentialiter, quod ab ipſo pleniſſime perſcriptum non ſit.

IV. Tota igitur Eccleſiæ poteſtas in ferendis legibus ſecundi generis poſita eſt, de quarum tum poſitione tum obſervatione videndum eſt.

V. In hujuſmodi legum præſcriptione ad hæc ſequentia oculos intendere intentoſque habere debet Eccleſia. Primo, ut actus quos præſcribet aut vetabit ſint medii & adiaphori, ſua natura neque boni neque mali; qui tamen utiles eſſe poſſint pro circumſtantiis perſonarum, temporum, locorum, actibus præſcriptis commodè obſervandis.

VI. Secundò, ut leges hujuſmodi verbo Dei non ſint adverſæ, ſed illi potius conformes ſint, ſive ex iis quæ generatim verbo Dei præſcripta ſunt juxta circumſtantias jam dictas deducantur, ſive iis quæ verbo Dei præſcripta ſunt exſequendis tanquam media apta exiſtimentur.

VII. Tertiò, ut ad politiam Eccleſiæ externam benè ordinandam & decorè adminiſtrandam potiſſimum referantur: Deus enim non confuſionis ſed ordinis auctor eſt & amator, & decori ubique habenda eſt ratio, potiſſimum in Eccleſia quç domus Dei eſt, quam minimè decet in ſe quippiam inordinatum aut indecorum habere vel committere.

VIII. Quartò, ne auctoritatem ſibi ſumat per leges ſuas conſcientias ad actus à ſe prçſcriptos obligandi, ſic enim invadet jus Chriſti, nempe, præſcribendi neceſſaria, & libertatem Chriſtianam infringendi, quæ immunis eſſe debet ab eiuſmodi laqueis.

IX. Quintò, ne ſibi ipſi adimat ullo facto, vel promiſſione ſimplici, vel juramento, ſive per vivam vocem, ſive per manus ſubſcriptionem poteſtatem ipſas leges abrogandi, ampliandi, minuendi, mutandi, de qua ipsâ poteſtatis ſuæ perpetuâ duratione non inutile eſſet ſi ſub finem legum ipſa Eccleſia proteſtaretur, ſubjuncta clauſula quam Magiſtratus in politicis poſitivis legibus uſurpare ſolet.

X. Ad obſervationem verò quod attinet, cum jam latæ ſunt, hucuſque tum ſinguli tum omnes qui in Eccleſia ſunt obſtringuntur, ut neque per contemptum, neque cum ſcandalo aliorum tranſgredi illas liceat: & ipſa Eccleſia non ita vilem habebit obſervationem illarum ut illas per contemptum & cum ſcandalo aliorum violari permittat, ſed tranſ-

tranſgreſſores tales tanquam inordinatè & indecore ſe gerentes notabit, monebit, corripiet, arguet, & ad ſaniorem mentem reducere conabitur.

COROLLARIVM.

An non utile ſit teſtandæ poteſtati & libertati Eccleſiæ: aliquando mutationem quandam in legibus Eccleſiaſticis facere, ne diuturna illa & citra ullam mutationem facta obſervatio opinionem neceſſariæ obſervationis pariat.

THESIS QVINQVAGESIMASEPTIMA, DE

Poteſtate Eccleſiæ in jure dicundo, ſeu diſciplinâ Eccleſiaſticâ.

I.

CVm nulla ſocietas quantumvis rectè inſtituta & bonis legibus informata diu conſiſtere poſſit, niſi certa jurisdictionis ſeu diſciplinæ ratione in officio contineantur, vel ad officium adigantur qui ad illam pertinent; etiam in Eccleſia, quæ domus, civitas, regnum Dei eſt, huiuſmodi diſciplinam vigere & exercere neceſſe eſt.

II. Hanc autem vitæ Spirituali non animali accommodatam eſſe decet, & Eccleſiæ qua talis ędificandæ, confirmandę, amplificandæ, & exornandæ, conſcientiiſque dirigendis inſervire citra vim corpori aut rei ſtatuique vitæ animalis ulla parte noxiam, niſi forte Magiſtratui videatur pro poteſtate ſibi à Deo conceſſa, etiam alia ratione peccantem ad reſipiſcentiam adigere; cui nihil præjudicamus.

III. Eſt autem diſciplina Eccleſiaſtica actio Eccleſiæ, qua ſecundum poteſtatem à Deo & Chriſto inſtitutam ſibique datam, & ex conſcientia impoſiti muneris uſurpandam, omnes & ſingulos qui ad Eccleſiam pertinent; ſi in peccatum manifeſtum lapſi ſunt, repræhendit & admonet ut reſipiſcant, aut, ſi in peccatis pertinaciter perſeverant excommunicat, ad Eccleſiæ totius bonum, ſalutem ipſius peccatoris, eorum qui extra ſunt lucrifactionem, & Dei ipſius Chriſtique gloriam.

IV. Objectum huius diſciplinæ ſunt omnes & ſinguli qui Eccleſiæ per baptiſmum inſiti capaces ſunt diſciplinæ iſtius ad ſui correctionem. Cauſa ſeu formalis conditio cur diſciplina in illos exercenda ſit, ſunt peccata ab illis admiſſa, ſive illa doctrinam concernant fidei & hæreſes ſint exitiales & pernicioſæ, ſive mores & reliquos vitæ Chriſtianæ actus.

V. Oportet autem ut peccata iſta externa ſint & manifeſta, nota ſcilicet & rectè nota iis à quibus diſciplina adminiſtrabitur; hoc eſt, ut conſtet eſſe peccata ſecundum leges Eccleſiæ à Chriſto latas, & quod ſint perpetrata. De internis enim ſolus Deus judicat.

VI. Forma adminiſtrationis eſto cum omni manſuetudine & diſcretione, cum zælo etiam, & aliquando cum ſeveritate & rigore aliquo, ſi ſic poſtulet uſus. Intentio autem

 ſit ſalus

ſit ſalus eius qui peccavit, & totius corporis Eccleſiæ ad gloriam Dei & Chriſti.

VII. Diſciplinæ iſtius executivum poſitum eſt tum in admonitione, tum in caſtigatione ſeu punitione, vel in cenſura quæ fit verbis tantum per reprehenſionem, adhortationem, comminationem, vel quæ fit privatione nonnullorum ad communionem ſanctorum, & ſalutarem cuiuſque fidelis in corpore Chriſti exædificationem extrinſecus pertinentium.

VIII. Admonitiones ſunt accommodatæ, primò perſonis quæ peccarunt, ubi notandum diſcrimen ætatis, ſexus, conditionis cum omni prudentia & diſcretione. Secundò, ipſis quæ ſunt perpetrata peccatis, graviora enim ſunt alia aliis. Tertio, modo quo perpetrata ſunt peccata, qui hic ſpeciatim eſt conſiderandus.

IX. Nam peccata alia ſunt clandeſtina, alia publica, ſive illa offenſam tantum habeant in Deum, ſive etiam conjunctam cum illa injuriam in proximum: ſecundum quem poſteriorem reſpectum peccatum privatum dicitur, à privato nempe in privatum admiſſum, quale intelligit Chriſtus Matth. 18. cuius etiam arguendi modus iſthic præſcribitur.

X. Peccatum clandeſtinum eſt quod clam paucis conſciis eſt perpetratum: huic clandeſtina competit correptio ab iis facienda qui illius conſcii ſunt: adhiberi tamen poterit ad conciliandam reprehenſioni auctoritatem aliquis ex Eccleſiæ antiſtitibus, qui tamen idipſum ad collegas referre nullo modo poterit, ſed clam habere debebit.

XI. Publicum peccatum eſt quod plurimis conſciis patratum eſt: quo nomine an illud appellari poſſit quod clam quidem patratum eſt, ad multis innotuit vel culpa eius qui ipſum commiſit, vel aliorum qui id ſine neceſſitate divulgarunt diſpici permittimus.

XII. Peccata autem publica adhuc ſunt in aliquo diſcrimine. Nam aut alicui Eccleſię parti nota ſunt, aut toti vel pene toti Eccleſiæ: pro hoc diſcrimine etiam variari debet admonitio. Si parti Eccleſiæ notum ſit peccatum, ſufficit coram ipſo ſenatu Eccleſiaſtico, aut coram pluribus quibus innotuit admoneri & corripi peccatorem: Si toti Eccleſiæ, coram omnibus arguendus eſt, hoc enim facit tum ad pudorem eius qui peccavit, tum ad perterrefaciendum alios ne ipſius exemplo peccent. Quanquam pudori alicuius conſuli poſſit cum moderamine aliquo, nempe ſi peccator peccandi conſuetudine non tenetur, ſed à peccato pręoccupatus fuerit.

XIII. Quum correptio iſta eò tendat ut peccator à peccando deſiſtat, neceſſe eſt, ſi id primâ admonitione non obtinetur, aliquoties iteretur admonitio dum corrigatur peccator, aut contumaciam declaret. Vtrum verò dum ſpem præbet correctionis quam tamen opere ipſo non præſtat ex judicio & voto Eccleſiæ, ad punitionem venire utile ſit, diſſenſio eſt inter Doctores: Sed illa non tam certis regulis terminari poſſe videtur, quam res iſta diſcretioni præſulum Eccleſiæ eſſe permittenda.

XIV. Si vero ſpretis moneſis omnibus contumaciter in peccatis perſeveret peccator, poſtquam jam

patientia neceſſaria erga eum uſa eſt Eccleſia, ad punitionem deveniendum eſt, quæ eſt excommunicatio, excluſio nempe contumacis à communione ſacrorum & ipſius Eccleſiæ, quam excluſionem publicam comitabitur commercij ipſius & familiaritatis vitatio; à ſingulis Eccleſię membris curanda, quoad neceſſitas officiorum illi vel ab omnibus ſecundum generalem vocationem, vel à nonnullis ſecundum ſingularem obligationem debitorum permittit.

Subditus enim non liberatur ab obligatione erga principem propter excommunicationem principis.

Non uxor à debito quod marito præſtare tenetur.

Non liberi ab eo quod parentibus debent, & ſic in alijs ſimilibus.

XV. Hanc excommunicationem nonnulli eſſe putant a ſolo uſu cænæ: alij eam duplicem eſſe putant, minorem & majorem, excluſionem partialem a non nullorum ſacrorum uſu: majorem ab omnium ſimul & tota fidelium communione: Alij verò minore rejecta nullam aliam quam majorem illam agnoſcunt; cum nulla illis videatur eſſe cauſa cur magis ab hac quam illa communione rejici debeat contumax peccator, qui ſe indignum fecit ut ullum in Eccleſia & conventu Sanctorum locum obtineat. Nos ſententiam non interponimus, ſed rem judicio doctorum & piorum diſcutiendam permittimus, ut communi conſenſu ex Scripturis ſtatuatur quod ipſis maximè eſt conſentaneum, & ædificationi Eccleſiæ accommodum.

COROLLARIA.

Vbi manifeſtus Schiſmatis metus eſt excommunicatione abſtinendum eſt.

An non & ubi metus eſt perſecutionis ab excommunicationem exſtituræ? Arbitramur.

THESIS QVINQVAGESIMA OCTAVA, DE Concilijs.

I.

CONcilium Eccleſiaſticum eſt cætus virorum nomine Dei congregatorum de rebus ad Religionem & Eccleſiæ bonum pertinentibus, ſecundum verbum Dei conſulentium & definientium ad Eccleſiæ ſalutem & Dei gloriam.

II. Cętus hujuſmodi indicendi poteſtas eſt penes ipſam Eccleſiam: quæ ſi ſit ſub ditione Magiſtratus fidelis & Religionem profitentis, vel publicè illam tolerantis, tum poteſtatem hanc Magiſtratui transſcribimus; ſine cujus convocatione illegitimum concilium eſſe ſuſtinuerunt proteſtantes de nullitate Concilij Tridentini Eccleſię. Si verò Magiſtratus neque fidelis ſit, neque publicè tolerans Religionem, ſed hoſtis & perſecutor, tunc illi qui in Eccleſia præſident iſto munere fungentur.

III. Occaſionem hujuſmodi conventui præbent vel mali nonnulli qui Eccleſiæ noxam inferunt, ſive ſint in Eccleſia ſive extra eam; vel ipſa perpetua Eccleſiæ quamdiu in terris

terris eſt conſtitutio. Quum enim obnoxia ſit errori, corruptelæ, defectioni à veritate doctrinæ, integritate cultus divini, morum probitate & concordia Chriſtiana, ad hæreſes, idololatriam, morum corruptelam, & ſchiſmata, utile eſt conventus hujuſmodi inſtitui: non tamen ut ſi quod corruptelarum ingreſſum eſſe manifeſtò conſtet, id corrigatur, ſed etiam ut inquiratur an non aliquid ingreſſum ſit, quum inimicus homo zizania ſpargat dormientibus hominibus penes quos eſt agrum Domini curare.

IV. Conventum hunc virorum eſſe dicimus (fœmina enim in Eccleſia taceto, niſi extra ordinem divinitus vocata) quos hiſce dicimus inſignitos eſſe, oportere. Primò, ut ſint potentes in Scripturis & ſenſus in illis exercitatos habeant. Secundò, ut pij ſint, graves, prudentes, moderati, veritatis divinæ & pacis Eccleſiaſticæ amantes. Tertiò ut liberi ſint, & nulli vel perſonæ, vel Eccleſiæ, vel confeſſioni ab hominibus conſcriptæ, ſed ſoli Deo & Chriſto ejuſque verbo obſtricti.

V. Sive Eccleſiaſtici illi ſint ſive Politici; imprimis Magiſtratus ipſe ſummus, & viri publico in Eccleſia & Republ. munere fungẽtes: deinde etiam privati; ne quidem excluſis ijs qui quippiam aliud ſtatuunt quam communis ſentẽtia habet, modò iſtis donis ſint inſtructi. Eoſq; tales non modo deliberativam ſed & deciſivam ſententiam dicere poſſe arbitramur.

VI. Objectum circa quod verſabitur Concilium ſunt res ad Religionem & Eccleſiæ, qua talis, bonum pertinentes; quæ duobus ſummis capitibus comprehenduntur; ut primarium ſit ipſa doctrina fidei, ſpei, charitatis; ſecundarium verò, ordo & politia Eccleſiæ.

VII. Norma ſecundum quam deliberatio inſtituenda & definitio facienda eſt, unica & ſola eſt verbum Dei, penes quem abſolutum eſt in Eccleſia dominium. In rebus vero ad ordinem & εὐταξίαν Eccleſiæ pertinentibus, licet præſentem Reipubl. & Eccleſiæ ſtatum introſpicere, & ſecundum circumſtantias locorum, temporum, perſonarum deliberationem & deciſionem peragere: unum modo caveatur, ne quid verbo Dei adverſum ſtatuatur.

VII. Quia vero omnia ordine peragi debent in hujuſmodi concilijs, neceſſe eſt aliquem toti concilio præſidere. Si Magiſtratus ſummus adſit, ipſi id munus competit; verum poteſt ille hoc officij mandare alteri ſive Eccleſiaſtico ſive politico viro, imò & ipſi concilio negotium hoc committere, modo ipſe curet ut omnes & ſinguli in officio contineantur, ne tumultuosè peragantur judicia. Vtile autem eſt ut Epiſcopus aliquis conſtituatur qui preces & gratiarum actiones obeat, agenda proponat, ſententias exquirat, colligat, quantum quidem ille ut Eccleſiaſticus hiſce obeundis aptior eſt.

IX. Locus hujuſmodi conventibus deſtinandus eſt qui maximè commodus ſit omnibus ad Synodum acceſſuris; niſi forte Magiſtratui ſummo videatur illum deligere locum qui ipſi commodiſſimus ſit. Locus tutus eſſe debet ab inſidijs; ſalvus conductus omnibus procurandus neceſſarius, ut liceat ipſis ſine noxa accedere & diſcedere, quantum per ipſam Dei legem licet, contra quam nullius vel maximi cœtus eſt vel tantula auctoritas.

X. Au-

X. Auctoritas conciliorum abſoluta non eſt, ſed dependens ab auctoritate Dei. Qua de cauſa nemo ſimpliciter ijs quæ in concilio ſtatuta ſunt adſentiri tenetur (niſi illi interſint qui errare nequeunt, & indubitata ejus rei habent Spiritus ſancti τεκμήρια & teſtimonia) ſed poteſt unuſquiſque, imo vero tenetur quæ in concilio concluſa ſunt ad normam verbi Dei exigere: & ſi comperiat conſentire, adprobare, ſin minus improbare: hac tamen cautione ne facile rejiciat quod unanimi tam multorum piorum & doctorum conſenſu ſtatutum eſt, ſed diligenter diſpiciat, an Scripturas pro ſe ſatis clare pronunciantes habeat, tum illorum conſenſui aſſenſum ſuum prębeat in Domino.

XI. Conciliorum neceſſitas ſimplex non eſt, quia poteſt Eccleſia de neceſſarijs inſtrui ſine illis. Magna tamen illorum eſt utilitas, ſi in nomine Domini inſtituta ſecundum illius verbum omnia examinent, & conſtituant id quod communi conſenſu juxta illam normam viſum fuerit pronuntiandum. Quum enim oculi plus videant quàm oculus, & Dominus exaudire ſoleat preces multorum inter ſe conſentientium in terrâ, veriſimilius eſt veritatem per concilium aliquod multorum doctorum & piorum hominum ex Scripturis inventum & confirmatum iri, quàm unius alicuius opera privatim apud ſe id ipſum negotium agentis.

XII. Vnde etiam concilii alicuius auctoritatem majorem eſſe dicimus quam cuiuſvis hominis qui iſti concilio intereſt; etiam Romani Pontificis; cui nullum aliud jus tribuimus in ullo concilio quàm cuivis Epiſcopo; etiam tum cum ille veri Epiſcopi munus obit fideliter tantum abeſt ut ſine illius juſſu, præſidatu, directione, concilium cogi & haberi nequeat.

XIII. Concilium nullum poteſt ſucceſſoribus ſuis præſcribere, quominus illi rurſum de eo diſpiciant, de quo antea in conciliis pręcedentibus actum & definitum eſt: quia res Religionis in præjudicatum non venit. Neque poteſt concilium ullum ſe jurejurando adſtringere ad ullum aliud verbum quam ad Dei verbum obſervandum: multo minus poteſt ipſum poſitivas leges facere, ad quas aut ſeipſum aut ullum hominem juramento obſtringat.

XIV. Liceat etiam œcumenico poſteriori concilio in dubium vocare quod præcedente œcumenico conſtitutum eſt, quia œcumenica concilia etiam errare poſſunt: neque tamen inde ſequetur Eccleſiam Catholicam errare, hoc eſt, omnes fideles καθολικῶς errare.

THESIS QVINQVAGESIMA NONA,

DE

Miniſteriis Eccleſiaſticis N. T. & vocatione ad ea.

I.

Miniſterii voce deſignamus officium ſeu munus publicum ὑπηρετικὸν, ſuperiori ſubſerviens, & hic quidem Deo & Chriſto quà Dominus eſt & caput Eccleſiæ. Eccleſiaſticum ab objecto ſuo dicitur

quod eſt Eccleſia, & à politico quod circa Rempublicam civilem eſt, diſtinguimus.

II. Eſt autem munus publicum à Deo certis hominibus demandatum Eccleſiam colligendi, collectam curandi, & ad Chriſtum caput eius perque illum ad Deum adducendi, ut beatam vitam conſequatur ad Dei & Chriſti gloriam.

III. Quum autem Eccleſia conſtet ex hominibus animalem vitam viventibus, & ad ſpiritualem, quæ ſuperior eſt, & velut finis alterius eſſe debet, in illa degendam vocatis, duplex munus pro neceſſitate tum animalis tum ſpiritualis vitæ in Eccleſia obeundum eſt: unum, quod propriè, per ſe, & immediatè circa vitam Spiritualem, eiuſque initium, progreſſum, & confirmationem verſatur; alterum, quo animalis vita ſuſtentatur, & propterea per accidens & mediatè ad Eccleſiam pertinet. Illud ſemper neceſſarium eſt per ſe, hoc nonniſi ex hypotheſi, ſiquidem ſint qui alienâ ſuſtentatione indigeant, & illis hæc ipſa non contingat per ordinem aliquem in civitate conſtitutum: quo caſu ſemper durare debet; citra illum non neceſſarium. De illis propriè agimus, de hoc nihil ulterius dicturi.

IV. Munus vitæ Spirituali accommodatum conſiſtit in hiſce tribus actibus. Primus eſt, inſtitutio veritatis quæ eſt ſecundum pietatem; Secundus, interceſſio apud Deum; Tertius, regimen ſeu gubernatio inſtitutioni iſti accommodata.

V. Inſtitutio conſiſtit in veritatis, quæ credenda, ſperanda, facienda continet; propoſitione, explicatione, confirmatione, falſitatis confutatione, adhortatione, correptione, conſolatione, comminatione: quod verbo tum legis tum Euangelij peragitur: cui functioni adjungimus Sacramentorum eidem fini ſervientem adminiſtrationem.

VI. Interceſſio conſiſtit in precibus, & gratiarum actionibus pro Eccleſia & ſingulis eius membris ad Deum offerendis, per Chriſtum unicum advocatum & interceſſorem noſtrum.

VII. Gubernatio Eccleſiæ in hunc finem uſurpatur, ut in totâ Eccleſia omnia decorè, ordine, & ad ædificationem fiant, & ſingula eius membra in officio contineantur, ſegnes incitentur, debiles confirmentur, devii reducantur, contumaces puniantur, reſipiſcentes recipiantur.

VIII. Munia iſta non ſemper eodem modo ſunt impoſita, neque iiſdem rationibus adminiſtrata. Sub initium enim naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ, non nullis immediatè illa à Deo & Chriſto impoſita ſunt, & ab iis quibus impoſita ſunt, citra allegationem ad certas Eccleſias adminiſtrata. Vnde & Adminiſtri dicti ſunt Apoſtoli, tanquam legati Chriſti per univerſum orbem terrarum ad univerſas creaturas: quibus Euangeliſtæ additi ſunt tanquam ϲύνεργοι. Inde mediatè vocati Paſtores & Doctores, Epiſcopi & Presbyteri, qui certis Eccleſijs fuerunt præfecti. Illi ad tempus duraverunt, & ſucceſſores non habuerunt: Hi ad finem uſque mundi durabunt perpetua ſucceſſione: quamquam non negemus, quin, cum Eccleſia alicui primum colligenda eſt, unus homo integram terram docendo peragrare poſſit.

IX. Hæc munia ita ſunt comparata,

parata, ut una perſona omnia illa ſimul obire poſſit, quanquam & ſic poſtulante Eccleſiæ utilitate, & donorum diverſitate varie in varios diſtribui poſſint.

X. Vocatio ad munia Eccleſiaſtica talia eſt vel immediata vel mediata: de illa non agemus. Hæc eſt actus divinus à Deo & Chriſto per Eccleſiam adminiſtratus, quo hominem ab uſu animalis vitæ & communi ſeparatum ſibi conſecrat, & ad munus paſtorale obeundum amandat ad ſalutem hominum & gloriam ſuam. In qua vocatione, tum ipſam, tum ejus efficientem, tum objectum conſiderare debemus.

XI. Actus vocationis conſtat prævio examine electione & confirmatione. Examen eſt diligens inquiſitio & probatio, an perſona de qua agitur apta ſit obeundo munere, quæ aptitudo conſiſtit in rerum verarum & neceſſariarum notitia & adprobatione, vitæ probitate, facultate communicandi cum alijs quæ novit ipſa; quæ facultas loquelam ipſam & loquendi παῤῥησίαν continet: prudentia, moderatione animi, patientia laborum, infirmitatum, injuriarum, &c.

XII. Electio eſt perſonæ legitimè examinatæ & probæ compertæ ordinatio, qua ipſi munus obeundum imponitur: cui ſæpe addi ſolet publica quædam per preces & manuum impoſitionem, quin & per jejunium præmiſſum, inauguratio, & velut in ipſius muneris adminiſtrationem miſſio: quæ confirmatio dici ſolet.

XIII. Efficiens primaria eſt Deus & Chriſtus, & Spiritus utriuſque qua Chriſti cauſam agens in Eccleſia; à qua cauſa tota vocationis auctoritas dependet. Miniſtra, eſt ipſa Eccleſia, in qua numeramus Magiſtratum ipſum Chriſtianum, Doctores cum reliquis Presbyteris, & populum ipſum. ubi verò Magiſtratus non eſt qui hanc rem curare velit, iſthic Epiſcopi ſeu Presbyteri cum plebe iſtud negotium peragere poſſunt & debent.

XIV. Objectum eſt perſona vocanda, in qua requiritur Eccleſiæ cauſa aptitudo illa de qua dictum eſt: & propter ipſam teſtimonium bonæ conſcientiæ: quo adprobat modeſtè judicium Eccleſiæ & conſcius ſibi eſt quod ſyncero Dei timore & ſolius Eccleſiæ ædificandæ ſtudio hoc ipſum munus capeſſit.

XV. Forma vocationis eſſentialis eſt ut omnia agantur ſecundum regulam verbo Dei præſcriptam. Accidentalis, ut decenter & convenienter ſecundum particulares reſpectus perſonarum, locorum, temporum, & reliquarum circumſtantiarum.

XVI. Vbicunque hæ conditiones ſervantur omnes, legitima eſt vocatio, & omni ex parte proba: ſin aliqua defuerit, actus vocationis quidem imperfectus eſt, ſed rata nihilominus eſt habenda vocatio, dum vocatio Dei manet conjuncta foris aliqua teſtificatione ipſius, quæ quia varia eſt definire non poſſumus.

COROLLARIVM.

Vocationes in Pontificia Eccleſia non fuerunt nullæ quamquam contaminatæ & imperfectæ: & primi reformatores ordinariam vocationem & mediatam habuerunt.

THESIS SEXAGESIMA
DE
Sacramentis in genere.

De Eccleſia, eius poteſtate, ac verbi Miniſterio egimus hactenus; ſequitur ut de ſignis illis agamus, quæ Deus verbo ſuo appendit, quibuſque fidem fœderatorum ſuorum cordibus ingeneratam obſignat & confirmat. Vocantur enim hæc ſigna vulgò Sacramenta: voce Scripturis quidem non uſitata, attamen tamen propter conſenſum Eccleſiæ non rejicienda.

I.

EST autem vox hæc ab uſu militari ad uſum ſacrum tranſlata: ſicut enim milites Imperatori ſuo per Sacramentum tanquam per ſolenne juramentum conſecrabantur; ita etiam fœderati horum ſignorum perceptione tanquam publico juramento Chriſto obſtringuntur. Sed quia eadem vox vel relatè ſumitur idque vel propriè pro ſigno, vel metonymicè pro ſignato, vel abſolutè, idque ſynecdochicè pro utroque: nos de propria ſignificatione hic agemus.

II. Eſt igitur Sacramentum ſignum ac ſigillum ſacrum & viſibile à Deo inſtitutum, quo promiſſionem gratioſam verbo propoſitam, fœderatis ſuis obſignat; eoſque viciſſim ad officii ſui præſtationem adſtringit. Itaq; non aliæ nobis hiſce promiſſiones proponuntur, quàm verbo patefactę ſunt.

III. Signum & ſigillum dicimus, tum ex uſu Scripturæ Geneſ. 17. 1. Rom. 4. 11. tum ex ipſius rei naturâ, quia nimirum hæc ſigna præter ſpeciem externam quam ſenſibus noſtris inferunt, aliud faciunt in cogitationem venire. Neque nuda tantum ſunt ſigna ſignificantia, ſed σφραγῖδες & ſigilla, quæ non mentem, ſed & cor ipſum afficiunt.

IV. Sacrum dicimus duplici reſpectu; tum quia à Deo datum eſt, tum quia ad uſum ſacrum datum eſt. Viſibile dicimus, quia de natura ſigni eſt ut ſit ſenſu perceptibile; quod enim tale non eſt, ſignum dici nequit.

V. Auctor horum ſignorum eſt Deus, qui ſolus eſt Eccleſiæ Dominus & Legiſlator, cuius eſt leges præſcribere promiſſa facere, eaque obſignare iis quibus ipſi viſum eſt ſignis: quæ tamen gratiæ obſignandę ita ſunt accommodata, ut eam per analogiam quandam ſignificent. Naturalia itaque ſigna non ſunt, quæ ex ſua natura totum illud ſignificant, quod ſignificant; ſed voluntaria, quorum ſignificatio tota pendet ab arbitrio inſtituentis.

VI. Materia eſt ipſum externum elementum à Deo creatum, ideoque eius poteſtati ſubjectum, & aptum natum ad obſignandum quod Deus eo obſignatum vult ſecundum ſapientiam ſuam.

VII. Forma interna Sacramentorum (cum ſit ἐν τῷ πρός τι) in relatione conſiſtit, & eſt conveniens illa analogia & ſimilitudo inter ſignum & rem ſignatam; quæ ſpectat tum repræſentationem, tum obſignationem & exhibitionem ſignati ex auctoritate & arbitrio inſtituentis. Ex arctiſſima hac ſigni cum ſignato analogia variæ ſunt in Scriptura & Sacramentis uſitatæ figuratæ locutiones, ſicut cum nomen rei

rei ſignatæ ſigno tribuitur, ut, Pactum meum in carne veſtrâ Geneſ. 17. 13. & vice versâ, ut, Paſcha noſtrum immolatum eſt. 1. Cor. 5. v. 7. vel cum ſigno tribuitur proprietas rei, ut, qui bibet de aqua iſta non ſitiet in æternum Ioh. 4. 14. vel contra; ut, hoc eſt Corpus Matt 26. 26.

VIII. Finis Sacramentorum eſt duplex, proximus & remotus: proximus eſt promiſſionis in fœdere factæ obſignatio: remotus, tum fidei fœderatorum confirmatio, & per conſequens Eccleſiæ, quæ ex illis conſtat, ſalus; tum Dei gloria,

IX. Illi quibus Sacramenta à Deo inſtituta & uſurpanda ſunt, fœderati Dei ſunt, iique ſoli & omnes; quibus tamdiu illorum uſus concedendus eſt, quamdiu à Deo fœderatorum nomine cenſentur; licet ipſi peccatis ſuis repudiationem meruerint.

X. Hæc autem Sacramenta pro vario hominum ſtatu ſunt conſideranda: vel enim ante lapſum inſtituta fuerunt, & ſunt fœderis operum; vel poſt lapſum, & ſunt fœderis gratiæ Sacramentum fœderis operum unicum fuit, ſcil. arbor vitæ. Fœderis gratiæ ſunt, vel quatenus in fœdus promiſſum ſpectant, & infantes abhuc Eccleſiæ & ſub pædagogia conſtitutæ ſunt, qualia fuerunt Circumciſio & Paſca: vel quatenus jam ad fœdus confirmatum ſpectant, & ſunt Eccleſiæ Chriſtianæ & adultæ; qualia ſunt Baptiſmus & Cæna. De quorum ſingulorum inter ſe convenientia & diſcrimine commodius in cujuſque tractatione agetur.

COROLLARIVM.

Sacrificia & Sacramenta, licet in nonnullis conveniant; nullo tamen modo confundenda, quia hac ab illis multis reſpectibus differunt.

THESIS SEXAGESIMA PRIMA,

DE

V. T. Sacramentis, Arbore vitæ, Circumciſione, & Agno Paſchali.

I.

ARbor vitæ à Deo creata & inſtituta fuit in hunc finem, ut homo in legis divinæ obedienta perſiſtens, eius fructu veſceretur, tum ad vitam hanc animalem adverſus omnem defectum qui ex ſenio vel alia cauſa incidere poterat conſervandam continuandamque, tum ad promiſſionem vitæ beatoris & melioris deſignandam: illi uſui inſervijt ut Elementum à Deo creatum, iſti ut Sacramentum à Deo inſtitutum: illi præſtando apta fuit per naturalem vim & potentiam illi inditam, huic idonea fuit propter ſimilitudinem & analogiam quæ eſt inter vitam animalem & ſpiritualem.

II. Circumciſio eſt ſignum fœderis Dei cum Abrahamo initi ad obſignandum promiſſionem de ſemine benedicto ex illo naſcituro, de benedicendis in illo omnibus gentibus, illoque Patre multarum gentium, & hærede mundi per juſtitiam fidei conſtituendo; quodque

Deus illius & ſeminis eius poſt illum Deus eſſe vellet, adminiſtrandum in illo membro; quod eſt generationis inſtrumentum ordinatum in ſexu virili, apta omnino inter ſignum & rem ſignatam analogia.

III. Illo ſigno omnes maſculi ex Abrahamo oriundi octava à nativitate ipſorum die inſigniendi fuerunt expreſſo Dei mandato, addita comminatione fore ut è populo ſuo eius anima exſcinderetur qui circumciſus non eſſet iſta die.

IV. Quanquam autem fæmellæ in ipſarum corpore non circumcidebantur, interea tamen eiuſdem fœderis & obligationis participes erant, quia in viris cenſebantur, & à Deo pro circumciſis habebantur. Igitur non opus fuit ut Deus aliud quoddam inſtitueret remedium tollendæ à fæminis nativæ corruptioni peccati, ut Pontificii affirmare audent, præter & contra Scripturas.

V. Et iſte primus eſt reſpectus circumciſionis ad ἐπαγγελίαν pertinens. Alter eſt quod obſtringebantur circumciſi ad totius legis à Deo latæ, & potiſſimum ceremonialis obſervationem. Poterat enim Deus fœderatis ſuis præſcribere legem pro arbitratu ſuo, & ſigno fœderis jam ante inſtituto & uſurpato obligationem eius ſervandæ obſignare, & hoc reſpectu pertinet circumciſio ad V.T.

VI. Agnus paſchalis erat Sacramentum à Deo inſtitutum ad obſignandam liberationem ex Ægypto, eiuſque memoriam ſingulis annis ſtato tempore renovandam.

VII. Præter hunc uſum ſerviit etiam Chriſto vero agno, qui peccata mundi eſſet laturus & ablaturus, typicè adumbrando, qua de cauſa etiam illius uſus abrogatus fuit Chriſto in cruce paſſo & immolato, quod ad jus attinet; poſtea vero cum deſtructione urbis & templi re & facto abrogatus.

VIII. Arboris vitæ Sacramentum incruentum fuit, in reliquis duobus Sacramentis ſanguinis effuſio erat, convenienter diverſitati ſtatus fœderatorum Dei: illa enim inſtituta fuit ante peccatum ingreſſum in mundum: hæc poſteriora, poſt peccatum ingreſſum, quod nonniſi ſanguine juxta decretum Dei expiatur eo quod peccati ſtipendium mors ſit, & vita animalis in ſanguine ſita ſit juxta Scripturam.

IX. Tranſitus ſub nube & per mare, Manna, & aqua ex petrâ ſigna Sacramentalia fuerunt, ſed extraordinaria, & quædam Sacramentorum N. T. quaſi præludia, quanquam ſignificationis & obſignationis obſcuriſſimæ, quum res illis ſignificatæ & obſignatæ verbo expreſsè non ſint declaratæ.

COROLLARIA.

I. Veriſimile eſt Eccleſiam à primava poſt lapſum promiſſione & reparatione ad Abrahami uſque tempora Sacramenta ſua habuiſſe, quanquam illorum expreſſa in Scripturis non fiat mentio.

II. Quæ illa fuerint affirmare audacius eſſet; ſi tamen quis dicat, primum fuiſſe oblationem infantis recens nati coram Domino eo die quo mater purificabatur à partu: alterum vero eſum ſacrificiorum & aſperſionem ſanguinis eorundem, probabilitate non caret.

THE-

THESIS SEXAGESIMA SECVNDA, DE

Sacramentis N.T. in genere.

I.

SAcramenta N T. ſunt, qua fœderi ſeu T. Novo morte & ſanguine Mediatoris illius & Teſtatoris confirmatio, obſignando inſtituta ſunt.

II. Quamobrem talia eſſe oportuit quæ apta eſſent confirmationi jam factæ ſignificandæ & obſignandæ, hoc eſt, quæ ſanguinem jam fuſum & mortem Mediatoris interveniſſe declararent & obſignarent.

III. Nulla itaque in N.T. ſacramentis effuſio ſanguinis fieri debuit: neque ulla tali re conſtare debuerunt, quæ vitæ in ſanguine exiſtentis particeps ſit vel fuerit. Expiato enim jam peccato & remiſſione plenè impetrata per ſanguinem & mortem Mediatoris, nulla amplius ſanguinis effuſio fuit neceſſaria.

IV. Inſtituenda tamen fuerunt antequam ipſa fœderis N. per ſanguinem Mediatoris & mortem Teſtatoris confirmatio fieret: tum quia inſtitutio & obſignatio Teſtamenti ipſam mortem teſtatoris antecedere debet, tum quia ipſe Mediator eorundem particeps eſſe debuit, ad conſecrandum ea in ſua perſona & obſignandam magis communionem quæ inter nos & ipſum eſt.

V. Cæterum cum nulla re convenientius ſignificetur & obſignetur communio, ſacrificii in mortem oblati pro peccatis quam ſanguinis adſperſione & ipſius ſacrificii eſu & ſanguinis potu (ſiquidem ſanguinem bibere licuiſſet) hinc quoque nulla ſigna convenientiora fuerunt quam aqua, panis & vinum, quum ipſius ſanguinis adſperſio & eſus corporis fieri non poſſet, & potus ſanguinis inſuper fieri non deberet.

VI. Sacramentorum N. T. vis & efficacia ultra ſignificationis & obſignationis actum non progreditur: neque ulla rei ſignatæ per iſta exhibitio eſſe aut fingi poteſt, quæ iſtis ipſis actibus intermediis non peragatur.

VII. Et propterea ſacramenta N. T. à ſacramentis in V. T. uſurpatis non differunt, quod illa gratiam exhibeant, iſta verò ſignificent vel præfigurent.

VIII. Sacramenta N. T. extra ipſum uſum, cuius cauſſa inſtituta ſunt, rationem ſacramentorum non habent: neque proſunt iis qui ſine fide & reſipiſcentia iis utuntur: adultis nempe à quibus fides & reſipiſcentia poſtulantur. De Infantibus aliud eſt judicium, quibus ex parentibus fidelibus naſci ſufficit ut in fœdere cenſeantur.

IX. Sacramenta N.T. inſtituta ſunt ut durent ad finem uſque seculi: & duratura ſunt uſque ad finem ſeculi.

COROLLARIVM.

Sectarum in Religione Chriſtiana diverſitas non excuſat omiſſionem uſus ſacramentorum: quamquam vehementia antiſtitum cuiuſque ſecta legitimam & ſufficientem cauſſam præbere poſſint populo ut ab

ut ab uſu ſacramentorum cum ipſis participandorum abſtineant meritò & citra peccatum.

THESIS SEXAGESIMA TERTIA, DE Baptiſmo & Pædobaptiſmo.

I.

BAptiſmus eſt initiale N.T. ſacramentum, quo fœderati Dei à Miniſtro Eccleſiæ in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti aqua tinguntur ad ablutionem ſpiritualem quæ per ſanguinem & ſpiritum Chriſti fit, inque corpus Chriſti inſitionem ſignificandam, & obſignandam; quo baptizati Deo patri & filio eius per ſpiritum ſanctum in peculium conſecrati communionem cum utroque habeant, & ipſi ſerviant omnibus diebus vitæ ſuæ.

II. Auctor inſtitutionis eſt Deus Pater in Filio ſuo N. T. Mediatore per Sp. æternum utriuſque. Primus eius adminiſtrator fuit Iohannes, Chriſtus vero confirmator, tum eum a Iohanne accipiendo, tum poſtea per diſcipulos ſuos adminiſtrando.

III. Prout autem baptiſmus ſigni & rei ſignatæ reſpectu duplex eſt, alius aquæ, alius ſanguinis & ſpiritus, ille externus, iſte internus, ſic & materia formaque duplex eſſe debet; externa & terrena externi, interna & cœleſtis interni.

IV. Materia baptiſmi externi eſt aqua elementaris, apta ſecundum naturam ad id quod immundum eſt purgandum: unde etiam apta ut Deo ſerviat ad ſignificandum & obſignandum ſanguinem & ſpiritum Chriſti, qui ſanguis & ſpiritus Chriſti eſt res ſignata baptiſmi externi, & materia interni. Applicatio verò tum ſanguinis tum ſpiritus Chriſti, & utriuſque effectus, eſt res ſignata per aquæ iſtius applicationem, & applicationis effectus.

V. Forma baptiſmi externi eſt, ordinata illa ſecundum inſtitutionem Dei adminiſtratio, quæ conſiſtit in his duobus. 1. ut is qui baptizatur hac aqua adſpergatur. 2. ut iſta adſperſio fiat in nomine Patris, Filii, & Sp. ſancti. Cui analoga eſt interna tum ſanguinis tum ſpiritus Chriſti ab ipſo ſolo Chriſto facta adſperſio & communicatio, quæ interna baptiſmi interni forma dici poteſt.

VI. Finis primarius baptiſmi eſt ut ſit confirmatio & obſignatio communicationis gratiæ in Chriſto ſecundum N. fœdus quod Deus pater nobiſcum in Chriſto & propter illum init. Secundarius ut ſit initiationis noſtræ in viſibilem Eccleſiam ſymbolum, & expreſſa nota obligationis, qua nos Deo Patri & Chriſto Domino noſtro obſtricti ſumus.

VII. Objectum huius baptiſmi non eſt reale ſed perſonale tantum, omnes ſcilicet fœderati Dei, ſive illi adulti ſint, ſive infantes, modò ex fœderatis vel fœderato nati ſint; tum quia illis ablutio in ſanguine Chriſti eſt promiſſa, tum etiam quòd per ſpiritum Chriſti in corpus Chriſti inſerantur.

VIII. Baptiſmus hic quia eſt initiale

initiale ſacramentum, non eſt ſæpius iterandus; & quia eſt ſacramentum N. T. non eſt mutandus, ſed permanebit uſque ad finem huius ſeculi: denique quia eſt ſignum confirmans promiſſionem, eamque obſignans, ineptè dicitur per illum conferri gratiam, alio ſcilicet collationis actu, quam qui fit per ſignificationem & obſignationem: immediatè enim collatio gratiæ per aquam fieri nequit.

THESIS SEXAGESIMA QVARTA, DE

Cœna Domini.

I.

CVm de ſacramento initationis Baptiſmo ſuperiore Diſputatione actum ſit, ſequitur, ut jam de confirmationis ſacramento, cœna agamus.

II. Eam ſic definimus: Cœna Domini eſt N. T. ſacramentum à Chriſto immediatè in uſum Eccleſiæ ad finem uſq; ſeculi inſtitutum, in quo legitima panis & vini externa adminiſtratione, ſumptione, & fruitione mors Domini adnuntiatur, interna corporis & ſanguinis Chriſti ſumptio fruitioque ſignificatur, & arctiſſima illa unio ſive κοινωνία, qua ſumus cum Chriſto capite noſtro conjuncti obſignatur confirmaturque propter Chriſti inſtitutionem, & analogicam ſigni ad rem ſignatam relationem: fideles autem ſuam erga Deum gratitudinem, & obligationem, communionem inter ipſos, & ab aliis omnibus diſcriminationem profitentur.

III. Auctorem huius ſacramenti Chriſtum conſtituimus: ille enim ſolus Dominus & caput Eccleſiæ à patre fuit conſtitutus, jus habens ſacramenta inſtituendi, & hoc ipſum quod per ſacramenta ſignificatur & obſignatur, efficaciter præſtandi.

IV. Materia eſt panis & vinum, quæ ſecundum eſſentiam non mutantur, ſed manent quod ante fuerunt, neque ſecundum locum corpori a ut ſanguini copulantur, ita ut corpus ſit vel in, vel ſub, vel cum pane, &c. neque in uſu cœnæ ſeparari poſſunt, ut laïcis pane porrecto, calix denegetur.

V. Formam ponimus in relatione & arctiſſima unione, quæ inter ſigna & rem ſignatam, & utriuſque ad fideles communicantes reſpectum, qua unum quoddam fiunt analogia & ſimilitudine. Ex hac relationis conjunctione duplex ſignorum in hoc cœnæ ſacramento uſus enaſcitur: prior, ut repræſentent; poſterior, ut repræſentando obſignent nobis Chriſtum cum ſuis beneficiis.

VI. Finis eſt duplex. unus, ut fides noſtra erga promiſſionem gratiæ à Deo factam, & Chriſti morte & reſurrectione confirmatam, ac de noſtræ in Chriſtum inſitionis veritate & certitudine magis magiſque corroboretur: alter, ut 1. fideles gratitudinem & obligationem ſuam erga Deum teſtentur mortis Chriſti recordatione; ſecundo, ut charitatem inter ſe foveant, 3. ut hac notâ ab infidelibus ſecernantur.

THESIS SEXAGESIMA QVINTA, DE

Miſsâ Papali.

I.

O Miſſis variis Miſſæ, quæ adferuntur, ſignificationibus, hic eam conſideramus, qua Pontificii dicunt eam eſſe externum & propriè dictum ſacrificium expiatorium, in quo ſacrificuli Chriſtum patri ſuo pro vivis & mortuis offerunt; quodque adferunt fuiſſe celebratum & inſtitutum ab ipſo Chriſto cum celebraret & inſtitueret cœnam ſuam.

II. Primò dicimus hoc ſacrificium falsò cœnæ Dominicæ inſtitutioni tribui:. non enim inſtituit Chriſtus ſacrificium ſed ſacramentum: quod apparet ex inſtitutione ipſa, in qua ne quicquam quidem, ſaltem externum, Deo offerre jubemur. Concedimus tamen in cœna, ut in omnibus actionibus juberi aut debere eſſe internum illud ſacrificium, quo fideles Deo preces, laudes, & gratiarum actiones offerunt. Vnde cœna dicta fuit εὐχαριστία.

III. Secundo, huic ſacrificio repugnat ſacrificii Chriſti natura, veritas & excellentia. Cum enim ſacrificium Chriſti ſit unicum, expiatorium, perfectum, infiniti valoris; cumque Chriſtus ſemel oblatus fuerit, & unica ſui oblatione conſumaverit in perpetuum ſanctificatos ſemel, ut teſtatur ſcriptura: certè, nec ulli alii ſacrificio, nec huius Chriſti ſacrificii repetitioni locus ullus relictus eſt.

IV. Accedit, quod nefas ſit exiſtimare Chriſtum offerri poſſe, aut debere ab hominibus, aut ab ullo alio, quàm à ſeipſo: ille enim ſolus eſt & victima, & ſacerdos, quippe qui ſolus vere ſanctus, innocens, ſine labe, & ſegregatus à peccatoribus.

V. Ex his omnibus ſatis patet non opus eſſe, imò impium eſſe, ſi nunc offeratur ab hominibus hoſtia expiatoria pro vivis & mortuis. Adde, quod ſtultę eſt ignorantiæ, exiſtimare mortuos aut egere aliqua oblatione, aut poſſe illa remiſſionem peccatorum conſequi, qui ante mortem eam non fuerunt conſecuti.

VI. Præter tres iſtos enormes errores in Miſſa patratos, in ſacrificio, in ſacerdote, in iis pro quibus offertur ſacrificium; quartus omnium turpiſſimus, & cum idololatria conjunctus admittitur, quod illud ipſum ſacrificium ab ipſo offerente, & illis, pro quibus offertur, adoratur, & cum pompa circumgeſtatur.

COROLLARIVM.

In hiſce verbis, Miſſa eſt ſacrificium expiatorium, repræſentativum & commemorativum, oppoſitum eſt in appoſito, & clara contradictio.

THESIS SEXAGESIMA SEXTA, DE

Falſis quinque Sacramentis.

I.

CVm tria ad ſacramenti eſſentiam conſtituendam neceſſariò requirantur, nempe, inſtitutio divina, ſignum externum viſibile, & gratiæ inviſibilis ad ſalutem æternam pertinentis promiſſio: ſequitur id ipſum ſacramenti nomine venire non poſſe, quod in uno iſtorum deficit, vel cui unum iſtorum deeſt.

II. Confirmatio ergò Pontificia ſacramentum non eſt, quamquam externa crucis ſignatio in fronte chriſtiani, & chriſmatis unctio adhibentur: nam iſta ſigna, à Chriſto inſtituta non ſunt, neque ſanctificata ad aliquid ſalutaris gratiæ ſignificandum vel obſignandum, neque promiſſa gratia uſurpationi aut receptioni iſtorum ſignorum adnexa.

III. Pœnitentia quidem actus eſt à Domino præſcriptus omnibus in peccatum lapſis, habens promiſſionem remiſſionis peccatorum: at quia nullum in ea ex præſcripto divino externum ſignum, quo gratia ſignificetur & obſignetur, exiſtit; idcirco ſacramenti nomine appellari nequit. Actus enim ſacerdotis pœnitentem abſolventis ad annuntiationem Euangelii pertinet, ut & injunctio illorum operum, quæ ſatiſfactoria à Pontificiis male dicuntur, nempe jejunii, precum, eleemoſynarum, afflictionis animi, &c.

IV. Vnctio, quæ extrema à pontificiis dicitur, quia nonniſi animam agentibus adhibetur, nullas jam prorſus vires habet, neque unquam à Chriſto inſtituta eſt ad promiſſionem gratiæ ſpiritualis ſignandam. Itaque ſacramenti nomine venire nequit.

V. Ordo ſeu inſtitutio, confirmatio, inauguratio alicuius perſonæ ad munus aliquod Eccleſiaſticum obeundum, ſacramenti nomine etiam venire nequit, tum quia ad ſingularem & publicam tum nonnullorum in Eccleſia vocationem, non ad omnium communem pertinet; tum quia licet à Chriſto inſtituta ſit, tamen non ad gratiæ gratum facientis ſeu ſalutaris, ſed tantum ad gratiæ gratis datæ, ut loquuntur, obſignationem pertinent quæcunque ſigna externa in illa adhiberi poſſint.

VI. Matrimonium inter virum & fœminam, quanquam ſimilitudine quadam cum conjugio ſpirituali, quod inter Chriſtum & inter Eccleſiam eſt, conveniat: tamen neque ſignificando huic illud a Domino inſtitutum eſt, neque ullam gratiæ ſpiritualis promiſſionem adjunctam habet.

THESIS SEXAGESIMA SEPTIMA, DE

Cultu Dei in univerſum.

I.

PRior officii noſtri ergà Deum & Chriſtum pars fuit verus de Deo

& Chriſto ſenſus, ſeu vera in Deum & Chriſtum fides: altera eſt rectus utriuſque cultus.

II. Hæc pars variis nominibus appellatur. Apud Hebræos עבודה & יראת אלהים cultus & timor Dei: Græcè εὐσέβεια, θεοσέβεια, θρησκεία, λατρεία, δουλεία, θεραπεία, τιμὴ, φόβος, ἀγάπη τοῦ Θεοῦ: apud Latinos, pietas, cultus ſeu cultura Dei, veneratio, honos, obſervantia.

III. Definiri generatim poteſt: quod ſit obſervantia ex fide vera, conſcientia bona, charitate non ficta Deo Chriſtoque juxta Dei voluntatem nobis patefactam & cognitam, ad utriuſque gloriam, cultoris ſalutem, & aliorum ædificationem præſtanda.

IV. Genus exprimimus voce obſervantiæ, quia illa expreſſam continet noſtræ mentis & utilitatis in Deum, Deique voluntatem, intentionem, quæ huic officii noſtri erga Deum parti vitam ex parte inſpirat.

V. Objectum idem eſt, quod totius Religionis, & primæ eius partis, fidei nempe, Deus & Chriſtus: in quo eædem rationes formales conſiderandæ, quas generatim de Religione agentes explicuimus.

VI. In efficiente, ſed colente, quem hominem Chriſtianum dicimus, requirimus fidem veram in Deum & Chriſtum, conſcientiam bonam, utpote ſanguine & ſpiritu Chriſti per fidem ſanctificatam & purgatam; & charitatem ſyncera̅m, ſine quibus nullus Deo cultus præſtari poteſt ipſi gratus & acceptus.

VII. Materia ſunt ipſæ particulares actiones in quibus cultus Dei conſiſtit: ſed hanc informat ipſa Dei voluntas & præſcriptio: non enim vult Deus coli arbitrio creaturæ, ſed juxta placitum & præſcriptum ſuæ voluntatis.

VIII. Finis præcipuus eſt gloria Dei & Chriſti: minus præcipui, ipſa ſalus cultoris, & aliorum hominum ædificatio, tum ut Chriſto lucrifiant, tum ut ad Chriſtum adducti magis in illa adoleſcant & creſcant.

IX. Forma eſt ipſa obſervantia conformata ex omnium iſtorum apta convenientia, ad objecti nempe colendi dignitatem, præſtantiam & meritum, ex tali colentis diſpoſitione, juxta tale præſcriptum, ex intentione finis iſtius: quorum unum ſi deſit, vitiata eſt obſervantia, & propterea Deo ingrata.

X. Neque tamen propterea omittendus eſt cultus à Deo præſcriptus, etiamſi homo, cui præſcribitur, nondum illum ex huiuſmodi animo in iſtum finem præſtare poſſit.

THESIS SEXAGESIMA OCTAVA, DE

Præceptis cultus divini in genere.

I.

De cultu Dei acturis commodiſſima via videtur eſſe & ratio, ſi mandatorum Dei, quibus cultus ille præſcribitur, ordinem ſequamur, omniaque & ſingula conſideremus. Illa enim ipſum colentem inſtruunt

& in-

& informans, & cultus materiam, formam, & finem præſcribunt.

II. In præceptis cultum Dei præſcribentibus tria generatim conſideranda. 1. Fundamentum illorum quo jus & auctoritas jubentis nititur & æquitas ipſius præcepti. 2. præceptum ipſum. 3. ſanctio per promiſſiones & comminationes. Illud præfatio eſt præcepti, hæc appendix dici poteſt, medium eſt ipſa præcepti eſſentia.

III. Fundamentum ſeu præfatio continens jubentis auctoritatem exque ea æquitatem præcepti, eſt commune totius Religionis & propterea etiam fundamentum fidei, puta, ego Iehova ſum Deus tuus &c. ego Deus omnipotens ſeu omniſufficiens ſum merces tua magna valde. Ego ſum Deus tuus & ſeminis tui: unde non modo concluditur, ergo diliges Iehovam Deum tuum; ergo ambula coram me integrè; ſed etiam, ergo crede in me. Verum de eo hic non agendum, quum in præcedaneis pertractatum ſit.

IV. Reliqua eſſe dico præceptum & præcepti ſanctionem ſeu appendicem. Neque enim exiſtimandum eſt præcepti duas eſſe partes, quarum una poſtulat præſtationem actus vel omiſſionem, altera pœnam; ſed poſteriorem partem, quæ appendix dicitur, horſum facere, ut Deus in priore deſiderio ſuo potiatur, benefacturus ſi obtineat, puniturus ſi non obtineat.

V. Ad præcepta quod attinet, antequam ad ſingula veniamus, primò generatim videndum, quid in omni præcepto conſiderandum veniat.

VI. Imprimis autem objectum cuiuſvis præcepti duplex eſt, unum formale, aliud materiale, ſeu unum formaliter requiſitum, aliud materialiter. Illud ubique & in omni præcepto uniforme eſt, hoc verò diſtinctum.

VII. Objectum formale ſeu formaliter requiſitum, eſt ipſa pura puta obedientia citra reſpectum ipſius rei, vel actus; in quo vel circa quem obedientia ſit præſtanda. Et hanc licet nobis cæcam appellare, eo excepto, quod habeat præcedaneam hanc unicam notitiam, qua ſcitur Deum id ipſum præſcripſiſſe.

VIII. Objectum materiale ſeu materialiter requiſitum eſt actus ipſe ſpecialis ſeu ſingularis, in cuius vel præſtatione vel omiſſione obedientia ſita eſt.

IX. Ex objecto formali deducitur actus, in quo obedientiam ſibi præſtari Deus vult per illius patrationem, eſſe eius naturæ, ut aliquid in homine ſit, quod ab illo patrando abhorreat: & actum, cujus omiſſionem Deus præſcribit, eſſe eius naturæ, ut aliquid in homine ſit, quod ad illum patrandum affectum ſit, ſecus neque illius præſtationem, neque huius omiſſionem obedientiam dici poſſe.

X. Vnde porrò ſequitur actus iſtius patrationem & omiſſionem procedere à cauſa, quæ naturam hominis erga actum vetitum affectam, & à præſcripto actu abhorrentem ſuperet & cohibeat.

THESIS SEXAGESIMA NONA, DE

Obedientia, formali objecto præceptorum omnium divinorum.

I.

OBedientia, quæ formale objectum eſt omnium præceptorum divinorum omnibuſque præceptis præſcribitur, propriè & adæquate præſcribitur voluntati, ſecundum modum libertatis ſe habenti, hoc eſt, qua libera eſt, ut voluntatem ſecundum modum naturæ ſe habentem, hoc eſt, affectum moderetur juxta obedientiam præſcriptam.

II. Libertas iſta eſt vel contradictionis ſeu exercitii, vel contrarietatis ſeu ſpecificationis. Secundum libertatem exercitii moderatur voluntas affectum, ut actum aliquem potius patret, quam ab eo abſtineat, vel contra: ſecundum libertatem ſpecificationis moderatur voluntas affectum ut actu tali potius in hoc quam in illud objectum tendat.

III. Ex hoc formali objecto omnium præceptorum, eiuſque ratione ſic conſiderata, naſcitur omnium præceptorum prima diſtributio, eaque formalis, in præcepta jubentia & vetantia.i.quibus vel commiſſio vel omiſſio præcipitur.

IV. Præceptum vetans ita obſtringit, ut nunquam patrare liceat id, quod vetitum eſt: malum enim non eſt faciendum ut eveniat quod bonum eſt, quæ tamen ſola eſſet ratio cur pr ſtari aliquando liceret, quod prohibitum eſt.

V. Præceptum jubens non æquè obſtringit rigidè, ſic ut quoque vel momento præſtandum, quod jubetur, id enim fieri nequit, quamquam non ſit hominis arbitrio relictum, quando ſit præſtiturus nec nè, ſed ſecundum occaſiones & neceſſitates oblatas eius præſtatio ſit adminiſtranda. Sic non licebat Danieli triduum abſtinere ab invocatione Dei.

VI. Quando præceptum vetans & jubens directè contraria ſunt, ſive ſecundum actum, diliges Deum, non odio habebis eum, odio habebis mundum non diliges eum; ſive ſecundum objectum, diliges Deum, non diligas mundum, odio habebis mundum, non habebis odio Deum; tum tranſgreſſio legis vetantis gravior eſt quam jubentis, quia plus recedit ab obedientia; & commiſſio mali vetiti includit omiſſionem boni præcepti.

THESIS SEPTVAGESIMA,

Porrò de obedientiâ mandatorum Dei in generali.

I.

QVia obedientiam præſtare inferioris eſt, hinc ad illam præſtandam requiritur humilitas quæ

quæ generatim conſiderata qualitas eſt, qua quis aptus natus eſt ad ſubmittendum ſeſe alii, eiuſque juſſa capeſſendum & exſequendum: & hîc quidem ad ſubmittendum ſe Deo.

II. Obedientia partim internum, partim externum actum reſpicit: utriuſque præſtatio ad integram, veram, & ſynceram obedientiam requiritur. Deus enim ſpiritus eſt & cordium inſpector, qui totius hominis tum interni tum externi obedientiam poſtulat, affectuum cordis, & membrorum corporis. Externus ſine interno hypocriſis eſt: Internus ſine externo incompletus eſt, niſi impediatur homo ab externo ſine culpa ſua præſente.

III. Cui penè coincidit quod à Scholaſticis Theologis dicitur, præſtare præceptum vel ſecundum ſubſtantiam actus tantum, vel etiam ſecundum qualitatem & modum requiſitum: quo ſenſu etiam dixiſſe Lutherus videtur, adverbia ſalvare & damnare.

IV. Ad obedientiam integram veram & ſynceram, imò ad obedientiam interni hominis, affectuum cordis, modique legitimi præſtandam requiritur gratia & concurſus Dei ſpecialis. Ad externum verò actum corporis & ſubſtantiam actus tantum preſtandam, anne revelatio & auxilium Dei, quod generale vocatur, & iſti ſpeciali opponitur, contraque illud diſtinguitur, ſufficiat, diſquiri permittimus.

V. Gratia illa ſpecialis quæ movet, excitat, impellit, urget, ad obediendum, quamvis intellectum & affectum hominis moveat phyſicè, adeo ut illius ſenſu non poſſit non affici homo; tamen conſenſum non efficit ſeu elicit, niſi moraliter, hoc eſt, per ſuaſionis modum & libera volitione hominis interveniente, quæ libera volitio non coactionem modo, ſed & omnem antecedentem neceſſitatem & determinationem excludit.

VI. Concurſus verò ille ſpecialis ſive auxilium gratiæ, quod & gratia cooperans & concomitans dicitur à gratia illa excitante, movente, quæ præveniens dicitur & operans, neque genere neque efficacia differt, ſed eadem eſt continuata, tantum cooperans ſive concomitans dicitur, ob concurſum voluntatis humanę, quem gratia operans & pręveniens à voluntate elicuit. Hic concurſus non denegatur illi cui gratia excitans adhibetur, niſi excitanti reſiſtat homo.

VII. Vnde concluditur, hominem regenitum plus boni poſſe præſtare, quam præſtat & plus mali poſſe omittere, quam omittat, & propterea gratiam efficacem neque eo ſenſu, quo ſecundum Auguſtinum accipitur, neque quo ſecundum nonnullos noſtros Doctores, ad obedientiam pręſtandam eſſe neceſſariam, quod ipſum cum Auguſtini doctrina optimè conſentit.

COROLLARIVM.

Coactio libertatem agentis circumſcribit tantum, non tollit; eaque ipſa circumſcriptio non fit niſi mediante ſeu interveniente inclinatione naturali: magis ergò naturalis inclinatio contraria eſt libertati, quam coactio.

THE-

THESIS SEPTVAGESIMA PRIMA, DE

Objecto materiali præceptorum legis in univerſum.

I.

QVemadmodum obedientia purè putè, & velut in abſtracto conſiderata, eſt objectum formale omnium præceptorum legis divinæ; ſic actus in quibus obedientia præſtanda præſcribitur, ſunt objectum materiale præceptorum eorundem.

II. Qua de cauſa actus iſti tum demùm legi conformes & ſecundum legem præſtiti dicentur, cum obedientia iſtas informaverit, hoc eſt, cum ex obedientia ſeu obediendi animo & ſtudio patrati fuerint, quod ſtudium obediendi neceſſariò paæcedaneam habet certam notitiam quod actus illi à Deo pręſcripti ſunt, juxta dictum Apoſtoli: quidquid non fit ex fide peccatum eſt.

III. Vnde apparet bonam intentionem ad actum juſtificandum non ſufficere, niſi præceſſerit mandatum Dei & mandati notitia: quanquam ſine bona intentione nullus actus etiam à Deo mandatus per ſe placere poſſit. Volumus autem ſub actionibus etiam omiſſionem comprehenſam intelligi.

IV. Bonum ergo opus universè haſce conditiones requirit. 1. ut ſit præſcriptum à Deo. 2. ut homo certò norit id à Deo præceptum eſſe. 3. ut animo & ſtudio obediendi Deo fiat, quod ſine fide in Deum fieri nequit; accedere huc debet conditio ſpecialis ad Chriſtum Euangeliumque eius pertinens, ut ex fide in Chriſtum fiat, quandoquidem nullum opus in Deo gratum eſt poſt peccatum in ſtatu gratiæ, niſi in Chriſto & per fidem in illum.

V. Actus autem, qui lege pręſcribuntur, aut ſunt per ſe & in ſua natura indifferentes, aut in ſe habent aliquid cur Deo placeant aut diſpliceant, præſcribantur ab eo aut vetentur. Quæ illos præſcribit lex poſitiva, ſymbolica, ceremonialis dicitur: quæ iſtos lex moralis & decalogus, etiam lex naturæ dicitur. De hiſce poſtremis agemus porrò.

VI. Actus materiales, in quibus obedientia lege morali præſtanda præſcribitur, ſunt vel generales, & ad totius legis omniumque & ſingulorum præceptorum obſervationem pertinentes: vel ſpeciales & ſingulis decalogi præceptis peculiariter præſcripti.

VII. Generales ſunt Amor, honor, timor Dei & fiducia in illum: ſpeciales in ſingulorum præceptorum peculiari explicatione tractabuntur.

THESIS SEPTVAGESIMA SECVNDA, DE

Amore, timore, fiducia, honore Deo ab homine debitis.

I. Actus

I.

ACtus iſti generales vel in primo actu vel in ſecundo conſiderari poſſunt. In primo affectuum nomine veniunt; in ſecundo, proprium actuum nomen ſibi retinent. Propter arctam vero inter affectum & actum ſecundum unionem & naturæ convenientiam eodem nomine affectus & actus appellantur amoris, timoris, fiduciæ, honoris.

II. Amor Dei eſt actus officioſus hominis, quo ſciens volens unionem ſui cum Deo, legiſque divinæ obedientiam omnibus rebus aliis anteponit, cui ſubjicitur odium ſeparationis & inobedientiæ.

III. Timor Dei eſt actus officioſus hominis quo ſciens volens offenſam Dei in tranſgreſſione mandatorum eius poſitam, iram eius, cenſuram, & ſiniſtram de ſe exiſtimationem ante omnia exhorreſcit & fugit, ne ab eo ſeparetur.

IV. Fiducia in Deum eſt actus officioſus hominis, quo ſciens volens in Deum ſolum recumbit, ab eo omnia certò ſperans & exſpectans quæ ſalutaria ſibi ſunt, quibus & malorum amolitionem compræhendimus.

V. Honor Dei eſt actus officioſus hominis, quo ſciens volens Deo debitum ipſius excellentibus virtutibus factiſque præmium retribuit.

VI. Objectum horum omnium actuum, prout lege præſcripti & officioſi ſunt, primum eſt ipſe Deus: quibuſcunque enim aliis rebus iſti actus præſtandi ſunt, propter Deum, & ex ipſius juſſu præſtandi ſunt, ſecus boni verè dici non poterunt.

VII. Ratio formalis objecti, cur nempe iſti actus Deo præſtari poſſunt & debeant, ſunt ſapientia, bonitas, juſtitia, & potentia Dei, actuſque ſecundum eas & per eas ab illo præſtiti: quæ autem ad ſimplices actus poſtulandos priores vel poſteriores partes obtineant piè diſquiri permittimus.

VIII. Cauſa immediata iſtorum actuum eſt homo, ſecundum intellectum, affectum, & libertatem voluntatis ſuæ, non qua homo animalis, ſed quà ſpiritualis, & ad vitam Dei reformatus.

IX. Cauſa præcipua eſt Spiritus ſanctus, qui & affectus amoris, timoris, fiduciæ, honoris infundit homini per actum regenerationis, & ad actus ſecundos excitat, movet, incitat gratia excitante, cumque ipſo homine ad eoſdem producendos gratia cooperante concurrit.

X. Forma actuum iſtorum eſt, ut ex fide ſecundum legem Dei fiant. Finis ut ad ſalutem ipſorum operantium, Dei gloriam, & aliorum lucrifactionem, confirmationemque perpetrentur.

THESIS SEPTUAGESIMA TERTIA,

DE

Actibus obedientiæ ſingularibus, ſeu qui ſingulis præceptis præſcripti ſunt, ſeu de decalogo in univerſum.

I.

Actus obedientiæ ſpeciales decalogo, ſingulisque præceptis præſcribuntur: quare ipſe decalogus nobis ex ordine conſiderandus eſt.

II. Decalogus commodè diſtribuitur in præfationem & præcepta. Præfatio hiſce verbis comprehenſa eſt: *Ego Iehova ſum Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto domo ſervitutis.* Arbitramur enim præfationem iſtam potius ad totum Decalogum quàm ad primum præceptum pertinere: quamvis de re adeò exiguâ contendere non arbitremur conſultum.

III. Præfatio continet argumentum ſuaſionis generale, cur populus Iſraeliticus Iehovæ obtemperare debeat, idque duplex, unum ductum à jure fœderationis, alterum à particulari beneficio inſigni recens illi præſtito. Illud continetur hiſce verbis, *Deus tuus*: iſtud ſequentibus, *qui eduxi te ex terra Ægypti*, cuius beneficii commendatio eſt ex deſcriptione addita, quod Ægyptus fuerit illis domus ſervitutis: illi exaggerando ſervitutis miſeriæve quæ illis acciderunt in memoriam revocare poterunt.

IV. Quanquam argumentum hoc *Deus tuus*, etiam ad creationem reſpicere poſſit, idque beneficium comprehendere, tamen ſpeciatim intendi fœderis cum iſto populo pactionem veriſimilius eſt.

V. Ex hac præfatione commodè deduci poſſunt actus iſti generales de quibus præcedenti diſputatione actum eſt, amor, timor, fiducia, honor Dei; quia enim Iehova eſt Deus ipſorum, qui ipſos ex Ægypto liberavit, idcirco etiam amandus eſt, timendus, honorandus, & fiducia in illum collocanda, tum meritò, tum utiliter.

VI. Generatim autem nonnulla obſervanda ad omnium ſimul præceptorum rectam præſtationem; qualia ſunt:

VII. Lex Dei integram oris, cordis, operis, id eſt, externam & internam obedientiam requirit: Deus enim totius hominis Deus eſt, animæ & corporis, & præcipuè cor intuetur.

VIII. Explicatio præceptorum Decalogi à Moſe, Prophetis, Chriſto & Apoſtolis petenda eſt, & ſufficienter haberi poteſt, adeò ut nihil neceſſarium cogitari poſſit quod ex V. & N. Teſt. ſcriptis hauriri non poſſit.

IX. Ex fine propter quem datum eſt uniuſcuiuſque præcepti ſententia eſt ſumenda, eaque omnia eo includi judicanda ſunt, ſine quibus præſtari præceptum nequit: propterea etiam unum & idem opus ad diverſa præcepta referri poteſt, quatenus ad diverſos fines ſpectat.

X. In affirmatione negatio, & in negatione affirmatio oppoſita videtur compræhenſa eſſe, quia non tantum à malo abſtinentiam, ſed etiam boni efficientiam poſtulat Deus: quamquam ratio reddi poſſit cur nonnulla negativè, nonnulla affirmativè enuntiaverit Deus.

XI. Actiones homogeneæ & cognatæ eodem præcepto jubentur aut vetantur, genuſque ſpeciés, & ſpecies una cognatas ſibi alias complectitur, niſi cauſa juſta ſit cur ſecus ſit ſtatuendum.

XII. Effectus in cauſa ſua, & cauſa

cauſa in effecto ſuo, ſi converſio eſt neceſſaria & ſecundum naturam, non ex accidenti jubetur & prohibetur.

XIII. Relativorum uno præſcripto, vel vetito etiam alterum præcipitur vel vetatur, quia ſe mutuo ponunt & tollunt.

XIV. Si contingat duorum præceptorum obſervationem præſtari ſimul non poſſe, eius habetur ratio quod momenti majoris eſt, & cuius præſtandi juſtiores pluresque cauſæ ſunt.

THESIS SEPTUAGESIMA QUARTA,

DE

Primo Decalogi præcepto.

I.

DEcem Decalogi præcepta commodè in præcepta primæ & ſecundæ tabulæ diſtribuuntur, & primæ tabulæ ea præcepta tribuuntur, quæ officium noſtrum erga ipſum Deum immediatè præſcribunt, qualia ſunt quatuor: Secundæ tabulæ ea præcepta quæ hominum erga homines officia continent, eique ſex poſtrema attribuuntur.

II. Reſpectus hic inter utriuſque tabulæ præcepta eſt, ut ex amore erga Deum eiuſque reſpectu, amorem & officia amoris erga proximum præſtemus: & ſi contingat ut neceſſario officium vel erga Deum vel erga proximum ſit deſerendum, Deus proximo præferatur, intellige in iis quæ ſunt cultus non ceremonialis; alioquin valet illud, *volo miſericordiam, & non ſacrificium.*

III. Primum præceptum eſt, Non erit tibi Deus alius coram facie mea, vel contra faciem meam.

IV. Hoc præcepto negativo tanquam præcedaneum quid & prærequiſitum includi ſeu præſupponi hoc adfirmativum, *me Iehovam habebis pro Deo tuo*, certiſſimum eſt, idque ex præfatione ipſa immediatè ſequens. *Ego Iehova ſum Deus tuus:* Ergo, *Sim ego Iehova Deus tuus*, vel, quod idem eſt, ergo, *habe me Iehovam pro Deo tuo.*

V. Habere autem pro Deo eſt tum intellectus tum affectus ſeu voluntatis, denique & effectus ex utroque ſeu ſingulis exiſtentis.

VI. Alius Deus eſt quicquid humana mens comminiſcitur cui divinitatem (ſive eſſentia ſit & vita, ſive proprietates, ſive opera, ſive gloria) ſoli vero Deo convenientem & propriam attribuit.

VII. Sive autem res cui divinitatem attribuit homo ſit aliquid exiſtens vel creatum, ſiue aliquid non exiſtens & purè putè imaginarium, & figmentum cerebri, perinde eſt, divinitas enim illius alius Dei tota in attributione humana eſt radicaliter, eſſentialiter, virtualiter, nullo modo in eo cui attribuitur. Hinc illa phraſis in Scriptura; *poſt cor ſuum fornicari.*

VIII. Poteſt autem Deus hic alius ſub triplici differentia juxta Scripturas concipi. Aut enim ipſi habentes primi illum commenti ſunt, aut à parentibus illum accepere, aut denique ab aliis populis acceperunt, quum neque ipſi neque partes eorum illum cognoverint: idq;

poſtremum ſit vel coactione, vel ſuaſione, vel libera & ſpontanea voluntatis electione.

IX. Hac de cauſa alius ille Deus verè idolum dicitur, & actus quo alius Deus habetur idololatria, ſive illa mente, æſtimatione, agnitione, fide; ſive affectu, amore, timore, fiducia, ſpe; ſive aliquo externo effectu honoris, cultus, adorationis, invocationis patretur.

X. Peccati huius enormitas apparet ex eo, quod appellatur defectio à Deo, deſertio vivi fontis, & effoſſio cavernarum quæ aquam non habent: perfida conjugii ſacroſancti deſertio, & pacti connubialis violatio: imò quod dæmoniis ſacrificare dicuntur Gentiles quicquid Deo ſe offerrè putant in iſta Dei ignorantia & ab alienatione à vitâ Dei.

XI. Cauſa cur dæmoniis ſervire dicantur, quamquam ſecus arbitrentur homines, hæc eſt, quod Sathan ſit totius idololatriæ fons, caput, & origo, & omnis cultus qui impenditur alii Deo auctor, ſuaſor, impulſor, approbator, defenſor: unde & ſummus idololatriæ gradus eſt, cum quis Satanam ut Sathanam, & ſe pro Sathana gerentem & venditantem pro Deo habet, vel divinitatem illi tribuit.

XII. Quanquam autem Gentiles Angelos ſive Dæmonas non ut ſummum Deum coluerunt, ſed ut Minores & Miniſtros illius, quorum interventu cum ſummo Deo communicarent; tamen cultus quem illis exhibuerunt fuit idololatria, qui cultus iſte nulli quàm Deo vero debebatur: non pertinet autem ad definitionem idololatriæ ut quis cultum ſoli vero Deo debitum alii præſtet tanquam Deo; ſufficit enim ſi illum pro Deo habeat, cultum divinum illi attribuendo, etiamſi mente exiſtimet illum non eſſe Deum illum ſupremum. Non excuſat crimen, ſed aggravat, ſi ſciens quis divinum cultum præſtet ei quem ſcit ipſum Deum non eſſe.

XIII. Quumq; Chriſtus, quia à Patre Rex & Dominus ſit conſtitutus, & omne judicium acceperit ſit honorandus ut Pater, omneque genu ei incurvandum, & ipſe quoque invocandus ut Mediator & caput Eccleſiæ, adeo ut nemini illum honorem citra idololatriæ crimen præſtare poſſit Eccleſia: hinc Pontificii Mariam, vel Angelos, vel ſanctos homines adorantes & velut donorum datores & adminiſtratores, vel ut interceſſores per merita ſua invocantes, idololatriæ crimen admittunt.

XIV. Imò vero cum panem in cœna adorant, & ipſum Pontificem pro eo quem ſe venditat accipiunt & habent, idolatriæ peccatum perpetrant.

THESIS SEPTUAGESIMA QUINTA, DE Secundo Decalogi præcepto.

I.

PRæceptum ſecundum conſtat mandato & ſanctione eius, à deſcriptione Dei ad puniendum tranſgreſſorem prompti & potentis, & beno-

beneſaciendum obedienti valde propenſi, quo comminatio pœnæ & promiſſio præmii conſequenter includitur.

II. Mandatum ipſum negativum eſt, vetatur factum Deo diſplicens his verbis: Non facies tibi ſculptile, nec ullam imaginem eorum quæ ſunt in cælo ſurſum, neque eorum quæ ſunt in terra deorſum, neque eorum quæ in aquis ſub terra: non incurvabis te illis, neque coles ea.

III. Summa pręcepti eſt, nequis ullam imaginem ſculptam, fuſam, pictam, aut quovis alio modo factam, ſive archetypon habeat rem exiſtentem, ſive fictam, Deum vel creaturam, ſive archetypon ſuum referat ſecundum realem aliquam convenientiam, ſive tantum ex inſtitutione & opinione adoret, aut cultu divino proſequatur: vel, quod idem eſt, ne id quod Numinis loco habet & colit, ſive vere ſive falſo, in ulla vel ad ullam imaginem adoret vel colat.

IV. Quemadmodum ex collatione huius præcepti, & aliorum Scripturæ locorum, ubi Deus imagines quaſdam confici jubet, apparet, non vetari ipſam quarumvis imaginem confectionem, modo ad cultum non proſtituantur, ita ex hujus eiuſdem præcepti aliorumque illi collateralium ſive analogorum comparatione conſtat, imaginem ad Deum repræſentandum nullam confici debere, quia hoc ipſum nihil aliud ſit quam mutare gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem rei corruptibilis: quicquid enim effingi poteſt viſibile eſt, & ideo corruptibile: quod generatim affirmare cum Scriptura non veremur, quanquam cum eadem & ex eadem ſciamus Chriſtum nunc ſecundum corpus incorruptibilem eſſe.

V. Diſtinctio duplex hic à Pontificiis adhibetur, Archetypi & imaginis, deinde imaginis ipſius quà ex tali materia confecta eſt, & qua imago eſt, hoc eſt, relata & apta ad repræſentandum archetypon: unde porrò deducunt intentionis in colendo diſtinctionem qua cultor vel in archetypon ſolum, non imaginē, vel ſi etiam in imaginem, non tamen in illam qua ex tali materia eſt, neque in illam principaliter, ſed relatè ad archetypon intuetur. Nos non negamus mentem hominis eiuſmodi diſtinctionem confingere poſſe.

VI. Sed cum procumbentes ante imaginem illa diſtinctione ſe excuſare à tranſgreſſione huius præcepti moliantur, Deum ipſum mendacii arguunt, & ipſius mandatum irrident, mēdacij arguunt, quia cum Deus dicit procumbentem ante imaginem dicere ligno & lapidi, *Tu Pater meus es*, illi dicunt, hoc illum non dicere ligno & lapidi, ſed archetypo, nempe Deo: irrident Deum & mandatum eius, quia per illam diſtinctionem fit ut nemo unquam, quanquam imagines quaſvis adorans, reus iſtius præcepti violati agi poſſit, niſi ſecundum ſuam ipſius opinionem judicaverit illud lignum verè Deum eſſe, & propterea ſe verè & reipſa Deum effeciſſe, quod ut ratione utenti eveniat impoſſibile eſt.

VII. Sed excuſationem ſuam iſta diſtinctione nitentem ex parte annihilant, cum dicunt imaginem eodem honore & cultu, ſive λατρείας, ſive δουλείας, ſive ὑπερδουλείας affici quo ipſum archetypon: neque extendit ſe excuſatio per iſtam diſtinctionem cum ipſum Deum

imagine repręſentant, quia id ſimpliciter vetitum eſt ne fiat.

VIII. Dicimus ergò Pontificiis ſecundum judicium Dei,& ipſas expreſſas Scripturas, rectè tribui quod effingant eſſentiam Dei, cum illum in forma ſenis cana barba prædi ti & ſolio inſidentis repræſentant, etiamſi expreſſis verbis dicant ſe ſcire Deum non habere corpus, & proteſtentur ſe hanc formam non ipſius eſſentiæ repræſentandæ effinxiſſe, ſed tantum repræſentandæ comparitioni eius Prophetis aliquando factæ, & ſignificandæ præſentiæ ipſius hanc ſimilitudinem inſtituiſſe: eſt enim proteſtatio contraria factis, cum facta natura id ſint non quod nos ea eſſe fingimus, ſed quod Deus Legiſlator ea eſſe dicit. Ille autem dicit ſe aſſimilari, ſibi ſimilitudinem fieri, ſe ſtatui aureo vel argenteo ſculptili eſſe ſimilem.

IX. Omnes illas imagines de quibus diximus, tum Dei tantum ad repręſentandum poſitas, tum aliarum rerum ſive verarum ſive fictarum ad cultum expoſitas, dicimus rectè tum ſecundum etymon vocis, tum ſecundum uſum ſcripturarum εἴδωλα dici, & diſtinctionem inter idola & ſimulacra ſive imagines à Pontificiis uſurpatam ex ſpecu horrendæ idololatriæ productam eſſe.

X. Quo præcepto vetantur imagines ullæ ad cultum divinum confingi aut inſtitui, eodem aliæ ſi jam factæ ſunt & ad cultum expoſitæ tolli jubentur, adhibita hac duplici cautione. 1. ut fiat præcedanea commoda & ſufficiente doctrina. 2. ut ab iis penes quos in Republica & Eccleſia poteſtas eſt.

XI. Quicunquam honos talibus imaginibus, vel numini per tales imagines exhibitus, ipſi Deo vero fit ignominioſus, tamen & qui imagines quæ rectè factas & legitimè ad cultum propoſitas arbitratur, contumelia afficit, ipſum numen quod colere præſumit contumelia afficit, & ἄθεον ſe declarat.

XII. Affirmatio negativo toti præcepto oppoſita ſtrictè & directà hic eſſe videtur, ut Deum, quia Spiritus eſt, pura mentis cogitatione & abſtractâ ab omni imaginatione colamus.

XIII. Sanctio præcepti comminationem includens, hæc eſt: Ego enim Iehova Deus tuus, Deus Zelotes ſum, viſitans iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem in his qui oderunt me; hoc eſt, niſi meo huic præcepto obtemperaveritis, ſentietis me eſſe honoris mei æmulum, neque paſſurum impunè ut ille alteri detur, aut ut gloria mea ſculptilibus communicetur.

XIV. Altera pars ſanctionis continet promiſſionem his verbis: Et ego Iehova ſum Deus, faciens miſericordiam in mille diligentibus me,& cuſtodientibus præcepta mea; hoc eſt, ſi huic meo præcepto obedieritis, ſentietis me miſericordia uſurum erga vos, & erga liberos veſtros in milleſimam generationem, ſiquidem & illi me amaverint.

XV. Fit autem mentio poſteriorum, ut eo magis excitentur homines ad obedientiam, cum non tantum ſuo, ſed etiam poſterorum ſuorum bono & malo ſint obtemperaturi vel transgreſſuri.

XVI. Ex collatione præcedentis præcepti & huius, apparet duplicem eſſe idololatriam, unam qua

falſum

ſalſum & fictitium numen colitur, alteram qua verum vel falſum numen in imagine, per imaginem, vel ad imaginem colitur; quæ tamen ipſa imago aliquando falſus & alius Deus dicitur, quod & hic ſignificare videtur Deus, cum argumento à zelotypia ſua ducto ab huius præcepti violatione deterrere ſtudet.

COROLLARIVM.

Pontificiorum idololatriam citra exaggerationem, Iudæorum & Gentilium idololatriæ æquiparari poſſe. Si excipiatur, quod neque liberos ſuos per ignem traduxerint, neq; vivos homines ſacrificaverint: Reſp. Horrendam tyrannidem in trucidatione tot mille matyrum idololatria apud illos vigentis firmandæ cauſa exercitam, ſi non ſecundum facti ſpeciem, ſaltem ſecundum peccati gravitatem, traductioni liberorum per ignem, & vivorum hominum oblationi ex æquo comparari poſſe.

THESIS SEPTVAGESIMA SEXTA, DE

Tertio præcepto Decalogi.

I.

CONſtat hoc præceptum ut & præcedens, mandato, & ſanctione eius per pœnæ comminationem. præceptum negativum eſt, prohibens factum Dei diſplicens, his verbis, *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

II. Ratio, ſumma & finis præcepti eſt: Quia Deus totus ſanctus ſit, & nomen eius plenum majeſtatis, ſanctè illud & reverenter eſſe uſurpandum, nulloque pacto commune habendum aut contaminandum.

III. Nomen Dei generaliſſima notione hic accipitur, pro omni verbo quod ad Deum vel divina ſignificandam ex inſtituto Dei uſurpatur.

IV. Aſſumere ſeu ſumere nomen Dei eſt illud verbum in os ſumere & lingua eloqui, propriè: ſi quis ſynecdochicè ſub eo etiam facta comprehendere velit, quibus Deus vel divina minùs religioſe tractantur, per nos licet, & putamus à præcepti ſenſu non recedi. Nos vero in explicatione propriæ ſumptionis perſiſtimus.

V. Particula, in vanum, variè accipitur, pro eo quod eſt temerè & ſine juſta cauſa: per fruſtra & nullo utili fine, pro mendaciter, falsò, ſimulatè, incogitanter, &c. unde longe lateque etiam hæc prohibitio ſe diffundit.

VI. Sed forte non incommode ad duo ſumma capita ſeu genera omnis ſumtio nominis Dei in vanum reduci poterit: ut primum genus complectatur uſurpationem nominis Dei, quum illius mentio omninò facienda non eſt, hoc eſt, in dicto vel facto, cui Deus nominis ſui mentionem intervenire non voluit: vel quia licitum non ſit, vel quia minoris momenti.

VII. Secundum verò genus complectatur uſurpationem nominis Dei non rectam, quum ſcilicet in officio aliquo noſtro ubi licite uſurpari poteſt, vel etiam debite ex præſcripto Dei uſurpari debet, non vere uſurpatur.

VIII. Hu-

VIII. Huiuſmodi officia ſunt Adoratio & Invocatio Dei; Verbi ipſius aut rerum divinarum Enarratio & Prædicatio, Iuramenta, &c. In hiſce uſurpatur nomen Dei in vanum tripliciter, vel hypocriticè, quum non ex toto corde ſyncerè uſurpatur; vel dubitante conſcientia, quum non certa fide quod in eo uſurpari fas ſit, uſurpatur: vel etiam contra conſcientiam, ut quum ad teſtimonium dandum mendacio uſurpatur.

IX. Comminatio eſt in hiſce verbis: Nam non relinquet Iehova eum impunitum, qui nomen eius vanè ſeu in vanum uſurpaverit: qua perſuadere nititur, ne quis hoc nomen uſurpare audeat: cuius tantò major eſt neceſſitas, quantò minor eſt peccati iſtius æſtimatio inter homines.

THESIS SEPTVAGESIMA SEPTIMA, DE Quarto præcepto.

I.

PRæceptum hoc continet duas partes; mandatum & rationem eius. Mandatum verò proponitur 1. paucis verbis, inde latius explicatur. Propoſitio eſt in hiſce verbis; Memento ut diem Sabbathi ſanctifices: explicatio in iſtis; Sex dies operaberis &c. Ratio vero hiſce comprehenditur: Nam ſex diebus fecit Deus cœlum & terram &c.

II. In præcepti propoſitione notentur 1. ipſe actus præſcriptus: qui eſt ſanctifica io. 2. cura anxia & ſollicita de actu iſto non omittendo, quæ expreſſa eſt iſto verbo, memento, & ne obliviſcere. 3. objectum, quod dicitur, dies Sabbathi vel ſeptimus, ſeptimus nempe in ordine dierum, quibus creatio cœpta & perfecta eſt; qui Sabbathum dicitur ab eo, quod tunc Deus quieviſſet & homini erat quieſcendum.

III. Explicatio continet duo. 1. Conceſſionem, ut ſex dies impendant operibus ad animalem vitam eiuſque ſuſtentationem pertinentibus, quæ conceſſio continet mandati æquitatem. 2. Mandatum de quieſcendo ab illis operibus ſeptimo die, cum enumeratione eorum quos quieſcere oporteat. Non tu modo, ſed & filius tuus, ſervus, ancilla, jumentum, advena quieſcent, quotquot nempe ſunt in tua poteſtate quieſcere facies.

IV. Ratio continet in ſe duo argumenta: quorum prius eſt ipſius Dei exemplum, qui ſeptimo die quievit ab operibus ſuis. Poſterius benedictio, & ſanctificatio Dei qua ſeptimum diem voluit ſeparatum à reliquis diebus, & ſibi ſuoque cultui deſtinatum.

V. Sanctificare ſeptimum diem eſt illum ab uſibus communibus & ad animalem vitam pertinentibus ſeparare, & Deo actibuſque ad Deum reſque divinas vitamque ſpiritualem pertinentibus conſecrare: quæ ſanctificatio variis actionibus conſtat.

VI. Quouſque abſtinentia ab operibus ad animalem vitam pertinentibus extendenda ſit, utiliſſimum conſideratu arbitramur, & quanquam

quam nihil præciſè præſcribimus, tamen licentiam talia opera patrandi quam maxime reſtrictam vellemus, & ad pauciſſima neceſſaria reſtrictam. Non enim dubitamus quin variè apud Chriſtianos Sabbathum violetur, non abſtinendo ab iis, quæ aliis diebus licita ſunt.

VII. Actiones ad ſanctificationem ſabbathi pertinentes duobus generibus concludi poſſe arbitramur, ut aliæ ſint per ſe & primo ad Dei cultum pertinentes, Deoque in ipſis gratæ & acceptæ. Aliæ iſtis actibus præſtandis ſubordinatæ, & horſum ſervientes ut illæ actiones Deo ab hominibus quam optimè præſtari poſſint, quales ſunt quæ ad inſtitutionem fidelium in officio ſuo pertinent.

VIII. Huiuſmodi autem ſanctificatio non tantum privata & domeſtica eſſe debet, ſed etiam publica & eccleſiaſtica. Vult enim Deus non tantum à ſingulis privatim agnoſci, coli, invocari, laudari, ſed etiam ab omnibus ſimul junctis in Eccleſia magna, ut hac ratione non modò ſingulorum, ſed & totius univerſitatis Deus & Dominus eſſe agnoſcatur.

IX. Cæterum quia homini huic animali vitæ nimis intento facile obrepit negligentia Dei & divinorum, hinc neceſſe fuit memoriam hominibus refricari, hac voce, memento: &c.

X. Iam vero quod ad diem ſeptimum attinet qui ſanctificari jubetur; in eo id morale & perpetuum eſt, ut dies ſeptimus hoc eſt, unus ex ſeptem cultui divino conſacretur, neque fas ſit ulli homini ullo tempore, quum ſex dies animalis vitæ operibus impenderit, ſeptimum in iiſdem omnibus aut eodem modo continuare.

XI. At vero quod ad diem illum inter ſeptem, qui dies ſex quibus Deus creationem perfecit, inſecutus eſt, attinet, eius ſanctificatio non eſt perpetuæ inſtitutionis & neceſſitatis: ſed mutari ille in alium diem potuit, & ſuo tempore, ut mutaretur fas fuit: nempe in diem, qui Dominicus appellatur, propterea quod nova creatio tunc per reſurrectionem Chriſti ex mortuis in Chriſto capite noſtro peracta erat, & novum populum novum quendam ſabbatiſmum inchoare æquum erat.

XII. Ratio illa, quæ ab exemplo Dei qui quievit die ſeptimo, creatione nempe perfecta, deſumpta eſt, uſque ad novæ creationis tempus duravit, ideoque illa ceſſante, aut ſaltem ad illam ſecunda ex nova creatione accedente, non mirum fuit diem illum in ſequentem quo reſurrexit Chriſtus, mutatum fuiſſe ab Apoſtolis. Chriſto enim non amplius in carne ambulante, neque ſecundum carnem noſcendo, nova facta ſunt omnia.

XIII. Benedictio vero & ſanctificatio Dei ab illo die Sabbathi in Dominicum tranſlata eſſe intelligitur, eo quod omnis ſanctificatio ad novum mundum pertinens, in Ieſu Chriſto, qui vere ſanctus ſanctorum eſt, & in quo omnia ſanctificantur in æternum, perficitur.

XIV. Ratio, qua Deus poſtea populo ſuo ſabbathi obſervationem ſuaſit: quia eſſet in ſignum inter Deum & populum ipſius, quod Iehova eſſet ſanctificans illos, etiam ad tempora N.T. accommodari poteſt, & ſabbathi obſervationem illis perſuadere.

X V. Si quis diem dominicum à reliquis diebus nullo modo diſtinguendum putaverit, aut illum libertatis Euangelicæ declarandæ cauſſa in alium diem vel Lunæ vel Martis tranſmutaverit, ſaltem pro ſchiſmatico in Eccleſia Dei habendum arbitramur.

THESIS SEPTVAGESIMA OCTAVA, DE

Quinto præcepto.

I.

HOc præceptum primum eſt ſecundæ tabulæ. Continet autem præceptum ipſum, tum præcepto additam promiſſionem. Finis præcepti eſt ut ordo quidam ſit inter homines ſecundum quem hi ſuperiores, alii inferiores ſint, qui in præſtatione mutua officiorum ad ſocietatem tuendam neceſſariorum imperandi, & parendi conſiſtit.

I I. Præceptum præſcribit actum, & addit objectum, cui ille actus præſtandus ſit. Actus voce honorandi continetur; Objectum hiſce vocibus, patrem tuum & matrem tuam: unde apparet juxta relatorum naturam, hanc legem omnibus iis præſcriptam, qui relativè patri & matri oppoſiti ſint.

I I I. Honorandi vox quàm aptiſſime uſurpatur ad eminentiam ſignificandam: honor enim excellentiæ præmium eſt, eiuſque præſtatio ſignum cognitionis: & vox illa comprehendit omnia officia quæ ſuperiori ab inferiore debentur, vel ſignificationis ſuæ ambitu, vel ut filius, omnia ad illum neceſſaria.

I V. Tria autem præcipue iſto vocabulo continentur 1. ut reverentia exhibeatur ipſorum perſonis. 2. ut obedientia præſtetur ipſorum præceptis. 3. ut gratitudo ipſis præſtetur, in collatione omnium ad vitæ præſentis conſervationem neceſſariorum, cum reſpectu ad dignitatem perſonæ & officii eorum.

V. Reverentia conſiſtit tum in præſtatione illorum actuum qui illorum ſupereminentiæ & noſtræ ſub illis ſubmiſſionis continent confeſſionem: tum in tolerantia vitiorum & morum, conniventiaque ad illos, & verecundâ eorundem obtectione, benignâque excuſatione.

V I. Obedientia poſita eſt in promta & liberali præſtatione eorum quæ præſcribunt, & omiſſione eorum quæ prohibent; quæ non tantum propter iram ſeu metum pœnæ, verum etiam propter conſcientiam præſtanda eſt, idq; non tam ut ipſis quam ipſi Deo, cuius vicem gerunt, obtemperetur.

V I I. Gratitudo, quæ continet colllationem rerum illis ad uſus vitæ ſecundum dignitatem neceſſariorum, extendere ſe debet non tantum ad tempus quo munere iſto funguntur, verum etiam per totam vitam, etiamſi obtingat illos per ſenium aut alia cauſa ad munus obeundum ineptos eſſe.

V I I I. Officiis inferiorum ſuperiorum officia analoga ſunt, ut gravitatem moderatam & decorum in omni vita publice & privatim præſtent, in præcipiendo juſtitiam & æquitatem ſervent, in gratitudine poſtulanda modum non excedant.

At de

At de hiſce particulatim agetur in loco de Magiſtratu.

IX. Objectum vocibus patris & matris enuntiatur, quibus omnes illi compræhenduntur, qui ſupra nos poſiti ſunt in humana ſocietate: ſive in politica, ſive in eccleſiaſtica: ſive in ſcholaſtica, ſive in domeſtica: ſive tempore pacis, ſive tempore belli: ſive ordinario, ſive extraordinario munere fungantur, ſive in perpetuum, ſive tantum ad aliquod tempus, quantumvis breve, cum autem iſta poteſtate ſint.

X. Omnes autem illi aptè & non citra juſtas cauſſas hic parentum nomine exprimuntur, quod blandum & amenum eſt, & idoneum maxime tum ad ſignificandum affectum, quem ſuperioribus erga inferiores ineſſe par eſt, tum ad officii erga illos præſtandi æquitatem inferioribus efficaciſſime perſuadendam. Additur quod prima inter homines ſocietas ſit domeſtica, & unde reliquæ proveniunt per incrementa generis humani.

XI. Eminentiæ autem iſtius gradum non amittunt ſuperiores quovis peccato, aut vitioſitate ſua: unde & hoc honoris, reverentiæ, obedientiæ & gratitudinis officium præſtandum ſuperioribus etiam malis & poteſtate ſua abutentibus: caveatur modo ut Dei ſemper apud nos partes potiores ſint, & ſic detur Cæſari quod Cæſaris eſt, ne Deo auferatur aut non tribuatur quod ipſius eſt.

XII. Cui ipſi cautioni triplex alia cautio neceſſariò adjungenda eſt. 1. ne quis erret in judicio, quo hoc vel illud Dei eſſe & non Cæſaris ſibi perſuadet. 2. ut recte diſcernat inter id quod agere vel tolerare jubetur, & ſi agere, an actio ſit circa rem vel objectum ſuæ poteſtati ſubditum nec ne. 3. Ne ſub titulo libertatis; non obediendi in hoc vel iſto, arroget ſibi jus ſuperioris; aut in ipſum ſuperiorem inſurgendi poteſtatem ſive ad vitam ſive ad dominatum tantum ipſi eripiendum.

XIII. Promiſſio verò huic præcepto addita continetur hiſce verbis ut ſis longævus ſuper terram quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi: quibus promittitur primariò quidem Iudæis fidelibus præceptum hoc præſtantibus longævitas vitæ in terra Canaam: Secundariò verò etiam ipſis gentilibus fidelibus mandatum facientibus vitæ preſentis duratio. Denique typicè talibus promittitur vita æterna ſeu cœleſtis, cuius terrra Canaam typus fuit.

THESIS SEPTVAGESIMA NONA, DE

Sexto præcepto.

I.

Conſtituto per quintum præceptum ordine in humana ſocietate, per mutua ſuperiorum & inferiorum officia imperandi & parendi, jam Deus cavet omnibus iis quæ ad vitam in iſta ſocietate degendam neceſſaria ſunt, vitæ ſingulorum, propagationi ſpeciei, bonis ad vitam neceſſariis, & famæ: addens decimum præceptum poſt finem, quo concupiſcentia certarum rerum prohibetur.

II. Sextum præceptum per verba hæc, *Non occides*, conſervationem vitæ animalis & incolumitatem corporum pro ſcopo habet, utque illa ſarta tecta ſit, curat.

III. Summa autem præcepti eſt, ne vitam alterius aut corporis eius incolumitatem, imò neq; noſtram, vel reipſa lædamus, ſive fraude ſive violentia uſi, vel voluntate eius læſionem optemus: accedat, ne huiuſmodi noſtram voluntatem judicio ullo externo ſignificemus.

IV. Vnde apparet homicidij nomen non appellandum ſi quis caſu (ut Scriptura loquitur) ſecuri & manu ſua lignum in ſylva ferientis, excidente aliquem interficiat, neque ſi ad defenſionem vitæ ſuæ cogatur, vim ſibi ab altero illatam, cum illius periciculo repellere.

V. Iubetur vero hoc præcepto ut vitam proximi, imo & noſtram, legitimis modis & rationibus conſervare, & ab omni injuria tueri ſtudeamus.

VI. Cauſſa vero hujus præcepti univerſalis & ubique & ſemper valens eſt hæc: quod homo ad imaginem Dei, quę hic præcipuè notat immortalitatem, conditus eſt: cui addi poteſt naturæ ſimilitudo, & quod omnes ex uno ſanguine originem trahimus. Cauſſæ vero particulares multæ adferri poſſunt quæ ſtatui hominum ſpirituali conveniunt, utpote quod à Chriſto pretio redempti ſint, corpora eorum habitaculum Spiritus ſancti ſint, quod omnis ſint corporis unius myſtici membra ſub uno capite, &c.

VII. Reſervat vero Deus ſibi interea de cujuſvis hominibus vita diſponendi jus pro arbitratu: unde ſunt mandata magiſtratibus facta de occidendis tranſgreſſoribus, & mandatum Abrahæ datum de interficiendo filio ſuo.

COROLLARIVM.

Homicidij perpetratio cum bona conſcientia conſiſtere nequit, niſi de eo remiſſio per particularem pœnitentiam &c. impetrata fuerit.

Paullo poſt hanc diſputationem peractam 31. Iulij, ſecuta eſt Collatio Hagienſis, quæ habita eſt in conſeſſu Illuſt. Ordd. à qua Auctor ſtatim ingraveſcente morbo lecto affixus, tandem 19. Octobris placidè in Domino expiravit.

FINIS.

IACO-

IACOBI ARMINII
S. S. Theol. Doctoris eximij,

amica cum

D. FRANCISCO IVNIO
DE
PRÆDESTINATIONE
per litteras habita

Collatio.

Illuſtribus, Nobiliſsimis, Magnificis

D. D.

ORDINIBVS

PROVINCIÆ

VLTRAIECTINAE,

Dominis noſtris honorandis.

QVIN divina planè miſericordia factum ſit, ut cum reſtituta patriæ noſtrę libertate, excuſſoque jugo tyrannidis Ibericæ, Eccleſiæ quoque Ieſu Chriſti his locis ab idololatria repurgatæ fuerint, neminem putamus eſſe, qui ſi aliqua pietate tactus in res patrum, ac majorum ætate geſtas oculos conjiciat, dubitare queat.

Preſſerat enim Remp. dudum dira ſervitus, omnique ſervitute gravior tyrannis conſcientiarum, qua omnibus qui non præfinitò ad formulam Concilii Tridentini loquerentur, crederent, viverent, poſt exquiſitiſſima tormenta, certum igni, aqua, gladio, reſte, exitium inferebatur, niſi maturè deſerta patria boniſque omnibus mallent nudi atque extorres inter ignotos vivere, & quam à ſuo Principe non poterant, ab aliis Principibus clementiam experiri. Sævitum diu fuit, permittente ita Deo, in innoxia civium capita, nulla ſexus, nulla ætatis, nulla ordinis habita ratione. Sacras ſcripturas legiſſe; ſolum Deum religiosè coluiſſe; Chriſtum, qui in cœlis ad dextram Patris regnat, negaſſe paucorum verborum obmurmuratione ex pane creari, atque ita ſub ſpeciebus panis adorandum eſſe; dixiſſe, peccata mortalium ſolo illius ſanguine deleri, neque ullo igni ſubterraneo aut indulgentiis purgari; edictum aliquod Eccleſiæ Romanæ minimum violaſſe, carnes die Veneris guſtaſſe, aut aliud levius commiſiſſe, captale erat. Nulla ferè eſt honeſtior in patria noſtra familia, quæ non

iſtius

iſtius flammæ ſcintillas experta ſit. Iamque adeò omnia ſurſum prorſum miſcenda videbantur, quum reſpiciens adflictam Patriam noſtram è cœlo Deus, Vos excitavit Illuſtres, Nobiliſſimi, Magnifici Domini, in quorum Diœceſi, inque urbe Metropolitana, conjuncti atque uniti Patriæ noſtræ Proceres, capita quædam ſanctæ libertatis in Rep. & Eccleſia ſervanda decreverunt. Et fuit quidem illud de Religione caput tunc temporis, rudius conceptum; neque enim patiebantur initia illa accuratiorem omnium partium reſtaurationem, vigente adhuc magna ex parte Papatu, armiſque circumſtrepentibus: Sed heroica virtus veſtra, nihilo ſecius, inter tubas & crepitus armorum pro vita & incolumitate civium ſuſceptorum, ſemper hoc ſibi in ipſo Marte propoſitum habuit, ut poſſet aliquando depoſitis armis pacis ſtudia cum Religionis Apoſtolicæ puritate conjungere.

Simulatque ergo conceſſum vobis divinitus fuit ſpacium reſpirandi, reportata ab hoſte Hiſpano cum duodecennalibus induciis præclara illa confeſſione à vitæ libertatis atque *αὐτονομίας*, retuliſtis vos protinus ad primas illas curas conſtituendæ tranquillitatis Eccleſiaſticæ. Sciebatis enim muneris veſtri eſſe omniumque adeo *ἐν ὑπεροχῇ ὄντων*, dare operam, ut cives *ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωσιν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι*. Videbatis etiam, non in vicinis tantum, ſed in veſtra etiam Republica, id nuper præciſis quorundam actionibus conſiliiſque effectum eſſe, ut titulo reformationis, pauci aliquot inquieti, ſibique pariter atque aliis moleſti homines, *κυριότητα ἀθετοῦντες, δόξας δὲ βλασφημοῦντες*, novam quandam hierarchiam, non eam quidem idololatriæ aut ſuperſtitionis, ſed conſcientiarum tyrannnidis inveherent; & quod ipſi optimum ac veriſſimum judicarent, id aliis protinus Viris bonis, etiam cum graviſſimorum ſuppliciorum comminatione præſcriberent, abutentes ad hanc rem credulæ plebis facilitate, & paucorum quorundam doctorum noſtrorum autoritate: Quum autem res iſta certum Eccleſiæ ſchiſma, triſtem civibus calamitatem, & funeſtam Reip. Chriſtianæ labem eſſet illatura, neque adhuc copia ulla Synodi generalis daretur; extitiſtis vos primi, qui ad Reip. & Eccleſiæ vobis commiſſæ conſervationem, formulam quandam regiminis Eccleſiaſtici ante hos annos ſex conceptam, juſſiſtis in lucem protrahi, ut quibus ea partibus brevior videbatur, ſuppleretur; quibus laxior, truncaretur; quibus mutila,

rigeretur, atque emendaretur; ad exemplum (quo ad eius fieri poterat) inſtitutionis Apoſtolicæ, ut ita habita in rebus in differentibus ratione indolis civium veſtrorum, veſtriq; politeumatis, omnia fierent, εἰς οἰκοδομὴν καὶ οὐκ εἰς καθαίρεσιν.

Sed meditantes iſta triſtis quidam perculit caſus, qui, parum abfuit, quin turbatis conſiliis omnibus, totam vobis Rempublicã, & cum Republica Eccleſiam voſque adeò ipſos ſubvertiſſet: hoc agente Diabolo, ut ſalute poſthabita excuſſoque imperio cives mutuis factionibus in ſua invicem viſcera ſævirent. Quæ mala ſimul atq; cæleſti potiùs quàm humanâ providentia per vos & confœderatos vobis Belgicæ Proceres compoſita atque conſopita ſunt, relápſi eſtis protinus ad priſtina illa pacis & pietatis conſilia, formulamque regiminis Eccleſiaſtici concepiſtis, qua quidem omnibus pacem Iſraëlis exoptantibus nihil videtur ſalubrius, nihil ad concordiam firmius hoc quidem tempore potuiſſe exoptari.

Qui exiſtimant pacem aliter fieri non poſſe, quam ſi conceptis, minutatim de rebus ſingulis formulis ac decretis, edicatur poſtea, ut qui ſecus ſentiunt communione excludantur, non poſſunt quin neceſſitatem rerum credendarum in infinita capita dirimant, adeò ut Chriſtianus aliquis de fide ſua interrogatus, vel indicem deciſionum talium conſulere cogatur, vel alioqui Bibliothecam adire & autores ſuos evolvere, priuſquam certi quicquam poſſit reſpondere: quod quidem malum quum in Scotia ante complures annos zelotarum quorundam ſtudio invaluiſſet, poſteà Sereniſſimi Magnæ Britanniæ Regis authoritate & divinâ prudentiâ emendatum eſt. Vtut enim amplificandi & probandi capita plura habeant paſtores atque Epiſcopi, quam habeat plebs; tamen credendi & ſanctè vivendi paria ſint oportet, & quidem numero pauca, formâ ſimpliciſſima. Vult enim Deus neceſſaria omnia expoſita eſſe, adeò ut ab eorum perceptione neque per imbecillitatem corporis, neque per varietatem occupationum retrahatur quiſquam, neque per difficultatem obſcuritatemque abſterreatur. Sole & Luna nihil magis eſt neceſſarium, nihil tamen magis expoſitum hominum uſibus: Deus ipſe, qui alioqui lucem habitat inacceſſam, ita mentibus noſtris & ſenſibus ſeſe ingerit, ut nihil rerum creatarum videri poſſit, quod non de ipſo teſtetur, eiuſque ſapientiam, bonitatem, & juſtitiam prædicet. Deinde, quum abſtruſiora ſcientiarum non niſi longo tempore, multis laboribus

atque vigiliis, parari poſſint, voluit Deus neceſſaria fidei dogmata paucis capitibus comprehenſa, per Apoſtolos ſuos Eccleſiæ proponi, ut qui in illis conſentirent, Chriſtiani, Catholici, Orthodoxi audirent, etiamſi in minutiis quibuſdam probitionum, alius fortè aliò iret. Cauſas plures collegit adverſus Gentes Thomas, earum tamen unam quia id meretur, ſubjicimus. *Quia inquit, inveſtigationi rationis humanæ plerumque falſitas admiſcetur, propter debilitatem intellectus noſtri in judicando, & phantaſmatum permixtionem; & quia apud multos in dubio remanerent ea quæ ſunt veriſſima & demonſtrata, dum vim demonſtrationis ignorant, & præcipuè quum vident à diverſis qui ſapientes dicuntur, diverſa doceri; inter multa etiam vera quæ demonſtrantur immiſcetur aliquando aliquid falſum quod non demonſtratur, ſed aliqua probabili vel ſophiſtica ratione adſeritur, quæ interdum demonſtratio reputatur; ideò oportuit per viam fidei fixa certitudine ipſam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi.* Hac ergo lege fidei manente, ut præclare à Tertulliano ſcriptum eſt, cætera jam diſciplinæ & converſationis, admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet & proficiente uſque in finem gratia Dei. Apoſtoli brevi Symbolo omnia credenda complexi ſunt: Deus ipſe agenda, Decalogo: Chriſtus petenda orationis formulâ à ſe præſcripta: Quis ille eſt, qui ſupra Deum, Chriſtum, Apoſtolos ſapere audeat, & vel ſuis deciſionibus Eccleſiam onerare, vel injectis ſpinoſis quæſtionibus piorum animos conturbare, & unitatem Eccleſiæ convellere? Si cui tantum vel animi eſt vel otii, meminerit, Fidei eſſe credere quæ non videas, & adſentiri iis quorum cauſas ignores: Divina ſacro myſteriorum velo, tegi; noſtrum eſſe actionem ad fidem adjungere, & ferre in aliis omnia, quæ pietatem non lædunt. Nunquam tam benè orbi Chriſtiano fuit, quin quum in neceſſariis, hoc eſt, in paucis omnes convenirent; in reliquis, hoc eſt, in multis alii ab aliis diſſentirent, ſalva etiam Eccleſiæ unitate. Nullum dari ſeculum poteſt quo hoc non licuerit: nullus Eccleſiaſticus ſcriptor qui non & ab aliis & à ſeipſo interdum recedat; adeò, ut qui hodie ſententiam aliquam extra illa neceſſitatis capita velit defendere, facilè inventurus ſit inter antiquos quem ſuæ opinioni obtendat. Proinde benè illi de genere humano mereri videntur, qui in ſancta & religioſa opinandi libertate unitatem concordiamque Eccleſiæ ſitam eſſe judicantes, hominum animos neceſſariis adſtringunt,

gunt, à diſputandoque retrahunt ad ſtudia vivendi: & ut Socrates ſapientiam è cœlo revocatam in urbibus primus collocavit, ita ipſi Chriſtianam plebem ab altercatione ad mores & vitam revocant: etſi enim jucundi ſint diſputantium labores, tamen agentium, hoc eſt Deo obtemperantium, & laudabiliores ſunt, & fructuoſiores.

Ac perpetua quidem hæc Patris noſtri IACOBI ARMINI dum vixit vota fuiſſe, perpetuaſque contentiones, omnes qui eum norunt, facilè teſtari poſſunt: nos ſanè ſæpè vidimus illum noctes diebus hæc talia meditantem continuaſſe. Neque verò fuiſſet illi difficile, ingenium adverſus Eccleſiæ hoſtes armare, & Bellarminum aliquem, aut totam ſimul phalangem Pontificiam impetere; ſed quum judicaret, quædam ab illis non malè doceri, quædam non rectè à noſtris, non putavit ſibi aut in agro alieno cum noxiis herbis bonas fruges evellendas, aut in proprio zizania quæ avenarum ſuperſeminator atque interpolator Diabolus ſubſtituerat, pro utili & ſalutari ſegete venditanda.

Et initio quidem, qui erat illius candor, ſperabat haud magni rem laboris futuram: nam quum alios ex ſuo ingenio metiretur, credebat humanitate, prudentiâ, ratione manifeſta eo perduci poſſe fratres ſuos, ut vel errores commonſtratos agnoſcerent ipſi ultrò, atque emendarent; vel ſi veritatem (ut fit) vinceret pertinacia, ſaltem paterentur alios eam, quod initio etiam licuerat, profiteri. Fruſtra. Multi enim vel hoc ipſum pro crimine habuerunt, quod in ea quæ ipſi, ipſorumque anteſignani poſuerant, auſus fuiſſet anquirere. Caput autem & veluti fons unicus omnium quos ille culpabat errorum, eſt præpoſterè concepta de divinâ Prædeſtinatione opinio: hoc enim caput ita ut à Calvino conceptum eſt, judicabat non tantùm à ratione omni, ſed etiam à natura ipſius Dei & ſacris literis eſſe alienum; ipſis quinetiam moribus omnique religioni adeò adverſum, ut ſi quis ex illius ſententiæ tenore vitam ſuam inſtitueret, non poſſet ullo modo ad ſalutem pertingere. Quid enim mundum aut carnem cum omnibus voluptatum illecebris, & lenociniorum irritamentis fugiat is, qui credit certoque ſibi perſuaſum habet, non poſſe ſe ſalute ſua excidere; ſed tam eſſe neceſſarium ut ſalvetur etiam poſt peccatum, quam neceſſarium eſt, ut Deus decretum ſuum non frangat? Quid pietati, juſtitiæ, ſanctitati, quarum ſtudium nunquam non

acerbum eſt, & per ſe horridum, operetur; qui certo ſtatuat, non quidem ſe eſſe in numero illo abſolutè rejectorum quia id ſciat, ſed eſſe poſſe, licet id neſciat? Ac fatebatur quidem ſæpenumerò parens noſter, fieri poſſe; ut D. Calvinus & Lutherus in ſententiam illam, quam ipſe oppugnabat, religione aliqua ſcripturarum perducti eſſent; ſed quum & illæ ipſæ ſcripturæ non rectè ab ipſis eſſent intellectæ, & tota ab ipſis diſſentiret antiquitas, Græca pariter ac Latina, & pietati noxia eſſet illa ipſa credulitas, & religionem omnem everteret, putabat ille ſine ullo pacis publicæ diſpendio ea à ſe proponi poſſe, quæ & ſcripturis conſona & Dei naturæ convenientia, & pietati inſtillandæ idonea, & ſi admiſſa eſſent pacem ac concordiam cum ſanctimonia allatura eſſe judicabat. Imprimis verò etiam illud pium ipſius pectus percellebat, quod poſita illa abſoluta decretorum mediorumque ad fines ſuos ſubordinatorum neceſſitate, videbat fieri non poſſe, quin & cauſa peccati Deus ille optimus & ſanctiſſimus ſtatueretur, & in clementiſſimum numen ſub titulo juſtitiæ, ſummæ crudelitatis infamia tranſcriberetur. Fertur quondam Tiber. Cæſar virginem quandam ſtrangulari voluiſſe. Cur? quia ita libebat. Sed quum vetaret id patriæ mos, quo non licebat intemeratam occidere, miſit virginem ad lenonem, & decreto ſuo viam ipſe ſternens ſtupratam occidi juſſit. Suetonius,

Cap. LXI. *Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas eſſet virgines ſtrangulari, vitiatæ prius à carnifice, dein ſtrangulatæ ſunt.*

Ignoſce, ô bone Chriſte, Eccleſiæ tuæ doctoribus, qui de Deo ad exemplum Tiberii docere, loqui, ſcribere, non verentur,

Piſcator adverſus Schafman. *Deum homines hoc conſilio condidiſſe, ut non tantum labi poſſent; ſed etiam ut reipſa laberentur; quippè quum non niſi hac ratione pervenire potuerit ad fines illos principales.*

Calvini ſententiam horridiorem quum poſſet deſerere, maluit incruſtare D. Iunius; itaque ſubjectum prædeſtinationis conſtituit non hominem quem nondum Deus creare decreverat, neque eundem creatum cum præſcientia lapſus: ſed creatum, quatenus is naturalibus donis à Deo inſtructus, ad ſupernaturale bonum evocabatur: quæ quidem ſententia Thomæne ſit an non ſit, parum refert; certè conſtat à D. Iunio in Academia Lugdunenſi propoſitam ac defenſam; non multo pauciora habere abſurda quam habeat illa D. Calvini.

Hæc

Hanc ſententiam poſtquam apud ſe excuſſiſſet parens noſter, eamque inveniſſet non iis nixam firmamentis quæ animo ipſius ſatisfacerent: viſum ipſi fuit tum de ea ipſa, tum de priore illa Calvini collationem cum D. Iunio (cum quo illi haud ita pridem ſermo de divina providentia fuerat, & quidem optato ſucceſſu) inſtituere. Brevi itaque ad eum exarato ſcripto, ſelectis aliquot argumentis hoc evincere conatus eſt, utraque illa ſententia, præter alia incommoda, neceſſitatem peccati introduci; ac proinde ad tertiam quæ creationem & lapſum ſupponeret deveniendum eſſe. Hoc ſi obtinuiſſet, animus ipſi erat altius progredi, & tandem decretum de ſalvandis fidelibus, condemnandis infidelibus, proponere. Reſpondit ad illud ſcriptum Iunius, ſed non ſecundum exſpectationem quærentis: quandoquidem partim communem objecti rationem ponendo (quod pænè ἀκατάληπτον) partim verba auctorum flectendo ex pluribus unam ſententiam conflare conatus eſſet, contra eorum qui ſingulas tuebantur mentem. Viſo ergò hoc reſponſo conſtituerat parens noſter Collationem præſcindere. Verum, cum intelligeret poſtmodum, hoc ipſum reſponſum à Convictoribus autoris transſcriptum paſſim per manus ſtudioſorum volitare, contra quàm initio convenerat, imò & in lucem forte edendum: movit hoc eum ut breviſſimam adornaret Replicam, & ad D. Iunium mitteret. Eam Replicam per ſexennium integrum apud ſe habuit D. Iunius, antequam à Deo ex hac vita evocaretur, & tamen ne verbo quidem attigit. Poſt mortem verò illius parens noſter eam auxit & amplificavit, in eum quam nunc exhibemus modum. Non eſt ab eo quæſita victoria, ſed veritas. Habuit D. Iunius laudes ſuas, quas ille ipſe qui eum nuper tantopere extulit, ut putarit adverſus vivum neminem hiſcere auſurum fuiſſe, nondum ſatis capit. Vtinam verò viri illius ad exceptionem iſtam reſponſionem videre licuiſſet. Haberent forte viri graves & docti quod amplius judicarent de ſumma rei. Hoc ſanè effectum putamus, ut cuilibet deinceps manifeſtum futurum ſit, ad multa, imò ad pleraque, reſponderi non potuiſſe: & ſi ulterius in collatione progreſſum fuiſſet, ad incitas omnino Iunium redigendum fuiſſe; & vel ſententiam mutaturum, quod eſt candoris; vel pertinaciam proditurum fuiſſe, quod ab illius moribus erat alieniſſimum. Hanc ergo Collationem, quia & præcipuum S. Theologiæ caput explicat, qualis enim Prædeſtinatio, talis Religio:

& quia inter duos excellentes doctrina viros inſtituta eſt : & ingentibus votis hactenus diu multumque expetita, ſuaſu amicorum paternorum quum in lucem edere decrevissemus, & patronus aliquis huic operi quæreretur, inſcripſimus vobis ILLVSTRES ET MAGNIFICI PROCERES, quorum & moderatio Chriſtiano orbi jampridem nota fuit, & nuper conſtitutis decretis Eccleſiaſticis magis adhuc emicuit; & affectus in patrem noſtrum tantus dum vixit fuit, ut vel illius memoriâ partem aliquam luctus noſtri doloriſque leniamus. Adhibuiſtis illum aliquando vivum ad componendas controverſias in Eccleſiis veſtris natas; adhibete nunc defuncti conſilium ad pietatem Religionemque veram civibus veſtris cum veritate inſtillandam. Ita vos

ILLVSTRES, NOBILISSIMI, MAGNIFICI DOMINI, Ieſus Chriſtus æternus Dei Filius patriæ conſervet, veſtriſque conſiliis benedicat. Datum Lugd. Batav. 8. Mart. Anno ultimi ſeculi cIↄ. Iↄ. C. XIII.

Ill. & Nob. Magnificentiæ veſtræ addictiſſimi,

D. IACOBI ARMINII THEOLOGI Liberi orphani novem.

Ad Lectorem.

Habes hic, amice Lector, duorum graviſſimorum Theologorum modeſtam de divina Prædeſtinatione diſputationem; non quæ omnes circà hoc doctrinæ caput dubitationes expediat, ſed quæ præcipuas ſaltem eius ſententiæ quam amplexus fuit, Cl. Vir. D. Franciſcus Junius. Calvini Paradoxa ad vivum hic non reſecantur, ſed tantum quatenus placitis Iunianis ſunt adfinia: plenius enim ea perſecutus eſt Arminius libello adverſus Perkinſum; pleniſſimè, libro ſingulari quo Theſes quædam inopinatæ D. Franciſci Gomari de hoc argumento examinantur.

Sicut autem liberalis fuit & ingenua hæc duorum virorum veritatis cauſâ inſtituta Διάλεξις*, ita jucundum imò & utilem tibi futurum exiſtimo*

existimo illius conspectum. Erit omninò operæ pretium videre, quam blandè atque humaniter Iunium compellet prior Arminius: quam distinctè res ſuas proponat, quam clarè explicet, quanto cum judicio ordinet, quam nervosè confirmet. Rurſum, quam graviter reſpondeat Arminio Iunius, quam curiosè omnia examinet, quam ſpetiosè diſtinguat, quam callide quædam declinet, quam dextrè diſſimulet. Denique, quam detracto omni ſchemate poſtea nudam veritatem proferat Arminius, & in medium quaſi Solem educat, quibusq; lacertis tela in ſe torta retorqueat. Magnum ſine dubio fuit D. Iunii nomen apud multos, ſed Arminii apud quoſdam non minus: ille fama apud exteros clarebat; hic apud ſuos: In illo eruditio multiplex; in hoc cum philoſophiæ notitia, exacta etiam viguit Theologiæ cognitio, indefeſſo ſtudio ardentiſſimiſque ad Deum votis comparata. Ille multa ſcire voluit; hic ſe defunctum judicabat, ſi hoc unum ſciret quod profitebatur Scripturam ſacram. Ille in judiciis liberior; hic ſcrupuloſus; & lentus. Vterque tamen pacis & concordiæ amans, ſed diverſis conſiliis. Ille quum ſuam ſententiam propoſuiſſet, reliquas quantumvis diſſidentes ad eam inclinare & flectere conabatur; hic quum omnes religiosè examinaſſet, ſolam illam amplectebatur, quam veram eſſe judicabat. reliquis ita rejectis, ut concordiæ ſatis conſultum exiſtimaret, ſi poſito conſenſu fundamentali, in cætera liberè diſquirere liceret. Ita factum eſt, ut illius ſententiam in tanta nominis celebritate ſequantur pauci, huius multi: Sed poteſt forte condonari D. Iunio, quod cauſam iſtam agat frigidiuſcule, nam quum nondum plene ſciret quænam eſſet D. Arminii de Prædeſtinatione ſententia, non tam videtur potuiſſe reſponſiones ſuas dirigere ad Arminiana illa oppugnanda, quam ad ſua defendenda: Quod ipſum tamen quam ſolidè fiat, ex lectione ipſa judicabis. Accipe interea Collationis iſtius SYNOPSIN, *& ex ea cognoſce quid ab utroque præſtitum ſit. Vale.*

PRoœmium Iacobi Arminii.

Proœmium Fr. Iunii ad reſponſionem ſuam,

I.

Arminius tres ſententias de Prædeſtinatione recenſet.

Iunius ſententias illas compoſiturus, duas diſtinctiones præmittit.

Arminius ſententias illas tres diſtinguit. Oſtendit eas non differe ſolo loquendi modo. Et diſtinctiones duas Iunianas examinat.

II.

Arminius proponit trium ſententiarum diſcrimen.

Iunius reprobationis vocem docet triplici ſignificatu accipi, & peccatum eſſe ab Arminio in eius vocis æquivocatione.

Arminius oſtendit ſe reprobationis vocem uſurpaſſe ſignificatione Iunio ipſi familiari.

III. Pro-

III.

Proponitur ſententia D. Calvini ab Arminio.

Iunius negat eam eſſe Calvini, ſuamque pro Calviniana commendat.

Arminius probat eam eſſe Calvini, Iunianam verò a Calvini mente alienam eſſe oſtendit.

IV.

Proponitur ſententia Thomæ, quam Iunius ſequitur.

Iunius negat eam eſſe Thomæ.

Arminius demonſtrat, eam, ut Thomæ non ſit, tamen à Iunio propoſitam in Theſibus publicè diſputatis.

V.

Proponitur ſententia B. Auguſtini.

Eam Iunius conatur cum prioribus conciliare.

Arminius diſcrimen huius à prioribus urget.

VI.

Examinatur prima ſententia quæ eſt Calvini.

D. *Iunius poſtquam diſſeruit de mente illius ſententiæ, de convenientia eius cum ſecunda & tertia, de fundamentis quibuſdam ad illius ſententiæ defenſionem neceſſariis, examinat poſtea D. Arminii argumenta,*

I. *Quod dixerat, Deum non poſſe decernere ullum actum miſericordiæ aut iuſtitiæ ſuæ circà eum, quem nondum decrevit fore, aut quem conſiderat quidem ut creatum, ſed in puris naturalibus.*

II. *Quod dixerat ex eo eſſe conſequens, ut Deus ſit autor peccati. Tandem proponit quæſtiones duas, Vnam, quomodo peccatum ſit liberum, quum voluntas ſit à Deo? Alteram, Cur Deus voluntatem homini indiderit?*

Arminius I. probat fideliter à ſe expoſitam autorum ſententiam. II. Fundamenta Iuniana expendit, de eſſentia Dei. De cauſis actionum divinarum. III. Examinat reſponſiones Iunianas ad argumenta à ſe prolata. Ad primum. Ad ſecundum. IV. Excutit leviter diſtinctiones Iunianas V. Etiam alias, quas ab eius ſententiæ authoribus dixerat inventas, & quas Iunius pretererat, ut ſunt,

1. In peccato aliud, eſſe actum eius, aliud eius vitioſitatem.
2. Decretum Dei ponere quidem neceſſitatem, ſed non ponere coactionem.
3. Diſtinguendum eſſe decretum, ab executione decreti.
4. Aliud eſſe in hac cauſa decretum efficax, aliud permiſſivum.
5. Actum neceſſarium quidem eſſe reſpectu decreti, contingentem vero reſpectu naturæ humanæ.
6. Deum non tam deſtructionem creaturæ quærere in reprobatione, quam ſuam gloriam.

VII.

Tranſit Arminius ad ſententiam Thomæ.

D. *Iunius ait ſe exoptaſſe ut pluribus argumentis priorem ſententiam Arminius ſi fieri potuiſſet, oppugnaſſet.*

Arminius negat priore à Iunio ſoluta eſſe, additque tria inſuper nova argumenta.

VIII.

Sententiam Thomæ tribus quæſtionibus comprehendit Arminius.

Iunius illas agnoſcit, ſed diſtinguit vocem pura naturalia: *& vocem* reprobationis *in ſenſu catachreſtico reiicit.*

Armi-

Arminius explicat vocem pura naturalia: & pro reprobatione ſubſtituit vocem prædamnationis.

IX.

Proponitur prima quæſtio. An objectum electionis & non electionis ſint homines in puris naturalibus conſiderati? Arminius id negat.

Iunius explicat ſententiam, & dicit hominem a Deo conſideratum fuiſſe communiter, citrà rationem peccati ut cauſa.

Arminius oſtendit ſtatum quæſtionis callidè mutatum. Quæri enim, an peccatum ſit condicio præexiſtens in objecto eligendo aut non eligendo. Eſſe autem probat.

X.

Probatur, in electione non conſiderari hominem à Deo in puris naturalibus. 1. quia talis homo nunquam fuit à Deo creatus. 2. quia Deus non diligit & eligit niſi poſt peccatum.

Iunius diſtinguit illud pura naturalia, *Deinde probat imaginem Dei fuiſſe homini naturalem. Poſteriorem verò rationem negat.*

Arminius prius illud argumentum vindicaturus docet quid ſit naturale, quid ſupernaturale: tum quæ partes imaginis Dei naturales fuerint, quæ ſupernaturales in Adamo. Inde refutat ea quibus probaverat Iunius bona illa fuiſſe naturalia: denique oſtendit quo actu Dei hanc aut illam imaginis partem habuerit Adam. Poſtea aſſerit ſecundum ſuum argumentum.

XI.

Probat idem, 1. ex eo quod dicamur electi in Chriſto. 2. quod electio facta ex gratia.

Iunius perplexatur, & ad 1. negat Chriſtum eſſe tantum mediatorem peccatorum: ad 2. dicit, gratiam ab Arminio accipi ſecundum quid, quum intelligenda ſit ſimpliciter.

Arminius argumenta ſua duo vindicat, & pro priore docet, Mediatoris voce non eſſe intelligendum alium quam reconciliatorem. Pro poſteriore, Non intellexiſſe ſe gratiam aliam quam quę peccatori ſit.

XII.

Probatur idem in præteritione, ut quæ etiam præſupponat peccatum.

Iunius præteritionis definitionem culpat triplici nomine: Tum negat Syllogiſmi minorem. Et fulcrum eius primum. ſecundum. Poſtea ratione, autoritate, exemplo probat, præteritionis cauſam non eſſe in homine.

Arminius docet, illud, de definitione, quæſitum eſſe, ſe enim non definiviſſe. Reſpondetque ad tria illa. poſtea minoris ſuæ argumentum primum defendit. Et ſecundum. Dein, diluit ea quæ Iunius à ratione, autoritate, exemplo, attulerat. Poſtremum, oſtendit actum negativum quo homo permiſſus eſt labi in peccatum, non poſſe vocari actum præteritionis. denique defendit argumentum ſuum ſecundum.

XIII.

De præparatione gratiæ eiuſque negatione, docetur, eam non verſari circa homines in puris naturalibus conſideratos.

Iunius ſtatum huius quæſtionis aliter format.

Arminius formatum à Iunio admittit.

XIV.

Arminius quod dixerat, probat, 1. ex eo quod homo non fuerit creatus ita à Deo in puris naturalibus, ſed in gratia ſupernaturali. 2. ex eo, quod Lex homini data eſt, quæ præſtari ſine gratia ſupernaturali non potuit.

Iunius priori membro dicit reſponſum à ſe ad propoſitionem X. ad poſterius, negat particularem illam legem de arbore ſcientiæ boni & mali, ad omnes homines pertinuiſſe. Argumenta Arminij quibus ille oppoſitum probaverat, conatur refellere; primum, ſecundum, tertium & quartum.

Arminius prius membrum docet vindicatum fuiſſe a ſe adſertione propoſitionis decimæ. Secundum jam confirmat in lege ſymbolica. Vbi etiam reliqua ſua adſerit.

X V.

Probatur idem ex eo quod gratia quæ prędeſtinatione homini pręparatur, ſit Euangelica.

Iunius illud de gratia Euangelica refert ad gratiam conſervationis, non ad gratiam reſtaurationis.

Arminius urget, gratiam Euangelicam eſſe primò de reſtauratione hominis peccatoris.

X V I

Probatur idem ex eo, quod relictio hominis in ſtatu naturæ, ſine gratiæ ſupernaturalis adjectione, cauſa fuiſſet peccati.

Iunius reſpondet, gratiam ſupernaturalem non fuiſſe debitam.

Arminius reponit, debitam fuiſſe.

X V I I.

De pręparatione ad pœnam ſic pręteritorum, negat Arminius illorum pœnas ita à Deo fuiſſe præparatas.

Iunius adfirmat fuiſſe.

Arminius perſtat.

X V I I I.

Probat ſententiam ſuam Arminius, 1. ex eo quod ita ſtatuantur peccata neceſſaria. 2. quod pœna ſpiritualis illis deſtinetur, qui à præmio ſpirituali antecedente Dei decreto fuerunt repulſi.

Iunius prius illud negat ſequi. De poſteriore dicit, neminem à præmio ſpirituali repulſum fuiſſe antecedente Dei decreto.

Arminius prius argumentum defendit ipſis Iunij verbis. Secundum ait niti hypotheſi Iunianæ in Theſibus expreſſæ.

X I X.

Probatur idem hoc argumento, Deus ita concipiendus eſt decernere, ſicut exſequitur: At exſequitur in peccatorem, Ergo.

Iunius diſtinguit, & eligi quidem ac præteriri à Deo dicit hominem, damnari vero peccatorem: itaque quod dicitur, Prædeſtinationem nihil actu ponere in prædeſtinato, *ille interpretatur,* nihil ſupponere. *Negat etiam verum eſſe, gratiam Dei non communicari niſi peccatori.*

Arminius explicat phraſin Scholaſticam: & oſtendit, gratiam prædeſtinatione præparatam non dari niſi peccatori.

X X.

Oſtenditur ſententiæ Iunianæ fulcra infirma eſſe. 1. illud, de neceſſariâ declaratione liberalis gratiæ & bonitatis divinæ: hanc enim dicit in creatione apparuiſſe. 2. illud, de neceſſaria declaratione juſtitiæ

juſtitiæ divinæ: nam hæc aliter manifeſtari potuit. 3. illud, de natura providentiæ; negat enim eſſe conveniens, ut ea permittat, ut quiſquam à ſummo fine deficiat.

Iunius ea conatur confirmare.

Arminius ſua explicat, Iuniana efficaciter evertit.

XXI.

Arminius ſententiam Iunianam cum Calvini ſententia conferens, oſtendit utrimque introduci neceſſitatem peccandi.

Iunius id negat.

Arminius diſtinctè probat. Priprimum in ſententia Calvini, ubi etiam rufutat ea quæ ſententiæ Calvini excuſandæ & defendendæ allata ſunt. Poſteà in ſententia D. Iunij.

XXII.

Oſtenditur imò, ſententiam ſecundam quæ Iunij eſt, minus eſſe probabilem quam ſit prima.

Argum. I. Quia fingit objectum, quale nullum fuit unquam.

Iunius huic argumento reſponſum à ſe ait ad propoſitiones VI. & X.

Arminius reſponſiones illas à ſe quoque excuſſas dicit.

XXIII.

Arg. II. Quia illud copulat inter ſe decreta heterogenea.

Iunius contra, decreta ait rectè inter ſe cohærere.

Arminius contrarium evidenter oſtendit.

XXIV.

Arg. III. Quia hiatum relinquit inter decretum præteritionis & probationis, quem Calvinus ſupplet.

Iunius negat opus eſſe medio decreto.

Arminius oſtendit non poſſe ex præteritione ad prædamnationem rectè perveniri, niſi intercedente decreto poſitivo neceſſarij peccati.

XXV.

Arg. IV. Quia eſt inconveniens, ut quę concipiat homines aut non conſideratos in Adamo recens creato; aut non omnes conſideratos; aut diverſimodè conſideratos.

Iunius ut eluctetur, docet, creationem eſſe naturalem, prædeſtinationem ſupernaturalem; itaque mirum non eſſe, ſi aliter illa, aliter hæc conſideretur.

Arminius negat id eſſe conſequens.

XXVI.

Arg. V. Quia introducit decretum æquivocum, & ſub condicione tantum diviſionis certum.

Iunius id negat.

Arminius mentem ſuam explicat, & efficaciter confirmat.

XXVII.

Sententia B. Auguſtini quæ tertia erat intacta relinquitur ab Arminio, & cur?

Iunius eam dicit cum duabus illis prioribus conſentire.

Arminius oſtendit non convenire: & concludit.

FINIS.

IACOBI ARMINII
amica cum
D. FRANCISCO IVNIO
DE
PRÆDESTINATIONE
per litteras habita Collatio.

Clariſſimo viro D. D. FRANCISCO IVNIO,
Fratri in Chriſto debita obſervantia mihi colendo

IACOB. ARM. ſalutem dicit.

Vir Clariſſime, & multis mihi nominibus venerande,

Proœmium I. Arm. ad primum ſuum Scriptum, quo dubitationem ſuam ſuper veritate dogmatis de Prædeſtinatione, quomodo hactenus variè explicatum fuit, aperiens, certiorem à F. Junio inſtructionem deſiderat.

QVi ſententijs aliorum ſuum aſſenſum non tribuunt, judicio quidem certo id facere videntur ſibi, & alijs videri volunt: ſed alienæ ſententiæ ignoratio ſæpiuſculæ ejus rei eſt cauſa, quam tamen in ſe minime agnoſcunt. Ego doctorum hominum tum noſtri, tum antiqui ſeculi ſententijs de Prædeſtinationis & Reprobationis decreto aſtipulari hactenus certa anima perſuaſione non potui. Cauſam iſtius ut judicio certo adſcribam non patitur meæ imperitiæ conſcientia: ut ignorantiæ, vix fert opinio quædam mea, qua illorum ſententias mihi percepiſſe videor. Hęſitavi itaque hucuſque; adſentiri metuens ſententię alienæ meo animo non plenè perſuaſæ; & adſeverare non audens eam, quam veriorem quidem habui, at doctiorum calculis nondum adprobatam. Quare neceſſarium mihi putavi ad animi tranquillitatem cùm doctoribus ſuper hoc decreto conferre, ut experirer an illorum docta opera dubitationem mihi & ignorantiam eximere poſſet, & ſcientiam certitudinemque menti meæ ingenerare. Et feci quidem hoc jam antea apud æquales nonnullos, & alios qui ſunt in auctoritate; at (ut verùm fatear) inutili mihi, aut etiam damnoſo eventu. Quare ad te confugiendum mihi putavi: quem partim ex editis ſcriptis, partim ex aliorum relatu talem novi, ut abſque metu certum mihi ex te fructum liceat ſperare.

Reſpon-

Reſponſio

FRANCISCI IVNII.

Doctiſs. Viro

IACOBO ARMINIO

Domino & fratri Chariſſimo ſalutem.

Proœmium Reſponſionis Iuniana, quo diuturni ſilentij cauſam adfert, quæſtionem ſuper qua conſulitur graviſſimam eſſe, ſeque pro modulo ſuo reſponſurum teſtatur.

Diuturni ſilentij cauſam, obſervande frater, mihi Tertullianus attulit, quem à me ſuſceptum fuiſſe jam diu non ignoras: Interea litteras tuas in pegmate collocavi è regione adſpectus mei, ut mei erga te officij recordarer quàm primum poſſem, & ad argumentum poſtulationis tuæ attenderem. Ac certam quidem graviſſimæ unius quæſtionis explicationem à me deſideras: qua in quęſtione quod veritatis eſt novit plenè Dominus: quod ſatis eſt expreſſit in verbo ſcripto, quod ſecundum Deum utrique conſulimus: quod ſentis, & non ſentis apertè enuntias: quod ſentio per me aperiri cupis: ut ex hac mutua congreſſione & communicatione illuſtremus gratiæ divinæ veritatem. Faciam pro menſura, quam mihi admenſus Dominus, quod poſſum; & myſterij hujus auguſtiſſimi quicquid video indicabo, ſive ex veritate, ſive ex ſpeculo opinionis videro: ut quod Dei eſt habeas mecum; quod non videmus quæras mecum, ſi quæri in verbo poteſt: quod meæ opinionis eſt, ſi melius videris, amanter & fraterne retegas, & ſalutari monitu revoces in veritatis viam. Nihil hic περὶ τῶν προοιμιαζομένων dicam, quia ad rem ipſam malo tranſcurrere, quæ magis facit πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, quam Apoſtolus præcipit. Omnes pietati & veritati ſtudere judico: ſed non omnes propterea in pietate veritatem omnem vident. Cognoſcimus omnes ex parte, atque ex parte prophetamus: & Spiritus veritatis de die in diem deducit nos in omnem veritatem. Partem veritatis percipimus; partemque tradimus: reliquam ſuis momentis ſpiritus veritatis daturus eſt petentibus. Det igitur ille utrique noſtrum τὸ παραλαβεῖν καὶ παραδίδοναι ἀλήθειαν. Hujus autem collationis fraternæ uſum ut melius percipiamus uterque, & nihil mihi imprudenti (ut conferentibus plærunque fit) excidat, ſequar ipſa litterarum tuarum veſtigia; verbum de verbo exſcribens, & diſtinguens in quædam veluti capita locos ſcriptionis tuæ: eiſque ſubjiciam eodem ordine ſententiam meam de ſingulis, ut ad omnia quid ſentiam, quid non, & quibus fundamentis & rationibus ſentiam perſpicuè videre poſſis, & ſecundum Deum ſtatuere ex modo reſponſionis meæ. Hic ergo primus locus ſcriptionis tuæ, ubi te dicentem recognoſcas licet.

1. Cor. 13. Ioh. 16.

Dicit ſe diſtinctiurum ſcriptum Arminij in capita, ſive propoſitiones quaſdam.

I.

Prima propoſitio ARMINII *ex diſtinctione* IVNII.

Video itaque, Vir clariſſime, tres in univerſum eſſe de iſto Articulo ſententias, quæ ſuos habent adſtipulatores inter doctores Eccleſiæ noſtræ. *Una* eſt, quæ Calvini & Bezæ dicitur: *altera*, Thomæ & Sectatorum: *tertia*, Auguſtini & eorum qui illum imitantur. Omnes in eo conveniunt; quod pariter ſtatuunt: Deum ęterno & immutabili decreto

Enumerantur tres diverſæ de prædeſtinatione ſententiæ, ſingulæque ad auctores ſuos referuntur: oſtenditurque in quo conveniant omnes.

 ſtatuiſſe

ſtatuiſſe certis hominibus, cæteris præteritis, dare vitam æternam ſupernaturalem, eaque media iiſdem præparatio quæ ad vitam iſtam conſequendam ſunt neceſſaria & efficacia.

F. IVNII *ad primam propoſitionem reſponſio.*

Plures in ſpeciem inveniri poſſe quã 3 diverſas ſententias.

VArias ſententias ſi quis accumulare volet, plures in ſpeciem habiturus eſt; ſed hæ ſunto ſanè virorum facilè principum in ratione docendæ veritatis hujus ſententiæ. In quo autem convenire omnibus inter ſe prædicas, duo ſunt explicatione & animadverſione (niſi me animus fallit) digniſſima. Vnum eſt, id quidem, quod ais, eſſe veriſſimum; *Deum æterno & immutabili decreto ſtatuiſſe certis hominibus dare vitam æternam ſupernaturalem*: ſed vitam illam æternam non hic eſſe primò & per ſe opus divinæ prædeſtinationis illius, quin potius ſecundariò & per conſequens τῆς υἱοθεσίας conſectariam. Demonſtrat Apoſtolus Epheſ. 1. προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς αὐτὸν, κατὰ τὴν εὐδοκίαν, &c. Et paulo poſt. verſ. 9. ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, &c. Et Rom. 8. 17. εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι, κληρονόμοι μὲν θεοῦ, συγκληρονόμοι δὲ τοῦ Χριστοῦ &c. Non ignoras autem, ſi pro differentia ponitur aliquis effectus, definitionem rei vitioſam eſſe. Prædeſtinatio, ſi propriam ejus differentiam ſpectes, Scriptura teſte, εἰς υἱοθεσίαν eſt, in filiationem (ut ita dicamus) ſive adoptionem filialem, cujus effectus & conſequens æterna vita. Sic verum eſt prædeſtinari nos ad vitam, ſed proprium prædeſtinari ad υἱοθεσίαν ſingulari gratia cæleſtis patris. Qui utramvis ponit, alteram ſupponit: ſed priorem illam in tractatione communi ſemper & omninò poni neceſſe eſt. Quamobrem hujus totius argumenti expeditior fore videtur ratio, ſi hoc ordine ſalutare illud prædeſtinationis divinæ decretum obſervemus: Deum prædeſtinaviſſe nos ad adoptionem filiorum Dei in Chriſto εἰς αὐτὸν, ejuſque adoptionis viam & terminum æterno ſuo decreto præfixiſſe: viam quidem gratiæ, nos in officio deducentis vocatione & juſtificatione noſtri: terminum verò vitæ, quam adſequemur perfecta glorificatione noſtra, Rom. 8. quæ duo gratiæ illius effecta ſunt, & noſtræ adoptionis conſequentia ἀψευδέστατα. Verum igitur dicitur omninò, cum Deus ad vitam illam certos homines prædeſtinaviſſe dicitur: ſed in ratione docendi nec ſatis videtur dici, nec ſatis commodè, niſi υἱοθεσία in Chriſto gratuita, velut prior juſtificatione & vita ac gloria ſubſternatur. Alterum adhuc animadverſione mihi quidem videtur habere opus, cum Deum dicis, *ea media hominibus iiſdem præparaſſe, quæ ad vitam iſtam conſequendam ſunt neceſſaria & efficacia.* Hæc enim etſi dicuntur veriſſimè, tamen certa cautione diſtingui, & religioſe accipi neceſſe eſt. Opus prædeſtinationis divinæ eſt (ut ita dicam) filiatio noſtra, quod Deus nobis eſt pater, & nos filios adjungit ſibi per gratiam. Quicquid autem Deus ad hanc υἱοθεσίαν conſummandam in nobis ordinavit; id reſpectu υἱοθεσίας illius noſtræ non medium, ſed neceſſarium adjunctum eſt, aut conſectarium. Illa ipſa æterna vita eſt conſectaria adoptionis

ptionis

ptionis noſtræ εἰς αὐτόν. Reſpectu verò adjunctorum & conſequentium inter ſe alia aliorum media appellari poſſunt; ut vocatio medium juſtificationis dicitur, & juſtificatio glorificationis noſtræ. Rom. 8. Veruntamen utut media ſint, ſecundum quid plæraque ſunt neceſſaria & efficacia, non per ſe atque ſimpliciter; nam ſi per ſe ſimpliciterque eſſent neceſſaria & efficacia, æquè in omnibus pijs & electis neceſſaria eſſent & efficacia: non ſunt autem plæraque ejuſmodi; cum etiam infantes, & qui hora ſuprema veniunt vocati à Domino, ſine illis vitam æternam conſequentur. Atque hæc per occaſionem dicta: alioquin de re omninò convenit.

Replica I. ARM. ad Reſponſionem F. IVNII.

Clariſſimo Viro

D. D. FRANCISCO IVNIO,

fratri in Chriſto debita reverentia colendo.

Vir Clariſſime, & multis mihi nominibus venerande,

Proœmium Replicæ Arminij, quo ſibi videri indicat, pleraſque argumentationes ſuas reſponſionibus Iunij non refutari, ideoq; ſe eas de novo repetiturum ac firmaturũ quo accuratius ad eas reſpondeatq.

LEgi tuum ſcriptum & relegi, eaque qua potui diligentia excuſſi, ſingulas ejus partes cum meis propoſitionibus accuratè, pro virium modulo, conferens, ut certius de veritate rei, quæ inter nos agitur, judicare poſſem. Dum autem ſingula judicij luce expendo, animadvertere mihi videor pleraſque meas propoſitiones & argumentationes tua reſponſione non refutari: quare audio calamum in manus ſumere, & aliquid commentari, quo, quid in iſta reſponſione deſiderem, ſignificem, & meas rationes propugnem. Omnino autem mihi perſuadeo T. R. non ægrius id laturam, quàm priore meo ſcripto uſurpatam libertatem tulit, mihique ſi quæ correctione indigere, & refutatione digna videbuntur eadem caritate indicaturam: ut ego veritatem, quam in ſimplicitate cordis quæro, tua fideli opera intelligere queam, & alijs ad gloriam Dei & ipſorum ſalutem, quantum uſus poſtulabit, explicare. Spiritus ille veritatis mihi adſit, mentemque & manum ita dirigat, ut à veritate nullibi aberret: ſi tamen quid exciderit vero ipſius ſenſui minus conſentaneum, id non dictum non ſcriptum haberi volo.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio reſponſionis ad primam propoſitionem.*

Vt ut plures poſſunt eſſe ſententia de Prædeſtinatione: tamen has tres maximè inter ſe & ab alijs diſcrepare.

TRes ego in priore meo ſcripto poſui noſtrorum doctorum de Prædeſtinationis & Reprobationis decreto ſententias diverſas, non contrarias: plures fortè adferri poſſent, ſed non æquè inter ſe, & ab alijs diſcrepantes. Singulæ enim illæ illuſtribus notis & rei ipſius, de qua agitur, eſſentiam naturamque concernentibus, diſtinguuntur. Primo decreti objecto (Homini) diverſum modum & rationem formalem induunt, dum illa condendum, iſta conditum, hæc lapſum Deo decernenti offert. 2. Proprietates divinas aut alias, aut alio modo conſideratas, decreto iſti accommodant. Nam prima miſericordiam & juſtitiam ſibi objectum ſuum præparantes, tertia eaſdem

eaſdem proprietates ut invenientes ſuum objectum præparatum introducit: ſecunda gratiam quæ generis vice eſt ad illam miſericordiam, præficit Prædeſtinationi; & libertatem gratiæ non electioni ſeu præteritioni, præparationi verò pœnæ juſtitiam. 3. Actibus certis inter ſe differunt. Prima ſententia actum creationis decreto iſti tribuit, & lapſum hominis eidem decreto ſubordinat: ſecunda & tertia creationem præmittit; tertia etiam lapſum hominis decreto præſupponit, ſtatuens decretum electionis quod ex miſericordia fluit, & reprobationis quod ex juſtitia adminiſtratur, locum habere non poſſe niſi circa hominem ut peccatorem conſideratum, & propteria ut miſeriam meritum. Vnde apparet me non immerito ſententias iſtas diſſeparaſſe, quæ notabili aliquo diſcrimine inter ſe ſeparantur atque diſcriminantur. Cæterum iſtos noſtros Doctores modo tantum docendæ ejuſdem veritatis diſcrepare, mihi fors facilius, quam ipſis auctoribus eorumque aſſeclis perſuaſeris. Beza enim multis locis acriter

Auctores iſtarum ſententiarum non ſolo docendi modo, ſed ipſis ſententiis diſſidere.

contendit, quod Deus prædeſtinans & reprobans hominem non ut conditum, nedum ut lapſum, ſed ut condendum conſiderat, idque vult nomine Maſſæ, Rom. 9. 21. ſignificatum, graviaque abſurda ſecus ſentientibus impigit. E. G. Dicit illos, qui Deo decernenti hominem ut conditum offerunt, imprudentem Deum ſtatuere, qui hominem antea crearit, quam de poſtremo ejus fine apud ſe quippiam conſtitutum habuerit. Qui vero ut lapſum, his crimen impingit negatæ providentiæ divinæ, citra cujus decretum & ordinationem peccatum in mundum intraverit ex illorum talium ſententia. Facilè autem patior, imo laudo, ſi quis ſententias Doctorum potius conciliare ſtudeat, quam magis diſſeparare, modo id fiat per commodam ſententiarum in ſpecie diverſarum explicationem, non per earundem immutationem, additionemve ab ipſis ſententijs diſſentientem. Secus qui facit, nec optato conciliationis potitur fructu, & depravatæ ſententiæ lucrum adipiſcitur, apud ipſos auctores *malam gratiam*. Quod ad duo illa attinet quæ animadvertenda putas in explicatione convenientiæ iſtarum ſententiarum, in priore tibi aſſentio, in altero non multum diſſentio. Immediatè enim Prædeſtinatio eſt in adoptionem, & per illam in vitam: ſed cum ego ſententias alienas hic proponam, eas mihi corrigendas non putavi. Lubens tamen correctionem accipio; quanquam parum aut nihil faciat ad hanc controverſiam. Imo puto eam facere ad ſtabiliendam ſententiam meam. Nam adoptio in Chriſto non peccati modo tanquam conditionis in objecto requiſitæ poſtulat poſitionem, ſed & alterius cujuſdam rei, de qua mihi in priore meo ſcripto agendum non putavi. Iſta autem res eſt fides in Ieſum Chriſtum, citra quam nemini reipſa contingit adoptio, & citra cujus conſiderationem nemini adoptio præparatur prædeſtinatione divina, Ioh. 1 12. Adoptantur enim fideles, non donantur fide adoptati: præparatur adoptio credituris, non præparatur fides adoptandis, quemadmodum juſtificatio præparata eſt fidelibus; non fides juſtificatis. Hunc ordinem nobis infinitis locis demonſtrat Scriptura. Quo vero ſenſu vocationem

Ad animadverſiones Iunii.

Adoptionem in Chriſto non modo peccatorum, ſed & fidem in Chriſtum requirere.

nem & juſtificationem viam adoptionis appelles, non plene capio. Poteſt enim via adoptionis id dici, quod ducet ad adoptionem, & illud per quod adoptio tendit ad ſuum terminum. Poſteriore modo mihi viam accipere videris, ex eo quod juſtificationem poſteriorem adoptione facis, & viam appellas gratiæ nos in officio deducentis vocatione & juſtificatione noſtri. In quibus duo non indigna animadverſione. Primum eſt, quod vocationem adoptioni ſubnectis tanquam præcedaneæ, quod ego de integra vocatione dici poſſe vix arbitror. Eſt enim peccatorum & infidelium vocatio ad fidem in Chriſtum. Eſt vocatio fidelium ad conformitatem Chriſti & communionem cum Chriſto. Illam priorem Scriptura præcedaneam facit adoptioni. Poſterior eſt ad ipſam adoptionem, quæ conformitati & communioni cum Chriſto includitur. Alterum eſt quod adoptionem juſtificatione priorem facis: quam utramque ego fidelibus ſimul obtingere puto temporis reſpectu, at naturæ ordine juſtificationem prius adoptione. Adoptatur enim juſtificatus, non juſtificatur adoptatus. Quod ordo tum impetrationis bonorum illorum à Chriſto factæ, tum imputationis eorundem bonorum à Deo in Chriſto factæ declarat. Prius enim impetravit Chriſtus remiſſionem peccatorum, quam adoptionem, natura inquam: & prius imputatur juſtitia quam filiatio. *Quum enim inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filii eius*, reconciliati vero adoptamur in filios. Conſideremus quæ iſti opponuntur, imputationem inquam peccatorum & non adoptionem: ex

Adoptio natura ordine juſtificationem ſequitur.

hiſce clarè illum ordinem videre eſt. Peccatum cauſa eſt excluſionis à filiatione per modum meriti; Imputatio peccati cauſa eiuſdem excluſionis per modum juſtitiæ peccatum pro merito punientis. Quod ſecundo loco de mediis obſervas, illa auctoribus quorum ſententiam refero, dicuntur quæ Deus tum Prædeſtinationis decreto ſubordinavit, tum execcutioni præordinavit, non per quæ, ſeu quorum reſpectu ipſa Prædeſtinatio eſt facta, ſive ad υἱοθεσίαν, ſive ad vitam. An vero iſta talia, ſive adjuncta, ſive conſectaria, ſive media, ſeu quovis alio nomine appellentur, tantum faciant ad conſummandam jam deſtinatam aliquibus υἱοθεσίαν; an vero in ipſa ad filiationem prædeſtinatione à Deo conſiderata ſint tanquam neceſſaria prædeſtinandorum adjuncta utiliſſimum puto conſideratu.

II.

2. *Propopoſitio* ARMINII.

Differunt autem inter ſe: quod prima homines Deo elegenti & prædeſtinanti, etiam prætereunti & reprobanti (quanquam illa non ita diſtinguat commode) offert nondum conditos, ſed condendos: altera ut conditos quidem, ſed in puris naturalibus conſideratos eligenti & prædeſtinanti, ut ex natura ſupra naturam evehendos; prætereunti, ut in eadem natura conſideratos, reprobanti, ut in peccatis ſua culpa merſos: tertia ut lapſos in Adamo, & in maſſa corruptionis & perditionis jacentes tum eligenti & prædeſtinanti, tum prætereunti & reprobanti.

Differentia iſtarum trium ſententiarum

Reſponſio IVNII *ad ſecundam propoſitionem.*

IN hac ſententiarum (quæ ἀσυμφατικῶς non ἐναντίως) enarratione te quodammodo falli ſuo ordine demonſtrabimus. Sedulo a. vitatum velim unum homonymum in hac cauſa, in verbo reprobandi, & verbali reprobationis. Tribus modis hoc dicitur: uno communi, duobus ſingularibus. Commune ſignificatum eſt, cum ea voce non electio ſeu preteritio & damnatio comprehenditur, quomodo Calvin. & Beza frequenter acceperunt: ita tamen ut interdum diſtinxerint. Singularis ſignificationis modus eſt cum electioni opponitur, & non-electionem ſive præteritionem latinè ex forenſi uſu deſignat, quomodo ex communi Latinorum uſu ſumpſerunt Patres. Modus præterea ſingularis eſt, cum reprobatio pro damnatione accipitur, quemadmodum à te, mi Fr., animadverto in toto hoc ſcripto accipi. Primus modus συνεκδοχικὸς eſt, ſecundus εἶδος, tertius μετωνυμικὸς: addo etiam καταχρηστικὸν meritò dici poſſe, ſi ad juſtam membrorum horum diſtinctionem attenderis. Ego ſecundum omnino probo, & ſervaturus ſum in univerſa hac tractatione.

De ſignificatione triplici reprobare.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. ad 2. propoſitionem.*

DIfferentiam, non contrarietatem inter illas ſententias poſui, eamque ex meo ſenſu jam ante expoſui. Nolo autem operoſus eſſe in iſtius comprobatione: hoc enim operam do, ut una aliqua ex poſitis, vel aliqua alia mihi fors incognita ſententia adprobetur. Reprobationis autem vox utut homonyma ſit, à me tamen homonymως non eſt uſurpata: & ſi eſſet, penes me tamen eius rei culpa non eſſet, cui vox illa ex ſenſu eorum & uſu quorum ſententias retuli fuit uſurpanda, præcipuè autem ex tuo ſenſu, cum quo mihi ſuper hoc Articulo erat inſtituta collatio, iſta voce uſus ſum. Inſpexeram enim varios tuorum ſcriptorum locos, inque iis poſtremo ſignificatu, quem hic καταχρηστικὸν appellas, vocem illam abs te comperi uſurpatam. Aliquos adferam, ex quibus T. R. cognoſcet me iſta voce ex tuo perpetuo ſenſu uſum eſſe. Sic enim habent notæ tuæ ad Epiſtolam Iudæ fol. 27. 6. Propria reprobationis cauſa eſt homo ipſe per ſuum ipſius peccatum in peccatis morens. Sic in Axiomatis ſacris de Nat. & Grat. refutationi libelli Pucciani præmiſſis, axiom. 44. 45. 46. 47. 48. & præcipuè 49. & 50. quorum verba hic ponam, axiomat. 49. Neque verò præteritio cauſa eſt reprobationis ſive damnationis, ſed antecedens ſolum illius. Cauſa verò efficiens illius propria quidem & interna eſt peccatum creaturæ, accidentaria verò externaque juſtitia Dei. Axiom. 50. Reprobatio itaq, (ut rem perſpicuè diſtinguamus) aut latiore ſignificato accipitur aut auguſtiore & proprio ſuo. Latiore, ſi totam rationem conſilii divini inde à præteritione velut principio antecedente, ad damnationem uſque velut finem conſequentem, interveniente cauſa propria damnationis, id eſt, peccato, reſpexeris. Anguſtiore vero eaq; propria, ſi effectum pecca-

Probat Arminius ſe voce reprobationis eo ſenſu uſum eſſe, quo manifeſtè Iunius in ſuis ſcriptis utitur.

» peccati duntaxat. Addi poſſent & illa quæ axiomat. 51. dicuntur. In Theſibus de prędeſtinatione à Coddæo ſub te diſputatis Theſi 14. Præ»parationi gratiæ contraria eſt præte»ritio, præparationi gloriæ contraria » reprobatio vel pænæ præparatio. » Præparatio a. pænæ eſt actus quo » Deus ſtatuit punire creaturas, &c. » Theſi 17. item Theſi 18. propter » peccata reprobandis ex neceſſitate » juſtitiæ. Hic a. propriè iſtis vocibus uti voluiſſe videris: quod & planius ſignificas in Theſib. de Electione à Trelcatio filio ſub tuo præſidio diſputatis Theſ. 12 Quod ſi » Electioni ſtatuitur contraria (ut fit) » reprobatio, figuratè dicitur, id eſt, » aut ſynecdochicè aut catachreſticè. » Synecdochicè, ſi pro toto ordine » contrario prædeſtinationi; Cata» chreſticè, ſi pro non-electione ſu» matur. Nam non-electio eſt pri» mus terminus conſilii divini ex ſola » voluntate eius. Reprobatio rei ulti» mus exſecutioni proximus ex hypo» theſi cauſarum antecedentium. Vnde apparet me iſto ſignificatu vocem illam uſurpaſſe, qui proprius à te appellatur. Quid verò ego de eadem voce eiuſque uſu judicem, paucis dicam. Reprobandi verbum ex uſu latini ſermonis propriè ſignificare non electionem, ſi electio ſine reprobatione non conſiſtit, omninò puto. At illud mihi nunquam à ſcriptura videtur pro actu tantum negativo, nunquam etiam pro actu circa non-peccatorum verſante uſurpatum. Si quando Auguſtinus & alii ex patribus pro præteritione, non-electione ſeu actu negativo uſurpaut, tum pro derelictione in peccato & maſſa Corruptionis id accipiunt, ſeu pro propoſito non miſerendi: miſerendi voce pro vindicatione à peccato & miſeriâ actuali uſurpata. Calvinus & Beza ferè ubique pro ſola præparatione pænæ, aut pro utroque actu uſurpant.

III.

3. *Propoſitio* ARMINII.

PRima ſententia ſic habet, Deum ab æterno ſtatuiſſe gloriam ſuam per miſericordiam & juſtitiam illuſtrare: quæ quia actu exerceri non poſſunt niſi in peccatores, decreviſſe apud ſe condere hominem ſanctum & innocentem, id eſt, ad imaginem ſuam, ſed mutabiliter bonum, qui labi & peccare poſſet: ordinaſſe quinetiam ut idem homo laberetur & vitioſus fieret, quo hac ratione viam ſuis æternis conſiliis patefaceret, id eſt, ut miſericorditer aliquos ſervare poſſet, & alios juſte condemnare ex propoſito æterno ſuo, ad miſericordiæ in illis & juſtitiæ in iſtis declarationem. *Prima ſententia explicatio.*

Reſponſio IVNII *ad* 3. ARM. *propoſitionem.*

HÆc ſententia non ſatis planè videtur enunciata: nam etiam Calvinus ipſe Inſtitutionum lib. 3. diſerte verba Pauli adfert Eph. 1. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ſeſe*, &c. eaque explicat ſervato ordine quem prop. 1. deſtrinximus. Deus ergo ab æterno ſtatuit gloriam ſuam per adoptionem horum, & præteritionem ſeu non-adoptionem illorum ſapientiſſimè illuſtrare, etiam adhibitâ miſericordia & juſtitia ſua. Eo poſito optimè conceditur enunciatum illud, Deum ſtatuiſſe gloriam *Exiſtimat Iunius primam ſententiam non ſatis planè ab Arminio enunciatam.*

 ſuam

ſuam per miſericordiam & juſtitiam illuſtrare, ſi intelligatur commodè. Sed hoc poſtea ſummatim explicabitur. Illud verò concedi non poteſt, nec putem ſimpliciter à Calvino aut Beza dictum, *miſericordiam & juſtitiam actu niſi in peccatores exerceri non poſſe.* Nam primum (ut hæc diſtinctè explicemus ὕστερον πρότερον) peccatores actu, habitu, aut potentia ſunt. Actu ſumus, ex quo vitioſitas naturæ noſtræ opera ſua protulit: habitu fuimus in utero & ab utero; antequam opera carnis ederemus. Potentia fuit Adam quodammodò ante lapſum, quum habitum illum ſanctum ſuum ponere potuit, & ſe peccato (ut fecit) mancipare. Sic etiam miſeri actu, habitu, aut potentia ſûnt, qui aut miſerias perferunt, aut habitum earum induerunt, aut in eum poſſunt incidere. Etſi hi peccatores & miſeri, non re, ſed ratione; non plenè, ſed quodammodo κατά τι & comparatè ſolum dicendi, ut Iob. 4. 18. *En, ſervis ſuis non crediturus eſſet firmitatem, Angelis, inquam, ſuis appoſiturus lucem*, &c. Itemque Iob. 5. Quam rem optimè Auguſtinus vidit lib. contra Priſcillian. & Origeniſt. cap. 10. concludens hac ſententia elegatiſſima ſermonem ſuum, *cujus enim participatione juſti ſunt, ejus comparatione nec juſti ſunt.* Secundò autem falſum eſt, *miſericordiam niſi in peccatores exerceri non poſſe:* nam & omnes creaturæ, etiam Angeli de cœlo ſecundum naturam ſuam comparati cum Deo, miſeri ſunt, quia nec ejus comparatione juſti: & quia devenire in miſeriam poſſunt natura ſua (quod certè miſerum eſt poſſe; ut contra, non poſſe miſerum eſſe, beatiſſimum) miſeri ſunt potentia. Proinde qui eas à miſeria

De miſeria poſſibili & miſericordia ab ea vindicante ex ſententia Iunii.

poſſibili vindicavit electione ſua, fecit eis miſericordiam: cujus reſpectu Angeli fuerunt electi à Paulo dicti, 1. Tim. 5. Quin etiam (ut in tranſcurſu moneam) ne miſericordia latinis quidem dicta anguſtius, ſupponit miſeriam neceſſario, ſi ad principes linguas Hebræam & Græcam, quibus viri Dei ſcripſerunt, attenderis. Hebræi duabus vocibus expreſſerunt חסד & רחמים: neutra vox ad miſeriam propriè reſpicit, ac neceſſariò. Græcorum ἔλεος nec illud ſupponit neceſſariò, ſi ad uſum communem Scripturæ adverteris: nam etiam liberis ſuis hæc parentes præſtant quamvis fœlicibus, & à miſeria liberis. Tertiò autem nihilo verius eſt illud *Iuſtitiam non poſſe niſi in peccatores exerceri.* Nam juſtitiam exercet, qui ſuum cuique tribuit: Deus autem non eſſet planè futurus juſtus, niſi tam juſtis, quam injuſtis ſuum tribueret. Nam & in Adamum, ſi permanſiſſet juſtus, exercuiſſet juſtitiam Deus; tum præmium ſuum in natura tribuendo ipſi analogum juſtitiæ illius, tum ſupernaturale illud, & potentiæ ſuæ gratiæq; analogum, quod ſymbolo arboris vitæ homini adumbraverat. Potuit ergo etiam in non-peccatores juſtitiam exercere Deus. At de judicio mortis ratio diverſa eſt. Cætera ex his, quæ modò fuerunt dicta, commode intelligimus. De ordinandi verbo in propoſitionem ſextam dicturi ſumus.

De miſericordia voce ex uſu Hebræorum & Græcorum.

Iuſtitiam à Deo exerceri poſſe etiam in non-peccatores, & poſſe.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio reſponſionis ad 3. propoſitionem.*

EGo ſententiam Calvini & Bezæ iſtis

Sententiam primam quæ

ex Calvino Beza.

iſtis verbis benè & plenè à me explicatam eſſe, pluribus locis ex ſcriptis illorum deſumtis docere potero. Licet enim aliquando adoptionis mentionem faciant, & non-adoptionis, quæ illi ἀντιδιῃρημένως eſt oppoſita, tamen ita ſententiam ſuam non proponunt, ut abs te eſt explicata propoſ. 1. & hiſce verbis: *Deus ergo ab æterno ſtatuit gloriam ſuam per adoptionem horum & præteritionem ſeu non-adoptionem illorum ſapientiſſime illuſtrare, etiam adhibita miſericordia & juſtitia ſua.* Dupliciter enim iſtis verbis ab illorum mente aberratur. Primò quòd illi gloriæ Dei illuſtrationem non ſtatuunt immediatè fieri per *adoptionem* horum & *non adoptionem* illorum ſeu præteritionem; ſed per *declarationem miſericordiæ & juſtitiæ*, quæ explicantur per actus adoptionis ſeu electionis, & non-adoptionis ſeu reprobationis. Et videtur hic ordo ſervandus ex norma apodixeos; gloria Dei conſiſtit in declaratione proprietatum Dei, proprietates Dei per actus illis convenientes illuſtrantur. Secundò, *Miſericordia & juſtitia* non dicuntur ab illis *adhiberi etiam* ad prædeſtinationis & reprobationis decretum. Illa enim verba ſignificant Deum, ſecundum alias ſuæ naturæ proprietates, adoptionem horum & non-adoptionem aliorum decreviſſe, ad gloriæ ſuæ illuſtrationem, quo facto etiam miſericordiam & juſtitiam adhibuerit, ad decretum illud exſequendum, & quidem ex conditione mutationis objecti. At hæc illorum mens non eſt: ſed quam ego poſui: nempe. *Deum ſtatuiſſe per miſericordiam & juſtitiam illuſtrare gloriam ſuam; quandoquidem gloria Dei neque agnoſci neque celebrari poſſit niſi eius miſericordia & juſtitia declaretur: illam autem miſericordiam ſtatuunt cauſam propriam adoptionis, juſtitiam vero cauſam non-adoptionis ſeu reprobationis, utriuſque vero illuſtrandæ voluntatem ſtatuunt cauſam totalem prædeſtinationis*, id eſt, *electionis & reprobationis*: in haſce enim partes ſeu ſpecies illi prædeſtinationem deſtribuunt. Minus ergo iſtis verbis attribuitur in iſto decreto miſericordiæ & juſtitiæ, quam illi auctores iſtis proprietatibus tribuendum arbitrantur, & in explicatione totius ſententiæ tribuunt. Nec illud ab illorum ſententia juſte eximitur, quod miſericordia & juſtitia exerceri niſi in actu peccatores non poſſunt. Apertiſſime enim hoc dicunt, ne juſtitiæ quidem vocem ad punientem reſtricta, quam tamen ego intelligo ut ex ſexta mea propoſitione patet, & omninò ab illis intelligi puto. Pauca autem loca ex multis adferam. *Beza adverſus calumnias Nebulonis ad art.* 2. Deus hominem conditurus ad gloriam tum miſericordiæ tum juſtitiæ declarandam, ſicut rei exitus declaravit, condidit Adamum ad ſuam imaginem, id eſt, ſanctum & innocentem; quia bonus quum ſit non poteſt ab eo vitioſum quid creari. Vitioſi autem ſint oportet quorum conſtituit miſereri, tum quos juſte conſtituit condemnare, &c. Ex quo loco ego verba deſumſi, quibus illam ſententiam enuntiavi. *Et Beza idem lib.* 1. *quæſt. & reſp. fol.* 126. *in* 8. Deus quum ab æterno decreviſſet, ut ex eventis intelligi poteſt, in humano potiſſimum genere gloriam ſuam patefacere, quæ partim in exercenda miſericordia, partim in odio adverſus peccatum demonſtrando poſita eſt, hominem condidit intus & foris integrũ, rectâ intel-

Non benè & plenè à Iunio.

Eiuſdem ſententia auctores apertiſſimè ſtatuere miſericordiam, & juſtitiam niſi in actu peccatores exerceri non poſſe: quod probatur ex Beza.

» intelligentia ac voluntate prædi-
» tum, ſed mutabilem. Nec enim
» ipſe ſumme bonus quidquam mali
» condere potuit aut voluit, & tamen
» niſi malum ingreſſum eſſet in mun-
» dum neque miſericordiæ neque ju-
» dicio locus fuiſſet relictus. *In collo-
quio Mombelgartenſi omnium planiſſime.*
» Nos inquit idem Beza, hæc princi-
» pia ponamus. Deum tanquam ſa-
» pientiſſimum opificem, cuius ſa-
» pientia infinita eſt, quum conſtituiſ-
» ſet mundum, imprimis autem ho-
» minem creare, certum finem propo-
» ſitum habuiſſe, &c. Propoſitum e-
» nim Dei æternum & immutabile
» omnes cauſas ordine quoque ante-
» grediens fuit, quod in ſemetipſo ab
» æterno decrevit omnes homines ad
» ſuam gloriam condere. Dei autem
» gloria neque agnoſcitur neque cele-
» bratur, niſi eius juſtitia & miſeri-
» cordia declaretur. Quapropter æ-
» ternum & immutabile decretum fe-
» cit, quo certos aliquos homines,
» mera gratia ad vitam æternam, quoſ-
» dam vero judicio ad æternam dam-
» nationem deſtinavit, ut in illis mi-
» ſericordiam, in his vero juſtitiam
» ſuam declararet. Hunc finem quum
» Deus in creatione hominum pro-
» poſitum habuiſſet, neceſſe fuit eum
» etiam cogitare de via & ratione, quâ
» ad illum finem pervenire potuerit,
» ut eius miſericordia pariter & juſti-
» tia manifeſtaretur. Quum enim
» miſericordia preſupponat miſeriam,
» nec miſericordiæ locus eſſe aut ea
» declarari poſſit, ubi non eſt miſeria,
» ideò hominem ita creari oportuit, ut
» in eo locus miſericordiæ Dei eſſe
» potuerit. Quod ſine præcedente
» miſeria fieri non potuit. Sic cum
» juſtitia præſupponat culpam, ſine
» quâ juſtitia exerceri nequit (ubi
enim non eſt culpa, ibi etiam juſtitia »
locum non habet.) ideo hominem »
quoque ita creari oportuit, ut ſerva- »
ta natura aptus eſſet, in quo Deus »
juſtitiam ſuam declarare poſſet. Iu- »
ſtitiam enim ſuam in homine decla- »
rare non potuiſſet, niſi eum ad æ- »
ternam damnationem deſtinaſſet. »
Propoſuit ergo Deus, &c. Hæc à »
Iacobo Andræa edita quidem ſunt,
ſed à D. Beza agnita, cum in re-
ſponſione ſua ad illud Colloquium
non conqueratur ſibi alienam ſen-
tentiam affingi. Videt ergo tua di-
gnitas me iſtis proprietatibus obje-
ctum proprium ex illorum mente
adaptaviſſe; quam ſuam ſententiam
proculdubio ex Scripturis ſe deſum-
ſiſſe putant: in qua hoc certum eſt,
Deum juſtè punire non poſſe niſi
peccatorem, in qua illi iidem auto-
res miſericordiæ vocem ita negabunt
uſurpatam, ut Deo attributa vindi-
cationem à miſeria poſſibili ſignifi-
cet; utpote quæ ex illorum mente
ubique vindicationem deſignet a
miſeria, quam peccator meritus eſt,
Deuſque aut juſtè inflixit, aut ex ju-
ſtitia infligere poteſt. Verum enim-
vero nolim magnopere contendere
fieri non poſſe ut miſericordia circa
non miſeros actu exerceatur, iiſque
quæ ea de re dicta ſunt abs te facile
adſtipulari poſſum, ſi hunc habeant
ſenſum quem meis verbis enuntia-
bo: nempe, quod omnes creaturæ
etiam Angeli & Homines cum Deo
comparati miſeri ſunt, miſeria ſum-
pta pro non felicitate, non pro eò
quod privative opponitur felicitati,
ſed quod contradicenter: quemad-
modum neque illa ratio plus con-
cludit. Dei comparatione nec juſti
ſunt, ergo eius comparatione nec
felices. Terna enim ſunt quæ ſe
ſingula

Quomodo miſericordiæ vox Deo attributa à dictis auctoribus intelligatur.

Poſſe miſericordiam pro vindicatione à miſeria poſſibili uſurpari, ſi rectè explicetur, &c.

ſingula conſequuntur. Iuſtus, injuſtus, non juſtus; felix, infelix ſeu miſer, non-felix. Ex juſtitia felicitas, ex injuſtitia miſeria, ex non-juſtitia non-felicitas concluditur. Creaturæ autem qua tales, cum Deo conferri poſſunt, tum ratione termini à quo ſunt, tum ratione eius ad quem ſunt productæ à Deo. Ratione huius Angeli & Homines ſunt, juſti ſunt, felices ſunt, ratione illius nec ſunt, nec juſti ſunt; nec felices ſunt; quia illa habent ex nihilo, & propterea in nihilum poſſunt reverti: at eius ratione non poſſunt dici injuſti, nec miſeri; eo quod terminus unde producti ſunt, contradicenter non privativè oppoſitus eſt termino, ad quem divina bonitate pervenerunt: quod brevius dici poteſt, quia ſunt à potentia producti ad actum, quæ potentia & actus contradicentia ſunt non privantia. Iam verò quia ex potentia & actu conſtant, non modò fieri poteſt, ut deſerente eos divina ſuſtentatione in nihilum recidant, ſed neceſſe eſt, ut ſi ab ea deſerantur, in nihilum revertantur. Fieri inſuper poteſt, ut perſiſtentes divina conſervatione qua ſunt, ſibi tamen permiſſi & in manu conſilii ſui conſtituti, ex juſtitia, quam actu primo habent, actu ſecundo non vivant, ſed quid illi contrarium patrent, & per hoc actu injuſti & peccatores ſint, taleſque facti injuſtitiæ habitum induant, habitu quippe juſtitiæ per illum actum aut effectivè aut demeritoriè expulſo; unde primo merito, deinde actu, denique & habitu miſeri evadant. Iam vero ſi impediantur à Deo ne iſtam miſeriam mereantur, id eſt, ne peccent & actu miſeri fiant, non video cur ille actus non poſſit miſericordiæ adſcribi, quum ex affectu præveniendi miſeriam ſit productus, qui affectus etiam ad miſericordiam pertinet. Hæc quidem ita habere fateor, & propterea ſimpliciter verum non eſſe, quod miſericordia locum habere non poſſit niſi in actu peccatores. At hoc notari velim, miſericordiam eo ſenſu Calvino & Bezæ non uſurpari, imò ſi miſericordia ita ſumta in locum eiuſdem, ut à Calvino & Beza ſumitur, intellectæ ſubſtituatur, jam totam rationem & deſcriptionem illius decreti fore immutandam. Addo quod miſericordia iſto tuo modo intellecta non venit in conſiderationem, ubi de prædeſtinatione hominum agitur: illa enim homini à Deo præſtita non eſt, utpote qui a miſeria poſſibili Dei prędeſtinatione non eſt vindicatus. Denique & hoc conſiderari velim, reſpectum inter miſericordiam hoc & illo modo intellectam eiuſmodi eſſe, ut utraque ad ſalutem hominis concurrere non queat. Si enim miſericordia vindicans a miſeria poſſibili locum habet, tum iſti, quæ ab actuali miſeria liberat, locus eſſe non poteſt, utpote præerepta iſti vel præcluſa potius per illam priorem actus ſibi proprii occaſione; ſi contra ab actuali miſeria liberans eſt neceſſaria, tum altera illa actu ſibi proprio ſuperſedit, atque ita prior illa hanc poſteriorem excludit cauſaliter & effectivè, hæc illam priorem conſequenter, non ſuccedens illi munere ſuo defunctæ, ſed eſtans actus ſui neceſſitate illam priorem homini defuiſſe. De juſtitia autem, quod illa locum habere poſſit & exerceri in non-peccatores eſt veriſſimum. Eſt enim remuneratrix non injuſti modo

Sed nec ita uſurpatam eſſe à doctis auctoribus in hac de hominum prædeſtinatione materia, nec adeo potuiſſe.

Miſericordia illa quæ vindicat à miſeria poſſibili, cum illa quæ vindicat à miſeria actuali ſimul ad ſalutem hominum concurrere nequeunt.

Iuſtitia remunerans bonum, quæ poteſt exerceri in non-peccatores, ſed

Iuſtitia puniens, de qua hic propriè ſermo, non item.

modò ſed & boni operis. Ex hiſce vero ita abs te conſideratis, quis impediat quominus concludam, peccati neceſſariam exiſtentiam etiam ex neceſſaria miſericordiæ & juſtitiæ declaratione concludi non poſſe, quum utraque certo modo conſiderata etiam circa non peccatores exerceri poſſit. Vnde ordo prędeſtinationis a Calvino & Beza conſtitutus prorſus evertitur.

Cæterum utut miſericordia a miſeria poſſibili vindicans & juſtitia virtutem remunerans miſeriæ & peccati actualis præexiſtentiam non deſiderent, tamen certum eſt miſericordiam a miſeria actuali liberantem & juſtitiam punientem exerceri non poſſe niſi in actu miſeros & peccatores. Calvinus autem & Beza ubique hoc poſtremo modo miſericordiam & juſtitiam accipiunt, ubi de prædeſtinationis & reprobationis decreto agunt. Quumque miſericordia & juſtitia priore modo uſurpatæ locum in prædeſtinatione & reprobatione hominum non habeant, ſed tantum prout poſteriore ſignificato accipiuntur, potuit tractatus de miſericordia a poſſibili miſeria vindicante, & de juſtitia bonum opus remunerante omitti, ubi de prædeſtinatione & reprobatione hominum agitur; quanquam non diffitear conſiderationem iſtam utilitates ſuas non exiguas habere.

Diſcurſus fuſior miſericordia & juſtitia.

Sed quoniam in miſericordiæ & juſtitiæ conſiderationem ingreſſi ſumus, pauliſper in illa, ſi vacat & lubet, perſeveremus, utramque cum altera ad hujus quod agimus, negotij illuſtrationem comparantes: & primo quod ad objectum utriuſque, deinde quod ad ordinem quo circa ſuum ſingulæ objectum verſantur.

Et primo quidem de objecto utriuſque.

Miſericordia & juſtitia, illa à miſeria poſſibili vindicans, hæc bonum opus remunerans, in uno eodemque objecto locum habere poſſunt, ut apparet in electis angelis, qui à miſeria poſſibili vindicati ſunt, & boni operis remunerationem ex divina benignitate obtinuerunt. Illa vero eadem miſericordia cum juſtitia puniente locum habere in eodem objecto nequit. Quod enim dignum eſt juſtitiæ punientis actu illud à miſeria poſſibili non eſt vindicatum. Miſericordia vero à miſeria actuali liberans in eo ſimilis eſt miſericordiæ alteri, quod cum puniente juſtitia ejuſdem objecti reſpectu non concurrit; an vero cum juſtitia bonum remunerante alterius miſericordiæ inſtar locum habere queat & quomodo diſpicendum eſt. Videmus ſanè in Scripturis mercedem boni operis promitti iis, quibus miſericordia in Chriſto obtigit, & reipſa pręſtari, ſed illa remuneratio, ut ut juſtitiæ ſit, tamen non eſt juſtitiæ prorſus iſto modo conſideratæ, quo conſideratur juſtitia bonum opus ſecundum promiſſionem legis ex debito remunerans: illa enim remuneratio eſt ex gratia Dei in Ieſu Chriſto, qui nobis a Deo factus eſt juſtitia & ſanctificatio. Iuſtitia ibi remunerans ex debito, legalis dici poteſt, hîc vero mercedem dans ex gratia, Euangelicæ nomine non incommodè appellari poteſt; cuius cum miſericordia, vindicante ab actuali miſeria, temperamentum mirabili modo factum eſt a Deo in Ieſu Chriſto Sacerdote & ſacrificio expiatorio noſtro. Objectum itaque juſtitiæ punientis eſſentialiter & materialiter, aliud eſt ab objecto

miſe-

miſericordiæ utroque modo conſideratæ, & juſtitiæ bonum opus remunerantis. Objectum vero miſericordiæ vindicantis a miſeria poſſibili aliud eſt ratione formali ab objecto miſericordiæ a miſeria actuali liberantis. illud enim eſt creatura juſta & in ſtatu creationis ſuæ conſiderata; hoc creatura peccatrix & a primævo ſtatu in miſeriam ſuam culpa demerſa. Ex hac vero duplici tum miſericordia tum juſtitia priores a prędeſtinationis & reprobationis hominum decreto amandandæ ſunt, nempe, miſericordia a miſeria poſſibili vindicans, & juſtitia bonum opus ex promiſſione legali remunerans, poſteriores vero decreto iſti præficiendæ, miſericordia liberans a miſeria actuali prædeſtinationi, juſtitia puniens reprobationi.

Deinde de Ordine quo in objectum ſuum ſingula tendunt.

Iam ordinem videamus ſecundum quem in ſuum objectum tendunt ſingulæ per ſe & inter ſe comparatæ. Miſericordiæ præveniens miſeriam, & juſtitia bonum opus remunerans ſecundum legem in unum ſubjectum tendentes, hoc ordine utuntur, ut miſericordia ſuo prius munere fungatur, juſtitia inde ſuas partes obeat. Impeditio enim peccati & exinde miſeriæ, ipſum bonum opus anteit, ergo & boni operis compenſationem. ita quoque miſericordia a miſeria actuali liberans præcedit juſtitiam bonum opus ex gratia remunerantem. Ipſa enim miſericordia non modo reatum & dominium peccati aufert, ſed & juſtitiæ habitum ingenerat credenti, per quem opus bonum mercede ex gratia compenſandum producitur. De miſericordia autem ab actuali miſeria liberante, quæ eſt prædeſtinationis adminiſtratrix, & juſtitia puniente quæ eſt reprobationis cauſa, quid faciemus judicii? utramque dicemus eodem momento in ſuum objectum tendere, at illam naturæ ordine præcedaneam faciemus. Quamquam enim qui eligit eo ipſo quod eligit reprobat non electos, tamen electionis actus naturæ ordine antecedit, quemadmodum affirmatio natura prior eſt negatione. Vnde concludimus (cuius poſtea mentionem faciemus) nempe decretum relinquendi hominem in manu conſilii ſui, & permittendi lapſum, ad decretum reprobationis non pertinere, quum id decreto prædeſtinationis ſit prius & antiquius.

Velim hunc ordinem paulo diligentius & ulterius conſiderari, aperiet enim nobis viam nonnulla alia ab hoc negotio, quod tractamus, minimè aliena penitius cognoſcendi. Si miſericordiæ dantis gratiam & vitam priores ſunt partes in hoc decreto: juſtitiæ vero negantei gratiam & inferentes mortem poſteriores ſecundum naturam, licet non tempore, tum etiam atque etiam videndum, an decreti huius objectum ſatis accuratè & adæquatè explicetur nomine peccatoris; an non & aliud quiddam ſit addendum quod objectum ita circumſcribat, ut decreto ex tali miſericordia & juſtitia facto adæquetur, cumque eo retro viciſſim commeet, quæ eſt natura objecta adæquati & potentiæ in objectum tendentis ſuum, proprium, & αὐτῶν. Si quis exiſtimet juſtitiæ in peccatum & peccatorem priores partes eſſe, quam miſericordiæ, & natura prius eſſe peccato reddere pœnam debitam, quam eandem condonare peccatori; illum velim ad duo quędam diligenter attendere.

Primum eſt, quod juſtitiæ quatenus decreto reprobationis, ſive præteritionis & prædamnationis præficitur, duplex actus attribuitur à plerifque tractatoribus huius materiæ, & quidem rei naturæ convenienter: quorum prior eſt negativus alter affirmativus, & quidem hoc ordine ut negativus præcedat affirmativum. Vnde ſequitur ſi ille negativus poſterior eſt naturæ ordine affirmativo actu prædeſtinationis, ut eſt, miſericordiæ partes priores eſſe: nam ab illa eſt actus affirmativus prædeſtinationis qui actum negativum reprobationis antecedit. Secundum eſt, quod pœna, peccato debita, per hoc decretum nemini deſtinetur niſi quatenus per miſericordiam non auferenda: atque hac ratione licet juſtitia ſuo jure pœnam poſtulet à peccatore, tamen pœnam illam juxta decretum prædamnationis, quod per juſtitiam factum eſt, non exigit qua debita eſt peccatori, ſed qua per miſericordiæ actum non eſt condonanda: alioquin omnes in univerſum homines eſſent prædamnati, quum omnes pœnam illam ſint commeriti. Vnde porro & hoc conſiderari debet, an juſtitia quæ eſt adminiſtratrix decreti reprobationis ſive prędamnationis ſit Lege an Euangelio patefacta, legalis rigoris, an temperata aliqua miſericordia & patientia. Si miſericordia adminiſtratrix prædeſtinationis eſt Evangelio patefacta, ut eſt; videtur ex iis quæ dicta ſunt, & juſtitiam illi miſericordiæ oppoſitam, tanquam naturæ ordine præcędenti, Euangelio patefactam eſſe. Si quis haſce conſiderationes vanas & inutiles eſſe exiſtimat, ille ſciat non inutile eſſe quod in Scriptura de legali juſtitia dicitur. Qui fecerit ea vivet in illis. Et maledictus omnis qui non permanet in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis ut faciat ea. item quod de Euangelica juſtitia dicitur. Qui credit in Filium habet vitam æternam. Et qui non credit in Filium condemnatus eſt. Hęc ego intelligentibus latius conſideranda proponere volui, judicii poſtulans ſuſpenſionem, uſque dum rem accurate penſitarint.

Ex præcedenti diſcurſu datur conſiderandum, an non miſericordia prædeſt.

n.tiendo, ac proinde etiam iuſtitia reprobationis adminiſtratrix Euangelio patefacta ſint, ideoque & obiectum utriuſque aliud quam ſimplici peccatoris nomine deſignandum?

IV.

4. *Propoſitio* ARMINII

Secunda ſententia quæ eſt Thomæ explicatur.

SEcunda ſic habet. Deum ab æterno ex hominibus in puris naturalibus conſideratis, ſtatuiſſe aliquos ad ſupernaturalem felicitatem evehere, iiſdemque media ſupernaturalia, quæ ad illam conſequendam ſunt neceſſaria, ſufficientia & efficacia ordinaſſe, ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ: alios verò præterire, & in ſua natura relinquere, & iiſdem media ſupernaturalia, præſertim efficacia non impartiri, ad declarandam libertatem bonitatis ſuæ; eoſdem verò præteritos, quos in origine ſua non perſtituros, ſed ſua culpa defecturos prævidit, reprobaſſe, id eſt, pœnam iis prçparaſſe ad declarationem juſtitiæ ſuæ.

Reſponſio IVNII *ad 4. Propoſitionem.*

In hac expoſitione etiam aliquid deſiderare.

HÆc ſententia non enuntiatur. His verbis propriis mentem auctorum quam præcędens illa. nam primum non memini hæc verba apud Thomam aut alios legere: ſecundo, ſi qui dixerunt, non ea menti dixerunt, ut in propoſitionem

ſextam

ſextam demonſtrabitur. Sed felicitatis ſupernaturalis nomine intellige τὴν υἱοθεσίαν, adoptionem filiorum Dei cum adjunctis ſuis & conſectariis omnibus. poſt illa verba, *ad declarandam libertatem bonitatis ſuæ* addes, ſi placet, & perfectionem πολυποίκιλον ſapientiæ ſuæ. Verbum reprobandi ſumitur καταχρηστικῶς, ut ante fuit à nobis obſervatum. Diſtinctis rebus voces aliter diſtingui malim.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. ad 4. propoſitionem.*

Secunda ſententia enunciationem ex Iunii Theſibus deductam eſſe.

SI hanc ſecundam ſententiam æque convenienter auctorum menti enuntiavero, atque illam præcedentem, bene res habebit: at hoc metuo, quandoquidem non æquè indubitanter mihi huius cognitionem attribuo. Videor mihi tamen eius explicationem ex Theſibus tuo patrocinio diſputatis, in quibus ſtilum & modum tractandi tuum agnoſco, deſumſiſſe. ſic enim theſi 10. earum quæ *reſpondente Coddæo* ſunt diſputatæ habetur. » Perſonæ (altera nempe pars materiæ » prædeſtinationis ut eſt theſi 7. eiuſdem » de prædeſtinatione diſputationis) » ſunt creaturæ ex natura (quæ nihil » ſupernaturale, aut divinum poteſt) » ſupra naturam evehendæ, & ad re» rum divinarum participationem » tranſmittendæ ſupernaturali virtute » Dei. Eadem verba etiam habentur theſi 4. decimæ diſputationis Theologicæ, in qua de hominum tantum prædeſtinatione agitur, ut eſt prima theſi, ne quis putet iſta de angelorum & hominum prædeſtinatione communiter dicta ita enuntiari generatim debuiſſe, quæ poſtea ſingulis ſpeciebus pro ipſarum modo attribuerentur; angelis nempe electis ex natura ſua in qua à Deo creati ſunt, evectio; hominibus vero electis evectio ex corrupta natura, in quam corruptionem ſua culpa lapſi ſunt. Si tamen ita res hæc eſt intelligenda, jam inter nos hoc quidem reſpectu nulla eſt diſcrepantia. Ex illis autem verbis tuarum theſium conſtare puto homines *in puris naturalibus* conſideratos eſſe materiam prædeſtinationis, ſeu eius objectum adæquatum. Homines *in puris naturalibus* appello, tum quibus nihil *ſupernaturale* aut *divinum* eſt tributum, tum qui nondum *in peccatum* ſunt lapſi. *In puris naturalibus conſideratos* appello, qui, etiamſi haberent *vel ſupernaturalia & divina, vel peccatum*, tamen cum iſtis *non conſiderantur* ab eo, qui ſtatuit ſe actu aliquo circa iſtos occupare; quod tantumdem valet, ac ſi quis diceret, nec *ſupernaturalia aut divina, nec peccatum* conſideranti fuiſſe vice rationis formalis in objecto. Iam ex illis verbis ita concludo.

Quæ inde etiam probantur, primò quoad prædeſtinationem ſive electionem.

Homines in natura quæ nihil ſupernaturale aut divinum poteſt, conſiderati, ſunt objectum ſeu materia prædeſtinationis.

At homines in puris naturalibus conſiderati, ſunt homines in natura quæ nihil ſupernaturale aut divinum poteſt, conſiderati, vel potius ſunt iidem definitione.

Ergo homines in puris naturalibus conſtituti ſunt objectum & materia prædeſtinationis, nempe ex ſententia theſibus tuis compræhenſa.

Maior eſt in theſi. Si enim voluntas Dei ſeu decretum de evehendis hominibus ex tali natura ſupra naturam eſt prędeſtinatio, tum ſequitur homines in iſta tali natura conſideratos eſſe puram putam materiam prædeſtinationis; quandoquidem actus Dei, tum *internus* qui eſt *decretum de evehendis hominibus nonnullis*, tum *externus*, qui eſt *ipſa evectio*, ſeparatus ab ipſo objecto (quod fieri debet ſi objectum purum putum conſiderare velimus) relinquit nobis homines in *pura natura*, quæ nihil *ſupernaturale* aut *divinum* poteſt. Si dicatur iſtis verbis ſtatum peccati non excludi, quum etiam peccatores ex natura corrupta evehantur; reſpondeo primo, hanc non poſſe eſſe verborum illorum mentem, tum quia opus non eſt ut de tali natura dicatur, quod ſupernaturale & divinum nihil poteſt, intelligitur enim hoc ex ipſo adjecto, dum corrupta dicitur: tum quia in definitione pręteritionis theſi 15. ille actus quo natura integra aliquarum creaturarum non firmatur attribuitur præteritioni, quæ præteritio eſt creaturarum nonnullarum in natura ipſarum relictio. Secundo, hic æquivocationem eſſe in definitione, & decretum illud æquivocum & ſub conditione diviſionis tantum certum eſſe, de quo poſtea. *Minor* eſt vera, conſtat enim ex antecedente & conſequente inter ſe reciprocantibus & æquipollentibus.

Quæ vero *prædeſtinationis* ſunt ibi enuntiantur his verbis; ſupra naturam evehendæ, & ad rerum divinarum participationem tranſmittendæ ſupernaturali virtute Dei, quæ res divinæ ſunt *gratia* & *gloria*: ut eſt theſi 9. Cum hiſce mea verba, quibus ſecundam ſententiam deſcripſi, conſentire non eſt dubium, ſi vero ab iſtis diſſentire videbuntur alicui, propterea quod in tuis theſibus gratia & gloria conjungantur; mea verò verba ita intelligi queant, atque ſi gloriam primò deinde gratiam hominibus prædeſtinatione præparatam ſignificare voluiſſem, ille ſciat me id noluiſſe indicatum, voluiſſe tantum ſimpliciter totum id quod prædeſtinatus ex prædeſtinatione obtinet iſtis verbis explicare.

Deinde quoad præteritionem

Ad ſecundam partem venio quæ eſt de pręteritione, de ea ita habent tuæ theſes. Pręteritio eſt actus divini placiti, quo Deus ab æterno ſtatuit quaſdam creaturas in natura ipſarum relinquere, ac non communicare cum eis ſupernaturalem gratiam, qua firmetur earum natura integra, aut corrupta inſtauretur, ad declarationem libertatis bonitatis ſuæ. & axiomata Theologica de natura & gratia. axiom. 44. Huic conſilio electionis in Chriſto opponitur æternum conſilium non-electionis ſive præteritionis, ſecundum quod alii præteriti ſunt velut in natura ſua relinquendi. Mea vero verba ſunt hæc: alios vero præterire ſtatuit & in natura ipſarum relinquere, & iiſdem media ſupernaturalia præſertim efficacia non impartiri ad declarandam libertatem bonitatis ſuæ. Hæc mea cum tuis qui conferet, videbit unam eandemque diverſis iſtis vocibus ſententiam enuntiatam, Gratia enim ſupernaturalis & media ſupernaturalia idem ſignificant, gratia qua firmatur integra aut reſtauratur corrupta eſt illa, quam ego vocibus mediorum efficacium deſcripſi. Efficacia enim media aut firmant integrum aut reſtaurant corruptum; ſicut ſufficientia

ſunt quæ firmare & reſtaurare poſſunt. Finis porro ille quem ego poſui expreſſus eſt theſi tua ſecunda ad laudem gratiæ glorioſæ ſuæ, & ſecunda theſi 10. diſputationis, ad laudem gratiæ ſuæ glorioſiſſimæ, & theſi 15. diſputationis de prædeſtinatione à Coddæo defenſæ, finem præteritionis poſuiſti declarationem libertatis bonitatis divinæ, nullo alio addito, non improbo tamen quod hic addi vis, perfectionem πολυποικίλον ſapientiæ ſuæ. Licet libertas bonitatis & perfectio ſapientiæ non poſſint eodem momento circa actus prædeſtinationis & præteritionis verſari. Sapientiæ enim priores ſunt partes in commonſtrandis modis omnibus poſſibilibus illuſtrandi gloriam Dei, eoque qui maximè gloriæ Dei conducere queat. Bonitatis vero eiuſque libertates poſteriores ſunt in modo iſto eligendo & de potentia (ut ita loquar) in actum producendo.

Denique, quo ad reprobationem ſeu pœnæ præparationem.

Ad tertiam partem idem dico de reprobatione nempe ſeu pænæ præparatione, quod & illam recte ex tua mente explicavi. ita enim definitur reprobatio ſeu pænæ præparatio Theſi 17. Eſt actus divini placiti, quo Deus ab æterno ſtatuit ad declarationem ſuæ juſtitiæ punire creaturas quæ in origine ſua non fuerunt perſtituræ, ſed à Deo originis auctore facto & vitioſitate ſua defecturæ. Eadem verò verba ego attuli, niſi quod addidi, *Eoſdem vero præteritos*, quorum additione id feci quod ordo diviſionis ex perſonis à me inſtitutus poſtulabat: non enim alii ſunt quibus pœna eſt præparata, quam præteriti, licet non quia præteriti, ſed quia peccatores futuri prævjſi ſunt, iis pœna ſit præparata.

Quare adhuc mihi perſuadere non poſſum ſententiam illorum malè à me explicatam eſſe: ſi in ſequentibus hoc videro fatebor apertè: quanquam hæc res tanti non ſit momenti.

Hoc enim opto, ut vel illa prima vel hæc ſecunda, vel alia quavis, qualiſcunque ſententia ex Scripturis, perſpicuè & ſolide comprobetur, & ab omnibus objectionibus accuratè defendatur. De verbo *reprobandi* antea dictum ad reſponſionem ſecundam, quo ego inpoſterum uti paratus ſum ex poſteriore tua mente, prout illam hoc tuo reſcripto explicuiſti. Fortè in priore etiam ſcripto ita uſurpaſſem, ſi illud tibi iſto modo uſurpatum in ſcriptis tuis comperiſſem; ſcio enim æquivocationem erroris ſemper genetricem fuiſſe, eamque ab omni ſeria diſputatione procul abigendam.

V.

5. *Propoſitio* ARMINII.

Tertia ſententia, quæ eſt Auguſtini, explicatio.

Tertia eſt, Deum ex humano genere lapſo, & in perditionis corruptioniſque maſſa jacente, ſtatuiſſe alios ex gratia liberare, ad declarationem ſuæ miſericordiæ; alios verò in eadem maſſa relinquere; aut ſaltem ob finalem impœnitentiam damnare, ad illuſtrandum tum libertatem gratiæ ſuæ gratuitæ erga vaſa gloriæ & miſericordiæ, tum juſtitiam erga vaſa dedecoris & iræ. Has ego ſententias non ideò recenſeo, ut te eas doceam, ſed ut tu videas, an ego eas bene perceperim, & ſi qua aberrem, dirigas & ducas.

Reſponſio IUNII *ad quintam propoſitionem.*

Sententiam hanc cum prima & ſecunda per omnia convenire ſecundum Iunium, præterquam in una aliqua circumſtātia quæ ad rem propriè non videtur pertinere. Iacob. I.

HUic ſententiæ cum prima & ſecunda per omnia convenit, ſi illud unum exceperis, *quod hic electio & reprobatio hominum facta dicitur poſt conditionem lapſus & peccati noſtri, illic citra lapſus & peccati contemplationem.* Neutrum verò mihi ad rationem electionis & reprobationis propriè ſimpliciterque videtur admodum pertinere, cum in ſolo prædeſtinante omnes cauſam electionis & reprobationis poſitam eſſe uno conſenſu fateantur. Nam ſive integrorum electionem & reprobationem factam, ſive lapſorum peccatorumque fuiſſe affirmaveris, non in hominibus cauſa ulla fuerit, qui per omnia utrovis in ſtatu ſecundum naturam æquales; ſed in ſola voluntate ac libertate eligentis Dei, qui hos ab illos diſcrevit, & adoptavit ſibi per gratiam βουληθεὶς (ut Iacobus loquitur) vel ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ. Sed tamen circumſtantia eſt obſervatu digna; de qua ex Scripturis poſteà ſuo ordine judicium noſtrum adferemus, quia futurus eſt proprius de hac re dicendi locus.

Replica ARMINII *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem quintam.*

Circumſtantia peccati in materia prædeſtinationis locum habet, ut qualitatis in obiecto requiſitæ.

CIrcumſtantia peccati & lapſus magnum omninò in hac re tota habet pondus, non quidem ut cauſæ, ſed ut qualitatis in objecto requiſitæ; citra cuius conſiderationem non puto electionem aut reprobationem à Deo factam aut fieri potuiſſe, qua de re poſtea latius agemus. Et multi ſunt viri eruditi & in Scripturis ſacris non inexercitati, qui Deum à peccato excuſari non poſſe dicunt, niſi hominem in iſto ſuo decreto ut peccatorem conſideraris. Quod vero objecti rationem formalem propriè ad rationem decreti iſtius pertinere negas, ob id, quod in prædeſtinante omnes uno conſenſu cauſam decreti poſitam eſſe fateantur, id duplici de cauſa probare non poſſum. Primo, quod objecti ratio formalis ad actus alicuius definitionem neceſſario requiritur, & non tantum actus cauſa. Secundò, quod fieri poſſit, ut cauſa illius actus eius ſit naturæ, ut actu iſto ſuo in objectum illud quod ponitur influere non poſſit niſi iſta & tali ratione formali ſit indutum: quod ego hic locum habere arbitror & poſtmodum comprobabitur. Neque ulla eſt ratio cur quis libertati Dei prædeſtinantis præſcribi dicat, etſi circumſtantia peccati dicatur decreto iſti neceſſariò præſtruenda.

Cuius conſideratio omnino ad decreti rationem pertinet.

Non Dei prædeſtinantis libertati quicquam derogat.

Cæterum, quia crebra hoc toto ſcripto libertatis divinæ mentio eſt facta, non erit abs re, ſi paulo latius de illa pertractemus, eique ſuos ex Scriptura terminos ſecundum ipſum Deum ponamus. Libertatis ſubjectum eſt voluntas, objectum, actus. Illius reſpectu, eſt affectus voluntatis ſecundum quem voluntas libere tendit in ſuum objectum, hujus reſpectu, eſt poteſtas & dominium ſui actus. Hæc libertas primo & principaliter Deo ineſt, creaturis rationalibus per communicationem à Deo factam. Circumſcribitur autem libertas, vel, quod idem eſt, efficitur ut actus aliquis non ſit in pote-

Luculentus & utilis de libertate divina diſcurſus.

poteſtate agentis tribus modis. Naturali & interna neceſſitate, externa vi & coactione, & legis poſitione. Deus à nemini cogi poteſt ad actum, à nemine ab actu impediri, quare illa circumſcriptionis ſpecie libertas Dei non adſtringitur. Lex etiam Deo poni nequit, eſt enim ipſe ſummus & ſupremus legiſlator: Sed ipſe poteſt ſe adſtringere actu aliquo ſuo. Quare duæ omnino cauſæ ſunt quæ efficiunt ut actus aliquis in Dei poteſtate non ſit: prior eſt ipſa Dei natura, cui quod repugnat ſimpliciter eſt ἀδύνατον. Altera eſt actus aliquis Dei antecedens cui alter hic actus repugnat. Prioris exempla ſunt.

Cauſæ duæ per quas actus aliquis Dei circumſcribitur & adſtringitur; earumque illuſtratio per exempla.

,, Deus mentiri nequit, eſt
,, enim natura verax: peccare nequit
,, aut injuſtitiam committere, eſt n.
,, ipſa juſtitia. Poſterioris exempla ſunt. Deus efficere nequit ut non fuerit quod præteritum eſt, antecedente enim ſuo actu effecit, ut illud tum eſſet, ſi jam faciat ut non fuerit deſtruet ſuam potentiam & voluntatem:
,, Deus non poteſt non Davidi
,, dare ſemen quod ipſius throno inſi-
,, deat; pollicitus enim id eſt Davidi
,, & per juramentum. Non poteſt
,, obliviſci laborioſę caritatis præſtitæ
,, in ſanctos quo minus illam ſuo præ-
,, mio remuneret, promiſit enim re-
,, munerationem. Si quis igitur inquirere vult an actus aliquis ſit liberi arbitrij & poteſtatis divinæ, ille videre debet annon ipſa Dei natura illum actum circumſcribat, & ſi ab illa non adſtringatur; an non aliquo Dei actu antecedente ejuſdem libertas ſit circumſcripta: ſi compererit neutro modo actum circumſcriptum eſſe, tum concludet actum illum poteſtatis divinæ eſſe; at non ſtatim inde ſequetur actum illum à Deo præſtitum eſſe vel præſtitum iri, quia actus qui pendet ex libera voluntate Dei, ab illo ſuſpendi poteſt ne fiat. Notandum etiam hoc loco quod Deus multa poſſit per potentiam ſuam abſolutam quę non poteſt jure; punire poteſt non peccatorem per potentiam ſuam, quis enim obſiſteret? at non poteſt jure, pugnat enim cum juſtitia Dei. Poteſt quidem Deus de ſuo facere quod vult, at non poteſt velle facere de ſuo quod jure facere non poteſt. Nam voluntas illius circumſcripta eſt terminis juſtitiæ. Neq; creatura ita eſt in poteſtate Dei creatoris, ut de illa facere poſſit jure, quidquid de illa facere poſſet abſoluta ſua potentia: poteſtas enim Dei in creaturam non nititur infinitate eſſentię Dei, ſed communicatione iſta qua noſtram nobis finitam eſſentiam communicavit. Quæ hoc permittit Deo ut nobis adimat eſſe quod dedit citra ullum noſtrum meritum, ut vero miſeriam infligat citra noſtrum meritum non permittit. Miſerum enim eſſe, pejus eſt quam non eſſe, quemadmodum beatum eſſe, melius eſt quam eſſe. Et propterea non eadem eſt libertas inferendi miſeriam citra culpam creaturæ, atque auferendi eſſentiam ſine culpa præcedente. Aufert enim Deus quod dedit, & poteſt de ſuo facere quod vult, at miſeriam inferre nequit, quia hucuſque creatura non eſt Dei. Non poteſt igitur hic figulus ex maſſa informi creare hominem ad dedecus & condemnationem, niſi homo ſe antea dignum pœna & dedecore fecerit ſua prævaricatione.

Non omnia jure poſſe Deum in creaturas ſtatui, quæ per abſolutam potentiam.

Quo proprio fundamento nitatur jus Dei in creaturas.

VI. Pro-

VI.

6. *Propopoſitio* ARMINII.

Rationes ob quas Arminius adſtipulari primæ ſententiæ nequeat.

PRima ſententia mihi diſplicet: tum quia puto Deum non poſſe voluntate illuſtrandi gloriam per miſericordiam & juſtitiam punientem verſari circa hominem nondum conditum, immò ne circa eum quidem qui eſt conditus & in puris naturalibus conſideratus. In qua mea ſententia te (ut puto) præeuntem habeo, qui de prædeſtinatione agens nuſquam miſericordiæ, ſed ubique gratiæ mentionem facis, quæ miſericordiam tranſcendit, ut locum habens in creaturis, in origine ſua naturali perſiſtentibus; cum miſericordiæ coincidat, circa peccatorem occupata: tractans verò de præteritis & reprobatis, in his ſolis juſtitiæ meminiſti. Deinde quia ex iſta ſententia neceſſario ſtatuitur Deus auctor lapſus Adami, & peccati: à quo non excuſatur per diſtinctiones actus & vitioſitatis in actu, neceſſitatis & coactionis, decreti & exſequutionis, decreti efficacis & permiſſivi, ut hoc ab illius ſententiæ auctoribus ſententiæ ipſorum conſentaneè explicatur: neque per diverſum reſpectum decreti divini & naturæ humanæ: neque per additionem finis, quod nempe totum id fiat ad illuſtrationem gloriæ divinæ, &c.

Reſponſio IVNII *ad* 6. *Propoſitionem.*

[Tria] mihi ſunt ponenda ordine antequam ad ipſas argumentationes veniam.

TRia hic mihi ſunt ponenda ordine, antequam ad ipſas argumentationes veniam. 1. de mente primæ illius ſententiæ. 2. de convenientia ejus cum ſecunda & tertia. 3. de fundamentis pauculis ad hujus quæſtionis evidentiam neceſſarijs. Prima igitur illa ſententia ſi bene explorabitur, animadvertemus certè auctores illius hominem contemplari non ſimpliciter & ſolum ante creationem, &c. Sed communiter ſecundum univerſam rationem ejus & omnium temporum. Nam etſi actum electionis & prædeſtinationis (ut qui in Deo eſt) æternum ſtatuunt de homine creando, tamen objectum illius, id eſt, hominem indiſcretè communiterque prædeſtinatum docent, Deumque in actu prædeſtinationis totam ſimul rationem hominis comtemplatum, prout variè ſunt partes in exſequutione illius æterno decreto informatæ. Sic Beza manifeſtè in Epheſ. 1. 4. Chriſtus, inquit, proponitur nobis ut mediator: Ergo corruptio ordine cauſarum præcedat neceſſe eſt in Dei propoſito, corruptionem autem creatio in juſtitia & ſanctitate, ut infrà 4. 24. ut ſibi Deus tum ad eos per miſericordiam ſervandos, quos in Chriſto elegerat, tum ad eos juſtè puniendos, qui in iniquitate concepti permanerent, aditum patefaceret, &c. quæ diſertè ponit verſ. 4. & 5. Sic primam illam quam ſtatuis, & ſecundam, & tertiam ſimul complectuntur auctores illi. *1. Mens primæ ſententiæ.*

2. Habet autem hæc illorum ſententia cum ſecunda & tertia quoque convenientiam; immo eadem eſt omnino in hac re, quamvis ſpecie videatur ſecus, ſi ad varios eorum reſpectus attenderis. Nam quod hi communiter reſpiciunt hominem in prædeſtinationis & electionis reprobationiſq; argumento, id auctores *Convenientia illius cum ſecunda & tertia.*

ſecundæ

ſecundæ ſententiæ, quicunque illi ſint, reſpectu cauſæ ad conditionem hominis antè peccatum reſtrinxerunt; idque eo fine ſolum, ut in prædeſtinatione cauſam electionis & reprobationis in ſolo prædeſtinante eſſe (quod veriſſimum eſt) oſtenderent. Proinde cum electionem hominis factam eſſe ante lapſum illius aſſerunt, non excludunt æternitatem decreti illius; ſed tantum id ſatis habuerunt, ut æternam prædeſtinationem, id eſt, electionem reprobationemque confirmarent à Deo factam citra rationem peccati: quam rem non obſcurè exemplo Iacob & Eſau Apoſtolus demonſtravit. Rom. 9. Sic modo loquendi magis quam rei ſubſtantia primi à ſecundis diſſerunt. Qui verò tertiæ ſententiæ adhærent, ij non ad cauſam electionis reprobationiſque propriè reſpexerunt cum illud dicerent; ſed ad ordinem ſeriemque cauſarum, ex quibus damnatio conſequuta eſt: quam damnationem multi jam olim cum reprobatione, id eſt, non electione vel præteritione confundentes, doctrinam prædeſtinationis impiam clamitabant, & Dei ſervos criminabantur: quemadmodum ex multis Auguſtini ſcriptis & Fulgentio conſtat luculentiſſimè. Vel unicus ille Auguſtini libellus, quem inſcripſit ad duodecim articulos falſò ſibi impoſitos, rem explanat commodiſſimè. Neque ſecundani ergo, neque tertiani primam ſententiam convellerunt, ſed potius ejuſdem argumenti partes certo reſpectu diſtinctas diverſo modo tradiderunt. In ſumma rei non uſque adeo (ut multi autumant) videntur diſſentire; ſed partibus exequutionis (quas omneis decretum reſpicit) ſuas circumſtantias quaſdam non ſanè ineptè ratione decreti tribuerunt.

3 Iam ad fundamenta quædam hujus doctrinę veniamus prę ſtruenda, quorum indicio ſtabiliatur veritas ipſius, & quæ contra videntur facere, diſſolvantur. Ea autem quatuor capitibus mihi quidem videntur diſcludi poſſe: De eſſentia Dei, de Scientia, de actionibus illius, & de earum cauſis; quę ſingula breviter hic recenſebimus. *Primus locus* hic eſto ex Malachia, Deus ſum, non mutor; & ex Iacobo, in Deo non eſſe tranſmutationem, nec ullum mutationis umbraculum, & multis conſimilibus. Fundamenti hujus certiſſima eſt veritas; ex quo ſuperſtruitur concluſionis hujus neceſſitas inevitabilis, in Deo nihil accedere, decedere, aut converti re aut ratione ulla: prout etiam habere ſe naturam æternitatis Philoſophi ipſi ſtatuerunt: Deus autem æternus eſt: denique omnis motus expertem eſſe Deum eſſentia, quia immortalis eſt; Potentia, quia actus purus & ſimpliciſſimus: intellectu, quia *omnia ſunt in oculis eius expoſita*, Heb 4. eaque videt omnia & ſingula æternum intuitu uno: voluntate & conſilio; *non enim eſt homo qui mentiatur, aut filius hominis quem pœniteat*, ſed idem ſemper eſt; opere denique quia res creatæ ſunt, quæ variant, permanente Domino invariabili, formamque & conceptum æternum habente in ſeſe immutabilem eorum omnium quæ in tempore ſunt, & fiunt mutabiliter. *Secundus eſt*, intellectus æterni & immutabilis, & infiniti ſcientiam æternam & immutabilem & infinitam eſſe, quæ ſciat τὰ γνωστὰ γνωστῶς, & τὰ ἀπλῶς ἀπλῶς æternum, immutabiliter, & infinitè.

3 Fundamenta quædam ad evidentiam hujus quæstionis neceſſaria, quæ 4. his notantur 1 de eſſentia Dei.

Num. 23. Heb. 13.

2. de ſcientia.

Omnis boni ſcientiam habet Deus etiam πρακτικῶς, omnis mali γνωστικῶς omnis denique ordinis in univerſitate (quæ ex ſummis, mediis, infimis, bonis, maliſque conſtat) ἐνεργητικῶς ſecundum modum divinum ipſius. Eſt enim triplex omnis Scientiæ modus, ſi cum re ſcita comparabitur pro modo ſcientis atque cognoſcentis: inferior, æqualis & ſuperior vel ſuperemiens: quod perſpicuum eſt ex viſus ſimilitudine. Video ſolem, ſed inferior eſt luce illius lux adſpectus mei: cognoſco res naturales, ſed ut noctua lucem ſolis, inquit Ariſtoteles. Hic inferior modus, qui nuſquam in Deo eſt; in Deo ſolùm æqualis eſt ſcientia, aut ſupereminens divino modo. nam ſui æqualem ſcientiam habet: eſt quod ſcit eſſe ſe, & ſcit adæquatè ſive æquiparatè, quod eſt: omnia alia ſcit ſupereminente modo, & habet ſibi ab æterno præſentiſſima; ſi non, eſſent abſurda duo graviſſima, ut alia taceam; unum, quòd aliquid Deo accideret, æternitati autem nihil poteſt accidere: alterum, quòd ſcientia non competeret Dei univocè, ut principio omnis ſcientiæ. Id autem natura ipſa perdocet, in omni genere unum aliquid eſſe, quod vocant univocum, à quo cætera æquivocè: quemadmodum (exempli cauſa) quæcumq; calent, ab igne calent: hic ignis eſt calidus univocè, cætera æquivocè. Deus eſt ſciens univocè cætera æquivocè: niſi quis fortè eouſq; deſipiat, ut ſcientem ſupra Deum dare voluerit, quod eſt

3. De illius actionibus. blaſphemum. *Tertius locus* eſt, actiones Dei in ipſo quidem æternas eſſe, naturæ ſive eſſentiæ, intellectus, voluntatis, potentiæ, & ſi qua ſunt eiuſmodi: ab ipſo vero extra ipſum veluti fluere ſecundum ipſius vel ſecundum creaturæ modum, convenienter decreto æterno ipſius; ſed ſuo ordine & temporario. Secundum modum ipſius triplex eſt actio: creationis, providentiæ, qua immediata eſt, & gratiæ ſalutaris.

Hic enim citra opus creaturæ ullius multa à Deo proficiſcuntur. Quæ vero mediatè in natura & gratia præſtare dignatur Deus, ea ſecundum creaturæ modum Deus ut principium univerſale agit, atque (ut ait Auguſtin. lib. 7. de civit. Dei cap.30.) Sic adminiſtrat omnia quæ creavit, ut etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat. Sunt autem proprii motus, alii naturæ & inſtinctus ex natura, qui ad unum certum & deſtinatum aliquod feruntur ſingulariter: alii voluntatis in natura rationali, qui ad varia ſive bona ſive mala feruntur: bona, Deo commovente; mala vero, Deo movente ſolum quod naturæ eſt, & ſinente quod voluntatis eſt. Ex quo optimè & ſanctiſſime illud conſtitui poteſt, omnes effectus & defectus in natura & in voluntate omnium omninò generum à Dei providentia eſſe: Verum tamen ita, ut (quod ajebat Plato) creatura velut proxima cauſa in culpa ſit, θεὸς ἔξω πάσης αἰτίας γίνεται. *Quartus* locus eſt, pri- 4. De illius cauſa. mam & ſummam cauſam uſque adeo univerſalem eſſe ut nulla inſuper cauſa eius dari aut cogitari poſſit: quæ ſi ab alia pendeat ratione ulla, nec prima nec ſumma eſſe poterit: ſed aliam priorem ſuperioremve aut aqualem dari oportebit: ſic neutra ſimpliciter prima aut ſumma futura eſſet. Tum alias omneis cauſas, aut ut principia eſſe, aut à principio; ut principia eſſe naturam,

& vo-

& voluntatem; à principio eſſe cauſas medias, naturaleis à natura, & à voluntate voluntarias. Harum modum à Deo duplicem eſſe conſtitutum, neceſſarium & contingentem. Neceſſarium quidem, qui ſe aliter habere non poteſt, atque hic ſemper bonus, qua neceſſarius: Contingentem verò, qui ſe habet, ὅπως ἔτυχεν, ſive bonus ſive malus. Sed hic triplex cautio prudenter obſervanda: prima, ut teneamus hos cauſarum modos ab ipſis rebus eſſe, & in ipſis eſſe pro ratione principiorum, à quibus proficiſcuntur (nam de immediatis Dei actionibus non dicimus, quæ ſupra hæc principia ſunt, ut ante annotavimus) naturaleis naturaliter, & voluntariè. Secunda, ut hos modos utroſque à Deo eſſe, non autem in Deo ſtatuamus: nam modus in Deo non niſi divinus eſt, id eſt, & neceſſarium hunc & contingentem omnibus modis ſuperans; cum Deo nec aliunde obveniat neceſſitas, nec ulla contingentia, ſed eſſentialia ſint omnia in Deo, & divino modo. Tertia denique, ut iſtos modos à Deo ſic influere creatis rebus ſtatuamus, ut nihil eorum reciprocetur & quaſi refluat ad Deum. Eſt enim principium univerſale, Deus, ad quem ſi quid horum reflueret, jam ex facto principium eſſe deſineret. Ac hujus quidem rei cauſa manifeſta eſt ex naturalium documentorum comparatione: quia tota hæc res non à potentia naturali ſimpliciter, qua naturalis eſt, ſed à rationali potentia Dei profecta eſt. Etenim ea potentiæ naturalis eſt conditio, ut ſemper unum & idem fundat in ſuo genere; & ſi quid extra ſe gignit, gignat ſimile ex neceſſitate naturæ, aut contingentia diſſimile: Pyrus pyrum, bos bovem, homo hominem: nempe pro ut uniuscuiuſque rei in natura eſt forma unica. At rationalis potentiæ, quæ omnium formarum capax, opus eſt omnimodum: ad quod tria in agente oportet concurrere, ſcire, poſſe, velle. Modus autem eorum quæ rationalis potentia efficit, non a ſcientiæ aut potentiæ modo informatur; ſed à voluntatis modo, opera, quæ in ſcientia & potentia velut radice virtualiter informata ſunt (ut loquuntur) actualiter informantis; idque libertate voluntatis, ac non neceſſitate naturæ. Quod in rebus divinis exemplo ſi placet illuſtrari, hoc eſto: perſona Patris natura genuit perſonam Filii, non voluntate: Deus creaturas voluntate, non natura gennit: Itaque Filius unum eſt cum Patre; res creatæ à Deo diverſæ ſunt; eæque omnium generum, graduum, conditionumque, fuſæ à potentia rationali eius voluntariè ad demonſtrandam omnimodam ſapientiam ipſius. Non eſt autem novum, quæ à natura ſunt reciprocari atque refluere, quia adæquata ſunt multa, multa nimirum eſſentialia: At quæ à voluntate ſunt, ea aut reciprocari aut adæquari eſt inauditum. Quod ſi hoc in natura eſt verum, ut profecto eſt, quanto magis in Deo credi neceſſe eſt, ſi cum rebus creatis comparabitur? Hæc à me copioſius, mi frater, poni oportuit, ut certis quaſi cancellis determinati poſſint facilius ſequentia. Ais, » primam ſententiam tibi diſplicere, » quia putas Deum non poſſe volun- » tate illuſtrandi gloriam per miſeri- » cordiam & juſtitiam punientem ver- » ſari circa hominem nondum condi- » tum. Addis ad amplificationem, » immo

Ad argumentum Arminii primum contra ſententiam Calvini, quod Deus non poſſit

per miſericordiam & juſtitiam pur autem verſari circa hominem nondum conditum.

,, immò nè circa eum quidem qui eſt ,, conditus & in puris naturalibus con ,, ſideratus. Vt alter alterum intelligamus, quod dicis *verſari circa hominem*, accipio pro eo quod eſt vulgò, habere objectum, ſive pro objecto hominem. Hoc autem, mi frater, quod putas, quam ſit verum, ſi placet, immo quia placet & petis, expendamus. Ego vero ex primo fundamento quod ante poſui (a quo te non diſſentire confido) ſtatuo hominem nondum conditum, conditum, lapſum, &c. denique hominem communiter, utcumque accipias, objectum eſſe potentiæ, ſcientiæ, voluntatis, miſericordiæ, & juſtitiæ Dei: nam ſi hoc non datur, omnino ſequuturum eſt ergo, aliquid eſſe extra providentiam communem, & prædeſtinationem ſingularem filiorum Dei non objectum Deo; ergo Deo aliquid accidere, ſi potentiæ, ſcientiæ, voluntati, &c. aliquid inſuper accidit, quia potentia ſcientia, voluntas Dei eſt, aut Deus, aut divinus, id eſt, infinitus actus. Æternitas quicquid videt, ſi non æternum videt, definit eſſe æternitas, naturam æternitatis amittit. Infinitas, ſi non infinita infinitè videt, ſi partibus definitur, deſinit eſſe infinitas: apud Deum æternitatemque illius non eſt, fuit, aut erit, ſed eſſe permanens atque perdurans totum ſimul & interminabile. Creatura in natura rerum eſt quidem in tempore, ſed Deo ſupra omne tempus & ab æterno in æternum, modo unico, id eſt, divino præſentiſſima: neque tantum ipſa, ſed etiam omnes affectiones ipſius, undecumque ſint. Dices fortaſſe hoc principium in confeſſo eſſe (ut loquuntur) ſimpliciter, ſed hic ſecundum quid aliam rationem eſſe; nempe quia agitur de miſericordia & punitione, quæ non niſi ex antecedente miſeria & peccato vere ſtatui poſſunt. Atqui tam hæc, mi frater, quam illa ſunt Deo præſentiſſima; non dico naturali modo, qui præterfluit; ſed divino, qui æternus eſt, & ſupra naturam omnibus modis eminens. Qui ſecus putans, ii profecto periclitantur ipſam Dei ſimpliciſſimam æternamque eſſentiam convellere. Præterea diximus in propoſ. 3. miſeriam & peccatum actu, habitu, potentia in rebus creatis conſiderari; item ſimpliciter aut comparatè: In Deo vero (quem etiam Ariſtotelis nobis ἁπλουστάτην ἐνέργειαν eſſe concedit) miſericordia & judicium ſunt æterno actu, ac non temporario; qui omnibus modis miſeriam & peccatum hominis ante omnia tempora contemplatur, non accidentariè recipit in tempore. Poſtremò (ut fontem rei aperiamus) tota hæc cogitatio inde proficiſcitur, quod non ſatis animadverſa eſt ab iis qui ita putant, ratio fundamenti. 3 quod antè jecimus. Cum enim omnis actio aut interna ſit, aut externa, aut utroq; modo conjuncta ſimul: Interna in Deo eſt velut in opifice: externa eſt in creatura ſuo tempore & loco, velut in opere: quemadmodum in mente ſtructoris domus eſt, informata ante, quam opere ſit exſtructa (ut loquuntur) materialiter. Cum vero utraq; actio conjuncta eſt, & fit ex ea opus numero unū, quod vocant ἀποτέλεσμα, tum verò internus ille actus quaſi formale, externus materiale eſt; nihil in Deo temporarium, actus ſolum æternus eſt in Deo, nam internus eſt: non ergo temporarius: quemadmodum ex contrario omnia extra Deum tempora-

Hominem communiter conſideratum eſſe Deo prædeſtinanti.

Omnia futura Deo eſſe præſentiſſima.

Actiones omnes Dei internas eſſe æternas.

pora-

poraria ; externus igitur actus eſt temporarius, nam extra Deum eſt. Quid ergo ſtatuis? inquies: Deumne per miſericordiam & juſtitiam punientem verſari circa hominem nondum conditum, aut conditum quidem, ſed in puris naturalibus conſideratum? Equidem quicquid illud eſt, quod de homine prædicari poteſt, verè & ſanctè prædicari agnoſco poſſe. Verumtamen lenius & convenienter Chriſti & Apoſtolorum verbis, duo enuntiari poſſe video; quæ ſi qui non exprimunt interdum, omnino tamen intelligunt: prius eſt, non modum & eventum ſolum conſequentem (quem finem dicunt nonnulli κατ᾽ ἐξηγητικῶς) in hac quæſtione ponendum eſſe, puta miſericordiam & juſtitiam punientem; item vitam & mortem æternam; ſed fontem ipſum & genus, puta gratiam non-gratiam, adoptionem vel filiationem, υἱοθεσίαν, & non adoptionem, quæ eſt reprobatio, ut propoſ. 2. diximus. Poſterius eſt, non ſingularem ullum ſed communem hominis reſpectum in electionis argumento poni oportere, ut eum nondum conditum, conditum, lapſum, &c. tamen in conceptu Dei omni ex parte intelligamus præſentiſſimum: adeo ut in electione hac concurrant gratia in hominem ſimpliciter, & miſericordia in lapſum ac peccatorem ex gratia: in reprobatione verò, non gratia adoptionis, & non miſericordia. Hęc ſi commodè dicuntur, non video, qua ratione pia mens offendi poſſit. Ait enim Chriſtus, *Benedictos Dei Patris eſſe, qui hæreditario, percipient regnum præparatum ſibi à conſtitutione mundi.* Et Paulus: *Deum Patrem benedixiſſe nobis omni benedictione ſpirituali in ſupercœleſtibus in Chriſto; prout elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi, ut ſimus ſancti & inculpati coram ipſo in charitate, cum prædeſtinavit nos in υἱοθεσίαν per Ieſum Chriſtum in ſeſe ex beneplacito voluntatis ſua, ad laudem, &c.* Quid? an nullus ergo reſpectus ſingularis eſt? Reſpondeo, propriè in argumento electionis & reprobationis, (nam de damnatione locus diverſus eſt) nullus reſpectus eſt ſingularis hominum ſecundum cauſam; ſed tota diſcretio noſtri à reprobis ex pura puta Dei voluntate eſt: Deus qua homines, ſive nondum conditos, ſive conditos, ſive lapſos, ac potius omnia ſimul communiter coram ipſo, per omnia tamen æqualeis inter ſe natura & ſorte, diſcrevit diſparavitque; hos eligendo & prædeſtinando in adoptionem filiorum Dei; illos ſibi ipſis & naturæ ſuæ donando, ac non evocando in adoptionem filiorum Dei, quæ gratuita eſt, nec niſi gratiæ adſcribi poteſt. Atq; hæc gratia ſecundum ſe unica, modo ſit duplex in electos, nam aut eſt gratia ſimpliciter, ſi hominem etiam ab æterno citra contemplationem lapſus reſpexeris, quæ gratia cũ Angelis hominibuſq; electis communicata eſt; aut gratia eſt conjuncta miſericordia, vel eſt miſericordia gratioſa, cum ad ſingularem lapſus & peccati reſpectum deſcenderis: Angelos enim gratia, nos & gratia & miſericordia affecit Deus: niſi etiam ad potentialem miſeriam (de qua propoſit. 3. dictum) & miſericordiam reſpexeris: Hoc enim ſenſu opus divinum gratiæ miſericordia eſt, & merito dici poteſt. Quid autem hic eſt quod in Deo reprehendi poſſit? quid negari à nobis? Deus omnes donavit natura humana: bona eſt donatio. certos ex eis donavit adoptio-

Matt. 25.

Ephes. 1.

adoptionis gratia & miſericordia: hæc donatio melior. neutram debuit, utramque præſtitit; illam omnibus; hanc certis hominibus. Sed aliud eſt, dixerit fortaſſe quiſpiam, reprobatio, aliud juſtitia puniens, de qua loquimur, atque damnatio. Bene eſt: ergo de reprobatione inter nos convenit: de juſtitia puniente & damnatione videamus. Certe quemadmodum vaſa miſericordiæ, quæ præparavit Deus ad gloriam, ut demonſtraret divitias gloriæ ſuæ, ſunt ab æterno ipſi præſentiſſima, divino & incomprehenſibili modo, ſine motu ipſius vel mutatione ulla, ſic etiam *vaſa iræ coagmentata ad exitium, ut demonſtraret iram ſuam, & notam faceret potentiam ſuam*, Rom 9. v. 22. ſunt æternum oculis eius expoſita divino modo. Vt vaſa ergo à Deo ſunt; nam figulator eſt omnium: ut iræ vaſa, a ſe ſunt & peccato ſuo, in quod ruunt voluntate ſua. omnes hac *natura filii iræ ſumus*, Epheſ. 2. non autem prima conditione noſtra. Affirmat Moſes Geneſ. 1. *vidit Deus*, inquit, *omnia quæ fecerat: ecce autem erant bona valdè:* quod bonum eſt, non odit Deus bonus; omnia ex creatione fuerunt bona: ergo ex creatione nihil omnium odit omnino Deus; alienum odit, non autem ſuum: noſtro lapſui & vitio iraſcitur, non creationi ſuæ. Ex creatione vaſa ſunt: ex labe ſunt iræ vaſa, & coagmentata ad interitum, ut juſtiſſimum labis & vitioſitatis conſectarium: *cum Deo enim ne diverſatur quidem malum*, Pſalmo 5. Quemadmodum eſt in notitia Dei bonum electorum, quos afficit miſericordia: ſic in notitia Dei eſt (ut Eſaias loquitur) aliorum malum: hoc ex quo ſcivit, odit & damnavit. Scivit autem, & præſcivit ab æterno: odit igitur æternum & damnat, etiamque prædamnavit. Quæ autem ratio eſt propoſitionis illius, eadem quoque ratio eſt alterius, ad amplificationem additæ, *imo ne circa hominem quidem verſari Deum, quà eſt conditus, & in puris naturalibus conſideratus.* nam eodem planè modo conſequitur, de hoc, ut de illo; & non es neſcius a toto in modo (ut vocant) ſive communi ad particulare affirmationes univerſales ſequi, optima conſequentia. Hominem communiter in electione & reprobatione reſpexit Deus ab æterno: ergò & nondum conditum, & conditū & lapſum, & ſi quid præterea eſt quo exprimamus quod volumus. In cauſa, inquam, electionis & reprobationis hominem reſpexit ſimpliciter, quocunque eum reſpectu veſtias: In cauſa damnationis peccatorem, quem Chriſto non dedit per electionem gratiæ, & quem ab æterno peccatorem videt. Rectè itaque ſancti illi viri electionem & reprobationem hominis ab æterno factam ſtatuerunt: alii nondum conditi hominis, alii nondum lapſi, alii denique etiam lapſi: quia in quavis conditione ſpectes, homo citra conſiderationem bene-facti & peccati electus aut reprobatus eſt. Nec vero eos inter ſe pugnare hoc dicto probari poteſt, niſi diſertis verbis oſtendatur aliarum conditionum negatio. Sic enim ſe habet conſenſu omnium communis enunciatio: In qua ſiquis poſitionem unius remotionem alterius eſſe affirmaverit, in veritatem naturalis Logicæ & communem uſum impegerit. Quod ſi communiter cauſa electionis & reprobationis ita ſe hābet, omninò ſequi-

Ad amplificationem argumento additam, quod ne quidem circa hominem conditum, & in puris naturalibus conſideratum miſericordia & iuſtitia puniente potuerit verſari Deus.

Eſai. 48.

ſequitur eos qui hominem nondum conditum electum eſſe aiunt, veriſſime dicere; quia à Deo electi ſunt interno actu, antequam externo eſſent: qui vero conditi electionem affirmant, eos externi actus principium, vel primum modum reſpicere: & ſic deinceps. Hæc autem omnia non de actu illius ſunt per ſe, ſed de conditione actus quæ nihil facit ad ſubſtantiam illius. Dicis, *in hac ſententia me tibi praire, qui de prædeſtinatione agens nuſquam miſericordia, ſed ubique gratiæ mentionem facio, quæ miſericordiam tranſcendit*, &c. Ego verò, mi frater nec ita ſenſi unquam, ut cæteras partes poſito nomine gratiæ viderer excludere, nec video quomodo ex ea voce id concludi poſſit. gratia genus eſt miſericordiæ; non excludit ſpeciem. gratia viam (ut ita dicam) omnium temporum complectitur: ergo & miſericordiæ. neque illi qui miſericordiam nominant, poſita ſpecie tollunt genus, aut parte poſita excludunt totum reliquum: neque nos poſito genere negamus ſpeciem, aut toto poſito partem illius furcillamus. Vtrumque ex Scripturis eſt, quæ reſpectu totius & ſingularium partium eius prædicant gratiam, & certo reſpectu miſericordiam: ſed neutrum tollunt alterius affirmatione. Demonſtrarem locis, niſi te pro peritia & intelligentia tua id mecum jam agnoſcere planè confiderem. Prædeſtinatio ex gratia eſt: eadem gratia, quæ prædeſtinationem ſanctorum peperit, eadem miſericordiam capit: quod paulo ante ſatis (opinior) declaravimus. Gratiæ ſimpliciter memini in cauſa ſimplicis prædeſtinationis, id eſt, ſimpliciter communiterque enuntiatæ. Miſericordiam

Ad allegatum ab Arm. conſenſum Iunii.

etiam prædico in ratione hominis miſeri, qua ſimpliciter, qua comparatè dicti. Addis *me tractantem de præteritis & reprobatis in his ſolis juſtitiæ meminiſſe*. Primum, ſi placet, tollamus homonymiam: deinde rem expediemus paucis. Homonymiam propoſitione ſecunda expoſuimus: reprobatos aut communiter dicimus, aut ſingulariter; ſi communiter accipis, rectè fit juſtitiæ mentio, ut mox declarabimus; ſi ſingulariter, aut reprobati & præteriti pro iiſdem accipiuntur, quæ propria eſt ſignificatio, aut reprobati pro damnatis dicuntur, quod eſt catechreſticum. Priore ſignificato accipere te non arbitror: poſteriore ſi accipis (ut facis) certe quod dicis eſt veriſſimum, me tractantem de ſolis damnatis juſtitiæ meminiſſe. Id tantum improbo, quod copulative ſcribis de præteritis & reprobatis, id eſt, damnatis. Nam etſi ijdem ſubjecto ſunt, & omnes præteriti damnati ſunt, & damnati præteriti; tamen alia eſt eorum ratio, quà præteriti ſive reprobati; alia, quà damnati. Præteritio vel reprobatio non fit ſine juſtitia, ſed non eſt a juſtitia, ut a cauſa ipſius: damnatio cum juſtitia & a juſtitia eſt. Electio & reprobatio vel præteritio opus eſt voluntatis liberæ a ſapientia Dei: damnatio vero eſt neceſſariæ voluntatis a juſtitia Dei: nam Deus ſe ipſum negare non poteſt. 2. Tim. 1. juſtus judex, ut injuſtitiam puniat neceſſe eſt, & judicium faciat. Pſalm. 7. Hoc, inquam, opus eſt πολυποίκιλον ſapientiæ Dei, quod iis creaturis, quibus principium viarum ſuarum indidit, puta voluntatem liberam, utrumq; uſum illius oſtenderit, bonum & malum, & eventa uſus illius in utramvis par-

partem conſectaria. Quapropter tum in Angelis ſapientia ſua, tum in hominibus viam utriuſque uſus, ſine ullo vitio aut culpa ſua ordinavit: Opus vero juſtitiæ eſt, quod injuſtos damnat. Itaque etiam verè illud dicitur, præteritos à Deo damnari; ſed quia damnandi, non quia præteriti ſive reprobati. Iam ad argumentationem tuam venio: qua affirmas, *ex illa ſententia neceſſario ſtatui Deum auctorem lapſus Adami & peccati, &c.* Equidem non video argumentum, quo hæc concluſio efficiatur neceſſario, ſi illam ſententiam commodè (ut par eſt) acceperis. Etſi non dubito, quin ad verba illa tua reſpexeris, quibus in enuncianda prima ſententia uſus es, *ordinaſſe quin etiam, ut idem homo laberetur & vitioſus fieret, quo hac ratione viam ſuis æternis conſiliis patefaceret, id eſt, ut misericorditer aliquos ſervare poſſet, &c.* Hæc tua igitur, niſi me animus fallit, argumentatio: Qui ordinavit, ut homo laberetur & vitioſus fieret, auctor eſt lapſus & peccati: Deus ordinavit ut homo laberetur & vitioſus fieret: Deus ergo auctor eſt lapſus & peccati noſtri.

Ad argumentum Arminii ſecundum, ex ſententia Calvini ſequi Deum eſſe Auctorem lapſus Adami & peccati.

At huius argumentationis negatur propoſitio, quia æquivoca: etenim ordinandi verbũ in vulgo quidem, ſed tamen καταχρηστικῶς, accipitur pro eo quod eſt ſimpliciter & abſolute decernere, voluntate (ut loquuntur) determinante, & probante factum: quæ κατάχρησις in re forenſi eſt frequentiſſima: Nobis vero, qui in hoc argumento religioſe proprietatem vocum tenemur obſervare, ordinare nihil eſt aliud, quam ordinem in factis diſponere, & rebus ſingulis pro modo ipſarum. Aliud eſt decernere facta ſimpliciter, aliud ordinem factorum decernere in re quaque pro modo ipſius. Prius immediatum eſt, poſterius unde à principio ad finem media reſpicit in rebus omnibus ad ordinem pertinentia. Priore ſignificato negatur ſimpliciter aſſumptio: eſt enim a vero alieniſſima, cum nullius mali (de malo culpæ dico) auctor unquam ſit Deus. Poſteriore ſignificato negatur propoſitio: eſt enim a vero diſcrepans; nec ratione ulla eſt neceſſarium, ut qui ordinem in factis diſponit, & rebus ſingulis pro modo ipſarum, idem ſit factorum auctor. Aliud eſt faciens, aliud factum, aliud utrunque ordinans. Qui facit malum facinus, is auctor eſt mali: qui ordinem diſponit in faciente & facto malo, is non auctor eſt mali; ſed mali ordinator bonus ad bonum. Hoc vero ut intelligatur; adhibendum eſt fundamentum quartum, quod ante ſtatuimus. Ex eo cauſam hanc totam circumſcribemus in hunc modum: vitium omne, cauſæ proximæ, non remotæ aut ſummæ ſemper eſt adſcribendum. In catena annulus, qui rumpitur, vitium facit: in αὐτομάτῳ quæ aberrat rota, hæc demum in culpa eſt, non ſuperior aut inferior ulla. Cum autem cauſæ omnes aut principia ſint, aut à principiis (hic autem principia velut rotæ ſunt, quibus verſantur cauſæ a principiis fluentes) Deus principium univerſale omnis boni; natura, principium rerum naturalium; & voluntas rationalis, moralium principium ad bonum aut malum liberè ἐπαμφοτερίζειν. Hæc tria principia ſuo proprio motu agunt actiones ſuas, & cauſas medias fundunt ſingula pro ratione ipſorum, & ordinant; Deus quidem divino, natura naturali, voluntas electivo modo.

Verbum ordinare non ſignificare apud Auctores huius ſententiæ decernere facienda, ſed ordinem in factis diſponere.

modo. Deus divino modo fudit naturam; natura hominem ſuo; voluntas ſuo & proprio actiones moraleis & voluntarias ſuas. Iam vero ſi voluntas fundit morale ſive bonum, ſive malum, de ſuo fundit: quod ne naturæ quidem ipſi ut cauſæ tribui poteſt, licet natura voluntatem in homine ingeneret; quia voluntas (utut a natura ſit) principium proprium rerum moralium ac ſingulare eſt in natura a Deo inſtitutum. Quod ſi huius culpa ne in naturam quidem ipſam cudi poteſt, quo jure, obſecro, imputetur Deo, qui per modum & medium naturæ voluntatem homini indit? Reſpondeo itaque cum Auguſtino libro adverſus articulos falſo ſibi impoſitos, Artic. 10. *Non caſus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædeſtinatio Dei aut excitavit, aut ſuaſit, aut impulit, ſed plane prædeſtinavit judicium ſuum, quo unicuique retributurus eſt, prout geſſit, ſive bonum ſive malum; quod judicium futurum non eſſet, ſi homines Dei voluntate peccarent.* Pergit amplius ibidem artic. 11. dicens: *Si Diabolo objiceretur, quod talium facinorum ipſe auctor, ipſe eſſet incentor; puto quod aliqua ratione hac ſe poſſet exonerare invidia, & talium ſcelerum patratores de ipſorum voluntate evinceret: quia etſi delectatus ſit furore peccantium, probaret tamen ſe non intuliſſe vim criminum. Quæ ergo inſipientia, quave dementia definitur ad Dei referendum conſilium, quod nec Diabolo in totum adſcribi poteſt? qui in peccantium flagitiis illecebrarum adjutor, non voluntatum credendus eſt eſſe generator. Nihil ergo talium negotiorum Deus prædeſtinavit ut fieret, nec illam animam turpiter nequiterque victuram, ad hoc ut taliter viveret, præparavit: Sed talem futuram*

Sed malum eſt à proprio motu creaturæ, eiuſque voluntate libera

non ignoravit, & de tali ſe juſte judicaturum eſſe præſcivit, &c. Quod ſi nec naturæ, nec Diabolo imputari poteſt, quanto minus Deo creatori ſanctiſſimo atque ſapientiſſimo? qui (ut idem ait lib. 6. ὑπογνωστικῶν) *non omne quod præſcit, prædeſtinat. Mala enim tantum præſcit, & non prædeſtinat: bona vero & præſcit, & prædeſtinat.* Bonum autem illud a Deo eſt, quod ordinatione ſua diſponit ordinem in bonis & malis: ſi non, otioſa plurimum futura eſt (quod abſit) providentia Dei. malum non vult Deus, ſed ordinem vult & ſervat etiam in malo. A voluntate hominis acceſſit malum: a Deo ordinatio eſt univerſalis atque ſingularis providentiæ ipſius, etiam quæ ſummè mala ſunt, diſponens, & in ordinem cogens ſapientiſſimè. Hic duplex mihi fortaſſe quæſtio commovebitur: prima, quomodo hi motus proprii voluntatis dicantur eſſe, cum voluntatem ipſam. i motuum voluntariorum fontem a natura eſſe, naturam à Deo fateamur? ſecunda, cur Deus voluntatem hanc quaſi in agina libertatis conſtitutam hominibus indiderit? Ad utrumque reſpondebo paucis. Ad primum; certe voluntas a natura eſt, natura a Deo; ſed non eo minus voluntas principium motuum horum dicenda eſt, quam natura principium dicitur naturalium. Vtraque principium eſt actionis ſuæ; licet utraque a ſummo principio Deo. Aliud eſt eſſentiam rei deſcribere, aliud ortum ipſius. Quæ eſt eſſentia naturæ atq; voluntatis? ut illa motuum naturalium ſit principium, hæc ſpontaneorum. Qui ortus? univerſorum Deus fons unicus atque univerſalis eſt: Nec abſurdum eſt, principium a principio

Duplex quæſtio.

Reſponſio ad primam.

eſſe: nam etſi principium, quod aliunde principium ducit, ratione ortus principium dici non debet, tamen ratione actus principium eſſentiale propterea eſſe non deſinit. Eſt principiũ per ſe, Deus: eſt principium a principio, natura & voluntas noſtra: Et hoc tamen utrumque principium eſt, proprios ſuos motus habens. Neque vero eſt, cur hæc Philoſophica quiſquam eſſe exiſtimet: naturalia ſunt; naturalia autem a Deo ſunt. Verumtamen ſi naturam audire nolumus, audiamus veritatem Dei, Chriſtum dicentem de Diabolo, Ioan. 8. *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater illius*. Hic pater, & generator dicitur mendacii, hic ex propriis loqui. Ecce tenemus ortum & actum peccati in Diabolo ex Chriſti verbis. Ortus ab ipſo eſt: pater enim & generator eſt peccati. Actus ab ipſo eſt conſimiliter: nam ex propriis loquitur. Quid his verbis obſecro, evidentius? Quapropter Auguſtinus in eadem reſponſione, artic. 6. optimè concludit; *Sicut ergo prævaricatoribus Angelis non indidit Deus illam, qua in veritate non ſteterunt, voluntatem; ita nec hominibus hunc affectum, quo Diabolum imitarentur, inſeruit. Mendacium enim de proprio loquitur: & liber à mendacio non erit, niſi cum veritas liberaverit.* Nempe voluntatem liberam, id eſt, δύναμιν eſſentialem illam Adamo dedit: motus fuit Adami proprius & noſtrum ſingulorum eſt. Quomodo proprius, cum a Deo ſit datus? R. Quæcumque a Deo data ſunt, aut lege juris communis data ſunt, aut proprietatis atque mancipii: voluntatem dedit Angelis hominibus lege mancipii & proprietatis: Propria igitur eſt, & motus proprii illius. *Ita* (inquit Auguſtinus libro de Geneſ. ad litt. imperf. cap. 5.) *ſpecies naturaſque ipſas & facit & ordinat: privationes autem ſpecierum defectuſque naturarum non facit, ſed ordinat tantum.* ſemper igitur Deus juſtus, nos autem injuſti.

Ad 2. cur Deus hanc voluntatem, & huiuſmodi indidit? Reſpondeo, opus fuit ſummæ bonitatis & ſapientiæ in univerſitate naturæ. Quid bonitatis & ſapientiæ fontem obſtruamus ingratis animis, qui jam ingratis animis abuſi ſumus? bonitatis fuit, quod imaginem ſuam in utraque natura, tum ſuperiore, Angelorum, tum hac inferiore, ſpeciei hominum indidit: quod cum cætera in natura rerum inſtinctu communi naturæ, aut ſenſu moveantur, quaſi obſcuro veſtigio Dei; hi ſola libertate propriæ voluntatis, eiuſque rationalis, principium viarum ſuarum penes ſe habuerunt a Deo ex ſola bonitate eius. Sapientiæ fuit, quod has ipſas ſpecies imagine ſua præditas cum aliis tam multis condidit, & ſupra alias; ut perfectiſſimum ſuæ gloriæ ſpeculum, quoad eius in rebus creatis fieri potuit, exiſteret. Sed cur fecit eiuſmodi, libertate mutabili? nempe imaginem ſuam fecit, non ſe ipſum. Vnica eſt eſſentialis imago Dei Patris, Dominus Ieſus Chriſtus, Deus unus, æternus, & immutabilis cum Patre & Spiritu ſancto. Quiſquis es qui hoc objicis, audis ſerpentem inſuſurrantem tibi, quod Evæ occinuit olim in perniciem noſtram. Satis eſto tibi, quod factus es ad imaginem Dei; non perfectionem divinam habens, ſed perfectionis illius imaginem. Perfectionis divinæ eſt propria immutabilitas: Hanc Deus natura habet; *Reſponſio ad ſecundam.*

habet; creatura imaginem illius habuit communicatione quadam à Deo penes ſe, depoſitam penes voluntatem ſuam: ſed abjecit voluntate propria, quicumque lapſus eſt, ſive Angelus, ſive homo. Ne plura, tota hæc quæſtio à Marcione eſt, quam totam copioſiſſime ac nervoſiſſimè Tertullianus bona parte lib. 2. adverſus Marcionem perſecutus eſt, inde à cap. 5. cuius lectio tibi, confido, ſatisfactura eſt. Subjicis tandem a neceſſitate concluſionis illius *non excuſari illos, per diſtinctiones actus & vitioſitatis in actu, neceſſitatis & coactionis, decreti & exequutionis*, &c. Ego vero te, mi frater, exiſtimo ex iis quæ modò dicta ſunt, ſatis pro tua pietate prudentiaque videre, qua in re fallat argumentatio. Peccatorem enim Deus non facit, ſed ordinat, ut cum Auguſtino loquar: peccatoris verò ordinat malum factum, non jubendo ut faciat ſingulariter atque ſimpliciter, ſive decernendo; ſed ordinem ſuum & jus infinitæ providentiæ ſuæ in ipſo malo, quod proprium eſt creaturæ, vindicando ſapientiſſimè. Triumphare enim ſapientiam Dei hoc modo oportebat, cum ſuum ordinem in creaturæ ſuæ inordinatione propria & voluntaria oſtenderet. Hanc inordinationem & alienationem à bono, proprio liberæ voluntatis motu, non Dei inſtinctu, creatura paravit ſibi. Libertas autem iſta arbitrii, inquit Tertullianus lib. 2. adver. Marcion. cap. 9. *non ei culpam ſuam reſpuit à quo data eſt, ſed à quo non ut debuit adminiſtrata eſt.* Quæ cum ita ſint, nihil neceſſe eſt, ut de ſingulis illis diſtinctionibus dicam, quæ ſuis locis fortaſſe valere poſſunt: mihi quidem ad hanc argumentationem propriè non videntur pertinere, niſi aliæ argumentationes, quas ex ſcripto tuo videre non poſſum, adferantur. Deinde omnes potius communiter ad quæſtionem de providentia pertinent, quam ad hunc locum ſingulariter. Non placet autem quod aiunt, extra lineas. Hic vero fortaſſe dixerit quiſpiam: Ergo judicia Dei a contingentia pendere: & fundari contingentibus, ſi ad hominem, qua peccator, & ad peccatum ipſius reſpexerint. Negatur conſequens: nam contra ea ipſa quæ nobis ſunt contingentia, à Dei ordinatione pendent, ſecundum ortum & actum ipſorum. Ortum: nam & modum contingentem æquè ac neceſſarium ſtatuit in natura Deus. actum verò, in rebus bonis agentem; in malis verò ceſſantem, qua malæ, non qua ordinantur ſingulari providentia eius. Non ergo ſunt Deo contingentia, utcunque ſint nobis: quemadmodum quæ cauſæ inferiori contingunt, ea nullo jure ſuperiori adſcribi poſſunt. Sed hanc rem jàm ante fundamento quarto ſatis, opinor, expreſſimus. Quamobrem ad alia tranſituri ſumus.

De Geneſ. ad lit. imperf. cap. 5.

Ad diſtinctiones ab Arm. ut invalidas excuſſanda ſententiam primo propoſitas.

Contingentia non eſſe Deo, ſed nobis.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. 6.*

MEus primæ ſententiæ ea eſt quam ego propoſitione tertia explicavi. An vero iſto objectum communiter & indiſcrete, an vero diſcretè & certa circumſtantia veſtitum Deo prædeſtinanti & reprobanti offerat, non magnopere laboro: de eo enim mihi quæſtio non eſt hoc loco. Si tamen & hoc paucis agere liceat, dicam, accurate hanc

Mentem primæ ſententiæ eſſe eam quæ expreſſa tertia propoſita.

rem penſitanti, videri non poſſe objectum communiter & indiſcretè conſideratum eſſe decernenti Deo, ex ſententia auctorum primæ ſententiæ. Taliter enim objectum conſideratum eſt decernenti Deo, quale tum fuit, quum nullum adhuc Dei decernentis internum actum circa ſe, nullum etiam exſequentis actum externum in ſe recepiſſet. hoc enim purum putum objectum dicitur, vacuum ab omni alia conſideratione, quæ objecto per actum cauſæ circa id verſantis accidere poteſt. Quum vero juxta ſententiæ primæ auctóres creationis actus ad exſecutionem decreti, de quo agimus, pertineat, hinc certo certius patet hominem, qua condendus eſt, objectum prædeſtinationis & reprobationis eſſe. Si tamen quis varios & multiplices decreti iſtius actus conſideret, non dubium quin alli ex illis huic, alii iſti hominis ſtatui ſint accommodandi & applicandi; atque hoc ſenſu communem & indiſcretam objecti conſiderationem admiſero. Verum omnes iſti actus ex uno primario juxta iſtius primæ ſententiæ auctores, dependent, nimirum quo Deus ſtatuit in una informis iſtius maſſæ, unde humanum genus condendum erat, parte gloriam miſericordiæ, in altera vero decus ſuæ juſtitiæ declarare. atque illud ipſum eſt quod dixi mihi in prima illa ſententia diſplicere: neque adhuc dum mihi perſuadere poſſum, ullum exſtare in tota Scriptura decretum quo Deus ſtatuerit gloriam ſuam per miſericordiam & juſtitiam in horum ſalute & illorum condemnatione illuſtrare citra lapſus præviſionem.

Non potuiſſe ex ſenſu auctorum illius objectum communiter & indiſcretè conſideratum eſſe decernenti Deo.

Locus quem citas ex Beza in 1. Epheſ. v. 4. planè docet me nullam iſtis auctoribus injuriam in explicanda illorum ſententia feciſſe, nam & in eo dicit, Deum ſibi per creationem & corruptionem hominis aditum pateſeciſſe ad exſequendum quod ante decreverat.

Id quod tertia propoſit. dictum eſt confirmari verbis Bezæ.

Ad convenientiam illarum ſententiarum quod attinet, fateor omnes in eo conſentire, quod decretum hoc Dei ab æterno ſit factum, ante omnem objecti qualiſcunque & qualitercunque conſiderati actualem exiſtentiam. *Nota enim ſunt Domino Deo noſtro omnia opera ipſius ab ævo.* Act. 15. Et omnes in univerſum Dei actus interni æterni ſint neceſſe eſt, niſi mutabilem Deum ſtatuere velimus; ſed ita tamen ut alii aliis ordine & natura antecedant. Fateor inſuper & in hoc convenire, quod nulla ſit in prædeſtinato vel reprobato cauſa, cur ille prædeſtinatus ſit hic reprobatus; quodque illa cauſa poſita ſit in Dei ſolius pura voluntate. At dico, quod alij alijs altius conſcendant, & decreti actus ulterius extendant. Nam *Tertiani* negant Deum ullo prædeſtinationis reprobationiſque actu verſari circa hominem *ut nondum lapſum* conſideratum, & *Secundani* ajunt Deum circa *non conditum* iſtius decreti actu non occupari. *Primani* vero aperte dicunt & contendunt Deum primo actu iſtius decreti circa hominem, *non conditum*, ſed, *condendum* verſari: Diſtinxi itaque illas ſententias ex objectis, prout unaquæque hominem Deo in primo momento actus prædeſtinationis & reprobationis verſanti objecit, liberum quippe ab omni actu Dei prædeſtinantis & reprobantis, tum interno, quo aliquid de homine decreverit, tum externo, quo

Eſſe quidem aliquam inter primam ſententiam & reliquas duas convenientiam, ſed in objecti qualificatione maximum inter eas manere diſcrimen.

quo aliquid in homine effecerit, quod etiam purum putum objectum dici poteſt, nullum adhuc reſpectum ab actu decernentis æterno, nullamque formam ab externo actu adeptum. Quando vero jam aliquo Dei actu reſpectum aliquem vel formam accepit, jam non purum objectum eſt, ſed objectum habens circa ſe aut in ſe aliquem Dei actum, quo ad ulteriorem actum recipiendum præparatur, ut & paulò ante dictum eſt. Quod vero exiſtimas illos ſuam iſtam ſententiam exemplo Iacob Eſau Rom. 9. recte comprobare, de eo poſtea videbimus.

De fundamentis à Iun. præſtructis; & primo quidem ad locum de eſſentia Dei.

Ad illa quæ tanquam fundamenta præſtruis huic doctrinæ & reſponſioni ad meas argumentationes, pauca liceat mihi ſive annotare ſive quærere. *Ad primum locum* de Eſſentia Dei. Deus ita eſt immutabilis eſſentia, potentia, intellectu, voluntate, conſilio, opere denique, ut tamen creatura mutata alius illi creaturæ fiat voluntate, applicatione potentiæ, & opere, quam fuit eidem creaturæ perſeveranti in ſtatu primævo; cauſæ tribuens quod cauſæ debetur, ſed abſque ulla ſui mutatione. Deinde ſi immutabilis Deus, ergo motum liberi arbitrii, quo ſemel dedit homini frui & uti ex animo ipſius, non circumſcripſit aut determinavit in unam partem decreto aliquo ſuo, ut in iſtam neceſſario inclinet, in alteram vero, ſtante illo decreto inclinare actu non poſſit. Tertio, Deus formam & conceptum æternum & immutabilem habet eorum omnium, quæ mutabiliter ab hominibus fiunt, ſed naturæ ordine ſequentem multos alios conceptus, quos Deus habet, de iis quæ & ipſe facere & hominibus permittere voluit. *Ad ſecundum* locum de ſcientia Dei. Dei ſcientiam æternam immutabilem & infinitam eſſe, ſeque extendere ad omnia tum neceſſaria tum contingentia, ad omnium quæ facit ipſe vel mediate vel immediate, & quæ fieri ab aliis permittit, mihi eſt perſuaſiſſimum: at modum, quo contingentia futura, & præſertim ea quæ liberi arbitrii creaturarum ſunt, quæque permittere decrevit non ipſe facere, certo ſciat, non capio, ne iſta quidem menſura qua ab aliis peritioribus illam intelligi exiſtimo.

Ad ſecundum locum de Scientia Dei.

Scio eſſe qui dicant, omnia ex æternitate Deo eſſe preſentia, & modum, quo Deus futura contingentia certo & infallibiliter novit eſſe hunc, quod illa contingentia Deo coexiſtant in *Nunc* æternitatis, adeoque ſunt in ipſo indiviſibili & infinito *Nunc* æternitatis complectente totum tempus. Quod ſi ita eſt, non difficile eſt noſſe quo pacto Deus futura contingentia certò & infallibiliter ſciat. Contingentia enim non repugnant certitudini cognitionis niſi qua futura, non autem ſecundum quod præſentia ſunt. At iſta ratio non exhaurit omnes difficultates, quæ incidere poſſunt circa iſtarum rerum conſiderationem. Nam Deus etiam ea quæ contingere poſſunt, nunquam autem contingent & propterea Deo non coexiſtunt in *Nunc* æternitatis, novit futura, niſi impediantur; ut apparet ex 1. Samuele 23. de *civibus Keilam Davidem* tradituris in manum *Saulis*, quod tamen factum non eſt. Ergo etiam ex cauſis contingentibus videtur certa eſſe cognitio futurorũ, ſi illæ cauſæ completæ ſint & non impediantur. At quomodo cauſæ completæ erunt illorum actuum qui pendent ex arbitrii libertate,

 quibus

quibus etiam eo ipſo momento quo hoc elegerunt, liberum fuit non eligere, vel aliud præ illo eligere? Quare ſi quando per otium licebit, velim ut tua reverentia & hæc & quæcunque ad illam quæſtionem faciunt, ſuo more accuratè pertractet: ſcio multis hoc gratum & acceptum fore, operamque iſtam non inutilem futuram in Domino. Æterna dicitur Dei ſcientia, at non omnium ſcitorum æqualiter. Nam abſolutè æterna eſt Dei ſcientia, quâ Deus novit ſeipſum & in ſeipſo omnia poſſibilia: at qua futura entia novit eſt æterna quidem tempore, at natura poſterior actu aliquo voluntatis Dei de illis, etiam in nonnullis poſterior actu aliquo voluntatis humanæ præviſo. Et in univerſum hic mihi videtur ordo eſſe ſcientiæ divinæ ad objecta ſua varia comparatæ, ut Deus cognoſcat.

Ordo objectorum in mente divina.

1. Seipſum
2. Omnia poſſibilia tum
   - quæ facere ipſe poteſt.
   - Quæ fieri poſſunt ab illis, quæ ipſe facere poteſt.
3. Omnia quæ actu creationis ſunt exſtitura.
4. Omnia quæ per actum creaturarum, & præcipuè rationalium ſunt exſtitura.
5. Quæ ipſe facturus eſt
   - Vel motus per iſta creaturarum, & potiſſimum rationalium, effecta:
   - Vel ſaltem occaſione ab iſtis accepta:

Vnde apparet æternitatem ſcientiæ Dei non negari ab illis, qui aliquid ab humana voluntate dependens illi præſtruunt ut præviſum.

An in omni genere aliquid ſit univocum à quo cætera ſint æquivocè.

Hoc autem non capio quomodo verum ſit, quod in omni genere aliquid ſit univocum, à quo cætera ſint æquivoce. Putavi hactenus, quæ ſub eodem genere ſunt, eſſe univoca aut ſaltem analoga: æquivoca autem cum univocis ſub idem genus non comprehendi, neque logicum neque metaphyſicum, multo minus phyſicum. Deinde univocum æquivoci cauſam eſſe non poſſe putavi. Nihil enim ſimile. Quod ſi ſimile, ut inter cauſam & effectum; jam non æquivocum, ſed analogum. Sic quæ ab igne calent, non univocè neque æquivocè, ſed analogice calere dixerim. Deus ſcit univocè, nos analogicè. Quod illi fatentur qui proprietates aliquas naturæ divinæ nobis ſecundum analogiam communicabiles ſtatuunt, inter quas etiam ſcientiam numerant. *Ad tertium.* Actiones Dei in ipſo ſunt æternæ quidem, at ſervato ordine aliæ aliis priores natura, quin & neceſſario præeuntes: an eodem ordine quo fluunt extra ipſum, non facile dixerim: ſcio autem eſſe qui ita ſtatuerint, inter quos nonnulli *Georgium Sohnium* p. m. recenſent. Nonnullæ etiam actionum internarum in Deo ſunt natura poſteriores præviſione actus alicuius ex voluntate creaturæ dependentis. Sic decretum de mittendo filio ad redemptionem humani generis, eſt poſterius præviſione lapſus hominis. Etſi enim Deus lapſum hominis impediturus fuiſſet, niſi ſciviſſet ſe illi reſtaurando remedium facile adhibere poſſe, (quemadmodum nonnulli ſentiunt) tamen

Ad tertium locum de Actionibus Dei.

tamen decretum certum de remedio contra lapſum adferendo per miſſionem filii, à Deo non eſt factum, niſi præviſo morbo, id eſt, lapſu. Modus quo Deus tanquam univerſale principium in creaturas ſuas & præſertim rationales influit, cumque natura & voluntate creaturæ concurrit ad agendum, ille mihi probatur qualiſcunque ſit, qui non inducit determinationem voluntatis creaturæ ad unum ex contrariis vel contradicentibus; ſi quis modus inducat, non video quomodo ille conſiſtat cum *Auguſtini* dicto abs te citato, quod Deus ita adminiſtrat omnia quæ creavit, ut etiam ipſa *proprios exercere & agere motus ſinat*. Neque cum dicto *Platonis*, quò Deus *expers omne culpa* ſtatuitur. Velim plane & ſolidè explicari, quomodo à Dei providentia omnes effectus & defectus in natura, & voluntate omnium omnino generum ſint, & Deus tamen à culpa immunis ſit, culpa omni (ſi qua ſit) in proxima cauſa reſidente. Si quis exiſtimet Deum à culpa eximi quia remota ſit cauſa, creaturam vero quia proxima ſit culpæ affinem eſſe (ſi quid peccatum) ille mihi rationem rectam tenere non videtur, cur aliqua cauſa in culpa ſit aut culpæ expers, ſed de illo etiam latius poſtea.

Ad quartum locum de cauſis actionum Dei.

Ad quartum, Vniverſalis cauſa non habet cauſam ſupra ſe, & prima ſummaque cauſa ab alia cauſa non pendet, ipſi enim termini iſtam in ſe rationem concludunt: ſed fieri poteſt ut univerſali primæ & ſummæ cauſæ occaſio producendi certi alicuius effectus ab alia cauſa præbeatur, quem extra iſtam occaſionem prima cauſa nec proponeret in ſe producendum, neque produceret actu extra ſe, imo neque proponere ſeu decernere producendum neque producere poſſet. Tale eſt decretum de damnandis nonnullis, & damnatio ex illo. Quæ vero de modis cauſarum neceſſariarum & contingentium dixiſti, facile adprobo, ut & illa quæ de diſtinctione naturalis & rationalis potentiæ diſſeruiſti. Certum. a. habeo nihil ex iſtis præmiſſis adverſus meam ſententiam aut ea quæ ad deſtructionem primæ ſententiæ à me allata ſunt deduci poſſe.

Conſideratio reſponſi Iunii ad primam argumentationem Arminii.

His ita poſitis, venio ad conſiderationem reſponſi tui ad meas argumentationes. In priore argumentatione mea ſubtraxi miſericordiæ eruenti à peccato & miſeria, & juſtitiæ punienti hominem conſideratum ut nondum conditum. perſiſto in ſententia: neque enim quidquam video allatum quod illam infringat & me ab illa dejiciat. Non enim iſto pacto ſubtrahitur homo providentiæ Dei communi, non prædeſtinationi ſingulari; ſed providentiæ ex miſericordia & juſtitia ita adminiſtratis conſideratæ, & prædeſtinationi ex iſtis cauſis decretæ. Non valet, a. argumentatio ab eo quod eſt κατά τι ad id quod eſt ἁπλῶς. ſecundum quod conſideratæ providentiæ ſubtrahitur, non ſimpliciter ita etiam prædeſtinationi. Quod etiam tua prudentia videt me reſponſurum, ideoque triplex aliud reſponſum attulit: at nullum eorum meæ argumentationi noxium. Nam *quod ad primum*, fateor peccatum & miſeriam Deo ab æterno fuiſſe præſentiſſima, atque ut præſentia fuerunt, ita miſericordiæ & juſtitiç circa illa locum fuiſſe: at iſta quam impugno ſententia non ſtatuis illa præſentia miſericordiæ & juſtitiæ, tanquam præviſa, ſed ex decreto miſeri-

miſericordiam & juſtitiam illuſtrandi inducit neceſſitatem exiſtentiæ peccati & miſeriæ, ut per illorum actualem exiſtentiam decreto ex miſericordia & juſtitia facto locus ipſo actu eſſe poſſet. *Quod ad ſecundum*, concedo etiam miſericordiæ à peccato & miſeria potentiali vindicanti locum eſſe poſſe in eo qui actu neque peccator neque miſer ſit, ſed de miſericordia ita conſiderata hic non agimus: & certum eſt miſericordiam & judicium in Deo actu æterno eſſe, ſed actu primo; at actu ſecundo Deus eas proprietates ex mente autorum iſtius ſententiæ intellectas exercere, niſi circa peccatorem & miſerum actu, non poteſt. *Denique* quod de actione Dei interna & externa & conjuncta dicis, non magis meam argumentationem convellit: Nam neque actio interna, quæ eſt decretum Dei de gloria per miſericordiam & juſtitiam punientem illuſtranda, neque actio externa, quæ eſt declaratio actualis eiuſdem gloriæ per miſericordiam & juſtitiam, neque utraque conjuncta locum habere poteſt circa hominem non peccatorem & non miſerum. Scio quidem illis qui hanc ſententiam tuentur, tantum inter actionem internam & externam, id eſt, ut illi loquuntur, inter decretum & eius exſecutionem eſſe diſcrimen, ut Deo decernere liceat ſalutem ex miſericordia & mortem ex juſtitia non peccatori, at actu non ſalvare ex miſericordia niſi peccatorem, neque damnare poſſe actu ex juſtitia niſi peccatorem. Verum ego illud diſcrimen nego: quin-imo ajo; Deum, quod facere non poteſt actu externo, nec velle poſſe neque decernere actu interno, adeoque unum & iiſdem circumſtantiis veſtitum eſſe objectum internæ & externæ actionis: ſive illud Deo ſit præſens ratione intellectus ipſius æterni & objiciatur eius decreto, ſive reipſa ſit in ſua actuali exiſtentia & objiciatur exſecutioni decreti.

Unum atque iiſdem circumſtantiis veſtitum eſſe objectum decreti & exſecutionis.

Quare adhuc aliter de illa ſententia ſtatuere non poſſum, quam quod probari non poſſit cum Scriptura ſentientibus & loqui deſiderantibus. Cæterum *illa duo* quæ lenius & convenienter Chriſti & Apoſtolorum verbis enuntiari poſſe putas, non faciunt ad ſententiam illam primam explicandam, ſed additamenta ſunt, quibus illa ſententia plurimum immutatur, & quæ minimè agnoſcent illius ſententiæ adſtipulatores; quod ſatis planum feciſſe me arbitror in enarratione ſententiæ eiuſdem ad reſponſionem tertiam, & jam rurſus vel unico verbo commonſtrari poteſt. Illa enim quæ tu modum ponis & eventum conſequentem prædeſtinationis & reprobationis, illa eadem iſti primæ ſententiæ auctores cauſam dicunt eſſe & præcipuam decreti eiuſdem, & finem, licet non poſtremum, quem dicunt eſſe gloriam ex miſericordiæ & juſtitiæ declaratione. Deinde nullam illi gratiam agnoſcunt in prædeſtinatione, quæ non ſit miſericordia, & rectè, nam gratia quæ in hominem ſimpliciter eſt, non eſt ex electione: nullam etiam agnoſcunt non-gratiam ſeu non miſericordiam, quam juſtitia puniens non compræhendat. ut ut eſt, ego hic adverſus ſententiam ita explicatam non ago, non quia illam omni ex parte probo, ſed quia iſtam quam Calvini & Bezæ eſſe dico, hic examinandam ſumſi; de alia poſt videbo.

Carptim

Adlata Scriptura à Iunio contra hanc ſententiam allegata.

Carptim autem ea quæ iſti ſententiæ ita explicatæ hic conſentanea adferuntur conſiderabo. *Scriptura loca* ex Matthæi 25. & Epheſ. 1. allata, quibus docetur Deum *ab omni æternitate ex beneplacito voluntatis ſuæ nonnullos elegiſſe ad adoptionem, ſanctimoniam, & regni participationem;* tantum abeſt ut communem conſiderationem probent, ut contra ex illis planiſſimè peccati tanquam conditionis in objecto benedictionis & electionis requiſitæ reſpectus concludi poſſit. *In priore loco*, benedicti vocantur ad regni participationem quod Deus illis ab æterno paravit: ſed in quo, & per quem? annon in Chriſto & per Chriſtum? ita ſanè, ergo præparatum peccatoribus, non hominibus communiter & citra peccati reſpectum conſideratis. *Ieſus enim dicitur, quia populum ſuum ſalvat à peccatis.* Locus *Epheſ. primo* longè planius idem dicit, ut poſtea latius comprobabitur, quando illo loco ex profeſſo utar ad ſententiæ, quæ peccatum ponit conditionem in objecto requiſitam, comprobationem. Reſpectum ſingularem hominum ego non poſui ſecundum cauſam, quod ſemel monitum volo, ſed ſecundum conditionem in objecto requiſitam, nempe peccatum & miſeriam, quæ adhuc requiro. Quod *gratiæ* vocem à *miſericordia* diſtinguis ſecundum rem ipſam & ſignificationem vocum eſt: at huic loco non neceſſarium. Nulla enim eſt gratia homini ex prædeſtinatione facta, ut nec ulla prædeſtinationi prævia quæ non ſit conjuncta miſericordia. Angelis quidem gratia afficit Deus, non miſericordia eruente à peccato & miſeria, nos miſericordia afficit, non gratia quæ contra miſeriordiam diſtinguitur. Loquor de prædeſtinatione. Exque illa miſericordia facta eſt adoptatio, quare non ex hominibus in primævo ſtatu conſideratis, ſed ex peccatoribus: quod etiam apparet ex ſtylo Apoſtolico, qui non vaſa gratiæ & non gratiæ, ſed miſericordiæ & iræ appellat electos & reprobatos. Quod vaſa ſunt, id habent æqualiter & communiter ex creatione, ſuſtentatione, & ex gubernatione divina; quod vaſa ira digna eamque promerita & filii iræ, ut eſt Ephe. 2. eo etiam inter ſe non diſcriminantur. At quod hi vaſa iræ ſunt, id eſt, ad iram deſtinata, ex merito quidem ſuo, at ex Dei judicio juſto iram illis inferre volentis: alii vero non iræ vaſa ſunt ſed miſericordiæ ex gratia Dei peccatum illis condonare & iram meritis parcere volentis; hoc ex diſcriminante utroſque Dei voluntate ſunt; quæ diſcretio poſt peccatum initium habet, ſive actum Dei internum ſive externum conſideremus. Vnde apparet eos non idcirco vaſa iræ eſſe quia labem contraxerunt, cuius juſtiſſimum conſectarium eſt ira, niſi accedat Dei voluntas: quæ hoc juſtum conſectarium reſpectu omnium vitioſorum, velit neceſſarium eſſe conſectarium eorum reſpectu, quibus ſolis negat condonare, quod juſte poteſt punire in omnibus, & condonare ſtatuit cæteris. *Quod ad amplificationem additum*, iiſdem argumentis ſtabilitur. Iuſtitiæ enim punienti locus non eſt niſi in peccatorem, miſericordiæ iſtius, de qua agimus, actus nullus eſſe poteſt niſi in miſerum: at homo in puris naturalibus conſideratus, nec peccator eſt nec miſer, ergo illa juſtitia & miſericordia locum circa illum non habent.

Notetur diſcrimen inter reſpectum hominum ſecundum cauſam, & ſecundum conditionem in objecto requiſitam.

Conſideratio reſponſi ad illud quod per amplificationem eſt additum.

& miſericordiæ quàm generis & ſpeciei: oppoſitè enim dicuntur ut ſpecies gratiæ. gratia nomine generis adpellata pro gratia quæ hominem reſpicit ut conditum, miſericordia nomen ex objecto ſuo nacta pro gratia quæ hominem reſpicit ut peccatorem & miſerum. Ex illa priore ſi homo prædeſtinatus dicitur, hæc poſterior locum habere non poteſt, ſi ex iſta, miſericordia nempe, jam illam priorem locum non habuiſſe certum eſt, alioquin hac opus non fuiſſet. Ex utraque conjunctim prædeſtinatio facta dici non poteſt. Quare recte concluſi ex unius ſpeciei poſitione alteram tollens. Si homo ex *integra natura* evehendus eſt in ſupernaturalem gloriam, hoc eſt *gratia ſimpliciter ſumta & ut contra miſericordiam diſtinguitur*; ſi *ex corrupta*, hoc *gratia cum miſericordia conjuncta*, id eſt, *miſericordiæ* proprium opus eſt. Gratia ſimpliciter ſumta & miſericordiæ oppoſita hoc non poteſt, miſericordia ad illud non eſt neceſſaria. Prædeſtinatio autem eſt ex tali gratia quæ & poteſt efficere quod proponitur prædeſtinatione, & neceſſaria eſt ad illud efficiendum. Quod copulative ſcripſi de præteritis & reprobatis, id feci quia ſubjecto unum ſunt. At non ratione: fateor: & hoc expreſſi quum dixi in his ſolis, id eſt, reprobatis, id eſt, *damnatis non præteritis* juſtitiæ meminiſti. Propoſitione autem ſecunda mea ſignificavi aliam præteritionis aliam vero prædamnationis, quam ibi reprobationem appellavi, rationem eſſe ex mente eorum quibus ſecundam ſententiam adſcripſi. Homonymia reprobationis reſponſione ſecunda explicata eſt, & omnis culpa à me remota, qui illa voce ubique ex tua mente uſus ſum. Ex illis vero quæ ſequuntur apertè apparet te à primæ ſententiæ auctoribus diſſentire. Tu enim prædamnationem à juſtitia eſſe dicis, præteritionem verò ſeu reprobationem cum juſtitia quidem ſed non à juſtitia: at primæ ſententiæ autores reprobationis qualitercunque ſumptæ, ſive ſynecdochicè, ſive propriè, ſive catachreſticè, cauſam juſtitiam adſcribunt, hoc eſt, & præteritionem & prædamnationem à juſtitia eſſe dicunt. At quomodo electio & præteritio liberæ voluntatis opus eſt, damnatio vero neceſſariæ voluntatis à juſtitia Dei? Putavi hactenus cum noſtris Theologis totum hoc decretum à liberrima Dei voluntate inſtitutum eſſe, atque eadem mihi adhuc ſententia vera eſſe videtur, juxta dictum, *miſerebor cuius miſerebor*: & *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat:* utroque actu æquè liberè fungente Deo. Si enim neceſſarium eſt ut Deus peccatum punire velit, quomodo non punit illud in omnibus peccatoribus? ſi punit in aliquibus in aliis vero non, quomodo neceſſariæ voluntatis? diſtinctionem enim illam inter perſonas æquè pœnam meritas, quis non liberæ Dei voluntati adſcribat? poſtulet juſtitia pœnam propter peccatum, ſed ab omnibus peccatoribus æqualiter citra diſcrimen: ſi diſcriminatio eſt, illa eſt à libera voluntate pœnam poſtulantis ab his, illis verò peccatum condonantis. At neceſſarium fuit ut puniretur ſaltem in aliquibus. Si negem poſt Chriſti ſatisfactionem, quomodo probabitur: Scio *Thomam* & alios ex Scholaſticis dicere, bonitatis divinæ & providentiæ rationem poſtulare ut nonnulli ad vitam

Ex verbis Iunii probatur ipſum à prima ſen. auctoribus diſſentire.

De Scholaſticorum dogmate, quo ſtatuunt neceſſitatem puniendi peccati, ſaltem in aliquibus.

vitam eligantur, alii permittantur in peccatum ruere, & inde in pœnam mortis æternæ: liberum autem eſſe Deo decernere quibus vitam & quibus mortem velit obtingere. at rationes illorum mihi videntur refutari poſſe ex iis ipſis, quæ alibi de pretio redemptionis noſtræ à Chriſto perſoluto dicunt. Ajunt enim pretium iſtud ſufficiens eſſe pro omnium hominum peccatis, at ſi juſtitiæ divinæ neceſſitas poſtulat ut aliqui peccatores damnentur, jam pretium illud pro omnibus ſufficiens non eſt. Iuſtitia enim pretium illud accipientis poſtulat neceſſariò, ut aliqui redemptionis ſint expertes, iſta ergo conditione ab offerente oblatum eſt, ut juſtitiæ neceſſitati ſemper ſua illa reſtaret aliunde poſtulanda ſatisfactio, & ab aliis præſtanda. Neque eſt quod hoc poſtremum ſcholaſticorum dictum, quod tamen à Patribus ſunt mutuati, quiſquam rejiciendum putet, planis enim & expreſſis Scripturæ teſtimoniis comprobari poſſet, ſi opus eſſet.

Salvatis ſecundam argumentationis Armin. ex prima ſententia. Deum neceſſario ſtatui auctorem peccati.

Iam ad argumentationem meam ſecundam veniamus. illa hæc fuit. Sententia, ex qua Deus neceſſario auctor peccati ſtatuitur, omnibus Chriſtianis eſt repudianda, imo & hominibus omnibus: nemo enim mortalium quem Deum æſtimat, malum arbitratur. At ex ſententia Calvini & Bezæ Deus neceſſario autor peccati ſtatuitur. Ergo repudianda. Minoris probatio conſtat his illorum verbis, quibus dicunt, *Deum ordinaſſe ut homo laberetur & vitioſus fieret, quo hac ratione viam ſuis æternis conſiliis patefaceret.* Nam qui ordinat ut homo labatur & peccet, ille peccati auctor eſt. Hæc mea argumentatio firma eſt, neque per tuam reſponſionem debilitata. Eſt enim *ordinandi* quidem vox æquivoca, nam ſignificat propie ordinem in factis diſponere, & rebus ſingulis pro modo ipſarum, quo ſignificatu à ſcholaſticis penè ſemper uſurpatur. Sed ſumitur etiam nonnunquam pro eo quod eſt ſimpliciter & abſolute decernere voluntate determinante factum. Sed quid tum? an continuo, quia ego voce illa uſus ſum quæ eſt æquivoca & variè uſurpatur, æquivocationem commiſi? Non puto: niſi probetur quod ego voce illa vario ſignificatu uſus ſum in mea probatione. Secus rariſſima ſit proba argumentatio, quum propter rerum multitudinem & inopiam verborum crebertime cogamur uti vocibus diverſum ſignificantibus. Æquivocatio autem dicitur quando vox aliqua in eadem argumentatione aliter atque aliter uſurpatur. At ego in propoſitione mea & in aſſumptione eodem ſenſu vocem iſtam accepi, & ſic libero meam argumentationem ab æquivocatione. Dico hoc ex ipſa etiam liquere. Nam addita illa, *ut homo laberetur*, ſignificant *ordinandi verbum* utrobique accipi pro eo quod eſt *facta ſimpliciter decernere*, vel potius pro eo quod eſt facienda ſimpliciter decernere: non poſſe autem accipi, ob illa eadem adjecta, pro eo quod eſt ordinem factorum decernere.

Iam ſyllogiſmum paucis ponamus ut reſponſionem tuam ex adverſo conferre queamus.

Argumentatio ipſa ſecunda Arm. Syllogiſtice propoſita, cum conſideratione Reſponſ. Iunii ad eam.

Qui ordinavit ut homo laberetur, & vitioſus fieret, auctor eſt lapſus & peccati.

Deus ordinavit ut homo laberetur & vitioſus fieret.

Ergo Deus eſt auctor peccati.

Negas

Negas propoſitionem, ſi ordinandi verbum ſumitur pro ordinem in factis diſponere. Negas aſſumtionem ſi idem verbum pro eo quod eſt facta ſeu facienda ſimpliciter decernere uſurpatur. Rectè ſanè; & ego tibi in eo aſſentior. Sed qui ſi idem verbum in propoſitione ſignificet facta ſeu facienda ſimpliciter diſcernere: tum ſanè vel te quoque fatente vera erit propoſitio. Secus vana eſt diſtinctio vocis, ſi falſa ſit propoſitio quocunque modo vox ſumatur. At vox illa in propoſitione ſumitur pro eo quod eſt facienda ſimpliciter decernere ut fiant, quod declarant ipſa verba: *qui ordinavit ut homo laberetur*. Iam aſſumptio inquis falſa eſt, ſi vox eodem ſignificatu quo in propoſitione uſurpatur; & ſic non ſequitur concluſio. Reſpondeo non hoc inter nos quæri an aſſumtio iſta vera ſit nec ne, voce ordinandi pro facienda decernere uſurpata; ſed an hoc illi dicant quibus primam illam ſententiam attribui. Quod ſi illi hoc dicant & propoſitio illa vera ſit, tum ſequitur ex illorum doctrina, & te mihi conſentiente, quod Deus ſit auctor peccati. Fateris enim peccati auctorem eſſe illum, qui ordinat ut peccatum fiat, voluntate ſimpliciter decernente & determinante. At *Calvinus* & *Beza* id dicunt planis & apertiſſimis verbis, nullius indigis explicationis, & iſtam explicationem vocis *ordinandi*, quam tu propriam dicis & ego agnoſco, nullo modo admittentibus. Velim autem doceri, quomodo peccati fiendi neceſſitas pendere poſſit ab ordinatione & Decreto Dei, aliter quam per modum cauſæ ſive efficientis ſive deficientis: quæ deficiens in efficientem reducitur, quando deficientis efficientia neceſſaria eſt ad vitandum peccatum. Ipſe *Beza* fatetur incompræhenſibile eſſe quomodo Deus poſſit eſſe extra culpam & homo culpæ obnoxius, ſi homo Dei ordinatione & neceſſario eſt lapſus.

Hoc itaque faciendum fuit; illorum ſententia fuit liberanda ab iſtius abſurdi conſequentia; quod ego illi mea argumentatione impingo. Neceſſe vero non fuit doceri quomodo Deus peccatum ordinaverit, & quod peccati auctor verè non ſit. Aſſentior enim tibi utrobique, tum in explicatione iſtius ordinationis, tum in eo quod Deus peccati autor non eſt. Quin & ipſe Calvinus & Beza apertè negant Deum autorem peccati eſſe licet ordinationem peccati talem definiant qualem vidimus: at non commonſtrant quomodo hæc duo inter ſe convenire poſſint. Quare velim planè & perſpicuè commonſtrari, quod Deus ex illa ordinatione auctor peccati non ſtatuitur, vel ſententiam commutari, quandoquidem multis eſt ſcandalo, imo cauſa à nobis ſecedendi nonnullis, quampluſimis ſe nobis non conjungendi. Omnino autem mihi perſuadeo & te illam conſequentiam videre, ſed male ſententiam virorum iſtorum commoda explicatione liberare ab abſurda & blaſphema conſequentia, quam illi iſtam impingere. Candoris certe hoc eſt & benevolentiæ, ſed nulli bono uſurpatæ, eo quod gloſſa, ut loquuntur, contraria eſt textui, ut cuivis inſpicienti & textum cum gloſſa conferenti eſt manifeſtum.

Non fuiſſe neceſſe doceri à Iunio Deum non eſſe auctorem peccati: ſed; hoc abſurdum non ſequi ex poſitione primæ ſententiæ.

Duæ porrò iſtæ quæſtiones, quas tibi objicis, mihi negotium non faceſſunt, quum res ita explicatur.

Gaudio tamen perpulchra tua & elegante iſtarum quæſtionum tractatione. Ego verò adverſus ſententiam Calvini & Bezæ quærerem :

Quæſtiones duæ ab Auctoribus primæ ſententiæ neceſſario ſolvendæ; niſi eam indefenſam relinquere velint.

Quomodo hi motus voluntatis proprii & liberi dicantur, quum voluntatis actus Dei decreto ad unum ſit determinatus? Deinde: *Cur Deus homini voluntatem indiderit, cuius libertate illum uti frui ipſo actu noluerit?* Hæ enim quæſtiones neceſſario ſunt ſolvendæ illis autoribus, niſi ſententiam ſuam indefenſam deſerere velint. Apparet ergo ex his meam argumentationem non fallere, ſed firmam immotamque manere, propterea quod omnia, quæ attuliſti, præter meam argumentationem ſunt, quæ non voluit ex mea mente concludere Deum eſſe peccati autorem (abſit à me iſtius blaſphemiæ abominandæ vel cogitatio) ſed ex Calvini & Bezæ ſententia id neceſſariò conſequi: quod (fidenter dico) abs te non eſt confutatum: neque omnino confutari potuit, quum ordinandi verbum aliter quam illi uſurpes, atque eo ſenſu, ſecundum quem etiam ſi Deus peccatum ordinaſſe dicatur, nihil minus quam Deum autorem peccati eſſe concludi poterit.

De diſtinctionibus quibus ſuam ſententiam leniunt & excuſant Calvinus & Beza, deque neceſſitate earum adducendarum removendarumque ab Arminio.

Dixi inſuper ſententiam Calvini & Bezæ qua ſtatuunt Deum ordinaſſe ut homo laberetur, & vitioſus fieret, non poſſe excuſari quominus Deus per illam peccati auctor conſtituatur, per diſtinctiones *actui*, & *vitioſitatis in actu*, *neceſſitatis & coactionis*, *decreti & exſequutionis*, *decreti efficacis & permiſſivi*, ut hoc ab illius ſententiæ auctoribus ſententiæ ipſorum conſentaneè explicatur, neque per *diverſum reſpectum decreti divini & naturæ humanæ ſeu hominis*, neque per *additionem finis*, quod nempe tota iſta ordinatio fiat ad gloriæ Dei illuſtrationem. Videris mihi, vir reverendæ, non vidiſſe quorſum ego hæc attulerim, non enim novam aliquam argumentationem adferre volui contra ſententiam primam, ſed objectionem meam antecedentem firmare volui per refutationem illarum ſolutionum, quæ à defenſoribus illius primæ ſententiæ adferri ſolent, adverſus objectionem, qua illorum ſententiæ impegi quod Deus inde autor peccati ſtatuatur. Illi enim ut à ſua ſententia crimen illud repellant, nunquam reſpondent illud quod abs te allatum eſt; id enim ſi faciant à ſententia ſua reſiliant neceſſe eſt, quæ omnino mutatur, ſi verbum ordinandi, quo illi utuntur, ſignificet non peccatum decernere faciendum, ſed ordinem in facto ſtatuere, quemadmodum tu vocem illam explicas. Sed ut doceant ex ſententia iſta ſua non ſequi, quod Deus peccati autor ſit, adferunt hæc quæ ego poſui, & diligenter ex variis illorum ſcriptis conquiſivi; quod omnino mihi faciendum fuit antequam illorum ſententiæ crimen illud impingerem. Si enim ullam illius ſententiæ explicationem, ullam diſtinctionem invenire potuiſſem, qua ſententia illa potuiſſet ab illo crimine excuſari, conſcientiæ meæ fuiſſet ſententiam illam iſta conſequentia non gravare. Iſta diſtinctio vocis ordinandi, difficultatem quidem tollit, ſed ita, ut una eademque opera ſententiam tollat ex qua ego illam ſequi commonſtravi. Fac ut primæ ſententiæ autores dicant Deum non alio ſenſu peccatum ordinaſſe quam quo tu illud verbum proprie accipiendum docuiſti, &, quod volo, obtinuero, fateborque diſtin-

diſtinctionibus illis opus non eſſe ad talem ſententiam excuſandam. Quid ita? ordinandi enim vox tuo ſenſu uſurpata præſupponit peccati perpetrationem; ex illorum ſenſu perpetrationem peccati præcedit & ponit. ordinavit enim Deus ut homo laberetur & vitioſus fieret, non ut de lapſo & vitioſo faceret quod ordo ſapientiæ, bonitatis & juſtitiæ divinæ poſtularet. Nulla ergo hic eſt evagatio extra lineas. Dicis omnes illas diſtinctiones potius communiter ad quæſtionem de providentia pertinere. ergo & peccati ordinatio ad providentiam communiter pertinet. Quod ſi ſententiæ primæ autores ordinationem peccati prædeſtinationi divinæ adſcripſerint; quid mirum & diſtinctiones illas ad eandem adduci? Nullum ergò hic meum peccatum, qui diſtinctionum iſtarum mentionem feci. Contra, peccaſſem ſi omiſſis illis diſtinctionibus crimen hoc impegiſſem illorum ſententiæ, quam illi per iſtas diſtinctiones liberare ab illo objectamento ſolent.

Quum vero per tuam explicationem illorum ſententiam ab iſto objecto crimine non liberaveris, & ego dixerim, iſtas diſtinctiones ad ſententiæ excuſationem & defenſionem non valere, non erit inutile, ſi paucis id commonſtravero, non tui cauſa, qui aliter ſentis de ordinatione peccati, ſed illorum, qui ſententiam illam primam tenent, propterea quod putant illam per haſce diſtinctiones commodè defendi poſſe.

Remotio primæ distinctionis quæ est actus & vi-

Prima diſtinctione ita utuntur. In peccato duo ſunt actus & vitioſitas. Actus Deus autor eſt per ſuam ordinationem, non vitioſitatis in actu. diſtinctionem primò conſiderabo, deinde reſponſionem ex illa. Diſtinctio illa vulgata quidem eſt, & veritatem aliquam præ ſe ferre videtur, ad diligentius examinanti apparebit facilè eius ex bona parte falſitas. Non enim eſt generalis omni in univerſum peccato congrua. Imprimis omnia peccata adverſus leges vetantes perpetrata, quæ commiſſionis dicuntur, hanc diſtinctionem reſpiciunt. Nam ipſi actus lege vetantur, & propterea ipſi actus ſi perpetrentur peccata ſunt. Eſt enim peccati ratio formalis, adverſus legem perpetratum eſſe. Verum quidem eſt actum illum qua actus eſt peccatum non eſſe, ſi lex illi poſita non ſit, ſed tum neque actus eſt habens vitioſitatem. Abſit lex, actus naturaliter bonus eſt; pone legem actus ipſe malus eſt, utpote vetitus, non aliquid in actu quod ἀνομία ſeu vitioſitas dici poſſit. Exemplo rem declarabo. Eſus vetiti fructus, ſi hominis arbitrio, quo ad jus, fuiſſet relictus, nullo modo peccatum eſſet, neque peccati pars, neque aliquid in peccato; at actus idem lege vetitus non poteſt non eſſe peccatum ſi perpetretur, ipſe, inquam, actus, non aliquid in actu quod vitioſitatis nomine appellari poſſit. Actus enim ille fuit ſimpliciter factus illicitus per legis poſitionem. Verbo effecero, ſi petiero mihi commonſtrari in iſto actu vitioſitatem ab ipſo actu diſtinctam. Locum autem habet illa diſtinctio in actibus qui ſecundum præceptivam legem perpetrantur, at non cum debito modo, ordine & fine. Sic qui eleemoſynam dat ut laudetur, bonum actum malè facit, eſtque in illius facto actus & vitioſitas actus, ſecundum quam ille actus peccatum dicitur. At peccatum quod

tioſitatis in actu.

quod homo perpetravit initio, ex ordinatione Dei fuit peccatum commiſſionis. Ergo ab illa diſtinctione alienum. Hoc fundamento jacto, jam etiam everſa eſt ipſa reſponſio ex diſtinctione illa. Sed age & illam videamus. Deus, inquiunt, actus autor eſt per ordinationem ſuam, non vitioſitatis. Imo ajo ego Deum, ordinaſſe actum illum non qua actus eſt, ſed qua vitioſus.

Ordinavit enim ut per illum gloria miſericordiæ & juſtitiæ illuſtraretur, miſericordiæ inquam condonantis & juſtitiæ punientis; at illa illuſtratur non per actum qua actus eſt, ſed qua peccatum eſt & actus vitioſus. Non enim actus qua talis indiget remiſſione, ſed qua vitioſus, neque actus, qua talis, meretur pœnam, ſed qua vitioſus. Ergo gloriæ per miſericordiam & juſtitiam declaratio eſt ex actu qua vitioſus, non qua actus; ergo ordinatio quæ finem habuit illuſtrationem gloriæ iſtius, non fuit actus, qua talis, ſed qua vitioſus, & peccati qua eſt peccatum & ἀνομία. Inutilis ergo eſt iſta diſtinctio ad repellendam objectionem quam ego illi ſententiæ impegi. Addo amplius ad rei lucem. Si Deus efficaciter determinat voluntatem ad materiale peccati, ſeu ad prava objecta, quanquam dicatur non determinare voluntatem ad volendum malum ſub ratione mali, tamen conſtituitur author peccati: quia nec ipſe homo vult malum ſub ratione mali, nec Diabolus ſollicitat ad malum ſub ratione mali, ſed ſub ratione delectabilis; & tamen dicitur ſimpliciter inducere ad malum.

Remotio ſecundæ diſtinctionis quæ eſt

Secunda diſtinctio eſt neceſſitatis & coactionis, iſta hoc modo utuntur. Si Dei decretum, quo ordinavit ut homo laberetur, hominem ad peccandum cogeret; tum ſanè Deus per illud decretum peccati autor eſſet, & homo immunis à culpa: at decretum illud non cogit hominem, neceſſitatem tantum imponit, ita ut non poſſit non peccare; quæ neceſſitas illi libertatem non adimit: ergo homo quum libere peccet ſtante decreto, ſui lapſus cauſa eſt, Deo extra culpam exiſtente. Conſideremus diſtinctionem & uſum illius. *neceſſitatis & coactionis.*

Neceſſitas & coactio differunt tanquam genus & ſpecies. Nam neceſſitas etiam coactionem ſub ſe compræhendit. Eſtque neceſſitas duplex, alia ab interna, alia ab externa cauſa: alia naturalis, alia violenta. Neceſſitas ab externa cauſa & violenta coactio dicitur, ſive illa contra naturam ſive adverſus voluntatem fiat; ut quum lapis in altum projicitur: & fortior imbecillioris manu abutitur ad alterum verberandum. Illa altera neceſſitatis nomine generali, ſed ad ſpecialem intelligentiam contracto appellatur. Eſt ergo inter haſce duas ſpecies aliqua convenientia; quatenus idem participiant genus: & aliqua diſcrepantia, qua ſingulæ propriam formam habent. An vero eouſque differant, ut coactio ſola libertati ſit contraria, non illa altera neceſſitas; & qui cogat ad peccatum ſit peccati cauſa, non ille qui neceſſitat citra coactionem, jam videndum eſt. Hoc enim illi dicunt qui diſtinctione iſta utuntur. De libertate primum. Illa opponitur directe neceſſitati in genere conſideratæ, tam naturali quam coactivæ; utraque enim inducit actus inevitabilitatem, quæ inevitabilitas libertatem tollit. Libere enim agit cauſa

quæ

quæ actum ſuſpendere poteſt. Dicunt nonnulli libertatem cum naturali neceſſitate optimè conſiſtere exemplo Dei qui & natura & liberè bonus eſt. Bona verba. An Deus libere bonus eſt? hoc à blaſphema non multum abeſt. Deo bonitas ſua eſt naturalis & intima, ſine qua nec Deus eſſe poteſt, non ergo libere inexiſtit. Scio libertatem aliquam complacentiæ dici à Scholaſticis, at contra ipſam libertatis naturam & definitionem. Iam de peccato. peccati cauſa eſt qui neceſſitat ad peccandum qualicunque neceſſitationis actu, ſive exerno, ſive interno: ſive interna ſuaſione, motione, ductu, cui neceſſario obedit voluntas; ſive externa violentia adhibita, cui reſiſtere non valet voluntas licet velit; quamquam tunc non ſit futurus actus ille voluntarius. Imo gravius ille peccat qui iſto actu utitur quam hoc; nam ille hoc facit ut voluntas creaturæ conſentiat in peccatum, iſte minime: licet ille conſenſus non ſit voluntatis qua ſe habet ſecundum modum voluntatis liberæ, ſed qua ſe habet ut natura; quo ſolo modo Deus voluntatem ita movere poteſt, ut neceſſario moveatur, hoc eſt, non poſſit non moveri. Atque iſto pacto, voluntas ut natura conſentiens in peccatum immunis eſt à culpa. peccatum enim, qua peccatum, eſt à voluntate libera & ſecundum modum libertatis ſuæ in objectum tendente. Lex enim non naturæ ſed voluntati, non voluntati qua ſe habet ſecundum modum naturæ, ſed ſecundum modum liberæ voluntatis, eſt lata. Vana itaque hæc diſtinctio eſt & inefficax ad liberandum illam primam ſententiam ab objecto crimine. Si quis pertinacius tueri velit, unum eundemque actum libere & neceſſario patrari poſſe, diverſis reſpectibus, nempe reſpectu cauſæ primæ ordinantis neceſſariò, at reſpectu cauſæ ſecundæ, libere & contingenter. Ille ſciat contingentiam & neceſſitaté non reſpectibus, ſed integris eſſentiis diſſentire, totamque entis amplitudinem dividere; & propterea coincidere non poteſt. Neceſſarium eſt quod non poteſt non fieri; contingenter fit, quod poteſt non fieri Ecce contradicentia, quę nullo modo eidem actui tribui poſſunt. Voluntas libere tendit in objectum ſuum, quando à potentia ſuperiore non eſt determinata in unam partem. at determinatione illa facta per decretum aliquod Dei, non amplius dici poteſt libere in ſuum objectum tendere: non enim jam principium eſt ſui actus dominium & poteſtatem habens. Sed oſſa Chriſti (hoc enim exemplum adferunt) an non eius ſunt naturæ ut frangi potuerint? & tamen frangi non potuerunt ob decretum Dei. Reſpondeo, ſublata determinatione frangi potuerunt: at poſita illa per decretum Dei, frangi omnino non potuerunt, hoc eſt, neceſſarium fuit ut integra manerent, non contingens. Ergone Deus oſſium naturam mutavit? non fuit opus. Impediit tantum ne actus confractionis adhiberetur oſſibus natura ſua fragilibus, qui actus adhiberi potuiſſet imo & adhibitus fuiſſet, niſi Deus decreto ſuo & actu ex decreto prævertiſſet. Iam enim poſuerat ſpiritum ſuum dominus, quum oſſium frangendorum cauſa advenirent milites ad crucem & crurifragium accelerandæ mortis cauſa tum uſurpabatur. Ne prolixior ſim, non refutabo omnes

objectiones: perſuaſum autem habeo ex his quę poſita ſunt omnes refutari poſſe.

Remotio tertiæ diſtinctionis, quæ eſt decreti & exſequutionis.

Tertia diſtinctio eſt decreti & exſequutionis. hac ita utuntur. Licet Deus ab æterno decreverit quoſdam homines morti addicere, & quo hoc poſſet, ordinaverit ut in peccatum laberentur; tamen illud ſuum decretum non exſequitur, actu ipſos condemnando, niſi poſtquam ipſi homines culpa ſua vitioſi facti fuerint; & propterea immunis eſt à culpa. Reſpondeo. Exſequutionem peccato ſuccedaneam non excuſare à culpa illum, qui decreto ſuo ordinavit ut peccatum fieret, quod poſtea puniret: imo qui decrevit & ordinavit ut peccatum fieret, ille peccatum perpetratum juſte punire non poteſt: non enim poteſt eſſe ultor rei factæ, cuius faciendæ fuit ordinator: non poteſt eſſe ordinator pœnæ qui criminis fuit ordinator. Et rectè Auguſtinus, *Deus pœnas criminum non ipſa crimina ordinare novit*, ordinare nempe ut fiant. Et jam ante demonſtravi hominem ſua culpa vitioſum non fieri, ſi Deus ordinaverit ut laberetur vitioſuſque fieret.

c. 8

Remotio quartæ diſtinctionis, quæ eſt decreti efficacis & permiſſivi.

Quarta diſtinctio eſt decreti efficacis & permiſſivi: quæ diſtinctio recte explicata omnem difficultatem tollet, ſed tollet etiam ſententiam, qua Deus dicitur peccatum ordinaſſe ut fieret. Sed autores primæ ſententiæ per decretum permiſſivum ſuam illam ſententiam ſtabilire nituntur. Dicunt enim Deum non efficere ſed decernere & ordinare peccatum; dicunt decreto efficaci non fieri ſed decreto permiſſivo ordinari: verum decretum permiſſivum ita explicant, ut cum efficaci coincidat. Permiſſionem enim interpretantur actionem voluntatis divinæ, qua creaturæ rationali illam gratiam non dat quæ ad peccatum vitandum eſt neceſſaria. Hæc actio conjuncta legis poſitioni, plenam in ſe peccati cauſam comprehendit. Qui enim legem fert impoſſibilem præſtitu citra gratiam; & gratiam denegat illi, cui lex poſita eſt; ille cauſa eſt peccati per modum removentis prohibens neceſſarium. Sed de illo etiam poſtea.

Alioqui ſi permiſſivum decretum recte explicetur, certum eſt illum qui peccatum permittere decrevit, nullo modo peccati cauſam eſſe; verſatur enim voluntate ſua circa permiſſionem ſuam, non circa ipſum peccatum. Neque conſentanea ſunt hæc duo: Deus permittit peccatum volens; & Deus vult peccatum: ibi enim permiſſio eſt objectum voluntatis, hic ipſum peccatum. Potius contra ſequitur, Deus permittit peccatum, ergò non vult peccatum. Qui enim vult aliquid, non permittit id ipſum: eſt enim permiſſio ſignum remiſſæ voluntatis. Ergo nec illa diſtinctio ſententiam primam excuſat.

Remotio quintæ diſtinctionis, quæ eſt decreti divini & naturæ humanæ.

Quinta diſtinctio eſt decreti divini & naturæ humanæ, qua ita utuntur. Peccatum ſi decretum divinum conſideres, neceſſariò quidem fit; ſed ſi naturam humanam in utramque partem æque liberam & flexibilem reſpicias, contingenter fit & liberè: & propterea illi tanquam cauſæ proximæ omnis culpa transſcribenda. De hoc jam antea egimus in ſecunda diſtinctione & ſufficienter refutavimus.

Etiam cum reſpectu diverſorum finium.

Sed eadem diſtinctione aliter etiam utuntur, per diverſum reſpectum finium,

finium, quos Deus ſuo decreto propoſitos habet, & qui homini peccanti propoſiti ſunt. Deus enim, inquiunt, ſuo decreto intendit ſuam gloriam illuſtrare, homo verò ſuæ cupiditati ſatisfacere: & licet homo idem faciat, quod divinitus eſt decretum, non tamen ideò facit quia decretum eſt, ſed quia ita fert eius voluntas. Reſp. primo, finem bonum actionem in ſe illicitam non comprobare, ſeu bonam reddere: non enim facienda mala ut eveniant bona. Malum autem eſt ordinare peccatum ut fiat. Secundò, & hoc à Dei decreto eſſe, ut homo faciat id quod Deus vetuit, ut ſatisfaciat ſuæ cupiditati, & propterea hominem à culpa excuſari. Tertio, licet decreti divini impletio non ſit finis qui hominem moveat ad peccandum; tamen illa eadem eſt cauſa quæ hominem leni, tacito & imperceptibili motu, efficaci tamen, peccare faciat: ſeu potius, actum illum præſtare quem Deus ut fieret decrevit, qui tum reſpectu hominis peccatum dici non poteſt.

Remotio ſexta diſtinctionis ſive excuſationis, ab additione finis Deo propoſiti.

Poſtrema denique excuſatio eſt, ab additione finis: qua ſic utuntur. Hoc decretum Dei non ita enuntiare ſolemus, quod Deus ſtatuerit nonnullos homines æternæ morti & condemnationi addicere, ſed addimus; quo ipſius juſtitia, ad nominis ipſius gloriam illuſtrari poſſit.

Reſpondeo, additionem illam non negare quod poſitum eſt (ſtabilitur enim per redditionem cauſæ) & additionem finis etiam optimi non juſtificare actionem, quæ in ſe formaliter bona non ſit, quod & ante dictum eſt. Ex his ergò apparet, quod illæ excuſationes frivolæ ſunt, neque valere poſſunt, ad defendendam ſententiam, quæ ſtatuit Deum ordinaſſe ut homo laberetur & vitioſus fieret, quo ita viam ſibi patefaceret ad exſecutionem decreti, quod ab æterno de illuſtranda ſua gloria per miſericordiam & juſtitiam apud ſe concluſit & propoſuit.

Si quis putet ullam aliam vel diſtinctionem vel explicationem adferri poſſe, qua ſententia illa excuſetur & defendatur, me lubentiſſimo id fiet. Sed videat ille ne ſententiam immuntet, aut aliud quid addat ipſe ſententiæ nullo modo conſentaneum.

Objicis tibi ſub finem reſponſionis ſeptimæ: Ergo judicia Dei à contingentia pendent & fundantur contingentibus, ſi ad hominem qua peccator & ad peccatum ipſius reſpexerint. Quæ objectio quia etiam adverſus meam ſententiam, qua peccatum in objecto decreti Dei præſtituendum arbitror, facit, eſt mihi conſideranda diligentius. Judicia Dei multa ſuper peccato fundari planiſſimum eſt ex Scripturis, quæ tamen eadem ex peccato pendere dici nequeunt. Aliud enim eſt peccatum ſtatuere objectum & occaſionem judiciorum divinorum, aliud idipſum cauſam facere eorundem. Judicium quod Deus facit de peccato, libere facit, neque id pendet à peccato, poſſet enim ſuſpendere, poſſet in ejus locum aliud ſubſtituere; at fundatur tamen in peccato, quia citra peccatum ita judicare non poſſet. At peccatum eſt contingens ſeu factum contingenter. Ergo Dei judicia fundantur in contingentibus. Nego conſequens. Nam Dei judicia fundantur in peccato non qua contingenter factum, ſed qua certò

Judicium Dei quod facit de peccatoribus fundatur in peccato, non qua contingenter factum, ſed qua certo præviſum.

 & in-

& infallibiliter à Deo prævisum. Intercedit ergo viſio Dei inter peccatum & judicium: quare judicium fundatur in viſione Dei certa & infallibili. Deinde quod eſt, quatenus eſt, neceſſarium eſt. Dei autem judicia fundantur in peccato jam facto & exiſtente. In tua vero ſolutione, velim mihi explicari quomodo quæ contingentia ſunt à Dei ordinatione pendeant, ſive ſecundum ortum ſive ſecundum actum; ordinationis voce ſumpta pro eo quod eſt facienda decernere, non pro eo quod eſt ordinem in factis ſtatuere: ita enim vox iſta hoc loco eſt ſumenda. Nam licet modum contingentem in natura ſtatuerit Deus, tamen ex eo non ſequitur ipſa contingentia ortum habere ab ordinatione Dei. Cauſa enim libera & actus ſui domina actionem contingentem ſuſpendere poteſt pro arbitrio, vel producere, ita quoque de actu: quare nec illud intelligo, quomodo contingentia, quæ talia ſunt, propterea quod modum contingentem ſtatuit in natura Deus, Deo non ſint contingentia. peccatum nullo modo nullius reſpectu eſt neceſſarium. Ergo peccatum Deo quoque eſt contingens, hoc eſt, à Deo conſideratur ut contingenter factum, licet viſione certa & infallibili, propter infinitatem ſcientiæ divinæ. neque paria ſunt cauſæ ſuperiori contingere aliquid, & aliquid vere contingens à ſuperiore conſiderari ut contingens. Notum enim eſt Deo nihil accidere, nihil contingere, eſt n. immutabilis, eſt ſimpliciſſimus, eſt ſui ipſius eſſe & eſſentia. At ſcientia Dei res conſiderat quales ſunt, licet viſione rerum omnium naturam longe excedente.

Cauſa ſuperiori nihil quidem contingit, ſed tamen vere contingentia ab illa ut talia conſiderantur.

VII.

Propoſitio 7. ARMINII

Rationes alias cur mihi iſta ſententia non ſatisfaciat, nunc non adferam, quia video te alio modo & ratione dogma illud tractare: Quare ad Thomæ ſententiam, cui (ut puto) tu quoque tuum adſenſum tribuiſti, & firmamenta ex Scripturis adhibuiſti, veniam; & apertè quid in iſta deſiderem, ſignificabo. Quam libertatem, ut ne ægrè feras rogarem, niſi de tua voluntate rectius mihi conſtaret.

Tranſitio ad conſiderat. 2. ſententiæ. quam videtur ſequi Iunius.

Reſponſio IVNII *ad 7. Propoſitionem.*

Rationes quidem alias, quæcunque eæ ſint, maluiſſem adferri quàm reticeri, ut eadem opera (ſi poſſem) rem totam abſolverem: cupio enim ſine ulla diſſimulatione tibi conſtare judicium meum, & fieri ſatis exſpectatione tuæ. Veruntamen ex ijs quæ hactenus diximus, & deinceps dicturi ſumus, ſpero te viſurum pro tua prudentia, aut quid ego de rationibus illis faciam judicij, aut quid ſit in quo animus tuus conquieſcat (quod faxit Dominus) ex ſententia noſtra. Thomæ ſententiam conjungo alteri: non ſequor. Sed quid, & quomodo ex verbo Dei ſtatuam in hoc argumento, & quid in ea deſiderem, verba ſcripti tui eodem ordine percurrens, breviter & paucis, ſi Deus volet explicabo.

Secundam ſententiam ſe alteri contingere non ſequi, dicit Iunius.

Replica

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem 7.*

SIquidem putarem te primam illam ſententiam prout ab autoribus ipſis explicatur, Scripturæ conſentaneam exiſtimare, omni modo conarer illam tibi mentem evellere: at video te illam ſententiam ita explicare, ut multum illam immutes; unde mihi perſuadeo, te ſententiam illam, niſi ſecundum iſtam tuam interpretationem intelligatur, Scripturis minimè conſentaneam judicare. Et, mi frater, liceat mihi tua bona venia id repetere, quod toto tuo reſponſo nondum liberaſti illam ſententiam à meo objectamento. Manet enim firmum, *Deum autorem peccati ſtatui ſi dicatur ordinaſſe ut homo laberetur & vitioſus fieret, quo viam ſibi patefaceret, ad declarandam gloriam ſuam iſta pacto, quo iam ante æterno decreto conſtituerat.* Ne tamen quiſpiam exiſtimet pollicitationem iſtam meam vanam fuiſſe, ecce aggrediar ſententię iſtius, quæ hominem ut nondum conditum ſeu condendum prædeſtinanti Deo pro objecto offert, per alia etiam argumenta refutationem. Vſus ſum duobus argumentis ad illius confutationem. Vnum eſt à priore, alterum à poſteriore ſive ab abſurdo conſequente. A priore fuit hoc. Quia prædeſtinatio eſt voluntas Dei de illuſtranda ſua gloria per miſericordiam & juſtitiam: at illa voluntas locum non habet in nondum conditio ſive condendo. A poſteriore ſive abſurdo conſequente fuit hoc. Si Deus ordinavit ut homo laberetur & vitioſus fieret, quo illi voluntati exſequendæ viam patefaceret; tum ſequitur illum eſſe peccati autorem per ordinationem illam. De illis hactenus ſatis actum: *Adfero tertium Argumentum.* Prædeſtinatio eſt pars providentiæ adminiſtrantis & gubernantis humanum genus; ergò poſterior natura actu creationis, vel propoſito creandi. Si poſterior actu creationis vel propoſito creandi hominem, jam homo prædeſtinationis objectum non eſt, conſideratus ut nondum conditus.

Iunium toto ſuo reſponſo non liberaſſe primam ſent. ab abſurdo impacto.

Præter ſuperiora tamen duo, tria inſuper alia argumenta contra eam adfert Arminius.

I.

Quartum adjungam. Prædeſtinatio eſt præparatio ſupernaturalium bonorum, ergò præcedit communicatio naturalium, & propterea creatio in natura, ſive actu, ſive in Dei decreto. II.

Quintum accedat. Illuſtratio ſapientiæ Dei per creationem prior eſt illuſtratione ſapientiæ Dei quæ eſt adminiſtratio prædeſtinationis. 1. Cor. 1. 21. III.

Ergo creatio prior prædeſtinatione, in propoſito Dei. Si creatio prior, ergo homo prædeſtinanti conſideratus ut exiſtens, non ut condendus.

Ita quoque de bonitate & miſericordia, quarum illa prior in creatione erga nihilum demonſtrata; hæc poſterior in prædeſtinatione erga id quod nihilo poſterius eſt, illuſtrata eſt.

Horſum etiam omnia adferri argumenta poſſunt, quibus comprobatur *peccatum eſſe conditionem in objecto prædeſtinationis requiſitam.*

VIII.

8. *Propoſitio* ARMINII.

TRia itaque in iſta ſententia conſiderabo. 1. an Deus ab æterno

Tribus quæſtionibus [illegible]

complectitur Arminius.

æterno ex hominibus in puris naturalibus conſideratis alios elegerit ad ſupernaturalem fælicitatem & gloriam, alios non elegerit, ſed præterierit. 2. an Deus iis, quos elegit, id eſt, hominibus ex natura ſupra naturam evehendis, & ad rerum divinarum participationem tranſmittendis ex propoſito electionis, præparaverit iſta media, quæ ad ſupernaturalem felicitatem conſequendam ſunt neceſſaria, ſufficientia, & efficacia; alios vero præterierit, id eſt, iſta media ſtatuerit cum eis non communicare, ſed eos in natura ipſorum relinquere. 3. an Deus homines illos præteritos in peccatum lapſuros prævidens reprobaverit, id eſt, pœna æterna afficere decreverit.

Reſponſio IVNII *ad 8. Propoſitionem.*

Pura naturalia opponuntur corruptis ſecundum Iunium.

HÆc igitur nobis eſto linea, ad quam decurremus in ſequentibus. *In puris naturalibus* ſi qui dicunt, non excludunt ſupernaturalia, quæ cum Adamo communicavit Deus, ſed peccato (quod ſupervenit poſtea) & naturalibus corruptis opponuntur. diverſitate reſpectus mihi videntur falli, qui hæc verba accipiunt ſecus. Cæterum reprobandi verbum hic poſitum eſt (ut ante obſervavimus) tertia ſignificatione, quam catachreſticam eſſe dicebamus. ſed de eo ſatis. Ad locos illos ordine veniamus.

Replica ARMINII *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem 8.*

Pura naturalia & ſuper-

PVra naturalia ego tum ſupernaturalibus, tum peccato & naturalibus corruptis oppoſui, illa enim ad horum excluſionem dicta putavi: nec injuria: ſive vim ipſarum vocum, ſive earundem uſum apud Scholaſticos conſideremus: habentque pura naturalia reſpectum ad ſupernaturalia quæ excludunt, tanquam transſcendentia puritatem, & ad peccatum corruptionemque, quam ſimiliter excludunt, tanquam puritatem corrumpentia. Reprobationis voce licet ex ſenſu iſto, quem theſes tuæ & alia tua ſcripta habent, uſus ſim; tamen ab ea in poſterum deſinam, (ſi meminiſſe potero) & præteritionis ſive non-electionis vocibus, pro eadem utar, niſi quando utrumque actum Synecdochicè una voce compræhendere volo. Præparationis pœnæ vel prædamnationis illius loco ſubſtituam, ut eſt à me uſurpata.

naturalibus transcendentibus & peccato corrumpenti opponit ab Arm.

IX.

Propoſitio 9. ARMINII.

Quod ad primam quæſt. negat. Arm. Deum prædeſtinando verſatum circa homines in puris naturalibus conſideratos.

IN prima quæſtione non id in dubium voco, an Deus ab æterno aliquos homines elegerit ad ſalutem, aliquos vero non elegerit, ſed præterierit: id enim certum puto ex planis Scripturæ verbis: ſed emphaſin pono in ſubjecto electionis & non-electionis; an Deus eligendo & non-eligendo verſatus ſit circa homines in puris naturalibus conſideratos. Hoc ego hactenus pro vero accipere non potui.

Reſponſio IVNII *ad nonam propoſitionem.*

Per pura naturalia excludi tantum vult effectum peccati

DIximus propoſitione ſexta, etſi ratio contemplandi hominis ex certis rationibus diſtingui poteſt ac debet

ut cauſa in hac materia conſet Iunius.

debet, tamen auctores primæ ſententiæ communiter hominem à Deo conſideratum in cauſa electionis & reprobationis ſtatuiſſe: auctores vero ſecundæ non illud commune excluſiſſe universè, ratione illa ſingulari appoſita; ſed tantum id ſibi voluiſſe, nihil ad cauſam electionis reprobationiſque facere ſupervenientis peccati contemplationem, prout dicti Apoſtolus, *antequam feciſſent bonum aut malum*, Rom. 9. ac proinde voces illas *in puris naturalibus*, nihil aliud quam rationem peccati, quod ſupervenit poſtea, in electionis cauſa excludere. Hoc ſi bene obſervabitur, hic ſtatus quæſtionis propriè illi non adverſabitur. Qui enim ſtatuit, hominem nondum conditum, nondum lapſum, & lapſum à D o fuiſſe conſideratum in cauſa electionis & reprobationis, is certè & hoc dicit, & illa. Quæſtio igitur propriè non eſt hæc, utrum Deus in eligendo, & prætereundo ſive reprobando verſatus ſit circa homines in puris naturalibus, id eſt, citra contemplationem peccati ſimpliciter, ut peccatum; ſed hæc quæſtio ſolum futura eſt, utrum verſatus ſit in hac cauſa circa homines citra ullam contemplationem peccati, ut cauſæ. Nos hoc negamus, & negamus auctore Domino. Neque aliud ſibi voluit Auguſtinus ipſe, cui tertia ſententia adſcribitur, ut copioſiſſimè *idem libro 1. quæſt. ad Simplicianum* explicavit, quod enim de *Iacobo & Eſauo* dicitur, aut idem quoque in cauſa *Adami & Evæ* intelligendum eſt, aut diverſa futura eſt electionis & reprobationis ratio: quod certe abſurdum eſt. Antequam igitur *Adam & Eva* producti eſſent, feciſſentque aliquid boni vel mali,

Quod ipſum verum eſſe probat.

jam fuiſſe electionem Dei ex propoſito gratiæ, eodem argumento planè ſtatuimus; quæ electio & perſonas & cauſas omneis à perſonis, vel in perſonis poſitas præceſſerit. Atque hoc eſſe veriſſimum, auctoritate, ratione, & exemplo confirmatur. *Auctoritate*, Rom. 9. Epheſ. 1. & alibi: Ratione nam 1. electio in Chriſto facta eſt; non in creaturis, aut conditione ulla, vel ob conditionem illarum. 2. In confeſſo eſt apud omneis (quod tu ipſe poſtea ex parte agnoſcis, licet diverſo ſenſu) prædeſtinationem & reprobationem nihil in prædeſtinato aut reprobato ponere, ſed in prædeſtinante ſolum, ut affirmat Apoſtolus Rom. 9. *non ex operibus, ſed ex vocante*; &c. Et quemadmodum *Auguſtinus* ibidem exponit luculentiſſimè, nec opera, nec fidem, nec voluntatem præviſam docens in cauſa eſſe, ex illa Apoſtoli argumentatione. 3. Procreatio filii in natura eſt a parente ſolum; multo magis à Deo (cuius proprium eſt cauſam eſſe principiumque omnis boni) adoptio filiorum ipſius ſolum, non ab ulla ipſorum contemplatione futura eſt. Poſtremo idem exemplum Angelorum demonſtrat, quorum hi electi appellantur, illi non electi ſunt. Ac eorum quidem qui electi citra conſiderationem ipſorum operum electi ſunt, qui vero non electi præteriti ſive reprobati citra conſiderationem operum non electi, &c. ſunt. Nam ſicut de hominibus ipſis optimè *Auguſtinus* ibidem arguit, *ſi quia præſciebat Deus futura Eſau opera mala, propterea eum prædeſtinavit, ut ſerviret minori; propterea prædeſtinavit & Iacob, ut ei major ſerviret, quia futura eius bona opera præſciebat: & falſum eſt*

Auctoritate, *Ratione;* *Exemplo.*

jam

iam quod ait, non ex operibus: profectò & de Angelis eadem ratio. Horum enim miſeriam poſſibilem (ut ita dicamus) curavit Deus electionis beneficio: illorum non curavit præteritionis vel reprobationis officio. Quomodo autem? nempe prædeſtinando in adoptionem filiorum angelos electos, qui filij Dei appellantur, Iob. 1. & 2. & 38 Illos non prædeſtinando. Filios illos ſibi genuit non natura, ſed voluntate Deus; quæ voluntas æterna eſt, & præceſſit ab æterno illorum exiſtentiam, quæ temporalis eſt. Quid filius conferat ad genituram ſui? non eſt enim: quid Angelus? ſi non confert angelus: quid homo? utriſque certè Auguſtinus ibidem communi jure illud Pauli intonat, 1. Cor. 4 *quis te diſcernit? quid autem habes quod non acceperis? &c.* Reſpexit igitur hominem communiter Deus; non invenit cauſam in homine: quia cauſa υἱοθεσίας ſive τεκνογονίας iſtius à ſola voluntate eſt & gratia ipſius. Quod ſi quis peccatum dicat eſſe præteritionis ſeu reprobationis cauſam, ne ſic quidem obtinebit. Nam primum immota manet Auguſtini illa argumentatio, quam modo adduximus, ex præſcitorum operum comparatione: deinde, cum ex æquo ſint à natura peccatores homines coram Domino, de tribus hiſce unum oportuit: aut omnes ob peccatum rejici, velut communi cauſa; aut omnibus illud condonari; aut cauſam alibi quàm in peccato ſtatui, ut facimus. Poſtremo, quis nos diſcernat, niſi Deus ex propoſito electionis ſuæ? Stat igitur illud, Deum in cauſa electionis & reprobationis ab æterno factæ hominem communiter conſideraviſſe; ita ut ipſe à ſe, non ab homine cauſam huius atque illius habuerit. Verumtamen argumenta quæ hic adferuntur, agedum, ſtrictim expendamus, licet huic ſententiæ propriè non adverſentur.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſionis ad propoſitionem 9.*

AVctores primæ ſententiæ quomodo hominem conſideraverint, puto liquere ſatis ex iis, quæ ad reſponſionem propoſ. 6. dicta ſunt. *De mente auctorum primæ ſententiæ ſatis eſſe dictum* Quod vero autores ſecundæ ſententiæ ratione illa ſingulari appoſita non excluſerint commune illud, vix fit mihi veriſimile. Qui enim electioni præteritionique ex ſuis cauſis factæ peccatum ſuperveniſſe dicit, peccatum excludens non tantum à cauſa electionis & præteritionis, ſed & à ſubjecto & conditione in illo requiſita, ille negat univerſe hominem ut lapſum conſideratum eſſe eligenti & prætereunti: & ſi id neget, negat etiam hominem communiter conſideratum eſſe decernenti Deo. *Auctores ſecundæ ſententiæ non ſtatuere hominem communiter conſideratum eſſe decernenti Deo.* Alioqui accipio quod dicitur. Peccatum cauſam electionis præteritioniſque non eſſe, rectè tamen intellectum, ut hic accipi puto, nempe, peccatum non eſſe cauſam cur Deus aliquos eligat, alios prætereat, modo peccatum ſtatuatur cauſa, cur Deus aliquos ex hominibus ad ſuam imaginem cõditos preterire poſſit In iſto conſenſus eſt inter nos, in hoc diſſentimus, ſi diſſentimus: Quare non eſt iſta quæſtio, An Deus verſatus ſit hoc ſuo decreto circa homines citra contemplationem peccati ut cauſæ, cauſæ inquam cur eligeret hos, illos præteriret. Nam & hoc Auguſtinus fatetur, qui tamen peccatum iſti

decreto præſupponit, ut conditionem in objecto requiſitam. Sed hæc eſt quæſtio: An peccatum ſit conditio requiſita in objecto circa quod Deus eligendo & prætereundo verſabitur, nec ne. Quemadmodum apparet ex argumentis à me allatis: quæ non probant peccatum eſſe cauſam illius decreti, ſed conditionem in objecto requiſitam. Auguſtinus ait & ego illi adſentior in eo. Videamus loca, *Lib. primo ad Simplicianum*, peccatum excludit ut cauſam cur eligat aut reprobet Deus, includit ut cauſam cur poſſit præterire & reprobare, ſive ut conditionem in objecto electionis & reprobationis requiſitam. Poſterius doceo eius verbis (de priore nihil eſt opus ut doceam, nam in eo eſt conſenſus inter nos) *Non odit Deus Eſau hominem, ſed odit Deus Eſau peccatorem*, & paulo poſt: *Quia ergo Iacob dilexit, nunquid peccator non erat? ſed dilexit in eo non culpam, quam debebat, ſed gratiam, quam donabat*, &c. paulo poſt: *odit enim Deus impietatem. Itaque in aliis eam punit per damnationem, in aliis adimit per juſtificationem.* Rurſus: *Vna eſt enim ex Adam maſſa peccatorum & impiorum, in qua & Iudæi & gentes remota gratia Dei ad unam pertinent conſperſionem.* Si dicas Auguſtinum non de præteritione, ſed de prædamnatione agere: reſpondeo, Auguſtinum nullam noſſe præteritionem, quæ non ſit prædamnatio, præteritioni enim odium præficit cauſam, quemadmodum amorem electioni. Inde verò ex Auguſtini ſententia concludo, id quod de Eſauo & Iacobo dicitur, in cauſa Adami & Evæ intelligendum non eſſe. neque inde ſequitur diverſam eſſe futuram electionis & reprobationis rationem; niſi antea probatum fuerit Deum electione circa

Quæſtionem hic propriè eſſe hanc, an peccatum ſit conditio requiſita in objecto eligendo & prætereundo.

Peccatum eſſe cauſam reprobabilitatis.

Quod probatur ex Auguſtino.

Adamum & Evam ut in primævo ſtatu conſideratos verſatum eſſe, quod ego toto hoc meo ſcripto nego. Diſcrimen autem apertum eſt inter Eſaum & Iacobum, & Adamum & Evam. Nam illi nondum nati potuerunt conſiderari ut peccatores, erant enim ambo in peccato jam concepti; ſi nondum conditi, ut tales conſiderari non potuerunt, nullo enim modo tales erant: imo ne tum quidem quum jam producti eſſent a Deo, & in prima origine integri perſtarent. Ergo ex eo concludi nequit electioni & perſonas & cauſas omnes a perſonis vel in perſonis poſitas præceſſiſſe. Non enim præceſſit peccatum, in quo Iacob & Eſau jam tum concepti erant. Fateor tamen, peccatum illud cauſam non fuiſſe, cur unum amaret, alterum odio haberet, unum eligeret, alterum reprobaret Deus, ſed fuiſſe conditionem in objecto decreti iſtius requiſitam. Argumenta vero illa quæ adfers meæ cauſæ non nocent. Non enim excludunt peccatum ab objecto illius decreti ut conditionem in eo requiſitam, neque ut cauſam ſine qua illud decretum non ſit factum, ſed tantum ut cauſam propter quam reprobatus ſit unus, altero electo.

Argumenta à Iunio allata non efficere cauſam Arminio ſua eam comprobare, quod ex illorum eo ſideratione ſingillatim reſtituta oſtenditur.

Hoc apparet *ex 9. ad Rom.* Nam Eſau & Iacob tum erant concepti in peccato, quum iſta verba ad Rebeccam ex divino oraculo fierent. Ibidem quoque electi & reprobi vaſa iræ & miſericordiæ dicuntur, quibus nominibus extra conſiderationem peccati appellari non poſſunt. Non dicam jam, quod vere poſſum, Iacobum & Eſau non in ipſis, ſed ut typos conſiderari: illum typum filiorum promiſſionis, qui juſtitiam

ex fide in Chriſtum quærunt, hunc ut typum filiorum carnis, qui ex lege juſtitiam ſectantur. quæ res latiorem explicationem deſiderat huic loco non adeo neceſſariam. *caput* 1. *ad Epheſ.* idem manifeſte dicit, quia electionem factam dicit in Chriſto, quia ex gratia per quam habemus redemptionem in ſanguine Chriſti, &c.

Rationes iſtæ adverſus iſtum ſtatum non militant quem poſui, imo potius illum firmant. Nam primo electio facta eſt in Chriſto, ergo peccatorum quod poſtea latius tractabitur. Secundo prædeſtinatio & reprobatio nihil ponunt in ſubjecto. Ergo quale ſubjectum accipit gratiam, tali & eodem modo conſiderato præparata eſt gratia. Peccator autem accipit & ſolus gratiam prædeſtinatione præparatam: Ergo & ſoli peccatori gratia eſt prædeſtinatione præparata, ſed & de hoc poſtea uberius. Tertio, Homines non generatione ſed regeneratione ſunt Filii Dei, hæc præſupponit peccatum: Ergo adoptio facta eſt ex peccatoribus. Exemplum Angelorum hic nihil probat. Eſt enim diſſimilis ratio electionis reprobationiſque illorum & hominum, ut ipſe multis locis fateris. illorum enim ſalus curata eſt gratia conſervationis & confirmationis, hominum gratia reſtaurationis. Angelos ſibi genuit filios ex gratia illa, homines ſibi regenuit filios ex gratia iſta. Ergo Deus hominem reſpexit non communiter ſed ut peccatorem, de quo nobis quæſtio eſt, licet cauſam cur illum adoptaret hunc præteriret, in homine non inveniret, de quo nulla nobis eſt controverſia. Quare etiamnum hæc inter nos quæſtio manet. An Deus circa hominem in puris naturalibus conſideratum ſuo prædeſtinationis & reprobationis decreto ſit verſatus, an vero circa eundem ut in peccatis conſideratum. Ego hoc ajo, illud nego, & ſententiæ meæ fundamenta multa poſui: quæ vero abs te adverſus illa ſint allata jam ordine conſiderabo.

Deum in prædeſtinatione actu hominem non reſpexiſſe communiter.

X.

Propoſitio ARMINII 10.

PRimo univerſim. 1. quia homo nullus unquam in puris naturalibus à Deo eſt conditus, quare nec unquam ita conſiderari in decreto Dei potuit: utpote quod a mente quidem eſt materialiter & potentiæ ratione; actum vero ſuum formalem habet a voluntate, & quo decreto Deus ſtatuit actu circa hominem aliquando verſari. Quare utut mente diſtingui poſſit inter naturam & ſupernaturale donum, homini in ipſa creatione inditum, tamen id non venit hoc loco in conſiderationem. Conditus enim eſt primus homo, & in eo omnes homines ad imaginem Dei: quæ imago Dei non eſt natura in homine, ſed ſupernaturalis gratia, non habens reſpectum ad fælicitatem naturalem, ſed ſupernaturalem vitam. Eſſe autem imaginem Dei in homine ſupernaturalem gratiam, ex imaginis Dei deſcriptione patet. Eſt enim juxta Scripturam Coloſ. 3. agnitio congruens imagini ejus, qui ipſum condidit, Epheſ. 4 juſtitia & ſanctimonia veritatis, conveniens novo homini, qui ſecundum Deum conditus eſt. Accedit, quod omnes in univerſum Patres videntur in hac ſententia eſſe, quod

Rationes negationis ſupra dicta generales reſpectu electionis & reprobationis ſimul, quæ duo hic allegantur. 1. quod homo ſic non ſit conditus. 2. quod electio Dei cum electione erga homines non habeat locum, niſi poſt peccatum.

quod homo primus fuerit conditus in gratia, ſic Catecheſis noſtra quæſt. 6. 2. quia nulla invenitur in Scripturis dilectio Dei cum electione, ſeu voluntas erga homines diverſimodè ſe habens, aut diverſimodè ſe habens Dei actus; niſi poſt ingreſſum peccatum in mundum, aut à Deo ut ingreſſum conſideratum.

Reſponſio IVNII *ad* 10. *propoſitionem.*

Vnde, & quot modis appellentur naturalia in homine ſecundum Iunium.

ANtequam de argumentationibus dico, tollenda nobis eſt una homonymia, quæ hic incidit & ſæpius occurſura eſt, cum de puris naturalibus agitur. Naturalia à natura appellantur: eſt autem natura duplex: Ergo & naturalia. duplicem naturam dico; quia una hæc mundi corporalis noſtri eſt, puta citerior atque inferior in rebus elementaribus & materiatis poſita, quam Philoſophorum Phyſica exponit: altera mundi ſpiritalis illius, puta ulterior atque ſuperior, in rebus ſpiritalibus & immateriatis conſiſtens, quam tradit juſta Metaphyſica. A priore natura habemus corpus, quà ſumus animalia: à poſteriore habemus ſpiritum, qua rationales ſumus. quam rem ipſe vidit Ariſtoteles lib. 2. de generatione animalium, cap. 3. dicens mentem ſolam θύραθεν ἐπεισιέναι, extrinſecus accedere in corpus naturale, & ſolam divinam eſſe: nihil enim cum actione eius communicare actionem corporalem. Hinc fit ut tribus modis naturalia conſiderari oporteat, communiter: Phyſicè ratione corporis, ſecundum eſſentiam, potentiam, actiones, & paſſiones ipſius: & Metaphyſicè ratione animæ intelligentis, ſecundum eſſentiam & eſſe ipſius; & Compoſitè ratione illius perſonalis unionis, quæ eſt in homine, velut ſubjecto ex utraque natura compoſito. Singulariter verò hæc eadem diſtinguenda pro naturæ integræ & corruptæ modo. Pura igitur hominis naturalia dicuntur ea omnia, quæ his modis ad naturam hominis pertinent, excluſo peccato, quod poſt ingreſſum eſt. Iam ad membra ſingula veniamus. Primum ais, *homo nullus in puris naturalibus unquam eſt conditus.* Si intelligis ſine ſupernaturalibus, equidem hoc unde probari poſſit (etſi multi affirmant) neſcio. Scriptura non dicit uſquam. Non ignoras autem quod in ſcholis dicitur, non valere argumentationem ab auctoritate negativè: non legitur, non eſt igitur, deinde ordo ipſe creationis contrarium probat quodammodo, cum primum ex limo corpus conditur, poſt anima inſpiratur: utrum enim probabilius; animæ, dum creatur, eodem momento ſupernaturalia indita, an creatæ ſuperaddita? Ego ut corpori animam ſic animæ ſupernaturalia magis ſuperveniſſe dixerim. Illud ſi Deus in re naturæ fecit, cur in cauſa gratiæ, quæ ſingularior eſt, non fecerit? Poſtremò nec illud ſequi putem, ſi homo non eſt conditus in puris naturalibus, ſed cum donis ſupernaturalibus, gratiam ergo creationis eſſe; ergo & dona ſupernaturalia fuiſſe futura communia generis. Hoc conſequens falſum eſſe evincit naturæ definitio, & ſupernaturalium ratio. Quid n. aliud eſt natura, quam principium ordinatum à Deo motus & quietis? &c. ſi ſupernaturalia hoc principio ordinata ſunt, jam naturalia ſunt; ſupernaturalia eſſe deſinunt.

Quænam dicantur pura naturalia.

Ad primam rationem Arminii qua probas hominem in puris naturalibus Deo de creatione conſideratum non eſſe.

Præterea ſupernaturalium ratio eſt eiuſmodi, quum nec naturalia ſint, ut communia non ſunt: nam quæ hominum omnium communia ſunt, naturæ ſunt: ſupernaturalia verò ſunt perſonalia, nec in hæredes tranſeunt. Agnoſco Adamum & Evam accepiſſe dona ſupernaturalia, ſed ſibi, non hæredibus; neque per ſe ad hæredes tranſmiſſuros, niſi inſtituto communi aut ſingulari gratiæ. Quòd ſi ita eſt, profectò & homo ſine ſupernaturalibus eſt, licet ille primus non fuerit ſine eis conditus, ut tu vis; & ſine eis rectè conſideratur à nobis; & multo magis ſine eis conſiderari à Deo potuit. Immo verò, mi frater, hominem Deus in puris naturalibus contemplatus eſt, cui ſupernaturalia conferret decreto ſuo. Potuit ergo ita conſiderari in decreto Dei. Naturam contemplatus eſt, cui faceret gratiam; naturalem hominem, cui conferret ſupernaturalia decreto ſuo. Quid? nonne voluntatis actus ſingularis fuit hominem condere; & ſingularis alter, eundem augere ſupernaturalibus? Qui actus etiamſi fuiſſent ſimul tempore (quod mihi non videtur neceſſarium, propter eas rationes quæ modo adductæ ſunt) non tamen eſſe ſimul natura poſſent, cum unus naturalis, & ſupernaturalis alter appelletur. Scio te de imagine Dei dicere poſtea: ſed mox videbimus eam nihil ad hanc cauſam (quod putas) facere. Interea hoc te ſemper meminiſſe velim, hæc omnia, ut vera eſſent (quod negamus) tamen illi doctrinæ non adverſari, quæ hominem communiter à Deo conſideratum in hoc decreto aſſerit. Quæ ſequuntur de materiali & formali ratione decreti Dei, relinquo in medio: quia non pendet ex eis vis argumenti. Ad confirmationem tranſeo. *Conditus eſt*, inquis, *primus homo, & in eo omnes homines ad imaginem Dei:* Concedo & credo. *qua imago Dei non eſt natura in homine, ſed ſupernaturalis gratia, non habens reſpectum ad felicitatem naturalem, ſed ſupernaturalem vitam.* Quid ais, amabo te, mi frater? Hoc olim dixit Origines: hoc priſca Eccleſia in Origine conſtante ſententia, & conſentientibus votis reprehendit, Epiphanio, Hieronymo & aliis teſtibus. Ego vero non credo te cum Origine ſentire, adverſus ſapientis illius Eccleſiæ ſuffragia. ſed decipit te una aut altera, quam non animadvertiſti, æquivocatio. Quamobrem agedum exponamus atque enubilemus veritatis face. Prior æquivocatio eſt in naturæ; poſterior in ſupernaturalium appellatione. De priore paulò ante diximus, eſt enim natura hæc inferior corporum elementarium, eſt illa ſuperior ſpirituum; eſt denique humana noſtra ex illa utraque conſtituta in ſubjecto compoſito, ab utraque natura fuſo: Atque hæc ipſa duplex, integra & corrupta. Poſterioris illud eſt, quod ſupernaturalia dicuntur, modo quæ ſupra hanc naturam inferiorem ſunt, & ſunt naturæ ſuperioris, ſpiritalis, vel Metaphyſicæ: modo quæ ſupra illam quoque Metaphyſicam ſuperioremque ſunt, id eſt, propriè atque immediatè divina: modo verò, quæ ſupra conditionem huius naturæ noſtræ corruptæ ſunt, quia nobis non contingunt, niſi ex ſupernaturali gratia, quamvis naturæ integræ illius fuerint. Corpus ab hac natura eſt, exempli cauſa: huius comparatione ſupernaturalis eſt anima noſtra: Rurſum anima noſtra à natura ſuperiore

De imagine Dei in homine.

De naturæ & ſupernaturalium appellatione.

ſuperiore eſt, in qua Angeli, huius comparatione & illius divina omnia ſunt ſupernaturalia, ut quæ univerſitatem naturæ huius & illius ſuperent. Iam vero *imago Dei*, inquis, *non eſt natura in homine; ſed ſupernaturalis gratia:* id eſt, (ut arbitror) non eſt naturæ, ſed gratiæ; vel non a natura, ſed à gratia. Hic tu mihi, mi frater, revoca priorem homonymiam. Imago Dei non eſt à natura, hac inferiore puta, dicitur veriſſimè: At imago Dei non eſt à natura ſuperiore illa, falſo dicitur. Quid enim eſt natura? principium ordinatum à Deo, motus & quietis in ſubjecto naturali ſuo. In ſuperiore illa natura eſt principium ordinatum à Deo, motus & quietis in ſubjecto naturali ſuo, ſecundum modum ipſius. Pone tibi genera motus ante oculos, quæ in hac natura accidunt, generationem, corruptionem, incrementum, diminutionem, alterationem, & tranſitum localem, quem φορὰν vocant. Diſcrimen illud comperies, quod huius inferioris naturæ ſubjecta hos experiuntur motus ſecundum eſſentiam ipſam & alia omnia, id eſt, ſecundum materiam, formam, & accidentia: illius vero ſuperioris ſubjecta, ſecundum eſſentiam minimè experiuntur motus, ſed tantum ſecundum eſſe; utramque autem naturam res divinæ ſuperant infinito ac divino modo, quod omnis ſunt motus expertes omnimodè. Mortale eſt corpus: unde, niſi ab inferiore natura? immortalis anima noſtra: unde niſi a ſuperiore? utraque vero natura a Deo ordinata, opus ſuum ſic immediatè faciens, ut per utramque mediatè operetur Deus omnia quæ naturæ ſunt. Eſt autem imago Dei a natura ſuperiore, per quam mediatè operatur Deus in Adami filiis, ex quo naturam communem inſtituit in Adamo parente noſtro. Id quidem verum eſt, gratiam ſupernaturalem eſſe, qua Adamo imaginem ſuam inſevit Deus; quemadmodum & per eandem gratiam effecit creationem totam: non enim naturæ per naturam, ſed per ſe dedit principium Deus: ſed ex quo natura eſt, id quod per naturam eſt, ſpeciei & in dividuis per naturam ingeneratur. Id licet primo ortu a gratia ſit; tamen jam eſſentia ſua a natura eſt, & naturale dicendum eſt. Imago autem Dei eſt ſpeciei, & jam individuis per naturam ingeneratur. Eſt igitur naturalis. de eius definitione poſtea videbimus. ante enim voces illas declarari opus. cum ais *imaginem Dei non habere reſpectum ad felicitatem naturalem ſed ſupernaturalem vitam.* Purgemus homonyma, ſic de rebus melius dicturi ſumus. Felicitas naturalis aut eſt huius naturæ, qua habemus corpus, aut illius, qua Spiritum; aut utriuſque, qua ſubjectum ex natura utraque compoſitum. Ad hanc felicitatem omnem imago Dei reſpectum habet naturaliter; corporis ut inſtrumenti eſſentialis & conjuncti ſui; ſpiritus, tanquam ſubjecti eſſentialis ſui; hominis denique totius, tanquam ſubjecti perſonalis: ſi negas, quid eſt, obſecro, in natura tota, quod non ἀγαθῦ ἰδίου ἐφίεται, ſuum bonum appetit? Eſt autem ſuum bonum ſua cuique felicitas. Si in hac natura lapis, pecus, animal hoc facit, in illa Spiritus & intelligentes formæ; hoc certe nullo jure homini & imagini Dei in homine denegari poteſt. Addis *habere reſpectum ad ſupernaturalem vitam*: id autem eſt, gratiæ vitam,

vitam, ut oſtendunt adjuncta omnia. Si ad eam ſolum intelligis reſpicere, negamus excluſionem: ſi ad hanc & illam conjunctè, hoc vero nos aſſerimus, & tibi dicenti ſubſcribimus, imaginem Dei in homine ad utramque felicitatem, naturalem & ſupernaturalem reſpicere: per naturam naturali, per gratiam ſupernaturali modo. Hoc amplius jam exponerem, niſi prius id quod agitur, quid ſit, conſtare oporteret. Quod tu ipſe optime animadvertens tranſis ad definitionem illius, ut probes ſententiam tuam. *Eſſe autem imaginem Dei*, inquis, *ſupernaturalem gratiam, ex imaginis Dei deſcriptione patet*. Id bona pace tua negare mihi liceat, cum poſtules judicium meum. Subjicis, *eſt enim juxta Scripturam Coloſ. 3. agnitio congruens imagini eius, qui ipſum condidit, Epheſ. 4. Iuſtitia & ſanctimonia veritatis conveniens novo homini, qui ſecundum Deum conditus eſt*. Agnoſco verba Apoſtoli, & credo, ſed metuo, mi frater, ut a verbis & à mente aberres illius. In priore loco non dicit imaginem Dei eſſe agnitionem congruentem imagini, &c. ſed *novum hominem renovari*, dicit *in cognitionem ſecundum imaginem eius qui condidit eum*. Subjectum eſt homo, unicus ſubſtantia, ſed prius vetus, jam novus. Huic ſubjecto infuit cognitio vetus, ineſt nova. Secundum ſubjectum cognitio una, ſed modo differens: nam homo vetus & novus una intelligentiā intelligit, prius vetere, poſt modum renovata. Qui ergo modus cognitionis iſtius? nempe ſecundum imaginem Dei. Hic modus cognitionis & intelligentiæ noſtræ: Prior ſecundum imaginem Adami prioris illius, qui filios genuit ad ſuam ſimilitudinem, Geneſ. 5. poſterior, ſecundum imaginem Adami poſterioris, Chriſti & Dei creatoris noſtri. Imago Dei non dicitur cognitio eſſe, ſed cognitio ſecundum imaginem Dei renovari in nobis dicitur. quid ergo cognitio? Actus imaginis Dei. quid imago Dei? fons & principium actus formaliter informans actum, ſive habitum iſtum imaginis. Nam utrovis modo accipias, mea nihil refert. Animadverte, quæſo, te ipſum appello judicem, utrum hæc conveniens dici jure poſſit deſcriptio. Imago Dei eſt agnitio congruens imagini Dei. Immo vero hæc ipſa deſcriptio negat imaginem Dei eſſe alterutrum: aut agnitionem, aut imaginem Dei, ſiquidem agnitio eſt congruens imagini Dei. Hæc tu pro tua prudentia melius intelligis, quam a me ſcripto enarrari poſſint. Ad alteram venio. *Imago Dei eſt juſtitia & ſanctimonia veritatis conveniens novo homini, qui ſecundum Deum conditus eſt*. Hic vero plus aliquid quam ante dicis. Verum tamen necdum ſatis. agnitio illa, de qua ante dixeras, membrum veritatis eſt: Eſt enim veritas in mente noſtra. Hic & veritatem, & juſtitiam, & ſanctimoniam ſtatuis. Sed videamus quid dicat Apoſtolus: dicit nempe, *novum hominem eſſe qui ſecundum Deum creatur in juſtitia & ſanctimonia veritatis*. Non contendam quod multi interpretantur *ſecundum Deum*, quaſi diceret Apoſtolus, virtute Dei agentis in nobis. Accipio quod ſentis, illa verba, κατὰ θεὸν, idem ſibi velle, atque ſi dixeris, ad imaginem Dei vel ſecundum Dei imaginem. Hic tamen nonne vides, mi frater, eundem ordinem, quem modo indicavimus a Paulo ſervatum eſſe: & ſubjectum

jectum, principium, & actus ſive habitus inde informatos diſtingui commodiſſimè? Subjectum eſt homo, qui idem vetus, novus: Principium eſt imago Dei, quæ eadem vetus, nova, & ex corrupta integraſcens: Actus ſive habitus ex eo principio informati ſunt, juſtitia, ſanctimonia, veritas. Iuſtitia, ſanctimonia, veritas, non ſunt imago, ſed imaginis. Redeamus, ſi placet, ad principium illud, quod tradiderunt Patres, *naturalia corrupta eſſe, & ſupernaturalia ſublata*. Hinc certè nullo negotio concluſeris: Iuſtitia, ſanctimonia, & veritas non ſunt ſublatæ: non igitur ſupernaturales. Et rurſum, eæ corruptæ ſunt: naturales igitur. Si enim ſublatæ eſſent, nulla earum principia in nobis à natura eſſent: ſunt autem: natura igitur, & corrupta ſunt ipſa, & quæcumque ab iis principium ducunt. De imagine vero Dei eadem ratio. Imago Dei non eſt ſublata: non igitur ſupernaturalis, & contra, hæc corrupta eſt: naturalis igitur. Nuſquam enim reddi in Scripturis dicitur, ſed renovari ſolum. Probationem de Scripturis adfero, cum unum dixero: Iuſtitia, ſanctimonia, veritas, non eſt niſi in imagine Dei: in homine eſt aliqua juſtitia, ſanctimonia & veritas: igitur in homine eſt aliqua imago Dei. Moſes certè Geneſ. 1. nihil aliud narrat, quam primam naturæ conſtitutionem de ſubjecto vel ſpecie unaquaque factam. Narrat, autem *hominem ad imaginem Dei factum*. Hæc igitur naturæ humanæ conſtitutio. Quod ſi naturæ, ergo imago Dei universè ad ſpeciem humanam pertinet; cum naturalia eo ipſo à perſonalibus differant, quod communia ſunt. Idem

Imago Dei in homine naturalis eſt ſecundum ſuum; quia corrupta tantum eſt tantum non ſublata:

Geneſ. 5. 3. Adam genuit Sethum ad ſimilitudinem ſuam, ad imaginem ſuam: fuit autem Adam factus ad ſimilitudinem Dei: Sethum ergò genuit ad Dei ſimilitudinem. Atqui differunt imago Dei & imago Adami, dixerat quiſpiam: & à Moſe diſcernuntur. Differunt quidem; ſed modo, non eſſentia ſua: nam Imago Dei fuit in Adamo Dei integra, in Setho per Adamum deformata; imago tamen utraque. Eadem vero ratione hæc imago in ſpecie hominis reliqua ſecundum corruptionem, imago terreni: ſecundum inſtaurationem, imago cœleſtis appellatur. Sed quia modo ſolum, ac non eſſentia diverſa eſt; inſtaurari & renovari, non ingenerari aut creari dicitur, ut ante obſervavimus: utpote quæ non eſſentia, ſed modo & gradu differat. Item Geneſ. 9. *qui effundit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis illius effunditor, quoniam ad imaginem ſuam fecit hominem Deus.* Si non eſſet imago Dei in poſteris Adami qui occiduntur, inepta & aliena foret Moſis argumentatio. Eſt autem juſta & gravis argumentatio, ſive Moſis, ſive Dei. nam ſi ita dixeris, Occiſor eius quem Deus fecit ad imaginem ſuam per hominem occidi debet: hominem hunc, illum qui occiditur, Deus fecit ad imaginem ſuam: Ergo per hominem occiditor: optima eſt conſequentia. Cum enim homo ſit factus ad imaginem Dei; eius occiſorem occidi, & quidem per hominem occidi, æquum eſt. Sin autem verteris in hunc modum ad verbum, *quoniam ad imaginem Dei fecit hominem*, videlicet homo, etiam magis confirmabitur interpretatio. Sed nuſquam memini ita Scripturam loqui, homo fecit hominem: nec mi-

Item quia univerſè ad ſpeciem humanam pertinet.

Denique quia dicitur in nobis renovari, & inſtaurari, non creari aut ingenerari.

nec mihi probari poteſt. Atque hæc, opinor, ſuffecerint, ut videas, mi frater, imaginem Dei ineſſe homini naturaliter. Quid ergo eſt imago Dei? jam enim tempus eſt, ut ἐκ τῆς ἀνασκευῆς εἰς κατασκευὴν μεταβῶμεν. Declarabo Patrum orthodoxorum verbis. Tertullianus ex Latinis primus audiatur, lib. 2. adverſ. Marcion. cap. 9. *Inprimis tenendum, inquit, quod Græca Scriptura ſignavit, adflatum nominans, non Spiritum (πνοὴν non πνεῦμα) quidam enim de Græco interpretantes, non recogitata differentia, nec curata proprietate verborum pro adflatu ſpiritum ponunt, & dant hæreticis occaſionem ſpiritum Dei delicto infuſcandi, id eſt, ipſum Deum: & uſurpata iam quæſtio eſt. Intellige itaque adſlatum Spiritu minorem eſſe, etſi de Spiritu accidit, ut aurulam eius, non tamen Spiritum. Nam & aura vento rarior; & ſi de vento aura; non tamen ventus aura, capit etiam imaginem Spiritus dicere ſlatum: nam & ideo homo imago Dei, id eſt Spiritus; Deus enim Spiritus: imago ergo Spiritus, adſlatus. Porro Imago veritati non uſquequaque adæquabitur: aliud eſt enim ſecundum veritatem eſſe, aliud ipſam veritatem eſſe. Sic & adſlatus cum imago ſit Spiritus, non poteſt ita imaginem Dei comparare, ut quia veritas, id eſt, Spiritus, id eſt, Deus, ſine delicto eſt, ideo & adſlatus, id eſt, imago non debuerit admiſiſſe delictum. In hoc erit imago minor veritate, & adſlatus ſpiritu inferior, habens illas utique lineas Dei, qua immortalis anima, qua libera & ſui arbitrii, qua præſcia plerumque, qua rationalis, capax intellectus & ſcientiæ: tamen & in his imago, & non uſque ad ipſam vim divinitatis, ſic nec uſque ad integritatem à delicto, quia hoc ſoli Deo cedit, id eſt, veritati; & hoc ſolum imagini non licet: ſicut enim imago cum omnes lineas exprimat veritatis, vi tamen ipſa caret, non habens motum; ita & anima imago Spiritus ſolam vim eius exprimere non valuit, id eſt non delinquendi felicitatem: Cæterum (id eſt alioqui) non eſſet anima, ſed ſpiritus, nec homo, qui animum ſortitus eſt, ſed Deus*, & quæ ſequuntur. Ambroſius hexaemeri libro 6. cap. 7. poſt multa concludit in hunc modum, *quam enim dabit homo commutationem pro anima ſua? in qua non exigua portio, ſed totius humanæ univerſitatis ſubſtantia eſt. Hæc eſt per quam cæteris ferarum aviumque dominaris animantibus: hæc eſt ad imaginem Dei, corpus autem ad ſpeciem beſtiarum: in hac pium divinæ imitationis inſigne, in illo cum feris & bellu is vile conſortium, &c.* Item in Pſalm. 118. ſerm. 10. *quod ſecundum imaginem eſt, non eſt in corpore, nec in materia, ſed in anima rationabili: ibi operatur, ibi oſtenditur homo ad ſimilitudinem & imaginem Dei, ubi iuſtitia, ubi ſapientia, ubi omnis forma virtutis adſumitur, & ſimilia multa.* Nec aliter Auguſtinus lib. 1. de Geneſ. contra Manich. cap. 17. & alibi paſſim. Hieronymum adduco poſtremo loco, quia idem planè ſentit, & ſcribit contra Originem, commum cum Epiphanio & Græcis Patribus argumento. Baſilium dicerem, niſi ex eo ſcires Ambroſium deſumpſiſſe. Quid Chryſoſtomum dicam, Nazianzenum, Nyſſenum, Cyrillum, Theodoretum? unus Damaſcenus omnium illorum Epitomarius rem declarat accuratiſſimè in eo libello, quem inſcripſit περὶ τοῦ κατὰ τί γεγόναμεν κατ᾽ εἰκόνα θεοῦ. Itemque altero, qui eſt de duabus in Chriſto voluntatibus. dicit enim κατὰ τὸ λογικὸν καὶ νοερὸν καὶ αὐτεξούσιον, κατὰ τὸ γεννᾶν τὸν νοῦν λόγον, καὶ προβάλλειν πνεῦμα, κατὰ τὸ ἀρχικὸν, κατὰ ταὐτὰ καὶ οἱ ἄγγελοι καὶ οἱ ἄνθρωποι

Teſtimonia veterum de imagine Dei.

κατ

κατ' εἰκόνα. ἔτι δὲ καὶ ἐκ ἐξουσίας οἱ ἄνθρωποι, &c. ubi eſſentialia & adjuncta diligentiſſimè comportavit. Concludam itaque una illius adverſus Manichæos argumentatione. *Iſti*, inquit, *homines ignorant fieri non poſſe, ut natura ulla utatur actione, aut effectionem producat, cujus facultatem non acceperit ſecundum naturam. exempli cauſa, nulla avis volare poteſt, niſi facultatem volandi ſecundum naturam acceperit; neq́; terrena beſtia ingredi poteſt, niſi acceperit ſecundum naturam ingrediendi facultatem. Sic etiam & homo non poteſt agere aut velle, niſi ſecundum naturam facultatem illam, qua ϑελητικὴ & ὀρεκτικὴ dicunt, accepiſſet: neque enim poteſt intelligere, niſi facultatem νοητικὴν à natura acceperit, neque videre, neque aliud quid agere. ac propterea omni naturæ actiones naturales inſunt, & ſimul inſunt, quæ vero ſub voluntatem aut actionem cadunt, ea non inſunt ſimul.* quo ex fundamento brevitatis cauſa deinde infert, hominem autem intelligere, ratiocinari, velle, & ſupra res creatas cæteras exercere multa, quæ divinitatem ſapiant: Ergò homini facultates ineſſe, quarum reſpectu factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei in Scripturis pronũcietur. Hic igitur illa eſt imago Dei in anima noſtra: cujus eſſentiales partes tum ipſæ aliquid divinitati per naturam ſimile oſtendunt, tum percipiendæ ſupernaturali gratiæ per naturam & gratiam conjunctè ſunt idoneę, quod mox declarabimus. Subjicis enim, *omnes in univerſum Patres videntur in hac ſententia eſſe, quod homo primus conditus fuerit in gratia. Sic & Catecheſis noſtra quæſt. 6.* Neminem profectò orthodoxorum, novi, qui aliud ſentiat: nec alia eſt juſta Catecheſeos intelligentia. Sed falli videris ἀμφοτέρῳ, & diſtincta conjungere.

Non enim id ſibi volunt, hominem primum fuiſſe conditum cum gratia id eſt, creationis opere naturam & gratiam ſupernaturalẽ accepiſſe: ſed hoc illud eſt quod volunt, hominem, qui primus cõditus eſt, fuiſſe cũ gratia, id eſt ſupernaturali gratia à Deo auctum eſſe: quod jam ante in hac ipſa propoſitione tradidimus. Quid ergò? non habuit ſupernaturalẽ gratiam in creatione? Si gratiam accipis pro benevolentia Dei, habuit gratiã; ſi pro donis ſupernaturalibus collatis, non habuit à creatione aut vi creationis quæ ſunt ſupernaturalia; cum creatio ſit principium naturæ, vel primus terminus illius, ſupernaturalia vero toto genere ab ea differant: ſed habuit in creatione, id eſt, in primo illo ſtatu creationis, in quo fuit Adam, donec in peccatum laberetur. Iam vero ut rem facilius intelligas, utamur Solis eſt Lunæ ſimilitudine ad imaginis divinæ declarationem. Lunæ ſua eſt imago eſſentialis, & relata vel accidentaria altera. Quâ eſſentialis, habet ſuam lucem aliquam; ſed quæ, niſi reſpectum ad ſolem habeat, tenebreſcit: qua relata, habet lucem fœneratitiam à ſole, prout reſpicitur ab eo, atque in eum reſpicit. Sic etiam imaginis Dei in homine duplex fuit ratio inde à creatione. Nam homo ſuam habuit eſſentialem lucem in anima conſtitutam, quæ tanquam imago Dei micat inter res creatas omnes: habuit & relatam, qua reſpiciebatur à Deo, & reſpiciebat in eum. Eſſentialis illa imago, naturalis eſt; reſpectiva (ut ita dicam) ex parte ſupernaturalis fuit: nam ad Deum per naturam conjunctam gratia reſpexit proprio & libero voluntatis motu; ad illam per

Diſtinctio Eſſentialis & Reſpectivæ imaginis.

gratiam (nam quæ Dei naturalis ſecundum nos actio?) reſpexit Deus. Eſſentialem ex peccato corruptam habemus, non amiſimus planè: illam relatam amiſimus: ſed reſtituit hanc Chriſtus ut renovemur ſecuncundum Deum ad ipſius imaginem, & eſſentialis ipſa reformetur, quum naturalia corrupta, ſupernaturalia amiſſa eſſent, ut ante diximus.

Ad ſecundam rationem Arm. qua probat hominem Deo decernenti non fuiſſe conſideratum in puris naturalibus.

Sequitur. 2 *Quia nulla invenitur dilectio Dei cum electione, ſeu voluntas erga homines diverſimodè ſe habens, aut diverſimodè ſe habens* Dei *actus, niſi poſt ingreſſum peccatum in mundum, aut à Deo ut ingreſſum conſideratum.* Equidem ſi hoc darem, non tamen eo everteretur eorum ſententia, qui hominem communiter a Deo conſideratum pronunciant, ut antè oſtendimus. Sed tamen, quid ſi auctoritate, ratione, exemplo aſſertionem hanc confutavero? Auctoritatem habes Rom. 9. *Nondum enim natis pueris, quum nihil feciſſent boni vel mali, ut præſtitutum* Dei *ſecundum electionem, non ex operibus, ſed ex vocante maneret, dictum eſt ei, major ſerviet minori: ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Quid enim ſibi illa tria volunt? *nondum natis pueris*; tum, *cum nihil feciſſent boni vel mali*; item, *ſecundum electionem non ex operibus, ſed ex vocante.* Eſto ſanè, inquies: ſed hæc de natura in peccato jacente dicuntur. Atqui ſecernit tam ſtudioſè omnem rationem peccati, & ſoli vocationi Dei vocantis omnia fert accepta, ut tu ipſe, mi frater, ſi voles attendere (vis autem) facile ſis ab axiomate illo deducendus. Huic auctoritati certè omnem ratiocinationis ſpeciem ſubmiſſurus es. Epheſ. 1. *elegit nos in Chriſto ante iacta fundamenta mundi, prædeſtinavit nos in υἱοθεσίαν per Ieſum Chriſtum in ſeſe.* Electio amoris ſingularis eſt; quum elegiſſe in Chriſto dicitur, omnis ratio noſtri tollitur: prædeſtinatio & perſonas præcedit, & cauſas ab ipſis. Quin hoc ſibi volunt *præſciendi* & *prædeſtinandi* verba. Rom. 8. Chriſtus ipſe ſoli benedictioni Patris ſui tribuit, quod poſſeſſores & poſſeſſio regni ſunt conſtituti a jacto fundamento mundi. Matth. 25. In peccato, an ante peccatum? contemplatione peccati, an citra contemplationem illius? cur hoc potius, quã illud, obſecro? imo cur non potius illud, cum omnia dicantur in Deo vocante poſita? His rationes accedant.

Impugnatur hæc ratio repetitione ſuperius adductæ auctoritatis ex Scripturis.

Item rationum.

1. quæcumque rationes abſurdi huc comportantur, eas animadverſurus es (ſi propiùs expenderis) tam ad illam interpretationem, ac potius ad illam magis, quam ad hanc pertinere. Quapropter non ſic declinanda abſurda, ſed potius piè, & commodè amovenda. 2. nego contemplationem peccati ad rationem adoptionis filialis pertinere. Naturam appello teſtem: ſi pater gignit filios, antequam exploret aut obſervet conditionem illorum? Sed hæc genitura, inquies, voluntatis, ac non naturæ eſt: Recte: ſed tamen ſoli voluntati Dei tribuitur, non ulli conditioni noſtræ. Omnis conditio noſtra excluditur, etiam peccati: ſola voluntas Dei, ſolum propoſitum in cauſa ſtatuitur. Æquales in natura, æquales in peccato ſola voluntate diſcernit Deus: quos nec in natura ſimpliciter, nec in peccato conſideratos, ſed communiter in Chriſto filios adoptaret ſibi. Vt natura gignuntur filii ſine conſideratione conditionis ipſorum, ita voluntate ſuos ab æterno adoptavit Deus. 3. Quod

Quod ſapientiæ & gratiæ Dei magis convenit, id potius a Deo factum, & à nobis credendum eſt, quam quod minus. Magis autem ſapientiæ & gratiæ illius convenit, ut filios ſine ulla contemplatione qualitatis ipſorum adoptaverit ſibi, quam ut ex contemplationis hypotheſi: alioqui natura Deo perfectius ageret, in qua parentes ſine contemplatione iſta procreant liberos. Illud ergo & Deo convenientius, & magis a nobis capiendum fide. Exemplum (ſi placet) Angelorum aſſumemus ad rei confirmationem. Quicunque filii ſunt Dei, electione ſunt filii: Angeli ſunt Filii Dei, Iob, 1. & 2. & 37. ergo electione ſunt, ut affirmat Paulus. 1. Tim. 5. electos vocans. Sunt autem electi citra contemplationem peccati ipſorum; ut qui non peccaverint, ſed permanſerint in ſua origine. Eſt igitur dilectio Dei cum electione citra rationem conſiderationemque peccati; quod negare videris aſſertione tua. Fortaſſe dixeris, id de homine tantum à te dici. Ego vero reſpondebo, dilectionem & electionem de utroque dici, Angelo & homine, idque ratione communi; cum Deus imaginem ſuam in utroque collocaverit: cuius fit electio. Certiſſimus autem locus ille eſt ex Topic. 2. Si id, quod duobus inter ſe collatis pari ratione ineſſe videtur, uni non ineſt, nec alteri inerit: Electioni Angelorum non ineſt conditionis ipſorum, aut operum ulla contemplatio: igitur nec hominum electioni ineſt. Quod ſi diverſa eſt aliquo modo Angelorum hominumque conditio, non eo ſequitur diverſam rationem illorum electionis eſſe: præſertim cum eius rei una ſit ratio cuius reſpectu eliguntur. Hæc enim eſt imago Dei, quam ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ conſervatam inſtauratamve, ad ſe evocavit, & ſibi adjunxit Deus, immutabiliter in Chriſto ſubſtituram τὰ πάντα ἀνακεφαλαιώσαντι, & quam in communi loco naturæ ſuæ collocaverat, unde propria voluntate defecerunt damnandi judicio eius. Exemplum præterea nullum adferri poteſt: quia cætera omnia creata diſparis rationis ſunt. Carent enim Dei imagine, qua electionis objectum propriè determinatum eſt. Exemplo igitur Angelorum, non alio ullo natura electionis divinæ ex hominibus factæ declarari poteſt. Sic autem ſe habuit Dei electio, non ut Angelos peccatores à non peccatoribus, qua peccatores, primum ſecreverit; ſed ut eos non peccaturos, qua electos ante & prædeſtinatos εἰς υἱοθεσίαν, ab aliis qui ſua voluntate fuerant peccaturi, ſola voluntate ſua & gratia diſtingueret. Quid ergo facit, ut de hominibus aliam rationem divinæ electionis excogitari putemus oportere?

Exempli deinque Angelorum.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſionis ad propoſitionem* 10.

NAturalia ego apello, quæ ad ſubſtantiam ipſam & exiſtentiam hominis pertinent, ſine quibus homo nequit eſſe homo; qualia ſunt anima & corpus & totum ex iis compoſitum cum omnibus naturalibus proprietatibus, affectionibus, paſſionibus, &c. Supernaturalia appello, quæcunque Deus homini ſuper illa naturalia addidit, quæ quidem ad perfectionem hominis faciunt, verum non qua animalis ſed

Quænam naturalia, & quænam ſupernaturalia ab Arminio vocentur.

qua ſpiritualis, non ad naturale ſed ad ſupernaturale bonum acquirendum. *Pura naturalia* dico hoc loco quæ ſupernaturale nihil adjunctum habent. Senſus ergo meorum verborum eſt, quod homo non eſt in puris naturalibus abſque ſupernaturalibus conditus. Neque hic magnopere contendo an illa ſupernaturalia habeat ex ipſo creationis actu, an ex ſuperinfuſionis actu alio, ſed hoc tanquam meæ cauſæ nec noxium nec utile in medio relinquo. Verum omnino ſtatuo & affirmo, Deum decreviſſe hominem condere talem natura, qualem creavit; ſed cui ſupernaturalia nonnulla adderet; utpote quem non id tantum eſſe voluit quod erat natura, ſed quem ulterius in feliciorem ſtatum, ſui nempe participationem, promovere voluit, ad quam niſi ſupernaturalibus donis ornatus pervenire non potuit. Quod autem nego *hominem conditum in puris naturalibus & propterea cum ſupernaturalibus conditum dico*, eo non volui ſignificare, actum quo ſupernaturalia illa ſunt communicata eſſe creationem (nam propoſitione 26. mea illam gratiam ſuperinfuſam appellavi) ſed Deum ab actu communicandi ſuum bonum cum iſta parte primæ materiæ vel nihili, unde hominem creavit, noluiſſe deſiſtere, idque ex decreto æterno ſuo, donec etiam ſupernaturalia illi contuliſſet. Quare & obſervandum mihi putavi loquendi modum Scripturæ uſitatum, quæ dicit, *hominem conditum ad imaginem Dei & ſimilitudinem*, quæ imago & ſimilitudo Dei etiam ſupernaturalia dona in ſe complectitur. Quod ſi verum eſt, ut ego contendo, tum homo conditus eſt cum ſupernaturalibus. Eſt enim conditus ad imaginem Dei, quod verbum condendi indiſtinctè toti imagini tribuitur, abſque diſcretione eius quod in imagine eſt naturale homini, & quod ſupernaturale. Lubet huc adſcribere Hieronymi Zanchii verba, qui libro primo de hominis creatione cap. 1. ita loquitur de hoc eodem negotio. *Mihi placet ſententia eorum qui cum ſpiraculo vitæ aiunt etiam inſpiratum fuiſſe à Deo, & transfuſum quidquid habuit Adamus cœleſtis lucis, ſapientiæ, rectitudinis, & aliorum cœleſtium donorum: quibus Deum referebat, tanquam vera eius imago. Fuit enim talis creatus, ut Scriptura docet, dicens, factum eum eſſe ad imaginem Dei: & Salomo Eccleſ. 7. Deus fecit hominem rectum. Non fuit autem talis cum ſolum corpus fuit formatum, Ergo cum indita anima factus eſt in animam viventem, id eſt, homo vivens, tunc fuit factus rectus, juſtus, &c. eoque ſimul cum anima, radij quoque divinæ ſapientiæ, juſtitiæ, bonitatis fuerunt infuſi.* Huc uſque Zanchius; qui apertè determinat, quod ego in utramque partem indeciſum reliqui: idque duplici de cauſa; ſciebam enim id inter doctos diſputari, & videbam cauſæ meæ nihil inde accedere vel decedere. Illa vero ſupernaturalia, quæ illi conceſſa ſunt, ad poſteros tranſmittenda accepit, ex eodem inſtituto, ex quo ſupernaturalia accepit, *gratia* ſanè, non ut illa vox quoque denotat principium naturalium, nam ex *gratia* latè ſumta etiam naturam accepimus, utpote indebitam: ſed ut *contra naturam* diſtinguitur, & ut eſt principium ſupernaturalium. Quare id concedere poſſum, Deum hominem in natura contemplatum, cui faceret gratiam, naturalem hominem cui conferret ſupernaturalia: ſed

Item quæ ſint pura naturalia.

ſed contemplatum decreto adminiſtratorio creationis, non decreto prædeſtinationis, de quo nobis agitur; cui faceret gratiam ſufficientem ad ſupernaturalem felicitatem, non efficacem, de qua nobis quæſtio: cui conferret ſupernaturalia in poſteros citra exceptionem ex inſtituto gratiæ ſub conditione transferenda, non quæ prædeſtinatorum eſſent propria, & certo infallibiliterque illis conferenda, de quibus nobis eſt controverſia. Quapropter hæc meæ ſententiæ non adverſantur; committitur enim in illis fallacia Elenchi. Hoc autem velim tuam Reverentiam ſemper recordari, me de gratia prædeſtinationis decreto præparata, & non alio, perpetuo ſermonem facere. Probavi autem hominem non eſſe in puris naturalibus conditum; eo ſenſu, quo jam dictum eſt, ſine ſupernaturalibus, ſive illa actu creationis ſive ſuperinfuſionis habere dicatur: & probavi hoc argumento ab imagine & ſimilitudine Dei, ducto, ad quam homo eſt conditus. Quod meum argumentum validum eſt, ſive imago Dei ſignificet tantum ſupernaturalia dona homini à Deo collata, ut Catecheſis noſtra & confeſſio, & nonnulli Theologorum noſtrorum de imagine Dei loquuntur; ſive naturam ipſam cum ſupernaturalibus, quæ mea eſt ſententia: ſecundú quam id quod dixi, imaginem Dei in homine non eſſe naturam ſed ſupernaturalem gratiam, intelligi volo, id eſt, non eſſe ſolam naturam abſque ſupernaturalibus, quod ſufficit meo argumento. De naturalibus enim non eſt quæſtio: & propterea ſive illa ſint imaginis, ut ego puto, ſive non, ad rem quæſtionis non facit: modo ſupernaturalia imaginis Dei, ad quam homo eſt conditus, definitione compræhendantur, obtinui quod volo. Ita quoque verba mea ſequentia accipi velim, nempe, imaginem non habere tantum reſpectum ad naturalem ſed etiam ad ſupernaturalem felicitatem, quod ſi verum eſt, ut ipſe fateri videris, effeci quod contendo. Ego vero *imaginem Dei* ad quam homo eſt factus, accuratè definire non volui, quia hoc opus non erat propoſito meo: ſufficiebat monſtraſſe quod etiam illa *agnitio juſtitia* & *ſanctimonia* ad imaginem Dei pertinebant. ſive in iis imago tota, ſive pars conſiſteret. Nam ad propoſitum meum utrumque æqualiter facit, qui probare inſtitui hominem non *ſine ſupernaturalibus* eſſe creatum, & propterea decreto prædeſtinationis conſiderari non potuiſſe, ut in *puris naturalibus* ſine ſupernaturalibus creatum.

Cæterum antequam ad iſtius meæ argumentationis defenſionem venio, de tribus mihi, circa quæ bonæ tuæ reſponſionis pars occupatur, paulo latius dicendum eſt. Primò, quæ naturalia quæ ſupernaturalia appellem, paulo latius quam ante feci, explicabo. Secundò, de imagine Dei dicam, & quænam ſive naturalia ſive ſupernaturalia illa in ſe & ſui Definitione complectatur. Tertio, Qua Dei actione tum hæc tum illa habeat homo. *Salvationi prima ratio- n s tria præmittuntur ab Arm me.*

De primò. *Naturalia* appello illa, quæ ad naturam hominis, ſine qua homo eſſe nequit homo, pertinent, quæque ex principiis naturæ fluunt, & ad felicitatem naturalem, tanquam finem & terminum ſuum, natura ſua comparata ſunt; qualia ſunt corpus, anima, utriuſque compoſitio, *1 Quæ naturalia, & quæ ſupernaturalia appelles.*

 & com-

& compoſitum ex utroque, eorumque naturales proprietates, affectiones, functiones, paſſiones: ſub quibus etiam morales comprehendo, quæ aliquando contra naturales diſtinguuntur. *Supernaturalia* appello, quæ pars hominis non ſunt, neque ex naturæ principiis fluunt, ſed ad naturæ illius augmentum & perfectionem naturalibus ſuperadduntur, comparata ad felicitatem ſupernaturalem, & Dei creatoris ſupernaturalem participationem, in qua illa felicitas conſiſtit. Inter hæc huiuſmodi eſt affectio: quod naturalia capacia ſunt ſupernaturalium ex diſpoſitione Dei, ſupernaturalia ad naturam augendam, ornandam perficiendam, adeoque ſupra ipſam evehendam viciſſim ordinata. Quare abſque homonymia ſub naturalium nomine complexus ſum, tum corpoream tum ſpiritalem naturam & ex utraque conſtantem. Semel monendum eſt: Vocum homonymias tum notandas & explicandas eſſe in diſputatione, quum uno ſenſu ſumtæ ad rem faciunt, altero minimè; quum ſecundum unum ſenſum vera eſt oratio, ſecundum alium falſa: At quando vera eſt oratio & ad rem pertinens quocunque modo ſumatur, tum explicatione homonymias non eſt opus. Ita hic vides: ego per naturalia intelligo, & quæ inferiori naturæ id eſt corpori, & quæ ſuperiori naturæ id eſt animæ competunt, & quomodocunque ſumas, argumentatio mea æque firma eſt & valida. Videbimus poſtmodum exempla explicatæ homonymias æque in-neceſſariæ.

Quibus in rebus conſiſtat. Ad ſecundum de imagine Dei in homine duo mihi conſideranda ſunt, tum quibus in rebus illa conſiſtat, tum quæ illarum naturales ſint & quæ ſupernaturales dicendæ. *Imago Dei in homine, item quæ illarum naturales ſint, & quæ ſupernaturales.* Primò, dico imaginem Dei in homine complecti omnia illa quæ aliquid divinæ naturæ in homine repræſentant, quæ partim homini ſunt eſſentialia partim accidentalia, in Deo autem omnia eſſentialia: quorum tamen omnium imagines Deus homini noluit eſſe eſſentiales, quem ea conditione creare voluit, ut non eſſet tantum quod erat, ſed ut fieri poſſet quod non erat, & deficere ab eo quod erat. Eſſentialia voco animam inque ea intellectum, & voluntatem voluntatiſque libertatem, & reliquas affectiones, actiones, paſſioneſque quæ ex iis neceſſariò fluunt. Accidentaria appello tum morales virtutes, tum agnitionem Dei, iuſtitiam & ſanctimoniam veritatis, & ſi quæ aliæ ſunt proprietatum Dei, in iſto momento naturæ ipſius conſiderandarum, in homine expreſſæ imaginis, quarum Petrus, nomine *divinæ naturæ* comprehenſarum, fideles dicit eſſe *participes.* Secundò, Hæc omnia ego non puto nomine naturalium venire poſſe, ſed cognitionem illam, iuſtitiam & ſanctimoniam veritatis ſupernaturalia eſſe puto, & iſto nomine appellanda. Qua in re an te aſſentientē habeam, dubito. Dicis enim illa eſſe naturalia uno loco huius tuæ reſponſionis, & argumenta adfers probandæ iſti ſententiæ, & alio loco eiuſdem reſponſionis fateris Adamum dona ſupernaturalia habuiſſe, licet non ex actu creationis: per quæ ſupernaturalia neſcio quænam intelligere queas preter iſta ab Apoſtolo Coloſ. 3. & Epheſ. 4. commemorata. Videris tamen ea quæ ſupernaturalia agnoſcis,

agnoſcis, explicare nomine imaginis reflexivæ. Verum ſive ego tuam ſententiam rectè percipiam, ſive non, dicam quæ ad meam ſtabiliendam facere puto, & ad tuam, ut à me eſt intellecta, infirmandam. Probo itaque illa eſſe ſupernaturalia. Primo, ex Coloſſ. 3. & Epheſ. 4. Quęcunque ex regeneratione per ſpiritum Chriſti habemus, ſunt ſupernaturalia: at agnitionem Dei, juſtitiam & ſanctimoniam veritatis ex regeneratione per ſpiritum Chriſti habemus: ergò ſunt ſupernaturalia. Si quis dicat, nos illa non in ſolidum habere ex regeneratione, ſed tantum eorundem corruptorum renovationem, id quo pacto probetur non video. Phraſes enim Apoſtolicæ ſecus docent. Nam qui *induere* debet *novum hominem*, ille non eſt veſtitus novo homine aut ulla eius parte. Ad *novum* autem *hominem* pertinent *juſtitia & ſanctimonia veritatis*. Deinde qui *renovari* debet ad *agnitionem*, illius non agnitio renovatur, quæ corrupta eſt, ſed intelligentia illuſtratur agnitione nova, quæ per tenebras veteris hominis fuit expulſa. Et hæc ego tantum volui in mea demonſtratione, non definire imaginem Dei in homine. Quod vero in iſta mea explicatione à mente Apoſtoli aberrem, videre nondum poſſum. *Agnitio* enim Dei iſto loco à me citato dicitur *imago Dei ipſa, & ſecundum imaginem Dei*. Neque hæc inter ſe pugnant, aut abſurda æquè ſunt atque tu illa vis videri. *Imago*, inquis, *Dei eſt agnitio congruens imagini Dei, ergo imago Dei negatur eſſe alterutrum, ſive agnitio ſive imago*. Nego ſequi, ſi recte illa definitio ſumatur, nempe hoc pacto:

Probat Arminius agnitionem Dei, iuſtitiam & ſanctimoniam veritatis in homine ſupernaturalia eſſe, quatuor rationibus. Prima.

Imago Dei in nobis per Spiritum regenerantem recreata, eſt agnitio Dei congruens imagini Dei, in qua initio ſumus creati. Duplex enim hic imaginis reſpectus, qua recreatur in nobis per Spiritum Chriſti, & qua olim increata eſt per Spiritum Dei. Eaque cognitio non tantum modo ſed toto genere differt à cognitione veteris hominis: neque ipſa renovari dicitur, ſed *homo renovari* dicitur in illam. Fateor autem me non capere, quomodo agnitio ſit actus imaginis Dei, & imago ipſa fons & principium illius actus, id eſt, cognitionis. Putavi enim huc uſque hominem ad imaginem Dei creatum dici, ſive in imagine, hoc eſt imaginem Dei factum, propterea quod mente, voluntate, agnitione Dei, juſtitia, ſanctimonia denique ipſum Deum archetypon referat. In altero dicto ex Epheſ. 4. non pono tria, *veritatem*, *juſtitiam*, & *ſanctimoniam*, ſed duo tantum, *juſtitiam* & *ſanctimoniam*, quibus attribuitur *veritas*, hoc eſt, ſynceritas, puritas, ſimplicitas. Et agnitio membrum illius veritatis non eſt, ſed donum in intellectu ſeu mente hominis increatum quemadmodum juſtitia & ſanctimonia voluntati ſeu potius affectui hominis ſunt ingeneratæ.

Secundo, Probo eadem eſſe ſupernaturalia, hoc pacto. Illa ſecundum quæ ſumus & dicimur *participes divinæ naturæ* & *Filii Dei*, ſunt *ſupernaturalia*: at ſecundum *agnitionem*, *juſtitiam & ſanctimoniam* ſumus & dicimur *participes naturæ divinæ* & *Filii Dei*: Ergo ſunt ſupernaturalia. Maior probationis non eſt indiga. Minor patet ex 2. Pet. 1. verſ. 1. 2. 3. 4. inter ſe collatis. Tertio, Media illa quæ commenſurationem habent ad *ſupernaturalem felicitatem*, ſunt ſuper- *Secunda.* *Tertia.*

per-

pernaturalia. At talia ſunt *agnitio Dei, iuſtitia & ſanctimonia.* Ergo ſupernaturales.

Quarta.

Quarto, Cauſæ immediatæ actuum *ſupernaturalium* ſunt ſupernaturales. At *agnitio Dei iuſtitia & ſanctimonia* ſunt cauſæ immediatæ actuum ſupernaturalium. Ergo *ſupernaturales.*

Ad rationes Iunii quibus conatur probare imaginem Dei in homine eſſe naturalem.

Venio nunc ad probationes tuas, quibus probare contendis *imaginem Dei eſſe naturalem in homine,* & qualitates illas *agnitionem iuſtitiam & ſanctimoniam naturales non ſupernaturales eſſe.*

Ad primam inde ductam quod non ſit ablata, ſed corrupta.

Primum argumentum tuum eſt. Supernaturalia ſunt ablata, naturalia corrupta: At veritas, juſtitia, ſanctimonia ſunt corruptæ, non ſublatæ: non igitur ſupernaturales, ſed naturales. Probatur *aſſumtio.* Nam principia earum ſunt in nobis à natura: non eſſent ſi ſublatæ eſſent. Reſpondeo; ut *maiorem* concedam: *minor* mihi nullo modo eſt veriſimilis, ne per additam quidem illam rationem. Dico enim agnitionem illam quæ eſt ſecundum pietatem, juſtitiam illam, & ſanctimoniam, de qua Apoſtolus, non corruptas, ſed ſublatas eſſe; nullaque earundem in nobis poſt lapſum manere principia. Fateor principia & ſemina virtutum moralium, quę analogiam quandam & ſimilitudinem habent ad iſtas ſpirituales virtutes, in nobis manere poſt lapſum, quin & ipſas virtutes morales, licet, per peccatum corruptas. Hæc ſimilitudo fallere poteſt non accurate inter haſce & illas ſpirituales virtutes diſcriminantem. In hac ſententia mea, qua ſtatuo illa dona eſſe ablata, habeo præeuntem Catechiſmum noſtrum quæſtione 9. his verbis: *Homo ſe & omnem poſteritatem divinis illis donis orbavit.* Quæ autem ſint illa divina dona, explicatum eſt quæſtione ſexta præcedente, nempe, *iuſtitia* & *ſanctitas.* Neſcio an etiam tuam Reverentiam hic mihi habeam aſſentientem. Sic enim in theſibus de originis peccato abs te anno 94. diſputatis, theſ. 18. *Nam ut in Adamo integritatis humanæ forma fuit iuſtitia originalis, in qua eſt à Deo conditus, ſic corruptionis forma ac potius deformitas fuit iuſtitiæ illius vacuitas.* theſ. 19. *ac illam quidem formam ſcriptura imaginem & ſimilitudinem Dei nominat, &c.* theſ. 20 *Hanc vero formam ſcriptura imaginem & ſimilitudinem Adami nominat.* Si ego iſta recte intelligo, puto ex illis planè ſequi, juſtitiam originalem fuiſſe ſublatam, & propterea ſupernaturalem eſſe juxta regulam: *ſupernaturalia ablata; naturalia corrupta.* Habeo etiam mihi adſtipulantes pleroſque Patres, fors omnes. *Ambroſius* de Helia & jejunio cap. 4. *opertus erat Adam virtutum velamine priuſquam prævaricaretur, ſed tanquam exutus prævaricatione vidit ſe nudum; quia indumentum quod habebat amiſerat:* & planius diſtinguens inter ablationem ſupernaturalium & naturalium corruptionem, ſic inquit in Lucam lib. 7 in cap. 10. Lucæ. *Qui ſunt iſti latrones, niſi Angeli noctis & tenebrarum,* &c. *Hi ante diſpoliant, quæ accepimus indumenta gratiæ ſpiritalis, & ſic vulnera inferre conſueverunt. Auguſtinus* de Trinitate lib. 14. cap. 16. *Homo peccando juſtitiam & ſanctitatem veritatis amiſit propter quod hæc imago,* deformis & *decolor facta eſt; hanc recipit cum reformatur & renovatur.* Item cap. 11. lib. 14. de Civitate Dei. *liberum arbitrium amiſſum* dicitur. Ut hoc concludam, velim intelligere quæ ſint illa ſpiritualia quæ ablata

ſunt

ſunt ſeu amiſſa, ſi non ſint *agnitio Dei, juſtitia, ſanctimonia.*

Ad ſecundum inde ductum, quod conveniat toti ſpeciei.

Alterum argumentum eſt, quidquid convenit ſpeciei, id eſt naturale. At imago Dei convenit ſpeciei. Ergo eſt naturalis. Reſp. *Maior* non eſt universè vera. Convenit enim aliquid ſpeciei vel communicatione per naturam & naturalia principia, vel ex inſtituto gratiæ. Quod illo modo convenit eſt naturale, non quod iſto. Ad *minorem* quod attinet, dico Imaginem convenire ſpeciei partim per naturam, partim ex inſtituto gratiæ, ergo imago Dei eſt partim naturalis partim ſupernaturalis in homine, ſecus ſi concluſeris ex particulari univerſale intuleris, quod fieri nequit. Si maiori propoſitiôni addatur quid unde ita expleatur: Quidquid eſt ſpeciei, & individuis per naturam ingeneratur id eſt naturale: Iam illam concedo totam. At aſſumptio tum tota vera non erit. Imago enim Dei tota per naturam non ingeneratur; nam illa eius pars quæ eſt *in veritate & juſtitia & ſanctimonia* non ingeneratur per naturam; ſed communicatur per actum gratiæ ex inſtituto gratiæ.

Inſtantia.

At communis eſſe imago non poteſt, ſi non ſit naturalis. Nam naturalia eo quod communia ſunt, differunt à perſonalibus; (à ſupernaturalibus dicendum fuit, de iis enim quæſtio.)

Reſponſio.

Reſpondeo, aliquid eſſe commune dupliciter; vel ſecundum naturam ſimpliciter, vel ex inſtituto gratiæ ſub conditione. Imago Dei communis eſt partim ſecundum naturam & ſimpliciter, in iis quæ hominis ſunt ſecundum eſſentiam ipſius, & quæ à natura illius ſeparari non poſſunt; partim ex inſtituto gratiæ ſub conditione, in iis, quæ non ad eſſentiam ſed ad perfectionem ſupernaturalem hominis faciunt. Illa omnibus hominibus ſimpliciter ingenerantur; hæc poſteriora ſub conditione, ſi nempe principium ſpeciei univerſale & individuum principiale integra illa ſibi ſervaverit. Imagò ergò tota communis, ſed partim per naturam, partim ex inſtituto gratiæ: per naturam illa pars quæ naturalis dicitur: ex inſtituto gratiæ illa pars quam ego ſupernaturalem appello. Et hoc eſt illud, quod dicit Scriptura: *Sethum ad imaginem & ſimilitudinem Adami genitum*, non ſimilitudinem Dei. Genitus enim eſt ad imaginem Dei, non qua illam integram cum Adamo communicavit Deus, ſed qua illam Adamus ſibi ſervavit: Servavit autem ſibi non integram: ergo non integram communicavit. Non integra autem & integra non modo tantum & gradu differt, ſed & eſſentialibus nonnullis illius imaginis partibus, quas habet integra, & quibus caret non integra imago: quas habuit Adamus ex integra communicatione Dei, quibus caruit Sethus ex defectiva communicatione Adami.

Ad tertium inde ductum, quod non dicatur in nobis ingenerari, aut creari, ſed renovari.

Tertium, tuum argumentum eſt. Imago Dei non dicitur in nobis ingenerari aut creari, ſed inſtaurari & renovari; ergo non eſt amiſſa ſeu ablata, ſed corrupta. Reſp. Antecedentis rigidè ſumpti neutra pars vera eſt; ſed commodè explicati utraque pars vera eſt, ſed neutra meæ cauſæ noxia. Doceo quod ad illud, nempe neutram partem veram eſſe. Nos enim dicimur *in Chriſto nova creatura*; dicimur *creati ad bona opera*. Petit David ut *animum mundum creet in ſe Deus*. Nullibi dicitur imago Dei in nobis inſtaurari & reno-

renovari; ſed nos *renovari in agnitionem convenientem imagini Dei: renovari ſpiritu mentis noſtræ:* dicimur & *transformari per renovationem mentis noſtræ.* Si tamen quis commodè explicet, utrumque verum eſt, ſed apprimè conveniens ſententiæ meæ, quod ita doceo. Imaginis Dei in nobis partes ſunt duæ reſpectu noſtri. Una nobis eſſentialis, altera accidentaria. *Eſſentialis* eſt anima mente, affectu & voluntate prædita. *Accidentaria* eſt agnitio Dei, juſtitia, ſanctitas veritatis, & ſimilia dona gratiæ ſpiritalis. Illa non dicitur ingenerari aut creari in nobis, non enim amiſimus illam, ſed inſtaurari, & renovari in nobis quia reformata & corrupta eſt. Hæc non dicitur reſtaurari aut renovari in nobis, tum quia ſubjecti defectu locum non habet in nobis, tum quia corrupta & deformata non eſt; ſed dicitur ingenerari & increari (nam nos novæ creaturæ acceſſu eius dicimur) quia formæ inſtar eſt, cuius introductione eſſentialis illa inſtauratur & renovatur. Hunc ſenſum Apoſtoli verba planè deſignant, quibus non ipſa agnitio renovari dicitur, ſed nos qua imaginis Dei, quæ nobis eſſentialis eſt, participes *renovari* dicimur *in agnitionem*, tanquam in novam formam, *ſecundam imaginem Dei* quæ nobis accidentaria eſt. Utrumque ergo verum. Imago enim Dei in nobis reſtauratur & renovatur, nempe mens & voluntas noſtra, affectuſque animæ noſtræ: & imago Dei in nobis ingeneratur & increatur nempe agnitio Dei, juſtitia & ſanctitas veritatis. Illa huius ſubjectum eſt, hæc forma illi divinitus ingenerata. Et propterea firma manet argumentatio Moſis homicidam occidi jubentis: In homine enim etiam poſt peccatum manet imago Dei, quæ illi eſt eſſentialis, ſeu pars illa quæ ad eſſentiam hominis pertinet: licet pars illa quæ accidentaria eſt per peccatum ſit ablata.

Imaginem Dei in homine partes duæ, una eſſentialis, altera accidentaria.

Illa in nobis poſt peccatum renovatur, hæc ingeneratur ſive creatur.

Sequitur nunc de actu Dei, quo imaginis & hanc & illam partem habemus. Illum actum ego non diſtinxi, tum quia phraſin ſcripturæ uſurpare volui; quæ *creationis* voce utitur ad ſignificandum actum quo imaginem & ſimilitudinem Dei in ſe habet homo: ſic enim dicit: *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, &c: *creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*: tum quia utrumque æqualiter meo propoſito ſerviebat. Verum ſi res accuratè penſitetur, diſtinguendos illos actus puto, alterumque *creationis* voce, qua *naturalia* habet, alterum *ſuperinfuſionis*, qua *ſupernaturalia*, rectè appellari. Eſt enim duplex in homine vita, animalis & ſpiritalis. animalis qua ſecundum hominem, & ſpiritualis qua ſecundum Deum vivit. illius principium eſt anima in homine intellectu & voluntate prædita; huius Spiritus Dei eximias illas agnitionis juſtitiæ, ſanctitatis dotes animæ communicans. Veriſimile eſt non eodem actu utriuſque vitæ tam diverſæ principia homini indita eſſe, ſed diverſo. Cæterum quocumque modo, ſive duplici actu ſive unico actu iſta habeat homo, meæ ſententiæ non intereſt, modo conſtet, tum hæc, tum illa habere hominem, antequam actu prædeſtinationis circa illum verſetur Deus: habere inquam reſpectu conſiderationis divinæ. Quod ego omninò ſtatuo, quia illa tum naturalia tum ſupernaturalia toti ſpeciei ſunt collata: illa ſimpli-

III. Quo actu Dei & illam & hanc imaginis divinæ partem habemus.

ſimpliciter, hæc ſub conditione, ſi principium ſpeciei iſta ſibi ſervaret. Hinc concludo: Si collata ſpeciei, ergo collata decreto providentiæ, ut hæc contra illam diſtinguitur: ſi collata ſub conditione, jam non collata decreto prædeſtinationis, quod ſub conditione nullum donum confert.

Sequitur meæ primæ rationis, ſive argumentationis ſalvatio.

Hinc jam conſtat meam argumentationem firmam eſſe. Si enim homo ea conditione à Deo eſt creatus, ut naturalia non ſola, ſed etiam ſupernaturalia haberet, ſive eodem actu creationis, ſive alio ſuperinfuſionis, (de quo ego nunquam contendi) hinc conſequitur, Deum prædeſtinationis & reprobationis actibus, qui homines diſcriminant, non potuiſſe circa homines ut *in puris naturalibus* conſideratos verſari. Verum & hoc poſtea fateri videris, quod homo etiam ſupernaturalia habuerit in primævo ſtatu, ſed ex augmento ſupra naturam, non ex actu creationis quæ principium eſt naturæ. Hoc accipio, & inde concludo: Quia illa, quæ primus homo habuit, omnes eius poſteri in eo habuerunt, (totum enim quod ille erat, & nos eramus in illo, ut eſt theſi 40. diſputationis de peccato originis antea citatæ) illa ex natura, hæc ex inſtituto gratiæ, hinc ſequitur Deum non potuiſſe verſari decreto de quo agimus, circa hominem *in puris naturalibus conſideratum*. Imo nec circa hominem ut cum ſupernaturalibus conſideratum. talis enim præteriri non potuit, vel ſaltem præteritus non eſt, niſi prævifo quod ſupernaturalia illa ſua prævaricatione & peccato eſſet amiſſurus.

Quod dicis iſta, ut ut vera ſint, non adverſari tamen illi ſententiæ quæ hominem conſiderat communiter, illud momentum haberet, ſi probatum eſſet hominem communiter conſiderari poſſe decernenti Deo, aut conſideratum eſſe. Sed hæc mea argumenta etiam adverſus illam ſententiam valere exiſtimo. Si enim Deus non potuit hominem conſiderare *in puris naturalibus*, ſi non *in ſupernaturalibus*, ſi non *extra peccatum*, habens illum pro objecto actus prædeſtinandi & reprobandi: Iam quoque eundem *communiter* conſiderare non potuit. Communis enim conſideratio excluſa eſt per neceſſariam alicuius circumſtantiæ particularis, quæ ſit ratio formalis objecti, conſiderationem: extra quam rationem formalem hominem conſiderare non potuit Deus iſto decreto circa hominem verſatus. Deinde, quum excludatur circumſtantia quam communis conſideratio ſub ſe comprehendit, quomodo poteſt communis conſideratio nihilominus locum habere?

Ad diſtinctionem eſſentialis & reſpectivæ imaginis.

Quæ de *eſſentiali* & *reſpectiva* imagine dicis, ſi hunc ſenſum habeant; quod eſſentialis imago veritatem & juſtitiam & ſanctimoniam comprehendat, & tamen tota ſit naturalis homini, quemadmodum ex nonnullis abs te allatis colligi poſſe videtur; tum aperte dico me illa probare non poſſe, quin contrarium me probaſſe exiſtimo. Si vero eſſentialem imaginem appellas, omne id quod homo ſecundum imaginem Dei habet ſibi eſſentiale: concedo. Sic *reſpectiva* complectetur, quæ ego *ſupernaturalia* appello & *accidentaria*. At quia hæc, præmiſſis iis quæ poſui, ad ſententiæ meæ deſtructionem non faciunt, pergo ad alteram argumentationem meam.

Solutio ſecundæ argumentationis.

Illa ita habet. Quia nulla invenitur Dei dilectio cum electione, ſeu voluntas Dei erga homines diverſimodè ſe habens, aut diverſimodè ſe habens Dei actus, niſi poſt ingreſſum peccatum in mundum, aut à Deo ut ingreſſum conſideratum. Hæc ratio ſi vera eſt, evertit etiam ſententiam, quæ dicit hominem *communiter* conſideratum. Si enim nulla eſt Dei electio & reprobatio de hominibus niſi poſt ingreſſum peccatum, jam homo non communiter, ſed cum circumſtantia peccati præciſè eſt conſideratus. Sed *autoritate, ratione, exemplo* oppugnatur.

Ad tria illa quæ in contrarium allegata ſunt à Iunio, & primò quidem ad auctoritatem.

Auctoritas ex tribus locis Scripturæ eſt deſumta Rom. 9. Epheſ. 1. Matth. 25. Nullus mihi adverſatur: qui non nego ab æterno factam electionem & reprobationem, non dico peccatum cauſam eſſe decreti, ſed conditionem tantum in objecto requiſitam. Locus ad Romanos 9. mihi non adverſatur. Primo, quia *Iacob* & *Eſau* jam tum erant concepti in peccato quum illa verba *Rebeccæ* dicerentur ut ex textu apertè liquet. Quod autem *nec bonum nec malum feciſſe* dicuntur, id intelligendum de eo quod ipſos diſcriminaret, quemadmodum multis locis ab Auguſtino explicatur. Secernit ergo Apoſtolus omnem rationem peccati, ſcilicet, qua eſſent diſcreti, non illius cuius æqualiter ambo rei erant. Secundo. Quia *vocationi Dei vocantis*, omnia tribuit, quæ ex *miſericordia* eſt, & erga ſolos peccatores adminiſtratur. Tertio, Quia *propoſitum Dei quod ex vocante firmum eſt, non ex operibus*, eſt propoſitum gratioſum in Chriſto, de cuius promiſſione dicitur Rom. 4. v. 16. *quod firma ſit toti ſemini ex fide & per gratiam*: fide nimirum Chriſti ſeu in Chriſtum, quæ ſolis peccatoribus convenit: qui enim non peccavit, non indiget fide in Chriſtum, cum per legem contingere poſſit juſtitiam & inde vitam. Hæc ita ad locum illum reſponſa ſunto, ac ſi de propriis Eſaui & Iacobi perſonis extra typum intelligendus eſſet. Verum longe alius illius loci eſt ſenſus, quemadmodum comprobari poſſet ſi neceſſitas id poſtularet. Venio ad locum ex 1. capite ad Epheſios citato: ille tantum ab eſt ut meæ ſententiæ ſit contrarius, ut poſtea ex eodem loco firmiter meam ſententiam ſim comprobaturus. Dicitur enim *electio facta ab æterno*: ego idem fateor. Dicitur *facta in Chriſto*: ego adſtipulor. Dicitur facta *ad adoptionem filiorum per Chriſtum*: ego conſentio. ſed nihil video obſtare hæc, quominus & hoc verum ſit, quod peccatum ſit conditio in objecto electionis & reprobationis requiſita. Tollitur noſtri ratio qua cauſæ electionis noſtræ. Præcedit prædeſtinatio perſonas reſpectu actualis exiſtentiæ ipſarum, non qua à Deo cõſiderantur. Prædicit cauſas ab ipſis reipſa exiſtentes, ſed non ut ab æterno à Deo prævisas: quanquam in præviſione Dei non ſunt ut cauſæ prædeſtinationis, ſed ut conditio in objecto requiſita. Matth. 25. dicuntur *benedicti Patris poſſeſſuri regnum ipſis* ex mera Dei benedictione *præparatum*: ſed *benedictione in Chriſto*, qua tollitur *maledictio* quam illi ipſi benedicti erant commeriti jam tum in præſcientia Dei, antequam in Chriſto benedicerentur: ſed *regnum*, quod illis *præparatum* eſt *ſanguine Chriſti, regnum* ad quod evehuntur ex ignominiâ & ſervitute peccati. Si conſideraſſet tua dignitas quid illud ſit quod in con-

in controverſia eſt, nunquam putaſſet ſibi iſtos locos, puto, adverſus me uſurpandos.

Secundo, ad rationes. Rationes illæ non magis ſententiæ meæ nocent pugnant enim contra ſententiam quæ peccatum decreti cauſam facit, non contra eam quæ vult peccatum eſſe conditionem in objecto requiſitam. Venio ad ſingulas. Ad *primam* dico, quod ſententia mea nullius abſurdi eſt præcedanea aut conſectaria, donec commonſtretur. *Secunda* & *tertia* ratio immutant ſtatum quæſtionis. Excludunt enim peccatum ab iſto decreto ut cauſam ob quam Deus adoptaverit ſibi filios, ſeu ex qua id decretum fecerit; de quo non eſt quæſtio. Dico igitur ad *ſecundam*; quod hic agatur de adoptione in Chriſto facta, quæ nemini contingit niſi per fidem in Chriſtum, ad quam non gignimur ſed regignimur à Deo. Vnde probatur quod ſit peccatorum, & ex peccatoribus æqualibus in peccato, non ex hominibus æqualibus in natura. Ad *tertiam* reſpondeo. Primo, Ex verbo Dei judicandum quid ſapientiæ & gratiæ Dei magis minuſve conveniat. Secundo, Sapientiæ & gratiæ Dei æquè convenire dico, ut ſibi filios adoptet ex non peccatoribus, atque ex peccatoribus, & vice verſa, ſi ita velit. Extra propoſitum enim eſt quod dicitur de contemplationis hypotheſi. Tertio, Sapientiam & gratiam, ſecundum quam Deus filios ſibi ex hominibus adoptat, eſſe *ſapientiam illam occultam quam praſinierat, Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo principum ſeculi huius cognovit, quæ ſapientia eſt Chriſtus Ieſus crucifixus, quæ ſcandalo eſt Iudæis:* & gratiam eſſe miſericordia junctam: gratiam quæ fit peccatori; quæ eſt in Chriſto. Quæ ſanè longè illuſtrius facit ad Dei gloriam, quam gratia quatenus contra miſericordiam diſtinguitur: & tanto quidem quanto indignior eſt illa qui malè meritus eſt, quam qui nihil ſit promeritus neq; boni neq; mali.

Tertio ad exemplum Angelorum. Exemplum Angelorum antea commonſtratum eſt non ſimile ſed diſſimile eſſe. Deus enim alio modo curare voluit ſalutem hominum quum Angelorum. Ergo diverſa ratio prædeſtinationis horum & illorum. Poſuit Deus in utriſque imaginem ſuum, ſed diverſa conditione, nempe in Angelorum nonnullis conſervandam, in nullis reſtaurandam; in hominum nullis conſervandam, in aliquibus reſtaurandam. Temperavit Deus, ut Auguſtinus ait, ita Angelorum & hominum naturas, ut in iis primum commonſtraret quid poſſet liberum illorum arbitrium, deinde quid gratiæ ſuæ beneficium; gratiæ conſervantis in Angelis, gratiæ reſtaurantis in hominibus. Commonſtravit in Angelis quantum illa gratia valeret, nempe, gratia contra miſericordiam diſtincta. Commonſtravit in hominibus quantum hæc valeret, nempe, gratia miſericordia juncta, utrumque ex propoſito æterno ſuo. Quia ergo in hominibus facit quod in Angelis non facit, & in Angelis quod in hominibus non facit, & quidem ex decreto prædeſtinationis: hinc concludo, aliam eſſe rationem divinæ prædeſtinationis de Angelis, aliam de hominibus. Nulla igitur eſt *dilectio Dei cum electione* circa *homines* citra *contemplationem peccati*. De Angelis nobis quæſtio non fuit; & ego in mea ratione expreſſe hominum men-

mentionem feci : quare, quod de Angelis probatur, nihil ad rationis meæ refutationem facere poteſt.

XI.

Propoſitio ARMINII II.

Rationes negationis contra ſecundam ſententiam ſpecialis, reſpicientis electionem quatenus duæ. 1. quod in Chriſto mediatore, 2. quod ex gratia facta.

SEcundo, ad electionem quod attinet. 1. Electio facta dicitur in Chriſto, qui mediator ordinatus eſt peccatoribus, & Ieſus factus, non ut ſalvaret aliquos in pura natura ſua conſideratos, ſed populum ſuum à peccatis ipſorum. Hic præordinatus dicitur, & nos in illo: & ille ordine naturę & cauſarum prius quam nos; ille ordinatus ſalvator, nos ſalvandi. In tali autem Chriſto & ita conſiderato, ut illum nobis Scriptura deſcribit, conſiderari non potuit homo in puris naturalibus conſtitutus. Ergo multò minùs in illo eligi. 2. Electio facta dicitur ex gratia, quæ contra naturam dupliciter diſtinguitur, tum puram & ἁπλῶς conſideratam, tum ream & corruptam. Illo modo accepta ſignificat bonitatis progreſſum ad bonum ſupernaturale creaturæ eius à natura capaci impertiendum: hoc modo, bonitatis ulteriorem progreſſum ad bonum ſupernaturale communicandum cum homine reo & corrupto, quæ miſericordiæ etiam nomine in Scripturis appellatur. Atque hoc poſteriore ſignificatu gratia in Apoſtolicis ſcriptis, meo judicio, accipitur: præſertim ubi de electione, juſtificatione, ſanctificatione, &c. agitur. Quod ſi ita eſt, tum electio ex gratia non eſt facta ex hominibus in pura natura, ſed in peccato conſideratis.

Reſponſio IUNII *ad* II. *Propoſitionem.*

Ad primam rationem Arm. negat Iunius Chriſtum peccatoribus tantum ordinatum eſſe eo nomine Mediatorem.

FActa quidem eſt electio à Deo Patre in Chriſto Mediatore: ſed Mediatorem ſolum peccatoribus ordinatum eſſe, id vero non eſt ſimpliciter verum. Non ergo valet conſequentia. Deinde vero, ut daremus veram eſſe, tamen nihil adverſus eos efficeret, qui hominem communiter in electione reſpici pronunciant. Mediatorem vero non eſſe peccatoribus ſolum ordinatum (ut nihil de illa mediatione dicam, quæ in creatione & natura Chriſto tribuitur; *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt: in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum,* &c. Ioan. 1. *per quem Deus condidit ſecula,* Heb. 1. &c.) unico argumento demonſtro evidentiſſimè.

Ratione adducta, quod etiam Angelorum ſit Mediator, quia non tantum illorum eſt caput.

Quibuſcumque Chriſtus eſt caput in æternum à Patre datus, eorum eſt Mediator: Angelis & hominibus datus eſt à Patre caput: ergo horum & illorum Mediator eſt. Angeli autem non peccaverunt: non ergo Mediator ſolum peccatoribus ordinatus. Singula, ſi placet, excutiamus, ut rem amplius teneamus. Caput quum dicimus, tria conſideramus ex naturæ comparatione; ordinem, quo re ipſa, & dignitate, atque auctoritate primas tenet in toto corpore: perfectionem, qua omnes ſenſus & interiores, & exteriores in ſeſe ut fons eorum, & motus principium, continet: virtutem denique qua virtus omnis, ſenſus, motus, & tota gubernatio in alia membra ab eo ſolet influere. Secundum rationem hanc eſt quidem Chriſtus caput rerum creatarum omnium com-

communiter; caput, inquam, naturæ ſuperioris, inferioris, & eorum omnium quæ in natura ſunt: ſed nos univerſalem rationem hanc tranſcendimus, quum caput datum in æternum contemplamur. Æternitatis ſecundum Deum capaces ſunt Angeli & homines: utriſque Chriſtus eſt caput in æternum à Patre datus, non ſolum ut in æternum ſint

Rom. 8, (quod naturę ſpiritalis eſt) ſed etiam, idque ſpeciatim per gratiam, ut in æternum hæredes ſint æternæ gloriæ, tanquam filij Dei, hæredes Dei, & cohæredes Chriſti. Hi per υἱοθεσίαν gratiæ in Chriſto Ieſu omnes ad unum finem, gloriam puta divinam videndam, fruendam, atque prædicandam, à Deo ſunt ordinati, & corpus ex eis Chriſti myſticum, Eccleſia cœleſtis conſtituta. Denique ut animalis caput illud eſt, unde virtus, ſenſus, motus influit in membra corporis, in tota hac vita; ſi: in tota illa æterna vita corpus influentia à Chriſto capite ſuo vegetatur; & membra ſingula eo immutabilitatem vitæ, id eſt, æternitatem obtinent, quod ſubſiſtant in capite ſuo Chriſto, extra quem alioquin eſſent diffluxura. Qua autem ratione Chriſtus Angelorum & hominum caput, eadem Mediator eſt: nam ut caput, adjungit ſibi eoſdem; quos, ut Mediator, adjungit Patri. Quod Chriſtus caput & Mediator eſt, re unum & idem eſt; ratione ſolum diverſitas intervenit, quia caput ratione noſtri ad ipſum dicitur: Mediator vero ratione noſtri ad Patrem. Atqui, Angelos non redemit Chriſtus, ut redemit nos. Certum id quidem eſt: ſed Mediator & Redemptor inter ſe differunt, ut genus & ſpecies. Chriſtus Angelis Mediator conſervationis eſt, confirmationiſque; nobis vero & redemptionis Mediator eſt, & conſervationis ex quo redempti ſumus. Sic utriſq. Mediator, quamvis modo differente, dicitur. Vera igitur eſt illa propoſitio noſtra; quibuſcunque Chriſtus eſt caput in æternum à Patre datus, eorum & Mediatorem eſſe. Angelis autem & hominibus datum eſſe à Patre caput, proinde & Mediatorem docet Apoſtolus Coloſ. 1. quum de Chriſto dicit, *eſt imago Dei inviſibilis*, puta *Deum Patrem ſermone & opere*, maxime eis quos ſibi dedit Pater, repræſentans, ut Caput & Mediator ipſorum; *primogenitus omnis creaturæ*, nempe, quam prædeſtinavit εἰς υἱοθεσίαν & genuit Deus per gratiam, ut filij ſint ipſius: nam ὁμογενῶν eſt comparatio, & ſic accipiendus locus. Deinde vero explicans utrumque illud attributum ſubdit, primum quidem cōmuniter. *Nam in eo condita ſunt omnia quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra, viſibilia & inviſibilia* (hæc autem exponit, ut ἀγγελολατρείας larvam adimat, quos epiſtola illa expugnavit) *ſive throni, ſive dominia, ſive imperia, ſive poteſtates, hæc omnia per ipſum & in ipſum condita ſunt, eſtque ipſe ante omnia, & omnia in ipſo conſtiterunt*, deinde vero ſingulariter, reſpectu corporis glorioſi, cujus proprium Caput & Mediator eſt, *& idem eſt caput corporis Eccleſiæ qui eſt principium*, confirmatione gratiæ: redemptione vero *primogenitus ex mortuis*, quorum omnium communis finis, *ut ſit inter omneis ipſe primas tenens*. Cauſa, decretum Patris, prædeſtinantis Filium adoptandis Filiis, *quoniam libuit Patri, ut omnis plenitudo in eo inhabitaret*, ex qua habent Angeli & hauriunt, *& ut per eum omnia recon-*

reconciliaret ſibi, facta pace per ſanguinem crucis eius, &c. Evidentius exponit cap. 2. quum deterrens ab Angelorum cultu ſpecie Philoſophiæ dicit, *nam in eo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, & eſtis in eo completi, qui eſt caput omnis imperii & poteſtatis*, nimirum Angelicæ, ad cujus cultum ſollicitabantur illi. Nam de omni ſollicitante ad Angelorum cultum ibidem poſtea affirmat, eum non *tenere hoc caput* (Angelorum autem caput dixerat) *ex quo totum corpus per commiſſuras & connexus ſuppeditatum & compactum augeſcit Dei augmento*. Itidem Epheſ. 1. Quæ cum ita ſint, omnino ſtatuendum eſt, Mediatorem ordinatum eſſe peccatoribus; at non ſolum illis, cum & Angelorum ſit Mediator, qui in origine ſua perſtiterunt; Redemptorem vero peccatoribus ſolum ordinatum eſſe. Atque hoc ipſum altero quoque modo poſſimus exprimere, ſi dicamus. Mediatorem ordinatum eſſe, tum ijs qui peccare poterant, ne peccarent; tum ijs qui peccaverant, ut ſalvi fierent à peccatis ipſorum. Eodem pertinet uterque interpretationis modus. De nomine *Ieſu* eadem ratio. Sed quid multis opus eſt? Dicimus Mediatorem & ſtantibus & lapſis ordinatum eſſe, Redemptorem non niſi lapſis: ſtantibus, ut perſtent, lapſis ut reſurgant & perſtent. Ex eo ſequitur, ſervato planè eodem argumentationis genere, quum electio facta in Chriſto dicatur, Deum igitur hominem *communiter* nondum conditum, nimirum in ſeſe, & conditum in natura, ſtantem & lapſum reſpexiſſe: id autem eſt, *etiam in pura natura ſua conſideratum*: quod negas. De ſequentibus eadem ratio. Ad argumentationem ſecundam venio. *Electio*, inquis, *facta dicitur ex gratia: Gratia dupliciter dicitur, quum natura opponitur: & poſteriore ſignificato accipienda eſt in hoc argumento: Ergo non eſt facta ex hominibus in pura natura conſideratis, &c.* Nonne vides, mi frater, in hac argumentatione non valere conſequentiam à non diviſo ad diviſum, ut vocant, & æquivocationem eſſe? In propoſitione gratia dicitur communiter, in aſſumptione oppoſitè: in illa ſimpliciter ſecundum eſſentiam ipſius; in hac ſecundum quid; nempe, ſecundum differentes objecti modos, qui nihil faciunt ad eſſentiam gratiæ. Quin potius ita argumentabimur? Electio eſt ex gratia: gratia ad eos reſpicit, quos ſtatuit; & quos reſtituit in bono vindicatos a malo: Electio ergo eoſdem reſpicit. Quod enim dicitur communiter, id natura & ratio poſtulant communiter accipi, niſi reſtrinxerit ſubjecti prædicativę neceſſitas, aut adjuncti determinatio. Electionem autem communiter dici, demonſtrat Angelorum & hominum comparatio luculentiſſimè. Dicis, *poſteriore ſignificatu gratiam accipi in ſcriptis Apoſtolicis in hoc argumento & conſimilibus*. Rectè; ſed hoc non fit reſtrictione nominis *gratia*, quæ in Deo & à Deo omnia complectitur, ſed *κατά τι*, reſtrictione objecti: in objecto reſtrictio eſt, puta homine, non in adjecto. Quid? ſi ruſticus famulo mandaverit, ut agrum colat, qui ager primo tempore ſit purgandus, tum arandus, deinde conſerendus, &c. an colendi verbum propterea ad unum quid reſtrinxeris? Generale manet, ac commune, quod generale eſt, ſive commune, neque propter rationes ſingulares objecti enervatur illius gene-

Chriſtum Mediatorem Angelis ordinatum eſſe, ut perſtent ſicut hominibus ut reſurgant.

Ad ſecundam rationem Arm. dico ſumma cum argumentari à non diviſo ad diviſum.

Cum gratia natura corrupta opponitur hoc fieri reſtrictione ob. ecti.

Simi. le à cultura agri.

generalitas. Non valet igitur, ut vides, ex vitioſa argumentatione ducta conſequentia: nec dictum ſimpliciter ad id quod κατά τι reſtringendum.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſionis ad propoſitionem* 11.

Salva tibi prima rationis Arm. ſpecialis contra ſecundam ſententiam reſpicientis electionem.

ARgumenta hæc duo ut firmiſſima ſunt, ita immota manent ad tuas reſponſiones. Monſtro quod ad prius. Illius vis & robur in eo conſiſtit, quod electio hominum in Chriſto facta dicitur, ut Mediatore inter Deum & homines peccatores, hoc eſt reconciliatore & redemtore: unde ita concluſi.

Mediatoris voce non intelligitur hic alius quam Reconciliator ſive redemptor.

Quicunque in Chriſto ut Mediatore inter Deum & homines peccatores, id eſt, reconciliatore & redemtore, electi ſunt, illi conſiderati ſunt eligenti Deo ut peccatores.

At omnes homines, qui in Chriſto electi ſunt, ſunt electi in Chriſto ut Mediatore inter Deum & homines peccatores, id eſt reconciliatore & redemtore.

Ergo omnes homines, qui in Chriſto electi ſunt, conſiderati ſunt eligenti Deo ut peccatores.

Maior plana eſt. Nam primò non peccatores reconciliatore & redemtore non indigent. Electio autem eſt actus ſummoperè neceſſarius iis qui eliguntur. Secundo, Quia Chriſtus ipſe non eſt à Deo conſideratus ut Mediator redemptionis, niſi qua talis ordinatus eſt iis, qui peccaverunt. Prævisio enim peccati in Deo ordine præceſſit decretum, quo ordinavit Filium ſuum Mediatorem, qui apud Deum pro hominibus conſtitutus offerret victimas pro peccatis. Tertio, Quia electio hominum à Deo non fit niſi in Mediatore ut per ſanguinem ſuum æternam redemtionem nacto.

Minor patet. Quia Chriſtus Mediator hominum apud Deum non eſt, niſi qua Reconciliator, Redemtor & Advocatus peccatorum: Mediator inquam, qui Mediationis ſuæ actu ſalutem præſtat iis, quorum eſt Mediator. 1. Tim. 2. 5. & 6. Heb. 8. 6. & ſequentibus Heb. 9. 15. Hebr. 12. 24. Hinc ſequitur *concluſio*: quia veræ præmiſſæ, & tribus tantum terminis conſtantes, formaque legitima diſpoſitæ.

Ad ea quæ in contrarium adducuntur.

Iam videamus, quæ opponantur. Chriſtus non eſt ſolum peccatoribus ordinatus Mediator, inquis. Non ergo valet conſequentia. Eſto verum antecedens, inde tamen non ſequitur meam conſequentiam non valere. Nam ego in meis præmiſſis hoc non dixi, Chriſtum ſolum peccatoribus eſſe ordinatum Mediatorem, neque hoc agitur inter nos, quorum Chriſtus in univerſum ſit Mediator; & quibus modis. Sed de Chriſto egi, qua hominibus ſpeciatim ordinatus eſt Mediator, illis autem non eſt ordinatus Mediator niſi qua peccatores: nam eſt ordinatus Mediator ad tollendum peccata mundi. Hoc ergo agitur quomodo hominum ſit Mediator. Eſt ergo hic fallacia ignorationis Elenchi commiſſa, & à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Ego enim ago de Mediatione Chriſti ſecundum quid, nempe qua pro hominibus illam ſuſcepit, tu de Meditatione ejus ſimpliciter & univerſum conſiderata agis. Recte autem ſejungis conſiderationem mediationis, quæ Chriſto in creatione &

Quæſtionem hic non eſſe quorum Chriſtus univerſum ſit Mediator, & quot modis, ſed de Chriſto qua hominibus ordinatus eſt Mediator.

natura tribuitur: illa enim eſt prorſus alterius generis & modi. Nam ſecundum illam eſt Mediator Dei ad creaturas; ſecundum hanc creaturarum apud Deum: illa eſt omnium creaturarum, hæc earum tantum, quæ ad imaginem Dei ſunt factæ: illa tendit ad boni creati & naturalis communicationem cum creaturis omnibus inſtituendam; hęc ad boni infiniti & ſupernaturalis participationem creaturis rationalibus præſtandam. Probas non tantum peccatoribus ordinatum eſſe Mediatorem; ſed citra ullam neceſſitatem. Non enim hoc inter nos agitur. Probandum tibi fuit eſſe Mediatorem hominum, non peccatorum; quod ſcio te nolle, utpote aliter ex Scripturis edoctum. Videamus tamen argumentum. Angelis etiam eſt ordinatus Mediator: at Angeli non peccaverunt: ergo conſtitutus eſt Mediator non tantum peccatoribus. Poſſum concedere totum: nihil enim facit contra me; qui non dixi Chriſtum universè ordinatum Mediatorem non niſi peccatoribus. Reſtrinxi enim Mediationem ejus ad homines, ad ſalutis illorum opus, ad modum quo iiſdem ſalus comparata eſt. Unde, ſi verum eſt hoc, ut eſt, concludo argumentationem meam firmam & immotam manere, qua probavi, in Chriſto ut hominum Mediatore apud Deum non niſi peccatores electos eſſe. Velim tuam Reverentiam id perpetuo meminiſſe, nullam nobis de electione Angelorum, aut Mediatione qua illi ſalvati ſunt, controverſiam eſſe, ſed de hominum tantum electione & reprobatione nobis agi, deque modo mediationis quo illi ſalutem conſequuntur: ſic

Argumentum à Mediatione Angelorum nihil facere contra Arminium.

enim animadvertet, quæ generatim ſumta vera non ſunt: eadem ad ſpecialem hominum cauſam adplicata veriſſima eſſe. Quare non opus eſt, ut conſiderem ea quæ de Chriſto ut Mediatore Angelorum dicuntur. Si tamen & circa id mihi bona tua venia liceat occupari; petam probationem iſtius propoſitionis qua dicis, Chriſtum eorum eſſe Mediatorem quibus caput à Patre eſt datus. Puto enim mihi cauſam, id poſtulatum tuum negandi non deeſſe. Nam Philip. 2. dicitur Chriſtus *nomen ſupra omne nomen accepiſſe, adeò ut etiam cœleſtia ipſum adorare teneantur*; *Propterea quod quum in forma Dei eſſet ad mortem uſque crucis ſe demiſerit.* Ubi videmus cauſam cur caput ſit conſtitutus etiam cœleſtium, hanc eſſe, quod Mediatoris munere pro hominibus apud Deum ſanguine ſuo & morte ſit functus. Si Mediator eſſet Angelorum, non rectè iſta cauſa allegaretur, cur Angelorum quoque caput ſit conſtitutus, ſed illa mediatio fuit cauſæ loco adducenda. Hunc enim mihi duo iſta *capitis* & *Mediatoris* nomina ordinem & reſpectum habere videntur, ut hoc prius, illud poſterius Chriſto conveniat, & quidem illud capitis propter hoc Mediatoris. Mediationis enim actu jus ſibi acquirit dominii, cuius poſſeſſionem illi tradit Pater, quum capitis illum titulo inſignit. Quod etiam vult illa diſtinctio in ſcholis Theologicis uſurpata: Chriſtus eſt Mediator *merito* & *efficacia*. Merito prius, inde efficacia. Nam merito ſuo comparat ſibi populum, bona illi beandó neceſſaria & jus poteſtatemq; bona illa populo ſuo impartiendi: unde fluunt tituli *Capitis*, *Salvatoris*, *Ducis*, *Principis*,

Si autem accuratius conſideretur, poſſe potius probationem Mediatoris, imo eam negari.

Domini: ſecundum quos pro efficacitate ſua in populum ſuum influit bonorum illorum actualis communicatione, quæ merito mortis ſuæ obtinuit. Hebræorum 2. dicitur Chriſtus: *Non Angelos ſed ſemen Abrahæ aſſumſiſſe.* Si jam id valet quod noſtri dicunt, hanc aſſumtionem factam ut pro illis, quoniam naturam aſſumſit, mediationis munus obire poſſit: videt tua dignitas inde concludi poſſe: Quum Angelos, id eſt, naturam Angelicam non aſſumſerit, pro iis mediatione functum non eſſe. Adde quod noſtri Theologi ſæpiſſime dicunt; Mediatorem Chriſtum non eſſe niſi qua medius eſt inter Deum & homines: quod interpretantur de humana natura in unionem perſonalem à λόγῳ aſſumta, ut hac ratione medius eſſet, participando cum Patre ratione divinitatis, nobiſcum quoad humanitatem. Et hinc dicitur *Emanuel* duplici ſenſu; prius quod ſit Deus & homo in unitate perſonæ, inde quod talis exiſtens Deum & homines munere Mediationis conjunxerit. Non autem eſt medius inter Deum & Angelos. Addo quod Heb. 5.1. dicitur; *omnis Pontifex ex hominibus aſſumitur & pro hominibus conſtituitur in iis quæ apud Deum* (*agenda ſunt.*) At Chriſtus ex Angelis non eſt aſſumtus, ergo pro Angelis non eſt conſtitutus in iis quæ apud Deum pro Angelis agenda ſunt. Imò fidenter dico, nihil eſſe quod Angelorum cauſa aut pro Angelis fiat apud Deum mediationis alicuius opere. Adjungo aliud. Mediator non debet minor eſſe natura, quam illi pro quibus Mediatione fungitur. At Chriſtus ſecundum naturam ſuam humanam morti obnoxiam minor eſt Angelis. Heb. 2. v.9. Ergo non eſt Mediator Angelorum. Denique, ut concludam, dico. Angeli ſunt miniſtratorii ſpiritus, qui miniſterii cauſa mittuntur propter eos qui hæredes erunt ſalutis. *Angelis non ſubjecit Deus mundum futurum*, ſed Chriſto Ieſu primò, ſecundariò omnibus fratribus ipſius, quorum ipſe naturam in ſe ſanctificavit & ad dignitatem illam ſecum evexit. Ergo Chriſtus non eſt Mediator Angelorum. ſed inquiet aliquis; an ergo Chriſtus nullo modo Mediator Angelorum dici poteſt? Reſpondeo. Mediatorē dici dupliciter; vel creaturarum apud Deum, vel Dei ad Creaturas. Angelorum nego Mediatorem apud Deum eſſe Chriſtum. Sed Mediatorem Dei eſſe ad Angelos non diffiteor. Hoc enim cum capitis ratione coincidit, quod nomen fateor Chriſto reſpectu Angelorum competere, licet ratione diverſa ab ea, qua caput eſt hominum fidelium. Vnio enim quæ inter Chriſtum eſt & homines fideles arctior eſt & ſtrictior, quam illa quæ inter eundem eſt & Angelos, propter humanæ naturæ conſubſtantialitatem, à quo Angeli ſunt alieni. Sed de his ſatis; quæ ſive ita habeant ſive non, nihil argumentationi meæ neque accedit neque decedit, omninò autem mecum facis, quum dicis, Redemtorem lapſis tantum ordinatum eſſe. Inde enim concludo propoſitum meum. *Redemptor Lapſis tantum ordinatus eſt.* Ergo in Redemtore non niſi lapſi electi ſunt: Homines enim non ſunt electi ut ſtarent ſed ut reſurgerent & perſtarent, ut recte adnotaſti. At quomodo concludere potes, quum electio facta ſit in Chriſto, electio inquam hominum in Chriſto Redemptore, (ita enim iſta ſunt ſupplen-

Vnde ſequitur Deum hominem non communiter, ſed lapſos tantum reſpexiſſe electione ſua.

plenda) hinc ſequi, quod Deus hominem communiter, nondum conditum, nimirum in ſeſe; & conditum in natura ſtantem, & lapſum reſpexiſſe. Ego inde contrarium concludi poſſe & debere arbitror. Ergo Deus electione ſua non reſpexit niſi lapſum. Electione enim reſpexit in redemptorem, & Redemptor non eſt niſi lapſorum.

Salvatio ſecunda rationis Arm. ſpecialis contra ſecundam ſententiam, reſpicientis electionem.

Quod ad poſterius argumentum attinet, eadem eſt forma reſponſionis. Non utor voce *gratia* æquivoce, non utor ea indiviſè & diviſè ſimul. Fateor illam uſurpari dupliciter, pro gratia conſervationis & reſtaurationis; fateor uſurpari pro gratia indiviſe & ſimpliciter ſumpta, & pro gratia diſtincte, diſcretè & diviſe accepta, hoc eſt, pro gratia aut conſervationis aut reſtaurationis. Sed quid hoc ad rem? an quia voce generali & æquivoce utor, ſtatim æquivocationem committo? At ego illam hic ubique eodem modo accepi, pro ea ex qua homines nonnulli ſunt electi. Illa eſt gratia qua reſtauratio eiq; media ſunt præparata, non qua conſervatio ejuſque media ſunt deſtinata. Hæc enim gratia hominibus non eſt facta.

Negat Arm. ſe argumentari à non diviſo ad diviſum.

Ex illa ſola ſalutem obtinent, quotquot ex hominibus ſalvantur. In propoſitione erga gratia dicitur oppoſitè, & in aſſumtione dicitur oppoſite, nec hic nec ibi communiter, ut ex hoc ſyllogiſmo poteſt clarere.

Ratio illa ſyllogiſticè propoſita.

Quicunque electi ſunt ex gratia reſtaurationis, quæ miſericordia eſt conjuncta, quæ circa peccatores tantum locum habet, illi eligenti ut peccatores ſunt conſiderati.

At omnes homines, electi, ſunt electi ex gratia reſtaurationis quæ miſericordiæ eſt conjuncta, quæ circa peccatores tantum locum habet. Ergo omnes homines electi ſunt eligenti conſiderati ut peccatores. Gratia utrobique dicitur ſecundum quid, reſpectu hominum, nec hic nec ibi communiter ſeu ſimpliciter. Imo communiter & ſimpliciter uſurpari nequit, ubi de electione ſive Angelorum ſive hominum diſtinctè & oppoſitè agitur. Nam gratia ſimpliciter accepta nec hi nec illi electi, aut ſalvati: ſed utrique gratia diſtinctè uſurpata: Angeli gratia conſervationis, homines gratia reſtaurationis.

Quando.a. univerſim & indiſtinctè de electione agitur, tum de gratia ut eius cauſa, univerſe ſimpliciter & indiſtinctè eſt agendum: generi enim generalia ſunt tribuenda, quæ poſtea ſpeciebus ſingulis pro illarum modo applicentur. Quare argumentatio illa tua eſt extra controverſiam noſtram. Electio eſt ex gratia; gratia eos reſpicit quos ſtatuit & quos reſtituit in bono vindicatos à malo. Electio ergo eoſdem reſpicit. Non enim agimus de electione in genere & ſimpliciter, quod ſi ſit, gratiæ vox ex τέχνῃ παιδείας generatim fuiſſet uſurpanda: ſed agimus de electione hominum: quare gratiæ vox generalis reſtringenda fuit ad gratiam, ex qua homines ſint electi. Ergo præter propoſitum dicitur, gratia reſpicit quos ſtatuit, hęc enim, de qua agimus, gratia non reſpicit quos ſtatuit: nullum enim hominum gratia ſtatuit, reſtituit tantum circa quos eſt occupata. At dicis unam eſſe eſſentia gratiam, tum quæ ſtatuit, tum quæ reſtituit, diſtingui tantum & reſtringi ratione objecti:

Argumentationem tuam, & quicquid dicis de gratia ſimpliciter & indiſtinctè ſumta præter propoſitum eſſe.

Quid

Quid ſi hoc concedam! nihilominus firma erit mea concluſio. Nam nobis de objecto & ratione eius formali eſt quæſtio, cuius ratione gratiam reſtringi & diſtingui dicis. Illa autem reſtrictio objecti tantú valet, ut gratia, quam unam dicis eſſentia, aliter ſe explicare & applicare debeat objecto peccatori, quam non peccatori; imo & alios ſuos actus in illo curando adhibere, quam in iſto. Quare etiam in adjecto eſt reſtrictio, ſed conſequenter ex neceſſitate reſtricti objecti. Illa autem diſtinctio ſufficit ad concludendum quod volo.

Cum in objecto eſt reſtrictio, de neceſſitate in adjecto quoque reſtrictionem eſſe.

Non enim eſt quæſtio de objectis electionis eſſentia inter ſe diverſis, ſed de objecti, quod unum idemque eſt eſſentia, diverſa conſideratione, diverſaque ratione formali. Simili illuſtrabo. Iuſtitia in Deo eſt una eſſentia, ſuum nempe cuique tribuens: obedienti quod ipſius eſt ex divina promiſſione, & peccatori quod ipſius eſt ex comminatione. Ex eo autem, quod juſtitia objecto applicat retributionem pœnæ, neceſſariò colligitur objectum illud pœna dignum, & propterea peccato obnoxium eſſe, ita quoque gratiæ res habet. Gratia itaque una eſt quidem eſſentia, at modo variatur: una eſt ſecundum principium & finem; at ſecundum progreſſum, gradus & media diverſificatur; una eſt ſimpliciter & communiter accepta, oppoſite accepta & diſtinctè duplex eſt, ſaltem reſpectu actuum oppoſitorum & diſtinctorum. Ego autem tota hac mea argumentatione gratiam accepi, ſecundum quid, quatenus modo, progreſſu, gradibus & mediis variatur, & quatenus oppoſitè ſumitur & diviſè. Nulla ergo hic commiſſa æquivocatio, nulla argumentatio facta à non diviſo ad diviſum, nulla fallacia à dicto ſimpliciter ad id quod eſt ſecundum quid. At hæc omnia ut vera eſſent, nihil tamen adverſus eos efficerent, inquis, qui hominem communiter in electione reſpici pronunciant. Imo hæc eadem argumenta probant hominem communiter in electione reſpici non poſſe, ſaltem conſideratum non eſſe. Si enim communiter conſideratus, tum gratia communiter ſumta eſt electus. Objectum enim commune communem poſtulat cauſam. At non eſt electus gratia communiter ſumta, ſed oppoſitè, diſtinctè; diviſe ſumpta, eſt electus. Ergo non communiter conſideratus homo, ſed reſtrictive cum circumſtantia peccati. item: Si communiter conſideratus homo tum electus in Mediatore communiter & indiſtinctè conſiderato. Sed non eſt electus in Mediatore communiter verum diſtincte, qua Redemtor, conſiderato. Ergo non communiter conſideratus in electione, ſed reſtrictive cum circumſtantia peccati. quod erat probandum. Similitudo agri colendi huic ſententiæ non contradicit, imo ſuffragatur. Si enim ruſticus filio agrum colendum tradat, qui vepribus ſit obſitus, & propterea culturam poſtulet purgatione junctam, tum colendi vox licet univerſe ſumta non reſtringatur ad purgationem: tamen applicata ad iſtum talem agrum neceſſario includit actum purgandi. Vnde ſequitur. Si ager iſte coli nequit niſi per actum purgationis, ergo ſpinis & ſentibus obſitum eſſe. cui analogum, ſi homo ſalvari nequit niſi per actum reſtaurationis, ergo peccatorem eſſe; peccatorem enim ſolus reſtau-

Illuſtratio à ſimili ſumpto à juſtitia divina.

Ad ſimile à cultura agri

reſtaurari capax, & gratia illa ſola idonea reſtaurandi eſt.

XII.

Propoſitio ARMINII 12.

Alia ratio Arm. ſpecialis contra ſecundam ſententiam, reſpiciens non electionem ſive præteritionem.

TErtiò ratione non-electionis ſeu præteritionis. Non-electio ſeu præteritio eſt actus divini placiti, quo Deus ab ęterno ſtatuit cum hominibus quibuſdam non communicare ſupernaturalem felicitatem (ſed dare illis felicitatem tantum naturalem ſeu animalem ſi naturæ convenienter vixerint.) At huiuſmodi actu Deus non verſatur circa homines, ut in puris naturalibus conſideratos. Ergo Deus non præterit quoſdam homines in puris naturalibus conſideratos. Minoris veritas ex eo eſt. 1. Quia nulla eſt huiuſmodi naturalis felicitas, quæ ſit tamquam finis hominis, & illius extremum. Non actu: nullus enim unquam aut ita felix fuit, aut eſt: Neque potentia propinqua ex decreto Dei; ſive abſolutè conſiderato, nullus enim hominum animaliter beatus erit; ſive conditionaliter, neq; enim Deus ſub conditione ulli homini huiuſmodi felicitatem deſtinavit; eſſet enim ſub conditione obedientiæ: ac illam Deus remuneratur felicitate ſupernaturali. 2. Quia peccatum eſt cauſa meritoria actus divini placiti, quo alicui ſtatuit denegare beatitatem ſpiritalem ſeu ſupernaturalem per ſui unionem & inhabitationem: Eſaiæ. 59. *iniquitates veſtra diſterminant inter vos & Deum veſtrum.* Neque poteſt illa negatio felicitatis, homini nempe facta, aliter quàm ut pœna conſiderari, quam neceſſario præcedit peccatum actu, & eius deſtinationem peccati futuri prævißio. Iſta argumenta etiam ad reliquas quæſtiones valere poſſunt.

Aug. de Peccator. meritis lib. 1. cap. 19.

Reſponſio IUNII *ad Propoſitionem* ARMINII 12.

Ad primam. Ad iſtius rationis Maiorem reſpondet Iunius præteritionis definitionem ab Arm. poſitam triplici nomine vitioſam eſſe.

DEfinitio non electionis ſeu præteritionis (quam & relictionem Auguſtinus vocat) minime juſta eſt; tribus nominibus. 1. Quia differentia quæ ponitur, ineſt ut accidens. Si enim differentia ineſt ut accidens, non eſt bona definitio. Eſt autem electionis & reprobationis differentia eſſentialis ἐν υἱοθεσίᾳ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς Θεὸν τὸν πατέρα, cuius conſectarium accidens eſt felicitas ſupernaturalis, Epheſ. 1. Rom. 8. Deinde quia definitum non refertur ad priorem finem, ſed ad poſteriorem, quod vitioſum eſt. Prior finis eſt adunatio cum Deo δι' υἱοθεσίας, poſterior vero felicitas, & quidem accidentarius, ut modo diximus. Tertio quia redundat definitio: additur enim, quod poſitionis eſt, cum tamen definitum ſit puræ negationis; quum ais, *ſed dare illis* &c. Quod etiam vitioſe & falſo additur; non enim dat iſtud non electio ſeu præteritio, ſed ſupponit amplius, Deum non dare iis, quibus id jam eſt datum. Atque hæc de majore. Minor negatur: nam Deus in hoc actu hominem reſpicit communiter; ergo & hoc modo in communi reſpicit. Sic falſam vides argumentationem totam. Ad minoris confirmationem duabus argumentationibus uteris. Prior confirmat eam definitionis partem, quam definitionis eſſe negavimus: itaque nihil ad nos:

Deinde negat minorem.

Ad confirmationem illius priorem

nos: Verumtamen quia occaſionem præbes, licebit de quibuſdam ſubmonere. Negat *nullam huiuſmodi felicitatem eſſe naturalem, quæ ſit tanquam finis hominis, & illius extremum.* Si de natura hac corrupta dicis, fateor: nam arbor mala non edit fructum bonum, multo minus bonum acquirit ſuum. Si de natura integra, ut primum in Adamo fuit, nego. Naturæ enim integræ ſua fuerat futura naturalis felicitas, licet in ſupernaturali per Dei gratiam poſt abſorbenda, ut ita loquamur: Atque hæc fœlicitas tamquam naturalis finis hominis integri, & illius extremum naturale fuit. Quid? nónne res naturales omnes ſuum bonum appetunt? Cum autem natura nihil per ſe appetat, quod non ſit (ſtultum eſt autem appetere quod non eſt, ne potentia quidem; at natura, ſapientiſſimi artificis opus, non eſt ſtulta) omninò ſequitur bonum rei cuiuſque potentia in natura eſſe, ſi id res non aſſequitur; quemadmodum ſi aſſequitur, actu eſt. Quod ſi rerum naturalium omnium hæc conditio eſt, vide, obſecro, mi frater, quam verè illud de homine dici poſſit, eum felicitate naturali, & fine naturali carere, cum omnia in natura ſe aliter habeant. Non potuit certè natura in illo præſtantiſſimo opificio cæcutiviſſe, in aliis omnibus pervidiſſe. Atqui nunquam fuit, inquis. Fateor: nam Adam in ipſa via corruit; ſed futura fuit. Immo nec potentia fuit, ais. Falſum; nam Deus ſub conditione viæ tenendæ eam Adamo deſtinaverat. Probo ex Dei ipſius verbis Geneſ. 2. *qua die comederis ex fructu arboris iſtius moriendo morieris.* Quid eſt mors, niſi privatio eſt? quæ privatio? niſi habitus. Privatus ergo eſt Adam vita naturali, & felice illa conſtitutione ipſius, quam in Hedene obtinebat; alioquin in ea permanſurus feliciter, ſi in officio permanſiſſet, donec promiſſionem in eo complevisſet Deus ſupernaturalis vitæ, quam arbor vitæ in horto Edenis adumbrabat. Ex contrario enim ſequitur, ſi non comediſſet, non fuiſſe moriturum; ſed vivum videntemque in ſuperiorem vitam migraturum. At, inquis, *obedientiam felicitate ſupernaturali remuneratur Deus.* Remuneratur quidem, ſed non ea ſolum. Conjunctè verum eſt, excluſivè falſum: nam utraque felicitate remuneratur: Nam etiam hoc tempore, quo plurimum à conditione naturali Adami abſumus, *pietati* facta eſt *promiſſio præſentis & futuræ vitæ*, 1. Tim. 4. Fefellit te, opinor, duplex cogitatio, finis, & modi. Finem unicum eſſe putaviſti hominis, ſupernaturalem illum. Atqui certiſſimum eſt illud, quod ajunt, ſubordinata non pugnare. Eſt finis naturalis. Vt natura iſta ſubordinata eſt Deo, ita naturalia divinis atque ſupernaturalibus. Finis naturæ noſtræ, qua naturalis, hic eſt, ut proxime accedat Deum; ſupernaturalis eſt, ut homo adunetur Deo.

Ad illum per naturam poterat Adam contendere: ad hunc per gratiam ab illo evehi. Modum vero nullum poſſe rebaris contingere, quo utraque felicitas ſimul concurreret. At duo ſpectari in cauſa hac oportuit, unum felicitatem naturalem eſſe præſtructam ſupernaturali, alteram, ſubſtructam eſſe. Præſtructa eſt illi, & prævia. Adam niſi jam felix in natura, ſiquidem integer manſiſſet, felicitatem alteram non attigiſſet: felicitas naturæ futura fuiſſet

fuiſſet illi, qua proxime ſupernaturalem acceſſiſſet. Cum autem felicitatem ſupernaturalem ex facto iniviſſet, tum ſubſtructa ei fuiſſet naturalis felicitas, & in ſupernaturali ſupra quam conſummata. Si perfectio perfectioni additur, non tollitur minor, ſed minori accreſcit; ut ignis igni, facultas vegetativa ſenſitivæ, utraque rationali. Minor in majore, tanquam in principio ſuo conquieſcit; & amplius ab ea perficitur, quo amplius, ſua eſſe deſinit, & fit perfectionis alterius. Ita futurum eſt in reſurrectione mortuorum, & vita æterna. Natura hominis & perficietur, & glorificabitur ſupra naturæ modum. Ita perfectionem naturę obtinebit, ut in divina illa, & ſupernaturali perfectione conquieſcat: deniq; natura non abolebitur, ſed ſupernaturali modo veſtietur, ut de corpore dicit Apoſtolus. 1. Cor. 15. ſed hæc *παρέργως*. Poſterior argumentatio ſic eſto, *peccatum eſt cauſa meritoria illius actus negativi. Homo in puris naturalibus non habet peccatum: nec cauſam igitur meritoriam, & per conſequens, Deus non habuit ullam actus illius negativi cauſam.* Conceditur totus proſyllogiſmus: negatur conſequens, quia infert ex particulari: nam id verum quidem eſſet, ſi actus negativus Dei eſſet ex cauſa meritoria ſolum; ſed hoc poſtulatum eſt à vero alieniſſimum. Omnis actus negativi cauſa aut in Deo, aut in creatura eſt. Hujus actus igitur eadem ratio. Non eſt autem hujus actus cauſa in creatura: In Deo igitur Proſyllogiſmum nemo negaturus eſt. In ſola Dei voluntate cauſa eſt, cur non ſis Apoſtolus, cur non vivas ætatem Adami aut Metuſchelachi: in homine cauſa eſt iniquitas, cur à Deo abſit,

Ad confirmationem poſterioris.

& Deus ab illo; nempe eo reſpectu quo Eſaias locutus eſt. Nam alioquin non ſola iniquitas in cauſa eſt, ſed & voluntas Dei: qui, ſi vellet, iniquitatem ut nubem tolleret, hominemque admoveret ſibi. Non eſſe hujus actus cauſam in creatura probo, ut ante propoſ. 10. dictum eſt. Primum auctoritate Chriſti Matth. 25. & Pauli Rom. 8. & 9. & Epheſ. 1. Secundo, ratione: nam etiam ipſum peccatum primum non eſt, niſi ab actu negativo Dei, cujus negativi actus in cauſa eſſe peccatum non poteſt: nam idem non poteſt eſſe ſui ipſius cauſa & conſequens. Electio autem & non electio antevertunt etiam peccatum primum, ut antè demonſtravimus: Itemque actus poſitivus & negativus Dei præcedunt omni creaturæ actui, ſive bono, ſive malo. Etenim nullus malus actus eſt, quin & negativus Dei præceſſerit ſinentis malum. Peccavit Adam, & Eva: certe non ſine actu negativo Dei, quamvis nullum ab eis peccatum fuiſſet negationem illam promeritum. Quæ ergo cauſa illius negativi actus, niſi voluntas Dei liberrima. In ſequentibus vero peccatis, eſto ſane & cauſa meritoria à nobis, peccatum; & cauſa libera voluntas Dei: nam & peccata, cum vult, delet; Poteſt enim; & non delet, quia non vult. Quorum autem delet peccata, non poteſt eorum peccatum, quamvis cauſa meritoria, actum Dei negativum efficere. Vides igitur, mi frater, eſſe quidem peccatum cauſam meritoriam negativi illius actus, ſed nec unam, nec ſolam, nec ſemper; proinde non neceſſariam. Quid autem ex accidente non neceſſario colligas? Tertio exemplo

Probat primum auctoritate, ratione exemplo præteritionis cauſam non eſſe in homine.

exemplo Angelorum : nam quid bonos continuit à malo, & in bono confirmavit? Actus Dei poſitivus, nempe, ipſius προθέσεως ex electione: nam electi ſunt. Quid malos non continuit à malo, in quod ruerunt propria voluntate? Actus Dei negativus ex non electione ſive præteritione, quam & relictionem Auguſtinus vocat. Et illud ipſum actus electionis eſt, quod hi in bono fuerunt confirmati adverſus malum; & illud reprobationis, quod iſti dimiſſi ſunt, qui de proprio (ut Chriſtus loquitur Ioan. 8.) mendacium dicerent, atque peccatum committerent. Etſi hic ſemper & in ſequentibus te velim meminiſſe, indignum eſſe factum, ut in locum finis proprii atque proximi ſuffi[c]iatur remotum conſequens, aut eventus (qui finis etiam ſuo modo dicitur) felicitas ſupernaturalis. Proprium & proximum eſſe dici, peccatum eſſe meritoriam cauſam divini illius actus negativi, quo non adoptat in filios per Chriſtum ſibi homines reliquos: Nam adoptionis conſectaria eſt felicitas. Hoc vero, mi frater, vel natura ipſa dici à nobis vetat. Deus filios ſibi parit voluntate ſua, non qualitate ipſorum, ſive bona, ut Angelos electos; ſive mala, ut nos. In Chriſto omneis reſpicit, non autem in ipſis, ut Chriſtus ſit *primogenitus inter multos fratres*. Rom. 8. Naturaleis filios gignit per parentes natura ſine ratione qualitatis ipſorum: & adoptivos non gignat Deus ſine ratione ipſorum? Sibi totum in geniturus natura vindicet, gratia particulam? Deus meliora. Eiuſdem generis & illa propoſitio eſt, *non poſſe illam negationem felicitatis homini factam aliter quam ut pœnam conſiderari.*

Primum enim hic male agitur de negatione felicitatis, ubi de negatione adoptionis agitur; qui proprius eſt atque proximus electionis terminus, ut antè diximus. Hæc non eſt primò & per ſe propoſitio. Deinde verò ſi de adoptione agitur, falſa eſt enunciatio: nam pœna non eſt propriè negatio adoptionis illius: prævia quidem pœnæ eſt, quia & peccati: ſed non continuò pœna. Quis enim antecedens idem eſſe dicat cum ſuo conſequente, eoque remotiſſimo? Sin autem de felicitate (ut cenſes) dicitur, neque eſt vera enunciatio iſta universè: nam negatio quidem felicitatis propter peccatum conſideratur, ut pœna peccati; ſed negatio felicitatis propter ordinem voluntarium, aut ſolam voluntatem, non eſt pœna. Adamo integro negabat felicitatem ſupernaturalem Deus, donec ordinem viæ præſtitutæ compleviſſet. Non fuit Adamo pœna. non eſt privato homini pœna, quod non ſit Cæſar: non igitur negatio felicitatis eſt pœna per ſe, ſed per accidens ſolum, qua ex peccato creaturæ conſequitur (ut aiunt) finaliter. Eadem ſecuri & illud cæditur quod ais, *negationi illi felicitatis neceſſario præcedere peccatum actu.* Nam verum quidem illud eſt de negatione felicitatis finalis, ut vocant: nos autem agimus de negatione principii, ex quo felicitas, id eſt, gratiæ, & adoptionis gratuitæ in Chriſto Ieſu. Itaque ut hoc tibi concedamus, negationi iſti præire actu peccatum; tamen & hoc addendum eſſet, peccato præire particularem relictionem Dei in principio & progreſſu peccati; particularis autem relictionis iſtius fundamentum non electionem ſeu præteritionem & repro-

& reprobationem eſſe, quam non cauſam peccati, ſed antecedens eſſe agnoſcimus; quemadmodum nec illud verum eſt univerſaliter, quod dicis, *eius actus deſtinationem peccati futuri prævisio præcedit.* Nam peccati futuri prævisio & antecedens eſt, & conſequens negationis divinæ illius: quia actus ille divinus (ut vocant) negativus anteit peccato faciundo, ſequitur verò infelicitate finali ex peccatis hominum obſtruenda, ut ante oſtenſum. Atquæ hæ ſolutiones ad ſequentia quoque optimè poſſunt accommodari.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem* 12.

Demonſtrare ſe ſive probare voluiſſe Arm. dicit, non explicare; ac proinde non fuiſſe opus accurata definitione.

DEfinitio & demonſtratio fine diſtinguuntur. Nam alia eſt ad explicandum hęc ad probandum. illa tractandæ quæſtioni ſimplici adhibetur, hæc compoſitæ. Ego autem non explicare hic ſed probare inſtitui. Quare definitionis argumento mihi euſque uſurpandum putavi, quo ad probationem eius faceret quod ego probandum ſumſeram. quæ cauſa eſt, quod de nonelectionis ſeu præteritionis definitione ad normam artis accommodanda non laboravi. Si enim quod pono *κατὰ παντὸς* verum eſt, etiamſi ad veritatem *καθ' ὅλου* non pervenerit, ſufficerit mihi ad probandum, quod propoſui. Quare etiam ſubſtitutis illis, quæ tua Reverentia pro meis ſubſtituenda putat, manebit nihilominus firma mea probatio: & propterea non videtur propoſito noſtro iſta correctio neceſſaria fuiſſe. Eſt mihi tamen aliquid ad illud dicendum. Generatim, quod tua prudentia animadvertere potuit me hic diſtinctè agere de prædeſtinatione qua eſt ad gloriam, non qua ad gratiam & de præteritione, qua alicui gloria illa non præparatur, non qua Deus ſtatuit non communicare gratiam. Hoc patet ex propoſitione octava mea. Quare abſtinendum mihi fuit ab iis quæ ſunt generalia ad gratiam & gloriam. Inter illa generalia eſt adoptio in filios, cui inchoandæ & provehendæ gratia eſt præparata, conſummandæ gloria. Quemadmodum ipſe tu in hac reſponſione alicubi dicis.

Ad Iunii correctionem reſpondetur, primo generatim.

Deinde ſingulatim ad ea quæ corriguntur à Iunio. Ad primum.

Singulatim ad iſta quæ corriguntur, dico. *Ad primum.* In adoptione ſita eſt differentia eſſentialis electionis ad gratiam & gloriam ſimul, & reprobationis ab utraque in non adoptione. Ergo non eſt illa differentia electionis ad gloriam tantum, neque hæc reprobationis à gloria tantum. Differentia enim generis ſpeciei differentia eſſe nequit. Ergo mihi hic nulla fuit adoptionis mentio facienda, niſi genus in ſpecie contra legem *καθ' ὅλου* docere voluiſſem. *Ad ſecundum.* Ego finis nullius memini in illa mea non-electionis definitione, vel potius in parte definitionis quam poſui. Integram enim ponere non ſtudui. Nam ſupernaturalis felicitas ſeu gloria non eſt finis electionis, ſed materia: quam tu materiam in theſibus tuis benedictionis nomine comprehenſam in gratiam & gloriam partiris. Scio autem felicitatem ſupernaturalem non communicari nobiſcum niſi per antecedentem adunationem noſtri cum Deo: quod ſignificari hac eadem propoſitione mea his verbis, *denegare felicitatem*

Ad ſecundum.

ſupernaturalem ...

ſupernaturalem per ſui unionem & inhabuationem. At conſideretur definitio præteritionis in theſibus tuis uſurpata. *Præteritio eſt actus divini placiti quo Deus ab æterno ſtatuit quaſdam creaturas in natura ipſarum relinquere, ac non communicare cum iis ſupernaturalem gratiam qua firmetur earum natura integra aut corrupta inſtauretur, ad declarationem libertatis bonitatis ſuæ.* Vocibus iſtis, *in natura ipſarum relinquere*, comprahenditur etiam excluſio à ſupernaturali felicitate, aut non. Si non, inſufficiens eſt definitio. Puto autem te & illam compræhendere voluiſſe, alioquin theſes ſunt imperfectæ, utpote quæ agant de prædeſtinatione qua gratia & gloria præparatur electus, nullibi autem agant de actu negativo quo Deus gloriam non-vult non-electis, niſi iſtis verbis. Quamquam & iſtis verbis ex tuo ſenſu ea compræhendi non poteſt præteritio, qua Deus alicui gloriam non vult: Nam definis præteritionem quæ eſt contraria præparationi gratiæ: ut eſt theſi 14. præparatio autem pœnæ eſt actus affirmativus, quo vult pœnam peccatori, gloriæ non negative ſed affirmative oppoſitam. Quare cum vellem præteritionem ſeu non electionem, qua eſt actus quo Deus aliquibus non vult gloriam, deſcribere, viſum eſt aliquo modo veſtigiis tuis inſiſtere, qui in definitione præteritionis nullibi excluſionis ab ἀγνοίᾳ & ab adunatione Dei meminiſti. *Ad tertium.* Quæ per parentheſin interjecta ſunt, explicationis cauſa addita eſſe patet, non eodem ordine & ratione venire in definitionem, qua iſta alia. Sed & illa non video vitioſe aut falſo dicta, quamquam iſto modo, quo tu vis, relata ad definitionem illam. Notant enim non actum affirmativum ſed negativum, emphaſiſque eſt in ſigno excluſionis (tantum.) Dare velle felicitatem naturalem eſt actus affirmativus, ſed tantum dare velle eſt actus negativus, excludit enim aliam felicitatem quam dare non-vult. Et quis eſt actus quo Deus nonnullis voluit *tantum* felicitatem naturalem, niſi præteritio ſeu neglectio. Si relinquere in natura eſt actus negativus, ſecus enim male abs te ad definitionem non-electionis adfertur, quæ eſt prædeſtinationi oppoſita negative: non video quomodo hæc verba, *dare tantum felicitatem ſupernaturalem* actum negativum non deſignent. Si ita reſolvas, ut duos hic actus diſtinguas, unum quo dare ſtatuit Deus naturalem felicitatem; alterum, quo tantum dare illam & non aliam; tum fateor priorem illum utpote affirmativum ad hoc præteritionis decretum non pertinere. Sed de illa felicitate nunquam nobis actum eſt: itaque facile intelligi potuit, me iſta verba ita ſumere, ut notant actū negativum, non dandi aliam felicitatem quam naturalem. Quum vero illa ſcriberem cogitavi de voce relinquendi uſurpanda ad imitationem tui, ſed incommodam putavi, quia præſupponit dationem factam, & ego felicitatem naturalem nondum datam putavi, ſed dandam ſi obedienter viveret homo. In quo & te mihi aſſentientem habeo, ut patet ex reſponſione tua ad propoſitionem meam tertiam ſub finem. Perſtat ergo definitio, & nihil in illa culpandum quod non exemplo tuarum theſium poſſit excuſari, quas ego mihi in perpetuo hoc tractatu habui

ante oculos. Quod ut planius adpareat, lubet parallelos tuam & meam definitionem opponere. Præteritionem qua negatur gratia tu ita definiviſti. *Præteritio eſt actus divini placiti, quo Deus ab æterno ſtatuit quaſdam creaturas in natura ipſarum relinquere, ac non communicare cum eis ſupernaturalem gratiam, qua firmetur earum natura integra, aut corrupta inſtauretur, ad declarationem libertatis bonitatis ſuæ. Præteritionem qua negatur gloria* ſi ad normam illius definitionis analogicè definiamus ita habebit. *Præteritio eſt actus divini placiti quo Deus ab æterno ſtatuit quaſdam creaturas in natura ipſarum relinquere ac non communicare cum eis ſupernaturalem felicitatem ſeu gloriam, qua naturalis illarum felicitas aut abſorbeatur & abſolvatur, aut ignominia in gloriam ſupernaturalem tranſmutetur ad declarationem libertatis bonitatis ſuæ.* Ex qua definitione ego id poſui quod ſufficiebat meo propoſito; nulla fraude, quum reliqua illis adjuncta nec proſint nec obſint argumentationi meæ. Quare major argumentationis meæ vera eſt, etiamſi non ſit vera ut definitio perfecta & reciprocè. Nam & ex propoſitione κατὰ παντὸς vera probari concluſio poteſt, juxta dictum *de omni & nullo*. Venio ad *minorem* quam duobus argumentis probavi. *Primum argumentum* abs te non refutatur, quia mutilum proponitur, ideoque mutatur in alium ſtatum. Non enim nego homini naturalem felicitatem præparatam, ſed addidi, quæ ſit finis & hominis extremum, quibus verbis ſignificavi non eſſe præparatam illam ſolam, ſed & illam, verum cum hac conditione ut abſorbeatur à ſucceſſura ſupernaturali. Explicationem quam addo, ita intelligi volo; Nempe, felicitatem naturalem nec actu nec potentia homini contingere poſſe, quæ ſit finis hominis & ipſius extremum. Deus enim homini promittit ſub conditione obedientiæ, non naturalem ſolam, ſed & ſupernaturalem. In qua re cum te mihi aſſentientem habeam, hinc ita concludo propoſitum meum: Deus nulli homini in prima natura conſiderato voluit ſolam beatitatem neutralem tanquam extremum & finem hominis, excluſa ſupernaturali felicitate. Ergo Deus neminem in prima natura conſideratum præteriit. Sive. n. præteritio dicatur actus quo Deus non vult cuipiam ſupernaturalem felicitatem, ſive quo vult tantum naturalem felicitatem, quæ ego coincedere puto, ad meum propoſitum æqualiter facit. Antecedens probo. Omnes enim homines in Adamo conſiderantur æqualiter ſive in primæva natura, ſive in ſtatu peccati, niſi accedat diſcretio per voluntatem Dei. Diſcretionem autem factam ratione primi ſtatus nego, & negationis primam rationem tu ſtabilis, quum dicis felicitatem homini utramq; præparatam. Deinde quod Deus ſua providentia homini præparavit, id eidem non negat per præteritionem electioni oppoſitam, niſi ex prævisione quod homo providentiæ ductu ad illud non ſit perventurus, ſed ſua ſponte & libere deflexurus. Præparavit autem Deus primo homini & in eo omnibus ſupernaturalem felicitatem; dedit enim illi media ad illam comparandam ſufficientia, accedente adjutorio gratiæ divinæ (ſi tamen hoc eſt neceſſarium in iſto ſtatu) quod illi non negat, niſi prius ab eo fuerit deſertus. Quod vero opinaris me duplici

Solutio argumenti primi, quo minor probata fuit.

cogi-

cogitatione finis nempe & modi falſum eſſe, & me finem unicum hominis fuiſſe exiſtimaſſe; in eo, mi frater, falleris; nam verba mea id per ſe non ferunt: in quibus ego apertè inter fines ſubordinatos diſtinxi, quum mentionem feci felicitatis naturalis, quam negavi eſſe finem & extremum hominis. Ergo conceſſi felicitatem naturalem homini competere: ſecus illis verbis additis opus non fuiſſet, ſed non competere *ut finem & extremum hominis*, hoc eſt, quo nihil ulterius homini contingeret. Qui fatetur homini competere naturalem felicitatem ſed non *ut finem & extremum hominis*: an non ille *duplicem finem* hominis agnoſcit, unum ſubordinatum, nempe felicitatem naturalem, & alterum poſtremum, qui ſit finis & extremum hominis, nempe felicitatatem ſupernaturalem? Non puto autem verè dici poſſe, felicitatem eſſe finem & extremum hominis. Reliqua quæ de ordine, qui eſt inter felicitatem naturalem & ſupernaturalem, diſſeris, approbo ut verè & eruditè dicta, ſed ut ipſe fateris *πάρεργα* ſunt, & ad rem ipſam argumentationis meæ non faciunt. *Poſterior argumentatio* mea etiam firma manet, ſed rectè diſponatur, hoc pacto: Actus divini placiti quo Deus ſtatuit alicui homini denegare beatitatem ſpiritualem, ſeu ſupernaturalem, eſt ex cauſa meritoria quæ eſt peccatum. At præteritio eſt talis actus. Ergo præteritio eſt ex peccato tanquam ex cauſa meritoia. Ratio *maioris: quia illa negatio non poteſt aliter quam pœna conſiderari*: at iſtam neceſſario præcedit peccatum tanquam propria illius cauſa, ſecundū modum meriti. Vnde ſequitur, Deum iſto actu verſari circa hominem non poſſe in puris naturalibus extra peccatum conſideratum. Breviter majorem & ejus rationem confirmabo, deinde tuam reſponſionem examinabo. Majorem probo. Quod enim providentia Dei homini ſub conditione præparavit, hoc illi præteritio non negat niſi, conditione non præſtita vel violata. Supernaturalem autem felicitatem Deus homini præparavit providentia ſua, &c. Deinde locus Eſaiæ plane indicat Deum Iudæos deſerturum non fuiſſe, niſi id iniquitate ſua meriti eſſent. Rationem majoris probo. Quidquid eſt contra bonum felicitatis homini ut ad imaginem Dei condito præparatum, promiſſum, & propterea ex conditione debitum, illud non poteſt aliter quam ut pœna conſiderari. At negatio felicitatis ſupernaturalis eſt contra bonum felicitatis homini ut tali præparatum: nam eſt illi ut tali præparata etiam felicitas ſupernaturalis. Ergo illius negatio eſt pœna. Deinde nullus eſt Scripturæ locus, fidenter dico, ex quo doceri poſſit illam negationem aliter conſideratam eſſe aut conſiderari poſſe, quam qua pœnæ rationem habet. Si pœna, ergo non præparata niſi peccatoribus. Statutum enim nobis eſt ex veritate, juſtitiam punientem locum niſi circa peccatores non habere. Nunc ad reſponſionem tuam. Meus ſyllogiſmus non intulit ex particulari.

Salvatio argumenti ſecundi quo minor probata fuit.

Eſt enim actus ille Dei negativus, de quo nobis agitur, ex cauſa meritoria ſolum hoc eſt, non eſt niſi ex illa cauſa, & ille actus Dei non eſſet, ſi illa cauſa non eſſet. Particula (ſolū) non valet ad excluſionem voluntatis Dei. Nam certum eſt peccatum non

Ad Iunii reſponſionem.

eſſe cauſam pœnæ actu, niſi qua intercedit voluntas Dei, peccatum punire juxta meritum volentis, alioquin poteſt peccatum tollere, & pœnam condonare. Et quomodo tibi in mentem venire potuit, illum qui peccatum ſtatuit cauſam meritoriam pœnæ, voluntatem Dei excludere voluiſſe; quam ipſa ratio cauſæ meritoriæ aliam inſuper cauſam poſtulet, quæ meritum expendat, & pro merito pœnam inferat. Fateor non omnis actus negativi cauſam eſſe in homine, ſed neque ego hoc dixi: quorſum enim id in genere diſputarem extra oleas? de actu præteritionis ſeu non-electionis ago, qua Deus homini negat ſupernaturalem felicitatem, huius ego cauſam ita in homine & ab homine eſſe dico, ut niſi illa ſit, actus ille nunquam ſit futurus. At probas hujus actus cauſam non eſſe in homine. Primo, auctoritate, deinde ratione, denique exemplo. *Ex autoritatibus* advocatis id probari nego. Doceatur quomodo illæ ſint antecedentia unde hoc conſequens deducatur. Iam ante etiam ad illas autoritates pro neceſſitate rei eſt reſponſum.

Ad auctoritatem, rationem, exemplũ quibus Iunius conatur probare cauſam præteritionis non eſſe in homine.

Ratio quam adfers id non magis probat. Peccatum primum, inquis, non eſt niſi ab actu negativo Dei; &, Actus poſitivus & negativus Dei præcedunt omnis creaturæ actui; &, nullus malus actus eſt quin & negativus Dei præceſſerit ſinentis malũ. Concedo hec omnia recte intellecta. Sed à genere ad ſpeciem non valet affirmativa, niſi univerſale ſignum acceſſerit. Multi actus negativi Dei præcedunt peccati actui: ergo etiam actus negativus præteritionis. nego ſequi. At de iſto actu controvertitur. Peccatum primum eſt ab actu negativo Dei, ſed non ab actu præteritionis. Actus poſitivus & negativus præcedunt omni creaturæ actui; ſed non actus electionis & præteritionis. Imo, inquis, Electio & non-electio antevertunt peccatum primum. Qua actu exiſtens, fateor, qua præviſum à Deo nego. Sed de iſto antea actum. At voluntas Dei liberrima eſt etiam huius negativi actus cauſa. Quis negat? Liberum enim eſt Deo vel punire peccatum vel condonare, neutrum neceſſarium etiam perpetrato peccato (intellige ubi in Chriſto reconciliatus eſt mundo) at neutrum poſſibile niſi perpetrato peccato. Liberrima Dei voluntas eſt cauſa creationis, cauſa glorificationis, & cauſa condemnationis. At creat non exiſtentes; glorificat exiſtentes & creatos, quin vocatos quoque & juſtificatos; condemnat non niſi peccatores & in peccatis hinc decedentes. Libertati ergo Dei nihil præſcribitur etiamſi peccatum iſti actui Dei negativo præcedaneum & neceſſario faciamus. Vides ergo, vir reverende, peccatum eſſe cauſam meritoriam, quæ illum Dei actum negativum neceſſariò præcedit: Et propterea rectè me ex cauſa neceſſariò præeunte collegiſſe, Deum non eſſe actu illo præteritionis negativo circa non peccatorem verſatum. *Angelorum exemplum* hic eſt diſſimile, verbo hoc monſtro. Actus Dei negativus, inquis, ex non-electione ſive præteritione, quam & relictionem Auguſtinus nominat, malos Angelos non cõtinuit à malo. At, inquam, actus Dei negativus quo homo à malo non eſt impeditus, ſed labi permiſſus in peccatum, non eſt actus

Probatur tribus rationibus actum negativum quo homo permiſſus labi in peccatum non eſſe præteritionem.

actus præteritionis, ſed actus negativus providentiæ, ut contra prædeſtinationem & præteritionem diſtinguitur. probo duabus rationibus. *Quia* ſi ex actu negativo præteritionis, jam omnes homines ſunt præteriti, omnes enim peccaverunt. *Deinde* ſi ex actu negativo præteritionis, tum peccarunt immedicabiliter abſque ſpe veniæ & remiſſionis, inſtar Angelorum qui peccaverunt. *Tertiam* addo, quod actus aliquis electionis præteritioni eodem momento oppoſitæ & hic locum habere debebit aliquorum hominum reſpectu, qui nullus hic eſt, neque eſſe poteſt; utpote omnibus ſub iſta præteritione comprehenſis. Magnum eſt diſcrimen inter actum negativum quo Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui, & actum negativum præteritionis, quod hic conſiderandum eſt. Neque ad rem mihi magnopere facere videtur, quod loco non adoptionis ut finis proprij & proximi poſui remotum conſequens non felicitatem ſupernaturalem. Nam præter id quod adoptio in theſibus tuis jam ſæpe citatis, formæ non finis occupat locum, dico Deum actu negativo quo non vult alicui homini adoptionem, non niſi circa peccatores verſari poſſe; ſaltem verſatum eſſe.

At *parit*, inquis, Deus ſibi *filios voluntate* ſed ex hominibus *peccatoribus*. In *Chriſto ipſos reſpicit* non *in ipſis*, ais. Ergo ut *peccatores*, inquam, non *in ipſis*, qua cauſam habentibus in ipſis cur ipſos reſpiciat, ſed in ipſis, qua indigis ut in Chriſto tali Mediatore conſiderentur. *Adoptivos* gignit Deus *ſine ratione ipſorum*, dicis: ſine *ratione ipſorum* fateor, *qua moveatur* Deus ad gignendum illos, *non abſque ratione illorum*, qua neceſſaria eſt illis *non generatio ſed regeneratio. Gratia vindicat ſibi totum in genitura*, ſed *magis* vindicat ſibi totum *in regeneratione*. Deum autem ſibi filios gignere ex hominibus, generationis voce aliter quam pro regeneratione accepta, puto eſſe ἀνάλογον & contra Scripturam; agimus autem de adoptione ex prædeſtinationis decreto.

Ad rationem qua propoſitionem ſyllogiſmi mei firmatam veniamus. Dixi, in illa, non poſſe negationem illam felicitatis ſupernaturalis aliter quam ut pœnam conſiderari. Negationem felicitatis dixi, non adoptionis. Ago enim hic de negatione gloriæ, non de negatione gratiæ; ad iſtam autem pertinet non adoptio, vel ſolam, vel etiam ad iſtam. At velim doceri quomodo negatio adoptionis facta homini ad imaginem Dei condito, rationem pœnæ non habeat, & propter peccatum facta non ſit. Dicis quidem illam pœnæ præviam eſſe, quia & peccati. Ego utrumque nego. Affirmanti incumbit probatio. at ego licet negans rationem meæ negationis reddam, ut declarem cauſæ meæ bonitatem. Qui ad imaginem Dei conditus eſt, ille gratia creationis eſt Filius Dei, ut Lucas dicit 3. cap. v. 38. *Adam autem fuit Dei*, videlicet, *Filius*; non genitus, ſed factus, ut habet marginalis annotatio Teſtamenti Bezæ. Et quod creationis dono quis habet, id non adimitur ei, niſi præcedente peccati merito ex juſtitia Dei. Felicitas ſupernaturalis ſive illa detur ſub conditione obedientiæ legis, ſive juxta conditionem fœderis gratiæ, ſemper hæreditatis nomine eſt cenſenda: at illa pro-

Salvatio rationis qua propoſitio Minoris ſecundi argumenti probata fuit ab Arm.

tuam reſponſionem firmatæ ſunt; quare etiam ad reliquas quæſtiones decidendas valere poſſunt.

XIII.

Propoſitio ARMINII 13.

Altera quæſtio circa ſecundam ſententiam conſideranda, de præparatione gratiæ eiuſdemque negatione.

NVnc vero quod ad præparationem gratiæ & præteritionem illi oppoſitam attinet, non quæritur an Deus aliquos tantum, qualitercumque conſideratos dignetur gratia ſalutari, aliquos vero eadem non dignetur: id enim ex Scripturis multis locis eſt manifeſtiſſimum. Sed quæſtio eſt, an prædeſtinationis & præteritionis illi oppoſitæ actu Deus verſetur circa homines in puris naturalibus conſideratos: id mihi certo perſuadere hactenus, neque ex Thoma, neque ex aliorum Thomæ aſſentientium ſcriptis potui. Obſtant autem huiuſmodi rationes.

Reſponſio IVNII *ad 13. Propoſitionem* ARMINII.

Iunius ſuum illud communiter repetit.

Quæri hic dicit, an Deus præparatione, &c. verſetur, etiam circa homines in puris naturalibus conſideratos.

ANte ſtatuimus electionem Dei & non-electionem circa hominem verſari communiter; & veriſſimum eſt. Tum in puris naturalibus ambiguè dici. Quapropter non eſt nobis quæſtio, utrum verſetur circa homines in puris naturalibus (ut accipis) conſideratos ſolum, ſi quis ad rem propius attenderit: Sed hęc potius eſt quæſtio, utrum etiam circa homines ita conſideratos verſetur. Nos affirmamus: Immo etſi modo dicendi a prima ſententia differt; tamen re convenire cenſemus maximè; quandoquidem hic ſingularis reſpectus neque à Thoma, neque ab aliis adjectus eſt, ut excludantur præcedentia; Sed tantum ut excludatur in hoc argumento conſideratio peccati, ut cauſæ. Verumtamen de argumentationibus, prout adferuntur, age videamus.

Replica ARMINII, *ſeu conſideratio Reſponſionis ad propoſitionem* 13.

Negat Arm. illud Iunii de homine communiter conſiderato, ſeque illud multis argumentis ſubinde confutaſſe dicit.

HOminem communiter conſideratum objectum eſſe decreti de quo agimus, nondum mihi ex hac reſponſione claruit, imo multis argumentis per occaſionem allatis probavi communem illam conſiderationem locum non habere, & porro aliis argumentis id data occaſione probabitur. De quæſtionis ſtatu ut hic proponitur litem non moveo tibi. Eſto hæc quæſtio, utrum Deus etiam verſetur prędeſtinationis & reprobationis decreto circa homines in puris naturalibus conſideratos. Huius ego negativam ſuſtineo. Affirmativa tibi non placet tantum, ſed ita mihi in illam inclinare videris ex theſibus & aliis ſcriptis tuis, ut etiam alterius illius affirmativam poſuiſſe mihi videaris. Si enim prædeſtinans & præteriens non conſiderat hominem ut peccatorem; ergo conſideravit ut conditum in iis quæ ex conditione habebat, vel non conditum ſed condendum. Sed hæc valeant. Ego ubique nego, & adhuc nego Deum prædeſtinationis & præteritionis actu etiam circa illos ut in puris naturalibus conſiderantur verſari, ſed dico tantum verſari illo decreto circa homines ut in peccatis conſideratos. De differentia autem primæ & ſecundæ ſententiæ jam aliquoties nobis dictum.

Statum quæſtionis ut à Iunio ponitur admittit, eiuſque negativam contra eum ſuſtinet.

XIV.

Propoſitio ARMINII 14.

Primum argumentum Arm. quo probat Deum præparatione gratiæ & illius negatione non fuiſſe verſatum circa hominem in puris naturalibus conſideratum.

PRimum, quia Adamus & omnes in eo homines ſunt conditi in gratia ſupernaturali; quare nemo in puris naturalibus conſiderari potuit. Probatur antecedens. Primo, quia omnes ad imaginem & ſimilitudinem Dei in Adamo conditi: illa autem eſt gratia ſupernaturalis, ut dictum eſt. Secundo omnibus lata eſt lex, quæ Adamo eſt data: quod inde patet, quia omnes in Adamo peccarunt, & tranſgreſſionis rei ſunt facti. Lex autem illa ſine gratia ſupernaturali præſtari non potuit, quod probo ex legis ſubjecto, ex appendice eius, ex inſtigatore tranſgreſſionis, ex inſtigationis modo. Lex requirebat obedientiam erga Deum, ut homo non ſecundum hominem, ſed ſecundum Deum viveret; quæ vita eſt, non animalis ſed ſpiritualis, cuius cauſa in homine eſt gratia ſupernaturalis. Appendix fuit comminatio mortis corporalis & ſpiritualis, corporis & animæ. Spiritualis pœna, & non tantum animali, ſed & ſpirituali bono oppoſita, addi non debuit ex æquitatis regula legi ſine gratia ſupernaturali præſtabili; præſertim cum eadem lex obſervata non poſſet ſupernaturale bonum ſeu ſpirituale adferre, utpote quæ potuerit ſine gratia ſupernaturali præſtari. Iniquum autem videtur, quod tranſgreſſio legis potuerit mereri mortem æternam & ſpiritualem, præſtatio autem non potuerit à Deo ex pacto divinæ bonitatis & juſtitiæ obtinere vitam æternam & ſpiritualem. Inſtigator fuit Sathanas, cuius ſcopus fuit hominem per tranſgreſſionem in mortem non corporis modo, ſed & animæ detrudere; & cui homo reſiſtere, niſi per gratiam ſupernaturalem non potuit. Modus tentationis ineluctabilis homini fuit, gratia ſupernaturali deſtituto.

Reſponſio IVNII *ad propoſitionem* 14. ARMINII.

Negat Iunius & antecedens & conſequens argumenti & probationem antecedentis primam à ſe confutatam dicit.

ANtecedens illud, *nempe Adamum & omnes in eo homines fuiſſe conditos in gratia ſupernaturali*, ambiguum eſt: deinde probari non poteſt, & expoſuimus antè propoſ. 10. negatur conſequens, & eſt ambiguum. De utroque ante cum fuerit actum; Ad probationes venio. Probationem ab imagine Dei ibidem confutavimus, & ſupernaturalem non eſſe per ſe oſtendimus; licet relationem & ordinationem ad ſupernaturalem gratiam habuerit, non ex natura eſſentiave ſua, ſed ab inſtituto gratiæ. Ergo negatur, ut ante. Secundæ probationis maior non ſine diſtinctione accipienda eſt: nam lex Adamo data alia fuit communis, alia particularis. Communis, id eſt, naturalis, & quæ cum naturali conjuncta, omnibus data eſt: particularis minime. Fuit autem lex particularis, ne comederet de fructu arboris ſcientiæ boni & mali. Non eſt credibile eam legem, quæ particularis fuit inſtituti, fuiſſe datam communiter: non credibile, ſi omnes in integritate permanſiſſent, in Edenen venturos ad eam arborem, ut probaretur eorum obedientia.

Ad maiorem ſecundæ probationis.

Ad Minorem.

Id denique Scriptura non dicit. Mino-

Minorem de lege communi concedimus, non eo quod lex naturalis eſſet; ſed quod natura ipſa hominis, & lex naturalis ipſius ad gratiam erat ordinata. Naturale, qua naturale, in potentia hominis fuit; quod ordinatum & relatum ad gratiam, præſtari non potuit ſine ſupernaturali gratia. De lege ſingulari falſa eſt Minor: Nam actus ſimpliciter naturalis eſt comedere de aliquo fructu, vel non comedere. Fuit penes hominem ſimpliciter poteſtas comedendi & abſtinendi ab eo fructu ex facto; licet non fuerit utrumque penes eum inſtituto & ordinatione illa juris particularis à Deo dicti. Falſa igitur eſt in hac cauſa minor. tam enim potuit nolle, non attingere, non veſci fructu, quam facere contra; idque naturali potentia (quæ tum integerrima fuit) in re naturali. Ad ſtabiliendam minorem hanc probationes quatuor adferuntur: Omnes (ut uno verbo dicam) ad modum legis communis pertinentes. De ſingulis ordine abſolvam paucis. Prima ad modum legis communis pertinet, qua & naturalis eſt, & ad gratiam ordinata. Concedimus ergo veram eſſe affirmationem de lege communi: de particulari, negamus, qua Deus obedientiam in re particulari, atque ſimpliciter naturali ſive animali exigebat. Naturalis potentiæ fuit a fructu illo abſtinere, aut edere; naturalis voluntatis fuit, experimentem mali & mortis, quam Deus prænunciaverat, fugere. In re naturali ſimpliciter hominis obedientiam probavit Deus, & in eadem miſer obedientiæ Dei renunciavit propria voluntate, non ulla neceſſitate. Non habuit, quod jure quæreretur, quum in re præſa-

Ad primam probationem Minoris.

cili ſecundum naturam, ultro obedientiam debitam non præſtiterit Domino, & verbo illius Eva verbum ſerpentis, Adam uxoris verbum prætulerit, quod Deus exprobavit.

Dixeris fortaſſe, at ſi gratia adſtitiſſet, non fuiſſet commiſſurus. Quid? an ergò etiam in re naturali, & ſimpliciſſimè quidem naturali, ſemper gratiam deſideres, aut incuſes ceſſantem? Propterea naturam dedit Deus, ut in re ſimpliciter naturali Adam uteretur virtute naturali ſua. Dedit quod ſatis eſt; plus ſatis poſtulas. Abſolvam Tertulliani verbis lib. 2, adverſ. Marcion. cap. 7. *Si ſemel homini permiſerat arbitrii libertatem & poteſtatem, & digne permiſerat, utique fruendas eas ex ipſa inſtitutionis auctoritate permiſerat; fruendas autem, quantum in ipſo, ſecundum ipſum, id eſt ſecundum Deum, id eſt, in bonum, (quis enim adverſus ſe permittat aliquid?) quantum vero in homine, ſecundum motus libertatis ipſius. Quis enim non hoc præſtat ei, cui quid ſemel frui præſtat, ut pro animo & arbitrio ſuo fruatur? Igitur conſequens erat, uti Deus ſecederet à libertate ſemel conceſſa homini, id eſt, ut contineret in ſemet ipſo præſcientiam & præpotentiam ſuam, per quas interceſſiſſe permiſſet, quo minus homo male libertate ſua frui aggreſſus in periculum laberetur. Si enim interceſſiſſet, reſcidiſſet arbitrij libertatem, quam ratione & bonitate permiſerat. Denique puta interceſſiſſe, puta reſcidiſſe illum arbitrij libertatem, dum revocat arbore, dum circumſcriptorem colubrum à congreſſu fœmina arcet: nonne exclamaret Marcion. O Dominum futilem, inſtabilem, infidelem, reſcindentem quæ inſtituit! Cur permiſerat liberum arbitrium, ſi intercedit? cur intercedit, ſi permiſit? eligat ubi ſemet ipſum erroris notet, in inſtitutione,*

an in reſciſſione, & quæ ſequuntur. Quod dicis *ſpiritualis vitæ cauſam in homine gratiam ſupernaturalem eſſe*, id certe veriſſimum credimus atque profitemur: Sed alius tamen ſpiritualis vitæ in Adamo, atque in nobis modus, in quibus hanc vitam efficit ſola ſupernaturalis gratia, cum Adam imaginem Dei integram & incorruptam cum gratia illa habuerit, ac proinde ſpiritualem vitam utroque, naturali & ſupernaturali modo. Sed hæc loci alterius. Secunda probatio à legis appendice eodem modo ſe habet planè. Hæc videtur eſſe argumentatio; Si Deus in cauſa electionis & reprobationis verſatus eſſet circa homines in puris naturalibus conſideratos (eadem puta ambiguitate, eademque hypotheſi, quam ſupra negavimus) non inſtituiſſet pœnam ſpiritualem; nec tantum animali, ſed & ſpirituali bono oppoſitam in tranſgreſſores legis ſine gratia ſupernaturali præſtabilis; nam ex regula æquitatis eſt (quod legibus duodecim cavebatur) ut noxæ pœna par ſit. Deus autem pœnam inſtituit eiuſmodi: non ergo verſatus eſt circa homines in puris naturalibus conſideratos. Hoc primum, quod in concluſione eſt, à nobis non dicitur. Sed eſto, de antecedente maioris nihil dicam: jam ſæpe dictum, negatur conſequens. nam vera eſſet propoſitio, ſi & noxæ ſive maleficia, & pœnæ ex facto ſolum (quod lex vetat) & ſpecie illius æſtimarentur. Iam autem alia multa ſunt, ex quibus maleficiorum gravitas juſtiſſimè taxari ſolet: Auctor legis, auctor criminis, objectum, finis, circumſtantiæ. Auctor legis; nam gravior eſt legis auctoritas ab imperatore, quam à tribuno latæ; à Deo quam ab homine. Auctor criminis; ſive imperans, ſive reus. Nam gravius eſt crimen quod perduellis ſuaſerit, quam quod Dominus aut Pater. Quod & in reo itidem verum eſt. Objectum; nam gravius eſt in parentem peccare, quam in ignotum; in ſe & familiam ſuam, quam in externum; in Deum quam in hominem. Finis: nam gravius eſt, ſi ſine leviſſimo, aut nullo contra legem veneris, quam neceſſario; ſi indigniſſimo & impio, quam digno & bono. de circumſtantiis quid dicam? Hæc judicio meo ſatis. Ecce autem qui legem Dei tranſgreditur, in hæc incurrit omnia; quorum vel primum unicum ſufficit ad ſpiritualem pœnam juſtiſſimè infligendam. Tu Deum legiſlatorem contemnas? quod ſi ſecundum adjeceris, tu perduellem, hoſtem publicum Dei & generis tui, atq; publici audias? Tu recens Dei opificium, & colonus Paradiſi, recens Dei mandatum præterſilias? Si tertium, tu in te, in tuos, in Deum irruas, non imprudens, quia præmonitus? &c. nonne tibi, mi frater, hæ cauſæ videbuntur capitaliſſimæ? nonne corporali pœna & ſpirituali dignæ? quæ autem in lege communi ratio, hæc eadem quoque in particulari tenenda eſt. Lex fuit particularis, eaque in re naturali, quam homo præſtare potuit naturaliter, ut ante diximus. Hic eo indignius fortaſſe dixeris de re naturali pœnam ſupernaturalem irrogari: Sed primum attende ad ea omnia, quæ modo dicebamus. Tranſgreſſus eſt homo legem Dei, à quo recens beneficia naturæ & gratiæ acceperat, & cui debeat omnia ut Imperatori ſummo. Tranſgreſſus eſt ſuaſore Diabolo, publico & conju-

Ad ſecundam probationem.

tiſſimo Dei, univerſitatis, & generis humani hoſte; cui aurem vel ſemel advertere, Deo renunciare eſt. Tranſgreſſus eſt homo recentiſſimum opificium Dei, omnis boni naturalis & ſupernaturalis hæres, colonus paradiſi, alumnus cœli, omnium dominus, ſolius Dei ſervus, & cætera. Tranſgreſſus eſt homo, vim ſibi, & peccatum mortemque & mala omnia ſibi & ſuis adferens, Deum in ſeſe dehoneſtans, de venturo malo præmonitus à Deo veritatis, & cum animo ſuo præſcius. Tranſgreſſus eſt in re leviſſima, facillimaque, & minima, quum totius mundi realiter commodis abundaret; idque fine indigniſſimo & plane impio, ut tamquam Deus eſſet ſciens boni & mali: qui autem in re minima fidelis & obſequens non fuit, quomodo fuiſſet futurus in magna? Tranſgreſſus eſt bellumo modo, ventri & cupiditati ſerviens, ad omnia cœleſtia & mundana cæcus, præterquam ad fomitem concupiſcentiæ oculorum ſibi nefariè oblatum; ad omnia ſurdus, præterquam ad vocem Diaboli. Hic ſi alias circumſtantias placeat percurrere, Deus bone, quot & quanta juſtiſſimæ damnationis, quamvis ſeveriſſimæ, exiſtent argumenta! Multis modis profectò infinita labes, quæ caſum infinitum attulit. Quod ſiquis hic mihi dixerit, indignum fuiſſe hominem de re tam exigua condemnari; is à me viciſſim audiat hæc duo: primum indignum fuiſſe hominem in re tam exigua ſummi illius principis & auctoris naturæ, gratiæ, & ſalutis ſuæ mandatum tranſgredi: ſecundo non eſſe rem exiguam, quæ ad profeſſionem debiti obſequii in rebus naturalibus, atque ad viam juſtam bonorum ſupernaturalium percipiendorum fuit ordinata. Voluit Deus Adamum hoc ſigno profiteri ſuum religioſum & voluntarium obſequium in rebus naturalibus; voluit eum hac via ad res ſupernaturaleis capeſſendas ordine contendere. Hoccine exiguum videbitur, ubi Dei voluntati, omnibuſque bonis naturalibus & ſupernaturalibus in re tantilla reſiſtitur? Sed ulterius veniam. Vtrum, amabo te, mi frater, juſtius hanc pœnam homini irrogatam putas in corruptione conſiderato, quam in puris naturalibus? Id enim ſibi vult tua argumentatio. Ego verò contra affirmare non dubitaverim. Dico Adamum gravius peccaviſſe quod integer peccavit, quam ſi in peccato poſitus. Factum in homine ſimpliciter attende; indignius eſſe, ſcio, pronunciabis, quod homo in ſtatu integritatis ſe peccato mancipat, quam ſi in ſtatu peccati in peccatum prolabatur. Iuſtius ergo eſt, Adamum in iſto peccato conſiderari à Deo ut integrum, quam ſecundum corruptionem, quæ ſupervenit poſtea. Hoc ad veritatem juſtitiæ Dei facit. Quod autem adjicis, *Iniquum autem videtur, quod tranſgreſſio legis potuerit mereri mortem æternam & ſpiritualem*, &c. id equidem à te pronunciari miror. Non enim ignoras Dei legem, ſive communem, ſive ſingularem, eſſe viæ præſentis ordinationem, ſecundum quam & Deum colimus hic officium facientes, & illuc ad metam gratiæ ſupernaturalis ferimur. Quemadmodum autem viator, cui Dominus modum viæ præſcripſerit, ſi à præſcripto diſcedit, eadem opera & viæ & metæ renunciat per ſe maleficio ſuo; ſi manſerit in via, officium facit: ita

de Adamo judicium fieri neceſſe eſt. Viator infelix viæ renunciavit: nonne ergo & metæ, quam Deus daturus erat per gratiam? ſi manſiſſet, certe fuiſſet metam aſſequuturus gratia, non merito. Cur autem? quia viam non tenendo ſervus viam & vitam amittit, ut cauſa propria mali ſui: at viam tenendo aſſequitur vitam, ut viæ conſequentem. Vtrique, morigero, & immorigero, propoſita eſt vita, ut conſequens per gratiam, non ut meritum. Hoc modo aſſequitur moriger gratiam, immoriger ſibi eſt cauſa ipſe, cur non aſſequatur gratiam, cuius viam proprio facto abdicat. *Ad tertiam & quartam probationem.* Tertiæ probationis, quæ eſt ab inſtigatore tranſgreſſionis, & quartæ à tentationis modo, eadem ratio. Tertia eſt hæc: *non potuit reſiſti Diabolo ſine gratia ſupernaturali: lex ergo ſine gratia ſupernaturali præſtari non potuit.* Et quarta: *Modus tentationis ineluctabilis fuit homini gratia ſupernaturali deſtituto: lex ergo ſine gratia ſupernaturali non potuit præſtari.* Primum, ut dem utrumque de communi lege, ut ante diſtinximus; tamen de illa ſingulari merito negari poteſt, quæ rem naturalem in naturæ poteſtate propriè ſimpliciterque poſitam imperaverat: tam enim naturale eſt, non comedere, quod eſt malum natura aut inſtituto, quam naturale eſt id comedere, quod bonum. penes hominem fuit non peccare: nam penes hominem fuit non edere naturæ facultate. Secundo autem diſtinctio nobis adhibenda eſt ad utramque harum argumentationum partem, etiam de lege Dei communi ſumptam, in eo quod ſupernaturalis gratia dicitur. Nam quemadmodum in natura triplex eſt opus providentiæ, ſuſtentare rem, qua eſt; regere, qua agit; & protegere, qua impeditur, ſive conſervare: ita etiam in piis triplex eſt opus gratiæ; ſuſtentare enim ſolet eos, & regere, & protegere. Ac ſemper quidem ſuſtentat, quia inſita & communis gratia eſt permanens; regit verò & protegit ſive conſervat, quando & quomodo vult: nam ſingularis eſt actus, & liber variantis gratiæ, quia adſiſtens, non autem inſita. Hac diſtinctione poſita ſic de argumentationibus iſtis judicium facimus. Non fuit homo ſine gratia ſupernaturali inſita vel habituali unquam: non fuit ſine adſiſtente, præterquam in iſto ſingulari facto, in quo Deus non rexit, non prætexit ipſum, quia res naturæ fuit, quam ſuum ipſius modum pro infinita ſapientia Dei attributum experiri oportuit. Seceſſerat enim (ut cum Tertulliano loquar) non quidem ab omnis, ſed ab huius gratiæ ſupernaturalis adminiſtratione Deus, ex quo homini dixerat, *de fructu quidem omnium arborum huius horti comedes*, &c. *Geneſ. 2.* atque naturæ hominis ex condicto rem totam, & quidem ſoli commiſerat: imo vero voluntati hominis ex naturæ ipſius lege facultatem præſtandi, aut non præſtandi obſequium in eo omni quod naturale eſt, omnino mancipaverat. Sed non potuit Diabolo reſiſtere; & modus tentationis fuit ineluctabilis. Negatur: nam ſi naturaliter potuit non edere de fructu vetito, in eo potuit Diabolo reſiſtere, & modus tentationis non fuit ineluctabilis: potuit autem non edere, quia res fuit ſimpliciſſimè naturalis, atque etiam ex condicto (ut modo dicebamus) in poteſtate hominis poſita. At non fecit certè, quia noluit, ſed ultrò in-

tenta-

tentationes conſenſit illius, qua de re ante in propoſitionem 7. etiam Auguſtini judicium audivimus. De præſtatione communis legis ratio diverſa eſt: quia (ut ante dicebamus) lex & in natura verſatur, & naturam ad ſupernaturalia ordinat: quæ res ſervari non poteſt, nec verò Diabolo obſiſti ſine ſupernaturali gratia ad obſervationem illius.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem* 14.

Ad ſecundam quæſt. ſeu ſ. ſecunda de gratia probatum erat ab Arm. duobus argumentis, Adamum & omnes in eo homines conditos eſſe in gratia ſupernaturali; prius ab imagine Dei iam ante excuſſum in propoſ. 10. Alterum à lege hominibus in Adamo lata, hic iam ſalvatur. Et Primo quidem Majore.

ADamum & omnes in eo conditos eſſe in gratia ſupernaturali, id eſt in primo ſtatu, non tantum naturam ſed & ſupernaturalem gratiam habuiſſe, ſive ex actu creationis ſive ex ſuperinfuſionis, his argumentis quæ hic adfero, probare inſtituo. Unde concludo neminem in puris naturalibus conſiderari Deo prædeſtinanti & prætereunti ſive reprobanti potuiſſe. *Argumentum prius* deſumtum eſt à natura imaginis Dei ad quam ſeu in qua homo eſt conditus. Alterum ex lege quæ Adamo & omnibus in eo hominibus eſt lata quam dico non præſtabilem ſine ſupernaturali gratia. De *priore argumentatione* ante nobis dictum ad reſponſionem propoſitionis decime: ad illa me refero. *Poſteriorem* jam conſiderabimus, & primo eius maiorem, quæ ponit legem Adamo datam omnibus hominibus latam eſſe; addita probatione, quia omnes homines in Adamo peccarunt, & rei transgreſſionis ſunt facti. Majorem attingis probationem præterita. Ego videbo quomodo illam infringas, & quas hæc vires habeat illi ſtabiliendæ. Diſtinguis inter legem Adamo latam, eamque duplicem facis; aliam communem & naturalem, aliam particularem; illam omnibus latam eſſe dicis, hanc non omnibus. Accipio quod dicis de communi & poſtea adhibebitur ad firmandum meum propoſitum. De particulari quod ais, univerſe non concedo. Lex enim illa de arbore vetita partim fuit particularis inſtituti, partim communis. Eſt enim ſymbolica, quare duabus partibus conſtans, ſymbolo & ejus ſignificato. Symbolum fuit abſtinentia à fructu arboris vetitæ, ſignificatum abſtinentia ab inobedientia & malo, obedientiæque experimentum. Quatenus abſtinentia ab inobedientia & declaratio à malo ea lege eſt præcepta, eatenus Lex illa eſt communis. Sed qua ſymboli obſervationem præcipit lex illa dupliciter adhuc conſiderari debet: vel qua ſymboli ſimpliciter; vel qua iſtius ſymboli obſervationem præſcribit. Qua ſimpliciter ſymboli alicujus obſervationem ad teſtandam hominis obedientiam erga Deum Lex præſcribit; ea ratione eſt communis: Nam voluiſſet Deus omnium hominum obedientiam ſymbolo aliquo ſive hoc eodem ſive alio experiri, ſi contigiſſet illos in integritate naſci. Probo primo. 1. Quia voluit Adami: reliquorum autem hominum eadem futura fuiſſet ratio, ſi nati fuiſſent in illo ſtatu in quo Adam eſt conditus reſpectu imaginis Dei. Secundo, Quia convenientiſſimum fuit ut obedientiæ experimentum in re indifferenti ſumeretur: at lex rem indifferentem jubens vel vetans eſt ſymbolica & ceremonialis. Quatenus autem iſtius ſymboli obſervatio nempe abſtinentia à fructu arboris

vetitæ

vetitę eſt lege iſta præſcripta, poteſt aliqua ratione communis, aliqua fors particularis dici. Communis ut Adamo & Evæ tanquam humani generis radicibus & individuis principalibus: in quibus totum humanum genus ut in origine & ſtirpe ſua tum continebatur, eſt præſcripta. Particularis, qua ijſdem ut individuis perſonis lata, & qua fors aliis jam natis, in ſe non in parentibus primis conſideratis lata non fuiſſet. Fors dico. Quia novit tua prudentia eſſe, qui putent, ſi homines primi perſtitiſſent, omnes ab ijs naſcituros in Paradiſo converſaturos fuiſſe: & non ſine ratione probabili. Si enim paradiſus ille terrenus fuit ſymbolum regni cœleſtis, quod videtur ex eo, quod tertium cœlum, ſedes beatorum Paradiſus in Scriptura dicitur: ſane veriſimile eſt neminem hominum ex iſto terreno Paradiſo exceſſurum fuiſſe: niſi ſe per peccatum indignum cœleſti Paradiſo reddidiſſet. Sed id relinquo in medio. Cæterum quod & illa lex (ut jam ad rationem majoris meæ propoſitionis veniam) quam Adamus eſt tranſgreſſus omnibus hominibus lata ſit, probavi argumento invicto quod tu prętérijſti. Nam omnes in Adamo peccarunt Peccatum autem eſt legis tranſgreſſio. Legem tranſgredi nequit cui non eſt lata. Quare illa lex quam Adamus eſt tranſgreſſus, lata fuit omnibus qui in illo peccaſſe dicuntur. illa autem Lex non fuit alia, quam quæ particularis tibi dicitur. Brevius. Ea lex quā omnes homines in Adamo peccando tranſgreſſi ſunt, eſt lata omnibus hominibus. At legem de arbore vetita omnes homines in Adamo tranſgreſſi ſunt. Adverſus nullā enim aliam legem Adam peccaſſe legitur, imò peccati adverſus illam commiſſi rei omnes dicimur in Scriptura. Ergo illa Lex omnibus hominibus eſt lata. Quocunque reſpectu mihi perinde eſt, & æqualiter facit ad ſententiæ meæ confirmationem.

Repetitur ratio Majoris quam Iunius præterijt.

Salvatur deinde Minor.

Ad minorem venio. At lex illa ſine gratia ſupernaturali non fuit præſtabilis. Concedis de lege communi, negas de illa, qua vetitus eſus de illo arbore. illud accipio & inde concludo meum propoſitum. Lex quæ præſtari non potuit ſine gratia ſupernaturali non debuit poni niſi ijs qui gratia ſupernaturali à Deo eſſent donati. At lex communis præſtari non potuit ſine gratia ſupernaturali. Ergo poni non debuit niſi gratia ſupernaturali a Deo donatis. Poſita eſt autem Adamo & omnibus in eo hominibus. Ergo Adam & omnes in eo homines habuerunt gratiam ſupernaturalem. Ergo in puris naturalibus conſiderari a Deo prædeſtinante & reprobante non potuerunt. Hoc meo propoſito ſufficere poſſet. At dico neque hanc legem de arbore vetita præſtari ſine gratia ſupernaturali potuiſſe, non quidem qua actus externus abſtinentia à fructu arboris illius eſt præſcriptus, ſed qua ſub illo ſymbolo mandata eſt obedientia, & homini injunctum, ut non ſecundum hominem, ſed ſecundum Deum viveret. Quod & tum fateris, quum dicis, non fuiſſe penes hominem tum abſtinere tum comedere inſtituto illo & ordinatione juris particularis a Deo dicti, licet utrumque penes eum fuerit ex facto. Præſtanda autem lex fuit homini non ex facto tantum, ſed ex ordinatione illa juris particularis. Probationes meas quas attuli, dicis

Salvantur probationes Minoris. dicis ad modum legis communis pertinere, eſto, & hinc concludo propoſitum ut ante monſtravi, & docui in illa lege quam particularem vocas aliquid eſſe communis legis. Ergo & iſthoc reſpectu valent, & *Prima.* *prima* quidem valet, ut apparet ex hiſce jam dictis. Nam qua obedientiam poſtulavit non tantum in externò facto, ſed in interno animi affectu conſtantem, ea ratione ſine gratia ſupernaturali præſtari non potuit. *Secunda.* *Secunda* mea probatio abs te non percepta videtur ſenſui meo accommodatè. Ejus autem mens hæc eſt, & vis in hoc conſiſtit. Quod ſpiritualis pœna non poſſit poni tranſgreſſione illius legis, cujus legis præſtationi non ſit promiſſum ſpirituale bonum. Hujus autem legis præſtationi ſpirituale bonum non eſt promiſſum, ſi quidem præſtari poſſit abſque ſupernaturali gratia. Nam ſupernaturalis gratia & ſupernaturalis felicitas ſunt analoga. Vnde ſequitur per regreſſum; ſi ſpiritualis pœna iſtius legis tranſgreſſioni eſt poſita, tum etiam ſpirituale bonum ejuſdem præſtationi eſſe promiſſum, & propterea non niſi gratia ſupernaturali præſtabilē fuiſſe: ſecus natura ſuo facto aſſequi poteſt ſupernaturale bonum. Hic autem conſideranda in tranſgreſſione & præſtatione legis triplex differentia. Prima, quod unica legis tranſgreſſio mereatur pœnam, prœmium autem non obtingat niſi ijs qui ad finem uſque legem ſervarint. Secunda quod unius præcepti tranſgreſſio mereatur pœnam, at prœmium non obtingat niſi ijs, qui omnia ipſis poſita præcepta ſervarint. Tertia, Quod trāſgreſſio præcepti æſtimetur ex omiſſione vel facti externi, vel interni affectus, vel utriuſq; ſimul, inſuper ex fine; adeò ut tranſgreſſor habeatur qui in uno iſtorum delinquit: præſtatio autem judicetur ex omnibus illis junctis, neque perfecta æſtimetur niſi ex integra cauſa. Quæ vero de gravitate peccati a primis parentibus perpetrati dicis, veriſſima eſſe agnoſco, neque puto verbis atrocitatem illius declarari poſſe. At unde colligis meam argumentationem velle, quod juſtius infligatur pœna homini præceptum tranſgreſſo quum in corruptione & peccato eſſet, quam quum integer eſſet? Ego hic iſta non oppoſui. ſed hominem in puris naturalibus oppoſui eadem ſupernaturalia habenti. Huic tranſgredienti juſtius infligitur pœna quam illi; imò illi injuſtè ſi lex non fuit præſtabilis ſine gratia ſupernaturali: & ſi legis præſtatio non habuit promiſſionem ſpiritualis boni, injuſtè tranſgreſſori illius legis infligitur pœna ſpiritualis. de duabus poſtremis rationibus meis & tua ad illas reſponſione nihil dicam, *Tertia & quarta.* tum quia in præcedentibus plæraque dicta, tum quia mihi concedis hominem ſine gratia ſupernaturali habituali non fuiſſe. Vnde ego concludo hominem in puris naturalibus conſiderari non potuiſſe prædeſtinanti Deo: utpote quum non fuerit in puris naturalibus. In eo ergo conſentimus. At dicis. Hæc argumenta nihil faciunt adverſus ſententiam, quæ hominem communiter conſiderat. Reſpondeo. quod hæc argumenta probant hominem communiter conſiderari non potuiſſe. Non enim potuit conſiderari in puris naturalibus. In ſupernaturalibus autem conſideratus non eſt reprobatus ſive præteritus. Nam reprobatione ſeu præteritione relinquitur

quitur homo in natura quæ nihil ſupernaturale aut divinum poteſt, ut eſt in tuis theſibus. Deinde ſupernaturalia illa habent commenſurationem & proportionem ad ſupernaturalem felicitatem ex providentia Dei. Porro quibus Deus actu providentiæ ſuæ affirmativo vult ſupernaturalem felicitatem, iis non poteſt actu præteritionis negativo nonvelle eandem felicitatem, niſi eos conſideravit, ut per media iſta ſupernaturalia ad eam non perventuros; ſed vel peccaturos, vel jam reipſa tranſgreſſos libera voluntate ſua. Alioqui eſſent duo contrarii actus Dei circa unum ſubjectum ratione eiuſdem & eodem tempore conſideratum.

XV.

Propoſitio ARMINII 15.

Alterum argumentum Arm. quod gratia prædeſtinatione præparata homini, ſit Euangelica, conſiſtatque remiſſione peccatorum & regeneratione.

SEcundo, quia gratia prædeſtinationis, ſeu prædeſtinatione homini præparata, eſt Euangelica, non legalis: illa autem non eſt præparata homini: niſi ut peccatori cõſiderato. Eſſe autem Euangelicam claret, quia prædeſtinationis decretum, eſt peremptorium: Ergo de gratia non legali, qua poteſt homo non uti, utpote legem tranſgrediens, & tamen ſalvari; ſed de Euangelica, qua ſalvari debet, aut à ſalute excludi. Deinde quia gratia prædeſtinatione præparata, eſt remiſſionis peccatorum, & regenerationis, id eſt, averſionis à peccato, & converſionis ad Deum, per mortificationem veteris, & vivificationem novi hominis.

Reſponſio IUNII *ad propoſitionem* 15. ARMINII.

Diſtinguit Iunius gratiam Euangelicam, in conſervationem, quæ fit Angelorum & acquiſitionem quæ hominum peccatorum. Gen. 2.

MAjorem accipio rectè intellectam: ſed in quæſtione de minore ſeu aſſumptione exponetur. Aſſumptionem, quam adfers, diſtinguo: nam de gratia Euangelica communiter accepta ſecundum naturam, falſa eſt; ſecundum nos, veriſſima. Non valet autem (ut ſcis) à dicto ſecundum quid ad id quod ſimpliciter. Rem exponam paucis. In gratia ſupernaturali Euangelica duæ ſunt partes, una conſervatio eorum, qui in gratia ſunt: altera, eorum qui in gratia non ſunt acquiſitio. Huius autem gratiæ alius ordo natura eſt, alius ſecundum nos. Naturalis ordo eſt, ut qui ſunt in gratia conſerventur (hoc Angelis prædeſtinatione & electione factum) deinde ut qui non ſunt in gratia acquirantur, ut fit hominibus. Secundum nos vero qui jam à gratia excidimus, ordo diverſus eſt: prius enim acquiri oportet eos qui ſunt perditi, ut facit Chriſtus Euangelio: deinde vero conſervari, ut facturus in æternum eſt virtute ſua in cœlis, quum ſimiles Angelis erimus. Minor igitur falſa eſt ſimpliciter, ſi dixeris, gratia Euangelica ſimpliciter non eſt præparata homini, niſi ut peccatori conſiderato: nam homini ſimpliciter communiterque præparata eſt; quod etiam Deus propoſito in Edene ſymbolo arboris vitæ eſt teſtificatus homini. Sin autem dixeris de hac gratia Euangelica. i. hoc modo & ordine conſtituta, minorem accipio quidem: ſed non

valet

valet conſequutio, ut modo dicebamus. Gratia enim Dei ſecundum ſubſtantiam una eſt Euangelica, ſed ordine & modo duplex, qui modus & ordo non mutat ſubſtantiam rei. Quapropter nihil attinuit ad rem, ut probaretur maior; quam etiam, ſi bene intelligatur, religioſe affirmamus. Quod dicis *poſſe hominem gratia legali non uti, & tamen ſervari*, durum eſt, niſi commodè (ut ſcio te ſentire) explicetur: ſed hoc nihil ad quæſtionem. Poſtremo, quod gratiam Euangelicam circumſcribis remiſſione peccatorum, regeneratione, &c. tu ipſe, mi frater, ex iis quæ modo diximus, vides imperfectum eſſe: quia conſervationem præteris, alteram eſſentialem illius partem. Alioquin rem ipſam concedimus & credimus.

Circumſcribere eam remiſſione peccatorum & regenerationem dicit imperfectum eſſe.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem* 5.

Repetit Arminius argumentum ſuum, idque forma ſyllogiſtica ponit.

ARgumentatio mea eſt huiuſmodi.

Gratia Euangelica non eſt præparata homini niſi ut peccatori conſiderato.

At gratia prædeſtinationis ſeu prædeſtinatione homini præparata, eſt Euangelica.

Diuidit illud ſaluat.

Ergo gratia prædeſtinationis non eſt præparata homini niſi ut peccatori conſiderato.

Syllogiſmus ſua figura & modo, & tribus terminis conſtat. Quare non aliud, neque plus quam eſt in præmiſſis concludit. ut ut enim gratia Euangelica communiter conſiderata duos haberet partes, tamen ego gratiam Euangelicam, de qua loquor, ad unam partem reſtrinxi: nam de gratia Euangelica loquor, quæ homini eſt præparata. Homini autem non illa communiter accepta ſed altera tantum eius pars eſt præparata: quæ eſt acquiſitio eorum qui in gratia non ſunt: non conſervatio illorum qui in gratia ſunt. nullus enim hominum in gratia quam in creatione obtinuit, conſervatus eſt, omnes exciderunt. Quare nulla hic eſt fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.

Per gratiam Euangelicam ſe intelligere dicit non eam qua Angelis, ſed eam qua hominibus per prædeſtinationem eſt præparata, nempe acquirentem, qua in ſolos peccatores quadrat.

Gratiam enim Euangelicam in majore & minore prorſus eodem modo ſumo: non ibi ſecundum naturam, hic ſecundum nos aut vice verſa, ſed utrobique ſecundum nos, nempe qua hominibus non Angelis eſt præparata. Ergo tum major tum minor, te fatente, eſt veriſſima.

Ad exceptionem Iunii quod gratia homini ſimpliciter & communiter præparata ſit.

At dicis ſimpliciter falſum eſſe, gratiam Euangelicam homini non eſſe præparatam niſi ut peccatori conſiderato, eo quod homini ſimpliciter communiterque præparata eſt, ut Deus homini teſtatus eſt ſymbolo arboris vitæ in Edene homini propoſito. Reſpondeo. Æquivocationem eſſe in præparandi voce, ea diſcuſſa veritas meæ ſententiæ erit manifeſta. Præparatio gratiæ eſt aut prædeſtinationis aut providentiæ ut contra illam diſtinguitur. Providentia præparatur gratia ſufficiens, & ſi efficax ut nonnulli volunt, non finaliter efficax. Prædeſtinatione præparatur gratia efficax & quidem finaliter talis. Prædeſtinatio enim addit ſupra providentiam certitudinem eventus ut loquuntur Scholaſtici, providentia præparatur gratia communis quæ eſt hominum promiſcue; prædeſtinatione ſingularis quæ eſt electorum propria. Provi-

Non agitur de gratia per providentiam, ſed per prædeſtinatione præparata; quæ ea ſola eſt qua homini ut peccatori convenit.

dentia præparatur gratia tum legalis tum Euangelica. Prædeſtinatione Euangelica tantum, providentia præparatur gratia tum in Paradiſo tum extra Paradiſum communicabilis. Prædeſtinatione præparatur gratia quæ in Paradiſo communicari non potuit. Iam vero ſymbolo arboris vitæ teſtificatus eſt Deus gratiam communem non ſingularem, gratiam legalem non Euangelicam, gratiam in Paradiſo communicabilem, gratiam denique ſufficientem non efficacem. Ergo gratia quam Deus ſymbolo arboris vitæ eſt teſtificatus, eſt providentiæ non prædeſtinationis. Huiuſmodi autem gratia Euangelica, quæ finaliter efficax, ſingularis non communis, non niſi extra Paradiſum communicabilis, & quæ homini prædeſtinatione eſt præparata, non eſt alia, quam quæ homini ut peccatori conſiderato tantum eſt conveniens. De gratia itaque Euangelica, id eſt, hoc modo & ordine conſtituta majorem & minorem accipio. Quare conſecutio valet. Et licet gratia ſubſtantiâ ſit eadem, modoque tantum & ratione variet, tamen variatio iſtius modi facit, ut gratia iſto modo & ordine conſtituta non poſſit niſi peccatori certo præparari. Tota res planius conſtabit, ſi concludam additis probationibus aſſumptionis illius ſyllogiſmi antecedentis.

Syllogiſmi præcedentis repetitio cum probationibus, ad rei evidentiam.

Gratia Euangelica, qua homo reipſa ſalvatur, quæ conſtat remiſſione peccatorum & regeneratione, non convenit homini niſi ut peccatori conſiderato.

At gratia prædeſtinatione præparata homini, eſt gratia Euangelica, qua homo reipſa ſalvatur, conſtans remiſſione peccatorum & regeneratione,

Ergo gratia prædeſtinatione homini præparata non convenit homini niſi ut peccatori conſiderato. Et per conſequens,

Deo prædeſtinante homo non eſt conſideratus in puris naturalibus; quod erat probandum.

Quam inconveniens argumentatio futura ſit, ſi gratia homini ſimpliciter communiterque præparata hic intelligatur.

Si vero quis hoc pacto concludat,

Gratia Euangelica homini ſimpliciter communiterque præparata eſt.

At gratia homini prędeſtinatione præparata eſt gratia Euangelica.

Ergo gratia prædeſtinatione præparata eſt homini ſimpliciter communiterque conſiderato. Ille non uno modo fallet in iſta argumentatione ſua. Nam primo maior falſa eſt ſimpliciter ſumta. Gratia enim conſervationis in ſtatu primævo, quam tu etiam Euangelicam vocas reſpectu Angelorum non eſt præparata homini. Deinde quatuor ſunt termini in ſyllogiſmo. Nam in majore gratia Euangelica ſimpliciter dicitur, in minore ſecundum quid. Si dicatur in minori eodem ſumi modo quo in majore, tum etiam minor ſimpliciter falſa eſt. Nam gratia prædeſtinatione homini præparata eſt gratia Euangelica ſecundum quid, & noſtri reſpectu intellecta. Vtor tuis phraſibus, ſed quid ſi negem, Gratiam quæ Angelis electione & prædeſtinatione eſt facta, Euangelicam dici poſſe? & petam illius, quod dicis, probationem? quod meo jure poſſem. Nam inprimis prout Euangelium nobis explicatur in ſacris literis, certum eſt gratiam Angelis factam Euangelicam dici nõ poſſe. Euangelii enim ſumma eſt hæc. Reſipiſcite & credite Euangelio, ſeu credite in Ieſum Chriſtum

Gratiam quæ Angelis facta eſt ſecundum ſtylum Scripturarum poſſe dici Euangelicam.

Filium

Filium Dei, & remittentur vobis peccata, accipietiſque ſpiritus ſancti donum, & inde vitam æternam. Hæc Angelis electis nullo modo conveniunt. Si dicas, non eſſe Euangelicam eo modo quo Euangelium hominibus peccatoribus accommodatum eſt; ſimpliciter tamen Euangelicam dici poſſe, utpote ſecundum quam in ſtatu ſuo ſunt conſervati. Patere, mi frater ut probationem illius abs te petam. Ego pro tenuitate meæ capacitatis nullam aliam rationem iſtius tuæ ſententiæ concipere poſſum: quam quod Chriſtus etiam Angelorum Mediator dicitur, & Angeli in illo electi dicuntur. Sed novit tua dignitas id inter doctos controverti, & jam ante aliquid de eo nobis dictum eſt. Ego vero etiam conceſſo eo quod Chriſtus Mediator Angelorum dici poſſit, mihi perſuadere non poſſum gratiam quæ Angelis facta eſt, aliquo Chriſti merito, ſeu opere quod pro Angelis apud Patrem peregit, illis paratam & impetratam eſſe. Gratia autem quam Chriſtus non impetravit Euangelica dici, mea ſententia, non poteſt. Deinde puto duplicem in univerſum eſſe viam modum & rationem obtinendæ felicitatis æternæ ſupernaturalis. Vnam ſtrictæ juſtitiæ & legalem, alteram miſericordiæ & Euangelicam: quemadmodum etiam duplex eſt fœdus Dei, operum unum, alterum fidei; unum juſtitiæ, alterum gratiæ: unum legale, alterum Euangelicum. Per illam viam & rationem felicitas obtinetur perfecta legis creaturæ à Deo datæ obedientia: per hanc vero viam & rationem obtinetur felicitas inobedientiæ remiſſione & juſtitiæ imputatione. Aliam viam mens humana concipere nequit: ſaltem nulla alia ſacris Scripturis eſt patefacta. Hi duo modi hunc inter ſe ordinem habent, ut iſte præcedat, ſic juſtitia Dei, conditione creaturæ, & natura rei ipſius poſtulante: alter modus ſequatur, ſi quidem per illum priorem felicitas creaturæ obtingere nequeat & Deo viſum ſit etiam illum creaturæ proponere, quod omnino eſt puri puti arbitrii divini. Poteſt. n. inobedientiam punire vel condonare. Vtraque via & ratio circa hominem eſt uſurpata, ut Scriptura declarat multis locis, & breviter loco ad Rom. 8. v. 3. *Nam quod erat impoſſibile legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus ſuo ipſius Filio miſſo in ſimilitudine carnis peccati, idque pro peccato, peccatum condemnavit in carne.* Circa Angelos verò puto illum priorem modum tantum uſurpatum eſſe, Deumque ſtatuiſſe cum Angelis juxta fœdus legale, juſtitiæ ſtrictę & operum agere; in hominum vero ſalute omne ſuum bonum explicare: quemadmodum ex eo apparet quod Angeli prævaricatores citra ullam ſpem veniæ immedicabiliter peccarunt, reliqui vero non veniam malefactorum obtinuerunt quæ non commiſerunt, ſed in ſtatu ſuo conſervati & confirmati ſunt: ſors gratia quæ illis obtigit mediante Chriſto, & gratiam cum illis communicante; rectè non illa; quam Chriſtus aliquo ſuo facto, pro ipſis apud Deum perpetrato, illis meruerit aut impetraverit.

Sed hæc παρέργως. Illa phraſi qua dico hominem gratia legali poſſe non uti, & tamen ſalvari, idem volui, quod tu dixiſti, Deum poſſe, ſi velit, iniquitatem tollere ut nubem: & puto Apoſtolum idem dicere. Rom. 4. *Qui non operatur* (id eſt

 qui

qui legem non implet & propterea gratia legali non utitur, ſed credit in eum, qui juſtificat impium, illi fides pro juſtitia imputatur. Sed hoc nihil ad propoſitum. Quod autem gratiam Euangelicam circumſcripſi remiſſione peccatorum & regeneratione, nihil peccavi. Non enim illam qua communiter (ſi tamen iſta ſit) ſed qua ſecundum nos conſideratur, explicui. At illa ita explicata, partem illam, quæ conſervationis dicitur, excludit, (niſi conſervationis vox ſignificet perſeverantiam in ſtatu reſtaurationis.) Nos enim non ſumus ſalvati conſervatione in primævo ſtatu: nobis gratia conſervationis in primęvo ſtatu non eſt prędeſtinatione præparata. Cedimus enim omnes & peccavimus. Hic rurſus monendum, nos nihil de Angelis agere, itaque quæ Angelis & hominibus ſunt communia, hic ex lege κατ' ὅλον, & methodi eſſe contrahenda ut hominibus ſolis conveniant, ſecus in ſpecie de genere dicemus.

XVI

Propoſitio ARMINII 16.

Tertium argumentum Arm. quod relictio creaturæ in natura ſua ſit cauſa peccati, per non dationem prohibentis.

TErtio, quia relictio creaturæ in natura ſua, creaturæ inquam cui lex lata eſt ſola gratia prędſtabilis, eſt cauſa peccati per remotionem aut non dationem eius quod ſolum poteſt à peccato prohibere. Hoc autem eſt gratia. Qua ratione hæc ſententia in illam priorem incidit, quæ peccati ordinationem decreto adſcribit, unde neceſſario peccatum exiſtit.

Reſponſio IUNII *ad Propoſitionem* 16. ARMINII.

Dicit Iunius legem Symbolicam homini integro præſcriptam ſola natura præſtabilem fuiſſe.

PRopoſitio de homine integro vere non poteſt prædicari: nam lex Adamo in integritate fuit non ſola gratia, ſed natura ſimul & gratia præſtabilis, cum natura ipſius eſſet rectè ad gratiam ordinata: defecit autem in re naturali, & natura præſtabili, quæ non erat communis legis, de qua hic habetur ſermo; ſed ſingularis legis ad ſolam naturam reſpicientis, atque pertinentis ſimpliciter, & ab ea ſola præſtabilis, ut Deus ipſe Adamo prænunciaverat, ut in propoſ. 14. ante oſtendimus. De nobis vero, prout jam ſumus, optime enunciari poteſt, legem ſola gratia præſtari poſſe. Immo ne præſtari quidem à nobis poteſt, ſed imputatur per gratiam, & fide præhenditur per Chriſtum pręſtita. Pręterea & illud falſum eſt, *relictionem creaturæ in natura ſua, &c. cauſam eſſe peccati per remotionem aut non dationem prohibentis*, ſi intelligitur univerſe. Tum enim partialis cauſa eſt peccati, quum removetur, aut non removetur prohibens, ſi debetur: ſin autem non debetur, partialis cauſa peccati merito dici non poteſt. Si debet agere, in culpa eſt: ſi non debet, non eſt in culpa peccati, ſi deeſt. Hoc natura ipſa docet, & Clemens Alexandrinus duobus locis Stromat. exponit commodiſſimè. In lege autem & naturale eſt aliquid, quod Adam præſtare natura potuit, & aliquid ad gratiam ordinatum, cui ſola natura non potuit ſufficere. Quamobrem licet in legem naturalem pecca-

Item non dationem prohibentis cauſam peccati non eſſe niſi debita fuerit: debitam autem ad præſtationem legis ſingularis [illegible] non fuiſſe.

peccaviſſet Adam, ſi tamen in re naturali (ubi indebita gratia) peccaviſſet, ſola voluntas eius in culpa fuiſſet, non deſtitutio gratiæ; prout accidiſſe in illa ſingulari lege conſtat Adamo data. Eſt igitur inanis concluſio. De ordinatione peccati & decreto Dei, & quid ſit ordinatio propriè accepta, diximus in propoſit. 6. Quod inde neceſſario peccatum exiſtat, eſt in conſequentis argumentationis; cum Dei ordinatio nihil agat indebitum, ſed is qui peccatum facit; & nihil omittat debitum, ſed omnia præſtet perficiatque ſapientiſſimè. Sed de hac re tota in propoſitione 6. ſatis.

Replica ARMINII *ſive conſideratio Reſponſ ad propoſitionem* 16.

Gratia poſitione naturam non excludi dicit Arminius.

QVum gratiam dico non excludo naturam; illa enim præſupponit hanc: tantundem autem valet iſta phraſis, ſola gratia præſtabilis, atque ſi dixiſſem, non præſtabilis ſine gratia, particula (ſola) non ad excluſionem naturæ ſed ad neceſſariam gratiæ incluſionem faciente. Poſitis vero illis antecedentibus; legem homini datam quam præſtare non poteſt ſine gratia & gratiam illi homini non eſſe datam; ſequitur concluſio, peccati cauſam non eſſe hominem, ſed illum qui talem legem poſuit, & præſtandi facultatem non tribuit: vel ut rectius dicam, tum tranſgreſſio illius legis peccatum dici nequit, quum lex illa ſit injuſta, Dei velut metentis ubi non ſeminavit, quod abeſt à bono & juſto Deo; & tranſgreſſio ejus ſit neceſſaria, non voluntaria, ab impotentia non tranſgrediendi. Quare uſquequaque verum eſt: Qui non dat id ſine quo peccatum vitari nequit, vel removet id ſine quo lex præſtari nequit, is vero eſt autor peccati, vel potius cauſa quod lex illa non obſervatur, quæ non obſervatio tum peccati rationem habere nequit. Conditio illa, ſi debetur prohibens, fruſtra hic additur. Neceſſario enim debet Deus homini potentiam præſtandi illam legem, quam illi ponit, niſi forte homo ſe potentia privaverit ſua culpa, tunc Deus ab ejus reſtitutionem non tenetur. At ille caſus in primo ſtatu ante peccatum locum non habet. Hoc ſenſu concedo enim qui potentiam præſtandi legem & vetandi peccatum non tenetur dare, non eſſe autorem peccati ſi non det; ſed hoc addendum: Deum teneri dare potentiam illam, ſi dedit legem cujus præſtatio illam neceſſario requirit. Deus quidem nemini quidpiam debet ſimpliciter; nemo enim illi dedit ut retribuatur ei; ſed poteſt Deus aliquo ſuo actu ſe debitorem homini facere, vel promiſſo, vel poſtulatione actus. Promiſſo, ſi polliceatur ſimpliciter vel ſub conditione, tum ſimpliciter, aut præſtita conditione eſt debitor. *Non eſt iniuſtus Deus ut obliviſcatur operis veſtri* Heb. 6. Poſtulatione actus debitor eſt dandi potentiam actui illi præſtando neceſſariam Si non det & nihilominus poſtulet actum data lege, tum ipſe cauſa eſt quod homo legem illam tranſgreditur, non homo, Eſaiæ 5. Cæterum de antecedentibus illis, an lex homini lata, ſit ſine gratia præſtabilis necne, & an homo ſupernaturalem gratiam in primo ſtatu acceperit, in reſponſione propoſ. 10. & 14. actum eſt ſatis. Neque ad

Deum duplici modo ſe debitorem facere dandi potentiam homini; primo ſi promittat. 2. Si legem ferat ſine illa non præſtabilem.

ad rem facit quod dicitur. Si homo in re naturali (ubi in debita gratia) peccaviſſet, ſola ejus voluntas in culpa fuiſſet, non deſtitutio gratiæ: quis enim hoc negat? ſi per naturæ vires lex illa præſtari potuerit. Quod vero hoc acciderit in illa ſingulari lege Adamo data. id pernego. & cauſæ negationis jam ante ad reſponſ. 14. propoſ. nobis redditæ ſunt. de ordinatione peccati & quomodo illud decreto Dei ex mente Calvini & Bezæ ſubſternatur propoſ. 6. dictum eſt. Dei ordinatio nihil agit indebitum, fateor: ſed talis ordinatio peccati qualem illi Deo tribuunt, quia Deo non convenit, non mirum eſt, quod ex ea quid indebitum Deo tribuatur.

Negat Arminius legem illam ſingularem Adamo datam per naturæ vires fuiſſe præſtabilem.

XVII.

Propoſitio ARMINII 17.

3. quæſtio. 2. ſent. de præparatione pœnæ ſic præteritorum.

AD tertiam quæſtionem quod attinet, in ea non controvertitur, an Deus aliquorum peccatum prævidens, pœnas illis meritas præparaverit; ſed an ita præteritorum & in natura relictorum peccatum prævidens pœnam illis ab æterno præparaverit. Quod mihi non videtur.

Reſponſio IUNII *ad Propoſitionem* 17. ARMINII.

QVorum peccato meritas pœnas præparavit Deus, ij non ſunt electi: ergo ſunt præteriti atque reprobati. Quod autem ita ſint præteriti, ut convenit ſapientiæ Dei, antè eſt demonſtratum.

Replica ARMINII, *ſeu conſideratio Reſponſionis ad propoſitionem* 17.

QVod illi, quorum peccatis meritas pœnas præparavit Deus, non ſunt electi, univerſe verum non eſt. Nam & electorum peccatis præparavit meritas pœnas, tum eas Christo imponendo ut expiaret illa, tum ab ipſis electis aliquando eas repoſcendo, ut diſcant quomodo in æternum tractari meruerint, tractandique fuerint, niſi Deus ipſorum miſereri ſtatuiſſet. At verum eſt ſi de præparatione per decretum de quo agimus intelligatur. Illo enim decreto non tantum peccatis meritæ pœnæ præparantur, ſed etiam reipſa peccatoribus & in æternum infliguntur. Quin potius illo decreto, pœna paccato non præparatur ut merita vel debita, ſed ut per miſericordiam, quæ debitum nonnullis remittit, non condonanda. Quam diſtinctionem poſtulat ordo electionis & prædamnationis illi oppoſitæ. Electio enim pœnam meritam & debitam condonat. Prædamnatio illi oppoſita pœnam meritam & debitam non condonat. Infligitur ergò per damnationem prædamnationis exſecutionem non ut merita ſeu debita, ſed ut non condonata. Deinde diſtinguendum inter præparationem pœnæ factam à providentia Dei juſta, & præparationem pœnæ factam decreto prædamnationis divinæ, quæ electioni opponitur. Illam enim evadunt omnes reſipiſcentes & credentes in filium. Hanc nullus evadit. Quia decretum prædamnationis eſt irrevocabile & peremtorium. Quæſtio autem non eſt an Deus

Quorum peccatis Deus decreto pœnam pro iis meritas pœnas præparavit, ii non ſunt electi.

Pœnæ illorum qui condemnantur propter conſiderationem veniunt, ut per miſericordiam non condonandæ.

Quæſtio hic eſt de præviſione peccati & prædamnatione eorum qui ſic præteriti ut habet ſecunda ſententia.

Deus pœnam præparaverit iis, qui ita præteriti ſunt, ut convenit ſapientiæ Dei: quis enim neget ſi præteriti ſint aliqui, ut ſunt, ita præteritos ut convenit ſapientiæ Dei? ſed quęritur, an iſtorum ita pręteritiorum & in natura relictorum; quemadmodum explicatum eſt, peccatum prævidens Deus, pœnam illis decreto prædamnationis præparaverit, quod mihi non ſit veriſimile. argumenta huius meæ ſententię probandæ attuli, quæ jam conſiderabimus.

XVIII.

Propoſitio ARMINII 18.

Probat Arm. 2. argumentis pœnam ſic in natura relictis non potuiſſe juſte præparari, 1. ducitur a neceſſitate peccati, 2. à conditione pœnæ.

PRimò ex antecedentibus: quia pœna pręparari juſtè non poteſt puro actu divini placiti præteritis, ob peccatum prævisum, quod ex iſta præteritione & in natura relictione neceſſario illis perpetrandum fuit. Secundo, pœna illis ordinata eſt ſpiritalis: pœna autem ſpiritalis ordinari non poteſt ab origine ſua defecturis, ſi præmium ex adverſo ſpiritale præparatum non fuerit in origine perſtitutis. At præmium huiuſmodi illis talibus non eſt præparatum: ſolis enim naturæ viribus potuerunt in origine perſtare; at illis felicitas ſpiritalis acquiri non poteſt.

Reſponſio IVNII *ad propoſitionem* 18. ARMINII.

Ad primum argumentum.

AD primum, negatur. 1. Adamum in commune fuiſſe à Deo pręteritum & in natura relictum; ſed ex naturæ modo permiſſum ſibi in facto ſingulari & naturali ſolum, quod penes ſolam naturam eſſet; eumque diligenter à Deo præmonitum, & quaſi ex condicto à Deo informatum. 2. negatur ex ea præteritione peccatum illi neceſſario fuiſſe perpetrandum. Nam ſi neceſſario, habitus fuiſſet aut qualitas patibilis in natura hominis: fuit autem potentiæ ad utrumvis libera, & contingenter ad hoc aut illud voluntate lata. Non ergo neceſſario perpetrandum fuit. Contingenter itaque perpetravit (quod Scriptura & conſenſus Eccleſiæ ſemper tradiderunt) utpote ex potentia naturæ libera, quæ voluntatis eſt. Recte enim ſapiens Eccleſiaſtæ 7. *hoc inveni, Deum feciſſe hominem rectum, ipſos autem quærere ratiocinia plurima.* Ad 2. In propoſitione addendum, *etiam*, in hunc modum; pœna illis ordinata eſt etiam ſpiritalis: nam utriuſque modi pœna illis, nempe corporalis & ſpiritalis, inſtituta eſt, Scriptura teſte. At negatur aſſumptio, dicens prœmium huiuſmodi non fuiſſe illis præparatum communiter, ſi in origine perſtitiſſent. Omnino enim conſtat fuiſſe propoſitum illis naturę fœdere, & ordinatione ad gratiam, ſi perſtiſſent: quemadmodum & ſymbolo arboris vitæ ſignificatum eſt, & mortis denunciatione promulgatum. Quid enim mors, niſi privatio huius & futuræ vitæ? quæ autem privatio, niſi fuiſſet homini vita, hæc natura, illa vero ordinatione gratiæ poſt naturale curriculum vitæ huius à Deo conſummandæ? Hoc autem dictum probaturus adjicis, *ſolis enim naturæ viribus potuerunt in origine perſtare.* Et hoc negatur: potuerunt ſolum in naturalibus rebus, in ordinatis ad

Ad ſecundum argumentum.

gratiam minimè, ut jam ſæpius oſtendimus. Falſa igitur eſt tota argumentatio: At, iniquies, certa eſt ex hypotheſi Thomæ argumentatio, qui in cauſa electionis hominem conſideratum voluit in puris naturalibus. Nos vero ad iſta reſpondemus in hunc modum. 1. Id nos non attingere, qui hominem à Deo in cauſa electionis communiter fuiſſe conſideratum affirmamus. 2. Etſi Thomas ſic interdum loquitur, tamen rectè accipi oportere, quia ſumitur hoc loco æquivocè: nam alia eſt ratio electionis, de qua tamen eiuſdem Thomæ mentem expoſuimus in propoſ. 6. alia conditionis Adami, quum in peccatum lapſus eſt. Conſtat autem ex omnibus Thomæ ſcriptis, id ne per ſomnium quidem ipſi veniſſe in mentem, quod Adam tum eſſet in puris naturalibus. Id enim qui ſentire poſſet, qui aperte ubique clamat, hominem fuiſſe conditum in ſupernaturali gratia, atque hoc ipſum expreſſe contra Magiſtrum ſententiarum aſſerit? Falſa igitur hypotheſis, & Thomæ falſo adſcripta. Quod ſi falſa eſt hypotheſis, etiam inanis argumentatio. Nec ſolis naturæ viribus potuit homo in conditione & ſtatu ſuo perſtare (id enim dici malum, quàm origine, quin evidentius) nec illis ſpiritualem felicitatem acquirere: non enim merces operariorum eſt ſpiritalis felicitas, ſed filiorum in Chriſto hereditas, data per gratiam, non labore parta.

De ſententia Thomæ.

Thomam contra Mag. ſententiarum ſuſtinere, hominem fuiſſe conditum in gratia ſupernaturali.

Replica ARMINII *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem* 18.

ARgumentum prius nititur hypotheſi definitionis, qua præteritio in theſibus tuis eſt definita. Ea ſic habet: *Præteritio eſt actus divini placiti quo Deus ab æterno ſtatuit creaturas quaſdam in natura ipſarum relinquere, ac non communicare cum eis ſupernaturalem gratiam qua firmetur natura earum integra, aut corrupta inſtauretur, ad declarationem libertatis bonitatis ſuæ. Natura autem illa eſt quæ nihil ſupernaturale aut divinum poteſt* ut eſt theſi 10. eiuſdem diſputationis. In natura enim eadem & eodem modo conſiderata relinquuntur præteriti, ex qua & qualiter conſiderata evehuntur prędeſtinati. In tali natura relicti, *quæ nihil ſupernaturale aut divinum poteſt*, non poſſunt præſtare legem ſine *gratia ſupernaturali* non præſtabilem. Quare ob huiuſmodi peccatum perpetratum adverſus legem ipſis non præſtabilem, pœna illis juſtè præparari nequit. *Primum* itaque quod negatur, mihi præter ſcopum eſſe videtur. Non enim agimus de modo quo Adamus ſuæ naturæ relictus & ſibi permiſſus eſt. Tum enim relictio Adami in manu conſilii ipſius non eſt decreti præteritionis, ſed providentiæ, qua Deus citra diſcrimen prædeſtinatorum & reproborum verſatus eſt circa hominem recens creatum, & quidem neceſſario ex hypotheſi, quod liberum hominem condere voluit. Verum agimus de relictione in natura, quæ eſt decreti præteritionis. Si dicas eos qui præteriti ſunt conſideratos à Deo in Ada-

Solutio primi argumenti ex ſoli præteritione ſive relictione in natura, neceſſario ſcopo peccatum.

Ad primum quod in eo negatum fuit.

Adamo ut participes eorundem, quæ Adamus in primævo ſtatu habuit, reſpondeo ſic conſideratos non eſſe relictos in natura quæ nihil ſupernaturale aut divinum poteſt. Quare hæc hypotheſis falſa erit, quæ tantum niti videtur definitione præteritionis in theſibus tuis uſurpata.

Ad ſecundum quod negatum fuit.

Ad ſecundam negationem reſpondeo. Ex relictione in natura *quæ nihil ſupernaturale aut divinum poteſt* (intellige neque per ſe, quod fateor, neque per aliquod ipſi ſuperinfuſum, utpote cui nihil ſupernaturale additum fuerit, ex hypotheſi tuæ definitionis) neceſſario perpetrandum eſt peccatum ita relicto, quod non poteſt ſine gratia ſupernaturali vitari. Eſt quidem voluntas libera, ſed non reſpectus illius actus qui ſine ſupernaturali gratia aut præſtari aut omitti nequit. Quemadmodum nec eadem eſt libera reſpectu actus quo vult univerſale imò & ſuum bonum. Ratio, quia in homine eſt patibilis qualitas propendens in illum actum vetitū, motura voluntatem ad eiuſdem actus conſenſum & perpetrationem: & neceſſario motura, ſi voluntas prædita non ſit potentia motui iſti reſiſtendi; quæ potentia eſt gratia ſupernaturalis ex noſtra hypotheſi.

Fuſe probatur actum negativum Dei qui peccatum homines præceſſit, non eſſe reprobationis vel præteritionis, ſed providentiæ.

Ad explicationem huius pleniorem pauca addo. Actus Dei negativus, qui peccatum hominis præceſſit, eſt aut providentiæ, aut reprobationis vel præteritionis qua contra providentiam diſtinguitur. Non reprobationis. Primo, Quia actus reprobationis eſt circa aliquos homines, non circa omnes. neque enim omnes ſunt reprobati. 2. Si ex actu reprobationis vel non ſine eo exiſtit peccatum, tum aliqui tantum homines peccant, aliqui non: nempe ii peccant, circa quos Deus actu negativo præteritionis ſuæ verſatur, non peccant, circa quos eodem actu non verſatur: at omnes peccarunt: ergo non ex illo actu. 3. Si ex reprobationis actu negativo exiſtit peccatum, jam ſequitur Adamum & omnes in eo homines eſſe reprobos. Adamus enim & omnes in eo homines peccarunt. Falſum autem conſequens, falſum igitur & antecedens. 4. Ex contrario. Si ex actu negativo præteritionis exiſtit peccatum hominis, tum ex actu prædeſtinationis affirmativo, qui illi eodem momento eſt opponendus, (neuter enim eſt ſine altero, & oppoſitè dicuntur) eſt perſeverantia hominis in bono, ſaltem quod ad iſtum actum unicum. At nullus homo perſiſtit in bono, in quo creatus eſt, ex actu affirmativo prædeſtinationis. Ergo neque ex actu negativo reprobationis ſive præteritionis eſt peccatum hominis. 5. Quibus Deus ſemel ex actu negativo reprobationis negat efficax auxilium, eis finaliter negat efficax auxilium, alioquin reprobi non ſunt reprobi. At omnibus hominibus non negat efficax auxilium finaliter: ſic enim omnes eſſent reprobi. Ergo actus ille quo omnibus hominibus ſemel eſt negatum efficax auxilium non eſt actus reprobationis. Verum quia actus aliquis Dei negativus præceſſit peccatum hominis, ſecus enim homo non peccaviſſet. Ergo ille actus eſt providentiæ. Hic autem duo conſideranda. Primum, Quod peccatum ex illo actu negativo non exiſtat neceſſario, ſed ſtante illo actu poſſit fieri vel non fieri. Nam providentia ordinavit hominem in vitam æternam, & media contulit ad

Ex actu illo negativo peccatum non exiſtere neceſſario, ſed ſtante illo actu poſſe fieri vel non fieri.

illam conſequendam ſufficientia & neceſſaria: relinquens (ut decebat ex inſtitutione prima) hominis arbitrio uſum liberum iſtorum mediorum, & nolens libertatem illam impedire ne reſcinderet quod inſtituerat, ut pulchrè Tertull. loco citato abs te ex lib. 2. adv. Marcionem reſponſ. 14. Ex quo actu Dei negativo nolentis impedire peccatum efficaciter (cui oppoſitus actus affirmativus volendi efficaciter impedire fuiſſet inconveniens primæ inſtitutioni hominis, & actus affirmativus volendi impedire finaliter fuiſſet prædeſtinationis) exiſtit quod homo peccare actu potuit, non quod actu peccavit, verum quia Deus pro infinitate ſcientiæ ſuæ vidit ab æterno hominem certo tempore lapſurum, hinc lapſus infallibiliter accidit reſpectu tantum illius præſcientiæ, non reſpectu ullius actus voluntatis Dei, ſive ille affirmativus ſit, ſive negativus. Quidquid enim reſpectu actus voluntatis Dei infallibiliter accidit, idem etiã neceſſario evenit, neceſſitate non conſequentiæ modo ſed & conſequẽtis. Hinc breviter licet notare diſcrimen inter *infallibiliter* & *neceſſario* fieri. illud eſt ex infinitate ſcientiæ Dei, hoc ex actu voluntatis Dei: illud ſolã Dei ſcientiam reſpicit, cuius eſt contingentia infallibiliter & certo ſcire; hoc ad ipſam rei exiſtentiam pertinet, cui ex voluntate Dei accidit neceſſitas. Secundo, Sic conſiderandum, quod providentia Dei non diſcriminat præciſe inter homines, qua electi ſunt & qua reprobi. Et propterea ille actus negativus Dei eſt de omnibus hominibus communiter & univerſe abſque ullo diſcrimine electorum & reproborum. Ex hiſce concludo, Quia actus ille negativus qui peccatum anteceſſit non eſt reprobationis ſeu præteritionis, ſed providentiæ contra illam diſtinctæ, hinc ſequitur Deum præteritionis actu non eſſe verſatum circa homines extra peccatum vel ut nondum peccatores conſideratos. Neque enim actus aliquis negativus præteritionis præivit vel ordine vel tempore hunc actum providentiæ negativum. Nullus etiam alius actus præteritionis inter hunc providentiæ actum & peccatum intervenit. Si intervenit actus aliquis præteritionis, etiam prædeſtinationis intervenit. Non hic, ergo nec ille. Eſſet enim hic actus prædeſtinationis conſervatio aliquorum in bono, & vindicatio à peccato poſſibili. At nemo hominum in bono conſervatus fuit, & à peccato poſſibili vindicatus: omnes enim peccaverunt.

Diſcrimen inter infallibiliter & neceſſario fieri.

Actum illum negativum eſſe providentiæ communis, quæ præciſe non diſcriminat inter electos & reprobos ut ſic.

Unde ſequitur Deum actu præteritionis non eſſe verſatum extra homines ut nondum peccatores conſideratos.

Nihil autem hic opus probare hominem non neceſſario ſed libere peccaſſe, illud enim non controvertitur; ſed docendum fuit, poſita iſta præteritione hominem nihilominus libere & non neceſſario peccaſſe.

Argumentum ſecundum etiam nititur hypotheſi, quam ex tuis theſibus mihi deſumſiſſe videor, rectè an ſecus tum pro tua prudentia judicabis. Hypotheſis conſtat *duabus partibus*. *Prior* eſt. Felicitas ſupernaturalis non poteſt acquiri ſolius naturæ viribus. *Altera*. Lex Adamo lata potuit præſtari ſolis naturæ viribus. *Prior* pars eſt vera. *Altera* eſt in tuis theſibus. Homo relinquitur in natura quæ nihil ſupernaturale aut divinum poteſt. At potuit tamen præſtare Legem, alioquin Deus eſt injuſtus qui ponit Legem,

Solutio ſecundi argumenti de pœna ſpirituali præteritis ſive in natura relictis poſita.

Legem creaturæ non præſtabilem. Hinc concluſi, quod Legis illius tranſgreſſioni non debuerit poni pœna ſpiritualis, cuius præſtationi non eſt promiſſum præmium ſpirituale ſeu ſupernaturale. At legis, quæ ſolis naturæ viribus eſt præſtabilis, præſtationi præmium ſupernaturale non promiſſum, ſecus natura ſupernaturale poterit acquirere. Ergo legis eiuſdem tranſgreſſioni non debuit poni pœna ſpiritualis. Subſumo. Sed Lex Adamo lata fuit præſtabilis *ſolius naturæ viribus*, ex tuo ſenſu prout ego illum percepi. Ergo non debuit illi poni *pœna ſpiritualis*. Eſt autem illi poſita *pœna ſpiritualis*. Ergo *iniuſte*. An vero iſta ex theſibus tuis conſequantur nec ne, jam non amplius inquiram; quia nunc aperte dicis primis noſtris parentibus prœmium ſupernaturale fuiſſe præparatum ſi in origine ſua perſtitiſſent. Et propterea valere iubeo iſtam meam argumentationem, utpote cui hypotheſis ſubtrahitur, qua nitebatur. Ex eo autem quod dicis, ſic concludo pro mea ſententia. Quod hominibus omnibus ſub conditione obedientiæ, quam præſtare poterant ex dono Dei illis conceſſo aut concedendo inſtituto gratiæ, eſt preparatum; id ipſum aliquibus hominum certo & definito Dei decreto negari non poteſt, niſi præviſa illorum inobedientia. At vita æterna omnibus hominibus eſt præparata ſub conditione obedientiæ quam præſtare poterant. Ergo vita æterna aliquibus hominum certo & definito Dei decreto, hoc eſt præteritione negari non poteſt, niſi præviſa illorum inobedientia. Et propterea homines Deo prætereunti ſunt conſiderati ut peccatores, non

Fatetur Arminius hoc argumenti ſui hypotheſin qua nitebatur ſubſtractam à Iunio.

Sed ex eo tamen quod à Iunio ponitur argumentum ducit pro ſua ſententia.

igitur communiter conſiderati. *Thomæ* ſententiam non attingo niſi ut eſt tuis theſibus explicata. Liceat autem mihi petere à Thoma, ut probet Deum præteriiſſe hominem in ſtatu integritatis, in quo non naturalia tantum ſed & ſupernaturalia habuit, conſideratum. Fateor ſpiritalem felicitatem eſſe hæreditatem filiorum, ſed quæ alio pacto contigiſſet perſtantibus in ſtatu primævo, quam credentibus in Chriſtum. Illis enim fuiſſet data *ex lege operum*, his datur ex *lege fidei*, illis *ex debito merces* fuiſſet data ut *operantibus* Rom. 4. 4. his *imputatur ut credentibus ex gratia*: illis data fuiſſet ex *juſtitia legis*, quæ dicit *qui fecerit ea homo vivet in illis*; His datur ex *juſtitia fidei*, quę dicit, *ſi crediderit in corde tuo*, &c. Rom. 10. De iſto autem ſtatu primęvo & perſeverantia in illo, nobis ſermo fuit.

De ſententia Thomæ.

XIX.

Propoſitio ARMI[N]II 19.

VIdetur conſiderandum præter hæc omnia, quod cum prædeſtinatio, præteritio, reprobatio nihil ponant actu in prædeſtinato, præterito, & reprobato, idem omnino ſit, & eodem modo conſideratum ſubjectum exſequutionis in re, & decreti in mente divina. Quare cum Deus non communicat gratiam actu, niſi cum peccatore, nempe gratiam prædeſtinatione præparatam; non prætereat actu; non damnet aut puniat niſi peccatorem: conſequens videtur Deum non ſtatuiſſe gratiam impartiri, niſi peccatori; non præterire, non reprobare niſi peccatorem.

Argumentum Arm. generale contra ſecundam ſententiam quod idem ſit & [illegible] obiectum decreti & exequutionis.

Reſponſio IUNII *ad Propoſitionem* 19. ARMINII.

Prædeſtinationem nihil actu ponere in prædeſtinato, interpretatur Iunius pro nihil in eo ſupponere.

ANtequam de re dico, recordari opus eſt, homonymiæ illius quam in propoſ. 2. annotavimus. Reprobare in toto hoc ſcripto tuo damnare eſt, & reprobatio damnatio. Mihi vero reprobatio, & præteritio ſive non-electio ſunt idem. Quamobrē ut res ſit evidentior, non indignè feres, ſi pro reprobationis voce damnationem ſuffecero. Dicis, *prædeſtinationem, præteritionem, & damnationem nihil ponere actu in prædeſtinato*, id eſt, prædeſtinatum ſive electum, præteritum, & damnatum citra ullam contemplationem qualitatis, quæ in ipſo ſit, à Deo eligi, præteriri, & damnari. Ego vero diverſam horum eſſe rationem ex Scripturis puto: nam electio quidem, & non-electio nihil ponunt in electo atque præterito; ſed damnatio ſupponit peccatum, ex quo damnatur peccator: alioquin totum prædeſtinationis opus eſt æternum. In his itaque omnino eodem modo conſiderari ſubjectum oportere in re, & in mente facilè aſſentior: nam eligitur atque præteritur electus & reprobus, ut homo; damnatur, ut peccator. Qui eligitur aut præteritur ut homo, in exſecutione, ita in mente Dei electus eſt, aut præteritus: qui damnatur ut peccator, ita eſt prædamnatus. Alioquin actus internus & externus Dei variarent: quod nunquam admittendum. Hoc bene intellecto, vides, mi frater, quæcumque ſuperædificas, ea nullo modo poſſe conſiſtere. Dicis *Deum non communicare gratiam prædeſtinatione præparatam, id eſt, ſalutarem niſi cum peccatore, non præterire actu niſi peccatorem.* Hoc vero primum de gratia ſalutari univerſe ſimpliciterque ſi dicis, falſum eſſe docet Angelorum electorum ſalus, & aliorum præteritio. Quid enim? an peccatores Angelos elegit ac præterivit Deus? viderit Origines. Nos certe in alia omnia. Deinde ſi de gratia in hominem circumſcripſeris dicere te; ſequitur ergo ex hac ipſa propoſitione tua primum hominem in integritate illa non habuiſſe communicationem ſalutaris gratiæ: quod ne te quidem ipſum eſſe dicturum putem. Ergo gratia hæc cum homine communicatur qua homo, licet non peccator; non ſolum autem cum Angelo. Si dicis, cum homine ſecundum quod nunc eſt peccator communicari gratiam, non negamus; imo jam cum nemine niſi peccatore communicari credimus, quia nemo homo eſt non peccator. Non damnari vero aut puniri niſi peccatorem, id ultro tibi concedimus. Atque in hunc modum pars negatur concluſionis tuæ, quæ eſt de electione & non electione; pars vero conceditur, quæ de damnatione eſt.

Hominem eligi & reprobari ut hominem, damnari vero ut peccatorem, ex ſententia Iunii.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem* 19.

EGo vocem reprobationis ex tuo ſenſu uſurpavi, quod jam aliquoties dictum & monſtratum: quia vero pro ea damnationis vocem ſubſtituis, non contradico. Argumentum autem meum non ſumis vero ſenſu.

Iunium non recte intellexiſſe phraſin Scholaſticorum ab Arminio uſurpatam, ut pro[illegible]

natum ipſius. Etenim nihil ponere in prædeſtinato non ſignificat nihil in eo ſupponere, ſed nullum in eo reale effectum ponere.

ſenſu. Non enim hoc volo, prædeſtinatum, præteritum & damnatum, citra conſiderationem ullius qualitatis quæ in ipſo ſit à Deo eligi, præteriri, damnari, qui poſſum? quum ubique coner evincere peccatum eſſe conditionem ſeu qualitatem in objecto decreti divini totius requiſitam. Hic autem eſt ſenſus verus. Prædeſtinatio, præteritio, prædamnatio ut actiones in agente manentes, ſeu ut actus interni nullam in objectum exterius inferunt ex ſe paſſionem, ſed exſecutio illorum internorum actuum, quæ conſtat externis actibus, tranſit in res exteriores, & in eis aliquem effectum ponit ut Thomas explicat in ſumma prima quæſt. 23. art. 2. unde apparet phraſi ſcholaſticis uſurpata, aliud eſſe ponere, aliud ſupponere in electo præterito damnato. Quod ſi illi actus interni nihil ponunt in objecto, tum ſequitur objectum omnino idem eſſe & eodem modo conſideratum, tum decernenti Deo tum exſequenti; ſive tum internis actibus tum externis circa illud verſanti Deo. Vnde concludo. Quia certum eſt Deum actu externo non communicare gratiam prædeſtinatione præparatam niſi cum homine peccatore, non præterire actu externo niſi peccatorem, non damnare actu externo niſi peccatorem. Hinc ſequitur Deum actu interno prædeſtinationis non præparare gratiam niſi peccatori. non præterire ſtatuiſſe niſi peccatorem, non prædamnare niſi peccatorem, quod eſt actu prædeſtinationis præteritionis & prædamnationis interno non verſari niſi circa hominem ut peccatorem conſideratum. Quod autem Deus gratiam prædeſtinatione præparatam non communicat niſi cum peccatore, non prætereat niſi peccatorem, (de damnatione nobis convenit) id veriſſimum eſſe puto. Neque huic veritati quidquam obſtat duplex tuum argumentum. Quod enim ad primum attinet, reſpondeo id, quod tua prudentia reſponſurum prævidit, nos non agere de Angelorum prædeſtinatione & reprobatione, ſed de hominis: quare utut univerſe verum non ſit gratiam prædeſtinatione præparatam non niſi peccatoribus convenire, ut in Angelis, tamen hoc verum eſt de hominibus, gratiæ voce ad illam quæ hominibus, prædeſtinatione præparata eſt, reſtricta. Quod ad alterum argumentum tuum quo meæ propoſitioni abſurdum impingitur, eo quod inde ſequitur hominem in prima integritate non habuiſſe communicationem ſalutaris gratiæ; Reſpondeo, Homonymiam eſſe in vocibus ſalutaris gratiæ. Illa enim gratia ſalutaris poteſt accipi pro gratia quæ ſalutem conferre poteſt & ſufficienti; & pro ea quæ ſalutem certo & reipſa confert, & efficaci: item pro gratia quam Deus homini in primævo ſtatu contulit, & pro gratia quam homini confert in ſtatu peccati, ut inde liberatus in Chriſto, vitam per illum ex morte obtineat. Propoſitio mea concedit hominem priorem illam in ſtatu integritatis habuiſſe, & ſic abſurdum vitat. Hanc autem poſteriorem ante lapſum habuiſſe, negat mea propoſitio; & ſimul hoc abſurdum eſſe negat. Hec autem poſterior non illa prior eſt gratia prædeſtinatione præparata, atque hoc pacto tota mea argumentatio firma & immota manet.

Vnde ſequitur actus tum prædeſtinationis eodem modo ſe habere tum decreti, tum exſecutionis ratione: & porro Deum prædeſtinatione non niſi peccatori gratiam præparaſſe, &c.

De gratia ſalutari tum Angelis, tum hominibus integris communicata, contra exceptiones [illegible]

Haſce igitur ob cauſas, vir Reverende,

rende, nondum mihi perſuadere poſſum, quin objectum adæquatum prædeſtinationis, præteritionis, prædamnationis, ſit homo ut peccator à Deo conſideratus.

XX.

Propoſitio Arminii 20.

NEque videtur mihi hæc ſententia ſtabiliri argumento à neceſſaria declaratione libertatis gratiæ, & bonitatis divinæ. Vtut enim fatear declarationem iſtius libertatis eſſe neceſſariam, dicam tamen & illam eſſe in ipſa creatione & diſtinctione rerum declaratam, & porrò alio modo declarari potuiſſe, imò debuiſſe. Argumentum à neceſſaria juſtitiæ divinæ declaratione non magis me movet; tum quia juſtitia in Deo, ut natura æqualiter ſe habet erga totum ſuum objectum, & omnes ejus partes, niſi à voluntate diverſificetur: tum quia Deus talem ſe in Scriptura declaravit, cui non ſit opus ex juſtitia legali peccatorem punire ad juſtitiæ ſuæ manifeſtationem; ſed qui aliam viam nobiliorem norit ad juſtitiæ ſuæ patefactionem.

Denique & à natura providentiæ.

Neque argumentum à providentiæ natura deductum momentum habere videtur: cujus ſit permittere ut aliqui à ſummo bono & fine ſupernaturali deficiant: quia iſta permiſſio huic ſententiæ conſentaneè intellecta, non tam providentiæ ſuſtentanti & gubernanti, quam creanti eſt tribuenda.

Reſponſio Iunii *ad Propoſitionem* 20. Arminii.

POſtquam de electione & reprobatione dictum, venitur hoc loco ad conſiderationem finis, ex quo bonitas malitiave actionum ſæpe recognoſci ſolet. Triplex autem hic finis expenditur: libertatis divinæ in gratia & bonitate, juſtitiæ, & providentiæ. Etſi plures quidem adferri poſſunt: ſed ex his cætera. Primus finis oppugnatur duobus argumentis. Nam 1. dicitur libertatem illam *eſſe in ipſa creatione & diſtinctione rerum declaratam*; ergo non fuiſſe opus, ut in hac quoque declararetur. Negatur conſequens: nam nec ſatis fuit in creatione & diſtinctione rerum declarari, niſi in progreſſu & fine quoque declaretur; nec vero, ſi ſatis declarata eſt in hac natura & vita huius ſeculi, ſequitur ergo in ſuperiore natura & in vita futuri ſeculi declarari non oportuiſſe. Contra enim, ſi in rebus ſolum inferioribus libertatem ſuam declaraſſet Deus, ac non in ſuperioribus ad ſeculum alterum pertinentibus; imprudens videretur declarationem digniorem omiſiſſe libertatis ſuæ, aut non potuiſſe. Nam dignior eſt libertatis illius in rebus dignioribus teſtificatio: id autem bonum melius eſt atque dignius, cujus meliora & digniora ſunt conſequentia. Hoc Deum neſciviſſe, non potuiſſe, aut noluiſſe quis credat? 2. Dicitur libertatem illam *porro alio modo declarari potuiſſe, imo debuiſſe.* Fateor: nam & hoc modo & aliis potuit & debuit, prout à Deo factum eſt. Quod ſi *alio* excluſivè dicis, pro eo quod eſt alio

Ad illa quæ Arm. adfert in conſideratione provid. argumentis, quod ducitur à declaratione libertatis gratiæ divinæ.

alio & non hoc modo; negatur, & in præcedentem proximè argumentationem ſatis eſt confutatum. Secundus finis ſimiliter argumentis duobus oppugnatur. Prius argumentum, illis verbis comprænenſum, *quia juſtitia in Deo ut natura æqualiter ſe habet*, &c. ibidem ſolvitur adjectione verborum illorum, *niſi à voluntate diverſificetur*. Nam juſtitia quidem in nobis ſpectatur duobus modis, ut habitus, & ut actus ab eo proficiſcens, & emanans primum intus, deinde foris: in Deo vero itidem duobus modis conſideratur, ut natura, & ut naturæ actus per voluntatem fluens a natura & ſecundum naturam Dei. Priore modo juſtitia eſt ipſa eſſentia Dei; posteriore, opus eſſentiæ. De priore modo veriſſime illud dicitur, *Iuſtitia in Deo, ut natura æqualiter ſe habet erga totum ſuum obiectum, & omnes eius partes*. Etſi particula, *ut natura*, duobus modis exponi poteſt; ſive ὥσπερ φύσις, ut ſit ſimilitudinis, (qua mente ego a te ſcriptum putaverim) ſive καθὼς φύσις, prout Dei natura eſt juſtitia ipſa, ſive eſſentia. Etenim eſſentia Dei cum ſit omnino ſimpliciſſima, juſtitia, natura, eſſentia, & cætera attributa re ipſa unum ſunt, licet ratione à nobis diſtinguantur. De poſteriore autem juſtitiæ modo illud ſubjicitur quam commodiſſimè, *niſi à voluntate diverſificetur*; ſed tamen æquivoce. Nam juſtitia Dei, ut natura, nunquam diverſificatur, ne voluntate quidem. Quid enim? vellet Deus mutationem in eſſentia, in natura ſua? cuius proprium eſt non dico omni modo, ſed univoce illius ſolius & ſemper *immutabilitas*. Illa vero juſtitia, quæ opus eſt divinæ eſſentiæ ab ea emanans voluntate; ſive intus ſive foris; illa profecto infinitis modis diverſificatur, prout fert ſapientia & voluntas eius. Poſterius argumentum, ut paucis dicam ſine tergiverſatione, duobus modis in vitio eſt. Nam primum etſi illud verum eſt, ſi bene intelligatur, quod ais, *Deus talem in Scriptura ſe declaravit, cui non ſit opus ex juſtitia legali peccatorem punire ad juſtitiæ ſuæ manifeſtationem*, utpote cuius juſtitia legalem juſtitiam omnibus modis ſuperet, atque infinitè, prout veritas typum, & corpus umbram in rerum natura ſolet excedere: tamen id nullo pacto ex eo conſequitur, non ergo debuiſſe Dominum ita peccatorem punire ad juſtitiæ ſuæ manifeſtationem; aut quod ita punit, ex juſtitia legali eſſe. Contra vero id potius ſequitur, & Deum peccatorem ita punire oportuiſſe ad manifeſtationem juſtitiæ ſuæ; & quod ita punit, id ex juſtitia ipſius eſſe, quæ juſtitiam legalem excedit ſuperatq; modo excellentiſſimo, id eſt, divino; & quæ ad juſtitiam legalem nobis ipſe informavit in verbo pro modulo noſtro, ut juſtitiæ illius excellentiſſimæ umbraculum. Nihil eſt juſtitiæ nobis in lege expreſſum, quod non inſit juſtitiæ Dei, & ab ea promanet excellentiſſime: in Lege & juſtitiam noſtram expreſſit a nobis debitam, & adumbravit ſuam. Id tantum mihi conſidera, Deum eſſe juſtitiam univoce, aut (ſi mavis) eſſe principium univocum & cauſam omnis juſtitiæ; ut omnis boni; utrumque illud quod dicebas ſuſtuleris. Nam ſi univoce eſt juſtitia, ſive principium univocum & cauſa omnis juſtitiæ, ergo huius quoq; juſtitiæ principium, cauſa atque effector eſt, non ſolum mediatè adumbratæ lege,

Ad illa quæ ad ſecundum, quod ductur a declaratione juſtitiæ.

Iacob. 1.

lege, ſed etiam effectæ immediate opere ipſius. Nam unde juſtitia iſta legis, niſi à Deo, voluntate ſua ſapientiſſima id quod eſt, & quod agit prout eſt, exprimente? Deinde ſi univôce juſtitia eſt principiumque juſtitiæ Deus; non ergo ex juſtitia legali punit, ſed ex ſua, quam pro humano captu adumbravit lex, & quam non poteſt non exprimere in creatis cum in hoc, tum in venturo ſeculo, ut declaravit verbo. Illud verò alterum magis eſt vitioſum, quod dicis, *Deum aliam viam nobiliorem noſſe ad juſtitiæ ſuæ patefactionem.* Deus certe & illam & aliam, & omnes novit ac pernovit vias divino modo. Sed tibi in hac cauſa, mi frater, id ſemper in mentem venire neceſſe eſt, Deum nunquam non contemplari omnia ſecundum rationem ſingularem, & rationem univerſi, cui præeſt. Secundum rationem ſingularem ſi negabitur Deum aliam viam nobiliorem noſſe ad patefactionem juſtitiæ ſuæ; unde, amabo te, probaturus es? id enim contra piis eſſe probabilius omninò videbitur, cum Deus ſit ſapientiſſimus, ergo ſapientiſſimè viam nobiliſſimam in hac cauſa tenuiſſe, ut (quod ſapientiæ divinæ opus eſt) patefieret juſtitia eius ad gloriam ſuam, documentum noſtrum, & perfectionem univerſi. Verum tamen eſto, noverit Deus aliam viam nobiliorem ad hanc rem perficiendam, ut eſt ſcientiſſimus; nego tamen ſecundum rationem univerſi aliam nobiliorem viam exſtitiſſe, qua id conſequeretur Deus, quia aliam illam nobiliorem viam ad aliud melius fuerit adhiberi. Intereſt enim ſapientiæ Dei, ut viæ omnimodæ in juſtitia ipſius omnimoda patefacienda teneantur, & ſint in univerſo oculis omnium expoſitæ. Sit, exempli cauſa nobilior via patefaciendæ admirabilis juſtitiæ illius divinæ, ea quæ Angelos malos exercuit æternumque exerciturus eſt: ut dem ita eſſe, an non vides ſapientiæ Dei eſſe, ut hic quoque diverſificetur divinæ juſtitiæ modus? Atque hæc de ſecundo argumento ſatis. Tertius finis, qui eſt à Dei providentia, unico modo eliditur exceptione, ut vocant, quod *iſta permiſſio non tam providentia ſuſtentanti & gubernanti, quam creanti eſt tribuenda.* Bona venia tua, negatur tota exceptio, & ipſa terminorum definitione tacentibus nobis eliditur. Age, tu mihi quandam veluti lineam providentiæ divinæ deſcribe: cuius principium ſeu prima extremitas creatio appellatur; id enim eſt creatio, productio à non eſſe ad eſſe, ut loquuntur: medius terminus ſit gubernatio, ſuſtentationem & ordinationem continens: finis ſeu poſterior extremitas ſit conſummatio: hic vide cui parti permiſſionem illam ſis adſcripturus. Creatio eſt actus Dei ſolius, cuius gloriam cum re creata ulla minimè communicat: nam creata eſt, non creans. Creationis autem actu datur eſſe rebus, ut quod non eſt ὑπαρκτικῶς in natura, id ſit: creatione itaque datur homini ut ſit homo, & inſit homini, quicquid eſt hominis quà creatura eſt: Atque hoc in genere libertas voluntatis eſt homini attributa. Quid autem permiſſio eſt? non actus Dei eſt, ſed ceſſatio ab actu: non dat eſſe rei, ſed rei quæ eſt, viæ ſuæ poteſtatem tradit. Hæc ipſa natura loquitur: creationem, puta, à permiſſione differre genere & differentia. Quid plura? creatio non eſt

Ad ea quæ ad tertium, quod ducitur a natura providentiæ.

eſt pars ordinationis, ſed principium, punctum, terminus, ut ita dicam: permiſſio vero ordinationis eſt ex principio illo poſito conſequentis: non ergo creationis eſt. Eſt quidem creationis, libertas voluntatis in homine; ſed ut in facultate eſſentiali, non ut in actione inde procedente: quæ actio proculdubio, ex quo facultas creata eſt, & ſuis qualitatibus inſtructa, à Dei ordinatione eſt, & ordinatio à providentia. Equidem non video qua ratione permiſſio primis parentibus facta creationi; quæ vero nobis, ordinationi aſſignetur. Vtramque unius generis eſſe oportet. Deinde vero etiamſi fingerem permiſſionem a creatione eſſe, id quoque vel te auctore opus eſſet providentiæ; cum providentiam creantem æque ac ſuſtentantem & gubernantem nomines. Eſt igitur te annuente permiſſio, providentiæ: nobis vero confirmantibus, & te (ut ſpero) aſſentiente, providentiæ gubernantis vel ordinantis eſt. Quare utcumque dixeris ad rationem providentiæ illius pertinet conſequentia optima permiſſio.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem* 20.

HActenus ipſam ſententiam examinavi, quæ ſtatuit objectum prædeſtinationis & præteritionis hominem, vel in puris naturalibus, vel etiam cum ſupernaturalibus, extra tamen peccati ut conditionis, in objecto requiſitæ, contemplationem conſideratum. Et comprobaſſe mihi videor hominem decernenti Deo non aliter quam peccatorem conſideratum eſſe. Nunc ad tria argumenta reſpondeo, quæ ad ſtabiliendam illam ſententiam adferri ſolent. Et commonſtro tantum huiuſmodi ſententiam ex illis argumentis non confirmari: Quare propoſiti ratio poſtulare videtur, ut non tantum iſta mea commonſtratio refutetur, ſed etiam ut vis argumentorum illorum comprobetur: quo postremo labore ſuperſediſti, quopacto vero mea infirmentur, jam ſingulatim videamus.

Conſideratio Replica Iunii ad reſponſionem adverſus primum argumentum.

Primum argumentum a neceſſaria declaratione libertatis gratiæ & bonitatis divinæ tollo primo ſimpliciter negando iſtam neceſſitatem, tum conceſſa illa neceſſitate, negando modum illum, qui eſt talis præteritio, ut a ſententia mihi adverſaria deſcribitur. Quæ negatio confirmatur, partim quod Deus ſuæ bonitatis libertatem declaravit in creatione & diſtinctione rerum: partim, quod porro alio modo quam iſta tali præteritione, eandem libertatem declarare potuit, imo debuit. Hæc autem quo melius intelligantur pauca declarationis cauſa dicam. Primo, Quum nullus Dei externus actus ſimpliciter ſit neceſſarius, nulla quoque declaratio libertatis bonitatis divinæ eſt ſimpliciter neceſſaria. Deus enim interna & eſſentiali ſui ipſius notitia eſt beatus, atque in ſe glorioſus. Secundo, Quia tamen Deo viſum eſt libero voluntatis actu ſuum bonum extra ſe communicare ad bonitatis ſuæ declarationem, videtur non tantum ipſa bonitas declaranda fuiſſe, ſed & libertas bonitatis ipſius: quo conſtaret Deum ſuum bonum cum creaturis nulla neceſſitate ſed mera voluntate communicaſſe: non in boni ſui augmentum, quod

Nullum actum Dei externum ſimpliciter neceſſarium eſſe.

quod perfectum eſt, ſed in nihili & creaturarum ex eo factarum complementum pro modo communicationis, tum nihili partibus ſingulis, tum creaturis ſingulis interno actu voluntatis præparatæ. Bonum autem quod Deus communicare extra ſe voluit, eſt duplex reſpectu ſubjecti cum quo id communicare ſtatuit, naturale & ſupernaturale. In utriuſque communicatione æquum fuit ut declararet non tantum bonitatem ſuam, ſed & libertatem bonitatis & gratiæ ſuæ. In naturalis boni communicatione declaravit bonitatis ſuæ libertatem creatione & diſtinctione rerum. Quum enim iſti parti primæ naturæ, quod eſt pure nihilum, vel chaos, hanc entitatem & formam eſt impartitus, hinc aliam eo ipſo libertatem ſuæ communicationis declaravit. In communicatione boni ſupernaturalis, eandem ſuam libertatem declaravit, quum magnam partem ſuarum creaturarum inhabilem fecit ad ſupernaturalium ſuſceptionem, ſolos Angelos & homines eorundem capaces fecit, nonnullorum etiam ipſo actu participes. Iſtorum reſpectu, quorum omnes in univerſum Angelos & homines primos, inque iis reliquos ex ipſis naſcituros ſub conditione participes fecit, nulla huiuſmodi præteritio locum habet, quæ ſit nonnullorum aut Angelorum aut hominum, ſed tantum; quæ eſt reliquarum creaturarum, eas enim præterit in communicatione bonorum ſupernaturalium. At in communicatione bonorum, quorum Angelos & homines non reipſa participes fecit, ſed capaces: etiam declaranda fuit libertas bonitatis & gratiæ divinæ, ut hac ratione conſtaret Angelis & hominibus non ex naturæ ipſorum excellentia & merito, ſed ex gratia, tum illa quæ omnes acceperunt, data eſſe, tum illa porro, quorum capaces facti ſunt datum iri. Hæc ita agnoſco & fateor, ſed nego modum declarandæ in horum communicatione libertatis divinæ eſſe, huiuſmodi prçteritionem: nego etiam huiuſmodi præteritionem à Deo ad demonſtrandam iſtam libertatem uſurpatam eſſe & hoc volui, quum dixi, & porro alio modo declarari potuiſſe imo debuiſſe: per voculam *alio*, excludens illum modum qui præteritione iſta continetur. Si quæratur, quo alio modo libertas bonitatis divinæ declarari potuerit imo debuerit: reſpondeo, quod ad hominum cauſam attinet (Angelorum enim ſemper excluſi.) potuiſſe declarari libertatem iſtam; ſi præſcriberet Deus conditionem ſub qua vellet communicare: declaratam etiam ex decreto æterno quum præſcripſit homini conditionem ſub qua vitam æternam, & ea gratiæ dona, quæ præter jam data, ad illam conſequendam poterant eſſe neceſſaria, conſequeretur. Debuiſſe declarari alio modo, ſi declaranda fuit, quia non iſto modo: nam iſte nec ſapientię Dei nec juſtitiæ eius convenit, utpote quo creaturæ aliquorum bonorum ex divina bonitate & gratia capaci eadem bona abſque ulla conditione ſimpliciter denegantur. Ergo alio modo, & quidem illo quem dixi. Nam decernere creaturæ alicui non dare id cuius eſt capax cuiuſque cauſa eſt condita; Deus non poteſt niſi ſub conditione ſi ſe inhabilem fecerit bonis accipiendis, quorum capax facta eſt à ſuo creatore. Verum utut res habet, com-

Deum libertatem bonitatis ſuæ oſtendere & in naturalis & ſupernaturalis boni communicatione.

Quo alio modo quam præteritionis de qua hic agitur potuerit & debuerit declarari libertas bonitatis divinæ erga homines.

commonſtrandum tibi fuit, quomodo argumentum à libertate bonitatis & gratiæ divinæ valebit ad huiuſmodi præteritionem ſeu nonelectionem, qualis deſcribitur tuis theſibus ſtabilendam.

Conſideratio Replicæ Iunii ad Reſponſionem Arm. adverſus ſecundum argumentum.

Alterum argumentum eſt à juſtitiæ Dei declaratione neceſſaria. Hoc argumentum impugno duabus rationibus, ut autem intelligi queat quomodo iſtæ meæ rationes adverſus illud argumentum valeant, ſciendum me id ipſum ut eſt in tuis theſibus poſitum infringere voluiſſe. Verba autem hæc ſunt in theſibus: theſi 17. *Præparatio pœnæ eſt actus divini placiti quo Deus ab æterno ſtatuit ad declarationem juſtitiæ ſuæ puniri creaturas, quæ in origine ſua non fuerant perſtituræ*, &c. & theſ. 18. *Deus pœnas præparat creaturis contra ordinem ipſius peccaturis ac propter peccatum reprobandis ex neceſſitate juſtitiæ ſuæ.* Quia his verbis dicitur *reprobatio* & *pœnæ præparatio*, quæ hic pro eodem ſumuntur facta *ex neceſſitate juſtitiæ divinæ*, illud ego tanquam veritati minus conſonum duabus rationibus confutare volui.

Et primo quidem explicantur & confirmantur rationes quæ adverſus illud allatæ fuerunt.

Prior ratio eſt huiuſmodi; ſi Deus pœnas præparat peccatoribus ex neceſſitate juſtitiæ ſuæ, tum omnibus in univerſum peccatoribus præparat pœnas, nempe decreto prædamnationis. At falſum conſequens, Ergo & antecedens. Conſequentia propoſitionis eſt certa. Quia quum juſtitia in Deo conſideratur ut naturalis affectus, tum eodem modo verſatur circa totum ſuum objectum & omnes eius partes. Objectum autem juſtitiæ hic ſunt peccatores. Ergo circa omnes peccatores verſatur æqualiter, hoc eſt, omnibus pœnas præparat. Et hoc neceſſitatis vox juſtitiæ addita aperte ſignificat. Si enim neceſſario pœnam præparat peccatoribus ſeu peccaturis, jam omnibus præparat abſque diſcrimine. eademque vox addita juſtitiæ indicat ſic juſtitiam conſiderandam quatenus eſt naturalis affectus in Deo: & illa præfici prędamnationi non poteſt ob cauſam jam dictam. Addidi autem niſi *diverſificetur à voluntate*, quo ſignificatum volui in Dei voluntate ſitum eſſe ut affectu iſto ſuo naturali utatur ſimpliciter vel ſecundum quid, circa omnes peccatores, aut circa aliquos tantum: eoq; refuto non quod ante dixi, ſed illam neceſſitatem quæ juſtitiæ prædamnanti additur. Si enim voluntate Dei illam juſtitiam adminiſtrante fit ut Deus aliquibus peccatorum pœnas præparet, aliis non præparet ſed condonet; tum non ex neceſſitate juſtitiæ illa prædamnatio, ſeu reprobatio (ut hic dicitur) à Deo eſt decreta. Brevius dicam. Iuſtitia in Deo affecta eſt ad peccatum puniendum, ut miſericordia ſeu gratia ad condonandum, abſque ullo diſcrimine illorum qui peccatum commiſerunt: ſi juſtitia eſſet actus ſui adminiſtratrix jam omnes puniret peccatores, ſi miſericordia adminiſtratrix ſui, jam omnibus condonaret peccatum, quorum utrumque ſimul fieri nequit; & hac ratione altera alteri declarationem ſui ipſius præriperet, quod fieri non debet. Quare Dei ſapientia illis moderandis præfecta judicat utriq; concedendũ eſſe ſuum locum. Huius judiciũ ſequens voluntas Dei, adminiſtrat juſtitiam qua par eſt ut etiam miſericordię locus eſſe queat, & miſericordiam ut decet, quo juſtitiæ viciſſim ſuus honos conſtet. Quod vero iſta volũtate

 decer-

decernitur, id neceſſitate factum eſſe vel juſtitiæ vel miſericordiæ, meo quidem judicio, dici non poteſt.

Altera ratio eſt hujuſmodi. Si Deus aliam viam nobiliorem novit ad juſtitiæ ſuæ manifeſtationem, quam illa ſit, qua ſecundum normam legis pœnæ præparantur peccaturis, tum declaratio juſtititiæ ſecundum normam legis adminiſtratæ non eſt neceſſaria. At prius verum. Ergo & poſterius. Majoris conſequentia eſt firma. Nam ſi duplex via patet ad illuſtrationem juſtitiæ divinæ, tunc non eſt neceſſarium ſimpliciter ut unam Deus præciſe ingrediatur. Ad minorem quod attinet, declarari poteſt juſtitia Dei per exactionem pœnarum ab ijs ipſis qui peccarunt: poteſt etiam declarari eadem juſtitia per exactionem earundem pœnarum ab eo qui ſe vadem & fidejuſſorem obtulit ex Dei voluntate pro peccatoribus. *Hic eſt agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Fecit ut qui non novit peccatum*, &c. Hæc via illa altera eſt nobilior & excellentior: Clarius enim per eam manifeſtatur quantopere Deus peccatum exſecretur, quam per illam qua pœnam repoſcit ab ipſis peccatoribus: tum quod ibi pœnæ ſumtio vindictæ cupiditati adſcribi ab invidis gloriæ Dei poſſet, & non ſoli juſtitiæ, quod hic fieri nequit; poſcit enim pœnam à delicto qui ipſe non peccavit. Deinde quod hac via rigor juſtitiæ inflexibilis declaratus eſt, quæ ne filio quidem intercedenti niſi perſoluta pœna, peccatum condonare potuit: imo ſecundum quam, ne intercedere quidem filius potuit niſi ſanguine ſuo fuſo, & per illum purgatione peccatorum facta. Hinc concludo, juſtitiæ ſecundum legis normam adminiſtratæ declarationem neceſſariam non fuiſſe, & propterea ex neceſſitate juſtitiæ divinæ pœnam præparatam non eſſe peccaturis; quum Deo liberum fuerit pœnas peccatis debitas ab ipſis peccatoribus ablatas filio ſuo perferendas & perſolvendas imponere. Quæ abs te contra adferuntur, adverſus illa mea facere non videntur. Deus enim ex ſua juſtitia punit ſive ipſos peccatores ſive vadem ipſorum: ſed ille modus eſt ſecundum normam legis, hic eſt modus illum tranſcendens & Euangelio nobis patefactus. At uterque modus fuit neceſſarius, inquiet aliquis. Nego. Hic poſterior enim eſt meri beneplaciti divini; ille prior in hunc transferri potuit. Secus neceſſarius futurus fuiſſet: *abſque ſanguinis enim effuſione non eſt remiſſio peccatorum.* Horſum non faciunt illa quæ de juſtitia Dei legalem juſtitiam excedente dicuntur: nam mea mens non fuit illa, quod juſtitia ex qua Deus ipſe ad puniendum peccatum fertur, & qua peccatum punit, ſit juſtitia legalis, ſed quod puniat ſecundum normam in lege patefactam, qua dicitur: *Si ederis morieris*; Et: *maledictus qui non permanet in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis ut faciat illa.* Cæterum & hic docendum fuit, quomodo argumentum hoc à neceſſaria juſtitiæ divinæ declaratione hujuſmodi præparationem pœnæ concludat.

Deinde excutiuntur ea quæ contra eas dicuntur à Iunio.

Argumentum tertium à natura providentiæ deductum eſt hujuſmodi ex mente Thomæ; Summa prima quæſt. 23. act. 3.

Conſideratio Replicationis ad Reſponſionem Arm. adverſus tertium argumentum.

Permittere ut aliqui à ſummo bono deficiant, ad providentiam Dei pertinet.

At reprobare eſt permittere ut aliqui

aliqui à ſummo bono deficiant.

Ergo reprobare aliquos, pertinet ad providentiam Dei.

Dixi hoc argumentum nullum habere momentum firmandæ ſententiæ quam hic impugno: contra illam quæ peccatum ut conditionem in objecto reprobationis ſive præteritionis requirit, probavi: Quia iſta permiſſio, huic ſententiæ conſentaneè intellecta non tam providentiæ ſuſtentanti & gubernanti, quam creanti eſt tribuenda. Explicabo prius ſenſum iſtius mei argumenti, deinde ejus vim commonſtrabo. Providentiæ tres pono actus, creationem, ſuſtentationem ſeu conſervationem creaturæ, & gubernationem ejuſdem, exque illis actibus dico providentiam creantem, ſuſtentantem, & gubernantem. unicuique iſtarum particulares quidem actus ſuos attribuo, qui ſingulis ipſarum proprij ſunt: Et actus etiam nonnullos eſſe dico; qui ita ſunt unius ex illis ut interea ab alterius actu præcedente dependeant: ita ut actus ille non ſint in libera poteſtate providentiæ illius unde immediatè fluunt poſiti; ſed ab actu præcedentis providentiæ, ſint circumſcripti & determinati. Qui actus propterea tanquam miſti tum huic tum iſti providentiæ poſſunt attribui: huic qua immediatè ab illa fluunt, iſti qua ab iſta determinati ſunt, & ab ejus aliquo præcedente actu neceſſario dependentes. Quare & iſti actus tales non tanto jure videntur tribuendi iſti providentiæ unde immediate fluunt, quam iſti quæ formam illorum & modum alteri præſcripſit, ad quem modum & formam illa immediata neceſſario eſt alligata, & propterea ad actum illum alteri iſti tanquam principaliori inſerviens.

Exponitur ſenſus rationis ab Arm. in contrarium adducta.

Hæc nunc applico. Permiſſio qua Deus hominem reliquit *in manu conſilii ipſius*, immediatè ad gubernantem providentiam pertinet: ſed non eſt liberæ gubernationis, verum circumſcriptæ & determinatæ actu aliquo creationis præcedente. Non enim poteſt hominem ſibi vel permittere vel non permittere, ſic enim reſcinderetur quod jam divinitus eſt inſtitutum: ſed tenetur ex conditione creationis qua homo donatus eſt libertate arbitrij, hominem ſibi permittere in manu conſilij ipſius.

Hinc eſt quod dixi, illam permiſſionem non tam eſſe ſuſtentantis aut gubernantis, quam creantis providentiæ; non autem negari ſimpliciter gubernantis eſſe. Nunc conſiderandum quo pacto illud argumentum ad probandum propoſitum valeat. Permiſſio nobis hic duplex eſt conſideranda. Vna qua homo *in manu ſui conſilii* relinquitur & peccare permittitur. Altera qua pecator in peccatis relinquitur & permittitur à ſummo bono deficere finaliter. Illa eſt providentiæ gubernantis ut dictum, ſed determinatæ ab actu creationis; hæc eſt providentiæ gubernantis & liberæ. Illa eſt providentiæ, hæc præteritionis ut contra providentiam diſtinguitur. Nam omnes homines ſibi ſunt permiſſi & relicti in manu conſilii ſui, poſiti in Adamo, permiſſiq; peccare, non tamen omnes ſunt reprobati ſeu præteriti. Omnes vero qui in peccatis relicti ſunt finaliter & ſibi permiſſi peccato perpetrato ſunt reprobi & præteriti: & qui præteriti, ijdem ſunt omnes relicti in peccatis finaliter & a ſummo bono deficere permiſſi. Nunc dico. Si

Oſtenditur ipſius vis ad propoſitum argumentum infringendum.

per-

permiſſio accipitur pro relictione finali in peccatis,. concedo totum ſyllogiſmum, utpote ſententiæ iſti, quæ peccatum requirit ut conditionem in objecto reprobationis ſive præteritionis, patrocinantem. Illa enim permiſſio eſt circa peccatores. Si vero accipiatur pro permiſſione in manu arbitrij ante peccatum perpetratum; nego iſta permiſſione reprobationem definiri poſſe. Vnde apparet ex illo ſyllogiſmo nihil concludi pro ſententia ſecunda adverſus eam quam defendo. Nam ſecunda ſententia præteritioni ſeu permiſſioni & relictioni tribuit hominem extra peccatum conſideratum. Ille vero ſyllogiſmus non poteſt intelligi niſi de permiſſione & reprobatione circa peccatores verſante. Permiſſione enim qua primi homines peccare permiſſi ſunt, nemo à ſummo bono deficit, niſi accedat derelictio in peccatis; & reprobatio non eſt permiſſio qua homines peccare ſunt permiſſi. Verum hic quoque docendum fuit, quomodo argumentum illud à providentia & permiſſione iſti ſecundæ ſententiæ confirmandæ ſit idoneum.

De ſingularum providentiæ partium inter ſe ordinatione & connexione

Illa ad propoſitum noſtrum ſatiſfacere poſſunt, ſed lubet aliqua de providentia addere propterea quæ tu de illa dixiſti: quæ non improbo, abſit; ſed quia omittunt ſingularum providentiæ partium inter ſe ordinationem & connexum. Imprimis quod providentiam in creantem, ſuſtentantem & gubernantem diſtinxi, feci non tam ex meo ſenſu quam D. Franciſci Gomari, qui iſta voce etiam creationem compræhendi multis locis teſtatur. Theſibus *De providentia Dei* ipſius præſidio ab *Hadriano Cornelio Drogio diſputatis* anno 96. theſi 9. ita dicitur: *Huius executionis* (qua providentiæ decretum Deus exſequitur) *partes ſunt duæ creatio & gubernatio &c. ſub qua gubernatione rerum continuatio & conſervatio, nec non ordinatio legitima comprahenduntur.* Libro de providentia Dei cap. 1. ex Cicerone. *Dico igitur Dei providentia mundum & omnes mundi partes initio conſtitutas eſſe, & omni tempore adminiſtrari.* Ex Lactantio: *Eſt igitur providentia cuius vi ac poteſtate omnia quæ videmus & facta ſunt & reguntur.* Eiuſdem libro cap. 7. *Ea executio diſtribuitur in creationem & gubernationem huius mundi.* Item: *Cæterum gubernationis huius partes ſunt duæ conſervatio & ordinatio mundi conſtituti.* Tu quoque idem ſentis diſputatione *de providentia Dei* ſub te propoſita anno 98. ut prima theſi ita dicitur: *Providentia vox latius ſumpta, æternum creationis gubernationis, ordinationiſque decretum & executionem illius complectitur.* Neque magnopere ſolicitus fui, de diſtinctione harum vocum, Gubernationis, conſervationis, ordinationis; an gubernatio utramque illam complecteretur; an vero ordinationem, tantum & contra conſervationem diſtingueretur. Iam vero quod ad partium harum inter ſe ordinationem attinet & connexum, dico fieri poſſe ut poſterioris actus ex prioris aliquo actu dependeat, atque ita, ut ab illa priore actus poſterioris in unam partem determinetur. Hoc docui in exemplo permiſſionis, qua Deus hominem reliquit in manu conſilii ſui. Ille actus eſt a gubernatione Dei ſive a providentia gubernante, at determinatus a creante providentia, quæ hominem liberum condidit & ſuę poteſtatis, quod ad iſtam libertatem attinet,

attinet, alioquin obnoxium Legi Dei. Neque hic ullam injuriam facio providentiæ Dei, neque illi in univerſum libertatem ſuæ actionis adimo. Fateor enim providentiam Dei ſimpliciter liberam eſſe. Nam quod hominem condidit libere fecit: quod liberi arbitrii illum fecit etiam libere fecit. At poſita una Dei actione per ipſam providentiam Dei, poteſt ex ea deduci alterius actus providentiæ divinæ neceſſitas: quæ neceſſitas dependet ex libera diſpenſatione providentiæ antecedentis. Aliud exemplum adferam, quo idem commonſtretur. Deus creavit Angelos iſta conditione, ut, qui in origine ſua non perſtabunt, æternum ſine venia puniantur: peccarunt nonnulli. Deus providentiæ gubernantis actu pœnam illis infligit actu determinato à creatione præcedente, adeo ut niſi mutare velit ſtatutum creationis, pœnam illis condonare nequeat. Hæc ergo mea mens fuit in iſtis quæ ad tertii argumenti refutationem attuli. quæ abs te non refutantur, etiamſi obtineas permiſſionem eſſe providentiæ gubernantis vel ordinantis; quod ego lubens tibi concedo iſto ſenſu quo explicui. Probandum fuit, illam permiſſionem qua homo relictus eſt in manu conſilii ſui ipſius, eſſe reprobationis vel præteritionis; vel permiſſionem qua permiſſus eſt a ſummo bono finaliter deficere locum habere circa hominem non peccatorem, vel ut non peccatorem conſideratum. Quare & illa verba Thomæ, prima ſum. quæſt. 23 art. 3. in reſponſ. generali: *Sicut enim prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & in ferendi damnationis pœnam pro culpa*: diligenter examinata accuratam veritatem non habent. Reprobationi enim non convenit voluntas permittendi aliquem cadere in culpam: omnibus enim hominibus permiſit Deus cadere in culpam. Quod etiam ex actibus quos prædeſtinationi tribuit probari poteſt. Voluntas enim conferendi gratiam & conferendi gloriam tribuitur prædeſtinationi; quam gratiam? qua nonnulli non ſunt permiſſi cadere in culpam ſed conſervati in primævo integritatis ſtatu? Nihil minus, ſed gratiam, qua nonnulli liberati ſunt ex culpa, inquam omnes permiſſi ſunt cadere. Ergo reprobationis actus directè fuit opponendus illi prædeſtinationis actui; iſte autem eſt permiſſio manendi in culpa, ſeu relictio in culpa, qui actus negativus: & voluntas inferendi pœnam pro culpa, qui eſt actus affirmativus. Ille oppoſitus præparationi gratiæ, hic gloriæ. Sed non mirum, hominem qui tot volumina erudititiſſima conſcripſit, omnia & ſingula accurate examinare non potuiſſe.

Penſitatio verbo um quorundam Thomæ ad hanc materiam facientium.

XXI.

Propoſitio ARMINII 21.

IAm ſi libeat iſtas ſententias duas inter ſe conferre, videtur hæc non probabilior altera futura; obnoxia quippe conſequentiæ eiuſdem abſurdo, quod ex altera probabiliter deducitur. Quod breviter ita monſtro. In priore ſententia hunc licet ordinem obſervare. Deus decrevit illuſtrare gloriam ſuam per miſericordiam & juſtitiam punientem.

Collatio ſecunda huius ſententiæ cum prima, cum evidenti demonſtratione per hanc æque introduci neceſſitatem peccati atque per illam.

Hoc non potuit, niſi ingreſſo peccato: quare peccatum neceſſario & infallibiliter perpetrari debuit. Non potuit, niſi ab eo qui legi obnoxius præſtare illam potens erat: perpetrari autem infallibiliter & neceſſario non potuit, à libera & contingente cauſa, quæ & peccare & non peccare poſſet, niſi illa circumſcribetur & determinaretur à potentiore certo & infallibiliter moturo vel impulſuro, cauſam ſua natura liberam & contingentem ad actum peccati; vel non daturo aut remoturo id quod ad vitandum peccatum neceſſarium erat; unde peccati à creatura perpetrandi neceſſitas dependet & certa exiſtentia. Illum modum improbant, in hunc inclinant præcipui illius ſententiæ adprobatores. Iſte modus ab hac poſteriore ſententia etiam ſtatuitur. Nam creatura in ſua natura relicta neceſſario peccat, ſi lex illi feratur non præſtabilis naturæ ſolius viribus. Statuit autem Deus relinquere creaturam in ſua natura: unde quia peccatum neceſſario ſequitur, ſtatuit quoque ut creatura peccaret. Cur autem ſtatuerit, reddi cauſa non poteſt, niſi quam prior ſententia poſuit. Imo hæc ſententia altera illa minus probabilis videtur.

Reſponſio IUNII *ad Propoſitionem* 21. ARMINII.

...nſtrat Iunii ...l collatio... ...m prima & ...unda ſenten... ...a ſuperiori ...ppoſitione ...itutam.

ANte oſtendimus, quæ duæ ſententiæ dicuntur, eas non re aut ſubſtantia duas, ſed tantum modo exponendi & ſecundum quid diverſas eſſe: Itaque unam eſſe hanc, non dico probabilem, ſed veram ſententiam, veritate Dei, & auctoritate Scripturæ fundatam. Præterea ſuis locis abſurdum, quod huic ſententiæ appingitur, inane eſſe oſtendimus. Quia tamen hic repetitur, & nos repetamus paucis quid in hac objectione quo jure deſideremus. *Primum* illud, *Deum illuſtrare decreviſſe ſuam gloriam per miſericordiam & juſtitiam punientem*, anguſtius, dici oſtendimus propoſ. 3. *Secundo* hoc *non potuiſſe Deum facere, niſi ingreſſo peccato*, ibidem falſo demonſtravimus affirmari: nam & juſta manente creatura facturus fuerat miſericordiam & juſtitiam, licet non punientem. Imo quidem etiam punientem in iis rebus particulariter, quę non vitio, ſed imprudentia fuiſſent incommodæ? hoc enim ſine vitio aut peccato poteſt cuivis etiam juſto contingere. *Tertio peccatum neceſſario perpetrari debuiſſe* negamus, tamquam ex vi cauſæ univerſe aut ex parte efficientis: *debuiſſe infallibiliter* agnoſcimus, quia infallibiliter fuit in ſcientia Dei, ut ſcientia, non ut cauſa peccati. Itaque ſi iſtud *infallibiliter* eſt vocis neceſſariò exegeticum, nec aliud ſibi vult vox *neceſſario* quam *infallibiliter*, accipimus: ſin aliud, prius negamus, poſterius concedimus. Nam neque ab interna cauſa, neque ab externa ulla fuit peccandi primo homini neceſſitas: de proprio fecit voluntate libera, non neceſſitate ulla. Deinde hoc non ſequitur ex imperfectis & falſis antecedentibus, ut modo oſtendimus. Itaque & illud verum eſt, *perpetrari infallibiliter peccatum potuiſſe à libera & contingente cauſa qua peccavit* (ut diabolorum & hominum voluntate factum) & non perpetrari infallibiliter potuiſſe ab eaquæ non peccavit, ut fecerunt boni

boni & electi Angeli: & illud è diverſo falſum, *perpetrari neceſſario potuiſſe*, ſi ad neceſſitatem cauſæ ullius efficientis reſpexeris, cauſæ inquam externæ & internæ, cauſa enim ac potius principium voluntas fuit, cuius attributum eſt libertas, tunc ab omni neceſſitate ſoluta, nunc ſua neceſſitate conjuncta, ſed tamen libera, eoque producens effectus contingentes, non ſimpliciter (ut in natura fit) neceſſarios. Quin etiam *cum perpetrari neceſſario potuiſſe dicitur*, oppoſitum eſt in appoſito, ut loquuntur. Verbum enim *poſſe* (quod in hoc ſermone dicitur ex ratione Logica) per ſe ponit contingentiam, hanc tollit adverbium *neceſſario*. *Quarto* adferuntur ad hanc generationem peccati per disjunctionem conditiones duæ, quarum neutra probabilis. Prior eſt, non potuiſſe peccari a contingente cauſa, *niſi circumſcriberetur & determinaretur à potentiore certo & infallibiliter moturo vel impulſuro cauſam contingentem ad actum peccati*. Negatur conditio: primum enim contra naturam potentiæ eſt, quæ poteſt per ſe agere, aut non agere: ſi non poteſt, ne potentia quidem eſt. Niſi forte de potentia partiali aliqua dixeris: at voluntas hominis non eſt partialis potentia: nam principium eſt; nullum autem principium in partiales potentias vir prudens umquam retulerit: Tum ſi circumſcribitur, & determinatur à potentiore, certe ut à principio, aut ut à cauſa. Si ut à cauſa jam voluntas principium eſſe deſinet: nam principium eſt cauſæ; non à cauſa, cuius principium eſt: idem ſimul cauſa ſui & effectus non eſt. Si ut à principio ſuperiore, atqui nullum principium ſuperius ſic agit in inferiore, ut tollat modum proprium ipſius, quod ex Auguſtino ante obſervavimus. Eſt autem modus proprius voluntatis, libertas; adjunctum proprium, contingentia, cum libere ſit per ſe ad hoc aut illud inclinabilis. Præterea ſi circumſcribitur, & determinatur à potentiore, id aut ab efficiente fit ſingulariter, aut ab ordinante communiter ad rationem ordinatam univerſi. Ab ordinante fieri ante conſenſimus in propoſitione 6. Ab efficiente ſimpliciter dicis affirmari. Ego vero id à noſtris propriè adfirmari nego: quorum, ſi quæ voces interdum id videntur ſapere, tamen iniquum eſt eas ita præruptè in iſtam ſententiam rapi præter mentem auctorum, & aliorum locorum quibus ſe ipſi explicant comparationem. Sed hoc non demonſtrabo ulterius: nego ſimpliciter, ab efficiente potentiore fieri ſimpliciter, ut principium & cauſa contingens peccet. Hic tu, mi frater, duos modos adfers: efficientem unum, & deficientem alterum; utrumque tamen efficientem ſuo modo. Nam qui efficit, cum opere eſt, & opus efficit: qui deficit, ab opere abſtinet, & ut abſtineat efficit in ſeſe. Priorem modum annotas his verbis, *potentiore certo & infallibiliter moturo vel impulſuro cauſam ſua natura liberam & contingentem ad actum peccati*. Hunc modum negamus, & tu ipſe, mi frater, negari agnoſcis ab hominibus noſtris. De altero igitur videamus, quam iſtis verbis exprimis, *vel non danturo, aut remoturo id quod ad vitandum peccatum neceſſarium erat, unde peccati à creatura perpetrandi neceſſitas dependet, & certa exiſtentia*. Rurſum hic modus biſidatus eſt: nempe, quod ille potentior

aut non daturus eſt cauſæ quod neceſſarium fuerit, ſi abeſt, aut ſi adeſt, remoturus: quorum utervis ad generationem peccati videtur adferre cauſam. Tria hic nobis ſunt ordine exponenda: de eo quod neceſſarium dicitur ad vitationem peccati: de eo qui non dat, aut etiam removet, quod eſt neceſſarium: & de conſequentia, quæ inde conficitur. *De primo.* Omne peccatum, id eſt, inordinatus actus contra legem, ſive communiter ſpectes, ſive ſingulariter, habitus aut actus eſt ſingularium: nam ſpecies aut genera non agunt per ſe. Itaque primo & per ſe in agente inordinatum eſt: ad rationem vero communis & univerſi, pertinet ſecundario. Quapropter ſi quid ad vitandum peccatum dicitur neceſſarium, id aut ratione ſingularis agentis neceſſarium dicitur, aut ratione communis atque univerſi. Ac univerſi quidem ratione nihil attinuit ut impediretur peccatum; non ſolum quia peccatum non poteſt interturbare rationem univerſitatis huius, & ordinem univerſitatis continet rector illius; verumetiam quia peccatum per accidens ad rationem univerſi facit, & illuſtrat ſapientiam, bonitatem, gratiam, miſericordiam, juſtitiam, patientiam, potentiam, & bona omnia rectoris univerſitatem hanc gubernãtis. Igitur ratione univerſi nihil planè fuit neceſſarium vitari peccatum ſimpliciter, nihil ad declinandum peccatum quoque neceſſarium. Nam ſi ad rationem univerſi fuiſſet neceſſarium, curaſſet omnino Deus, ut *Auguſtinus Enchiridio ad Laurentium* docet. At ratione agentis ſingularis neceſſarium eſſe dixerit quiſpiam. Certe ſi ad ſingulare bonum illius reſpexeris, neceſſarium ipſi videtur eſſe: Cum vero præſtet ſingulari bono commune univerſitatis bonum; & ipſum quoque peccatum, quamvis per accidens, ſit de ratione illius; peccatum autem non ſit niſi ſingularium; omnino ſtatuendum illud eſt, rationem univerſitatis non ferre ſimpliciter, ut dicamus neceſſarium eſſe, ut non ſit peccatum. Quod ſi creatura ſcit non univerſitati, ſed ſibi neceſſarium eſſe, ne faciat peccatum; igitur impedimentum peccati, non ab univerſitate, non à rectore illius petendum eſt, ſed à ſingulari individuo agente; præſertim cum eidem rector univerſitatis liberam fecerit poteſtatem peccandi aut non peccandi, publicè ex conditione naturæ ipſius, cumque ſuæ ipſius viæ dominum inſtituerit, de poteſtate ſua certiorem fecerit, & de neceſſitate finis particularis ipſius, etiam comminatione adjecta, præmonuerit diligentiſſimè. Quid enim? recipiat Deus rem datam? imprudentis, aut inconſtantis, aut impotentis fuiſſet factum: quorum nihil Deo impingi poteſt. non dediſſet? atqui hoc pacto non addidiſſet omnes modos ſapientiæ ſuæ, & homo deſideraviſſet rem ſibi non datam; qui longe ampliorem atque ἀδύνατον planè (ſimilem Deo eſſe) deſideraverit. Hęc ſi bene expendamus (quæ lib. 2. adverſus Marcionem Tertullianus copioſe explicavit) profecto videmus nec ratione univerſi, nec ratione ſingularis agentis fuiſſe neceſſarium, ut aliunde peccatũ impediretur, cuius impediendi facultatem homo ipſe penes ſe habuerit, & neceſſitatem finis graviſſime ex Deo cognoverit. Principium liberum Deus indiderat: nos ſapientes ſcilicet ex even-

ex eventu judicamus factum male à Domino: nam præſtitiſſe ne daretur liberum, ſaltem præſtitiſſe ut libertatem impediret. *De ſecundo*. Oſtendimus non fuiſſe neceſſarium, ut impediretur peccatum; hominis fuiſſe, ut vitaret: non alterius, ut hominem impediret: quo probato duo ſequentia everſa ſunt. Verum amplius addimus veritatis aſſerendæ cauſa, non fuiſſe Dei, ut daret id quod ad vitandum peccatum neceſſarium erat in illo ſingulari Adami facto: primum quia jam dederat; ſecundò quia non poterat dare niſi recepiſſet datum. Iam dederat: nam liberam voluntatem homini indiderat, quæ principium fuit liberrimum & ſufficiens ad utrumvis, nempe ad agendum, aut vitandum peccatum illud. Nec vero poterat dare impedimentum alterum, niſi recepiſſet illud quod antè dederat; nam principium erat naturale quod ante dederat; puta voluntas libera, in rebus naturalibus domina pure ſimpliciterque à Deo conſtituta, ſine exceptione aut modificatione ulla. Si impediviſſet; voluntas certe aut principium eſſe omnino deſiviſſet, aut in eo ſingulari facto principii conditio refracta fuiſſet, quod Deus homini a natura indiderat, & quod in eo ipſo facto integrum a ſe fore ſpoponderat. Cur Deus homini caveat in eo, cujus plenam ipſi poteſtatē fecerat, & cautionē præceperat? Ergo, inquies, ſaltem ne removiſſet datum: nam gratiam homini dederat, hic removet. Nego removiſſe quicquam datum, niſi a pecato ne gratiam quidem removit, niſi à peccato, cum homo eam abjeciſſet. Gratiam, id eſt, dona gratiæ Deus homini contulerat ad opus gratiæ, id eſt, ſecundum quod natura ad ſupernaturalem gloriam erat ordinata: ad opus naturæ non gratiam, ſed naturam voluntatemque dederat. Officium naturæ fuit, ut homo non comederet comederetque; officium voluntatis ex inſtituto Dei, ut non comederet de fructu vetito: hoc, inquam, purum putum voluntatis officium; ad quod gratiam non oportuit accedere, quia ad res gratiæ fuerat; non naturæ data. *De tertio*. Quod tertio loco dicitur, *inde peccati à creatura perpetrandi neceſſitatem dependere, &c.* in quæſtione de facto Adami omnino falſum eſt. Nulla enim ab ulla parte fuit perpetrandi peccati Adamo neceſſitas: pura puta libertas fuit, ut modo & alias ſæpe expreſſimus. Nunc vero qua conditione homo eſt, ne id quidem eſt proprie ſimpliciterque verum. Nam a voluntate creaturæ, id eſt, noſtra pendet perpetrandi peccati neceſſitas, quam ſinit voluntas Dei ſapientiſſima & ordinat: ab illa vero voluntate Dei ſapientiſſima ex contrario pendet non perpetrandi peccati neceſſitas communicatione gratiæ. Duriuſculum eſt ſi a voluntate Dei non dantis, ſive removentis gratiam, dixeris peccati perpetrandi neceſſitatē pendere. Etſi ferri certo reſpectu poteſt. *Quinto*, propoſitionem quidem illam concedimus, *quod creatura in ſua natura relicta neceſſario peccat, ſi lex illi feratur non præſtabilis natura ſolius viribus.* At lex illa ſingularis Adamo lata, fuit præſtabilis ſolius naturæ viribus, ut in propoſ. 14. & 16. confirmavimus. Ruit ergo tota hęc argumentatio, & quæcumque ei ſuperſtructa ſunt. Ad legem naturalem Adam natura & gratia ſuffultus fuit; ad ſingularem, natura ſolum,

quia res ſolum naturæ agebatur, idque facillima. Minor impropria & ambigua eſt. Propria eſt hoc modo, Statuit autem Deus creaturam in natura ſua. *Statuit relinquere*, dicitur impropriè. Prius homo reliquit Deum, quam Deus hominem, ut ante expoſuimus. Falſa igitur concluſio. Ambigua eſt propter varium uſum verbi, *ſtatuit*; quod hic & in ſequentibus uſurpatur. Sed ambiguitatem iſtam ſupra in propoſ. 6. ſuſtulimus. Poſtremo quod uni ſententiæ altera præponitur, dicitur incommode, cum re ſive ſubſtantia atque ratione non niſi una ſit ſententia, quamvis modo tractationis & ſermonis differens. Sed videamus quid ſit, quod ad probationem huius adfertur magis, quam illius.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem* 21.

QVomodo iſtæ ſententiæ differant jam ante ad reſponſ. propoſitionis primæ dictum eſt. An vero iſta prima ſententia & hæc ſecunda veritate Dei & autoritate Scripturæ fundatæ ſint jam diſquirimus. Abſurdum quod primæ ſententiæ impegi, ex ea neceſſario ſequi jam ante oſtendi: neque tu illam ut ab ipſis auctoribus explicata, &c. vindicaſti ab abſurditate, ſed autorum menti diſſimiliter explicuiſti; atque ita explicatam demonſtraſti abſurdi illius conſequentia variè oppugnari, ſed hoc eſt præter propoſitum noſtrum. Nam de ſententia iſta ita explicata, ut tu explicandam arbitraris, nulla nobis unquam fuit quæſtio. At hac propoſitione non repeto idem abſurdum: ſed monſtro ſecundam ſententiam eadem abſurditate laborare: & monſtro hoc collatione primæ & ſecundæ ſententiæ. hæc eſt propoſitionis iſtius 21. œconomia & ſcopus. Quare opus erit ut videamus, Primo, Quomodo id ipſum abſurdum primæ ſententiæ. Secundo, Quomodo ſecundæ rectè & merito attribuatur, & ſimul quæ pro utriuſque defenſione abs te adferuntur.

Quare ad primam ſententiam quod attinet, nonnullis ſyllogiſmis docebo rectè ex illa concludi Deum autorem peccati eſſe. Deinde videbo quæ pro ea abs te ſint allata. *Probatur firma conſequentia ex prima ſententia deduci, Deum eſſe autorem peccati.*

Declaratio miſericordiæ liberantis ex miſeria actuali & juſtitiæ punientis peccatum eſt neceſſaria ex decreto Dei.

At talis miſericordia & juſtitia nequeunt declarari ſine exiſtentia peccati & miſeriæ.

Ergo exiſtentia peccati & miſeriæ eſt neceſſaria ex decreto Dei: hoc eſt, Ergo peccatum neceſſario perpetrari debuit ex decreto Dei.

Huius ſyllogiſmi omnes partes ex ſententia prima rectè ex ipſorum authorum mente intellecta ſunt deſumtæ; ut jam ante ad reſponſ. propoſit. 3. & 6. eſt probatum.

Hinc ſubſumo.

Peccatum non poteſt perpetrari neceſſario à cauſa libera & contingente, niſi illa circumſcribatur & determinetur à potentiore cauſa, cui reſiſtere non poteſt.

At voluntas hominis eſt cauſa libera & contingens.

Ergo peccatum non poteſt neceſſario perpetrari à voluntate hominis, (quæ debet eſſe proxima cauſa peccati)

niſi

niſi illa circumſcribatur & derminetur à potentiore cauſa cui reſiſtere non poteſt.

Addo autem modum duplicem illius determinationis. Vnde porro concludo.

Cauſa voluntatem natura ſua liberam & contingentem determinans ad peccatum perpetrandum eſt cauſa peccati per illam determinationem.

At Deus eſt cauſa voluntatem talem determinans ad peccatum neceſſario patrandum ex ſententia illa prima

Ergo Deus eſt cauſa peccati per illam determinationem ſuam.

Nunc ad ea, quæ in excuſandæ & defendendæ iſti primæ ſententiæ adfers, veniamus.

Conſideratio eorum quæ à Iunio excuſanda & defendenda illi primæ ſententiæ adferantur. Ad primam confutatio. Primo dicis, illud, *Deum decreviſſe per miſericordiam & juſtitiam punientem gloriam ſuam illuſtrare*, anguſtius dici, atque id oſtenſum reſponſione ad propoſ. 3. Reſpondeo. Non id quæri, an vere an falſo, latiuſne an anguſtinus id dicatur, ſed an dicatur ab illis quorum ego ſententiam abſurdi illius conſequentia gravavi. Probavi autem ad propoſitionem tertiam illos hoc dicere, & quidem totidem verbis, ut aiunt formalibus.

Ad ſecundam *Secundo dicis*, falſo affirmari *hoc non potuiſſe fieri niſi ingreſſo peccato*, & hoc monſtratum propoſitione tertia. Reſpondeo. Non quæri an hoc falſo dicatur an vere, ſed an illi quorum ego ſententiam iſto abſurdo refuto, hoc dicant. Dicunt autem hoc & verbis planis, ut ego ibidem ad propoſitionem tertiam commonſtravi. Quare non mihi ſed illis falſitas illa impacta eſt. At hoc verum eſt quod dicunt: *Miſericordiam & juſtitiam* (ut ab illis ſumuntur.) *non poſſe declarari niſi ingreſſo peccato.* Ratio. Quia peccatum eſt ratio formalis objecti illius juſtitiæ, & ut habens adjunctam miſeriam conſequentem, illius miſericordiæ.

Ad tertiam. *Tertio* negas *peccatum infallibiliter aut neceſſario perpetrari debuiſſe.* at non id controvertitur. Nam & ego fateor peccatum non debuiſſe perpetrari neceſſario, & qui contradicunt, blaſphemos dico in bonitatem & juſtitiam Dei, licet iſtius conſequentiæ ignaros eſſe fatear huius dogmatis patronos, quos eo nomine excuſabiles puto, quia directe contrarium docent aliis locis. Sed, poſitis iſtis duabus præmiſſis, dico *neceſſario perpetrari debuiſſe. Infallibiliter* concedis perpetrari debuiſſe, ſed tantum ratione ſcientiæ Dei, at non *infallibiliter ratione decreti*, quod eſt factum a voluntate Dei abſque præſcientia præcedente. Illi vero quos dixi primæ ſententiæ autores, dicunt *infallibiliter & neceſſario perpetrari debuiſſe ratione decreti, nec potuiſſe infallibiliter à Deo praſciri niſi quia decretum & ordinatum à Deo ut perpetraretur.* Negavi autem & adhuc nego *peccatum potuiſſe neceſſario perpetrari à libera & contingente cauſa* Neceſſarii enim effectus eſt neſſaria cauſa, contingentis contingens. Voluntas autem hominis eſt cauſa libera & contingens. Quare ab ea non potuit peccatum perpetrari neceſſario. *Oppoſitum autem in appoſito* eſt non in meis ſed tuis verbis. Non enim dixi, *peccatum potuiſſe perpetrari neceſſario*: ſed *non potuiſſe perpetrari neceſſario*. Vbi contradicens in adjecto non eſt, quod patebit ſi verba obſervantur hoc pacto: fieri non poteſt ut peccatum à cauſa contingente & libera neceſſario perpetretur. Abſurda autem eſt hæc locutio: poteſt fieri ut cauſa neceſſaria neceſſarium effectum, ſeu effectum ſuum

ſuum neceſſario producat: debet enim fieri. Quod vero diſtinguis inter voces infallibiliter & neceſſario, id ex ipſius rei veritate eſſe fateor. Infallibilitas enim eſt ſcientiæ Dei: neceſſitas eventus ex decreto & voluntate Dei. Quod diſcrimen ſi rectè à multis animadverteretur, magnopere ad multarum gravium in hoc negotio quæſtionum ſolutionem ipſis ſervire poſſit: quemadmodum tu eruditè in libello de Adami lapſu commonſtraſti.

Ad quartam. Quarto dicis adferri *conditiones duas* per disjunctionem ad hanc generationem peccati, *quarum neutra eſt probabilis.* De utraque videnmus. Quod *ad priorem*, illa non integre abs te adfertur. Omittitur enim particula de qua tota eſt controverſia, & quæ addita firmat quod dico; ablata infirmat. Ea eſt vocula (neceſſario) ita enim dicendum fuit. Prior eſt, *non potuiſſe peccari neceſſario à contingente cauſa niſi circumſcriberetur, &c.* Adverſus hanc propoſitionem ea quæ adfers non faciunt. Probas quidem voluntatem hominis ut principium & potentiam integram potuiſſe peccare libere & contingenter. at quis negat? addo ſi peccavit non libere, non peccaſſe; & contradicens eſſe in adjecto dico, ſi quis dicat, *voluntatem* peccaſſe neceſſario, idque non ſimpliciter ſed duplici modo. Nam voluntatis eſt libere facere quod facit. Dein ſe, peccatum ſi neceſſarium eſt non eſt peccatum. Loquimur autem hic ex hypotheſi primæ ſententiæ quam mihi ſumſi refutandam. *Determinari negas voluntatem à potentiore, quia non à cauſa, ſic enim voluntas principium eſſe deſinet: non à principio: Nam principium ſuperius ita agit in inferiore ut modum illius non tollat.* Concedo hæc lubentiſſime tanquam vere & erudite dicta. Sed an ego dixi voluntatem determinatam eſſe à potentiore? Nihil minus. Hoc eſt quod dixi: *Fieri non poſſe ut voluntas neceſſario peccet niſi determinetur à potentiore.* Illa conſequentia tibi ſuit refutanda, ſi quidem mihi contradicere in hiſce voluiſſes, non antecedens, non conſequens; de quibus inter nos non eſt controverſia. Fateor autem ſi voluntas determinatur ut à cauſa, jam voluntatem non eſſe principium: ſi ut à principio, jam non determinari, ſi enim modus illius proprius, qui eſt libertas non tollitur, jam non determinatur. quare ſi determinatur, determinatur ut a cauſa. Determinatur autem: nam inde eſt peccati neceſſitas. Ergo a cauſa. *At ſi à cauſa, iam voluntas principium eſſe deſinet*, inquis, *quod eſt abſurdum.* Fateor, & propterea ſententiam primam, unde & hoc abſurdum ſequitur, merito improbari. Quod addis determinari aut *ab efficiente aut ab ordinante*, dico non rectè disjungi aut diſtingui hæc duo niſi ante commonſtratum fuerit, quomodo *ab ordinante* (voce illa ex ſententia Calvini & Bezæ uſurpata pro ordinatione, non rei factæ in finem, ſed rei faciendæ ut fiat ad certum & præſtitutum finem conſequendum) *efficiens* ſe jungi poſſit. Voce autem eadem juxta tuam mentem uſurpata, ut eſt uſurpanda, fateor iſta recte diſtingui, ſed de eo non eſt nobis quæſtio, verum de ſententia Calvini & Bezæ, qui non aliquando ita loquuntur; ſed quorum illa jam ſæpius a me explicata perpetua mens eſt & ſententia. Quod ergo negas ab efficiente ſuperiore ſimpliciter fieri ut principium & cauſa contingens

tingens peccet: idem & ego nego. Sed negandum tibi eſt ex *illa ſententia prima ſequi, hominem neceſſario peccare*, & hæc negatio commonſtranda. Imo non ita loquendum, fieri non poſſe ſimpliciter ab efficiente potentiore, ut principium & cauſa contingens peccet, ſed fieri non poſſe ab efficiente potentiore, ut homo neceſſario peccet. Deſinit enim homo tum eſſe principium ſui actus & cauſa contingens. Hunc autem *modum priorem* dico illos *improbare*, ſed intellige *verbo*: at non commonſtrant quo pacto ille modus hic locum non habeat.

Videamus ſecundum modum, quem ego non poſui tanquam ſimpliciter neceſſarium: ſed quia vidi neceſſitatem peccati perpetrandi induci non potuiſſe niſi altero illorum modorum, idcirco per diviſionem utrumque poſui. Videtur autem officii tui hic fuiſſe, primo, commonſtrare *fieri poſſe ut peccatum neceſſario perpetretur citra alterum horum modorum*. Secundo, *Modum illum aſſignare quo hoc fieri poſſet, imo & factum eſſet*. Tertio, *Docere illum modum talem eſſe, qui Deum peccati autorem non ſtatuat*. Nihil autem horum facis, quare potui hæc omnia præterire, tanquam à ſcopo diſputationis noſtræ recedentia, & contra me nihil facientia. Sed conſideremus ea quæ reſpondes. Primo prolixe doces non fuiſſe neceſſarium neque univerſitatis neque ſingularis hominis reſpectu, ut peccatum vitaretur.

Quidnam Iunio in præſtandum fuerit ad defendendam primam ſententiam ex mente auctoris eius.

Nemo hoc negat, nemo contrarium affirmat. Si enim hoc, tum peccatum commiſſum non eſſet; eſt autem commiſſum. Et quomodo potuiſti me iſti ſententiæ affinem ſuſpicari, qui ubique contendo Deum hominem liberi arbitrii & ſuæ poteſtatis feciſſe, ut malum ſponte & libere vitare poſſet, vel idem proprio arbitratu patrare: cui conſtitutioni Dei directe adverſatur hoc, quod dicitur de peccati vitandi neceſſitate. Concedo itaque non fuiſſe ſimpliciter neceſſarium; ut peccatum vitaretur, hoc eſt, ut peccatum non fieret. Sed ſi liceat nobis paulisper in hac conſideratione, licet extra propoſitum noſtrum ſit, commorari; notabo nonnulla quæ mihi non ſatis recte dicta videntur. Dicis univerſitati non fuiſſe neceſſarium, ut peccatum vitaretur, hoc eſt, ut ego interpretor, ad univerſitatis bonum non pertinuiſſe, ut peccatum vitaretur. Liceat mihi hoc tua bona venia negare. Bonum enim univerſitatis fuit perſtare in perfectione iſtius ſtatus, in quo univerſitas à Deo erat creata, & per creationis ordinem conſtituta. At per peccatum univerſitatis ab iſta perfectione decidit, & *vanitati ſubiecta* eſt. Rom. 8. verſ. 20. unde exiſtit *deſiderium liberationis ab illa vanitate*. Niſi enim hoc univerſitati bonum eſſet, non deſideraret id univerſitas. Niſi neceſſarium eſſet, non deſideraret univerſitas tota. Appetitus enim omnis boni eſt, & appetitus naturalis boni neceſſarii. Probas dictum duplici argumento. Primo, quia peccatum interturbare rationem univerſitatis huius non poteſt. *Secundo*, quia peccatum per accidens ad rationem univerſi facit, & illuſtrat ſapientiam, bonitatem, gratiam, miſericordiam, juſtitiam, patientiam, potentiam & bona omnia rectoris univerſitatem hanc gubernantis. *Ad prim.* argumentum dico, id mihi non videri veriſimile. Ratio enim univerſi-

An peccatum non contra veniat bono totius univerſitatis.

Ffff verſi-

verſitatis hæc fuit per creationem & ordinationem Dei, ut homo Deo ſubditus eſſet in cuius imagine & ſimilitudine erat factus; homini reliqua creatura ſubeſſet, eiuſque commodis & utilitatibus ſerviret, quia ad imaginem Dei conditus erat. Peccatum hanc rationem & ordinem maximè interturbavit. Homo enim per id Deo rebellis factus eſt, & creaturæ non tantum dominio illius ſubtractæ, ſed & in illius exitium armatæ; niſi quatenus in Chriſto reſtitutus eſt in integrum. Vide Hebræorum 2. v. 6. 7. 8. 9. Sunt qui verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι Epheſ. 1. v 10. uſurpatum interpretantur de reductione omnium rerum ad primum principium ûnde deciderunt propter peccatum hominis. Providentię divinæ ratio qua nunc omnia ſuſtinet & gubernat longe eſt alia, quam fuiſſet ſi peccatum ingreſſum non fuiſſet in mundum, quemadmodum multis locis Scripturæ planiſſimè comprobari poteſt. At, inquies, non ita potuit interturbare peccatum rationem univerſitatis huius, ut Deus id in ordinem redigere non potuerit. Hoc fateor: ſed ordo ille eſt non impediens interturbationem, ſed illam inſequens & corrigens. In ſecundo argumento duo animadvertenda puto, & corrigenda. *Primum* quod dicis peccatum ad rationem univerſi facere per accidens. nullo enim modo, neque per ſe, neque per accidens facit peccatum ad rationem univerſi. Non per ſe, quia non eſt ex intentione creatoris univerſi, ſed eſt ex inordinatione creaturæ rationalis. Non per accidens; quia cum tota hæc rerum univerſitas finita ſit, etiam ratio eius eſt finita; & propterea bonum ad naturalem ejus perfectionem pertinens finitum; cui finito bono malum oppoſitum, ſeu defectus ab illo aberrans, per accidens facere poteſt ad rationem univerſi, hoc eſt reduci in bonum univerſi. At peccatum eſt malum non oppoſitum finito bono ſed infinito, utpote juſtitiæ & voluntati Dei. Quare ne per accidens quidem facere poteſt ad rationem univerſitatis huius ſuis terminis finitæ & circumſcriptæ. Poteſt autem per accidens facere ad boni infiniti gloriam, propterea quod bonum infinitum illo potentius eo abuti poſſit pro arbitratu ſuo, atque hac ratione id quod eſt inordinatiſſimum in ordinem redigere; ordinem inquam, non huius univerſi, quem excedit, ſed totam hanc univerſitatem tranſcendentem, & ſolius infiniti boni terminis circumſcriptum. Fieri enim nequit ut creatura aliqua ita extra ordinem ſuum proprium aut univerſum totius evagetur, ut ordine infiniti autoris non contineatur. Scio quidem peccatum certo reſpectu eſſe bono finito oppoſitum, nempe homini, cuius impedit felicitatem, at illam non impedit primo, niſi antea ut juſtitiæ & voluntati Dei oppoſitum conſideretur.

Deinde animadverſione dignum puto, quod peccatum dicis illuſtrare ſapientiam, bonitatem, &, Dei Rectoris univerſitatem hanc gubernantis. Non eſt hic effectus peccati, ſed Dei abutentis peccato ad illuſtrationem iſtarum ſuarum proprietatum. Alioqui peccatum ſimpliciter Deum dedecorat & ignominia afficit. Sed per accidens dicitur peccatum id facere, hoc enim à communi eſt repetendum. At rectius meo judicio dicetur de peccato, quod

An recte dicatur peccatum illuſtrare ſapientiam, bonitatem, aliaſque proprietates Dei Rectoris totius univerſitatis.

quod ſit per accidens occaſio illuſtrandæ gloriæ divinæ per proprietatum iſtarum exercitium. Et ſane, niſi Deus per iſtas ſuas proprietates triumphare de peccato potuiſſet, idque in ordinem redigere, nullo modo paſſus fuiſſet illud evenire.

Redeamus ad propoſitum. Dico hic non agi de neceſſitate vitandi peccatum, ſed de eo quod eſt neceſſarium ad vitandum peccatum, hoc eſt, ſine quo vitari peccatum ab homine, cui lex poſita eſt, non poteſt. De hoc vero fateris Deum dediſſe homini illa quæ erant neceſſaria ipſi ad vitandum peccatum, quæ neque receperit, neque removerit niſi poſtquam homo illa ſuo peccato abjeciſſet. In eo habeo me tibi aſſentientem. Sed de hoc non controvertitur. Docendum, quomodo, ſi homo peccatum vitare potuerit, idem homo neceſſario peccare debuerit, quod eſt ex hypotheſi ſententiæ quam impugno. Quatenus autem gratia neceſſaria fuerit ad hanc vel illam legem præſtandam antea ſatis eſt per tractatum. Ego vero lubens fateor illis ita explicatis, ut tu facis, ſequi nullam fuiſſe Adamo neceſſitatem perpetrandi peccati: ſed hoc eſt extra controverſiam: imo hoc eſt contra *Calvinum* & *Bezam*: Sed docendum eſt, nullam fuiſſe Adamo neceſſitatem peccati perpetrandi, & Adamum tamen neceſſario peccâſſe, & ſi fuerit neceſſitas aliqua ſive per hunc ſive per illum modum, vel alium quemvis, quomodo Deus non ſit cauſa peccati. Quod ego Deo, abſit, ut impingam. ſed dico ex ſententia illa prima ſequi, & propterea illam improbandam eſſe.

robatur ſe- *conſequen*

Iam venio ad alteram ſententiam, ex qua idem abſurdum ſequi dixi, ſed per hunc poſtremum modum.

tia ex ſecunda ſententia ſequi neceſſitatem peccandi; imo Deum [illegible]

Argumentatio fuit huiuſmodi.

Creatura illa neceſſario peccat, cui in ſua natura relictæ lex ponitur non præſtabilis illius naturæ viribus.

At homini in natura ſua relicto lata eſt lex, non præſtabilis naturæ illius viribus.

Ergo homo in natura relictus neceſſario peccavit.

Et per conſequens, *Deus qui legem illam dedit, & ſtatuit hominem relinquere in natura, eſt cauſa, quod homo peccavit*, quod erat demonſtrandum.

Propoſitionem concedis, negata *aſſumptione*. De ea autem antea actum eſt. Quod ſi homo habeat vires præſtandi illam legem, & Deus illi eas non ademit, neque uſum earum liberum impedit, tum fateor inde non ſequi, quod homo neceſſario peccaverit. Phraſis, qua in *minore* utor, ſi impropria eſt & ambigua, non mihi imputandum venit, qui in aliena ſententia explicanda & impugnanda uſus ſum phraſi ipſorum autorum. Sic enim in diſputatione tua ſæpius citata theſi 15. lego: *Præteritio eſt actus divini placiti, quo Deus ab æterno ſtatuit quaſdam creaturas in natura ipſarum relinquere.* Cæterum licet illo ſyllogiſmo, cuius *minorem* ego abs te in theſibus tuis poni exiſtimavi, ob *minoris negationem* non poſſim concludere quod ex illa ſententia neceſſitas peccati inducatur, Deuſque propterea autor peccati per eandem conſequenter ſtatuatur: tamen non video quomodo iſta minoris negatio cum ſententia in theſibus abs te explicata conveniat, & quomodo ab eadem illa ſententia peccati neceſſitas excludatur. Vtriuſq; rationem reddam.

Conſideratio cenſuræ Iunii ad deductionem iſtius conſequentiæ.

Negari quidem à Iunio Minorem ſuperioris argumenti, ſed illam negationem non poſſe conciliari cum ſententia theſibus ipſius propoſita.

Prioris primum. Dicis hominem *potuiſſe* iis viribus, quas à Deo acceperat (ſive naturæ ſive gratiæ perinde eſt) *legem* ſibi latam *præſtare*. Hujuſmodi autem hominem *præteritum eſſe* dicis à Deo in theſibus tuis abſque conditione peccati vel prævisione eiuſdem. Hæc duo ego nego inter ſe conſiſtere poſſe, & probo. *Qui capax eſt alicuius gratiæ ex conditione naturæ factus, gratiæ inquam, ſine qua finem ad quem conditus eſt, aſſequi nequit: illi gratia iſta non poteſt ſtatui denegenda, niſi præviſo aliquo eius actu, quo ſe inhabilem & indignum fecerit ad illam accipiendum. Talis autem actus non poteſt eſſe niſi peccatum. Ratio maioris.* Alioquin Deus fruſtra illi dedit eſſe capacem iſtius gratiæ, quod eſt abſurdum. Addo: ſi natura non deficiat in neceſſariis, longè minus Deus naturæ autor & conſummator; deficit autem Deus in neceſſariis, ſi homini neget gratiam, ſine qua finem ad quem conditus eſt, conſequi nequit: quod etiam eſt abſurdum. *At omnes homines tum primi, tum poſteri in illis reſpectu primævi ſtatus conſiderati fuerunt capaces illius gratiæ, & conditi ad finem, qui ſine iſta gratia obtineri nequit. Ergo nulli homini potuit illa gratia denegari aut ſtatui deneganda, abſque eo, ut tanquam peccator conſideratus fuerit. Minorem* probo. Omnes homines nempe eius gratiæ fuiſſe capaces. Primo, *Quia* omnes ad imaginem Dei conditi fuerunt. Secundo, *Si capaces* non fuerunt, tum debuerunt actu aliquo eius capaces fieri illi, qui eam eſſent accepturi; qui actus non potuit eſſe prædeſtinationis. Nam eſt proceſſus in infinitum, ſi prædeſtinationis actus aliquis aliquem capacem faciat ad gratiam prædeſtinationis accipiendam. Deinde prædeſtinationis non eſt aliquem capacem reddere gratiæ accipiendæ, ſed gratiam dare ſimpliciter. Ergo debuit eſſe actus communis omnibus hominibus. Si talis, ergo omnes homines illius gratiæ capaces iſto actu facti ſunt. quod coincidet cum eo quod dixi, omnes capaces fuiſſe: Quare hic doceri velim, quo jure Deus poſſet alicui homini gratiam, cuius capacem illum fecit, & ſine qua, finem ad quem conditus eſt, conſequi nequit, denegare puro actu ſui placiti, abſque eo, ut homo ille ſe ſuo merito indignum illa gratia fecerit, & inhabilem ad illam accipiendam.

Poſterius, nempe, quod ab illa ſententia, quæ theſibus tuis eſt explicata, peccati neceſſitas non excludatur, ſed potius ex illa concludatur, doceo hoc pacto.

Imo ſententia theſibus ipſius propoſita non excludi neceſſitatem peccati, ſed ex illa potius concludi.

Negatio gratiæ ad firmandam hominis integram naturam neceſſariæ, eſt cauſa cur homo ille labatur, id eſt, peccet, per remotionem ſeu non dationem neceſſarii prohibentis.

At præteritio, ut tuis theſibus eſt definita, eſt negatio gratiæ ad firmandam integram hominis naturam neceſſariæ.

Ergo huiuſmodi præteritio eſt cauſa, cur homo labatur, hoc eſt peccet, per non dationem neceſſarii prohibentis.

Maioris veritas eſt per ſe manifeſta; neque infirmatur per exceptionem, *ſi illa gratia homini debeatur.* debetur enim illi ſi neceſſaria eſt ad firmandam naturam, ſine qua firmatione homo finem, ad quem conditus eſt, conſequi nequit.

Minorem probo. Sic enim habet theſis. *Præteritio eſt actus divini placiti, quo Deus ſtatuit cum creaturis quibuſdam non communicare ſupernaturalem gratiã, qua firmetur illarum natura integra, &c.*

Illa

Illa autem gratia eſt *neceſſaria firmanda integra natura hominis*, aut *non eſt neceſſaria*. Si *non neceſſaria*, tum potuit firma manere illa natura integra abſque illa gratia. Si firma manere potuit ſine illa, tum potuerunt illi participes eſſe vitæ æternæ promiſſæ perſeverantes in bono: & ſic potuerunt illi, quibus *gratiam illam negare ſtatuit*, eſſe *non præteriti*. At hoc pugnat cum iſta *definitione*, tum *in ipſa*, tum *per collationem ad reliquas theſes* conſiderata. Ergo ex iſta definitione ſequitur, illam gratiam eſſe neceſſariam, & propterea negationem eiuſdem eſſe cauſam lapſus per nondationem neceſſarii prohibentis. *Deinde finalis negatio* ſupernaturalis felicitatis neceſſario aut præſupponit peccatum, aut inducit peccatum, ſolis enim peccatoribus negatur & poteſt negari ſupernaturalis felicitas. *Præteritio* eſt negatio finalis ſupernaturalis felicitatis. Ergo neceſſario aut *præſupponit peccatum*, aut *inducit*. Iam vero *præteritio*, ut eſt in tuis theſibus definita, *non præſupponit peccatum*. *Ergo peccatum neceſſario inducit*. Quo alio modo quam eo quem dixi non video. At monſtretur alius, & quidem talis, qui Deum peccati culpa non involvat, & ſic hæc ſententia ab illa abſurditate liberata fuerit. Ad *minorem* dicis, quod impropria eſt & ambigua. Hoc ſi ſit, non mea culpa eſt, ſed tua, qui ita locutus es in theſibus jam crebro citatis, in illis enim ſunt iſta verba: *ſtatuit relinquere*. At non eſt *impropria* neque *ambigua* locutio: Non *impropria*. Nam ſive hominem non deſerentem deſerat, ſive deſerentem: voces illæ *ſtatuit deſerere* ſeu *relinquere* proprie uſurpantur. non *ambigua*, quia in ſyllogiſmo ubique eodem ſenſu verbum *ſtatuit* uſurpatur, quemadmodum in verbo *ordinandi* commonſtravimus, ad propoſitionem ſextam. De differentia huius ſententiæ à prima dictum eſt ad reſponſ. propoſitionis primæ.

XXII.

Propoſitio ARMINII 22.

PRimum enim Deo eligenti, non eligenti, prædeſtinanti, & prætereunti ſubjicit hominem conditum, & quidem talem conditum qualis revera conditus non eſt; illa ſubjicit Deo prædeſtinanti & reprobanti hominem condendum, & ita condendum, qualis revera poſtea eſt conditus.

Prima ratio Arm. cur minus probabilis ſit 2. ſent. quam prima.

Reſponſio IVNII *ad propoſitionem* 22. ARMINII.

DIfferentiam hanc à vero alienam eſſe, ſupra in propoſ. 6. & 10. ſatis demonſtravimus. Decretum reſpicit hominem condendum communiter, & exequutio hominem conditum ſecundum rationes ipſius.

Ad primam illam Arm. rationem.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem* 22.

DIxi hanc ſecundam ſententiam minus eſſe probabilem, quam ſit prima illa, & quinque rationibus probavi. Iam ad illarum conſiderationem veniamus, & primo de prima videamus.

Solutio rationis primæ qua probare intendit Arminius ſententiam ſecundam minus eſſe probabilem quam primam.

Sententia Calvini facit Deum præ-

prædeſtinatione verſantem circa tale objectum, circa quale verſantur exſecutione ipſa: at hæc ſententia facit Deum prædeſtinatione verſantem circa hominem ut eſt in natura conſideratus, quæ nihil ſupernaturale aut divinum poteſt, circa qualem exſecutione verſari nequit, utpote quum talis homo conditus non ſit, qui ſupernaturalium bonorum omnimo particeps non fuerit, ſive per creationem, ſive per ſuperinfuſionem. Notandum autem quod prædeſtinatio inter creationem & ſuper infuſionem non interveniat & quod ſuperinfuſio non ſit prædeſtinationis opus, quemadmodum in præcedentibus commonſtratum eſt. Reſponſio quam adfers non videtur ad rem facere. Nam licet decretum factum ſit ante creationem hominis, tamen non verſatur prædeſtinatio ſecundæ ſententiæ conſentaneè explicata niſi circa hominem ut conditum conſideratum. Creatio enim non eſt de exſecutione decreti prædeſtinationis iſto modo intellectę, & licet exſecutio non verſetur niſi circa conditum juxta hanc ſententiam, tamen quæſtio eſt unde primus exſecutionis actus exordium ſumat, ſed videantur quæ dicta ſunt ad reſponſ. propoſ. 6. & 10.

XXIII.

Propoſitio ARMINII 23.

Secunda ratio Arminii cur minus probabilis ſit ſecunda ſententia quam prima.

SEcundo, quia non conjungit decreta inter ſe cohærentia juſta copula. Nam decretum de relinquendis nonnullis in ſua natura copulat cum decreto reprobandi per modum prævisionis peccati, quam contingentem ſtatuit, ſeu quod peccatum contingens ſtatuit; cum ex decreto de præteritione neceſſario peccatum inducatur: & propterea illi neceſſaria copula, non conditionali conjungenda eſt reprobatio, ex juſtitia Dei, eorum quorum non miſereri ſtatuit. Quę enim res neceſſario ſe ſequuntur, illæ etiam decretæ ſunt à Deo decretis neceſſario cohærentibus: præteritio & peccatum cohærent neceſſariò: ergo decreta de iſtis ſunt vinculo arctiore connectenda.

Reſponſio IVNII *ad Propoſitionem* 23. ARMINII.

Ad ſecundam Arminii rationem.

IVſtam eſſe copulam decretorum inter ſe cohærentium contra affirmamus. Nam ab uno decreto in alterum oportet tranſitum aliquem convenientem eſſe ad exſequutionem ipſius. Tranſitus autem non eſt proprie & per ſe de neceſſitate illius decreti, ſed eſt contingentiæ. Quemadmodum in prædeſtinatione ſanctorum duplex eſt decretum; prius, electionis & præparationis gratiæ; poſterius, gloriæ; à priore autem ad poſterius fit tranſitus morte, quę eſt contingens, ut ſtipendium peccati: ſic etiam in prædeſtinatione reproborum continetur decretum duplex: prius non electionis, ſive præteritionis, ſive reprobationis & alienationis à gratia; poſterius damnationis; à priore autem ad poſterius fit tranſitus peccato & morte peccati conſectaria; inter quæ tamen ſpatium gratioſe relinquit Deus, ut exſtet ipſis etiam peccatoribus & reprobis patientiæ divinæ documentum ad reſipiſcentiam ipſas revo- *Rom. 6.* *Rom. 2.*

revocantis. Non ergo neceſſariam copulam, ſed contingentem in hac quoque cauſa ſtatui oportuit. Quemadmodum in Scripturis paſſim Deus peccatum à ſe abjudicat, & ſancti faciunt: nam juſtus Dominus, juſtitiarum amans, rectum adſpicit vultus eius. *Psalm. 11.* *Ex decreto de præteritione neceſſario peccatum induci*, id eſt, infallibiliter, concedimus: quemadmodum ex eo quod verum eſt, neceſſario eſt propoſitio vera: Sed *ex eo neceſſario induci efficienter* univerſe aut ex parte ulla, neceſſitate (ut vocant) conſequentis aut conſequentiæ, id negamus conſtantiſſime. Conſequens decreti illius, non cauſatum (ut ita loquar) ſive non effectum neceſſarium, peccatum eſſe minime diffitemur. Subditur ad confirmationem dicti illius ſyllogiſtica argumentatio una, ſed cuius aſſumptio probari abſolute ſimpliciterque a nobis non poteſt. Negamus *præteritionē & peccatum cohærere neceſſario* per ſe: nam ſi cohererent neceſſario, tam præteriti eſſent, quicumque peccatum habent, quam quidam ex iis qui habent peccatum, ſunt præteriti: id eſt, omnes peccatores eſſent præteriti, ut omnes præteriti ſunt peccatores: Eſt autem conſequens falſum: ergo & antecedens. Imo quæcumque modo differunt, neceſſitate inquam & contingentia, ea viciſſim cohærere inter ſe non eſt neceſſarium: id enim ſi eſſet, nullum contingens futurum eſſet. Multa neceſſaria ſine contingentia cohærente ſunt: ex contrario autem, nihil tam contingens, quod non habeat aliquid cohærens neceſſarii. Ita ſe habent inter ſe præteritio & peccatum ſecundum ſe: Secundum hominem vero in iis qui ab Adamo ſunt, inde à corruptione & lapſu ipſius, & qui præteriti à Deo ſunt, præteritionem & peccatum neceſſario cohærere confitemur, id eſt immutabiliter; quia etſi contingenter facta, tamen abſoluta facta eſt peccati cum præteritione vel reprobatione iſta neceſſitas, & immutabilis: quemadmodum qui æs alienum contrahit, ſi non eſt ſolvendo, neceſſario debitor permanet. Cætera ante ſunt expoſita.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem* 23.

Salvatio ſecunda ratione Arminii quæ probatur ſecundam ſententiam minus probabilem eſſe quam primam. DEcreta illa dicuntur neceſſaria copula conjungenda, quorum alterum ſine altero nec eſt nec eſſe poteſt. Hac copula connecti debet decretum præparationis gratiæ cum decreto præparationis gloriæ. Neutrum enim eſt ſine altero, & neutrum ſine altero eſſe poteſt. Quod ſi eadem copula præteritio & prædamnatio ſunt conjungenda, jam vici quod volui. Tranſitus autem quo à gratia ad gloriam tranſitur non eſt ipſa copula qua unum decretum alteri conjungitur, ſed copula eſt Dei voluntas, quæ alterum ſine altero nemini vult, & quæ utrumque vult cui vult alterutrū. Tranſitus ad gloriam mors eſt, cui proportionale in decreto præteritionis & prædamnationis non eſt peccatum. Nam ob peccatum eſt prædamnatio, ob mortem non eſt gloria. Reſpectu habito ad peccatum eiuſque meritum Deus ſtatuit nonnullos damnare; peccatum enim ſolum eſt cauſa meritoria ob quam Deus damnare poteſt: tale nihil eſt in morte, reſpectu gloriæ,

gloriæ, quæ poſt mortem ex divina prædeſtinatione & gratia ſequitur. Quod autem mors non eſt copula ex eo apparet, quod mors eſt tranſitus à gratia ad gloriam, & à non gratia ad damnationem ſeu pœnam, interveniente peccato. Vna enim copula & nullo modo diverſificata oppoſitorum iſtorum decretorûm eſſe nequit. Sed accipio hoc quod de morte & tranſitu dicitur;& velim conſiderari. quod inde conſequatur. Si mors eſt tranſitus à decreto præparationis gratiæ ad gloriam, tum ſequitur decretum præparationis gratiæ & gloriæ eſſe circa peccatorem. Nam mors non poteſt eſſe tranſitus decreti ad decretum vel exſecutionis ad exſecutionem, cui homo objicitur extra rationem peccati, ut conditionis in objecto requiſitæ. Quod autem mors ut tranſitus non ſit per ſe & propriè de neceſſitate illius decreti, quo Deus alicui creaturæ vult gratiam & gloriam, concedo. At eſt de neceſſitate ejus decreti, quo Deus ſtatuit hominem ad gloriam non perducere, niſi morte interveniente. Hoc autem decretum præſupponit peccatum. Cæterum, quod ex decreto de præteritione peccatum neceſſario inducatur, antea eſt probatum, præteritione, ſcilicet, ita definita, ut habent theſes tuæ. In aſſumptione mei ſyllogiſmi aberravit pluma, pro voce enim (peccatum) ſubſtituenda eſt vox (reprobatio) & hoc pacto legendum. Præteritio & reprobatio (reprobatione uſurpata pro præparatione pœnæ) cohærent neceſſario, quod apparet ex antecedentibus, ubi dixi, decretum de relinquendis nonnullis in ſua natura copulat cum decreto reprobandi per modum prævisionis peccati, &c. Hoc pacto correcta aſſumtio eſt vera, & iſto eodem argumento quod tu uſurpas, mihi tum ſcribenti illam veritatem comprobabam. Nam omnes præteriti ſunt prædamnati (ut illam vocem pro reprobationis ſubſtituam ex mente tua, quam hoc reſponſo explicuiſti) & omnes prædamnati ſunt prçteriti. Quare decretum de prætereundis nonnullis cum decreto de damnandis nonnullis eſt neceſſaria copula convertendum. Hic autem non copulantur neceſſaria copula, ſed contingente; conjunguntur enim per modum prævisionis peccati quod contingens ſtatuitur. Quum autem præteritio & prædamnatio neceſſario inter ſe cohæreant, etiam cohærent præteritio & peccatum neceſſario. Nam prædamnatio non ſit niſi propter peccatum. Sed conſideretur reſponſio tua ad aſſumtionem meam, ut erat à me per aberrationem calami poſita: illa eſt, non cohærere inter ſe neceſſario præteritionem & peccatum, cujus contrarium mea aſſumptio habebat. Ratio tua eſt: quia ſic omnes peccatores tam eſſent præteriti, quam omnis præteriti ſunt peccatores. at hoc verum non eſt,, omnes enim præteriti ſunt quidem peccatores, at non omnes peccatores ſunt præteriti. Concedo antecedens, nego conſequens. Non enim eſt neceſſe, ut ubicunque neceſſaria eſt copula, ibi quoque ſit reciproca. Peccatum & præteritio poſſunt neceſſaria copula cohærere, etiamſi non reciprocentur. Homo & animal neceſſaria copula connectitur, at non reciprocantur. Et licet dicere omnem hominem eſſe animal neceſſario, licet non liceat reciprocè dicere, omne animal eſſe homi-

Error calami in aſſumptione.

hominem. At verò conſideretur hic cauſa, quare vere dici queat omnes præteritos eſſe peccatores, non autem poſſit verè dici quod omnes peccatores ſunt præteriti. Annon hæc eſt, quod peccatum ſe latius extendat quam præteritio, & peccatores quam præteriti? ita ſane. unde mihi valde probabiliter concludi videtur, peccatum prius eſſe præteritione, generaliora enim natura priora ſunt ſpecialioribus. Et ex hac tali reciprocatione & inverſione (omnes præteriti ſunt damnati, & omnes damnati ſunt præteriti, & omnes præteriti & damnati ſunt peccatores, & quidem tantum peccatores, ſunt præteriti & damnati,) mihi concludendum videtur. Ergo præteritio & prædamnatio ſunt peccatorum, & propterea hominum in peccatis conſideratorum: quod ego ex propoſito diſputo & præcipuè comprobandum ſumſi. Atque hac ratione peccatum præcedit tum præteritionem tum prædamnationem, & ſi efficientia eius naturalis conſideretur, omnes peccatores erunt præteriti & damnati, non aliqui tantum: Verum quia efficientia peccati naturalis vi cauſæ ſuperioris, quæ eſt voluntas Dei, impeditur in nonnullis: hinc fit, quod illi peccatores ſunt præteriti & damnati, quorum Deus miſereri noluit, illi non præteriti neque prædamnati, quorum Deus ſtatuit miſereri. Quæ de modo cohærentiæ inter neceſſarium & contingens hic pertractantur, meo propoſito non adverſantur, etiamſi vera ſint; quod ego puto non eſſe extra controverſiam. Neceſſarium enim & contingens integris eſſentiis differunt, ut adeo nulla res, qualiſcunque illa ſit, ſimul neceſſaria & contingens dici poſſit, hoc eſt neceſſario & contingenter fieri, ut perſiſtamus in terminis. Puto tamen ſine exceptione hic neceſſaria conſideratu dici non poſſe, quod ille neceſſario debitor permaneat qui æs alienum contraxit & non eſt ſolvendo; addendum fuit, niſi fiat condonatio debiti à creditore illa enim exceptione ſublata reciprocatio erit inter peccatum & damnationem huiuſmodi: omnes peccatores ſunt damnati, & omnes damnati ſunt pecatores; Nam peccatum eſt debitum quo obſtringuntur omnes peccatores, & non tantum meretur pœnam, ſed & punietur certo, niſi fiat eius condonatio & remiſſio. Verum & ex iſtis, quæ hic dicis, mihi videor argumentum meæ ſententiæ probandæ deducere poſſe. Similia enim ponis peccatum contingenter facere, & æs alienum contrahere. Item, peccatorem eſſe neceſſario, preteritum eſſe neceſſario & debitorem permanere neceſſario, niſi ſit ſolvendo. Inter hoſce bis binos terminos inter ſe comparatos, duo priores precedunt natura, poſteriores ſequuntur; quare peccatum prius eſt perpetratum ab homine idque contingenter, quam peccator neceſſario eſt conſtitutus: item, quam præteritus à Deo. Et quis ignorat hominem quia libere peccavit, ſe peccato mancipium feciſſe, & propterea peccato neceſſario ſubjacere, uſque dum liberatio fiat per Mediatorem Chriſtum? juxta dictum; *Quiſquis committit peccatum, ſervus eſt peccati: ſi Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.*

XXIV.

Propoſitio ARMINII 24.

Tertia ratio Arminii, &c.

TErtio, quia hiatum relinquit in decretis, non interjungens inter decretum præteritionis & reprobationis, decretum de exiſtentia peccati infallibili & neceſſaria: quemadmodum ex ipſa præteritione peccatum, meo judicio, neceſſario exſiſtit per remotionem prohibentis, ut loquuntur.

Reſponſio IUNII *ad Propoſitionem* 24. ARMINII.

Reſponſio ad tertiam rationem Arminij.

NEgatur opus eſſe ullo mediarii decreti interjectu, inter decretum præteritionis & damnationis (ſic enim accipis reprobationis vocem) aut ullum decretum intermiſſum eſſe, quod ex decretorum iſtorum natura ſit. Nam hæc decreta effectionis divinæ ſunt, quæ Deus immediatè efficit pro voluntate ſua, & juſtè pro ſua ſapientia: decretum vero de exiſtentia peccati ad mediarum opus naturæ pertinet, eoque modo effectum eſt, quo decrevit Deus, id eſt contingenter à contingente cauſa; nam voluntas hic principium eſt cauſarum contingentium; & ſingularis ille motus Adami in lapſum, cauſa fuit contingens lapſus & peccati, quod noſtro generi contigit. Quamobrem quod de exiſtentia peccati infallibili & neceſſaria dicitur, hoc modo diſtingui neceſſe eſt. Exiſtentia peccati, ſi ad ortum reſpexeris, fuit infallibilis in ſcientia Dei; non neceſſaria autem vi decreti ut cauſæ; quia vim peccati faciendi aut fugiendi voluntati Adæ Deus liberam permiſerat naturæ ordine in rebus naturalibus, quam ſimpliciſſimè & ſine exceptione ulla. Sic vi decreti illius neceſſarium fuit ut homo peccaret, aut non peccaret: vi voluntatis contingens fuit hominem peccare: denique motu voluntatis contingenter peccavit, quia decretum contingenter. Exiſtentia vero peccati, ſi ad actum reſpexeris, ex quo primi parentes lapſi ſunt, licet contingens ortu, tamen eſt jam infallibilis & neceſſaria naturæ ordine; qua fit ut peccati iſtius elephantiaſis, quæ illis contigit, ad poſteros defundatur. Nam mala cauſa malos effectus profert, mala arbor malos fructus: ſerpens ſerpentem gignit, elephanticus elephanticos. Quod autem naturæ eſt, ratione nulla probabili decreto rerum ſupernaturalium adſcribi poteſt: exiſtentia peccati utroque modo à natura eſt: non igitur decretis ſupernaturalibus adſcribenda. Cauſam affirmationis adfers, quod ex ipſa præteritione peccatum neceſſario exiſtit per remotionem prohibentis. hoc vero paulo ante in propoſitionem 22. judicio meo perſpicue ſatis fuit confutatum.

Replica ARMINII, *ſeu conſideratio Reſponſionis ad propoſitionem* 24.

Solutio rationis tertiæ Arminii qua probat ſententiam ſecundam minus eſſe probabilem quam primam.

COnmonſtrandum hic fuit, quomodo fieri poſſit ut decretum præteritionis cum decreto prædamnationis neceſſario cohæreat abſque neceſſaria copula. Neceſſaria autem copula non eſt peccati contingentis prævi-

prævisio: ſed ut neceſſario cohærea nt, quia illud præteritionis conſiderat hominem non peccatorem; hoc prædamnationis tantum peccatorem; neceſſe eſt peccati exiſtentiam eſſe neceſſariam vel vi decreti præteritionis, vel alterius decreti divini; talis nempe, quale Beza deſcribit. Loquimur hic de exiſtentia reſpectu actus Adami, non de eius neceſſaria exiſtentia reſpectu noſtræ corruptæ conceptionis & nativitatis. Hoc enim poſterius prioris illius effectus eſt per modum meriti, intercedente judicio & ſententia Dei, primi peccati reatum omnibus Adami poſteris non minus quam ipſi Adamo & Evæ inputantis; propterea quod & ipſi in Adamo peccaverant. Illud vero quod ſub finem dicis, quæ naturalia ſunt decretis ſupernaturalibus non adſcribenda, fateor; ſed peccatum, ſi eſt neceſſarium, hoc eſt, neceſſario patratum, non eſt naturale, nempe a voluntate hominis ut principio ſui actus; & ſi naturale eſt peccatum, tum eius neceſſitas non fuit decreto prædeſtinationis adſcribenda à Calvino & Beza. Hic autem non de reipſa in ſe conſiderata diſputamus, ſed ex hypotheſi illius ſententiæ quæ præteritionem, cum prædamnatione neceſſaria copula conjungit, non præexiſtente peccato tam præteritioni quam prædamnationi. An vero refutatum ſit quod dixi de neceſſaria peccati exiſtentia ex decreto præteritionis per modum removentis prohibens, licet meam conſiderationem ad reſponſ. propoſ. 22. conſulere.

XXV.

Propoſitio ARMINII 25.

QVarto, quia non eſt conveniens conditioni creationis & perpetuationis humani generis, quæ eſt ut omnes in uno conſiderentur & ab uno omnes proveniant. Inducit enim homines aut non conſideratos in Adamo, aut non omnes conſideratos in Adamo, aut diverſimode conſideratos in Adamo, inquam, recens condito, nondum lapſo.

Quarta ratio Arminij ex ſecundum ſentent. &c.

Reſponſio IVNII *ad Propoſitionem* 25. ARMINII.

QVæ toto genere differunt, differunt & modo. Conditio creationis & perpetuationis humani generis eſt naturalis (nam & creatio per reductionem naturalis eſt, ut numero unitas, lineæque punctum adſcribitur) conditio vero electionis & prædeſtinationis totius eſt ſupernaturalis; igitur & modo differunt. A diſſimili & diſpari non valet conſequentia. In natura quidem omnes in uno conſiderantur, & ab uno omnes proveniunt: in cauſa vero prædeſtinationis non omnes in uno conſiderantur, ſed in ſe ipſis ſinguli, nec ab uno omnes proveniunt naturaliter, ſed à Deo omnes ſupernaturaliter in Chriſto diſtinguuntur. Homo ſecundum naturam in Adamo conſideratur univerſe & ſingulariter: ſecundum gratiam in Chriſto ſolum ſingulariter: non enim ordo naturæ eſt, ſed benefi-

Reſponſio ad quartam rationem Arm.

cium gratiæ. Prædeſtinati ergo non in natura & ſecundum naturam, ſed ex natura ſecundum gratiam conſiderantur; quæ perſonalis, ac non naturalis eſt. Lex, naturæ eſt; privilegium gratiæ. Quæ ergo de conſideratione in Adamo adferuntur, fruſtra ſunt.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem* 25.

Salvatio rationis juxta Armin. quæ probatur ſecundum ſententiam minus probabiliorem eſſe quam priorem.

VIs mei argumenti perſtat. Licet enim modo differant creatio & prædeſtinatio, & genere, tanquam naturale & ſupernaturale, tamen eiuſmodi prædeſtinatio & reprobatio vera eſſe nequit, quæ impingit in conditiones creationis. Rectius dixiſſem ſi pro, *non conveniens*, *inconveniens* poſuiſſem. Nam ſupernaturalis actio poteſt creatæ naturæ aliquid addere, ordinemque naturæ excedere; adverſus autem creationem nihil ſtatuere. Sed prædeſtinatio & reprobatio ut abs te in theſibus ſunt declaratæ, ſtatuunt aliquid adverſus conditiones creationis: ergo non poſſunt inter dogmata vera locum habere. Probo aſſumptum: ſtatuis enim nonnullos præteriri extra conſiderationem peccati. Homo autem extra peccatum conſiderari nequit, niſi ut fuit in primævo ſtatu: quare ſtatuit nonnullos in primævo ſtatu conſideratos præteriri, at hoc fieri nequit, quia in primævo ſtatu habuerunt potentiam perſiſtendi in bono & non peccandi, & propterea poſſunt per legis obedientiam ſalvari: & per conſequens, qua tales, non ſunt præteriti: quia præteriti juxta definitionem tuarum theſium neceſſario à ſalute deficiunt, imo neceſſario damnantur, licet interveniente peccato. Si dicas neceſſario damnari poſtquam prævisi ſunt peccaturi; reſpondeo, & ſic præteritos poſtquam prævisi ſunt peccaturi, imo viſi peccatores. Cæterum de diſtinctione duplicis iſtius conſiderationis aliquid dicendum eſt. Conſiderantur homines omnes in uno & conſiderantur ſinguli in ſeipſis. at conſiderantur omnes in uno tales, quales in illo ſunt, & conſiderantur in ſe ſinguli, quales in ſeipſis ſunt; alioqui falſa eſt conſideratio. Hæc conſideratio eſt duplex reſpectu duplicis ſtatus. Conſiderantur in ſtatu integritatis primævo, & conſiderantur in ſtatu peccati defectivo. In primævo ſtatu conſiderantur omnes in uno, ut in origine & ſtirpe ſua, qua ſtante ſtant. Conſiderantur ſinguli in ſeipſis qua ſtantes, & habentes ex inſtituto naturæ & gratiæ omne id quod ſtirps prima ſive ex natura ſive ex gratia habuit. (gratiæ voce diſtincta contra naturam, alioquin quidquid habuit homo, eſt gratioſæ donationis) Conſiderantur ergo ſinguli ut veraces, juſti, ſancti. In ſtatu peccati conſiderantur omnes in uno qui peccavit, & omnes in eo peccaſſe conſiderantur. Conſiderantur in ſe ſinguli ut habentes defectum iſtarum rerum quas habuiſſent ex gratia, ſi ſteriſſet primus, & ut habentes peccatum & meritum peccati. Nunc qua omnes in uno conſiderantur ſive ſtante ſive lapſo, nulla eſt prædeſtinatio, nulla præteritio, ſeu reprobatio, nulla prædamnatio. Nam ſic omnes eſſent prædeſtinati & nulli reprobi, vel omnes reprobati & nulli prædeſtinati. Ergo

præde-

prædeſtinatio & reprobatio locum habet circa illos, qua ſinguli in ſe conſiderantur. de hoc ergo non eſt nobis quæſtio. Sed quæritur in quo ſtatu ſint conſiderati ſinguli Deo prædeſtinanti & præterunti? Tu dicis in ſtatu primævo, vel potius communiter conſideratos: ego dico præciſe conſideratos in ſtatu peccati. Secus, dico decretum illud impingere in conditiones creationis, ut eſt monſtratum. Et hoc eſt abſurdum; propterea quod ſupernaturalia naturalibus poſſunt quidem imo debent ſuperiora eſſe, at nullo modo contraria.

XXVI.

Propoſitio ARMINII 26.

Quinta ratio Arminii cur ſecunda ſententia ſit minus probabilis quam prima.

QVinto, quia inducit decretum æquivocum, & ſub conditione diviſionis tantum certum. Æquivocum, quia gloria & gratia, quę electione & prædeſtinatione præparantur, ſunt æquivocæ: aut enim eſt gloria ex ignominia per gratiam remiſſionis & regenerationis, aut eſt gloria naturæ ut eſt creata, tributa per gratiam ſupernaturalem tali naturæ ſuperinfuſam. Certum tantum ſub conditione diviſionis, quia neutram vult illi ſimpliciter: non gratiam ſuperinfuſam naturæ & gloriam per illam; quia illa non eſt qua homo ſalvatur & glorificatur: non gratiam remiſſionis & renovationis, quia illam non poteſt velle niſi peccatori. Ergo cum iſta diviſione eſt intelligendum decretum: volo huic homini gloriam & gratiam; certo quidem, ſed aut hanc aut illam, prout hæc vel illa pro diverſitate ſtatus illi erit neceſſaria.

Reſponſio IVNII *ad propoſitionem* 26. ARMINII.

Ad quintam rationem Arminii.

DEcretum æquivocum, & ſub conditione diviſionis tantum certum eſſe negamus. Non eſt ęquivocum, nam nomine generis univerſali, & univerſali ſignificatione dicitur: quod autem ita dicitur, non eſt æquivocum. Nec gratia, nec gloria in decreto duplex; ſed ſubſtantia, re, & ratione una eſt; per gradus ſuos in objecto diſtincta. Vt autem non eſt vita in homine duplex naturaliter, licet per ſua incrementa augeſcat naturæ lege; ita nec gratia aut gloria duplex, licet per ſuos gradus in nobis provehatur. Vtraq; ſupernaturalis eſt gratia, tum quæ naturam inſtaurat gratioſe, tum quæ ſupra modum naturæ evehit: quicquid hic dixeris, ſupernaturale eſt & re ipſa unum. Vtraque item ſupernaturalis gloria univoce; tum quæ naturæ modo adæquata eſt, tum quę ſupra naturam: hæc illam complectitur & quaſi abſorbet, ut maior lux minorem: etſi utraque lux, & quidem ſupernaturalis eſt; cum illam ipſam natura amiſerit, reparet gratia. Neque vero decretum illud ſub conditione tantum diviſionis certum eſſe putandum eſt: nam Deus totam ſuam gratiam, id eſt, utrumq; modum illius vult ſimpliciter electis ſuis ſine modificatione aut exceptione ulla. Itaque & gratiam remiſſionis renovationiſque vult illis & confert velut modum antecedentem illius; & gratiam gloriæ illius cæleſtis, velut modum conſequentem. Imo ſi fieri poſſet, ut aliquid præte-

præterea gratiæ antecedentis deſideraretur, aut conſequentis gloriæ naturalis, ſupernaturalis, & ſiquid præterea eſt ad dicendum quod volo, id totum conferet Deus: quia gratiam & gloriam ſuis decrevit univerſe, quæ quidem eſt communicabilis. Gratiam autem remiſſionis & renovationis non poteſt velle Deus, niſi peccatori & ratione peccati, ſed hominem totum communiter ſpectavit Deus, cui faceret gratiam totam ſuam & applicaret ſupernaturali modo. Decretum ergo gratiæ & gloriæ ſimpliciter eſt intelligendum; quia ſimpliciter & univerſaliter factum, ſine reſtrictione, exceptione aut modificatione gratiæ & gloriæ, quam cum ſuis Deus communicat. Varietas in objecto eſt & modo illius: gratia vero & gloria illa ſimpliciſſimè & univerſe objecto vario decreta & collata non facit, ut gratia & gloria in ſe diverſa ſit: quemadmodum nec Solis lux varia eſt, ſi ad nos varie pervenit, aut varie à nobis percipitur.

Replica ARMINII, *ſive conſideratio Reſponſ. ad propoſitionem* 26.

Explicatur quinta ratio Arminii qua probatur ſecundam ſententiam magis probabilem eſſe quam primam.

HAnc meam propoſitionem non ſatis percepiſſe videris. Quo autem hoc videas & eam porro ſecundum meam mentem percipias, enuntiabo illam verbis tibi in hac materia uſitatis, quantum potero. Æquivocum dico hoc decretum quia gratia & gloria hoc decreto præparatæ ſunt æquivocæ, gratia inquam æquivoca & gloria æquivoca. Alia enim eſt gratia conſervationis & confirmationis in primævo integritatis ſtatu, alia reſtaurationis ex ſtatu peccati. Gloria etiam alia (reſpectu modi objecti) quæ ſupra naturam exiſtens illi, quæ naturæ modo adæquata eſt, ſuperadditur, & alia quæ naturæ ex ignominia peccati & miſeriæ liberatæ donatur.

Certum eſt hoc decretum ex conditione diviſionis tantum, quia nec hanc gratiam, nec illam, nec illius modi gloriam neque huius homini vult ſimpliciter, ſed alteram tantum ſive gratiam ſive gloriam ſub conditione. Non vult homini ſimpliciter gratiam conſervationis in primævo ſtatu & gloriam ex illa ſeu per illam, quia illa non eſt gratia & gloria qua homo ſalvatur & glorificatur. Non vult homini ſimpliciter gratiam reſtaurationis ex ſtatu peccati & gloriã ex ignominia, quia illam gratiam & gloriam non poteſt ſimpliciter velle niſi peccatori. Ergo cum iſta diviſione eſt intelligendum decretum: Volo huic homini gratiam & gloriam, certo quidem ſed aut hanc aut illam, prout hæc vel illa, pro diverſitate ſtatus integritatis aut peccati, illi erit neceſſaria. Nunc conſiderabo tuum reſponſum. Negas decretum hoc eſſe æquivocum; ego aio. Rationem negationi tuæ addis, quia nomine generis univerſali & univerſali ſignificatione dicitur; quod autem ita dicitur, non eſt æquivocum: concedo hoc, nego illud, aio enim gratiam & gloriam nomine generis univerſali dici quidem, ſed non accipi ſignificatione univerſali, quæ eſt æquivocatio. Non accipi ſignificatione univerſali probo. Quia gratia & gloria communiter ſumtæ non ſunt homini prædeſtinatione præparatæ, ſed quatenus oppoſitæ dicuntur. Vide quæ dixiſti

Eadem etiam ſolvitur.

dixiſti ad meam propoſ. 11. Nam hoc non poteſt dici præparatum communiter, quod altera ſui parte vel ſpecie præparatum non eſt. Imo communiter præparatum hoc multo minus dici poteſt, quod eius eſt naturæ, ut, ſi una ſui ſpecie vel parte ſit præparatum, alterum præparatum eſſe nequeat. Ita autem res hic habet. Gratia communiter ſumta compræhendit gratiam conſervationis in ſtatu integritatis, & reſtaurationis ex ſtatu peccati: gloria communiter ſumta compræhendit gloriam naturæ primęvæ ſuperadditam, & gloriam ex ignominia donatam lapſæ naturæ. Neutra homini communiter eſt præparata, nec gratia nec gloria. Imo ſi gratia conſervationis in ſtatu integritatis, & gloria naturæ ſuperaddenda homini eſt præparata; tum non potuit gratia reſtaurationis ex ſtatu peccati, & gloria ex ignominia illi præparari; quia hac poſteriore gratia & gloria non indiguit, ſi illam priorem gratiam & gloriam obtinuit, & huic poſteriori gratiæ & gloriæ locus eſſe non poteſt, ſi illa prior gratia & gloria locum habuit. Si autem gratiæ reſtaurationis ex ſtatu peccati & gloriæ ex ignominia locus eſt aliquis, tunc gratiæ conſervationis & gloriæ per illam locus factus non eſt prædeſtinatione Dei. Hinc apparet meam propoſitionem non ſatis abs te perceptam, qui gratiæ & gloriæ duplicis illam affectionem eſſe putaſti, ut gratia una alteram, gloria una alteram in ſe complecteretur & velut abſolveret, exemplo vitæ. Gratia naturam inſtaurans & gratia eandem inſtauratam ſupra modum naturæ evehens ita habent, una enim alteram abſolvit & perficit: at ego illam duplicem gratiam non poſui, ſed unam conſervationis in primo ſtatu, alteram reſtaurationis ex ſtatu peccati: hæ ſibi non ſuccedunt, neque alteram altera abſolvit, ſed una alteram excludit: item gloria naturæ modo adæquata & gloria quæ ſupra naturam eſt, ita habent; unam enim alteram perficit & abſolvit: at ego non illam poſui duplicem gloriam, ſed utramque ſupernaturalem, unam naturæ primævæ ſuperadditam, alteram naturæ lapſæ ex ignominia reſtauratæ donatam. Eſt ergo hoc ſenſu decretum illud æquivocum, quia voces gratiæ & gloriæ communiter & univerſaliter dicuntur, at communiter & univerſaliter non ſunt præparatæ prædeſtinatione, ſed diſcretè, diſtincte & oppoſite. Negas deinde decretum hoc eſſe ſub conditione diviſionis tantum certum; ſed negas ex ſenſu quem meis verbis attribuis, non ex eo quem reipſa habent. iſto ſenſu recte negas. Nam gratia remiſſionis renovationiſque tanquam modus antecedens, & gratia gloriæ cęleſtis tanquam modus conſequens homini ſimpliciter & certo eſt præparata. At iſte meus ſenſus non fuit, ut ex verbis ipſis planiſſime adparet. Nam gratiam remiſſionis renovationiſque oppoſui non gratiæ gloriæ cæleſtis, ſed gratiæ conſervationis in ſtatu integritatis. Illas duas gratias, ſeu duas illas gratiæ vel partes vel ſpecies Deus homini ſimpliciter non voluit prædeſtinatione, imo neutram ſimpliciter: ſed alteram tantum, & quidem ſub conditione diviſionis, juxta illud decretum de quo agimus. Non voluit utramque partem homini ſimpliciter, quia utraq; ſimul locum habere non poteſt. Nam prior excludit poſteriorem

tanquam

tanquam non neceſſariam, imo ne locum habere potentem; poſterior excludit priorem tanquam non adhibitam; ex qua non adhibitione prioris, nempe gratiæ conſervationis in primo ſtatu, poſterior illa reſtaurationis ex peccato neceſſaria eſſe cœpit, ſiquidem homo ex gratia ſalvandus eſſet. Non voluit alteram illarum ſimpliciter & abſolute abſque conditione. Non conſervationis, quia illa homini non contigit, contigiſſet autem ſi illa homini ſimpliciter & ex prædeſtinatione præparata eſſet. Non remiſſionis peccatorum & renovationis, id eſt, reſtaurationis ex ſtatu peccati, quia illam ſimpliciter, velle nequit niſi peccatori: & illud decretum hominem non conſideravit ut peccatorem. Voluit autem ſub conditione diviſionis vel hanc vel illam, prout diverſitas ſtatus hominis vel hanc vel illam poſtularet. Huiuſmodi decretum ſub conditione diviſionis tantum certum eſſe, planum eſt ex terminis recte intellectis. Exemplo illuſtrabo. Omnis enuntiatio eſt vera vel falſa neceſſario. At hæc eſt enunciatio. Ergo eſt vera neceſſario, vel falſa neceſſario: non ſequitur. Quia ſub conditione diviſionis, verum eſt enuntiationem omnem eſſe neceſſario veram vel falſam. neutra enim pars ſimpliciter & ſejuncta eſt neceſſaria. Poſtulat autem natura decreti prædeſtinationis, ut ſimpliciter verum & certum ſit; *Deus vult homini gratiam conſervationis in ſtatu integritatis*, vel ſimpliciter certum & verum ſit: *Deus vult homini gratiam reſtaurationis ex ſtatu peccati.* Non autem ſub conditione diviſionis, Deus vult homini vel gratiam conſervationis, vel gratiam reſtaurationis. Quum autem prædeſtinatio, ut abs te eſt deſcripta, hoc poſtremo modo habeat, recte dixi illam ſub conditione diviſionis tantum eſſe certam: & propterea non eſſe prædeſtinationem bona conſequentia concludo. *Si vere prædeſtinationis eſt, velle gratiam conſervationis ſimpliciter & præciſe, & ſi illam non vult, velle gratiam reſtaurationis præciſe & ſimpliciter, tum ſequitur Deum nec ſpectaſſe hominem communiter nec ſpectare potuiſſe. Nam volitio illius gratiæ excludit præciſe peccatum; volitio gratiæ huius includit præciſe peccati conſiderationem: utroque modo pariter communis illa conſideratio refutatur. Communis enim obiecti conſideratio nec circumſtantiam ullam excludit, neque ulli certæ & ſingulari circumſtantiæ eſt alligata. At illa prædeſtinatio gratiæ conſervantis in ſtatu integritatis excludit circumſtantiam peccati; & hæc prædeſtinatio gratiæ reſtaurantis ex ſtatu peccati, circumſtantiæ peccati eſt præciſe alligata. Decretum itaque prædeſtinationis non eſt ſimpliciter & univerſaliter, aut communiter factum abſque reſtrictione aut modificatione gratiæ & gloriæ: ſed neceſſario factum eſt & fieri debuit cum reſtrictione & modificatione gratiæ & gloriæ. Decretum enim prædeſtinationis eſt quo præparatur illa gratia, qua homo certo ſalvatur, non qua ſalvari poſſet, ſiquidem ſtatus aliquis hominis illius applicationem requireret, nec qua ſalvaretur, ſi ſtatui alicui applicaretur. Illa autem qua certo ſalvatur homo, debet eſſe modificata & reſtricta. Nam aut conſervationis gratiâ ſalvatur aut gratia reſtaurationis ſalvatur; alterutra neceſſario. Si una ſalvatur, altera ſalvari non indiget neque poteſt; ſi una non ſalvatur, altera ſalvari debet aut à ſalute excludi; & illa qua ſalvatur eſt prædeſtinatione præparata, excluſa altera ſimpliciter qua non ſalvatur.*

Contra conſiderationem quam Iunius & hic & alibi inculcat

Vario-

Varietas inquis, eſt in objecto & modo illius. At nos, inquis, de varietate objecti modique illius hic agimus: quæ varietas tanta eſt, ut gratia & gloria ad hanc vel illam objecti varietatem ſit reſtringenda & modificanda: gratia conſervationis in ſtatu integritatis & gloria per illam objecto convenit ut in natura primæva conſideratur, gratia reſtaurationis & gloria per illam convenit objecto cum peccato & miſeria conſiderato. Neque poteſt gratia aut gloria ſimpliciſſimè & univerſe objecto vario prædeſtinatione decerni aut conferri. Prædeſtinatio enim neceſſario verſatur circa objectum uniforme & univocum; hoc eſt, aut circa non peccatorem ſimpliciter, aut circa peccatorem: neque confert gratiam niſi ſubjecto uniuſmodi & univoco. Nam ſalvat ſimpliciter non peccatorem, aut ſalvat ſimpliciter peccatorem, non accommodat ſe huic vel illi tali vel tali, ſed ſimpliciter accommodat ſe tali & non aliter conſiderato objecto. Angelos ſalvat ſimpliciter gratia conſervationis, nunquam enim decreta aut collata eſt illis gratia reſtaurationis. Homines ſimpliciter ſalvat gratia reſtaurationis, nunquam illis decreta aut collata eſt gratia conſervationis in ſtatu integritatis primævo. Gratia quidem (ut inquis) in ſe & ſua eſſentia una eſt, ut & gloria, at varie utraq; pro modo & ratione objecti applicatur: eaque eſt inter applicationem gratiæ & objecti modum rationemque reciprocatio, ut ex applicatione gratiæ concludi poſſit ratio objecti, ex objecti modo viciſſim colligi cuiuſmodi gratiæ applicatio illi objecto ſervando ſit neceſſaria. Similiter de gloria. Similitudo à luce ſolis abs te ſub finem uſurpata, huic rei ſervire poteſt. Lux ſolis una eademque lumen ſuum corpori jam ante illuminato circumſpargit & lucidius reddit: corpori tenebroſo lumen ſuum immittit & tenebras pellit, lucidumque reddit quod antea erat tenebroſum. Si tantum eſſet diſcrimen inter corpus illuminatum & tenebroſum, quantum eſt inter hominem integrum & peccatorem, tum ſolis radii ſufficientes illuminando corpori illuminato, non ſufficerent illuminando corpori tenebroſo, niſi vehementer aucti & multiplicati.

XXVII.

Propoſitio ARMINII 27.

AVguſtini ſententiam jam non attingam, quia fruſtraneum id eſſet, ſi iſta Thomæ, conſideratione prior, mihi adprobari poſſit. Hæc itaque ſunt quæ hac vice tibi, &c.

De tertia, id eſt, Auguſtini ſententia & quare Armin. eam hic non attingat.

Reſponſio IVNII *ad Propoſitionem* 27. ARMINII.

AVguſtini ſententiæ cum duabus illis in ſumma rei convenire ego ſemper ſenſi, & adhuc ſentio: ſi quoſdam loquendi modos certa ratione ab ipſo poſitos fuiſſe ſtatueris, & unicam circumſtantiam diverſam, ita comperturus es. Ego quod potui in hac cauſa, tua cauſa, mi frater, quam maxima potui diligentia & celeritate præſtiti, quia me alia non raro interpellant. Tu in bonam partem accipe ſtudium meum, ſi non reſpondebit exſpectationi tuæ. Deus vero pacis & veri-

Confeſſus duas priores ſententias cum tertia in ſumma rei convenire; & ſic concludit Reſponſionem ſuam.

veritatis ſuam illam ſalutarem pacem in animo tuo obſignet; magis ac magis, & utrumque noſtrum ac omnes ſuos deducat gratioſe in via veritatis ad gloriam ſuam & ædificationem Eccleſiæ ſuæ in Chriſto Ieſu Servatore noſtro. Amen.

Replica ARMINII, *ſeu conſideratio Reſponſionis ad propoſitionem* 27.

Confes. Arminius tertiam ſententiam multum ab utraque præcedente diſtare, idque ob circumſtantiam peccati objecto decreti additam.

AUguſtini ſententia ob circumſtantiam peccati ab ipſo additam decreti, de quo agimus, objecto, multum ab utraque præcedente ſententia diſtat, quemadmodum ex toto hoc tractatu liquere poteſt. Si enim circumſtantia peccati neceſſariò conſideranda fuit decernenti Deo, actuque ipſo præcisè eſt conſiderata, tum fieri nequit, quin illæ tractationes & explicationes eiuſdem decreti multum à recta via aberrent, quæ peccatum decernenti Deo nec neceſſario conſiderandum fuiſſe dicunt, neque actu ipſo conſideratum eſſe. Accedit huc quod per ſolam peccati circumſtantiam objecto decreti additam & *recte* explicatam, omnes abſurditates & blaſphemiæ decreto prædeſtinationis & reprobationis impingi ſolitæ repelli poſſint, & ſolidè ut inconſequentes refutari.

Nota bene.

Hæc ego, vir Clariſſime, impræſentiarum habui, quæ tuæ reſponſioni ad meas propoſitiones objicerem, non tam animo confutandi, quam latiores tuas reſponſiones & explicationes eliciendi, per quas mihi ſatisfieri in hoc negotio poſſet & animus meus pacari. Quare oro Deum ut ſi quid ſcripſi quod veritati eſt contrarium, id mihi condonet, & veritatem commonſtret; ſi quid veritati conſentaneum protuli ut in eo me confirmet, & te aſſentientem & adſtipulantem mihi tribuat, quo per te veritati auctoritas major indies concilietur, eaque magis ac magis propagetur ad nominis divini glorificationem & Eccleſiæ emolumentum & incrementum in Domino noſtro Ieſu Chriſto. Amen.

Et ſic concludit Replicam ſuam.

APPEN-

APPENDIX.

THESES *in præcedenti collatione aliquoties citatæ,* D. FRANCISCI IUNII *de divina Prædeſtinatione, ab ipſo totidem verbis compoſitæ & ſub eiuſdem præſidio à* GUILHELMO CODDÆO *in Academia hac Lugdunenſi Batava anno* 1593. *publicè diſputatæ: itemq́ breviculæ* D. IACOBI ARMINII *ad eaſdem notæ.*

Quia crebra nobis eſt mentio facta theſium Doctoris FR. IUNII de Prædeſtinatione, illas hic adſcribemus, & breviter quid in iis deſideremus, adnotabimus.

Theſis I.

Prædeſtinatio propriè ſecundum vocis etymologiam eſt determinatio ad finem; communiter vero προταγὴν *ſive rationem totam ordinis ad finem ſignificat, atque hôc modo accipimus.*

Ad Primam Theſin.

Deſtinatio eſt objecti exiſtentis ad finem determinatio: particula *præ*, voci illi præpoſita, notat deſtinationis actum ipſam actualem objecti exiſtentiam antecedere.

II.

Eſt igitur prædeſtinatio actus divini beneplaciti, quo Deus ab æterno plenitudinem ſuarum benedictionum in Chriſto præparavit, iis qui ſalutis hæredes futuri ſunt, ad laudem gratiæ glorioſæ ſuæ.

Ad Secundam.

Vox εὐδοκίας, ſeu beneplaciti hic recte uſurpatur ſecundum ſcripturæ ſenſum: ſignificat enim particula εὖ ſeu bene affectum propenſum & benevolum Dei erga objectum ſuum: non præciſam & determinatam Dei voluntatem de ſtatuto aliquo ſuo, qualiter uſurpatur vox beneplaciti à ſcholaſticis, quam voluntatem Dei deſtribuunt in voluntatem ſigni & beneplaciti.

In Chriſto præparavit] Nullæ benedictiones præparatæ ſunt in Chriſto hominibus niſi quæ peccatoribus conveniunt. Chriſtus ipſe ſalvator hominum peccatorum tantum *Ieſus* appellatur, *quia ſalvabit populum ſuum à peccatis ipſius*: In Chriſto nemo *benedicitur* niſi *fidelis*. Gal. 3. v. 9. *Itaque qui ex fide benedicuntur cum fideli Abraham.*

Iis qui ſalutis hæredes futuri ſunt] Ipſa ſalus & hæreditas vitæ æternæ comprehenditur plenitudine iſtarum benedictionum, quas in Chriſto Deus præparavit. Ergo aliter fuerunt deſcribendi quibus plenitudo illa eſt præparata. Abſurdè enim dicitur prædeſtinatio eſſe actus, quo Deus ſalutis hæreditatem præparavit iis qui ſalutis hæredes erunt. Eodem

enim decreto ſtatuuntur hæredes ſalutis quo ipſis præparatur ſalutis hæreditas, comprehenſa in plenitudine benedictionum: perſonæ tanquam altera pars materiæ ſivè objecti prædeſtinationis, non ſunt deſcribendæ à rebus divinis quæ ipſis iſta prædeſtinatione ſunt præparatæ, & quæ alteram partem materiæ ſeu objecti prædeſtinationis faciunt. *Sohnii* definitione rectius deſcribuntur iſtæ perſonæ. Ita enim habet: *Prædeſtinatio ad vitam, ſeu electio eſt qua Deus fideles ſeu credentes, quos fidem docere decrevit, etiam juſtificare & acceptare ad vitam æternam ab æterno decrevit.*

Ad laudem glorioſæ gratiæ ſuæ] Nullam novit ſcriptura Dei gratiam prædeſtinationis hominum cauſam & finem, quam quæ miſericordia juncta eſt, & circa peccatores miſeroſque locum habet.

III.

Actus eſt (nam Deus ἁπλῆ ἐνέργεια eſt) non à cauſa ulla externa, ſed ab ipſo prædeſtinante purè proficiſcens: alioquin non eſſet purè prædeſtinatio, res & cauſas omnes omnino præcedens.

Ad Tertiam.

Præcedit quidem prædeſtinatio Dei res & cauſas omnes, qua ipſarum actualis exiſtentia conſideratur; eſt enim ab æterno facta: ſed ſequitur nonnullarum rerum & cauſarum in mente & præſcientia Dei præexiſtentiam, & quidem peccati ab homine perpetrati, ſine quo, nec illa gratia, nec talis Chriſtus, nec iſtæ benedictiones locum erga homines habere potuerunt: licet ergo prædeſtinatio hæc a cauſa extrinſeca non ſit, eſt tamen a peccato occaſionata, ut loquuntur.

IV.

Cauſa eſt εὐδοκία, beneplacitum, quo benevolè affectus eſt erga eos quos placuit adoptare filios per Ieſum Chriſtum, ſecundum propoſitum electionis ſuæ.

Ad Quartam.

Eodem beneplacito, quo benevolè Deus affectus eſt erga aliquos, etiam placuit ipſi eoſdem adoptare in filios. Ergo non rectè deſcriptæ hic perſonæ erga quos Deus benevolè affectus eſt: imò, quia benevole affectus eſt erga illos, idcirco eos adoptavit in filios.

Adoptare filios] Nota hic adoptionem non poni inter benedictiones præparatas, ſed ab ea deſcribi perſonas quibus benedictiones præparantur. Conferatur hoc cum reſponſione tua ad primam meam propoſitionem. Vt autem planius inconcinnitas iſtius definitionis appareat, age ita definiatur Prædeſtinatio: *Prædeſtinatio eſt actus beneplaciti divini, quo Deus ab æterno adoptionem filialem & eius conſequens vitam æternam in Chriſto præparavit, iis quos placuit adoptare in filios, & qui ſalutis hæredes ſunt futuri.*

Adoptare filios per Ieſum Chriſtum] Chriſtus Ieſus hic conſiderandus non modo tanquam fundamentum quo nititur exſecutio decreti, ſed etiam ut fundamentum quo ipſum decretum nititur: adoptamur enim in illo tanquam in capite noſtro; itaque ille cauſarum

ſarum ordine prius conſtitutus eſt & prædeſtinatus ut eſſet caput noſtrum, inde nos in eo prædeſtinati tanquam membra ipſius. Quod idcirco moneo, non quod exiſtimem te hæc verba aliter ſumere, ſed propterea quod videam D. Bezam in caput Epheſ. primum ordinem longe alium ſtatuere, qui mihi invertere rectum Prædeſtinationis ordinem videtur.

Secundum propoſitum electionis ſuæ] Hoc propoſitum electionis non eſt aliud quam beneplacitum Dei quo benevole affectus eſt erga aliquos, & quo placuit nonullos in Chriſto adoptare in filios. Verba autem tua ita ſunt poſita, acſi illud propoſitum aliud eſſet ab iſto beneplacito.

V.

Eſt itaque Deus ipſe ſolus, qui prædeſtinat, cauſa Prædeſtinationis ſuæ, & præparationis illius quam propoſuit in ſeipſo, ſecundum beneplacitum illud voluntatis ſuæ.

VI.

Propterea hic actus ab æterno fuiſſe dicitur, id eſt, ante omnes res & cauſas in rebus ipſis, aut à rebus, quas prædeſtinavit exſtituras.

Ad Sextam.

Si iſta theſis etiam peccatum hominis, tanquam conditionem in objecto Prædeſtinationis illius requiſitam, excludit, non recte dicitur Prædeſtinatio antecedere peccati præviſionem: ut ut enim peccatum Deum ad prædeſtinandum non moverit (eſt enim proprium peccati effectum iram Dei mereri) tamen hæc talis Prædeſtinatio non niſi occaſione peccati facta eſt, quod Deus in tempore futurum ab æterno, pro infinitate ſuæ ſcientiæ, prævidit.

VII.

Materia Prædeſtinationis eſt duplex: res divinæ, & perſonæ harum futuræ participes.

Ad Septimam.

Res divinæ & perſonæ illarum futuræ participes mutuum inter ſe reſpectum habent, ita ut ex natura illarum rerum de perſonarum qualitate concludi poſſit, & viciſſim ex qualitate perſonarum colligi natura rerum iſtarum divinarum. Res enim perſonis accommodantur & perſonæ tales talibus rebus indigent ad ſalutem. Sic ex gratia remiſſionis peccatorum & renovationis Spiritus ſancti colligimus, homines quibus iſta præparatur eſſe peccatores: item, ſi homines ſunt peccatores, colligitur gratiam talem illis neceſſariam eſſe.

VIII.

Rerum divinarum, quæ quidem ex Prædeſtinatione ſunt communicabiles, genus eſt benedictio: quam circumſcribit his modis Apoſtolus; quod tota ſit ac non partialis; quod ſpiritalis ac non carnalis: quod ἐν ἐπουρανίοις ac non naturalis, ſed totam naturam ſuperans, quod denique in Chriſto ſit, id eſt, divina principia

& fundamento, ut Chriſtus ſit æternum Prædeſtinatorum caput.

Ad Octavam.

Phraſis iſta, qua res divinæ dicuntur ex prædeſtinatione communicabiles, mihi naturæ prædeſtinationis convenire haud videtur. Prædeſtinatio enim non facit ut res illæ ſint communicabiles, ſed reipſa illas communicat. Communicabiles factæ ſunt res illæ per ſanguinem & mortem reſurrectionemque Chriſti, per quam nobis illa bona apud Patrem ſunt acquiſita & impetrata. Quumque prius ſit aliquid communicabile quam actu communicetur, hinc ſequitur prędeſtinationem morte & reſurrectione Chriſti eſſe poſteriorem in præſcientia & pręordinatione Dei. Vnde quid concludi poſſit intelligentibus diſpiciendum relinquo.

Quod ſpiritalis ac non carnalis] Spiritale in Scripturis non tantum carnali, ſed & animali opponitur; ut videre eſt 1.Cor.2.14.& 1.Cor.15.44.45.46. Quamquam carnale aliquando etiam id quod animale eſt in ſe complectatur.

Quod cù ἐπουράνιος ac non naturalis] Supercæleſtia opponuntur hiſçe mundanis & terrenis bonis in Scriptura, naturæ qua talis convenientibus, atque hoc pacto cæleſte & naturale opponuntur indirecte.

Quod denique in Chriſto] Chriſtus benedictiones illas morte ſua impepetravit: idem eaſdem à Patre accepit communicandas cum ſuis: in eodem ad participationem earundem prædeſtinantur fideles.

Divina principio & fundamento] Benedictio eſt divina principio, nā principium ejus eſt Deus Pater benedicens: at fundamento divina eodem quidem ſenſu non dicitur. Nam Chriſtus fundamentum iſtius benedictionis eſt, non qua Deus, ſed qua θεάνθρωπος, mediator, ſalvator & caput Eccleſiæ. Quæ Chriſti conſideratio in Euangelica ſcriptura ubiq; diſtinguitur ab illa qua Chriſtus ut Deus conſideratur, ut Ioan.17 3.ibid.14.v.1. 1.Tim.2.5 6 1.Pet.1.18.19.20.21. 2.Cor.5.19.&c.

Vt Chriſtus ſit æternum prædeſtinatorum caput] An Chriſtus ſit caput conſtitutus prædeſtinandis, an vero jam ante prędeſtinatis video diſputari à Theologis. Ego naturæ ordine præire puto decretum quo Chriſtus conſtitutus eſt caput ſalvandorum iſto decreto quo aliqui in Chriſto ad ſalutis participationem ſunt deſtinati. Chriſtus enim ut noſter apud Deum mediator & ſacerdos illa bona promeruit, quæ erunt communicanda per prædeſtinationem, & ſimul capitis dignitatem, & poteſtatem illa bona communicandi; inde actu à Patre illa bona accepit, & Capitis, Regis, Principiſque titulum adeptus eſt; *Conſummatus ſeu conſecratus factus eſt auctor ſalutis æternæ omnibus qui ipſi auſcultant.* Denique in iſto prædeſtinati fideles, ut illorum bonorum participes eſſent per unionem cum ipſo. Diligit enim Deus in Chriſto quos vitæ æternæ participes facere ſtatuit; at hæc dilectio cauſa eſt prædeſtinationis. Et quidem in Chriſto nato, mortuo, reſuſcitato, & jam capite Eccleſiæ conſtituto. At *Deus dilexit mundum* inquiet

inquiet aliquis, *ut dares filium*. Reſpondeo, dilectionem iſtam eſſe gradu ab hac quę prædeſtinationis cauſa eſt diſtinctam, eique præcedaneam. Illa enim qua miſit filium nemini voluit certo vitam æternam; imo ne velle quidem potuit, utpote quæ tum nulla erat, Chriſto illam nondum per mortem ſuam promerito. Tu vero quia Chriſtum fundamentum & caput ponis prædeſtinatorum, eo ipſo declarare videris, quod Chriſtus ſit datus caput prædeſtinandis in illo ad vitam.

IX.

HArum benedictionum ſumma capita ſunt duo; gratia & gloria. Illa homines agens in præſenti, hæc poſt in eis conſummanda.

X.

PErſonæ ſunt creaturæ ex natura (quæ nihil ſupernaturale aut divinum poteſt) ſupra naturam evehendæ, & ad rerum divinarum participationem tranſmittendæ ſupernaturali virtute Dei.

Ad Decimam.

Hic apertiſſimè liquet prædeſtinanationis objectum abs te poni *homines in natura ſua, quæ nihil ſupernaturale aut divinum poteſt, conſideratos*, hoc eſt, ut ego dixi, *in puris naturalibus conſideratos, citra ſupernaturalia & corruptionem quæ poſtea advenit*. Sed non eſt hoc adæquatum objectum decreti huius. Evectio. n. quæ ſecundum prædeſtinationem fit, non eſt ex natura, ſed ex peccato & ignominia. Res divinæ, quarum participatio prædeſtinatione eſt præparata, non conveniunt homini in natura, ſed in peccato & miſeria conſiderato. Supernaturalis illa virtus Dei eſt, quam exercet in Chriſto potentia & ſapientia Dei, ad ſalutem vocatis Iudæis & Gentilibus. Ergo applicanda homini non in natura primæva, ſed in peccato & miſeria conſiderato.

XI.

FOrma eſt adoptio in filios per Ieſum Chriſtum, id eſt, realis illa relatio & ordinatio qua nobis à Deo benedicitur omnis benedictionis ſpiritualis ἐν τοῖς ἐπουρανίοις *in Chriſto communicatione.*

Ad Undecimam.

Prædeſtinatio eſt εἰς υἱοθεσίαν, itaque adoptio non eſt forma prædeſtinationis. *Forma enim dat eſſe rei*, & adoptio non dat eſſe prædeſtinationi, ſed à prædeſtinatione accipit ſuum eſſe: eſtque primum per ſe & immediatum opus divinæ prædeſtinationis, cuius conſequens eſt vita & hæreditas cæleſtis. Neque relatio illa realis & ordinatio qua nobis benedicitur, eſt forma prædeſtinationis; nam illa ordinatio qua nobis benedicitur eſt executio prædeſtinationis Dei: ſed ipſa præparatio benedictionum eſt forma prædeſtinationis: per illam enim habet prædeſtinatio ſuum eſſe. Eſt enim interna & æterna illa præparatio, ut & prædeſtinatio. Vel, ſi accuratius dicendum ſit, non ipſa præparatio beneficiorum eſt forma prædeſtinationis, illa enim facta eſt per Mediatoris Chriſti mortem: ſed præparatio communi-

cationis

cationis illarum benedictionum cum credentibus in Chriſtum. Poſſet addi certa pręparatio, ſecundum quam certò illis, quibus præparata eſt participatio, contingit communio beneficiorum Chriſti.

XII.

H*Vius formæ ordo eſt in præparatione poſitus: perſonarum quidem per electionem, vocationem & ἀνακεφαλαίωσιν in Chriſto: rerum verò, per gratioſam benedictionum inchoationem, provectionem & conſummationem glorioſam perfecta conjunctione Chriſti.*

Ad Duodecimam.

Iam vero ordo illius præparationis tanquam formæ declarari poteſt, tum perſonarum, tum rerum reſpectu. Perſonæ in mente Dei pręparantur quum illis deſtinantur electio ex mundo, vocatio ad unionem cum Chriſto, & ἀνακεφαλαίωσις in Chriſto: res vero præparantur hoc ordine, ut illarum gratioſa communicatio deſtinetur inchoanda, provehenda, & tandem conſummanda; inchoanda in Chriſto, provehenda in eodem, ſed conſummanda perfecta unione Dei. Hęc enim eſt conſummatio fælicitatis ſupernaturalis, ut Deus ſit omnia in omnibus. Si tamen de conſummatione mediatoria agatur, fateor illam fieri perfecta conjunctione Chriſti, ſed hæc tendit ad conſummationem principalem, quæ eſt unio cum Deo, ad quam pervenimus perfecta unione Chriſti. Nam Chriſtus tradet regnum ſuum Patri. 1. Cor. 15. *Vt ille ſit omnia in omnibus.*

XIII.

F*Inis eſt laus gratiæ glorioſæ Dei, qua nos gratis ſibi effecit gratos en filio dilectionis ſuæ.*

Ad Decimam-tertiam.

Gratia qua Deus nos ſibi gratos fecit in filio dilectionis ſuæ, eſt gratia non niſi peccatoribus conveniens. Laus iſtius gratiæ cantatur *Deo & agno, qui mortuus eſt & revixit: mortuus propter peccata noſtra & revixit propter juſtificationem noſtram.* Laus iſta Deo tribuitur à peccatoribus, quos Deus *per ſanguinem filii ſui redemit ex omni tribu, natione & populo.*

XIV.

H*Vic prædeſtinationi quod contrarium eſt, propriè dici una voce non poteſt: quia prædeſtinationis una eſt ratio, contrariorũ varia. Nam præparationi gratiæ contraria eſt præteritio, præparationi gloriæ contraria reprobatio vel pœnæ præparatio.*

Ad Decimam quartam.

Prædeſtinatione præparatur gratia & gloria. Huic præparationi tanquam actui affirmativo opponitur actus negativus non præparandi gratiam & gloriam, & actus affirmativus præparandi illa quæ contraria ſunt affirmate gratiæ & gloriæ. Hic vero præparationi gratiæ actus tantum negativus opponitur præteritionis, & præparationi gloriæ actus tantum affirmativus reprobationis vel pænæ pręparationis. Vnde jure concludere poſſe videor, hunc tractatum non conſtare omnibus

ſuis partibus abſolute: niſi ſorte actus affirmativus non ſit qui opponi poſſit præparationi gratiæ. At eſt talis, induratio nempe, excæcatio & in ſenſum reprobum traditio, quæ non poteſt actibus tantum negativis commode & integre explicari. Negatio vero gloriæ cœleſtis eſt actus negativus oppoſitus præparationi gloriæ. Hic notandum, quod vox *reprobationis* pro *pœnæ præparatione ſit uſurpata*, quam in reſponſo ad meas propoſitiones *non electionem* ſeu *præteritionem* ſignificare proprie affirmas.

XV.

PRæteritio eſt actus divini placiti, quo Deus ab æterno ſtatuit quaſdam creaturas in natura ipſarum relinquere, ac non communicare cum eis ſupernaturalem gratiam, qua firmetur earum natura integra, aut corrupta inſtauretur, ad declarationem libertatis bonitatis ſuæ.

Ad Decimam quintam.

Præteritio definitur ex negatione gratiæ tantum, non gloriæ, quum tamen gloria negetur iiſdem Recte autem dicitur actus divini *placiti*, non *beneplaciti*; propterea quod placitum ſit generale nomen ad quodvis Dei ſtatutum & decretum, beneplacitum includat propenſum & benevolum affectum, ut ante dictum eſt.

In natura ipſarum relinquere) hinc etiam apparat objectum prædeſtinationis tibi eſſe homines in natura conſideratos.

Supernaturalẽ gratiam qua firmetur earum integra natura, aut corrupta inſtauretur) Si hæc verba de prædeſtinatione hominum ſingulari accipienda ſunt, tum non recte uſurpata eſt iſta diſtinctio. Nam gratia qua firmatur integra natura, non eſt decretum præteritionis negata. Nam omnibus hominibus citra diſcrimen electorum & reproborum negata eſt. Negatio vero gratiæ qua corrupta natura inſtauretur eſt propria prꝗteritionis decreti, & propterea objectum præteritionis homo corruptus, & gratia inſtaurante indigens.

Ad declarationem libertatis bonitatis ſuæ) Libertas bonitatis Dei non tantum declaratur quum Deus uni bonum ſuum communicat, alteri denegat; ſed etiam cum non communicat niſi conditione illa qua ipſi viſum eſt: ſed fateor & iſto pacto libertatem bonitatis Dei declarari. Verum non tantum libertas bonitatis, ſed & juſtitia Dei declaratur præteritione, qualem nobis deſcribit ſcriptura. Deus enim ex juſtitia etiam præteritione utitur qua vult nonnullis ob peccata gratiam ſuam negare. Et peccatum unica cauſa eſt meritoria negationis gratiæ, de qua hic agitur. Ergo non ſufficienter declaratus finis iſtius præteritionis.

XVI.

HÆc præteritio ſine culpa eſt: nam homini Deus perfectionem naturæ dedit, gratiam debet nemini: Eſt enim gratia, ergo indebita.

In Decimam-ſextam.

Deus ſimpliciter & abſolute gratiam nemini debet, ſed poteſt ſe debitorem gratiæ facere duplici

 modo,

modo, *promiſſione* & *poſtulatione actus*. Promiſſione; quando daturum ſe eſt pollicitus, ſive ſub conditione, ſive citra conditionem. Poſtulatione actus: quando ab homine talem actum poſtulat, qui ſine eius gratia homini non eſt præſtabilis; tum enim ad dationem eius tenetur: Secus *metit, ubi non ſeminavit*.

XVII.

Præparatio pœnæ eſt actus divini placiti, quo Deus ab æterno ſtatuit, ad declarationem juſtitiæ ſuæ, punire creaturas, quæ in origine ſua non fuerunt perſtituræ, ſed à Deo originis autore, facto & vitioſitate ſua, defecturæ.

In Decimam-ſeptimam.

Actum affirmativum prædeſtinationi oppoſitum appellas præparationem pœnæ: at ille oppoſitus præparationi gloriæ affirmatæ: qui oppoſitus eſt communicationi gratiæ affirmative hic declaratus non eſt. Illum ego indurationem & excæcationem appellandum puto, & hic quoque tractandum.

Punire creaturas quæ in origine ſua non fuerunt perſtituræ) Hoc decretum à Deo factum non eſt, niſi poſt peccati futuri certam prævifionem, nequis exiſtimet peccatum ex illo decreto neceſſario deduci, quemadmodum nonnulli Doctores noſtri ſentiunt.

Facto & vitioſitate ſua defecturæ) Declarandum, quomodo ille facto ſuo deficiat à Deo, qui jam ante præteritus eſt à Deo, in iſtius gratiæ communicatione, quæ neceſſaria eſt ad evitandam defectionem a Deo. Quumque omnes preteriti etiam ſint prædamnati, velim explicari quomodo præteritio & prædamnatio neceſſario cohæreant, ſi præteritio citra peccati conſiderationem facta ſit, prædamnatio autem non niſi ob peccatum.

Declaratio juſtitiæ Dei etiam in præteritione locum habet, ut dictum eſt antea.

XVIII.

Itaque in prædeſtinatis omnia facit Deus ex beneplacito prædeſtinationis ſuæ: in eos qui nō ſunt prædeſtinati, præteritione utitur ex placito voluntatis ſuæ, & pœnas præparat creaturis contra ordinem ipſius peccaturis, ac propter peccata reprobandis ex neceſſitate juſtitiæ ſuæ.

In Decimam-octavam.

Prædeſtinatione Deus ſalutem curat prædeſtinatorum: ita tamen, ut multi actus providentiæ Dei ad idem effectum concurrant, quos tamen actus ita Deus adminiſtrat, ut inde certo ſalus exiſtat, quod eſt prædeſtinationis. Multis etiam providentiæ ſuæ actibus utitur Deus erga eos, qui prædeſtinati non ſunt, ſufficientibus quidem ad ſalutem, non tamen efficacibus, quia hoc eſt prædeſtinationis. Hoc ergo diſcrimen annotare providentiæ & prædeſtinationis hoc loco non eſt abſurdum, neque præter rem.

Propter peccata reprobandis) Et hic reprobationis voce pro pœnæ præparatione uſus es.

XIX. Quod

XIX.

QVod ſi prædeſtinationi (ut fit) contraria ſtatuitur reprobatio, figurate dicitur & ſynecdochicè: qua propter aut non dicenda eſt, quia improprium periculoſum & cum offenſione conjunctum, aut diſtinctè (ut pii & docti faciunt) exponenda.

In Decimam-nonam.

In reſponſione tua ad propoſitionem meam ſecundam, ita dicis; *Reprobatio tribus modis dicitur, uno communi & duobus ſingularibus. Communi cum præteritionem & damnationem complectitur. Secundus modus ſingularis eſt, quum opponitur electioni, & non-electionem ſignificat ſeu præteritionem. Tertius item ſingularis eſt, quum reprobatio pro damnatione appellatur. Primus modus eſt ſynecdochicus, ſecundus proprius, tertius metonymicus, addo etiam catachreſticum dici poſſe.* Vbi *reprobationis proprium* ſignificatum appellas, quod in theſibus & alibi *figuratum* dicis. A voce autem iſta non abſtinendum eſt, quia in ſcripturis uſurpatur; hoc autem videndum ut etiam in ſenſu ſcripturis uſitato ſumatur.

XX.

ESt autem dogmatis huius traditio maximè neceſſaria, ſi dextrè, ſobriè, ac reverenter tractetur; id eſt, nec aliud, nec aliter, nec in alium finem quam S. S. docet, tum explicando, tum applicando tradatur, conſilio D. Pauli adhibito: μὴ ὑπερφρονοῦντες παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονοῦντες εἰς τὸ σωφρονεῖν.

In Viceſimam.

Quod in Scripturis ſanctis docetur & inculcatur, id non poteſt non æſtimari ad ſalutem utile & neceſſarium, licet neceſſitatis gradus ſint diverſi. Prędeſtinationis autem & illi oppoſitæ reprobationis dogma in ſcripturis docetur & inculcatur, quare & neceſſarium eſt. Sed videndum quæ & qualis illa ſit prædeſtinatio quæ in ſcripturis ut neceſſaria tractatur; quæque fundamentum ſalutis noſtræ dicitur. Omnino. a. proba & neceſſaria eſt tua monela, qua injungis prædeſtinationis dogma ex ſcripturis pure pute deſcribendum, non aliud, non aliter non alium in finem docendum, quam S. S. docet. Sed in exercitio huius rei eſt difficultas. unuſquiſque enim vult videri ſua ſecundum ſcripturam dicere. Mihi certum eſt in hac tua deſcriptione te non ubique ſcripturam habere præviam, ſed alicubi aberrare, quod latius eſt pertractatum in noſtra collatione.

FINIS.

IACOBI ARMINII
S. S. Theol. Doctoris eximij,

EXAMEN MODESTVM

Libelli, quem

D. GVLIELMVS PERKINSIVS

apprimè doctus Theologus

edidit ante aliquot annos

DE

Prædeſtinationis modo & ordine,

ITEMQVE DE

Amplitudine gratiæ Divinæ.

Addita eſt propter argumenti convenientiam ANALYSIS CAP. IX. AD ROMAN. ante multos annos ab eodem ipſo D. ARMINIO delineata.

Cum Indice rerum contentarum.

Ampliſſimis Viris Dominis Conſultiſſimis;

D. PRÆTORI, CONSULIBUS, SCABINIS, SYNDICO, SECRETARIIS, totique adeo SENATUI inclytæ ROTERODAMENSIS Reipublicæ.

Ampliſſimi viri, Domini conſultiſſimi.

SApienter olim à Platone, atque Stoicis dictum eſt, referente id ſic Tullio, non nobis nos ſolum natos eſſe, ſed partem ortus noſtri ſibi vendicare patriam, partemque parentes atque amicos: & quæcunque in terris gignuntur ad uſum hominum creari omnia; homines autem hominum cauſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe alius alij prodeſſe poſſent. Quod ſicuti ſedulò meditari ſemper debuerunt, quicunque unquam homine ſe ſatos gloriari potuerunt, tamen tanto id unuſquisque ad animum ſemper revocaverunt impenſius, quanto quiſque aut meliore ſe ſydere natos experti fuerunt, aut lumen illud animi, quod rationem rectam vocamus, aſſidua meditatione, ſicuti oportuit, excoluerunt operoſius. Magni eſſet acuminis & laboris, verbis exequi, quibus omnino rebus hominum generi prodeſſe aliquis queat; idque propter infinitatem earum rerum, quæ ab homine in uſum hominis proficiſci poſſunt, & diverſitatem donationum, quibus alter inſervire alteri apti nati ſumus; ut proinde citius hoc conari, quam abſolvere quiſquam noſtrum poſſimus: Recenſere vero ad unum omnes eos, qui, quibus potuerunt rebus generi ſuo prodeſſe, iis ipſi profuerunt plurimum: id vero impoſſibile, atque ἀδύνατον penitus eſt; tum alias ob cauſas, tum vero vel maximè quod multa egregiè à multis perpetrata, maximoque ſocietati hominum uſui fuerunt, ſæpe in obſcuro lateant: & vix ad poſteritatem transmittantur, niſi quæ ab iis, qui jam ante clari erant, geſta viris, hoc ipſo maxime titulo, ſeſe deinde ipſa commendaverunt clarius. Ac quæ quidem in armis geruntur, magis obverſari ob oculos ſolent, fereque Principes & magnos Heroas comitantur: quæ tamen in toga à multis præſtantur, nihilo indigniora ſunt, ut famam quoque apud futuram poſteritatem

bene-

honeſtam aliquam promereantur. Videntur vero mihi ad Heroas illos quam proxime accedere, qui literis claruerunt, quique diſciplinas atque artes aut ipſi primum invenerunt, aut egregie cum magno Reip. bono eas ornaverunt: Inter hos autem jure meritoque maximè eminere qui Deo Principique ſuo, aut in Religione vera, rectè promovenda atque excolenda fidelem ſedulamque poſuerunt operam, aut in politia civili decenter conſtituenda atque continenda ſupra alios egregie utiliſſimeque inſervierunt; digni proinde hi eſſe qui poſt viros Principes, excellentius de Repub. meritos, ac propterea huic albo non inſerendos, ſed eminentiore honore proſequendos, ſuam tamen etiam aliquam ipſi, licet cum ipſorum claritate non conferendam, memoriam nominis apud poſteros conſequantur. Cæterum de viris Principibus apud nos illis, quibus Patria noſtra debet plurimum, ſive illi mortalium ſorti jam erepti ſint, ſive etiamnum adhuc inter mortales glorioſe agant; de his vero dicere multum neque noſtræ ætatis, neque noſtrarum virium eſt: præterquam quod etiam citra nos eorum claritudo atque ſplendor ſatis oculos noſtrum omnium præſtringunt. Viros quin verò etiam doctrinæ atque eruditionis laude claros, atque inter hos eos maxime, qui Reipub. in politia, ſive ſacra, ſive civili egregie præfuerunt, glorioſamque navaverunt operam; ſuis debitis pro meritis eorum uti laudibus proſequamur; neque tempus, neque alia nunc ſinunt, & ſua etiam citra nos quiſque eorum laude non carent. Verum enimvero ut de piè defuncti Parentis noſtri in religionem & patriam affectum, qui ut Sophoclem in Aiace imitemur,

Ἡμῖν πικρὸς τέθνηκεν ἢ πολλοῖς γλυκύς.
Αὑτῷ δὲ τερπνός. ὧν γὰρ ἠράσθη τυχεῖν
Ἐκτήσαθ᾽ αὑτῷ, θάνατον ὅνπερ ἤθελε.

ut inquam de pio & ſincero illius in patriam, & religionem affectu paucula quædam breviter, citra cujuſquam præjudicium, data nunc occaſione ediſſeramus; ipſa nunc nobis imponere videtur pietas, arctiſſimumque id officii vinculum, quo Parenti noſtro obſtringimur; degeneres futuri, ſi aut nobis aut ipſi defuerimus. Tendent verò omnia horſum, ut judicia hominum non paucorum ſiniſtris quorundam ſugillationibus, magno noſtro dolore non parum ab illo abalienata, hac via atque ratione placemus parum, nobiſque rurſus demereamur aliquantulum: Deus Opt. Max. cui quidem ille in integritate animi ex conſcientia ſua ſervivit quamdiu vixit, nobis largiatur, uti deinceps benigniora atque clementiora ea nobis accidant.

Veri inquiſitio atque inveſtigatio imprimis hominum eſt propria; cum

vero

vero perceptio atque comprehenſio eſt quæ vulgo Sapientia dicitur. Hæc pro ratione veri duplex eſſe percipitur, proque diverſitate hac natura ſua minus magiſque quem afficere: aut enim earum eſt rerum quæ ad vitam hanc pertinent, eoque mundana & terrena; aut earum quæ ad vitam pertinent ſecuturam, unde ſpiritualis appellatur: ſapientibus quidem ſecundum hunc mundum ſtultitia ex eo mera, cum hoc ipſo excellentior eſſe percipiatur quod de mundo hoc non ſit. Illa ex univerſo maxime hoc, & rebus univerſo hoc contentis addiſcitur, indeque in iis etiam ferè ipſis terminatur: hæc vero supernè à Deo Patre luminum, in Chriſto ſolo verbo & Spiritu eius revelatur, ſuperaque hoc ſeculum multò ſublimiſſimè nos evehit, viam ad vitæ immortalitatem nobis muniens. Illa ſibi deditos inani ſolummodo umbra paſcit, neque unquam explet tandem: Hæc vero ſuos alumnos tandem vere beatos reddit, ipſaque vita immortali communicata exſatiat penitus; ut minimè mirum ſit inveniri, qui, ex quo ea per verbum hoc, id autem Sacras Scripturas vocamus, gratioſè ipſis innotuit, incredibili eius conſequendæ deſiderio ſupra omnia alia inardeſcant. Ac quidem quo omnes universè homines φιλαληθεῖς & φιλομαθεῖς inclinatione quadam inſita animi feruntur, eodem etiam avidè ferebatur Parens noſter pro innata ſagacitate ſua: ad cæleſtis verò illius Sapientiæ inveſtigationem, quæ ſeſe in verbo cognoſcendam offert, ex quo ea ſui deſiderium atque amorem ei inſeverat, tam incredibili etiam animi impetu contendebat, ut majorem in hominem, tantiſper dum carne hac circumdatus eſt, haud cadere poſſe à multis judicatum ſit. Quæ porro ad Sapientiæ huius comprehenſionem nos ducunt, ea ex inſtitutione illius à quo eadem ipſa ad nos derivatur, hæc fere ſunt. 1. Docilitas & cupiditas diſcendi, quam non poteſt non maximam ingenerare vera ſalus verbo hoc patefacta; quæ ſicuti obtenta eſt Religionis noſtræ præmium, ita deſiderata non poteſt non efficaciter allicere nos ad ſe proſequendum. 2. Humilis & demiſſus animus, qui ad verbum illius trepidet, qui Sapientiam hanc ſupernam largitur, magiſterio Spiritus obſequioſè ſe ſubjiciat, propriæque omni ſapientiæ & concupiſcentiæ abrenunciet. 3. Timor & reverentia Domini Sapientiæ quidem huius propago atque ſoboles, ſed eadem tamen etiam ipſa Sapientiæ omnis initium. 4. Seriæ, ardentes, atque quotidianæ preces, quæ intellectus ſive mentis illuminationem, & affectuum ſpiritualium ingenerationem per verbum, ab eo qui auctor verbi illius eſt, ſuppliciter contendant. 5 Iejunia, quæ carnem ſpiritui ad opus ſuum ſubjugent, & in ſervitutem Chriſti eam abripiant. 6. Jugis denique meditatio atque lectio, verbi illius quod

cationis illarum benedictionum cum credentibus in Chriſtum. Poſſet addi certa preparatio, ſecundum quam certò illis, quibus præparata eſt participatio, contingit communio beneficiorum Chriſti.

XII.

HVius formæ ordo eſt in præparatione poſitus: perſonarum quidem per electionem, vocationem & ἀνακεφαλαίωσιν in Chriſto: rerum verò, per gratioſam benedictionum inchoationem, provectionem & conſummationem glorioſam perfecta conjunctione Chriſti.

Ad Duodecimam.

Iam vero ordo illius præparationis tanquam formæ declarari poteſt, tum perſonarum, tum rerum reſpectu. Perſonæ in mente Dei preparantur quum illis deſtinantur electio ex mundo, vocatio ad unionem cum Chriſto, & ἀνακεφαλαίωσις in Chriſto: res vero præparantur hoc ordine, ut illarum gratioſa communicatio deſtinetur inchoanda, provehenda, & tandem conſummanda; inchoanda in Chriſto, provehenda in eodem, ſed conſummanda perfecta unione Dei. Hęc enim eſt conſummatio fælicitatis ſupernaturalis, ut Deus ſit omnia in omnibus. Si tamen de conſummatione mediatoria agatur, fateor illam fieri perfecta conjunctione Chriſti, ſed hæc tendit ad conſummationem principalem, quæ eſt unio cum Deo, ad quam pervenimus perfecta unione Chriſti. Nam Chriſtus tradet regnum ſuum Patri. 1. Cor. 15. *Vt ille ſit omnia in omnibus.*

XIII.

FInis eſt laus gratiæ glorioſæ Dei, qua nos gratis ſibi effecit gratos in filio dilectionis ſuæ.

Ad Decimam-tertiam.

Gratia *qua Deus nos ſibi gratos fecit in filio dilectionis ſuæ*, eſt gratia non niſi peccatoribus conveniens. Laus iſtius gratiæ cantatur *Deo & agno, qui mortuus eſt & revixit: mortuus propter peccata noſtra & revixit propter juſtificationem noſtram.* Laus iſta Deo tribuitur à peccatoribus, quos Deus *per ſanguinem filii ſui redemit ex omni tribu, natione & populo.*

XIV.

HVic prædeſtinationi quod contrarium eſt, propriè dici una voce non poteſt: quia prædeſtinationis una eſt ratio, contrariorũ varia. Nam præparationi gratiæ contraria eſt præteritio, præparationi gloriæ contraria reprobatio vel pœna præparatio.

Ad Decimam quartam.

Prædeſtinatione præparatur gratia & gloria. Huic præparationi tanquam actui affirmativo opponitur actus negativus non præparandi gratiam & gloriam, & actus affirmativus præparandi illa quæ contraria ſunt affirmate gratiæ & gloriæ. Hic vero præparationi gratiæ actus tantum negativus opponitur præteritionis, & præparationi gloriæ actus tantum affirmativus reprobationis vel pænæ preparationis. Vnde jure concludere poſſe videor, hunc tractatum non conſtare omnibus

ſuis

ſuis partibus abſolute: niſi ſorte actus affirmativus non ſit qui opponi poſſit præparationi gratiæ. At eſt talis, induratio nempe, excæcatio & in ſenſum reprobum traditio, quæ non poteſt actibus tantum negativis commode & integre explicari. Negatio vero gloriæ cœleſtis eſt actus negativus oppoſitus præparationi gloriæ. Hic notandum, quod vox *reprobationis* pro *pœnæ præparatione ſit uſurpata*, quam in reſponſo ad meas propoſitiones *non electionem* ſeu *præteritionem* ſignificare proprie affirmas.

XV.

PRæteritio eſt actus divini placiti, quo Deus ab æterno ſtatuit quaſdam creaturas in natura ipſarum relinquere, ac non communicare cum eis ſupernaturalem gratiam, qua firmetur earum natura integra, aut corrupta inſtauretur, ad declarationem libertatis bonitatis ſuæ.

Ad Decimam quintam.

Præteritio definitur ex negatione gratiæ tantum, non gloriæ, quum tamen gloria negetur iiſdem Recte autem dicitur actus divini *placiti*, non *beneplaciti*; propterea quod placitum ſit generale nomen ad quodvis Dei ſtatutum & decretum, beneplacitum includat propenſum & benevolum affectum, ut ante dictum eſt.

In natura ipſarum relinquere) hinc etiam apparat objectum prædeſtinationis tibi eſſe homines in natura conſideratos.

Supernaturalē gratiam qua firmetur earum integra natura, aut corrupta inſtauretur) Si hæc verba de prædeſtinatione hominum ſingulari accipienda ſunt, tum non recte uſurpata eſt iſta diſtinctio. Nam gratia qua firmatur integra natura, non eſt decretum præteritionis negata. Nam omnibus hominibus citra diſcrimen electorum & reproborum negata eſt. Negatio vero gratiæ qua corrupta natura inſtauretur eſt propria præteritionis decreti, & propterea objectum præteritionis homo corruptus, & gratia inſtaurante indigens.

Ad declarationem libertatis bonitatis ſuæ) Libertas bonitatis Dei non tantum declaratur quum Deus uni bonum ſuum communicat, alteri denegat; ſed etiam cum non communicat niſi conditione illa qua ipſi viſum eſt: ſed fateor & iſto pacto libertatem bonitatis Dei declarari. Verum non tantum libertas bonitatis, ſed & juſtitia Dei declaratur præteritione, qualem nobis deſcribit ſcriptura. Deus enim ex juſtitia etiam præteritione utitur qua vult nonnullis ob peccata gratiam ſuam negare. Et peccatum unica cauſa eſt meritoria negationis gratiæ, de qua hic agitur. Ergo non ſufficienter declaratus finis iſtius præteritionis.

XVI.

HÆc præteritio ſine culpa eſt: nam homini Deus perfectionem naturæ dedit, gratiam debet nemini: Eſt enim gratia, ergo indebita.

In Decimam-ſextam.

Deus ſimpliciter & abſolute gratiam nemini debet, ſed poteſt ſe debitorem gratiæ facere duplici

 modo,

modo, *promiſſione* & *poſtulatione actu*. Promiſſione; quando daturum ſe eſt pollicitus, ſive ſub conditione, ſive citra conditionem. Poſtulatione actus: quando ab homine talem actum poſtulat, qui ſine eius gratia homini non eſt præſtabilis; tum enim ad dationem eius tenetur: Secus *metit, ubi non ſeminavit*.

XVII.

Præparatio pœnæ eſt actus divini placiti, quo Deus ab æterno ſtatuit, ad declarationem juſtitiæ ſuæ, punire creaturas, quæ in origine ſua non fuerunt perſtituræ, ſed à Deo originis autore, facto & vitioſitate ſua, defecturæ.

In Decimam-ſeptimam.

Actum affirmativum prædeſtinationi oppoſitum appellas præparationem pœnæ: at ille oppoſitus præparationi gloriæ affirmatæ: qui oppoſitus eſt communicationi gratiæ affirmative hic declaratus non eſt. Illum ego indurationem & excæcationem appellandum puto, & hic quoque tractandum.

Punire creaturas quæ in origine ſua non fuerunt perſtituræ) Hoc decretum à Deo factum non eſt, niſi poſt peccati futuri certam prævisionem, nequis exiſtimet peccatum ex illo decreto neceſſario deduci, quemadmodum nonnulli Doctores noſtri ſentiunt.

Facto & vitioſitate ſua defecturæ) Declarandum, quomodo ille facto ſuo deficiat à Deo, qui jam ante præteritus eſt à Deo, in iſtius gratiæ communicatione, quæ neceſſaria eſt ad evitandam defectionem a Deo. Quumque omnes præteriti etiam ſint prædamnati, velim explicari quomodo præteritio & prædamnatio neceſſario cohæreant, ſi præteritio citra peccati conſiderationem facta ſit, prædamnatio autem non niſi ob peccatum.

Declaratio juſtitiæ Dei etiam in præteritione locum habet, ut dictum eſt antea.

XVIII.

Itaque in prædeſtinatis omnia facit Deus ex beneplacito prædeſtinationis ſuæ: in eos qui nō ſunt prædeſtinati, præteritione utitur ex placito voluntatis ſuæ, & pœnas præparat creaturis contra ordinem ipſius peccaturis, ac propter peccata reprobandis ex neceſſitate juſtitiæ ſuæ.

In Decimam-octavam.

Prædeſtinatione Deus ſalutem curat prædeſtinatorum: ita tamen, ut multi actus providentiæ Dei ad idem effectum concurrant, quos tamen actus ita Deus adminiſtrat, ut inde certo ſalus exiſtat, quod eſt prædeſtinationis. Multis etiam providentiæ ſuæ actibus utitur Deus erga eos, qui prædeſtinati non ſunt, ſufficientibus quidem ad ſalutem, non tamen efficacibus, quia hoc eſt prædeſtinationis. Hoc ergo diſcrimen annotare providentiæ & prædeſtinationis hoc loco non eſt abſurdum, neque præter rem.

Propter peccata reprobandis) Et hic reprobationis voce pro pœnæ præparatione uſus es.

XIX. *Quod*

XIX.

QVod ſi prædeſtinationi (ut fit) contraria ſtatuitur reprobatio, figuratè dicitur & ſynecdochicè: quapropter aut non dicenda eſt, quia improprium periculoſum & cum offenſione conjunctum, aut diſtinctè (ut pii & docti faciunt) exponenda.

In Decimam-nonam.

In reſponſione tua ad propoſitionem meam ſecundam, ita dicis; *Reprobatio tribus modis dicitur, uno communi & duobus ſingularibus. Communi cum præteritionem & damnationem complectitur. Secundus modus ſingularis eſt, quum opponitur electioni, & non-electionem ſignificat ſeu præteritionem. Tertius item ſingularis eſt, quum reprobatio pro damnatione appellatur. Primus modus eſt ſynecdochicus, ſecundus proprius, tertius metonymicus, addo etiam catachreſticum dici poſſe.* Vbi *reprobationis proprium* ſignificatum appellas, quod in theſibus & alibi *figuratum* dicis. A voce autem iſta non abſtinendum eſt, quia in ſcripturis uſurpatur; hoc autem videndum ut etiam in ſenſu ſcripturis uſitato ſumatur.

XX.

EST autem dogmatis hujus traditio maximè neceſſaria, ſi dextrè, ſobriè, ac reverenter tractetur; id eſt, nec aliud, nec aliter, nec in alium finem quam S. S. docet, tum explicando, tum applicando tradatur, conſilio D. Pauli adhibito: μὴ ὑπερφρονοῦντες παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονοῦντες εἰς τὸ σωφρονεῖν.

In Viceſimam.

Quod in Scripturis ſanctis docetur & inculcatur, id non poteſt non æſtimari ad ſalutem utile & neceſſarium, licet neceſſitatis gradus ſint diverſi. Prędeſtinationis autem & illi oppoſitæ reprobationis dogma in ſcripturis docetur & inculcatur, quare & neceſſarium eſt. Sed videndum quæ & qualis illa ſit prædeſtinatio quæ in ſcripturis ut neceſſaria tractatur; quæque fundamentum ſalutis noſtræ dicitur. Omnino. a. proba & neceſſaria eſt tua monela, qua injungis prædeſtinationis dogma ex ſcripturis pure pute deſcribendum, non aliud, non aliter non alium in finem docendum, quam S. S. docet. Sed in exercitio huius rei eſt difficultas. unuſquiſque enim vult videri ſua ſecundum ſcripturam dicere. Mihi certum eſt in hac tua deſcriptione te non ubique ſcripturam habere præviam, ſed alicubi aberrare, quod latius eſt pertractatum in noſtra collatione.

FINIS.

IACOBI ARMINII

S. S. Theol. Doctoris eximij,

EXAMEN MODESTVM

Libelli, quem

D. GVLIELMVS PERKINSIVS

apprimè doctus Theologus

edidit ante aliquot annos

DE

Prædeſtinationis modo & ordine,

ITEMQVE DE

Amplitudine gratiæ Divinæ.

Addita eſt propter argumenti convenientiam ANALYSIS CAP. IX. AD ROMAN. ante multos annos ab eodem ipſo D. ARMINIO delineata.

Cum Indice rerum contentarum.

Ampliſſimis Viris Dominis Conſultiſſimis;

D. PRÆTORI, CONSULIBUS, SCABINIS, SYNDICO, SECRETARIIS, totique adeo SENATUI inclytæ ROTERODAMENSIS Reipublicæ.

Ampliſſimi viri, Domini conſultiſſimi.

Sapienter olim à Platone, atque Stoicis dictum eſt, referente id ſic Tullio, non nobis nos ſolum natos eſſe, ſed partem ortus noſtri ſibi vendicare patriam, partemque parentes atque amicos: & quæcunque in terris gignuntur ad uſum hominum creari omnia; homines autem hominum cauſâ eſſe generatos, ut ipſi inter ſe alius alij prodeſſe poſſent. Quod ſicuti ſedulò meditari ſemper debuerunt, quicunque unquam homine ſe ſatos gloriari potuerunt, tamen tanto id unuſquiſque ad animum ſemper revocaverunt impenſius, quanto quiſque aut meliore ſe ſydere natos experti fuerunt, aut lumen illud animi, quod rationem rectam vocamus, aſſidua meditatione, ſicuti oportuit, excoluerunt operoſius. Magni eſſet acuminis & laboris, verbis exequi, quibus omnino rebus hominum generi prodeſſe aliquis queat; idque propter infinitatem earum rerum, quæ ab homine in uſum hominis proficiſci poſſunt, & diverſitatem donationum, quibus alter inſervire alteri apti nati ſumus; ut proinde citius hoc conari, quam abſolvere quiſquam noſtrum poſſimus: Recenſere vero ad unum omnes eos, qui, quibus potuerunt rebus generi ſuo prodeſſe, iis ipſi profuerunt plurimum: id vero impoſſibile, atque ἀδύνατον penitus eſt; tum alias ob cauſas, tum vero vel maximè quod multa egregiè à multis perpetrata, maximo quæ ſocietati hominum uſui fuerunt, ſæpe in obſcuro lateant: & vix ad poſteritatem tranſmittantur, niſi quæ ab iis, qui jam ante clari erant, geſta viris, hoc ipſo maxime titulo, ſeſe deinde ipſa commendaverunt clarius. Ac quæ quidem in armis geruntur, magis obverſari ob oculos ſolent, fereque Principes & magnos Heroas comitantur: quæ tamen in toga à multis præſtantur, nihilo indigniora ſunt, ut famam quoque apud futuram poſteritatem bene-

honeſtam aliquam promereantur. Videntur vero mihi ad Heroas illos quam proxime accedere, qui literis clarüerunt, quique diſciplinas atque artes aut ipſi primum invenerunt, aut egregie cum magno Reip. bono eas ornaverunt: Inter hos autem jure meritoque maximè eminere qui Deo Principique ſuo, aut in Religione vera, rectè promovenda atque excolenda fidelem ſedulamque poſuerunt operam, aut in politia civili decenter conſtituenda atque continenda ſupra alios egregie utiliſſimeque inſervierunt; digni proinde hi eſſe qui poſt viros Principes, excellentius de Repub. meritos, ac propterea huic albo non inſerendos, ſed eminentiore honore proſequendos, ſuam tamen etiam aliquam ipſi, licet cum ipſorum claritate non conferendam, memoriam nominis apud poſteros conſequantur. Cæterum de viris Principibus apud nos illis, quibus Patria noſtra debet plurimum, ſive illi mortalium ſorti jam erepti ſint, ſive etiamnum adhuc inter mortales glorioſe agant; de his vero dicere multum neque noſtræ ætatis, neque noſtrarum virium eſt: præterquam quod etiam citra nos eorum claritudo atque ſplendor ſatis oculos noſtrum omnium præſtinguunt. Viros quin verò etiam doctrinæ atque eruditionis laude claros, atque inter hos eos maxime, qui Reipub. in politia, ſive ſacra, ſive civili egregie præfuerunt, glorioſamque navaverunt operam; ſuis debitis pro meritis eorum uti laudibus proſequamur; neque tempus, neque alia nunc ſinunt, & ſua etiam citra nos quiſque eorum laude non carent. Verum enimvero ut de piè defuncti Parentis noſtri in religionem & patriam affectum, qui ut Sophoclem in Aiace imitemur,

Ἡμῖν πικρὸς τέθνηκεν ἢ πολλοῖς γλυκύς.
Αὑτῷ δὲ τερπνός. ὧν γὰρ ἠράσθη τυχεῖν
Ἐκτήσαθ' αὐτῷ, θάνατον ὅνπερ ἤθελε.

ut inquam de pio & ſincero illius in patriam, & religionem affectu paucula quædam breviter, citra cujuſquam præjudicium, data nunc occaſione diſſeramus; ipſa nunc nobis imponere videtur pietas, arctiſſimumque id officii vinculum, quo Parenti noſtro obſtringimur; degeneres futuri, ſi aut nobis aut ipſi defuerimus. Tendent verò omnia horſum, ut judicia hominum non paucorum ſiniſtris quorundam ſugillationibus, magno noſtro dolore non parum ab illo abalienata, hac via atque ratione placemus parum, nobiſque rurſus demereamur aliquantulum: Deus Opt. Max. cui quidem ille in integritate animi ex conſcientia ſua ſervivit quamdiu vixit, nobis largiatur, uti deinceps benigniora atque clementiora ea nobis accidant.

Veri inquiſitio atque inveſtigatio imprimis hominum eſt propria; eius

vero perceptio atque comprehenſio eſt qua vulgo Sapientia dicitur. Hæc pro ratione veri duplex eſſe percipitur, proque diverſitate hac natura ſua minus magiſque quem afficere: aut enim earum eſt rerum: quæ ad vitam hanc pertinent, eoque mundana & terrena; aut earum quæ ad vitam pertinent ſecuturam, unde ſpiritualis appellatur: ſapientibus quidem ſecundum hunc mundum ſtultitia ex eo mera, cum hoc ipſo excellentior eſſe percipiatur quod de mundo hoc non ſit. Illa ex univerſo maxime hoc, & rebus univerſo hoc contentis addiſcitur, indeque in iis etiam ferè ipſis terminatur: hæc vero ſupernè à Deo Patre luminum, in Chriſto ſolo verbo & Spiritu eius revelatur, ſuperaque hoc ſeculum multò ſublimiſſimè nos evehit, viam ad vitæ immortalitatem nobis muniens. Illa ſibi deditos inani ſolummodo umbra paſcit, neque unquam explet tandem: Hæc vero ſuos alumnos tandem vere beatos reddit, ipſaque vita immortali communicata exſatiat penitus; ut minimè mirum ſit inveniri, qui, ex quo ea per verbum hoc, id autem Sacras Scripturas vocamus, gratioſè ipſis innotuit, incredibili eius conſequendæ deſiderio ſupra omnia alia inardeſcant. Ac quidem quo omnes universè homines φιλαληθεῖς & φιλομαθεῖς *inclinatione quadam inſita animi feruntur, eodem etiam avidè ferebatur Parens noſter pro innata ſagacitate ſua: ad cæleſtis verò illius Sapientiæ inveſtigationem, quæ ſeſe in verbo cognoſcendam offert, ex quo ea ſui deſiderium atque amorem ei inſeverat, tam incredibili etiam animi impetu contendebat, ut majorem in hominem, tantiſper dum carne hac circumdatus eſt, haud cadere poſſe à multis judicatum ſit. Quæ porro ad Sapientiæ huius comprehenſionem nos ducunt, ea ex inſtitutione illius à quo eadem ipſa ad nos derivatur, hæc fere ſunt. 1. Docilitas & cupiditas diſcendi, quam non poteſt non maximam ingenerare vera ſalus verbo hoc patefacta; quæ ſicuti obtenta eſt Religionis noſtræ præmium, ita deſiderata non poteſt non efficaciter allicere nos ad ſe proſequendum. 2. Humilis & demiſſus animus, qui ad verbum illius trepidet, qui Sapientiam hanc ſupernam largitur, magiſterio Spiritus obſequioſè ſe ſubjiciat, propriæque omni ſapientiæ & concupiſcentiæ abrenunciet. 3. Timor & reverentia Domini Sapientiæ quidem huius propago atque ſoboles, ſed eadem tamen etiam ipſa Sapientiæ omnis initium. 4. Seriæ, ardentes, atque quotidianæ preces, quæ intellectus ſive mentis illuminationem, & affectuum ſpiritualium ingenerationem per verbum, ab eo qui auctor verbi illius eſt, ſuppliciter contendant. 5 Iejunia, quæ carnem ſpiritui ad opus ſuum ſubjugent, & in ſervitutem Chriſti eam abripiant. 6. Jugis denique meditatio atque lectio, verbi illius quod*

eam

eam ad nos derivat, gloriæ Dei & ſalutis ſtudio. Hanc viam quotquot inſiſtunt, perſuaſi tanto ſe ampliorem myſteriorum Dei conſecuturos intelligentiam, quantum ex ea quam acceperunt, ad pietatem profecerint amplius (indignos n ſeſe faciunt ſcientiæ augmento, qui quam habent, malè uſurpant) certò certius eam adipiſcuntur. Non poſſunt enim non tam veracia hæc eſſe, quam eſt Deus ipſe verax; Secreta ſua eum revelare timentibus ſe, docere illum mites vias ſuas, juxtaque eſſe Deum iis qui contrito ſunt corde. Studioſè quærentes ſapientiam inventuros eam. Si quis noſtrum ſapientia indigeamus, eamque poſtulemus à Domino qui dat omnibus affluenter, eam datum nobis iri; ſed tamen non niſi qui cultor Dei eſt & voluntatem eius facit, hunc in eo omni quod ſecundum voluntatem eius petit, exauditum iri. Hæc cum hoc modo omnia ex eodem illo verbo penitiſſimè ſibi comperta haberet, p. m. Parens noſter, poſt pietatis curam quæ ei inter primas ſemper erat, omni humanæ auctoritatis præjudicio poſthabito, omnique carnali ſapientia abjudicata, in Scripturarum meditatione, & aſſidua earum lectione totum jugiter ſeſe occupabat, nocturnus diurnuſque in ea verſabatur: atque vix fere quicquam præter Scripturas unquam legebat aliud, perdidiſſe ſe ſtatuens omnes eas horas, quas non his impendiſſet, hocque ſuum ſtudium nunquam niſi per preces Deo commendabat. Jejunia etiam non raro ſibi excitando, & ad Sapientiam illam comprehendendam comparando, Deoque facilius exorando adhibebat; Nihil denique omnium intermittebat, quæ ad ſenſa Spiritus ſalutariter, utque decuit rimanda, ullo modo conducere aliquid poſſe judicabantur. Hoc in ſtudio cum diutiſſimè perſeveraviſſet, ingenio autem ſi quiſquam alius valeret plurimum; mirari nemo debet, ſi profunde in Scripturarum ſenſa penetraverit, ac non nihil etiam ipſe aliquid poſt quamplurimos alios obſervaverit. Mirari verò ſæpe ſubibat, quod uſque adeo ſemper parum tribueret judicio ſuo ipſius, utut ſubactiſſimo, plurimum vero judiciis aliorum: atque tantoperè ſibi diffideret, ut licet etiam exploratiſſimè quippiam percepiſſet, ſi tamen magni alicuius authoritas viri in diverſum contra iret, ſe potius hallucinari quam quemlibet alium perſuaſum ſibi haberet, qua ſcrupuloſitate, pacis præterea ſtudioſiſſimus inhibebatur, ut neque ſibi citò abblandiretur, & ab aliorum ſententiis ſollicitandis pertinaciſſimè ſeſe contineret. Conſtanter vero animum induxerat, idque ad præveniendas omnes non neceſſarias lites pro nulla ſententia depugnare acrius niſi quam ex perſpectiſſimo & diſertiſſimo verbo hauſiſſet, cuiuſque veritatem juxta ac neceſſitatem æquè evidenter demonſtrare poſſet. Inter alia autem

ſicuti

ſicuti nobis gratulabatur, quod ex craſſa cæcitatè, & ex idololatria Pontificia ſupra quam Ethnica per lucem Evangelij glorioſe emerſiſſemus; ita in Eccleſiis Evangelicis duo potiſſimum aſſiduè deplorabat: unum, quod penitiſſima quæque in Religione profundè nobis rimantibus, moderatæ libertati ſententiarum, ſalvis dogmatis ſcitu, creditu factu & ſperatu ad ſalutem neceſſariis, etiam ubi ſalutis negotium non agebatur, ſed ſubtilis quædam ſpinoſa, abſtruſior & minus neceſſaria quæſtio, uſque adeò tamen nihil permitteretur, ut citra tetræ hæreſeos mox crimen, vix uni diſſidere ab altero liceat, imò vix ignorare cuiquam aliquid, quod alius percepiſſe ſe ſupercilioſe venditaret: unde videbat futurum, ut poſt λεπτομερεστάτας & rigidas pro more in omni propemodum ſcibili Academiarum determinationes, ſi ſicut ſolet, in Eccleſias eæ extruderentur, inque iis urgerentur præciſius; Eccleſiæ inde poſtmodum aut mirificè dirimendæ eſſent, aut crudeles conſcientiarum laniena introducendæ, interpretatione Scripturarum hoc modo ad placita hominum, tanquam ad Matris Eccleſiæ ſententiam vincta, adſtrictaque: cum tamen aſſidua noſtra, adverſariorumque noſtrorum cura, deprehendantur ab utraque parte nos oculatiores multis paſſim in rebus lapſu temporis reddere, proque hac larva Eccleſiis Pontificiis detrahenda, tantum ſcriptitatum à nobis hactenus deſudatumque ſit. Alterum quod in Eccleſiis Reformatis noſtris deplorabat, hoc erat, quod in doctrina de Prædeſtinatione à plerìſque doctoribus, ſimulque Paſtoribus non pauca calide inculcarentur & urgerentur, quæ religioni propagandæ admodum contraria eſſent, à vero Scripturæ ſenſu multum exorbitarent, uberrimaque aut ſecuritatis aut veræ deſperationi ingenerandæ argumenta ſuppeditarent: atque hoc modo ad religionem potius ſtirpitus exſtirpandam quaſi ex compoſito magna cura, introducta eſſe viderentur. Horſum enim paulatim hæc evaſura, quæ jam ferè pro indubitata veritate, proque Sacro-ſanctæ Eccleſiæ ſententia recipienda obtruduntur: Deum abſolutiſſimo & immutabili decreto ab omni retro æternitate pro puro ſuo beneplacito ſingulares quoſdam homines, eoſque quoad cæteros pauciſſimos, citra obedientiæ ullius aut fidei in Chriſtum intuitum prædeſtinaſſe ad vitam: reliqua hominum parte multo maxima ad æternam & ineluctabilem miſeriam ſimili decreto prædeſtinata, citra ullius propriæ inobedientiæ aut infidelitatis intuitum. Ieſum Chriſtum proinde pro omnibus hominibus mortuum non eſſe, ut pro illis reconciliationem apud Deum impetraverit; ſed tantummodo pro his ſolis, quos Deus tali abſoluto decreto ad vitam ante ſeparaverit. Hoſce etiam ſolos & non alios Deum ad ſe

trahere, idque vi quadam irreſiſtibili, cui obſiſtere aut inobedientes eſſe plane nullo modo poſſint: cæterum verbo reconciliationis vocari quidem ad Chriſtum communiter omnes, ſed reprobos non veniendo, cum tamen venire non poſſint propter negatum ipſis gratiæ ſufficientis & neceſſariæ auxilium vigore præcedentis hujus decreti, hoc ipſo nihilominus etiamnum adhuc damnationem ſuam obſignare & aggravare amplius. Electos hoſce fide & converſione donatos, neque totaliter neque finaliter à fide ſua excidere aut Chriſto ſubducere ſe poſſe; ſed quidquid eandem etiam atrociſſimè peccant, id omne infirmitatis & imbecillitatis eſſe: unumquemque proinde noſtrum invariabilem vitæ atque mortis æternæ προταγὴν una cum ipſo ortu in lucem hanc nobiſcum adferre, atque adeo ad hoc naſci, hancque diverſitatem aliquo modo ad univerſi perfectionem facere: idque adeo verum eſſe ut, quod infantes attinet ipſorum etiam fœderatorum & quidem vel gemellos, fœderi etiam ipſos ſacramento baptiſmi initiatos; fieri tamen poſſit ut horum in infantia ſua morientium (utut bene de illis ſperari ſemper poſſit) nihilominus cum ſecundum veritatem de illis judicium faciendum eſt, alij hinc ad vitam alij ad mortem æternam migrent, prout Deo ab æterno viſum fuerit in hanc aut illam partem ſtatuere aliquid de illis. Ex quibus hoc modo poſitis facile periculoſiſſimæ opiniones imbibuntur ſecuritati aut deſperationi viam munientes.

Hæc cum hoc modo omnia ſollicite ad animum ſuum multoties revocaret Parens noſter, tamen multum anxius quomodo quæ jam infeliciter multorum animis inſtillarentur, avideque imbibita multos ab omni Religionis cura, non paucos ab Eccleſiarum noſtrarum amplexu abarcerent, intra Eccleſiam vero etiam non paucos prædeſtinationis quadam cæca opinione ſoporatos, ad confidentiam non ſecundum ſpiritum abriperent: multum anxius, inquimus, quomodo quæ hujus generis non pauca eſſent, ſine turbis & ſtrepitu ſalvo eorum honore, quorum exſtimationem non labefactari intererat, reſtitui in melius poſſent; quæ meditatus in hanc partem erat, ea licet accuratè æſtimata à ſe dijudicataque, tamen adhuc utcunque longum tempus continere apud ſe ſtatuit. Feſtinandum ſc. non ratus, ut ne jam diligentiam quam æquum erat, juſtum vero quin etiam tempus ſuis cogitatis penſitandis adhibuiſſet; memor illius quod apud Dionem extat, ſemel poſita haud facile immutanda eſſe, ſæpeque in ſuo ſtatu etſi deteriora, utiliora eſſe Reipub. iis, quæ utut meliora, per immutationem inducuntur. Interea vero temporis cum ſumma hinc utilitas, & extrema atque ineluctabilis illinc cum veritate neceſſitas, ſæpius autem

illius

illius vellicarent, deq́; ſuo illum officio commonefacerent, certus jam tempus ſolummodo opperiri opportunius, nihil interea temporis rectius facere ſe poſſe perſuaſum ſibi habuit, eque re ſua publicaque eſſe duxit, quam ſi vetera ſua cogitata, iterum iterumq́; quaſi de novo ad incudem aliquoties revocatum iret, ſententiæ ſuæ ſoliditatem atque βιβαιότητα *omni ratione atq́; via pertentaret magis, nihilq; omitteret omnium quæ in hoc caſu ſapientes facto opus eſſe judicant. Hanc ad rem cum plurimum momenti haberet, ſi de ſententia ſua majoris in omnes partes certitudinis ergo cum maximæ quibuſque auctoritatis & doctrinæ viris, privatim viva voce aut etiam ſcripto per literas conferret, id facere apud ſe ratum habuit, nihil addubitans quin ſi ſuam ſententiam his probaviſſet non difficulter etiam cæteris probaturus eam eſſet, qui ab illis fere penderent omnes, atque ad illos aliquando appellaturi judicabantur. Vt res cunq; caderet, id tamen hinc conſecuturum prævidebat, ut minus difficulter ſuffragia multorum promereretur, ſi perciperetur nihil crudum, quod dicitur, propuliſſe unquam in forum, nullius judicium aut examen reformidaviſſe, nihil per cuniculos ſub ſcuto imperitiæ tentaviſſe, nihilq́; ſibi penitus abblanditus fuiſſe; ſed ſponte atque ultro doctiſſimi cuiuſque tribunal interpellaviſſe, mutaturus ſicubi hallucinatum ſe deprehendiſſet, utpote admodum in eo facilis. Si exploratis omnibus in ſua ſibi ſententiæ veritate magis etiamnum atque magis confirmaretur, quod ex quaque propemodum collatione ei ſemper accidit: tum demum cogitare ſe velle dicebat, quomodo omnia legitimè, ſub præſidio publicæ auctoritatis ad venerabile Senatus Theologici judicium referri poſſent, atque expenſa probataque, quod utinam ſucceſſiſſet, de ſententia deinde ſupremi Magiſtratus noſtri, poſt pleniſſimam cauſæ cognitionem, rectè atque ordine ſanciri, vigorem quaſi legis adeptura. Hæc cauſa fuit cur non modo ad collationem amicam, Miniſtrorum in hac patria noſtrâ Coryphæos quoſque privatim ſollicitaverit de ſententia quin etiam ſua ſtudiosè cum doctiſſimo Theol.* D. Franc. Iunio *homine* εἰρηνικωτάτῳ *contulerit, cuius aliquoties modeſtiam expertus fuerat & quem etiam ſæpe in multis adſtipulantem ſibi nactus fuerat, ut proinde multoties incredibili animi affectu longius ei vitæ tempus contingere potuiſſe optaverit: ſed vero etiam ad exterarum Academiarum Theologos, interq; eos ad Reverendum raræ eruditionis virum D. Perkinſium, celeberrimum quondã in alma Academia Cantabrigienſi Theologum per litteras ſe converterit, utpote qui inter noſtri temporis Theologos, controverſam multum diuq; de Prædeſtinatione doctrinam poſt alios poſtremus ipſe diligentiſſime excuſſiſſe obſervaretur. Atq́; ad hanc rem ipſi ſerviturus erat præſens hic tractatus, quem*

*etiam ad doctiſſ. D. Perkinſium miſſurus fuiſſet, niſi, quo ipſo prope-
modum temporis articulo, extremam ei manum jam jam impoſiturus e-
rat, D. Perkinſius, vita hac defunctus, eamque cum beatâ alterâ com-
mutaviſſe nuntiaretur: à quo deinceps tempore eum apud ſe ſuoſque ami-
cos Parens noſter continuit. poſtmodum vero ita jubentibus Patribus
patriæ noſtræ, totam ſuam de Prædeſtinatione ſententiam in frequentiſ-
ſimo Illuſtriſſimorum Dd. Ordd. noſtrorum conventu copioſiſſimè expli-
cuit, receptamque vulgo apud Dd. quoſdam ſententiam confutavit, ab-
ſurditate illius viginti ordine tanquam in acie poſitis exquiſitiſſimis argu-
mentis oſtenſa. Quum vero decreviſſet coram ſolis Illuſtriß. Dd. Ordd.
inter Theologos diſceptata hæc agitataque fuiſſe, tamen dicere vix poſſu-
mus qua calamitate acciderit, ut ſicuti flamma ſuffulta flabello, ſeſe qua-
qua verſum didere ſolet; ita etiam tota controverſiæ hujus moles longè
lateque ad omnes uſque quaq; patriæ noſtræ ſubditos præter Dd. Ordd.
expectationem quam latiſſime ſeſe diffuderit. Atque cum non multo poſt
etiam cariſſimus noſter Parens, maximo noſtro & bonorum plurimorum
mœrore placidiſſime ad cælites concederet, hunc quem nunc V. V. A. A.
damus tractatum, addita propter argumenti convenientiam Analyſi Ca-
pitis noni Epiſtolæ ad Romanos (quam utinam expolire adhuc potuißet
amplius) inter ſchedas atque adverſaria eius latere deprehendimus; ſup-
preſſiſſemus vero illum etiamnum adhuc diutius, niſi hoc tempore ad ex-
plicationem doctrinæ de Prædeſtinatione quam jam nemo non etiam pro-
letarius quiſque de media turba maxime ventilat, imo in qua proram &
puppim religionis fere totius collocant (quæ etiam res nos aliquando im-
pulit, ut declarationem illam, qua Parens noſter ſuam de Prædeſtina-
tione ſententiam coram Illuſt. Dd. Ordd explicuerat, publice in lucem
edendam curaverimus) niſi inquam ad exactiorem totius hujus familia-
riſſimæ jam nobis cauſæ explicationem amici judicaſſent plurimum mo-
menti placidum hoc examen habiturum, ut proinde religioni duxerimus
refragari ipſis aut hunc fœtum invidere publico. Quin imò verò etiam
ſi exiſtimationem Parentis noſtri pluris facere quam utilitatem publi-
cam voluiſſemus, etiam hac de cauſa hoc opus, utpote propter obitum D.
Perkinſii imperfectum, etiamnum adhuc apud nos continuiſſemus. Reve-
ra enim tale non eſt, ut multis videtur, quod ingenio & acumini auctoris
ſui ſatis reſpondeat: verumenimvero periclitari potius in Parentis no-
ſtri pié defuncti exiſtimatione aliquantulum voluimus, quam grata ut
ſperamus poſteritatis etiam cum diſpendio aliquo noſtro videri non
habuiße rationem aliquam. Offenſum vero quenquam iri libelli hujus
publicatione multo putamus minus: nihil enim quidquam in quenquam*

hic di-

hic dicitur invidioſius; res ſimpliciter cum re, cauſa cum cauſa, argumenta cum argumentis placidè & fraternè conferuntur. Hæc amica inter ſe συζητήσεις viri docti cum carere coguntur, quid erit in quo unquam proficiemus? ac vero quid erit in quo non retrogrediemur potius pedetentim plurimum? poſt placidas vero hujuſmodi collationes, ſi ubi convenire in omnibus non dabitur, diſſentire uni ab altero ſalva religionis pace nunquam licebit; in quas tandem diſtractiones & conſcientiarum carnificinas non incidemus? quotidie ſc. jam à ſimplicitate ſcripturæ retro ſilientibus nobis longius, ac quidem nonnullis nunc inter noſtros contendentibus, qui tamen unitatem propterea abrumpendam non putant: Deum prædeſtinando nequaquam circa peccatores verſatum eſſe: perſonas in Deo modos tantummodo exiſtendi eſſe ſive τρόπους ὑπάρξεως. Eſſentiam in S.S. hac perſonarum trinitate, cum propriiſſime loquendum eſt, dicendam communem eſſe, impropriè autem dici communicari: in rationem ſatisfactionis qua Chriſtus patri ſuo ſatisfecit, venire non juſtitiam illius activam ſed paſſivam ſolum: item, quod pœnitentia ſive reſipiſcentia remiſſionem peccatorum non antecedant ſed eam ſequantur ſemper; aliaque his ſimilia: hac caſu ſi nos ab invicem dirimi neceſſe erit, in quot omnino ſectas diſtrahemur, imo quoties non ex una ſecta tranſcurrere in alteram opus habebimus?

Sin verò æquum eſt viris doctis, aliquid hic inter ſe concedi, quia univerſalis & uniformis conſenſus in omnibus obtineri non poteſt, inquiratur tandem aliquando ad minuendas lites, & ad præveniendum exorituras facile alias, potius quam poſtmodum: quouſque hæc æquiſſima libertas progredi & ubi ſe ſiſtere tandem debeat, idque ne ſcindamur ab invicem ubi minime oportet: ſed vero etiam ne quidquid tandem libet, promiſcuè in dubium vocemus, aliquid vero etiam inter Academiæ ſepta coercendum putemus: meminerimus autem ante omnia eſſe aliquid quod piè ignorare velle debemus, ad id uſque tempus, cum craſſa omni noſtra ignorantia liberati, Deum videbimus ſicuti eſt. Interea vero pacem quæſo ſectemur, eodem animo mutuò inter nos affecti, non alta ſentientes, ſed humilibus obſecundantes, non prudentes apud noſmet ipſos. Regnum Dei in ſubtili altercatione poſitum non eſt, & veritas, quam habemus, altercando facile aut amittitur aut obſcuratur; Simplicitas doctrinæ multa eorum quæ quotidie objici ſolent, elidit, quæ non elidit, doctrinæ ſubtilitas. Multa per Dei gratiam fixa certa, atque ὁμολογούμενα habemus, hæc in ſanguinem & ſuccum convertamus, ne ingratitudine noſtra Deum contra nos concitemus, omniſcientiam propemodum quandam ante tempus ſectando: obedientiam maxime mandatorum Chriſti meditemur, ad

vitam

vitam noſtram rigidiſſimè attendamus, inimicitias atque odia noſtra deponamus & citò minus diſputaces reddemur. ne tam opiniones non neceſſarias præfractè propagare & perſuadere alter alteri ſtudeamus, quam obſequium Ieſu Chriſti ex fide veram. quantum eſt ſimpliciorum & hebetiorum hominum numerus, qui ad quæſtiuncularum noſtrarum perceptionem ne penetrare quidem ſemel poſſunt; & tamen ut ſalventur, nihil quidquam omnium ad ſalutem præciſe neceſſariorum ignorare debent. Hæc maxime alij aliis inculcemus. Vtinam vero in Prædeſtinatione quidem ea ſententia obtineat quæ maximè ad pietatem ſecundum Deum apud omnes promovendam apta nata eſt, minimum ſecuritatem carnalem foveat, potentiſſime autem deſperationem amoliatur, duas in religione peſtes nocentiſſimas, etſi illam familiariorem proh dolor inter nos, ac proinde omni conatu retundendam fortius.

Cæterum quod veſtris A. A. libellos hoſce inſcribimus, ad hoc tum alia, tum præſertim hoc nos induxit, quod Parens noſter p. m. poſt Oudewatriam ab Hiſpanis cruenta invaſione occupatam funeſtaque internecione deletam, veſtram urbem primam omnium adoleſcentulus haud amplius quam xjv. annorum inſederit ac quaſi pro aſylo habuerit; hacque ſic ſua apud concivem ſuum ibidem ad tempus commoratione, veſter quodammodo concivis factus fuerit. Ex veſtra ſcilicet urbe ſicuti magnus ille aliquando Eraſmus prodiit, ita ex eadem ipſa Parens noſter in Academiam Lugduno Batavam, ſub id fere ipſum tempus commode erectam, commigravit: ubi poſtmodum poſt xv. annorum in Eccleſia Amſtelodamenſi functionem, S. Theologiæ Doctor renunciatus, ſic eamdem docuit, ut maxime eam docendam ore Eccleſiæ eſſe publicaque omnium hominum judicaviſtis. accedit vero huc, quod inde ab initio refulgeſcentis in noſtro hoc orbe Evangelicæ lucis, excuſſo glorioſe tetri Papatus jugo, ſtrenuos vos conſtanteſque Religionis reformatæ Patronos atque vindices præbuiſtis atque etiamnum hodieque præbetis: idque hanc inſiſtentes viam, ut dummodo quæ ipſam Chriſtianæ Religionis, pietatis & Reformationis arcem concernunt, inque his fundamentalia ſunt, extra omnem diſputationis aleam relinquantur, in reliquis præſertim abſtruſioribus & nondum ſatis explanatis, nedum communi conſenſu jam definitis, moderatam prophetandi libertatem (contra quam præceps quorundam Eccleſiaſticorum zelus atq; intemperies permittant ſatis) magnis animis tueamini: hoc maxime (quantum in vobis eſt) operam dantes ut populus vobis concreditus in factiones parteſq; non ſcindantur, atque non obſtante diverſa, ſalvo ſemper manente fundamento, in

quibuſ-

quibuſdam ſententia, ſeſe inter ſe ferant nihilominus, pacemque & concordiam inter ſe mutuo colant; Paſtores vero de iiſdem ipſis id genus capitibus & privatim & publice id libere doceant, quod quiſque eorum cenſuerint verbo Dei maxime conſentaneum & ad pietatem promovendam maxime efficax eſſe: hac tantum addita cautione, ut ſine acerbitate id fiat, pacifice quiſque erga Collegas ſuos ſe gerant, nemoque aut ſermonibus factioſis aut concionibus tribunitiis ſive directè ſive indirectè plebem concitare præſumant, ſed ad ædificationem & pietatis promotionem omnia ſollicitè referant.

Quod veſtrum inſtitutum, licet à multis jam, vel non ſatis de æquitate & juſtitia rei edoctis, vel partium ſtudio in contrarium raptis, indignis modis ſugilletur atque traducatur: tamen olim, ubi animorum hîc fervor reſederit, idq; quod rectum eſt diſcuſſis præjudiciorum nebulis penitus perſpectum fuerit, commendatum inſigniter à poſteritate laudibuſque evectum iri, per Dei gratiam, certo confidimus. Quod autem idem ſemper animus ſenſuſque Parentis noſtri fuerit, quod hoc ipſum perpetuis votis, gemitu, jejuniis & lachrymis à benigno Deo flagitaverit, quodq; huc etiam omnes ſuos labores, ſtudia atque vigilias unice direxerit, norunt omnes quotquot eo familiariter uſi fuere, etiamque præſens hic libellus ad eundem ſcopum collineans abundè id teſtabitur ſatis.

Accipite igitur Ampliſſ. Viri benignis animis propenſoque favore fetum hunc poſthumum concivis olim veſtri, V.V. A.A. à nobis earum pupillis obſequioſa reverentia dedicatum conſecratumque: accipite libellum continentem collationem placidam de prædeſtinatione divina uſque quæ inde neceſſario dependent: in quo ſententia ea defenditur, quam Parens noſter & Scripturis conſentaneam, & pietati ſecundum Deum promovendæ maxime accommodatam cenſuit. Cujus ut argumentum, ſic & dedicationem ſi vobis grata fuiſſe intellexerimus, abunde deſiderio noſtro ſatisfactum fuerit. Quod ſuper eſt:

Ampliſſ. Viri, Domini honorandi, nos D. Jeſum Chriſtum Regem Regum ſuppliciter rogamus, ut V. V. A. A. ſpiritu conſilij, prudentiæ, & fortitudinis perpetuo adſit, vobiſque & toti Reipubl. veſtræ largiſſime è cælis benedicat. Amen.

Veſtris A.A. addictiſſimi

D. IACOBI ARMINII *Veteraquinatis*
Liberi orphani novem.

Ampliſſimis Viris Dominis Conſultiſſimis;

D. PRÆTORI, CONSULIBUS, SCABINIS, SYNDICO, SECRETARIIS, totique adeo SENATUI inclytæ ROTERODAMENSIS Reipublicæ.

Ampliſſimi viri, Domini conſultiſſimi.

SApienter olim à Platone, atque Stoicis dictum eſt, referente id ſic Tullio, non nobis nos ſolum natos eſſe, ſed partem ortus noſtri, ſibi vendicare patriam, partemque parentes atque amicos: & quecunque in terris gignuntur ad uſum hominum creari omnia; homines autem hominum cauſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe aliis alij prodeſſe poſſent. Quod ſicuti ſedulò meditari ſemper debuerunt, quicunque unquam homine ſe ſatos gloriari potuerunt, tamen tanto id unuſquisque ad animum ſemper revocaverunt impenſius, quanto quiſque aut meliore ſe ſydere natos experti fuerunt, aut lumen illud animi, quod rationem rectam vocamus, aſſidua meditatione, ſicuti oportuit, excoluerunt operoſius. Magni eſſet acuminis & laboris, verbis exequi, quibus omnino rebus hominum generi prodeſſe aliquis queat; idque propter infinitatem earum rerum, quæ ab homine in uſum hominis proficiſci poſſunt, & diverſitatem donationum, quibus alter inſervire alteri apti nati ſumus; ut proinde citius hoc conari, quam abſolvere quiſquam noſtrum poſſimus: Recenſere vero ad unum omnes eos, qui, quibus potuerunt rebus generi ſuo prodeſſe, iis ipſi profuerunt plurimum: id vero impoſſibile, atque ἀδύνατον penitus eſt; tum alias ob cauſas, tum vero vel maximè quod multa egregiè à multis perpetrata, maximo quæ ſocietati hominum uſui fuerunt, ſæpe in obſcuro lateant: & vix ad poſteritatem tranſmittantur, niſi quæ ab iis, qui jam ante clari erant, geſta viris, hoc ipſo maxime titulo, ſeſe deinde ipſa commendaverunt clarius. Ac quæ quidem in armis geruntur, magis obverſari ob oculos ſolent, fereque Principes & magnos Heroas comitantur: quæ tamen in toga à multis præſtantur, nihilo indigniora ſunt, ut famam quoque apud futuram poſteritatem hone-

honeſtam aliquam promereantur. Videntur vero mihi ad Heroas illos quam proxime accedere, qui literis claruerunt, quique diſciplinas atque artes aut ipſi primum invenerunt, aut egregie cum magno Reip. bono eas ornaverunt: Inter hos autem jure meritoque maximè eminere qui Deo Principique ſuo, aut in Religione vera, rectè promovenda atque excolenda fidelem ſedulamque poſuerunt operam, aut in politia civili decenter conſtituenda atque continenda ſupra alios egregie utiliſſimoque inſervivierunt; digni proinde hi eſſe qui poſt viros Principes, excellentius de Repub. meritos, ac propterea huic albo non inſerendos, ſed eminentiore honore proſequendos, ſuam tamen etiam aliquam ipſi, licet cum ipſorum claritate non conferendam, memoriam nominis apud poſteros conſequantur. Cæterum de viris Principibus apud nos illis, quibus Patria noſtra debet plurimum, ſive illi mortalium ſorte jam erepti ſint, ſive etiamnum adhuc inter mortales glorioſe agant; de his vero dicere multum neque noſtræ ætatis, neque noſtrarum virium eſt: præterquam quod etiam citra nos eorum claritudo atque ſplendor ſatis oculos noſtrum omnium præſtringunt. Viros quin verò etiam doctrinæ atque eruditionis laude claros, atque inter hos eos maxime, qui Reipub. in politia, ſive ſacra, ſive civili egregie præfuerunt, glorioſamque navaverunt operam; ſuis debitis pro meritis eorum uti laudibus proſequamur; neque tempus, neque alia nunc ſinunt, & ſua etiam citra nos quiſque eorum laude non carent. Verum enimvero ut de piè defuncti Parentis noſtri in religionem & patriam affectum, qui ut Sophoclem in Aiace imitemur,

> Ἡμῖν πικρὸς τέθνηκεν ἢ πολλοῖς γλυκύς.
> Αὑτῷ δὲ τερπνός. ὧν γὰρ ἠράσθη τυχεῖν
> Ἐκτήσαθ' αὐτῷ, θάνατον ὅνπερ ἤθελε.

ut inquam de pio & ſincero illius in patriam, & religionem affectu paucula quædam breviter, citra cujuſquam præjudicium, data nunc occaſione ediſſeramus; ipſa nunc nobis imponere videtur pietas, arctiſſimumque id officii vinculum, quo Parenti noſtro obſtringimur; degeneres futuri, ſe aut nobis aut ipſi defuerimus. Tendent verò omnia horſum, ut judicia hominum non paucorum ſiniſtris quorundam ſugillationibus, magno noſtro dolore non parum ab illo abalienata, hac via atque ratione placemus parum, nobiſque rurſus demereamur aliquantulum: Deus Opt. Max. cui quidem ille in integritate animi ex conſcientia ſua ſervivit quamdiu vixit, nobis largiatur, uti deinceps benigniora atque clementiora ea nobis accidant.

Veri inquiſitio atque inveſtigatio imprimis hominum eſt propria; eius

vero perceptio atque comprehenſio eſt quæ vulgo Sapientia dicitur. Hæc pro ratione veri duplex eſſe percipitur, proque diverſitate hac natura ſua minus magiſque quem afficere: aut enim earum eſt rerum quæ ad vitam hanc pertinent, eoque mundana & terrena; aut earum quæ ad vitam pertinent ſecuturam, unde ſpiritualis appellatur: ſapientibus quidem ſecundum hunc mundum ſtultitia ex eo mera, cum hoc ipſo excellentior eſſe percipiatur quod de mundo hoc non ſit. Illa ex univerſo maxime hoc, & rebus univerſo hoc contentis addiſcitur, indeque in iis etiam ferè ipſis terminatur: hæc vero ſupernè à Deo Patre luminum, in Chriſto ſolo verbo & Spiritu ejus revelatur, ſuperaque hoc ſeculum multò ſublimiſſimè nos evehit, viam ad vitæ immortalitatem nobis muniens. Illa ſibi deditos inani ſolummodo umbra paſcit, neque unquam explet tandem: Hæc vero ſuos alumnos tandem vere beatos reddit, ipſaque vita immortali communicata exſatiat penitus; ut minimè mirum ſit inveniri, qui, ex quo ea per verbum hoc, id autem Sacras Scripturas vocamus, gratioſè ipſis innotuit, incredibili ejus conſequendæ deſiderio ſupra omnia alia inardeſcant. Ac quidem quo omnes universè homines φιλαληθεῖς & φιλομαθεῖς inclinatione quadam inſita animi feruntur, eodem etiam avidè ferebatur Parens noſter pro innata ſagacitate ſua: ad cæleſtis verò illius Sapientiæ inveſtigationem, quæ ſeſe in verbo cognoſcendam offert, ex quo ea ſui deſiderium atque amorem ei inſeverat, tam incredibili etiam animi impetu contendebat, ut majorem in hominem, tantiſper dum carne hac circumdatus eſt, haud cadere poſſe à multis judicatum ſit. Quæ porro ad Sapientiæ hujus comprehenſionem nos ducunt, ea ex inſtitutione illius à quo eadem ipſa ad nos derivatur, hæc fere ſunt. 1. Docilitas & cupiditas diſcendi, quam non poteſt non maximam ingenerare vera ſalus verbo hoc patefacta; quæ ſicuti obtenta eſt Religionis noſtræ præmium, ita deſiderata non poteſt non efficaciter allicere nos ad ſe proſequendum. 2. Humilis & demiſſus animus, qui ad verbum illius trepidet, qui Sapientiam hanc ſupernam largitur, magiſterio Spiritus obſequioſè ſe ſubjiciat, propriæque omni ſapientiæ & concupiſcentiæ abrenunciet. 3. Timor & reverentia Domini Sapientiæ quidem hujus propago atque ſoboles, ſed eadem tamen etiam ipſa Sapientiæ omnis initium. 4. Seriæ, ardentes, atque quotidianæ preces, quæ intellectus ſive mentis illuminationem, & affectuum ſpiritualium ingenerationem per verbum, ab eo qui auctor verbi illius eſt, ſuppliciter contendant. 5 Iejunia, quæ carnem ſpiritui ad opus ſuum ſubjugent, & in ſervitutem Chriſti eam abripiant. 6. Jugis denique meditatio atque lectio, verbi illius quod

eam ad nos derivat, gloriæ Dei & ſalutis ſtudio. Hanc viam quotquot inſiſtunt, perſuaſi tanto ſe ampliorem myſteriorum Dei conſecuturos intelligentiam, quantum ex ea quam acceperunt, ad pietatem profecerint amplius (indignos n ſeſe faciunt ſcientiæ augmento, qui quam habent, malè uſurpant) certò certius eam adipiſcuntur. Non poſſunt enim non tam veracia hæc eſſe, quam eſt Deus ipſe verax; Secreta ſua eum revelare timentibus ſe, docere illum mites vias ſuas, juxtaque eſſe Deum iis qui contrito ſunt corde. Studioſè quærentes ſapientiam inventuros eam. Si quis noſtrum ſapientia indigeamus, eamque poſtulemus à Domino qui dat omnibus affluenter, eam datum nobis iri; ſed tamen non niſi qui cultor Dei eſt & voluntatem eius facit, hunc in eo omni quod ſecundum voluntatem eius petit, exauditum iri. Hæc cum hoc modo omnia ex eodem illo verbo penitiſſimè ſibi comperta haberet, p. m. Parens noſter, poſt pietatis curam quæ ei inter primas ſemper erat, omni humanæ auctoritatis præjudicio poſthabito, omnique carnali ſapientia abjudicata, in Scripturarum meditatione, & aſſidua earum lectione totum jugiter ſeſe occupabat, nocturnus diurnuſque in ea verſabatur: atque vix fere quicquam præter Scripturas unquam legebat aliud, perdidiſſe ſe ſtatuens omnes eas horas, quas non his impendiſſet, hocque ſuum ſtudium nunquam niſi per preces Deo commendabat. Jejunia etiam non raro ſibi excitando, & ad Sapientiam illam comprehendendam comparando, Deoque facilius exorando adhibebat; Nihil denique omnium intermittebat, quæ ad ſenſa Spiritus ſalutariter, utque decuit rimanda, ullo modo conducere aliquid poſſe judicabantur. Hoc in ſtudio cum diutiſſimè perſeveraviſſet, ingenio autem ſi quiſquam alius valeret plurimum; mirari nemo debet, ſi profunde in Scripturarum ſenſa penetraverit, ac non nihil etiam ipſe aliquid poſt quamplurimos alios obſervaverit. Mirari verò ſæpe ſubibat, quod uſque adeo ſemper parum tribueret judicio ſuo ipſius, utut ſubactiſſimo, plurimum vero judiciis aliorum: atque tantoperè ſibi diffideret, ut licet etiam exploratiſſimè quippiam percepiſſet, ſi tamen magni alicuius authoritas viri in diverſum contra iret, ſe potius hallucinari quam quemlibet alium perſuaſum ſibi haberet, qua ſcrupuloſitate, pacis præterea ſtudioſiſſimus inhibebatur, ne neque ſibi citò ablandiretur, & ab aliorum ſententiis ſollicitandis pertinaciſſimè ſeſe contineret. Conſtanter vero animum induxerat, idque ad præveniendas omnes non neceſſarias lites, pro nulla ſententia depugnare acrius niſi quam ex perſpectiſſimo & diſertiſſimo verbo hauſiſſet, cuiuſque veritatem juxta ac neceſſitatem æquè evidenter demonſtrare poſſet. Inter alia autem

ſicuti

ſicuti nobis gratulabatur, quod ex craſſa cæcitate, & ex idololatria Pontificia ſupra quam Ethnica per lucem Evangelij glorioſe emerſiſſemus; ita in Eccleſiis Evangelicis duo potiſſimum aſſiduè deplorabat: unum, quod penitiſſima quæque in Religione profundè nobis rimantibus, moderata libertati ſententiarum, ſalvis dogmatis ſcitu, creditu factu & ſperatu ad ſalutem neceſſariis, etiam ubi ſalutis negotium non agebatur, ſed ſubtilis quædam ſpinoſa, abſtruſior & minus neceſſaria quæſtio, uſque adeò tamen nihil permitteretur, ut citra tetræ hæreſeos mox crimen, vix uni diſſidere ab altero liceat, imò vix ignorare cuiquam aliquid, quod alius percepiſſe ſe ſupercilioſe venditaret: unde videbat futurum, ut poſt λεπτομερεστάτας & rigidas pro more in omni propemodum ſcibili Academiarum determinationes, ſi ſicut ſolet, in Eccleſias eæ extruderentur, iisque iis urgerentur præciſius; Eccleſiæ inde poſtmodum aut mirificè dirimendæ eſſent, aut crudelis conſcientiarum laniena introducenda, interpretatione Scripturarum hoc modo ad placita hominum, tanquam ad Matris Eccleſiæ ſententiam vincta, adſtrictaque: cum tamen aſſidua noſtra, adverſariorumque noſtrorum cura, deprehendantur ab utraque parte nos oculatiores multis paſſim in rebus lapſu temporis reddere, proque hac larva Eccleſiis Pontificiis detrahenda, tantum ſcriptitatum à nobis hactenus deſudatumque ſit. Alterum quod in Eccleſiis Reformatis noſtris deplorabat, hoc erat, quod in doctrina de Prædeſtinatione à pleriſque doctoribus, ſimulque Paſtoribus non pauca calide inculcarentur & urgerentur, quæ religioni propagandæ admodum contraria eſſent, à vero Scripturæ ſenſu multum exorbitarent, uberrimaque aut ſecuritatis aut veræ deſperationi ingenerandæ argumenta ſuppeditarent: atque hoc modo ad religionem potius ſtirpitus exſtirpandam quaſi ex compoſito magna cura, introducta eſſe viderentur. Horſum enim paulatim hæc evaſura, quæ jam ferè pro indubitata veritate, proque Sacro-ſancta Eccleſiæ ſententia recipienda obtruduntur: Deum abſolutiſſimo & immutabili decreto ab omni retro æternitate pro puro ſuo beneplacito ſingulares quoſdam homines, eoſque quoad cæteros pauciſſimos, citra obedientiæ ullius aut fidei in Chriſtum intuitum prædeſtinaſſe ad vitam: reliqua hominum parte multo maxima ad æternam & ineluctabilem miſeriam ſimili decreto prædeſtinata, citra ullius propriæ inobedientiæ aut infidelitatis intuitum. Ieſum Chriſtum proinde pro omnibus hominibus mortuum non eſſe, ut pro illis reconciliationem apud Deum impetraverit; ſed tantummodo pro his ſolis, quos Deus tali abſoluto decreto ad vitam ante ſeparaverit. Hoſce etiam ſolos & non alios Deum ad ſe

trahere, idque vi quadam irreſiſtibili, cui obſiſtere aut inobedientes eſſe plane nullo modo poſſint: cæterum verbo reconciliationis vocari quidem ad Chriſtum communiter omnes, ſed reprobos non veniendo, cum tamen venire non poſſint propter negatum ipſis gratiæ ſufficientis & neceſſariæ auxilium vigore præcedentis hujus decreti, hoc ipſo nihilominus etiamnum adhuc damnationem ſuam obſignare & aggravare amplius. Electos hoſce fide & converſione donatos, neque totaliter neque finaliter à fide ſua excidere aut Chriſto ſubducere ſe poſſe; ſed quidquid eandem etiam atrociſſimè peccant, id omne infirmitatis & imbecillitatis eſſe: unumquemque proinde noſtrum invariabilem vitæ atque mortis æternæ προτυχὴν una cum ipſo ortu in lucem hanc nobiſcum adferre, atque adeo ad hoc naſci, hancque diverſitatem aliquo modo ad univerſi perfectionem facere: idque adeo verum eſſe ut, quod infantes attinet ipſorum etiam fœderatorum & quidem vel gemellos, fœderi etiam ipſos ſacramento baptiſmi initiatos; fieri tamen poſſit ut horum in infantia ſua morientium (utut bene de illis ſperari ſemper poſſit) nihilominus cum ſecundum veritatem de illis judicium faciendum eſt, alij hinc ad vitam alij ad mortem æternam migrent, prout Deo ab æterno viſum fuerit in hanc aut illam partem ſtatuere aliquid de illis. Ex quibus hoc modo poſitis facile periculoſiſſimæ opiniones imbibuntur ſecuritati aut deſperationi viam munientes.

Hæc cum hoc modo omnia ſollicite ad animum ſuum multoties revocaret Parens noſter, tamen multum anxius quomodo quæ jam infeliciter multorum animis inſtillarentur, avideque imbibita multos ab omni Religionis cura, non paucos ab Eccleſiarum noſtrarum amplexu abarcerent, intra Eccleſiam vero etiam non paucos prædeſtinationis quadam cæca opinione ſoporatos, ad confidentiam non ſecundum ſpiritum abriperent: multum anxius, inquimus, quomodo quæ hujus generis non pauca eſſent, ſine turbis & ſtrepitu ſalvo eorum honore, quorum exſtimationem non labefactari intererat, reſtitui in melius poſſent; quæ meditatus in hanc partem erat, ea licet accuratè æſtimata à ſe dijudicataque, tamen adhuc utcunque longum tempus continere apud ſe ſtatuit. Feſtinandum ſc. non ratus, ut ut jam diligentiam quam æquum erat, juſtum vero quin etiam tempus ſuis cogitatis penſitandis adhibuiſſet; memor illius quod apud Dionem extat, ſemel poſita haud facile immutanda eſſe, ſæpeque in ſuo ſtatu etſi deteriora, utiliora eſſe Reipub. iis, quæ utut meliora, per immutationem inducuntur. Interea vero temporis cum ſumma hinc utilitas, & extrema atque ineluctabilis illinc cum veritate neceſſitas, ſæpius autem

illius

illius vellicarent, deq; ſuo illum officio commonefacerent, certus jam tempus ſolummodo opperiri opportunius, nihil interea temporis rectius facere ſe poſſe perſuaſum ſibi habuit, eque re ſua publicaque eſſe duxit, quam ſi vetera ſua cogitata, iterum iterumq; quaſi de novo ad incudem aliquoties revocatum ires, ſententiæ ſuæ ſoliditatem atque βεβαιότητα omni ratione atq; via pertentaret magis, nihilq; omitteret omnium quæ in hoc caſu ſapientes facto opus eſſe judicant. Hanc ad rem cum plurimum momenti haberet, ſi de ſententia ſua majoris in omnes partes certitudinis ergo cum maximæ quibuſque auctoritatis & doctrinæ viris, privatim viva voce aut etiam ſcripto per literas conferret, id facere apud ſe ratum habuit, nihil addubitans quin ſi ſuam ſententiam his probaviſſet non difficulter etiam cæteris probaturus eam eſſet, qui ab illis fere penderent omnes, atque ad illos aliquando appellaturi judicabantur. Vt res cunq; caderet, id tamen hinc conſecuturum prævidebat, ut minus difficulter ſuffragia multorum promereretur, ſi perciperetur nihil crudum, quod dicitur, propuliſſe unquam in forum, nullius judicium aut examen reformidaviſſe, nihil per cuniculos ſub ſcuto imperitiæ tentaviſſe, nihilq; ſibi penitus abblanditus fuiſſe; ſed ſponte atque ultro doctiſſimi cuiuſque tribunal interpellaviſſe, mutaturus ſicubi hallucinatum ſe deprehendiſſet, utpote admodum in eo facilis. Si exploratis omnibus in ſua ſibi ſententiæ veritate magis etiamnum atque magis confirmaretur, quod ex quaque propemodum collatione ei ſemper accidit: tum demum cogitare ſe velle dicebat, quomodo omnia legitimè, ſub præſidio publicæ auctoritatis ad venerabile Senatus Theologici judicium referri poſſent, atque expenſa probataque, quod utinam ſucceſſiſſet, de ſententia deinde ſupremi Magiſtratus noſtri, poſt pleniſſimam cauſæ cognitionem, rectè atque ordine ſanciri, vigorem quaſi legis adeptura. Hæc cauſa fuit cur non modo ad collationem amicam, Miniſtrorum in hac patria noſtra Coryphæos quoſque privatim ſollicitaverit de ſententia quin etiam ſua ſtudioſè cum doctiſſimo Theol. D. Franc. Iunio homine εἰρηνικοτάτῳ contulerit, cuius aliquoties modeſtiam expertus fuerat & quem etiam ſæpe in multis adſtipulantem ſibi nactus fuerat, ut proinde multoties incredibili animi affectu longius ei vitæ tempus contingere potuiſſe optaverit: ſed vero etiam ad exterarum Academiarum Theologos, interq; eos ad Reverendum raræ eruditionis virum D. Perkinſium, celeberrimum quondā in alma Academia Cantabrigienſi Theologum per litteras ſe converterit, utpote qui inter noſtri temporis Theologos, controverſam multum diuq; de Prædeſtinatione doctrinam poſt alios poſtremus ipſe diligentiſſime excuſſiſſe obſervaretur. Atq; ad hanc rem ipſi ſerviturus erat præſens hic tractatus, quem

etiam ad doctiſſ. D. Perkinſium miſſurus fuiſſet, niſi, quo ipſo propemodum temporis articulo, extremam ei manum jam jam impoſiturus erat, D. Perkinſius, vita hac defunctus, eamque cum beatâ alterâ commutaviſſe nuntiaretur: à quo deinceps tempore eum apud ſe ſuoſque amicos Parens noſter continuit. poſtmodum vero ita jubentibus Patribus patriæ noſtræ, totam ſuam de Prædeſtinatione ſententiam in frequentiſſimo Illuſtriſſimorum Dd. Ordd. noſtrorum conventu copioſiſſimè explicuit, receptamque vulgo apud Dd. quoſdam ſententiam confutavit, abſurditate illius viginti ordine tanquam in acie poſitis exquiſitiſſimis argumentis oſtenſa. Quum vero decuiſſet coram ſolis Illuſtriſſ. Dd. Ordd. inter Theologos diſceptata hæc agitataque fuiſſe, tamen dicere vix poſſumus qua calamitate acciderit, ut ſicuti flamma ſuffulta flabello, ſeſe quaqua verſum didere ſolet; ita etiam tota controverſiæ hujus moles longè lateque ad omnes uſque quaq; patriæ noſtræ ſubditos præter Dd. Ordd. expectationem quam latiſſime ſeſe diffuderit. Atque cum non multo poſt etiam cariſſimus noſter Parens, maximo noſtro & bonorum plurimorum mœrore placidiſſime ad cælites concederet, hunc quem nunc V. V. A. A. damus tractatum, addita propter argumenti convenientiam Analyſi Capitis noni Epiſtolæ ad Romanos (quam utinam expolire adhuc potuiſſet amplius) inter ſchedas atque adverſaria eius latere deprehendimus; ſuppreſſiſſemus vero illum etiamnum adhuc diutius, niſi hoc tempore ad explicationem doctrinæ de Prædeſtinatione quam jam nemo non etiam proletarius quiſque de media turba maxime ventilat, imo in qua proram & puppim religionis fere totius collocant (quæ etiam res nos aliquando impulit, ut declarationem illam, qua Parens noſter ſuam de Prædeſtinatione ſententiam coram Illuſt. Dd. Ordd. explicuerat, publice in lucem edendam curaverimus) niſi inquam ad exactiorem totius huius familiariſſimæ jam nobis cauſæ explicationem amici judicaſſent plurimum momenti placidum hoc examen habiturum, ut proinde religioni duxerimus refragari ipſis aut hunc fœtum invidere publico. Quin imò verò etiam ſi exiſtimationem Parentis noſtri pluris facere quam utilitatam publicam voluiſſemus, etiam hac de cauſa hoc opus, utpote propter obitum D. Perkinſii imperfectum, etiamnum adhuc apud nos continuiſſemus. Revera enim tale non eſt, ut multis videtur, quod ingenio & acumini auctoris ſui ſatis reſpondeat: verumenimvero periclitari potius in Parentis noſtri pié defuncti exiſtimatione aliquantulum voluimus, quam grata ut ſperamus poſteritatis etiam cum diſpendio aliquo noſtro videri non habuiſſe rationem aliquam. Offenſum vero quenquam iri libelli huius publicatione multo putamus minus: nihil enim quidquam in quenquam

hic di-

hic dicitur invidioſius ; res ſimpliciter cum re , cauſa cum cauſa , argumenta cum argumentis placide & fraterne conferuntur. Hac amica inter ſe συζητικοὶ viri docti cum carere coguntur, quid erit in quo unquam proficiemus ? ac vero quid erit in quo non retrogrediemur potius pedetentim plurimum ? poſt placidas vero huiuſmodi collationes, ſi ubi convenire in omnibus non dabitur, diſſentire uni ab altero ſalva religionis pace nunquam licebit ; in quas tandem diſtractiones & conſcientiarum carnificinas non incidemus ? quotidie ſc. jam à ſimplicitate ſcripturæ retro ſilientibus nobis longius, ac quidem nonnullis nunc inter noſtros contendentibus, qui tamen unitatem propterea abrumpendam non putant : Deum prædeſtinando nequaquam circa peccatores verſatum eſſe : perſonas in Deo modos tantummodo exiſtendi eſſe ſive τρόπους ὑπάρξεως. Eſſentiam in S.S. hac perſonarum trinitate, cum propriiſſime loquendum eſt, dicendam communem eſſe, improprie autem dici, communicari: in rationem ſatisfactionis qua Chriſtus patri ſuo ſatisfecit, venire non juſtitiam illius activam ſed paſſivam ſolum : item, quod pœnitentia ſive reſipiſcentia remiſſionem peccatorum non antecedant ſed eam ſequantur ſemper ; aliaque his ſimilia : hac caſu ſi nos ab invicem dirimi neceſſe erit , in quot omnino ſectas diſtrahemur, imo quoties non ex una ſecta tranſcurrere in alteram opus habebimus ?

Sin verò æquum eſt viris doctis, aliquid hic inter ſe concedi, quia univerſalis & uniformis conſenſus in omnibus obtineri non poteſt, inquiratur tandem aliquando ad minuendas lites , & ad præveniendum exorituras facile alias, potius quam poſtmodum: quouſque hæc æquiſſima libertas progredi & ubi ſe ſiſtere tandem debeat, idque ne ſcindamur ab invicem ubi minime oportet : ſed vero etiam ne quidquid tandem libet, promiſcuè in dubium vocemus , aliquid vero etiam inter Academiæ ſepta coercendum putemus : meminerimus autem ante omnia eſſe aliquid quod piè ignorare velle debemus, ad id uſque tempus, cum craſſa omni noſtra ignorantia liberati , Deum videbimus ſicuti eſt. Interea vero pacem queſo ſectemur, eodem animo mutuò inter nos affecti , non alta ſentientes , ſed humilibus obſecundantes, non prudentes apud noſmet ipſos. Regnum Dei in ſubtili altercatione poſitum non eſt, & veritas, quam habemus, altercando facile aut amittitur aut obſcuratur ; Simplicitas doctrinæ multa eorum quæ quotidie objici ſolent, elidit, quæ non elidit, doctrinæ ſubtilitas. Multa per Dei gratiam fixa certa, atque ὁμολογούμενα habemus , hæc in ſanguinem & ſuccum convertamus , ne ingratitudine noſtra Deum contra nos concitemus, omniſcientiam propemodum quandam ante tempus ſectando : obedientiam maxime mandatorum Chriſti meditemur , ad

quibuſdam ſententia, ſeſe inter ſe ferant nihilominus, pacemque & concordiam inter ſe mutuo colant; Paſtores vero de iiſdem ipſis id genus capitibus & privatim & publice id libere doceant, quod quiſque eorum cenſuerint verbo Dei maxime conſentaneum & ad pietatem promovendam maxime efficax eſſe: hac tantum addita cautione, ut ſine acerbitate id fiat, pacifice quiſque erga Collegas ſuos ſe gerant, nemoque aut ſermonibus factioſis aut concionibus tribunitiis ſive directè ſive indirectè plebem concitare præſumant, ſed ad ædificationem & pietatis promotionem omnia ſollicite referant.

Quod veſtrum inſtitutum, licet à multis jam, vel non ſatis de æquitate & juſtitia rei edoctis, vel partium ſtudio in contrarium raptis, indignis modis ſugilletur atque traducatur: tamen olim, ubi animorum hic fervor reſederit, idq; quod rectum eſt diſcuſſis præjudiciorum nebulis penitus perſpectum fuerit, commendatum inſigniter à poſteritate laudibuſque evectum iri, per Dei gratiam, certo confidimus. Quod autem idem ſemper animus ſenſuſque Parentis noſtri fuerit quod hoc ipſum perpetuis votis, gemitu, jejuniis & lachrymis à benigno Deo flagitaverit, quodq; huc etiam omnes ſuos labores, ſtudia atque vigilias unice direxerit, norunt omnes quotquot eo familiariter uſi fuere, etiamque præſens hic libellus ad eundem ſcopum collineans abundè id teſtabitur ſatis.

Accipite igitur Ampliſſ. Viri benignis animis propenſoque favore fætum hunc poſthumum concivis olim veſtri, V.V. A.A. à nobis earum pupillis obſequioſa reverentia dedicatum conſecratumque: accipite libellum continentem collationem placidam de prædeſtinatione divina uſque quæ inde neceſſario dependent: in quo ſententia ea defenditur, quam Parens noſter & Scripturis conſentaneam, & pietati ſecundum Deum promovendæ maxime accommodatam cenſuit. Cujus ut argumentum, ſic & dedicationem ſi vobis gratam fuiſſe intellexerimus, abunde deſiderio noſtro ſatisfactum fuerit. Quod ſuper eſt:

Ampliſſ. Viri, Domini honorandi, nos D. Jeſum Chriſtum Regem Regum ſuppliciter rogamus, ut V. V. A. A. ſpiritu conſilii, prudentiæ, & fortitudinis perpetuo adſit, vobiſque & toti Reipubl. veſtræ largiſſime è cælis benedicat. Amen.

Veſtris A.A. addictiſſimi

D. IACOBI ARMINII *Veteraquinatis Liberi orphani novem.*

IACOBI ARMINII EXAMEN *Libelli* PERKINSIANI *de Prædeſtinationis ordine & modo.*

QVum hiſce diebus. Vir reverende & frater in Chriſto dilecte, bibliothecam quandam libris recens editis abundè refertam avidis oculis obirem, obtulit ſe mihi libellus cum hoc titulo: *De Prædeſtinationis modo & ordine, & de amplitudine gratiæ divinæ Chriſtiana & perſpicua diſceptatio*; quem cum tuum nomen præferre viderem, quod mihi jam antea per alios libros editos de meliore nota cognitum erat, comparandum mihi & diligenter perlegendum exiſtimavi; ut experirer, an tu, qui accuratioris doctrinæ es ſtudioſus, iſto labore mihi ſcrupulos, qui diu animum meum inquietarant, eximere poſſes. Legi itaque & relegi, oculo, quantum potui, irretorto, & animo candido, quem tu deſideras. At inter legendum animadverti non omnem mihi ſcrupulum eximi poſſe iſto ſcripto; quin & animadvertere mihi viſus ſum nonnulla tibi ſcripta, quæ ad veritatis normam examinari merentur. Quare non abs re putavi fore, ſi placidam tecum ſuper iſto tuo libello collationem inſtituerem. Quod eo facio libentius & confidentius, quia tu libelli tui pagina ſecunda ad id audendum mihi animum addis, quum iſthac fine hæc ſcripſiſſe teſtaris, ut à Theologiæ ſtudioſis (inter quos & ego nomen lubens profiteor meum, niſi illa nolente hoc ſit) ſine præjudicio & abſque animi acerbitate legerentur, expenderentur, & ex verbo Dei puro dijudicarentur. Hoc autem ego me facturum ſpondeo & recipio pro virili mea: abs te viciſſim reſtipulans, ut hæc quoque mea eadem mente legas, expendas, & ad Scripturæ unius normam examines dijudiceſque. Det Deus ut unum ſentiamus omnes in ijs quæ ad gloriam ipſius & Eccleſiæ ſalutem ſunt neceſſaria: in reliquis, ſi ſententijs nequeamus, ut animis ſaltem in unum conveniamus, & unitatem Spiritus per vinculum pacis ſervemus.

Hoc itaque voto inſtitutæ noſtræ collationi decenter præmiſſo, rem ipſam aggrediar, inſiſtens veſtigijs, quæ tu mihi tua ſcriptione præiviſti. Ab Epiſtola ad lectorem exordiar, inde ad libellum ipſum progrediar cum bono Deo.

a Præſtruis in epiſtola duo fundamenta quibus ſuperſtrui poſſit & debeat hæc de prædeſtinatione & gratia Dei doctrina. *Vnum eſt Verbum* *Examen Epiſtolæ ad Lectorem.*

bum

bum Dei ſcriptum, alterum *Communes notiones & axiomata principalia, quæ Deus mentibus hominum inſevit.* Hic nihil repugno, modo hoc addatur, ubi de iſtis convenire non poteſt ob tenebras menti noſtræ ſuperfuſas, & judicij humani (quod rejicis) in becillitatem diverſitatemque, ad primum illud, & *πάντων ἀναπίξιον ἄλλων*, definitivi & peremptorij ſuffragij cauſa recurrendum eſſe.

Ad primam notionem. Prima notio eſt veriſſima. Sed adhibeatur cautio; ne quid humano judicio abſonum, Deo tribuatur, & iſto prætextu ut juſtum defendatur, quia humano judicio corrupto injuſtum judicetur; niſi certo argumento conſtet hoc Deo convenienter tribui poſſe. Non enim ſufficit ad actionem aliquam aut opus Deo tribuendum, dicere Deum id juſtè feciſſe; licet ex hoc antecedente, Deus id fecit, conſequens hoc, ergo juſte, neceſſario ſequatur.

Ad ſecundam. 2. Ita eſt. Eſt enim cauſa prima & cauſarum cauſa. Sed non continuò pendet à cauſis ſecundis, qui occaſionem alicujus decreti faciendi, & ordinis cujuſdam in rebus ſtatuendi ex præviſo creaturarum rationalium libero actu ſumit; quod decretum non feciſſet, & quem ordinem non ſtatuiſſet, ſi cauſæ ſecundæ liberæ ſecus & non ita acturæ fuiſſent. Dicit Apoſtolus, totam creaturam vanitati ſubjectam eſſe propter illum qui ſubjecit illam; cui vanitati obnoxia facta non fuiſſet, ſi ille, cujus cauſa à Deo creata eſt, in ſoliditate ſua primæva perſtitiſſet. Decretum de Chriſto mittendo in mundum nititur præviſione lapſus: eſt enim agnus tollens peccatum mundi. Factus eſt pauliſper Angelis inferior propter mortis perpeſſionem; factus eſt particeps carnis & ſanguinis, ut per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habebat, id eſt, Diabolum: Eſt conſtitutus Pontifex pro hominibus, aſſumptus ut donaria & victimas offerret pro peccatis. Atque iſto pacto in univerſum ſe habent decreta Dei quibus punire creaturas ſuas ſtatuit, juxta dicta Geneſ. 18. *Abſit à te ut perdas juſtum cum impio, an Iudex univerſæ terræ non faciet judicium?* Exod. 32. *Qui peccavit mihi, illum delebo è libro meo.* 1. Sam. 2. *Dicendo dixeram, quod domus tua & domus patris tui, ambularent coram me uſque in ſeculum; nunc autem dicit Iehova: Abſit à me, quia honorantes me honorabo, contemnentes autem me contemnentur.* Tantum autem abeſt, ut propterea pœnarum irrogatio pendeat a cauſis ſecundis, ut ſi qua ratione aut vi evadere illas poſſent nihil non eſſent molituræ. Velim etiam *Ordinandi* verbum proprio ſenſu uſurpari, à quo diſcedere mihi videntur, qui hoc interpretantur pro decernere, ut aliquid fiat. Eſt enim ordinem in factis ſtatuere, non ordinare facienda ut fiant; licet & iſto ſenſu nonnunquam à patribus uſurpetur. At tum Deus ordinator malorum ab iiſdem eſſe negatur. Sic dicit Auguſtinus, Deum non crimen ſed criminum pœnas ordinare noviſſe.

Iohan. 1. Heb. 2. Heb. 5. Geneſ. 18. Exod. 32. 1. Sam. 2.

Ad tertiam. 3. Sapientis eſt nihil agere fruſtra. Fruſtra a. agit qui non agit alicujus finis gratia. Deus autem ſapientiſſimus. At vide mihi, ne illud *otioſe ſpectare* latius extendas, aut ſecus interpreteris, quam par ſit. Realiter diſtinguuntur agere & permittere. Qui permittit certi finis gratia non otioſe ſpectat. Unde claret quod non eadem ſint, agere aut facere, & non otioſe ſpectare. Quod etiam certi

finis cauſa moneo. At phraſin, qua uteris, vide an proba ſit. *Prudentia* vox exilior videtur eſſe, quam ut apta ſit tantæ ſapientiæ. Neque dicitur quis agere *adhibito certo fine*, ſed finis gratia. Ambiguum eſt, neque ſatis plenum, *Deus non vult aut non decernit quod non poteſt*. Ambiguum, quia intelligi poteſt, quod non poteſt velle aut decernere, aut, quod non poteſt facere. Minus plenum, quia addendum non vult neq; decernit facere vel permittere, quod non poteſt facere vel permittere. Vnde & concluſio imperfecta, & *proinde ſic facere decrevit*, adde, vel permittere.

Ad quartam 4. Decretum Dei duplex eſt. Efficacis actionis & permiſſionis. Vtrunque eſt immutabile. Citra horum alterutrum, & ſine certa fixaque huius vel illius decreti determinatione nec mutare ſe poteſt creatura actu ſuo, quamtumvis libera, neque mutationem aliquam aliunde recipere. At non ſimpliciter neceſſe eſt, ut Deus hoſce & non alios mutationis terminos præfigat, quaſi creatura (Deo ſi fieri poſſet, mutationem non curante) eouſque aut mutare ſeipſam, aut aliunde mutari poſſet, ut Deus illam redigere in ordinem, & gloriæ illuſtrandæ occaſionem habere non queat. Cui enim nihilum ipſum gloriæ ipſius declarandæ materia eſſe debuit: illi mutatio quævis rei ex nihilo ab ipſo productæ eidem fini inſervire debet.

Ad quintam. 5. *Iudicia Dei* omnia, qualiacunque ſint, ſive occulta, ſive ex parte nobis cognita, *honoranda ſunt*, & laude juſtitiæ condecoranda, conſtet modo Dei judicia eſſe. Sed iſto prætextu nulla judicia Deo ſunt tribuenda quæ Scriptura ipſi non adſignat: multo minus quæ juſtitiæ Dei Scripturis patefactæ ſunt contraria. Ad Auguſtini dictum. Quo homo Deo eſt ſimilior, eo magis illum movet damnatio pereuntium hominum; movet etiam ipſum Salvatorem noſtrum, & lachrymas illi non ſemel expreſſit. Movet etiam Deum ipſum; *Quid enim* inquit *faciam vinea mea*. Eſa. 5. *Vtinam Populus meus obtemperaſſet mihi.* Pſal. 81. *Nolo mortem peccatoris.* Ezech. 18. At ita movet Deum, ut tamen delectetur interitu hoſtium ſuorum refractariorum & pænitere neſcientium. Id enim poſtulat juſtitia ipſius. *Eſa. 1. 24.* Movet inquam quod ſalvari nolint, non movet, quod cum nolint, ipſos juſto exitio devoveat. Ita movet Chriſtum Salvatorem, ut tamen volens ſit incredulos amandaturus maleficoſque, eoſque igni æterno adjudicaturus. Hoc enim exigit judicis officium. Ita movet pium hominem ut non contradicat Deo aliter ſtatuenti, & juſtitiæ ſuæ judicia in præfractos exercenti. Hoc requirit obedientia quam creatori & redemptori ſuo debet creatura. At de objectione iſta liceat mihi bona Auguſtini venia dicere, quod non ſit humanæ naturæ infirmæ & debilis, ſed refractarii Iudæorum & ſimilium cum quibus Apoſtolo negotium, ingenii. Verum quidem eſt nos ad Deum collatos locuſtarum inſtar eſſe, imo & nihilum reputari præ ipſo. Eſa. 40. Sed in iſtis humanæ parvitatis exaggerationibus videndum eſt, ne Dei creationi injuriam faciamus. Eſt enim homo ad imaginem Dei conditus, atque ita etiam ipſi Deo Homo & non pecus. nobiliſſima creatura, cum qua ipſius Dei ſapientia delo-

delectationes ſuas eſſe dicit. Proverb. 8.

Ad ſextum. 6. Concurſus Dei cum ſecundis cauſis ad aliquam actionem ſeu opus producendum eſt duplex, generalis & ſpecialis auxilii gratiæ. Sine hoc ſpeciali auxilio gratiæ nihil boni poſſe ab ulla creatura rationali fieri eſt certiſſimum. Sed an hoc auxilium gratiæ ſit voluntatis divinæ volentis illud abſolute communicare, & per illud communicatum abſolute bonum operari, eſt in controverſia poſitum Theologis. Nec immeritò, cum vox iſta abſolute in Scripturis non inveniatur, & necdum probatum ſit, eius æquipollentem in Scripturis reperiri.

Ad ſeptimum. 7. Sic quoque, *nihil mali caveri poſſe niſi Deo impediente*, certum eſt. Sed de modo impediendi diſputatur: an ille ſit ex omnipotente Dei actione in voluntatem hominis agente ſecundum modum naturæ, unde impeditionis exiſtit neceſſitas: an vero ex tali actione quæ agat in voluntatem ſecundum modum voluntatis, qua libera eſt, unde impeditionis infallibilitas exiſtit.

Ad octavum. 8. Ex eventu concludi nequit, *Deum aliquid voluiſſe*: ſed vel hoc, vel impedire eventum, quem prævidebat eventurum, noluiſſe. Secus tollitur diſcrimen quod eſt inter actionem & permiſſionem Dei. Aliqua enim eveniunt, quia Deus illa faciat, aliqua vero quia fieri ſinat, ſecundum Auguſtinum & rei ipſius veritatem. Non autem eadem ſunt, velle ut eveniat aliquid, & nolle id impedire quo minus eveniat. Illo enim pacto reſolvitur eventus in primam & præcipuam ſuam cauſam Dei voluntatem; hoc pacto, in cauſam ſecundam affirmative, & negative in voluntatem divinam, utpote quæ non prohibuerit: quæ prohibitio etiam fit vel per potentiam ſecundum modum naturæ, vel per ſuaſionem ſecundum modum voluntatis liberæ Sed de permiſſione & prohibitione poſtea ſuo loco latius.

9. Verum hoc: poſſe, velle, agere bonum, ſunt dona & effecta Dei in hominibus. Sed addendum eſt, Deum nulli dare potentiam bene operandi, quin & paratus ſit dare velle inſuper & facere, id eſt ulteriore auxilio gratiæ concurrere cum homine ad volendum & actu faciendum illud bonum, ad quod vires ſufficientes accepit, niſi obicem ex parte ſua ponat homo, vel poſuerit, ut loquuntur Scholaſtici. Habenti enim dabitur, & non habenti etiam quod habet auferetur. Secus fruſtra data fuerit potentia. At Sapiens Deus nihil fruſtra facit. Sic Adamo dedit facultatem præſtandi legem quam poſuerat, & paratus fuit dare quæ prętor facultatem ad actualem obedientiam requirebantur, nempe, velle & facere, niſi Adam ſe ultro & voluntario motu à Deo eiuſque gratia avertiſſet. Video hic labyrinthum quem jam non ingrediar, quia egredi non liceret niſi filo & ductu accuratæ explicationis, de modo concurſus Dei cum homine ad bonum aliquod opus præſtandum: quæ non eſt huius loci, neque, ut verum fatear, mearum virium. *Ad nonum.*

10. Deum toti mundo & rebus omnibus à ſe creatis præſidere, omniaq; & ſingula adminiſtrare & gubernare certum eſt: Sed non tantum in juſtitia, verum etiam in miſericordia; quatenus ipſe pro infinita ſua ſapientia novit quis locus utrique adſignari debeat. *Ad decimum.*

Atvero, mi Perkinſe, anne tibi omnia illa axiomata naturales & communes notiones eſſe videntur? ſors naturæ ut à creatore fuit inſtituta; non illius certè, quæ per peccatum eſt obtenebrata. Paucis enim inter homines illa noſſe & intelligere datum eſt. Tota cohors Pelagianorum & Semipelagianorum in ipſa Eccleſia iſta ignoravit. Quæ multorum Philoſophorum Græcorum & Latinorum fuerit de pleriſque iſtis mens & ſententia, apparet ex dicto non uni ex illis uſurpato: *Quod ſumus, à Diis datum nobis, quod boni ſumus à nobis ipſis habere.* Cui notoriæ falſitati Auguſtinus non uno loco ſe acriter opponit.

Hiſce principiis ex parte ſuperſtruis doctrinam de Prędeſtinatione, quæ ſanè perdifficilis eſt: propterea quod homines ad Scripturam addere non verentur quæ ipſis viſum eſt, & ſuis conceptibus, quos naturales notiones appellant, quamplurimum tribuere conſueverunt. Ego non poſſum non laudare tuum inſtitutum. Omnino enim veritati lux inferenda ab omnibus pro virili; calumniæ & criminationes, quibus petita & oppugnata eſt veritas, diluendæ; animi in illam exacerbati non mitigandi modo & molliendi, ſed & in gratiam cum illa reducendi. Neque vitio tibi verti poteſt, quod antiquorum, Theologorum ſententias adducis, præſertim iſta, quam ponis, cautione obſervata; ſecus ſanè in longum imus. Nam & ipſi Patres diverſis interpretationibus obnoxii ſunt, & quidem tanto magis quam Scriptores divini & θεόπνευστοι, quanto minore minuſque perſpicua veritatis cognitione præditi fuerunt, & minus accurate & commode ſenſa mentis ſuæ enuntiare potuerunt. Quod dum cogito, neſcio an conſuluerint Eccleſiæ, qui hoc ſeculo Patrũ ſententias in negotio religionis ſibi uſurpandas auctoritatis cauſa putaverunt: Sed jacta eſt alea, progrediendum ulterius, quo volunt fata Eccleſiæ præſentia. Cæterum quod antiquorum Doctorum & Scholaſticorum teſtimonia, conſenſus in iſta doctrinæ parte demonſtrandi gratia, adferre te ais, quale hoc ſit non video. Omnino enim mihi perſuadeo, nihil aptius ad totam iſtam de Prædeſtinatione & gratia Dei doctrinam confundendam & tenebris obruendam excogitari poſſe, quam ſiquis omnes Patrum & Scholaſticorum de iſta ſententias producere & inter ſe committere ſtudeat. Velim autem, ne continuo iniquum illum pronunties vel æſtimatorem vel judicem, qui quæ hoc libello tradis dogmata, neque in Scripturis neque in Patribus exſtare, adſeverare audet. Id enim ſi poſt rationes ab iſto æſtimatore, arbitro, vel judice allatas probaveris, invenies non iniquo & præfracto animo reluctantem, ſed veritati monſtratæ æquanimiter ut decet, cedere paratum. Neque mihi facile perſuaſeris, dogmata quæ hic pertractas, iſto eodem modo & ſenſu in Eccleſiis reformatis omnibus proponi & tradi, ne putes te contra ſentientem præjudicio iſtarum Eccleſiarum gravare poſſe.

Ordo

Titulus Libelli.

Ordo Prædeſtinationis in mente divina, quatenus idem potuit è Verbo colligi ab auctore.

Examen ejuſdem

VEnio nunc ad libellum ipſum, quem paulo curioſius & diligentius examinabo. Non ægre feres, ſi alicubi, veluti naſutulus, minutiora etiam quædam lineæ ſubjiciam. Qui enim non liceat ſeriam & ſolidam diverſitate collationem amica & jucunda de accuratiore tractatu concertatione velut condire?

Definitio Prædeſtin. examinatur.

A definitione Prædeſtinationis incipis, & recte: Sed iſta non videtur accommodata Prædeſtinationi, quæ nobis in Scriptura explicatur. Prædeſtinatio enim, de qua in Scripturis agitur, eſt hominum, qua ſunt peccatores, eſt in Chriſto facta, eſt ad benedictiones, non hanc quidem animalem vitam concernentes ſed ſpiritualem; verum quarum pars in hac etiam animali vita communicatur, ut apertiſſime patet ex Epheſior. 1. ubi ſub benedictionibus ſpiritualibus, ad quas in Chriſto prædeſtinati ſumus, numerantur adoptio in filios v. 5. redemptio per ſanguinem Chriſti & remiſſio peccatorum. v. 7. patefactio myſterii voluntatis divinæ. v. 9. quæ bona prædeſtinatis in hac vita tribuuntur. Pulchre inquit Apoſtolus Gal. 2. ſe *vitam quam hic vivit in carne, vivere in fide filii Dei*; ſignificans ſe in hac vita animali donorum ſpiritualium participem, exque iis vitam ſpiritualem vivere. At forte non voluiſti accurate definire, ſed tantum deſcriptione aliqua notionem prædeſtinationis nobis delineare. Quod ut concedam, videntur tamen in ipſa deſcriptione multa eſſe animadvertenda. Vox enim *conſilii*, qua genus Prædeſtinationis explicare voluiſti, non genus Prædeſtinationis eſt, ſed ad cauſam pertinet illius efficientem; per conſilium enim decretum ſtatuitur, quod decretum Prędeſtinationis genus commode ſtatui poteſt. (Si tamen Deo conſilium tribui poſſit, quo aliquid decernat, quod Scriptura facit, Act. 4. 28. & Epheſ. 1. v. 11.) Apparet quod dico, ex citatis locis. In illo enim Actor. 4. conſilium dicitur præfinire ſeu prædeſtinare facienda; in hoc Epheſ. 1. *Deus* dicitur *efficere omnia*, etiam prædeſtinationem inſtituere, *ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*

Æqualitas in hac vita eſt piorum & impiorum, quod ad externa bona, ſed in genere conſideratorum; ſingulorum autem, tum inter pios tum impios magna eſt differentia, & tanta quidem, ut apud eos, qui iſta inæqualitate offenduntur, defendi indigeat argumento ejuſdem ad æqualitatem olim reducendæ. Imo vero de piis & fidelibus dicitur, quod miſerrimi ſint omnium hominum, ſi in hac ſolum vita ſperent in Chriſtum. 1. Cor. 15. 19.

De ultimo fine Prædeſtinat.

Quod de ultimo Prædeſtinationis fine dicis, probo, recte intellectum, ſi nempe declaratio gloriæ Dei per miſericordiam & juſtitiam tribuatur prædeſtinationi, qua illa eſt peccatorum in Chriſto credituorum ad vitam æternam præordinatio, & contra peccatorum in peccatis perſeveraturorum ad æternam mortem prædamnatio. Crediturorum inquam, ex dono Dei gratioſo, & in peccatis perſeveraturorum ex

propria

propria malitia & juſta deſertione Dei. Si vero ita intelligas; quod Deus ab æterno, citra ullam peccati in præſcientia ipſius præexiſtentiam, ſtatuerit gloriam ſuam per miſericordiam & juſtitiam punientem illuſtrare, & quo id poſſit effectum dare, decreverit hominem bonum condere, ſed mutabilem; ordinaverit etiam ut ille laberetur, ut hac ratione iſti decreto locus eſſe poſſit: dico hanc ſententiam nullo Dei verbo, meo quidem judicio, ſtabiliri poſſe. Quod ut planius fieri poſſit, pauca de gloria Dei & modis illam manifeſtandi dicenda erunt. Quod Deus, quum ſit omnium ſuorum actuum & operum cauſa efficiens prima & ſuprema, multorum etiam ſola & unica, ſemper ſibi velut ſummum & extremum finem propoſitum habuerit perfectionis ſuæ manifeſtationem, hoc eſt, gloriam ſuam; nemini dubium eſſe poteſt. Prima enim & ſuprema cauſa nulla re, quæ extra ipſam eſt, ad efficiendum movetur, ſecus prima & ſuprema cauſa non fuerit. Quare non Prædeſtinationis modo actus, ſed quivis alius actus divinus *illuſtrationem gloriæ divinæ* habet ultimum finem. Iam vero quod manifeſtatio divinę perfectionis, & gloriæ illius illuſtratio conſiſtat in explicatione proprietatum ipſius eſſentialium, per actus & opera illis conformia, æque eſt certum & notum omnibus qui ſacras litteras vel à limine ſalutarunt: ſed quarum proprietatum explicatione omnium primo illuſtrare gloriam ſuam decreverit, quarum ſecundo, & ita deinceps, diſquiſitione indiget. Certum autem eſt primo non potuiſſe per miſericordiam & juſtitiam punientem. Illa enim nonniſi circa miſeros, hæc circa peccatores tantum exerceri poteſt. Cæterum cum omnium prima Dei actio ad extra & fuerit & debuerit eſſe, ut ſic dicam, occupata circa *Nihilum*; inde conſtat bonitatem, ſapientiam & omnipotentiam omnium primo explicandas fuiſſe, & per eaſdem gloriam Dei illuſtrandam. Hæ itaque in creatione explicatæ fuerunt, unde Deus optimus, ſapientiſſimus, & omnipotens apparuit. Quum vero Deus hoc diſcrimine omnes creaturas condiderit, ut unæ id tantum eſſent quod creatæ ſunt, aliæ perfectionis amplioris capaces eſſent; circa illas verſatur conſervatione & gubernatione, ab eadem eiuſdemque modi bonitate, ſapientia, & potentia adminiſtratis; eo quod conſervatio ſit tantum continuatio creationis, ut creatio illius principium, & gubernatio ſtatum eorum naturalem non excedat, niſi ubi Deo viſum eſt illis hominum cauſa ad fines ſupernaturales uti, quemadmodum pane & vino in cæna, ad ſignificandam & obſignandam nobis corporis & ſanguinis Chriſti communionem, uſus eſt. Circa iſtas vero quas majoris capaces perfectionis creavit, quales ſunt Angeli & homines, eædem quidem proprietates explicandæ fuerunt, ſed longe ampliore menſura. Ibi enim communicatum bonum finitum, quod ſingulæ creaturæ pro naturæ ſuæ diverſitate, proprium acceperunt, hic vero communicatio inſtituitur boni ſummi & infiniti, quod eſt Deus: in eius enim unione beatitudo creaturarum rationalium conſiſtit. Poſtulavit autem ratio, ut iſta communicatio non fieret citra juſtitiam, quare legem dedit iſtis creaturis ſuis, in cuius obe-

obedientia conditionem poſuit, ſub qua communicatio iſta fieret. Hoc ergo fuit decretum primum de ultimo fine rationalium creaturarum, & gloria Dei per ſummam (ſummam dico, quoad bonum communicandum, non ſimpliciter) bonitatem & juſtitiam illuſtranda. Per bonitatem juſtitiæ junctam in illis qui ſummi boni per ſtationem in veritate participes erant futuri: per juſtitiam punientem in illis, qui inobedientia ſua ſe iſto indignos erant facturi. Hic videmus juſtitiam retribuentem obedientiæ quod ipſius erat, ex gratioſa promiſſione Dei,& inobedientiæ quod merita erat, ex juſta comminatione Dei, locum primum habere: ibi juſtitiam bonitati junctam, hic juſtitiam punientem gratioſæ communicationi ſummi boni oppoſitam, citra ullam miſericordiæ mentionem, niſi qua illa conſideratur ut à miſeria poſſibili præſervans creaturam, quæ in miſeriam ſua culpa incidere poterat: qualiter miſericordia non conſideratur, ubi Prædeſtinationis decreto præfinitur. Illud autem decretum fuit reſpectu Angelorum peremptorium, utpote qui juxta illud partim ſalvi facti ſunt, partim condemnati: quare & in eo prædeſtinatio Angelorum & reprobatio comprætenſa fuit. Quæ autem gratia illis prædeſtinatione præparata fuerit & in quo, & hiſce reprobatione negata, jam non diſputo. Circa homines vero non fuit peremptorium, cum quibus Deus non ſtatuit juxta ſummum illum legis rigorem agere, ſed in quorum ſalutem omne ſuum bonum explicare decrevit, quod Moſi in hiſce ſuis proprietatibus monſtravit Iehovah, *Iehovah fortis, miſericors & miſerator, tardus ad iram, & multus miſericordia & veritate*, &c. Quare in illo decreto hominum Prædeſtinatio & reprobatio poſita non fuit. Quum enim Adam peccarit, & omnes ex ipſo naturali propagationis ſerie oriundi in ipſo; jam omnes ſine ulla ſpe veniæ condemnationi eſſent devoti æternæ. Prædeſtinationis enim & Reprobationis decretum eſt peremptorium. Huc uſque ergo nulla hominum vel prædeſtinatio ad vitam, vel reprobatio ad mortem locum habuit. Quumque Prædeſtinatio & reprobatio non fiant niſi juxta illas proprietates per quas homines immediate ſalvantur & damnantur; ſalventur autem prædeſtinati immediatè per miſericordiam, & damnentur reprobi immediatè per juſtitiam miſericordiæ iſti oppoſitam, ſequitur nullam fuiſſe prædeſtinationem & reprobationem fixam hominum, erga quos miſericordia & juſtitia illi oppoſita locum habere non potuerunt. Non potuere autem circa non miſeros & non peccatores. Deinde cum Prædeſtinatio includat media per quæ prædeſtinati certo & infallibiliter ad ſalutem ſint perventuri; reprobatio vero includat eorundem mediorum negationem; media autem iſta ſint remiſſio peccatorum & Sp. ſancti renovatio, eiuſque perpetua aſſiſtentia ad finem uſque, quæ nullis niſi peccatoribus ſunt neceſſaria & communicabilia: concludo prædeſtinationem & reprobationem circa homines non fuiſſe, quibus illa media nec neceſſaria nec communicabilia fuerunt. Denique cum Deus neminem peccatorem ad ſalutem amare poſſit, niſi ſit ipſi reconciliatus in Chriſto; hinc eſt quod Prędeſtinatio

locum niſi in Chriſto habere non poſſit. Quumque Chriſtus ordinatus & datus ſit peccatoribus, certum eſt Prædeſtinationem & illi oppoſitam reprobationem ante hominis peccatum, intellige à Deo prævisum, & Chriſtum ordinatum Mediatorem, quin & Mediatoris officio, quod ad reconciliationem attinet, in Dei præſcientia defunctum, locum habere non potuiſſe. Neque hinc ſequitur, Deum aut incerto fine hominem condidiſſe, aut finem quem præſtituit conſecutum non fuiſſe. Præſtituit enim ſibi, tum in creationis, tum in glorificationis & condemnationis illi oppoſitæ actu, finem gloriæ ſuæ illuſtrationem, & obtinuit illum. Per bonitatem, ſapientiam, & potentiam in creationis actu, & obtinuit. Per eaſdem, ſed majore menſura & cum juſtitia junctas in glorificatione & condemnatione, & obtinuit. Quanquam vero modus illuſtrandi gloriam per miſericordiam, quæ eſt certus bonitatis communicandæ modus, eiuſq; progreſſus in creaturam miſeram, & per juſtitiam illi miſericordiæ oppoſitam, locum habere non potuit, niſi ex occaſione peccati hominis; tamé propterea non eſt ſuſpenſum Dei decretum ex homine; prævidit enim ab æterno id quod futurum erat, & de futuro in iſtum finem ordinando libere diſpoſuit pro arbitratu ſuo, nulla neceſſitate compulſus, quaſi non & alio modo ex hominis peccato ſibi gloriam comparare poſſet. Quod vero gloria Dei non tantum ſita ſit in illuſtratione miſericordiæ & juſtitiæ illi oppoſitæ, ex eo clarer, quod tum gloriam non obtinuerit ex actu creationis, neque ex prædeſtinatione & reprobatione Angelorum. Sciendum autem miſericordiam non eſſe proprietatem Dei eſſentialem à bonitate diſtinctam, ſed in ipſa bonitate tanquam matrice ſua comprehenſam, & à bonitate exeuntem; quin ipſam bonitatem in creaturam peccatricem & miſeram ſe explicantem. Quare ſimpliciter dici poteſt; Deum in omnibus ſuis actibus ad extra decreviſſe declarare gloriam ſuam per bonitatem, ſapientiam, & omnipotentiam, addita juſtitiâ ubi hoc poſtulavit æquitas, ſapientia præſcribente: modum verò accommodaſſe ſtatui, vel potius mutationi objecti, circa quod explicare illas proprietates ſtatuerat. Qua de re pulchrè & erudite Tertullianus lib. adverſus Marcionem 2. cap. 16. *Omnia*, inquit, *neceſſe eſt adhibeat* (*Deus*) *propter omnes, tot ſenſus, quot & cauſas. Et iram propter ſceleſtos, & bilem propter ingratos, & æmulationem propter ſuperbos, & quicquid non expedit malis. Sic & miſericordiam propter errantes, & patientiam propter non reſipiſcentes, & præſtantiam propter merentes, & quicquid bonis eſt opus. Quæ omnia patitur ſuo more quo eum pati condecet, propter quem homo eadem patitur æque ſuo more.* Hæc Tertullianus. Prædeſtinatio autem non tantum facta eſt ex bonitate ſimpliciter conſiderata, cujus eſt quidem ſe ipſum communicare cum creatura, ſed etiam ex modo miſericordiæ ex illa bonitate exeuntis in miſeros, ad tollendam miſeriam, gratiæ in Chriſto ex illa exeuntis in peccatores ad peccata condonanda, patientiæ & longanimitatis ex eadem bonitate prodeuntis erga aliquandiu reluctantes, & vocationi non ſtatim parentes ad ſuſtinendam moram converſionis. Sic & reprobatio non tantum inſtituta ex ju-

ex juſtitia bonitati illi oppoſita ſimpliciter conſideratæ, ſed ex juſtitia miſericordia aliqua & patientia temperata. Deus enim multa lenitate & patientia ſuffert vaſa iræ coagmentata ad interitum, Rom. 9. verſ. 22.

Ex hiſce ita conſideratis bona tua venia concludere mihi liceat, Perkinſe doctiſſime, non ſatis probe abs te definitam ſive deſcriptam prædeſtinationem eſſe. Si cui volupe eſt ſeriem & ordinem objectorum ſcientiæ voluntatiſque divinæ conſiderare, ille magis magiſque in veritate rerum breviter à nobis propoſitarum confirmabitur.

Auguſtini locus hiſce meis eſt conſentaneus, ſi quis illius ſententiam ex aliis locis integram colligere velit. Fulgentius & Gregorius apertiſſimè mihi ſuffragantur locis abs te citatis. Si enim actus prædeſtinationis eſt præparatio remiſſionis peccatorum, aut punitionis eorundem, tum certum eſt prædeſtinationem nonniſi circa peccatores locum habere. Si etiam prædeſtinationis actus eſt præeligere nonnullos ex pravis moribus redimendos & alios in pravis moribus derelinquere, hinc quoque conſtat prædeſtinationem circa homines ut peccatores conſideratos verſari. Scholaſticorum iſta ſententia cum iiſdem optimè conſentit; apertè enim declarat prædeſtinationem præviſione lapſus niti, quum per modum miſericordiæ & juſtitiæ punientis perfectionem & bonitatem Dei prædeſtinantis repræſentari aiunt, qui modus, ut ſæpe jam dixi, tantum in peccatoribus locum habere poteſt.

Si quis verum id eſſe quidem fateatur, at dicat, Deum ipſum ſibi præparaſſe iſtam occaſionem, decernendo ut homo laberetur, & illud decretum ad finem ſeu terminum perducendo, petimus dicti iſtius demonſtrationem, quam dare meo judicio non poterit. Pugnat enim iſta ſententia cum juſtitia Dei, utpote Deum auctorem peccati faciens, & peccati inevitabilem neceſſitatem inducens. Quod probo. Poſito enim illo decreto fieri non potuit ut homo ab actu peccati abſtineret, ſecus decretum irritum factum fuiſſet, quod eſt nefas. *Conſilium* enim *Dei ſtat*. Circumſcripta itaque & determinata eſt voluntas humana ab iſto decreto, ut nonniſi in unam partem, in qua peccatum erat, ſe flectere potuerit, quo actu libertatem ſuam amiſit; propterea quod non ſecundum modum voluntatis liberæ, ſed ſecundum modum naturæ voluntas mota ſit illo actu, cui neque reſiſtere potuit actu, neq; etiam voluit, imo ne velle quidem propter iſtam determinationem potuit.

Adde quod per illam ſententiam miſericordia & juſtitia media conſtituuntur exſequentia prædeſtinationem, quum ſint ipſæ prædeſtinationis primariæ cauſæ, quod ex eo conſtat, quia prædeſtinationis extremus finis in miſericordiæ & juſtitiæ patefactionem reſolvatur.

De mediis decreto prædeſtinat. ſubſtratis.

Hinc jam mihi vide qua ratione *creationem & lapſum hominis ſtatuas commune medium conſilio ſeu* potius decreto *prædeſtinat. ſubſtratum*. Ego ſane & creationem & lapſum præcedere puto omnem prædeſtinationis actum externum, ut & decretum de homine creando, & permiſſione lapſus ipſum Prædeſtinationis decretum antecedit ordine in mente divina. Quod etiam in præceden-

tious ex parte mihi confirmaſſe videor. At lubebit de iſto diſpicere paulo diligentius.

Omnis actus in objectum natura ſuo objecto poſterior eſt. Objectum enim relative dicitur. Ergo id quod in eo eſt abſolutum natura prius eſt relatione. Objectum igitur prius eſt in ſe, quàm objiciatur actui in ipſum tendenti. Homo autem eſt Prædeſtinationis objectū. Ergo homo Prædeſtinationis actu eſt prior. At homo, quod eſt, per creationem eſt, ergò creatio prior prædeſtinatione. Intellige in mente divina. Hoc eſt, decretum de creando homine prius Prædeſtinationis decreto, & ipſa prior exſecutione decreti Prædeſtinationis. Si quis regerat, Deum Prædeſtinationis actu interno non verſatum circa hominem conſideratum ut conditum, ſed ut condendum. Reſpondeo, id neque fieri poſſe, neque à mente recte judicante comprehendi. Prædeſtinatio enim eſt decretum non modo illuſtrandi gloriam divinam, ſed illuſtrandi illam in homine, per modum miſericordiæ & juſtitiæ. Vnde ſequitur & hominem præexiſtere in mente divina ante actum prædeſtinationis, & ipſum hominis lapſum jam antea fuiſſe præviſum. Deinde proprietates Dei quibus peracta eſt creatio, in priori momento naturæ divinæ conſiderantur, quàm quibus prædeſtinatio inſtituitur. Bonitas ſimpliciter conſiderata, ſapientia & potentia erga Nihilum occupatæ, priores ſunt miſericordia & juſtitia puniente. Adde quod, quum prædeſtinatio hinc per miſericordiam, inde per juſtitiam facta ſit, illa ad ſalvandum iſta ad damnandum, fieri nequeat ut ullum ſit medium commune conveniens tum electionis; tum reprobationis exſecutioni. Illud enim commune medium, neque à miſericordia neq; à juſtitia eſt præparatum. Nō igitur medium prędeſtinationis eſt, quod eſt commune.

Creationem hominis ſi definire voluiſti, accuratius id faciendum fuit. At deſcribere tantum volueris, eſt tamen in illa deſcriptione quod notem. *Homo conditus eſt mutabilis*, ita poſtulante ipſo Nihilo unde conditus eſt, & ipſa creaturæ conditione, quæ ad ſtatum creatoris, qui eſt immutabilitas, creatione evehi nec potuit nec debuit. At ita mutabilis conditus, ut tamen actualis mutatio ex bono in malum, iſtam potentialem mutabilitatem nonniſi ex voluntario & libero hominis actu eſſet ſecutura. Actus autem creaturæ liber non manet quando determinatur ita in unam partem, ut ſtante illa determinatione fieri nequeat, quin ſe mutet. *An creatio hominis rectè definita ſit.*

De permiſſione vero lapſus jam latius paulo tractandum eſt: quia magnum in eo ad totum hoc negotium expediendum poſitum eſt momentum. Quod Deus omnia quæcunque à creatura fieri poſſunt, abſolutæ ſuæ potentiæ actu impedire poſſit, certum eſt, quodque nulli ſimpliciter obſtrictum ſit ut illum à malo impediat, æque eſt certum. Verum non omne quod poteſt per abſolutam potentiam, etiam per juſtitiam poteſt. Non poteſt per juſtitiam oblivisci laborioſæ charitas piorum. Circumſcribitur etiam abſoluta Dei potentia per decretum Dei, quo aliquid in alteram partem eſt ſtatutum. Et quanquam Deus nulli ſimpliciter ſit obſtrictus, poteſt tamen actu aliquo ſuo ſe obligare, nempe vel promitte- *An lapſus permiſſio rectè ſit definita.* *Heb. 6.*

mitte-

mittendo, vel actum aliquem ab homine poſtulando. Quod promiſit præſtare tenetur, debet enim ſibi ſuæ veritatis immutabilitatem, ſivè ſimpliciter ſive ſub conditione promiſerit. Poſtulando actum debitorem ſe facit dandi potentiam & vires, ſine quibus ille actus præſtari non poteſt: ſecus ſi faciat, *metit ubi non ſeminavit*. His poſitis planum eſt, Deum, quum homini libertatem conceſſiſſet arbitrii, & quidem ut ea uteretur, non debuiſſe imo nec potuiſſe impedire lapſum iſto modo qui libertatis uſum infregiſſet: deinde non fuiſſe obligatum ad impediendum alio modo, quam per collationem virium ad lapſum cavendum neceſſariarum & ſufficientium.

Quare permiſſio non eſt *ceſſatio ab actu illuminationis & inclinationis*, quatenus ſine illis actibus homo peccatum vitare non potuit. *Quid hoc ſit.* Sic enim in Deum jure merito culpa confertur, qui peccati cauſa fit, per modum removentis vel non dantis id quod eſt neceſſarium ad præſtandum actum quem ipſe præſcripſit lege ſua. Vnde ſequitur & legem illam iniquam eſſe, utpote quæ non ſit proportionata viribus creaturæ cui ponitur, ſive defectus ille virium fit ex non datione, ſive ex ablatione earundem ante ullam culpam à creatura commiſſam.

Eſt quidem permiſſio ceſſatio ab impediendi actu, ſed illa ceſſatio ita eſt explicanda, ut in cauſam peccati efficientem non reducatur, ſive directe, ſive per modum negationis vel remotionis illius rei, ſine qua peccatum vitari nequit. De hac permiſſione, ſi commode explicetur, *An ſit Deus præſciens & volens.* proculdubio dici poteſt, *quod Deus illam non modo præſciat, ſed & velit voluntatis actu* affirmativo tendente immediatè in ipſam permiſſionem, non in id quod permittitur: de quo ut dici non poteſt, quod Deus velit illud non fieri, permittit enim & non nolens, ita quoque vere dici nequit quod Deus illud velit. Eſt enim permiſſio actus medius inter velle & nolle, remiſſæ ſcilicet voluntatis.

Cauſa permiſſionis peccati unde. Cauſa autem cur permittat peccatum, non tantum à conſequenti verum & ab antecedenti eſt ſumenda. Ab antecedenti, quia Deus ita hominem inſtituit ut eſſet liberi arbitrii, qui vel præſtare obedientiam vel ab ea reſilire poſſit ſecundum voluntatis libertatem; quam ſuam inſtitutionem reſcindere non potuit propter ſuam immutabilitatem, ut pulchrè Tertullianus explicat adverſus Marcionem lib. 2. cap. 5. 6. 7. A conſequenti, quia vidit ſe ex peccati occaſione gloriam gratiæ & juſtitiæ ſuæ demonſtrare poſſe: at hoc conſequens non ſequitur ex ipſo peccato naturaliter. Vnde ut ex ſummo malo (ſi quod ſit ſummum) non niſi malum ſequi poteſt per ſe, eſt enim læſio divinæ majeſtatis divino bono oppoſita; at exiſtit iſtud conſequens ex peccato per accidens, propterea quod Deus pro infinita ſua ſapientia, bonitate, & potentia gloriam ſuam inde elicere novit & vult, ut ex tenebris lucem. Quare ut nec malum per ſe bonum eſt, ita neque ſimpliciter bonum eſt ut malum fiat. Si enim ita eſſet, tum non modo eius permiſſor, ſed auctor etiam & effector eſſet Deus. At per accidens bonum eſt ut malum fiat, propter illam, quam dixi, Dei ſapientiam, bonitatem & potentiam, ſecundum quam Deus ex peccato materiam gloriæ ſuæ illuſtrandæ ſumit. Eſt

ergò peccatum iſthoc reſpectu non medium per ſe illuſtrandæ gloriæ divinæ, ſed occaſio tantum; non data in hunc finem, neque natura ſua ad illum accommodata, ſed à Deo arrepta, & horſum mira arte & laudabili abuſu uſurpata.

An peccato non permiſſo impediretur bonum univerſi.

Neque quicquam, univerſo ſimpliciter bonum, impediretur, etiamſi Deus malum impediret, dummodo iſta impeditio non fieret modo primævæ hominis inſtitutioni non conveniente; & liberum eſt Deo peccatum impedire, ſed modo non pugnante contra arbitrii libertatem. Alius quivis modus impedimenti bono univerſi ſimpliciter erit contrarius, utpote quod bonum univerſi in eo etiam conſiſtit, ut ſit aliqua creatura libera voluntate prædita, & ut eidem liber arbitrii proprii uſus ſine ulla interceſſione divina concedatur. Si vero ad bonum & perfectionem univerſi ſimpliciter faciat mali ſeu peccati exiſtentia, jam non modo non impedire debet Deus peccatum, ſed & promovere, ne operi ſuo deſit Deus & injurius ſit in perfectionem ſuam. Fateor non exiſtente peccato neque patientiæ matyrum, neque hoſtiæ Chriſti locum illum fore, ſed etiam exiſtente peccato non ſtatim exiſtit patientia martyrum neque hoſtia Chriſti: imo ſi naturalem peccati efficientiam conſideremus, videbimus ex eo prodire impatientiam illorum qui affliguntur, & iram Dei inde accendi quæ omnem ullius vel minimi boni, nedum filii ſui, donationem impedire poſſet, & reipſa impediret, niſi Deus idem miſericors eſſet & pro ſua ſapientia modum invenire noſſet, quo peccati naturalem efficientiam impediret, & alios effectus ex peccati occaſione produceret contrarios ipſius peccati naturæ.

Loci ex Auguſtino & Gregorio citati huic ſententiæ non tantum non repugnant, ſed & patrocinantur, Non enim dicunt bonum fuiſſe ſimpliciter ut mala fierent, ſed Deum judicaſſe melius eſſe de malis benefacere, quam mala impedire; duos Dei actus conferentes, & alterum alteri præferentes. Liceat autem mihi in Gregorii dicto notare quod non ſcitè ſatis mala, quæ propter peccata toleramus, cum bono redemptionis tanquã majore comparat: ipſa enim peccata & culpas, non mala quæ per meritum illorum patimur cum bono redemptionis conferre debuit: quod ſi feciſſet, & accurate Apoſtoli dictum conſideraſſet, *Non ſunt facienda mala ut eveniant bona*, ſecus judicaſſet, aut ſaltem convenientius ſententiam enunciaſſet, nulla facta de genere in genus tranſitione, neque peccati pœnis in locum ipſius peccati ſubſtitutis. Mihi ſane & cuivis fideli plenis buccis eloqui fas eſt, nullam tam excellentem eſſe redemptionem, neque ullum redemptionis tam eximium modum, ut illius vel iſtius obtinendi cauſa peccatum ullum quantumvis exiguum ſit perpetrandum. *Venit* enim redemptor *ut deſtrueret opera Diaboli*, hoc eſt peccata: quare non ſtruenda illa ut filius Dei redemptor adveniret. Circulus enim ille, venit Filius Dei ut peccatum deſtrueret, & peccatum factum eſt, ut a Filio deſtrueretur, non Scripturis modo eſt contrarius, ſed & veritati omnigenæ, ut in infinitum abducens, adverſus.

An lapſus Adami recte dicatur felix culpa.

Hinc etiam facile conſtat *culpam* illam nonniſi per [illegible] *felicem* dici poſſe: quæ ut in decla-

declamationibus, panegyricis orationibus, & exornationibus locum habere poteſt; ita longe a ſolida diſquiſitione veri eſt amovenda. His addendum ſemper, quod jam ſæpe & iterato mihi dictum eſt, redemptionem ex culpa non niſi occaſionaliter exſtitiſſe, Deo ita pro arbitrio diſponente, ut culpa iſta per talem & tantum redemptorem lueretur & elueretur.

At *diſcrimen, quod inter lapſus permiſſionem & permiſſum lapſum* ſtatuis, mihi nullum eſſe videtur. Nam & permiſſio ipſa lapſus non minus habet ex ordinatione Dei, e malo bonum elicientis, quod medium ſit: quam permiſſus lapſus. Ordinavit enim Deus permiſſionem ſuam in certum finem. Et vide mihi annon abſurdum ſit permiſſionem lapſus a permiſſo lapſu diſtinguere, lapſu inquam, non qua lapſus, ſed qua permiſſus eſt, conſiderato: quemadmodum hic neceſſario illum conſideras, quum *illum medium decreti appellas*, quod nomen lapſui non convenit, niſi propter illud adjectum, *permiſſus*. Non enim lapſus eſt in gloriam Dei, ſed lapſus permiſſio, non actus hominis qui eſt lapſus, ſed actus Dei, quæ eſt permiſſio immediate circa actum illum hominis occupata ex præſcripto ordinationis divinæ. Agnoſco autem permiſſionem medium decreti non prædeſtinationis ſed providentiæ, qua hæc contra illam diſtinguitur: providentiæ inquam gubernatricis & adminiſtratricis, quæ non modo non prior eſt natura & ordine prædeſtinatione, ſed & cauſa miſſionis Filii tanquam Redemptoris, qui caput eſt in quo prædeſtinatio facta eſt, ut docet Apoſtolus Epheſ. 1.

An lapſus ipſe fiat, ſimul volente Deo & permittente.

At quomodo verum eſſe poteſt, lapſum permitti a Deo, & *non evenire niſi volente Deo?* velim explicari quomodo Deus ſimul velit lapſum evenire, & permittat eundem: quomodo Deus volitione ſua verſetur circa lapſum mediate & immediate; mediate volendo permiſſionem, & immediate volendo lapſum ipſum. Velim etiam hæc conciliari inter ſe, quomodo lapſus eveniat Deo volente, & Dei voluntas non ſit cauſa lapſus, contra expreſſum Dei verbum, Deus noſter in cœlo eſt, omnia quæcunque voluit fecit. Inſuper; Quomodo Deus velit lapſum, & tamen ſit *Deus non volens iniquitatem*, quum lapſus ſit iniquitas. Diſtinctiones quæ adferuntur ſolvendo nodo non ſatisfaciunt, quod per ſingulas commonſtrabo. Diſtinguunt enim inter lapſum & eventum lapſus, inter voluntatem ſigni & beneplaciti, revelatam & occultam, inter lapſum qua peccatum & qua medium illuſtrandæ gloriæ divinæ, & dicunt Deum velle evenire lapſum, at ipſum lapſum non velle; velle lapſum voluntate beneplaciti & occulta, non velle voluntate ſigni, revelata & approbante; velle lapſum non qua peccatum eſt, at velle eundem qua medium eſt illuſtrandæ gloriæ Dei.

Pſal. 115.
Pſal. 5.

Diſtinctiones huic nodo ſolvendo.

Quod ad primam diſtinctionem attinet, illa in verbis eſt, non in re. Nam qui vult evenire lapſum, vult etiam lapſum. Qui enim vult evenire lapſum; vult eventum lapſus, qui vult eventum lapſus, vult lapſum. Eventus enim lapſus lapſus eſt, ut eventus actionis ipſa actio. Si vero vult lapſum eſt cauſa lapſus. Omnia enim quæ voluit fecit. Si regerat quis, vult lapſum evenire actu alieno

Prima diſtinctio.

alieno & non ſuo. Reſpondeo, fieri non poſſe ut Deus velit lapſum evenire actu alieno & non ſuo: non enim eveniet actu alieno, niſi ipſe interveniat actu ſuo, & quidem tali unde actus alienus neceſſario exiſtat; ſecus non fiet neque eveniet actu alieno, id quod actu alieno vult evenire. Nihil autem ad rationem cauſæ facit, ſive Deus mediate actu alieno velit evenire lapſum, ſive immediatè actu ſuo. Connectuntur enim hæc mediate Actus Dei, actus alienus nempe hominis & lapſus. Lapſus ex actu hominis proficiſcitur, at ille ex Dei actu neceſſario dependet; ſecus fieri poterit ut actus alienus non exiſtat, & ſic poterit lapſus non evenire, quem tamen Deus vult evenire. Non negatur ergo Deus eſſe cauſa lapſus niſi immediata, mediata eſſe conceditur. Et ſic objectio obtinet, quæ concludit Deum eſſe cauſam lapſus, & mediatam quidem. Nam nemo unquam ex cuiuſquam dicto concludere voluit Deum peccati ab homine perpetrati immediatam eſſe cauſam. Concluderet enim contradicens in adjecto, ut loquuntur in ſcholis. Niſi forte quis agat de concurſu Dei univerſali quo cum homine concurrit ad actum producendum qui ab homine citra peccatum produci nequit.

Secunda. Diſtinctio voluntatis in beneplaciti & ſigni, occultam & revelatam, ut ut alibi locum habeat, hic tamen valere non poteſt. Voluntas enim beneplaciti efficax dicitur; quod ſi iſta lapſum evenire Deus voluerit, certe & lapſum effecerit neceſſe eſt; hoc eſt, lapſus cauſa ſit oportet: quæcunque enim Deus voluit, voluntate nempe beneplaciti; eadem etiam fecit in cælo & in terra; & voluntati eius, ſcilicet, quæ eſt beneplaciti, reſiſtere nemo poteſt. ut autem de voluntatis diſtinctione iſta aliquid dicam, puto me veritate adſtipulante dicere poſſe, neutram alteri cousque eſſe ſive contrariam ſive oppoſitam, ut Deus una voluntate velit fieri, quod altera velit non fieri, & contra. Vult Deus voluntate ſigni & approbante ut homo non labatur, fieri non poteſt igitur, ut Deus aliqua quocunque modo conſiderata voluntate velit ut homo labatur: ut ut enim diſtinctio eſſe poteſt in voluntate Dei, tamen nulla contradictio in eadem locum habere poteſt: contradictio autem eſt ſi Deus aliquo voluntatis ſuæ actu tendat in objectum aliquod & eius contradictorium.

Tertia. Tertia diſtinctio, qua Deus dicitur velle peccatum non qua peccatum, ſed qua eſt medium illuſtrandæ gloriæ ipſius, non magis excuſat Deum ab efficientia peccati quam præcedentes duæ. Manet enim verum illud dictum. Quicquid vult Deus facit, vult autem peccatum, facit igitur peccatum. Non quidem qua tale ſed qua eſt medium illuſtrandæ gloriæ ipſius. Faciente autem Deo peccatum qua eſt medium tale, non poteſt fieri, quin homo faciat peccatum qua tale. Peccatum enim nequit fieri ut medium, niſi fiat. Et eſt illa diſtinctio peccati in reſpectus, non re & actu, ſed ſola conſideratione, diſparatos & diverſos. Cæterum ut iſtam diſtinctionem recte uſurpemus, quemadmodum ſane eius aliquis eſt uſus: dicendum eſt Deum permittere peccatum qua tale, ſed ea de cauſa, quia novit & poteſt illud facere medium,

imo

imo potius uti tanquam medio ad gloriam ſuam illuſtrandam. Ita ut peccati ratio, qua tale, objiciatur permiſſioni Dei, cauſante interim permiſſionem iſtam tum conſideratione, quod iſtud peccatum medium eſſe poteſt gloriæ divinæ illuſtrandæ, tum ordinatione, ut peccatum permiſſum medium ſit reipſa illuſtrandæ gloriæ eiuſdem.

Simile de domo ruinoſa. Simile quod adfers de *domo mutabili & ruinoſa*, multis de cauſis non quadrat. Primo enim lapſus domus eſt illius paſſio, at lapſus hominis eſt illius actus, eſt enim peccatum. Secundo Domus iſta non modo mutabilis eſt, hoc eſt ruere potens, ſed & ruinæ obnoxia, ſed homo, utut peccare potuerit, tamen peccato non fuit obnoxius. Tertio, Domus illa non poteſt conſiſtere impetita à ventis, at homo potuit ſtatum ſuum conſervare, etiam tentatus à Satana. Quartus, Domui iſti fulcra non apponuntur neceſſaria: at homo vires à Deo accepit ſufficientes ad perſiſtendum contra inſultum Satanæ, & numinis ipſius aſſiſtentia ſuffultus fuit. Quinto, Ruinam domus prævidet ædificator & ex parte vult, quia quum poſſet, impedire noluit ne rueret: Deus quidem peccatum prævidet, at non voluit, imo impedire conatus eſt per præceptum & oppoſitam gratiam vitando peccato neceſſariam & ſufficientem: ulterius impedire non debuit ne reſcinderet quod inſtituerat. Iſta vero non conveniunt; hactenus volo ruinam, quatenus volo non impedire. Nam ruina & permiſſio ruinæ non poſſunt ſimul eſſe immediatum voluntatis objectum: Deus enim non poteſt circa ruinam verſari ſimul & affirmativo & negativo actu voluntatis. Actus volendi ruinam eſt affirmativus, actus nolendi impedire eſt negativus, inter duos oppoſitos actus affirmativos poſitus, nempe inter actum volendi ruinam & volendi ut ruina non fiat. Verum autem eſt omnino, tantum iſti ædificatori tribuendum cauſalitatis ſeu efficientiæ, quantum illi voluntatis tribuitur in ruinam ædium tendentis. At ſimilitudinis applicatio conſideretur. Deus Adamum permiſit ſibi, ſed non deſertum a Deo: triplici enim actu velut fulcrum illi ſuppoſuit, ne peccaret ſeu laberetur. Præceptum dedit, ut nollet peccare propter obedientiam; comminationem addidit, ut peccare metueret propter adnexam & ſecuturam pænam; gratiam oppoſuit ut præcepti ſententiam explere & denuntiatam pænam evitare actu ipſo poſſet; comminationi inſuper promiſſionem ex adverſo oppoſitam & ſymbolo arboris vitæ obſignatam, quartum fulcrum appellare licebit. Ratio vero cur hominem ſibi permiſerit Deus, non hæc fuit ut tentatione probaretur potentia eius: Ex actuali enim lapſu ſtandi impotentia concludi non poteſt, neque poterat: ſed quia ſic decuit obedientiam illius tentari, qui potens arbitrii ſui, & Dominus principumque voluntarium actuum ſuorum a Deo conditus erat. Neque horſum inſtituta erat permiſſio, ut manifeſtum fieret quid creatura poſſet ceſſante ad tempus auxilio & gubernatione Dei: tum quia auxilium & gubernatio Dei illi non defuit, tum quia jam ante certum erat hominem nihil ſine gubernatione & auxilio Dei generali poſſe, nihil etiam boni ſine auxilio gratiæ ſpeciali.

Nnnn Quod

Quot modis Deus poſſit eſſe cauſa peccati.

Quod autem *Deus defectionis iſtius cauſa non fuit*, axioma eſt Theologicum. Sed tu per actuum illorum ablationem cauſam defectionis a Deo non removes. Poteſt enim Deus cauſa eſſe peccati vel per actus affirmativos, vel per negativos. Affirmativos actus ab illo quidem removes, inclinationem videlicet animi ad peccandum, infuſionem malitiæ, & doni in collatione collati ſubductionem: at negativum actum illi tribuis negationem ſeu non collationem gratiæ confirmantis, quæ gratia confirmans ſi ad vitandum peccatum neceſſaria fuit, jam per actum negationis iſtum cauſa fuit Deus peccati & lapſus Adami. Si vero non ſimpliciter Deo tribuis negationem, ſeu non collationem gratiæ confirmantis, ſed propter defectum Adami, quia auxilium Dei non expetiverit; probo quod dicis, modo iſtam auxilii expetitionem in Adami poteſtate ſitam fuiſſe dicas; alioquin & illud expetere ipſi negatum fuit, & ſic imus in infinitum.

Partes Prædeſtinationis.

Prædeſtinationis autem *duæ ſunt ſive partes ſive ſpecies.* Electio nempe & Reprobatio, de quibus hoc ſtatuendum, quod una ſine altera non ſit, quodque una poſita ponatur & altera; quod voce electionis ſignificatur: ſecus prædeſtinatio per ſe conſiderari poſſet abſque oppoſitione, ac ſi omnes in univerſum homines ad vitam prædeſtinati eſſent. At tum nulla eſſet electio, quæ includit reprobationem tanquam neceſſaria conſequentia & copula junctam. Opponuntur autem electio & reprobatio tum affirmative tum negativè. Negativè, quum electio notat voluntatem conferendi gratiam & gloriam, reprobatio non conferendi. Affirmativè, cum reprobatio notat voluntatem inferendi pænam propter peccatum. Conſideratione autem dignum eſt, quod Deus tum Electionis tum reprobationis decreto verſatus eſt circa homines ut peccatores conſideratos. Gratia enim quæ electione ſeu prædeſtinatione præparata eſt, eſt gratia remiſſionis peccatorum & renovationis Spiritus ſancti; & gloria quam Deus præparavit eodem decreto, eſt ex ignominia, cui homo ob peccatum obnoxius erat: Reprobatio etiam eſt negatio gratiæ illius, & præparatio pænæ peccato debitæ, non qua debita eſt, ſed qua non tollenda per miſericordiam. Quam objecti tum electionis tum reprobationis conditionem Iſidorus & Angelomus ab te citati exprimunt. Ille cum reprobos deſeri & ad mortem prædeſtinatos eſſe dicit, iſte quum ex populo infideli alios gratuita miſeratione ad libertatem prædeſtinatos eſſe ait, alios vero in ſua impietate derelictos, & in perpetua morte damnatos, occulta diſpenſatione & occulto judicio.

Definitio Electionis corrigitur.

Definitio *Electionis* propter defectum vocis alicuius obſcura eſt. Videtur enim vox *illuſtrandam*, addenda fuiſſe, hoc pacto; *Decretum Electionis eſt, quo Deus certos homines deſtinavit ad glorioſam gratiam in illorum ſalute & vita cœleſti per Chriſtum obtinenda illuſtrandam*, ſecus oratio plena non fuerit. Verum definitio etiam iſto pacto expleta, minus commode mihi ordinata videtur, partibus illius non ita inter ſe diſpoſitis, ut erga invicem adfectæ ſint. *Salus* enim & *vita cœleſtis* habet rationem materiæ præparatæ electionis decreto;

certi

certi homines objecti ſive ſubjecti locum habent, quibus iſta ſalus eſt præparata: *Illuſtratio glorioſæ gratiæ* finis electionis eſt: *Chriſtus* hic ponitur medium obtinendi illam ſalutem & vitam: quibus omnibus, ex adfectione qua ſibi invicem reſpondent, hic debetur ordo in definitione. *Electionis decretum eſt, quo Deus certos homines deſtinavit ad ſalutem & vitam cæleſtem per Chriſtum obtinendam ad laudem glorioſæ gratiæ ſuæ.* In hac autem definitione mihi Chriſtus non videtur illum locum obtinere, quem meretur, & Apoſtolus illi adſignat. Chriſtus enim ſecundum Apoſtolum non tantum eſt medium, per quod ſalus electione jam ante parata obtinetur, ſed tanquam cauſa meritoria, cuius reſpectu electio facta ſit, & propter quem illa gratia ſit præparata. Nam Apoſtolus inquit, *nos in Chriſto electos eſſe*, tanquam in Mediatore, cuius ſanguine nobis ſalus parta eſt & vita, & ut in capite, ex quo iſta bona ad nos derivantur. Deus enim neminem ad vitam æternam amat, niſi in Chriſto, qui illam paravit ſuo ſanguine iis, qui in nomen ipſius credituri ſunt. Ex quo ſequi videtur, quod, quum nemo in Chriſto conſideretur à Deo, niſi illi ſit inſitus per fidem, fidelium propria ſit electio, & illi *certi homines* ſint fideles. Chriſtus enim nemini re ipſa eſt ſalutaris, niſi per fidem apprehenſus. Phraſis ergo iſta, *in Chriſto*, notat cauſam meritoriam qua gratia & gloria eſt parata, & electorum in illo exiſtentiam, citra quam eligi in illo non potuerunt. Quare hoc pacto illa definitio poni poteſt. *Electio eſt decretum Dei, quo apud ſe ab æterno ſtatuit fideles in Chriſto juſtificare, & ad vitam æternam acceptare, ad laudem glorioſæ gratiæ ſuæ.* At inquies, Ergo fides ponitur eſſe humani arbitrii, & non donum gratiæ divinæ. Nego ſequi. Neque enim hoc dictum fuit in definitione. At non expreſſa fuit fidei cauſa, fateor; ſed neceſſe non fuit. Verbo addi poterit ſi quis volet, *fideles, quos fide donare decrevit.* Sed vide mihi, an unum ſit, noſtro conſiderationis modo decretum, tum quo ſtatuit Deus fideles juſtificare & in filios adoptare, tum quo decrevit nonnullis fidem dare, aliis vero eandem negare. Hoc mihi veriſimile non fit. Sunt enim duæ ſententiæ & certo Dei decreto determinatæ; ſunt etiam diſcrepantia ſubjecta, & diverſa iiſdem attributa adſignantur. Hoc ego exiſtimo animadvertendum fuiſſe ad ordinem & modum prædeſtinationis recte tradendum.

Quod *actum mentis divinæ duplicem facis, priorem de fine, alterum de mediis ad finem vel ad ſalutem*, non magnopere reclamo: ſed quod *illum communiter decretum appellari dicis, iſtum exſecutionem decreti* (ita enim habet marginalis annotatio) id mihi non videtur. Vterque enim actus eſt decreti, ut ipſe fateris; actus autem decreti eſt internus, & executionis præcedaneus, ſive ſit de fine, ſive ſit de mediis. Locus ad Rom. 9. 11. hoc non indicat, quod vis. Non enim diſtinguit propoſitum ab electione, neque electionem propoſito damnandi ſalutemque conferendi priorem facit; ſed ipſum *propoſitum* dicit eſſe *ſecundum electionem*, i. non ſine electione aut citra electionem; quod ex ipſis Apoſtoli verbis liquide conſtare poteſt. Ita enim habet Apoſtolus: ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ Θεοῦ *De duplici actu mentis divinæ in hoc decreto.*

πρόθεσις μένῃ. 1. *ut propoſitum* Dei *quod eſt ſecundum electionem maneat:* unde apparet, *propoſitum* Dei deſcribi per hæc verba; *quod eſt ſecundum electionem.*

Senſus loci Rom. 9. 11.

Vt autem planius hoc intelligi poſſit, paucis nobis mens & ſcopus Apoſtoli eſt inſpiciendus. Objiciebant Iudæi ſe vi fœderis & ſermonis divini, ad ipſos facti, populum unicum Dei eſſe, & propterea iſtum honorem ipſis citra ignominiam & violationem decreti divini adimi non poſſe. Aſſeverabant autem ſibi honorem iſtum & titulum populi Dei adimi eo ipſo, quod Apoſtolus Paulus ſolos in Chriſtum, quem ipſe prædicabat, credentes juſtitiæ Dei & æternæ ſalutis conſortes faciebat. Quum enim ipſi in iſtum Chriſtum non crederent, ſequebatur juxta Apoſtoli doctrinam, illos à juſtitia Dei & æterna ſalute alienos eſſe, indignoſque qui nomine populi Dei amplius cenſerentur: hoc autem quia contrarium decreto & fœderi Dei eſſe exiſtimabant, abſurdum ſimul & a vero alienum eſſe concludebant. Reſpondet Apoſtolus, fœdus, decretum vel verbum Dei, non propterea irritum fieri, ſed firmum manere, etiamſi multi ex Iudæis in populo Dei non cenſerentur, propterea quod illud decretum ſeu fœdus non omnes in univerſum Iſraelitas citra electionem & diſtinctionem comprehendat: *eſſe enim decretum illud ſecundum electionem,* juxta ipſa Dei propoſitum ſuum circumſcribentis eloquia. Dixit enim Deus, *in Iſaac,* non in Iſmael *cenſebitur tibi ſemen.* Item, *Maior* Eſavus *ſerviet minori* Iacobo: quibus ſuis verbis clariſſime Deum declaraſſe ait Apoſtolus, quod non totam Abrahami, non totã Iſaci & Iacobi ſobolem & ſingula in illis individua recenſeat in populo ſuo, ſed illos ſolos qui filii eſſent promiſſionis, excluſis filiis carnis. Solidiſſime autem Apoſtolus ex iſtis eloquiis Dei concluſit, propoſitum Dei eſſe ſecundum electionem: & propterea non omnes in univerſum Iſraëlitas in ſe complectens, ſed rejectis aliis reliquos aſſumens. Vnde ſequitur non mirum eſſe neque contrarium propoſito & fæderi Dei, quod nonnulli Iudæorum a Deo rejiciantur, & illi quidem, qui ſpeciatim ab ipſo decreto ſecundum illa eloquia Dei facto excluduntur, quales ſunt *filii carnis,* id eſt, qui per opera legis & ſecundum carnem juſtificari quærebant. Conferantur Rom. 9. 7. 8. 9. 10. 11. & ibidem verſ. 30. 31. 32. & Rom. 10. 3. 4. 5. Et Rom. 4. 1. 2. 3.

In loco ad Romanos 8. 29. apertè actus illi diſtinguuntur, decretum, inquam, & executio decreti: In decreto duo ponuntur actus, prænotio & prædeſtinatio. *Quos enim præſcivit, prædeſtinavit ut conformes fierent imagini filii ſui.* De hac prænotione ſeu præſcientia quæritur quid ſibi velit. Alii explicant hoc pacto: quos prænovit, id eſt, prædilexit & amavit pro ſuis, quemadmodum ſane vox ſimplex, *Noſſe*, aliquando uſurpatur; ut *non novi vos*; *Novit Dominus viam juſtorum.* Alii dicunt hic ſignificari prænotionem ſeu præſcientiam fidei in Chriſtum. Illi explicationi tu aſſentiris, & hanc rejicis: & merito, ſi illum habet ſenſum quem tu exiſtimas. At videndum annon poſtremus ſenſus verbi *prænoſcendi,* ita explicari poſſet, ut non tantum non impingat in priorem, ſed optime illi conſentiat, adeoque, ut ille prior,

Matt. 25. Pſalm. 1.

De loco Rom. 8. 29.

prior, ſine hoc poſteriore verus eſſe non poſſit: quod patebit ſi commonſtratum fuerit, Deum neminē ex peccatoribus pro ſuo prædiligere & amare poſſe, niſi eum in Chriſtum crediturum prænoverit, atq; ut credentem in Chriſtum intuitus fuerit.

Illud autem ut commonſtrem, ita progredior: Deus neminem ex peccatoribus pro ſuo agnoſcit, neminemque diligit ad vitam æternam, niſi in Chriſto & propter Chriſtum. Eph. 1. 4. *Elegit nos in ipſo*. verſ. 6. *qua nos gratos ſibi effecit in dilecto*. Rom. 8.39. *Nemo nos ſeparabit à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu*. 2. Cor. 5. v. 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*. Si enim Deus poteſt alicui velle vitam æternam citra reſpectum Mediatoris, poteſt etiam citra Mediatoris ſatisfactionem, vitam æternam dare. Actualis enim vitæ æternæ datio non magis eſt aſtricta, quam eiuſdem dandæ volitio. Diligit quidem Deus mundum, exque illa dilectione dat filium ſuum mundo redemtorem. Ioh. 3. Sed illa dilectio non eſt qua vult vitam æternam. quod etiam ex ipſo dicto Iohannis apparet: fidem enim in Chriſtum inter hanc dilectionem & vitam æternam interjungit. Deinde neminem in Chriſto & propter Chriſtum agnoſcit Deus pro ſuo, niſi ille idem ſit in Chriſto. Eſt enim ſecundi adjecti, præcedit eſt tertii adjecti, ut loquuntur in ſcholis. Qui in Chriſto non eſt, in Chriſto amari non poteſt. At nemo eſt in Chriſto niſi per fidem; Chriſto ſcilicet per fidem habitante in cordibus noſtris, & nobis viciſſim illi per fidem inſitis & incorporatis. Vnde ſequitur, Deum neminem ex peccatoribus pro ſuo agnoſcere & amare ad vitam æternam niſi qua conſiderat illum ut credentem in Chriſtum, & per fidem unum cum illo factum. Cui & hæc teſtimonia aſtipulantur. Ioh. 1. 12. *Quotquot eum acceperunt dedit iis dignitatem ut filii Dei fierent, iis qui credunt in nomen ipſius*. Quibus autem dat hanc dignitatem iis etiam, & uniformiter quidem conſideratis, decrevit dare hanc dignitatem. Quia decretum prædeſtinationis nihil ponit in prædeſtinato, & propterea nulla eſt prædeſtinati interna mutatio, interveniens inter decretum & dationem realem rei, decreto deſtinatæ & præparatæ. Ioh. 3. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum dederit, ut quiſquis credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam*, & verſ. 18. *qui non credit condemnatus eſt*. Gal. 3. 9. *Qui credunt benedicuntur cum fideli Abrahamo*. Heb. 11. *Sine fide fieri non poteſt ut quiſquam placeat ſeu placuerit Deo*. Quare non fallitur, qui dicit in hoc loco. Rom. 8 ſignificari *prænotionem ſeu præſcientiam fidei in Chriſtum*, niſi addat, fidei quæ ex noſtris viribus ſit emerſura, & nō ex Dei dono in nobis ingeneranda.

Probatur eadem explicatio ex ſequenti membro: *Quos præſcivit prædeſtinavit ut conformes fierent imagini Filii ſui*. Nemo autem conformis fit imagini Filii Dei, niſi qui credit in illum. Ergo nemo prædeſtinatus à Deo ad iſtam conformitatem niſi conſideratus ut fidelis. Niſi quis velit ipſam fidem includere iſti conformitati quam habent fideles cum Chriſto; quod abſurdum eſt. Quia Chriſto fides illa minime tribui poteſt. Eſt enim fides in illum, & per illum in Deum: Eſt fides de reconciliatione, redemptione, remiſſione peccatorum. Deinde quia fides eſt

medium perveniendi ad illam conformitatem.

Objectio concernens hujus loci explicationem.

Sed dicis, *Qui prædeſtinantur ut juſti fiant & Filii Dei, illi etiam prædeſtinantur ut credant, quia adoptio & juſtitia per fidem recipitur.* Nego conſequentiam, imo dico ex iſto argumento prorſus contrarium concludi, ſi prædeſtinationis unius idemque actus conſideretur. Quod monſtro. Si adoptio & juſtitia per fidem recipitur, tunc illos, qui prædeſtinantur ut juſti fiant & filii Dei, neceſſe eſt conſiderari ut fideles. Quod enim alicui prædeſtinatione eſt deſtinatum, id certo accipiet. Et quidem qualis exiſtens accipit, talis etiam conſideratus prædeſtinatus eſt, ut acciperet. Fidelis accipit & nemo alius. Ergo ſolus fidelis prædeſtinatus eſt ad accipiendum. Unde rurſus concludo, neminem à Deo ad adoptionem & juſtitię donum communicandum amari, niſi ab ipſo ut fidelis conſideratus fuerit. Addis, *recte dici non poteſt, primo Deum præſcire homines credituros, & deinde prædeſtinare ut credant, quia quos præſcivit credituros, ideo præſcivit, quia decrevit ut crederent.* Sed quid hoc ad rem? neque enim hoc dicitur ab illius, quam retuli, ſententiæ defenſoribus. Confundis duo prædeſtinationis genera, & diverſos actus compingis in unum. Non eſt una prædeſtinatio qua Deus decrevit fideles in Chriſtum juſtificare & in filios adoptare, cum illa qua decrevit hiſce & non illis per certa media fidem donare. Hîc enim eſt decretum de fide danda, ibi de fidelibus juſtificandis & adoptandis; quod ſane decretum propter ſubjecti & attributi diverſitatem unum eſſe non poteſt. Alioquin verum eſt, *Deum non præſcire homines credituros prius, quam prædeſtinaverit ut credant.* Præſcivit enim eos ſuo dono credituros, quod donum prædeſtinatione præparatum eſt. Hæc ita explicata diſtinctè, lucem aliquam toti huic de prædeſtinatione tractatui adferre poſſunt. Verum id poſtea ſub finem latius faciemus, ubi noſtram de prædeſtinationis ordine & modo conſiderationem adjungemus.

Iam vero quæ ex Patribus & Scholaſticis citas teſtimonia, facillime cum illis, quæ dicta ſunt a nobis conciliari poſſunt, quo tamen labore prolixitatis vitandæ gratia ſuperſedebo. Unum dicam, Lombardi explicationem utut vera eſſe poſſit alibi, loco tamen ad Rom. 8. non convenire Nam Apoſtolus prædeſtinationis alium ibi finem poſuit, nempe conformitatem cum Chriſto, quam hic a Lombardo ponitur ſive adfertur, nempe ut verbo prædicationis crederent. Addam, te non recte concludere, quia præſcientia alicubi pro propoſito ponitur a Spiritu Sancto, illam hoc, de quo agitur loco, præſcientiam fidei ſignificare non poſſe.

Conſideratur prior actus in decreto Electionis.

In Electionis porro decreto duos actus ponis, unum propoſitum aſſumendi ad amorem ſuum æternum & gratiam, qua aſſumptione homines fiant miſericordiæ & honoris vaſa. Alterum propoſitum ſalvandi ſeu gloriæ conferendæ. Non male, ſi recte omnia intelligantur. Nam quæ Deus electione præparat, gratia & gloria continentur. Sed quod dicis *aliquos propoſito Dei ad amorem Dei æternum aſſumi*, explicandum eſt de amoris communicatione, qua Deus ſeipſum communicare ſtatuit cum nonnullis.

Alio-

Alioquin ſi de ipſo amore Dei intelligas, quo nos complectitur, ſciendum illum naturæ ordine præcedere decretum illud ſeu propoſitum divinum, quo gratia & gloria nobis præparatur, gratia inquam, quæ medium eſt perveniendi ad gloriam. Alioquin ſi ipſum gratioſum Dei erga nos affectum iſta voce intelligas, cum amore Dei coincidit, & ipſi Dei propoſito ſeu decreto tanquam cauſa eſt præficienda. Quod vel ordo prædicamentorum (metaphyſicῶs conſideratorum) indicat: Nam propoſitum ſeu decretum in Actionis prædicamento ponitur, gratioſus affectus & amor in præcedaneo prædicamento Qualitatis. Patet idem ex Epheſ. 1. 5. 6. ubi Deus dicitur nos *prædeſtinaſſe & adoptaſſe ad laudem glorioſæ gratiæ.* Si gratia inde laudatur, gratia etiam iſtis actibus eſt ut cauſa præficienda.

Eiuſdem objectum. Cæterum, quod prioris propoſiti objectum ponis *homines creandos*, non rectè facis. Agimus enim non de ſubjecto, qua eſt in ſe (ſcimus enim propoſitum Dei æternum antecedere ipſam hominis actualem exiſtentiam) ſed qua objicitur menti divinæ decernenti & prædeſtinanti. Iſta circumſcriptione ſi conſideretur objectũ propoſiti iſtius, certum eſt non homines creandos ſed creatos & peccatores (in mente nempe divina) divino propoſito & prædeſtinationi objici: quod patet ex amore & gratioſo affectu ex quo, & ex gratia, ad quam aſſumit. Amor n. ille eſt in Chriſto, in hoc affectus Dei erga nos eſt gratioſus. Gratia, quæ nobis tanquam ſalutare medium eſt præparata, in Chriſto locum habet & non alibi. Quod etjam tu ſatis plane ſignificaſti, quum homines iſta aſſumptione miſericordiæ vaſa fieri dixiſti: quæ vox locum non habet, niſi ubi miſeria & propterea peccatum anteceſſit. Quod ſi vero amorem & gratioſum Dei affectum conſideras, prout in Deo ſunt citra ullam Chriſti conſiderationem; negabo propoſitum & decretum prædeſtinationis ſecundum illos ita conſideratos à Deo inſtitutum & factum eſſe; & urgebo abs te probationem: quam meo judicio dare non poteris, tum quia amor Dei erga creandos eſt uniformis erga omnes. Omnes enim in Adamo conditi citra ullum diſcrimen: tum quia amor & gratioſus affectus, quo propoſitum prædeſtinationis peragitur, certo ſalvat prædeſtinatos; at iſto amore & affectu qui extra Chriſtum conſideratur, non ſalvantur prædeſtinati. Si dicas unum eſſe in Deo amorem & gratioſum affectum, ſive extra Chriſtum ſive in Chriſto conſideretur; fateor: at homo creandus, creatus, & peccator etiam unus eſt homo. Creatus & in ſtatu creationis perſeverans per obedientiam ſalvari poteſt ex amore & affectu Dei gratioſo extra Chriſtum conſiderato: peccator ſalvari nequit, niſi ex iiſdem in Chriſto conſideratis. Si objectum prædeſtinationis ponis peccatorem, modum addere debes gratiæ prædeſtinanti, convenientem ſalvando peccatori. Si non addas, ſufficiet gratia ſine iſto modo conſiderata. Non puto te objecturum, etiam illam gratiam & amorem, quo homo non peccator ſalvari poteſt, quique à miſericordia diſcretus eſt, in Chriſto conſiderandum, & propter illum eiuſque reſpectu nobis contingere. Si tamen facis, petam ut

dictum

dictum confirmes. Et poſt omnem, quam adferre poteris confirmationem, dicere licebit, etiam ipſum Chriſtum tum diverſimode conſiderari: nempe ibi ut Mediatorem conſervantem & confirmantem prædeſtinatos in ſtatus ſui integritate; hic ut Mediatorem redimentem & inſtaurantem eoſdem ex ſtatu peccati & corruptionis: & addam non per illam ſed per hanc Mediationem nobis gratiam & ſalutem obtingere. Eſt enim *Ieſus qui ſalvat populum ſuum à peccatis ipſorum: Eſt Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Eſt redemptor mundi per carnem ſuam oblatam pro mundi vita, per deſtructionem operum Diaboli, per reconciliationem qua conſtat non imputatione peccatorum.* &c.

Matth.1. Ioh.1. & 6. Heb.2. 2.Cor.5.

Cauſa movens.

Eſt vero actus ille *ex mera Dei voluntate*, ſed non *citra reſpectum mali in creaturis*, mali inquam quod conſideratur non ut cauſa Deum movens ad electionem, ſed tanquam conditio in objecto actus iſtius requiſita. Et hoc ſenſu nulli facit injuriam, ſi non omnes eligat, quia ad miſericordiam præſtandam nulli obligatur. Ex jure verò quod habet in creaturas neminem poteſt ad pænam citra prævisionem peccati ordinare. Ius enim illud non eſt infinitum, ut multi arbitrantur, infinitum inquam, iſto pacto ut Deus poſſit jure omnem actum ſuæ omnipotentiæ poſſibilem creaturæ cuivis quocunque modo conſideratæ infligere, omniaque inferre creaturæ citra ullam injuriam, quæ creatura ab omnipotenti creatore pati poteſt. Quod hac demonſtratione planum fieri poteſt. Omne Dei jus in creaturas, nititur vel ipſius Dei in creaturas ſuas beneficio, vel creaturarum in Deum maleficio, vel contractu inter Deum & creaturas inito. Semoto jure quod eſt ex contractu, de reliquis agamus. Ius quod vel beneficio Dei, vel hominum maleficio nititur, ipſius vel beneficii, vel maleficii magnitudinem excedere non poteſt. Homo beneficio creationis accepit à Deo eſſe ſuum, tum Naturæ tum ſupernaturalis Gratiæ, in qua etiam potentia comprehenſa eſt perveniendi ad ſummam eamque ſupernaturalem fælicitatem, quam Deus homini ſub conditione obedientiæ eſt pollicitus: cui fælicitati ſummæ ſumma oppoſita eſt miſeria, in quam idem homo ex juſtitia & ſecundum jus Dei incideret, ſi legem Dei prævaricaretur. Vnde exiſtit jus Dei in hominem, qua creatura eſt, ſecundum quod illi idipſum eſſe, quod dedit, auferre poteſt, eumque in priſtinum nihilum redigere. At inde jus habere nequit hominem æternæ pænæ addicendi niſi peccatorem factum. Hæc enim quatuor, eſſe, non eſſe, fælicem eſſe, miſerum eſſe, ita inter ſe conferuntur, ut quemadmodum fælicem eſſe melius eſt quam eſſe, ita miſerum eſſe pejus ſit quam non eſſe. Quod & Chriſtus ſignificavit dicens, melius fuiſſet homini iſti ſi natus non fuiſſet. Quare jus Dei non permittit, ut homini, cui eſſe dedit, miſerum eſſe infligat, niſi iſto perpetrato, per cuius oppoſitum ad fælicitatem miſeriæ illi oppoſitam pervenire potuiſſet. Ergo quod non omnes eligat, nemini injuriam facit, ſi non Electi bono tantum indebito careant, ſi vero & malum non meritum pati debent ex non electione ſeu reprobatione, jam injuria illis fit; eo quod jus Dei in illos eouſque ſe non extendat. Ita hæc res explicanda videtur, ſecus in

multas

multas abſurditates incidere eſt neceſſe & Deo injuſtitiam impingere. Quod & Auguſtinus multis locis aperte fatetur. Vnum atque alterum afferam. Lib. 3. in Iulian. cap. 18. *Bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus, poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt, non poteſt quenquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* Epiſtola 106. ad Paulinum. *Quenquam immeritum & nulli peccato obnoxium ſi Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.*

Conſideratur explicatio actus ſecundi.

In ſecundi actus explicatione notare mihi nonnulla liceat bona tua venia, quæ non ſcitè ſatis abs te poſita videbuntur. Quod enim objecti formalem rationem hic mutas, & homines huic actui ſubſternis ut *lapſuros*, quos ut *creandos* altero actui objiciſti, nulla mihi de cauſa facere videris. Tuo enim conſiderationis modo objectum utriuſque actus ſunt homines *creandi*. At ſi recte omnia penſitentur, utrobique revera objectum ſunt, homines *peccatores*; non ibi magis quam hic, neque hic quam in priore actu. Neque opus fuit participio futuri temporis uti, quum hic agatur de actu mentis divinæ cui omnia ſunt præſentia. Omitto quod ordinatio illa ad ſalutem nitatur lapſu tanquam occaſione decreti iſtius faciendi; quare non *lapſuros* ſed *lapſos* dicendum fuit. Quomodo autem actus qui eſt propoſitum ſalvandi & gloriæ conferendæ, idem ſit cum actu, quo ſubordinantur quibus gratia conferatur ac manifeſtetur, explicari velim. Item, quomodo actus ſecundus propoſitum nempe ſalvandi pertineat ad executionem & complementum prioris, nempe propoſiti quo aliquos ad amorem ſuum & gratiam aſſumit.

Quod vero *iſte actus cauſam προηγουμένην extra Dei beneplacitum non habet*, verum eſt, modo Chriſtus beneplacito iſti divino ritè includatur. Quod tu quidem facere velle videris, quum dicis actum iſtum eſſe *cum reſpectu ad Chriſtum Mediatorem, in quo omnes eligimur ad gratiam & ſalutem.* At ubi mentem tuam ita explicas, quod propterea dicamur in Chriſto eligi ad gratiam & ſalutem, *quia is fundamentum ſit exſequendæ electionis*, rurſus deſtruis quod dixiſti. Si enim Chriſtus fundamentum eſt electionis exſequendæ tantum, jam electio ipſa in decreto Dei præcedente ipſam realem exſecutionem facta eſt citra reſpectum ad Chriſtum; neque dici poteſt, nos eſſe in ipſo electos ad gratiam & ſalutem, ſed tantum nos jam ante extra Chriſtum electos ad gratiam ac ſalutem, per Chriſtum earundem participes fieri. Scriptura autem Chriſtum ponit fundamentum non exequendæ modo ſed & faciendæ ipſius Electionis. Eſt enim juxta Scripturas Mediator, non tantum efficacia applicandi, ſed & merito impetrandi: quare etiam cum de Chriſto loquitur, non tantum *per illum*, ſed & *propter illum*, & *in illo* nobis gratiam & vitam æternam donari affirmat. Ratio peremptoria ante allata eſt, quia Deus peccatorem ad vitam æternam amare non poteſt, niſi in Chriſto & propter Chriſtum; juſtitia quippe Dei poſtulante reconciliationem per ſanguinem Chriſti fieri.

Spectatur cauſa ejuſdam προηγουμένη.

Summa omnium eſt, Actum utrumque tam aſſumptionis in gratiam & amorem Dei, quam collationis gloriæ præparationiſque mediorum ad ſalutem neceſſariorum. Chriſto tanquam unico fundamento

niti, Chriſto, inquam, ordinato à Deo Sacerdote & Mediatore per ſanguinem crucis ſuæ, ſalvatore ex peccatis, redemptore ex captivitate peccati & ſatanæ, ſalutiſque æternæ auctore & datore: & propterea neutrum actum eſſe hominum creandorum, ſed utrunque lapſorum, peccatorum, & gratiæ remiſſionis peccatorum, renovationiſque Sp. Sancti indigorum.

Conſiderantur quinque gradus qui actui ſecundo attribuuntur.

Gradus iſti *quinque* optime inter ſe conſequuntur, *ſed actui ſecundo* neque attribui poſſunt omnes, neque ſubordinari; Imo ne *actui* quidem *primo*. Tres enim primi, *deſtinatio* nempe *Mediatoris, deſtinati promiſſio, & promiſſi exhibitio*, ipſam totam hominum ad gratiam & gloriam prædeſtinationem ordine naturæ & cauſarum antegrediuntur. Chriſtus enim deſtinatus, promiſſus, exhibitus, quin & reconciliationis munere functus, æternam redemptionem nactus, & Spiritum ſanctum adeptus, caput eſt illorum omnium qui in ipſo prædeſtinantur ad ſalutem, non jam ordine naturæ prædeſtinatorum ſed prædeſtinandorum. Nam Chriſtus eſt caput, nos membra. Ille prius ordine prædeſtinatus ut eſſet caput, quam nos ut illius membra eſſemus. Ille prius ordinatus Salvator, nos inde ordinati in illo, propter illum, & per illum ſalvandi. Invertit ordinem à Scriptura poſitum, qui Deum primo prædeſtinaſſe dicit homines, & deinde Chriſtum prædeſtinatis caput ordinaſſe. Vnde autem multi inverſum iſtum ordinem conceperint animo, inquirendum mihi prolixius non puto: arbitror tamen loca Scripturæ quibus Dei erga homines amor miſſionis filii cauſa dicitur ab una parte, & alia loca quibus Chriſtus Filios Dei & electos in unum colligere & ad ſalutem perducere dicitur, ab altera parte occaſionem huiuſmodi conceptui dediſſe. Occaſionem dico, non juſtam cauſam. Nam illa dilectio non eſt prædeſtinationis cauſa, neque ullam habet cum prædeſtinatione neceſſariam cohærentiam; & Chriſtus non tantum eſt eorum qui jam electi ſunt inque Filios à Deo adoptati Salvator, ſed Mediator etiam & caput in quo electio & adoptatio facta eſt. Quod jam ſæpius monui.

Deſtinatio primus gradus.

Deſtinationem Mediatoris non ſatis plenè deſcribis: omiſſa enim eſt hominum conditio, ad quam tota Mediationis ratio eſt comparata. Cuius te monere potuit locus quem ex 1. Pet. 1. v. 20. citaſti. Dicitur enim ibidem Chriſtus *Præordinatus Mediator qui nos pretioſo ſuo, tanquam agni immaculati, ſanguine à vana converſatione redemit.* Quare in definitione addenda fuit vox *Peccatores.* Chriſtus enim inter Deum & homines peccatores Mediator eſt ordinatus, non inter Deum & homines ſimpliciter. Vnde etiam confirmare mihi licet quod hactenus diſputavi de objecto prædeſtinationis. Si enim Chriſtus eſt Mediator peccatorum, tum ſequitur neminem in Chriſto Mediatore amari niſi peccatorem. Nemo igitur in Chriſto prædeſtinatur niſi peccator.

Secundus.

Promiſſionem Mediatoris etiam confuſius mihi conſiderare videris. Conſideratur enim promiſſio, vel ut pura decreti de dando mittendoque Mediatore patefactio, vel ut junctam habens exhibendi Mediatoris oblationem cum omnibus bonis ipſius. Illa eſt pura puta prædictio

adver-

adventus ipſius Meſſiæ, miſſioni ipſius præcedanea. Altera eſt Meſſiæ adventuri quidem reipſa, at jam in decreto Dei Mediationis munere functi, oblatio, cum donis per officii functionem impetratis, ad applicationem pertinens Mediatoris, & hoc reſpectu prædeſtinationi ſubordinatur. Altero vero modo conſiderata, licet non ipſam prædeſtinationem quæ eſt æterna, prædeſtinationis tamen exſecutionem præcedit. Patefactio ſine oblatione conſtat his verbis, *dabo mundo Mediatorem.* Oblatio autem iſtis; *Crede in Mediatorem quem mundo dabo, & ſalutem in eo adipiſceris.* Patefactione iſta & prædictione Deus ſe obſtringit mundo ad dandum Mediatorem, ſive credat ſive non: oblatione vero iſta fidem poſtulat, Spirituſque interna ſuaſione accedente fidem efficit, & obſtringit ſe ad dandam ſalutem credenti. Vnde apparet promiſſionem ita diſtinctè conſideratam, parte priore miſſionis Meſſiæ tantum eſſe præcedaneam, poſteriore vero parte ad prędeſtinationis exſecutionem pertinere.

Conſideratur univerſalitas promiſſionis & oblationis Mediatoris.

Omiſſa jam diſtinctione iſta promiſſionis & oblationis, conſideremus de univerſalitate promiſſionis oblationiſque junctim compleximque ſumptæ. Vniverſalitas iſta non eſt fide metienda. Nam fides promiſſione & oblatione eſt poſterior, utpote apprehenſionem notans & applicationem continens promiſſionis. Diſtinguendum autem inter promiſſionem oblationemq; à Deo factam, & actum hominis apprehendentem promiſſionem, quæ eſt fides, & actum Dei id quod promiſſum oblatumque eſt, applicantem credenti. Promiſſio & oblatio ad omnes vocatos ſe extendit, vocatos inquam externa Euangelii prædicatione, ſive vocanti pareant, ſive non. Invitati enim ſunt ad nuptias etiam illi *qui non venerunt*, & propterea *indigni à Deo judicati fuerunt*, ea indignitate, qua *conſilium Dei adverſus ſe ſpreverunt*, & ſpernentes indignos ſe fecerunt promiſſionis repudiatione. *Luc.* 7. & *Act.* 13. Non ea indignitate ſecundum quam omnes in univerſum peccatores indigni ſunt, Centurio inquam Publicanus & alii, qui tamen fidem habuiſſe dicuntur, & à Chriſto peccatorum remiſſionem obtinuiſſe. Vnde & *digni* in Scriptura dicuntur. *Apoc.* 3. Loci autem Scripturæ, qui citantur abs te, non promiſſionem factam, ſed promiſſæ rei applicationem fide circumſcribunt, excepto ſecundo *Matt.* 11.28. qui ſolam invitationem continet ad Chriſtum, juncta refectionis pollicitatione, tanquam ſuaſione, ut veniant, at reipſa non præſtanda niſi venerint ad Chriſtum.

An mandatum credendi ſit generalius promiſſione.

Cum promiſſione conjunctam dicis *Hortationem ſeu mandatum credendi*, & *hoc generalius eſſe* dicis *promiſſione.* In quo poſtremo, meo judicio falleris. Æquè enim late patent promiſſio ut facta & mandatum credendi. Nam ſi promiſſio non ſit omnibus quibus mandatum datur credendi, jam iniquum eſt Mandatum, vanum & inutile. Iniquum; Poſtulat enim ab homine ut fidem habeat promiſſioni non generalem, quod illa ad alios pertineat, ſed ſpecialem, quod & ſibi facta ſit promiſſio. At ipſi promiſſio non eſt facta, ſiquidem Mandatum latius patet quam promiſſio. Vanum eſt hoc mandatum; eſt enim de nihilo. Iubet enim

credere, at fidei nullum ponit objectum, dempta promiſſione (quæ unicum eſt fidei objectum. Vnde & inutile eſt ipſum Mandatum. Præſtari enim nullo pacto poteſt ab eo ad quem promiſſio ut facta non pertinet. Imo ſi mandato credendi conabitur obſequi, nihil aliud efficiet, quam ut falſam apud ſe de falſo opinionem ipſe animo concipiat. Quum enim ipſi promiſſio facta non ſit, credere non poteſt ſibi factam, ſed opinari tantum idque falſo. At Scriptura ubique promiſſionem & mandatum credendi æque latè extendit. Act. 3. verſ. 38. 39 *Reſipiſcite & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiriti ſancti. Vobis enim & liberis veſtris facta eſt promiſſio*, &c. Matt. 18. verſ. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis*, ecce mandatum; *& ego reficiam vos*; en promiſſionem, factam omnibus qui venire jubentur. Iohan. 7. verſ 37. 38. *Si quis ſitit veniat ad me*, en Mandatum; *Qui credit in me, ſicut dixit Scriptura, flumina aqua viva ſalient ex ventre ipſius*: en promiſſionem factam omnibus qui venire jubentur ad Chriſtum & bibere. Niſi fors quis illud *bibere* promiſſioni adjungere velit, hoc pacto: *ſi quis ſitiat, veniat ad me; quod ſi faciat, bibet ex me tam copioſe ut flumina aqua viva ex ventre illius ſint fluitura.* Sed res eodem recidit quod ad præſens noſtrum inſtitutum.

At inquies te promiſſionem non qua proponitur, ſed qua applicatur Mandato credendi anguſtiorem facere. Recte ſane. Sed comparatione indecora. Sicut enim in promiſſione tria ſunt conſideranda, ut ante diximus: promiſſio ut facta, fides habita promiſſioni factæ, & promiſſi boni datio ſeu applicatio: ita & mandato tria includuntur, Mandatum ipſum, obedientia Mandato præſtita, & remuneratio præſtita obedientiæ. Ex hiſce ternis ſingula reſpondent ſingulis ſibi παραλλήλως oppoſitis. Promiſsio ut facta, Mandato: fides habita promiſsioni, obedientiæ mandato præſtitæ: promiſſi boni datio ſeu applicatio, remunerationi obedientiæ præſtitæ. Hoc pacto comparationem te inſtituiſſe decuit. Quod ſi feciſſes non ſtatuiſſes mandatum promiſsione generalius; niſi quo pacto & mandatum generalius ſtatuendum eſt remuneratione quæ obedientiæ præſtatur. Et quis ignorat, promiſsionem fieri multis, à quibus fide non apprehenditur; Mandatum multis poni à quibus non præſtatur? Vnde videre potes & illa incommode dici, quod promiſsio tum ſit credentium; nempe applicata non facta, præcedit enim fidem promiſsio facta. Item mandatum eſt credentium & non credentium: Neutrorum ſane. Mandatum enim eſt prius fide, fidem poſtulans, & infidelitatem prohibens.

At qualia ſunt quæ ſequuntur? Oblitus mihi, Perkinſe doctiſsime, videris eſſe tui ipſius, & alius prorſus eſſe ab eo, quem aliis libellis editis declaraſti. Quod ut me tibi candide & placide monſtrantem toleranter feras, etiam atque etiam rogo. Imprimis mihi vide, qua cohærentia ſequentia præcedentibus hæreant. *Nam Electi in cœtibus eiſdem miſcentur cum impiis.* Quid tum? An ergo promiſſio facta minus latè patet quam mandatum credendi?

Dices

An promiſſio ſit ſolorum electorum.

Dices patere: propterea quod promiſſio ſit Electorum tantum, mandatum ad Electos & impios pertineat. Reſpondeo, promiſſionem ut fit & proponitur à Deo, non eſſe Electorum tantum, ſed & impiorum quos tu Electis opponis: imo mandatum non proponi ſive Electis ſive his oppoſitis, niſi juncta promiſſione. At videre mihi videor quid velis. Nempe. Quemadmodum promiſſio non applicatur niſi Electis, ita quoque eandem non proponi niſi Electis, ex mente ſcilicet & propoſito divino. Hoc quale ſit poſtea videbimus. At dico interim idem quoque de mandato, Quemadmodum mandatum, quo fides poſtulatur, non præſtatur niſi ab Electis, ita quoque non proponi niſi Electis ex mente ſcilicet & propoſito divino. Vt enim ibi promiſſio proponitur non Electis ſine propoſito divino applicandi promiſſum: ita hic mandatum proponitur non Electis ſine propoſito divino implendi ſeu præſtandi mandatum. Si propter abſentiam efficacitatis divinæ promiſſionem non Electis arbitraris non factam, propter eandem efficacitatis abſentiam & mandatum nega poni non Electis. Vtrobique eodem modo res habet. Sed de iſto paulò poſt latius.

Deinde quam incommodè *Electi impiis* opponuntur, quum *illis reprobi, hiſce pii* ex oppoſitionis norma eſſent contraponendi. Hoc autem loco abſona eſt oppoſitio duorum, ubi ſub uno oppoſitorum etiam alterum comprehenditur. Impiorum enim vox etiam Electos hic comprehendit. Agitur enim de iis qui miniſtrorum verbi hortatione jubentur ut reſipiſcant: at reſipiſcentia præſcribitur impiis & peccatoribus tantum, ſive Electi ſint, ſive Reprobi, licet contrario eventu: loquor de prima ad pænitentiam hortatione.

Tertio mihi videris officium Miniſtrorum ſola hortatione ad pænitentiam circumſcribere, excluſa promiſſione, quæ altera pars eſt præconii ipſis concrediti. Dicunt enim, *Reſipiſcite & credite Evangelio, appropinquavit enim regnum cælorum.* Deniq; quid ad rem facit ſive ſciant ſive neſciant *qui & quot ſint Electi & convertendi?* Aliter, inquies, conciones inſtituerent, ſingulisque ipſorum ſtatui conformia proponerent. Id nego. Chriſtus enim Iudam reprobum eſſe ſcivit & cognovit, & tamen conciones ſuas illius cauſa non aliter diſpenſavit. Præcones verbi ab officii functione erga cætum aliquem deſiſtere non debent quoad licet ipſis & ſunt qui audire volunt; ubi vero ejiciuntur aut nulli omnino autem prebent docentibus, jubentur abire à Chriſto & pulverem pedum ſuorum excutere illis in teſtimonium. Vnde apparet docendi hortandiq; normam illis non eſſe internam, quam de Electione horum & reprobatione illorum habere poſſent, notitiam, ſed externam illorum quos docent obedientiam & contumaciam, ſive Electi illi ſint ſive ſint Reprobi.

Cur quos novit Deus nunquam converſuros ad pœnitentiam tamen hortetur.

Addis porro cauſam cur *Deus velit ad pænitentiam admoneri, quos pænitentiam nunquam acturos vidit*, nempe *ut inexcuſabiles reddantur.* At hic, inquã non eſt hortationis finis unicus, non præcipuus, non finis per ſe ſed per accidens, & eventus potius quam finis, niſi certo reſpectu ut videbimus.

Non finis *unicus*, quia alius eſt: ut officii admoneantur & ad fidem converſionemque invitentur incitenturque. Rom. 2.4. *An ignoras te Dei benignitate ad reſipiſcentiam deduci?* Item ut Deus ſibi ſuoque erga creaturas ſuas amori etiam iſto longanimitatis & patientiæ exercitio ſatisfaciat. *Eſa.* 5. 1. 2. 3. 4. *Quid amplius faciam vineæ meæ.* Rom. 9. 22. *Deus pertulit multa lenitate vaſa iræ coagmentata ad interitum.* Iſti etiam duo fines longè ſunt illo inexcuſabilitatis fine præſtantiores, itaque ille non *præcipuus*. Non eſt finis *per ſe*, quia adhortatio non reddit inexcuſabiles niſi ſpreta & rejecta; hoc autem accedit hortationi ex malitia vocatorum. Neque illum finem intendit Deus, niſi & præſcius quod fruſtranea ſit futura admonitio per malitiam, non per infirmitatem eorum qui admonentur, & niſi jam ſæpè fruſtra illos ad pænitentiam invitaverit, ut eſt Eſai. 6. *Obdura cor populi hujus*, &c. Diſtinguendum enim eſt inter hortationem primo factam, & bis ter ſæpius iteratam; & ejuſdem poſt diuturnam contumaciam ultimam propoſitionem. Illa enim fit ex gratia & miſericordia erga miſeros peccatores, hæc ex indignatione adverſus præfractos, qui indurati ſuo vitio divinæ ſe indurationis dignos fecerunt. Inexcuſabilitas ergo iſta evētus potius eſt admonitionis, quam finis Deo propoſitus, niſi adverſus præfractos & propter malitiam voluntariam incorrigibiles. Et meritò quidem hic eventus ex admonitione rejecta exiſtit, ut admonitio ipſis ſit odor mortis ad mortem, quam ſibi odorem vitæ ad vitam eſſe noluerunt, ut cederet ipſis in contumaciæ teſtimonium quam pœnitentiæ remedium habere renuerunt, ut inciderent in voluntatem Dei juſtam punientemque, qui voluntati ipſius miſericordi & benevolæ parere recuſarunt.

At regeret quiſpiam, nullum alium Deo iſta ad reprobos facta adhortatione finem fuiſſe propoſitum, quam ut inexcuſabiles redderentur, tum quia reprobationis decreto ſtatuerit illis pænitentiam & fidem non dare, quam tamen niſi illo dante habere non poſſunt: tum quia Deus nullum alium finem quam illum inexcuſabilitatis aſſequitur; qui tamen fine ſuo nunquam fruſtratur. Argumenta iſta videntur quantivis pretii eſſe, & difficultatem non exiguam habere, quæ ſi commode tolli poſſit analyſi & explicatione neceſſaria adhibita, non dubium quin toti, quod agimus, negotio multum lucis & claritatis inde ſit acceſſurum. Ego experior divina fretus gratia & Sp. ſancti auxilio nixus quid poſſim. Tu Perkinſe aderis mihi, & ſi quid deſiderabis, placide aperies: comperies, ſpondeo, reipſa me & moneri, & corrigi poſſe, monſtratæq; veritati manum cedere. Operæ pretium autem facturus videor, ſi argumenta ſingula cum quæſtionis partibus in ſyllogiſmi formam diſponam: atque inde ſingulas ſyllogiſmi partes examinem ad normam veritatis.

An nullo alio fine quam ut fiant inexcuſabiles?

Quod ad prius attinet argumentum, ita diſponi poterit meo judicio.

Prima objectio pro affirmativa.

Quibus Deus certo decreto ſtatuit pænitentiam & fidem non dare, illos ad fidem & pænitentiam non hortatur in alium finem quam ut inexcuſabiles reddantur.

At Deus ſtatuit decreto reprobatio-

bationis reprobis pænitentiam, & fidem non dare.

Ergo, quod Deus reprobos hortatur ad fidem & pænitentiam, in nullum alium finem facit, quam ut inexcuſabiles reddantur.

Reſponſio ad propoſitionem Reſpondeo *ad propoſitionem* I. Illam mihi videri niti falſa hypotheſi. Præſupponit enim, *Deum externa Euangelii prædicatione ad fidem & pænitentiam hortari nonnullos, quibus certo decreto ſtatuit fidem & pænitentiam non dare.* Quod thema mihi à veritate diſcedere videtur.

Primo, Quia invertit ordinem decretorum & actuum divinorum. Decretum enim quo Deus ſtatuit nonnullos ad fidem & pænitentiam hortari externa Euangelii prædicatione, præcedit ordine decretum non dandi pænitentiam & fidem. Illud enim decretum eſt voluntatis Dei antecedentis, hoc vero conſequentis. Quod multis iiſque apertiſſimis Scripturæ locis probari poteſt. *Eſa.*6. *Obduratio & excæcatio* denuntiatur iis, qui Deo vocanti *parere recuſarunt. ut* ex 5. *capite* apparet. Cui aperte conſonat Apoſtolus Paulus *Act.* 28. 26. 27. Hunc locum citans adverſus Iudæorum illos qui non credebant. *Pſal.* 81. 12. 13. *Non paruit populus meus voci meæ, Iſrael noluit mihi obtemperare. Permiſi igitur eos fortitudini cordis eorum, & ambularunt in conſiliis ſuis.* Hoſ. 1. Iſraelitæ non appellantur à Deo non dilecti ſeu miſericordiam non conſecuti, non populus Dei, niſi poſtquam incredulitatis & Idololatriæ crimine tetro rejectionem iſtam eſſent promeriti. *Luce.*7. verſ.30. *Phariſæi & Legis interpretes conſilium Dei rejecerunt adverſum ſemet ipſos, non baptizati ab eo. Actor.* 13. 46. *Tunc libertate uſi Paulus ac Barnabas dixerunt; Vobis neceſſe fuit primum exponi, ſermonem Dei, poſtquam autem repellitis illum, & indignos vos ipſos decernitis æterna vita, ecce convertimur nos ad Gentes Rom.*9. dicuntur Iudæi *impegiſſe in lapidem offendiculi,* quia non per fidem in Chriſtum, ſed per legem juſtificari quæſiverunt. 1. Pet. 2. 7. 8. dicitur Chriſtus *petra offendiculi immorigeris, & iis qui offendunt ad ſermonem.* Vnde apparet decretum de excæcando, indurando, gratiam fidei & pænitentiæ non dando, eſſe voluntatis Dei conſequentis, nitens incredulitatis, inobedientiæ, contumaciæque prævisione. Quare id thema mutato ſubjecto in attributum, & vice verſa ita enuntiari debet. *Deus ſtatuit certo decreto illis pænitentiam & fidem non dare, quos prævidit Euangelii prædicationem, qua ad fidem pænitentiamque vocabuntur, rejecturos malitia & contumacia ſua.* Neque inde ſequitur Deum decreviſſe fidem dare iis quos prævidit obedituros. Longè enim diſpar eſt ratio actuum miſericordiæ & juſtitiæ divinæ. Hi enim cauſam habent ad hominibus, illi occaſionem quidam ab hominibus habent, cauſam vero à ſolo Deo. Huc facit locus Auguſtini lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. Noluit Eſau & non cucurrit; ſed & ſi voluiſſet & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui etiam velle & currere vocando præſtaret niſi vocatione contempta reprobus fieret.

Secundo, Quia inſimulat Deum hypocriſeos, utpote qui hortatione ad fidem illis talibus facta poſtulet ab illis ut credant in Chriſtum, quem tamen illis non poſuit Salvatorem, odorem vitæ ad vitam, in reſurrectionem, ſed odorem mortis ad mortem, lapidem offendiculi,

in ca-

in caſum & ſignum cui contradicatur.

Si quis dicat, Deum ab illis fidem non poſtulare, ſed tamen ab Electis, qui illis reprobis permixti ſunt: illam autem exhortationem ab adminiſtris verbi ignaris qui ſint electi & reprobi, ad illos etiam inſtitui; huic reſpondebo, tum neque illos tales immorrigeros dici poſſe, quod exhortationi ad ipſos non factæ non obediant. Si vero illa hypotheſis falſa ſit, jam & hoc quod ſequitur argumentum nullius eſt momenti. utrobique enim præſupponitur, Deum hortari ad pænitentiam & fidem eos, quibus ſtatuit fidem & pænitentiam non dare. Si enim tales non hortatur ad pænitentiam, jam neque hortatur in aliquem finem, ſive ut inexcuſabiles ſint, ſive alium quemvis.

Nihil obſtat huic meæ reſponſioni quod reprobatio ſit ab æterno facta. Videndum enim quis ſit primus externus actus vel negativus vel affirmativus in hominem vel circa hominem reprobatum ab æterno interno actu Dei. Primus enim actus externus in hominem vel circa hominem reipſa jam exiſtentem facit illum actu reprobum, quemadmodum actus Dei internus facit illum in Dei mente & conſilio reprobum. hoc eſt, quod vulgo dicitur, diſtinguendum inter ipſum decretum & exſecutionem decreti. Certum autem eſt hominem actu reprobum dici non poſſe, in quo Deus decretum reprobationis nullo adhuc externo actu cæpit exſequi.

II. Dico & alio modo mihi iſtam propoſitionem videri à vero abſonam, quia ſtatuit reprobos inexcuſabiles fieri, quum ordine inverſo illi qui ſint inexcuſabiles reprobentur. Iuſta enim reprobatio, & propterea reprobi ante actum reprobandi inexcuſabiles, ante actum externum reipſa inexcuſabiles, ante decretum reprobandi prævisi ſeu præſciti ut inexcuſabiles. Si reprobati propter peccatum originis, propter hoc inexcuſabiles; ſi propter incredulitatem & rejectum Chriſtum reprobati, propter illam incredulitatem inexcuſabiles.

III. Reſpondeo ad eandem propoſitionem, fieri non poſſe ut illa hortatio, quæ horſum tantum inſtituta eſt ut auditorem inexcuſabilem reddat reipſa & jure inexcuſabilem reddat auditorem. Hortatio enim reddit inexcuſabilem non qua facta ſed qua repulſa: Repulſio porro quæ inexcuſabilem reddet repellentem, non debet eſſe inevitabilis. Repulſio autem hortationis de qua hic agitur, eſt inevitabilis. Primo, quia fit ad illum circa quem jam Deus actu aliquo reprobationis externo eſt verſatus: at ille talis non poteſt vitare inobedientiam iſtam, ſecundum dictum Chriſti Ioh. 12. 39. 40. *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias: Excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum*, &c. Secundo, Quia horſum tantum inſtituta, ut repellatur. Illa autem inſtitutio eſt ex voluntate Dei conſequente, quæ ſemper impletur & finem ſuum aſſequitur. Ergo illa repulſio eſt inevitabilis. Vnde quum propoſitio iſta triplici nomine falſa ſit, ſequitur concluſionem iſtam hoc ſyllogiſmo non concludi. At videamus aſſumptionem. Nam & de illa, & per illius occaſionem nonnulla dicenda erunt, quæ noſtro negotio

non

non parum commodabunt. Ita autum habet.

Ad aſſumptionem. At Deus ſtatuit decreto reprobationis reprobis fidem & pænitentiam non dare: concedo lubens illam aſſumptionem, ſed recte intellectam. Quo autem recte intelligatur, neceſſe eſt, ut explicetur, quæ ſit illa fidei & pænitentiæ non datio ſeu negatio decreto reprobationis ſtatuta. Eſt enim & negatio alia fidei & pænitentiæ, quæ per decretum providentiæ, qua illud contra reprobationis decretum diſtinguitur, adminiſtratur; inter quas niſi accuratè diſtinguatur, fieri non poteſt quin erretur. Dico igitur: fidem & pænitentiam niſi Deo dante haberi non poſſe, planiſſimum eſt in Scripturis. At eadem Scriptura imo & natura utriuſque doni, clariſſime docet dationem illam fieri per modum ſuaſionis. Iſta fit per verbum Dei. Inſtituitur autem ſuaſio extrinſecus per verbi prædicationem, intrinſecus per Sp. ſancti operationem vel potius cooperationem, horſum tendentes, ut verbum intelligatur certaque fide appræhendatur. Quæ duo pæne ſemper conjunguntur. Nam Deus ſtatuit per verbi prædicationem credentes ſalvare, & verbi prædicatio citra Sp. ſancti cooperationem eſt inutilis neque quippiam efficere poteſt. Iuxta id quod dicitur. 1. Cor. 3. *Qui plantat & rigat nihil eſt, ſed Deus qui dat incrementum.* Deus autem non vult verbum ſuum inutiliter prædicari, juxta dictum Eſaiæ 55. v. 11. *Sic erit verbum meum quod egreditur ex ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed facit quod volo & proſperatur in his ad quæ miſi ipſum.* Eſt autem inutile citra Sp. ſancti cooperationem; quare junctam ſibi ſemper habet Sp. ſancti cooperationem. Qua de cauſa Euangelium etiam miniſterium Spiritus dicitur, & illi qui Euangelio reluctantur, Spirit. ſancto reſiſtere dicuntur, non tantum quia obſiſtunt externæ prædicationi Sp. ſancti juſſu & ductu adminiſtratæ, ſed etiam quia reluctantur cooperationi Spiritus ſancti. Vnde etiam nonnulli in Spiritum ſanctum peccare dicuntur, utpote qui veritatem Sp. ſancti ſuaſione ipſorum mentibus perſuaſam ex malitia abnegant, odio proſequuntur & blaſphemant. At vero hæc interna Sp. ſancti ſuaſio duplex eſt. Vna ſufficiens, altera efficax. Illa qua poteſt velle, & credere, & converti cui adhibetur. Iſta qua vult, credit, & convertitur cui accommodatur. Illa adhibetur decreto Providentiæ, cum certa præſcientia fore ut rejiciatur à libero arbitrio hominis; iſta ex decreto prædeſtinationis adminiſtratur cum certa præſcientia fore ut reipſa velit, credat, & convertatur ille cui accommodatur & adhibetur: propterea quod ita accommodatur prout Deus novit congruum eſſe perſuadendo & convertendo illi cui adhibetur. Hæc ex Auguſtini ſententia dicuntur. Vnde etiam duplex eſt negatio gratiæ, ſufficientis nempe ſine qua homo nec credere nec pænitentiam agere poteſt; & efficacis, ſine qua actu non credet neque convertetur. Reprobationis autem decreto non negatur propriè gratia ſufficiens, quia multis reprobis illa contingit, nempe iis qui externa prædicatione Euangelii ad fidem & pænitentiam vocantur: ſed gratia efficax, qua gratia non tantum poſſunt credere & converti, ſi velint, ſed & volent, credent,

2. Cor. 3. Act. 7. & 13. Matth. 12.

credent, convertentur, & certo infallibiliterque volent, credent, & convertentur. Quare aſſumptio hunc habet ſenſum. *Deus certo reprobationis decreto ſtatuit nonnullis fidem & pænitentiam non dare, ſcilicet adhibendo illis gratiam efficacem, qua certo credant & convertantur.* At illo decreto non negavit illis gratiam qua credere & converti poſſint, ſi vellent. Imo alio decreto, providentiæ nempe, prout illa contra prædeſtinationem diſtinguitur, ſtatuit illis dare fidem & pænitentiam per gratiam ſufficientem: hoc eſt ita dare ut illi poſſint accipere, per vires ipſis à Deo datas, neceſſarias & ſufficientes ad accipiendum. Statuit igitur Deus decreto providentiæ qua adminiſtratur externa illa prædicatio erga illos, quos Deus præſcit pænitentiam non acturos neque credituros, illis talibus dare gratiam ſufficientem, & vires neceſſarias ad credendum & convertendum ſe ad Deum. Atque huic ſtatuto nititur inexcuſabilitas illorum qui vocantur per gratiam ſufficientem ad fidem & pænitentiam. Statuit autem porro iiſdem gratiam efficacem non dare, idque decreto reprobationis. At iſti negationi non innititur inexcuſabilitas eorum. Imo ſi gratia ſufficiens tollatur, merito excuſantur qui non credunt & convertuntur, propterea quod ſine illa nec credere neque converti potuerunt. Hiſce autem ita explicatis ex mente Auguſtini, fors & Scripturæ ſenſu, ſequitur concludi non poſſe, quod Deus reprobos in nullum alium finem ad fidem & pænitentiam hortatur, quam ut ſint inexcuſabiles. Iuxta decretum enim providentiæ quo illis gratiam ſufficientem dat ad credendum, hortatio ad fidem & pænitentiam inſtituitur; eſtque in hunc finem, ut illi juxta id decretum ad fidem & pænitentiam adducantur, atque Deus ſuæ bonitati & gratiæ ſatisfaciat, immuniſque ſit à culpa perditionis illorum. Non autem inſtituitur hortatio juxta decretum reprobationis, quare neque finis illius hortationis decreto reprobationis eſt menſurandus.

Secunda obiectio.

Argumentum ſecundum ita diſponi poterit, & redigi in ſyllogiſmi formam. Deus nullum ſuo facto aliquo finem habet propoſitum, niſi quem aſſequitur, nunquam enim ſine ſuo fruſtratur. At Deus hortatione ad reprobos facta nullum alium finem aſſequitur quam inexcuſabilitatis, ut ipſi inexcuſabiles reddantur. Ergo Deus iſta hortatione ad reprobos facta nullum alium finem habet propoſitum.

Reſponſio ad Maiorem.

Reſpondeo *ad maiorem*, ſimpliciter mihi falſam videri. Deus enim non omnia facta ſua inſtituit ſecundum voluntatem conſequentem, quæ ſemper impletur, ſed multa adminiſtrat ſecundum voluntatem ſuam antecedentem, quæ non ſemper impletur. Legiſlatio, Euangelii promulgatio, promiſſio, comminatio, admonitio, repræhenſio, inſtituuntur ſecundum voluntatem Dei antecedentem, poſtulatque illis ſuis actionibus obedientiam, fidem, pænitentiam, converſionem, & horſum illæ actiones ſunt inſtitutæ: tamen non ſemper Deus illos fines aſſequitur. Falſitatem autem illius propoſitionis apertiſſimis Scripturæ locis convincere licet. Dicit Deus Eſaiæ 5. *Expectavi uvas & fecit mihi labruſcas.* Matth. 23. *Quoties volui congregare vos, at noluiſtis.* 2. Pet. 3. 9.

Deus

Deus patiens eſt erga nos, nolens ullos perire ſed omnes ad pænitentiam tendere. Luc. 7. dicuntur, *Phariſæi conſilium Dei quod erat de ipſis*, per Iohannis prædicationem & baptiſma ad communionem regni ſui adducendis, *adverſus ſeipſos ſpreviſſe.* At vero licet Deus iſto particulari fine fruſtretur, non poteſt tamen in univerſum fine ſuo fruſtrari. Si enim noluit converti & ſalvari, jam Deus alium finem adjunxit & propoſuit ſibi voluntate conſequente, ut in juſta illorum condemnatione glorificetur. Quare ut propoſitio iſta à falſitate liberetur, ita eſt corrigenda. Deus nullum ſua voluntate conſequente finem habet propoſitum, quem non aſſequitur. Si quis dicat hinc ſequi Deum eſſe aut inſipientem & futurorum non præſcium, aut impotentem. Reſpondeo non ſequi. Nam Deus non ſemper ex præſcientia ſibi finem proponit. Deinde non vult Deus ad omnem, quem ſibi proponit finem aſſequendum omnipotentia ſua uti.

Ad Minorem. Ad minorem quod attinet, videtur mihi & illa falſitate laborare. Nam aſſequitur Deus iſta hortatione finem alium quam iſtum inexcuſabilitatis; nempe ſatisfacit ſuæ bonitati & amori erga eos. Adde quod, quum inexcuſabilitas non hortatione facta ſed rejecta exiſtat, Deus illam non habuerit propoſitam, niſi prævidens hortationem fruſtra illis propoſitum iri. Atque hac ratione non eſt inexcuſabilitas intenta voluntate antecedente hortationis adminiſtratrice, ſed voluntate conſequente hortationis rejectæ punitrice.

Hinc ergo ſequitur concluſionem ex falſis propoſitionibus veram deduci non poſſe. Abbatis Ioachimi dicta ſecundum hanc noſtram explicationem intelligenda ſunt, aut eodem vitio laborabunt, quod in tuis dictis jam animadvertimus.

An mandatum Dei cum ejuſdem decreto pugnare poſſit? Mandatum Dei quo fidem & pænitentiam mandat iis quibus Euangelium annuntiatur, cum decreto Dei nullo modo pugnare poteſt. Nulla enim qualiſcunque Dei voluntas ſeu volitio alteri cuilibet contraria eſſe poteſt. Poteſt autem decretum aliquod Deo aſſignari per inſcitiam, quod cum mandato pugnet; poteſt etiam decretum aliquod Dei, quod ipſi in Scripturis tribuitur, ita explicari, ut neceſſario in Mandatum Dei impingat. Mandatum quo Deus fidem alicui mandat, declarat Deum velle ut ille, cui Mandatum præſcribitur, credat. Si jam quis decretum aliquod Deo aſcribat, quo velit ut ille talis non credat, jam illud decretum mandato erit contrarium. Fieri enim non poteſt ut Deus contradictoria ſimul velit, quocunque modo aut ſub quacunque diſtinctione voluntas conſideretur. Sunt autem contradicentia credere & non credere, velle ut aliquis credat, & velle ut ille idem eodem modo conſideratus non credat. Tale autem decretum eſt, quo dicitur Deus ſtatuiſſe concurſum ſuum ſive generalis gubernationis ſive ſpecialis gratiæ denegare, citra quem novit actum fidei præſtari non poſſe ab eo, quem mandato ſuo ad fidem hortatur. Qui enim vult negare alicui auxilium neceſſarium ad fidei actum præſtandum, ille idem vult ut iſte talis non credat. Qui enim in cauſa aliquid vult, idem recte dicitur & effectum ex iſta cauſa neceſſario exiſtentem velle. Nam quem-

admodum dici nequit, Deum velle ut ille porrò ſit, cui conſervationis ſuæ actum denegat, ita quoque dici nequit, velle ut ille actus præſtetur ab aliquo, cui concurſum & auxilium ſuum præſtando actui neceſſarium negat. Non enim magis eſt homini neceſſarius actus conſervationis divinæ, ad hoc ut eſſe perſeveret, quam auxilii divini concurſus ad hoc ut fidem Euangelio habere poſſit. Quare ſi iſta nolitio efficiendi quod præcipit Deus, de qua tu loqueris, notet concurſus Dei neceſſarii ad fidem præſtandam promiſſioni, negationem, tum ſane impingit in mandatum, & nullo modo cum eo conciliari poteſt. Habet enim illa huiuſmodi negatio rationem impedimenti generaliſſimi & efficaciſſimi: ſicut nihilum impeditur ne aliquid fiat efficaciſſime per nolentiam vel voluntatem creandi, & quod eſt, ne porro ſit per voluntatem conſervandi. Si iſto inquam ſenſu nolitionem efficiendi intelligis, tum ſanè per neutram reſponſionem tuam Dei voluntatem à contradictione liberas.

Examinatur prima reſp. Perkinſii ad hanc difficultatem.

Dicis *Deum in mandatis & promiſſionibus non omne id dicere quod decrevit, ſed voluntatem ſuam tantum ex parte proponere.* Concedo. At aio, id quod Deus in mandatis & promiſſionibus dicit tale eſſe, ut Deus citra contradictionem dici nequeat decreto aliquo ſuo contrarium illius velle aut ſtatuere: alia enim eſt ratio tacendi nonnulla volita, alia vero contraria volita volendi. Mandato non omne Dei volitum oſtendi, ſed illud tantum quod probat & à nobis fieri vult, eſt certum ex ipſa Mandati generaliſſima notione. At nullum eſt decretum Dei quo aliquid velit iſti Mandato contradictorium. Velim autem conſideres quam inconcinne illa quæ ſequuntur enunties. Quæ enim ſunt iſtæ phraſes? *Deum velle aliquid in aliis, Deum velle converſionem in aliis, & quod ad probationem, cohortationem & media.* Si de voluntate poſtulandi converſionem ais iſta, aliter enuntianda fuerunt: Si de voluntate efficiendi converſionem, etiam aliter. Neutro modo ſumpta oratio recte eſt enuntiata. At puto te de voluntate efficiendi loqui, ſecundum quam non vult æqualiter converſionem operari in omnibus, à quibus illam æqualiter & eodem jure poſtulat. In aliis enim illam tantum vult efficere per externam prædicationem, cohortationem, & media ſufficientia: Ita enim explico; ſi ex tua mente, recte quidem, ſin minus, velim quæ hic media intelligas, nobis enuclees: in aliis vero eam vult efficere per media efficacia ſecundum decretum prædeſtinationis adminiſtrata. Hic ſane nulla eſt voluntatum pugna, ſed diverſi tantum volendi gradus quoad nos, ſeu potius diverſæ Dei ſecundum diverſa objecta volitiones: ſecundum quos tamen gradus non poteſt dici volens & nolens idem objectum, volens nempe converſionem & nolens converſionem unius eiuſdemque hominis; obſervatis legibus juſtæ oppoſitionis. Velim mihi explicari *quomodo Deus ex animo velit ut in Chriſtum credat ille, quem à Chriſto alienum eſſe vult, & cui neceſſaria ad fidem auxilia negare decrevit;* hoc enim eſt alicuius converſionem nolle.

Secunda.

Ad *Secundam reſponſionem* dico; non ſufficere ut dicas, *voluntatem revelatam non eſſe adverſam voluntati* [illegible]

εὐδοκίας, ſed ita eſſe negotium prædeſtinatiois pertractandum, ut voluntas εὐδοκίας in revelatam non impingat: ita enim oppoſitionis iſtius terminos puto enuntiandos. Nam voluntas quam εὐδοκίας appellas ad revelatam eſt examinanda, quare hæc cum illa in gratiam reducenda, non illa cum hac concilianda. At velim conſiderari, quo jure, voluntas revelata contra εὐδοκίαν diſtingui ſoleat, quum εὐδοκία Dei etiam ſæpiſſime reveletur. Eſt enim εὐδοκία Dei ut omnis qui Filium videt & credit in eum, habeat vitam æternam. Deinde vox εὐδοκίας in Scriptura ſemper uſurpatur de propenſa Dei voluntate quæ beneplacitum dicitur, non de placito Dei generatim: neque poteſt reprobatio ad εὐδοκίαν referri: Nam omnis Dei εὐδοκία erga homines eſt in Ieſu Chriſto; Canentibus Angelis Luc. 2. ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. *Locus Matt. 11.28.* Quod ad locum Matth. 11. 28. ubi vox εὐδοκίας uſurpata videtur de placito Dei, quo myſteria regni cæleſtis abſcondit à ſapientibus, & revelavit parvulis: reſpondeo εὐδοκίαν proprie referendam ad id de quo Chriſtus gratias agit Patri: illud autem eſt, quod myſteria cæleſtia parvulis aperuerit. Ita enim legendum: *Ago tibi gratias Pater quod myſteria quæ abſcondiſti à ſapientibus, parvulis revelaris.* Non enim gratias agit Chriſtus Patri, quod myſteria à ſapientibus abſconderit: oravit enim pro iſtis mundi ſapientibus qui ipſum crucifixerunt. Dicuntur enim principes huius mundi ipſum crucifixiſſe. 1. Co. 2, 8. & dicitur oraſſe pro perſecutoribus ſuis, & ſingulatim qui ipſum crucifixerant.

At quomodo voluntas patefacta cum voluntate beneplaciti, voce iſta ex vulgari ſenſu uſurpata, *ſemper convenit quoad initium & finem ſcopumque,* quum voluntas revelata ſit ſæpe de alio objecto quam voluntas beneplaciti? & ſi de eodem ſit ſubjecto utraque, non poteſt idem initium idemque finis & ſcopus eſſe utriuſq; ; niſi & beneplaciti voluntate id velit Deus quod revelata ſe velle declarat. niſi forte idem initium intelligatur univerſe Deus, & idem finis gloria Dei. Quod vero *diverſa ſæpe videatur, imo & in ſpeciem contraria voluntas revelata decreto Dei, & quidem quoad modum proponendi,* id verum eſt, ſi id *videri,* tribuis hominibus imperitis, & volendi modos diverſos objectaque varia non bene diſtinguentibus: qui autem recte hæc introſpiciunt & judicant, iis ut diverſæ, nunquam tamen contrariæ videntur duæ iſtæ voluntates Dei.

Quod ad *mortem Ezechiæ & excidium Ninivitarum* attinet, Deus ſcivit ad juſtitiam ſuam pertinere, niſi illam miſericordia temperaret, Ezechiæ vitam abrumpere & Ninivitis excidium immittere: quod etiam juſtitiæ ſuæ jus per Eſaiam illi, & Ionam iſtis, denuntiari voluit. At noluit Deus iſtum juſtitiæ ſuæ affectum explere niſi intercedente miſericordiæ decreto; quo ſtatuit neque mortem Ezechiæ neque excidium Ninivitis eſſe inferendum, niſi antea præmonitis ut per preces vultum Dei quærerent, & malum deprecarentur; quod ſi facerent, illis parcendum eſſe. Facturos autem ſcivit, gratia quippe & auxilio divino, quo cooperari ſtatuerat externæ prędicationi adjutos: atq; ita decrevit vitam Ezechiæ prorogare, & Ninivitarum urbem ab internecione conſervare.

Nulla itaque hic ne apparens quidem contrarietas.

De *voluntate Christi humana & divina* quod dicis, ad præſens negotium non facit. Vera enim ibi fuit diſſenſio: at non mirum, quum volitiones iſtæ non fuerint unius principii, licet unius fuerint perſonæ, duas in ſe naturas & propterea voluntates duas complexæ. At liceat & hoc mihi addere, quod Chriſtus & liberari voluerit & non liberari. Dixit enim ut homo, *Pater tranſeat à me calix iſte*: & correxit ſe ipſe ut homo, dicens: *Non mea ſed tua voluntas fiat*: quod de humana voluntate intelligendum eſſe apparet, propterea quod Patris & Filii qua Deus eſt una eademque ſit voluntas, ut una natura. Dicam verbo, Chriſtum ſecundum externum hominem voluiſſe liberari à morte inſtante, at ſecundum internum hominem ſubjeciſſe ſe voluntati divinæ. Et ſi mihi permittas, dicam, affectum in eo fuiſſe & deſiderium liberationis, non volitionem. Volitio n. ſequitur extremum rationis & ſapientiæ judicium, deſiderium ſequitur antecedens ſenſuum ſeu affectuum judicium.

Quod *Abraham acceperat Sodomitas decreto Dei exitio devotos*, Scriptura non dicit; quod idem *ex fide orare potuerit* pro iis, quos ſcivit decreto Dei irrevocabili exitio devotos, non fit mihi veriſimile. Pro talibus enim orandum non eſt. Iubet enim Deus ne Hieremias oret pro populo quem jam irrevocabili ſuo decreto & voluntate conſequente captivitati & exitio deſtinaverat & devoverat. Licet enim ad preces pro quibuſvis rebus impetrandis non requiratur, ut quis certo credat rem quam expetit, certo futuram; neceſſe tamen eſt, ut mens precantis certo credat, Deum pro ſua omnipotentia & miſericordia, id quod rogatur, facere & poſſe & velle, ſiquidem norit id gloriæ ſuæ conducere. At quod Deus decrevit non facere, quodque ſignificavit abſolute ſe non facturum, hoc ſtante iſto decreto neque facere poteſt, neque unquam facere volet, & fas non eſt homini fideli Deum precibus ſuis pro iſta re ſollicitare, ſi ipſi Dei decretum fuerit patefactum.

Tertia reſponſio eſt, *Deum* creditoris inſtar *poſſe jubere quod ipſe nolit facere.* At æquivocatio eſt ſeu amphibologia in verbis, *quod ipſe nolit facere.* Intelligi enim poteſt vel de concurſu Dei neceſſario ad faciendum quod jubet, vel de efficaci, quo certo fit quod jubet. Si de hoc, verum eſt. At nulla vel ſpecies pugnæ ſeu contrarietatis eſt inter hæc duo, *poſtulare ſeu jubere ut aliquid fiat, & efficaciter id non efficere.* Si de illo, verum non eſt; Non enim jubet Deus, ad quod efficiendum neceſſarium auxilium denegat, niſi quis ſua culpa ſe gratia iſta privarit & auxilio indignum fecerit. Ius enim creditoris manet, etiamſi qui debet factus ſit non ſolvendo ſuapte culpa. Verum res ita non habet in mandato, quo fides præſcribitur: fides enim in Chriſtum non includitur debito, quod homo ſecundum primævam ſuam ad imaginem Dei creationem & inſtitutionem ſolvere Deo tenebatur. Illa enim neceſſaria eſſe cœpit, poſtquam Deus impetrandæ ſalutis conditionem ab obedientia legali in fidem in Chriſtum tranſtulit. *Tertia.*

Exhibitio Mediatoris eſt, tum qua Mediator ſe Deo Patri exhibuit hoſtiam *Definitio gradus tertii.*

hoſtiam pro peccatis mundi, tum qua pater Mediatorem mediationis munere functum & remiſſionem peccatorum æternamq; redemptionem nactum per Verbum & Spiritum ſuum offert mundo per illum reconciliatio. Illa pertinet ad ſalutem comparandam, hæc ad eandem applicandam per fidem in eundem Mediatorem. Illa eſt execitio deſtinationis & promiſſionis, hæc cum oblatione, quam in promiſſione conſideravimus, coincidit. At exhibitio illa quæ abs te definitur, non eſt applicationi immediatè præcedanea; intercedit enim inter illam exhibitionem & applicationem exhibitio Mediatoris per Verbum & Spiritum ſanctum.

De virtute λύτρου à Mediatore ſoluti, conſiderata ſecundum Perkinſium.

At quæ de pretii à Chriſto ſoluti virtute & efficacia dicis, conſideratione indigent diligentiore. Ais *efficaciam pretii quoad meritum & operationem infinitam eſſe*; at diſtinguis inter *efficaciam potentialem & actualem*. Et potentialem quidem ita definis, ut cum ſufficientia pretii pro redemptione totius mundi idem ſit. At phraſi Theologis hactenus ignorata, qui ſimpliciter inter *efficaciam* & *ſufficientiam* meriti Chriſti diſtinxerunt. Et neſcio an non abſurde *efficacia potentialis* appelletur, propterea quod contradicens ſit in adjecto. Omnis n. efficacia eſt actualis, prout vox iſta Theologis hactenus eſt uſurpata. At omiſſis phraſibus res conſideretur. *Λύτρον* ſeu pretium mortis Chriſti *ſufficientia univerſale eſſe dicitur; at efficacia particulare*, hoc eſt, ſufficiens ad redemptionem totius mundi, & expiationem omnium peccatorum: at efficaciam illius ad omnes univerſim non pertinere; quæ efficacia conſiſtit in applicatione actuali per Fidem & Sacramentum regenerationis, ut loquuntur Auguſtinus & Proſper Aquitanicus. Si idem ſentis, benè eſt, & non admodum contradico. Verum ſi rectè te intelligo, videris mihi pretii iſtius ſufficientiam non ſimpliciter agnoſcere, ſed cum adjecta conditione, ſiquidem Deus voluiſſet illud offerri pro peccatis totius mundi; atque ita quod Scholaſtici categoricè enuntiabant. Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus & ſingulis ſufficienter, id ex tua mente ſub hypotheſi eſt enuntiandum, hoc nempe ſenſu: Chriſti mors eſſet ſufficiens pretium pro peccatis totius mundi & plurium mundorum, ſiquidem Deus voluiſſet illam pro omnibus hominibus offerri. Quo ſane ſenſu ſufficientia ſimpliciter tollitur. Si enim non eſt λύτρον oblatum & ſolutum pro omnibus, jam non eſt λύτρον, nedum ſufficiens pro omnibus. Λύτρον enim eſt, quod oblatum & ſolutum eſt. Poſſet itaque mors Chriſti dici ſufficiens redimendis omnium hominium peccatis, ſi Deus illum pro omnibus mori voluiſſet: at λύτρον ſufficiens dici nequit, niſi reipſa pro omnibus ſit ſolutum. Quare etiam Dominus Beza ἀκυρολογίαν notat in iſta diſtinctione, propterea quod peccatum ſimpliciter ſufficiens dicitur, quod non eſt tale, niſi ſub hypotheſi jam explicata. At vero mi Perkinſe, Scriptura apertiſſime dicit multis locis, *Chriſtum pro omnibus*, & *pro mundi vita* eſſe mortuum, idque mandato & gratia Dei. Decretum autem Prædeſtinationis nihil præſcribit univerſalitati pretii per mortem Chriſti pro omnibus ſoluti. Eſt enim morte Chriſti eiuſque propria efficacitate poſterius.

Nam

Nam pertinet ad applicationem beneficiorum morte Chriſti nobis partorum: at mors eſt pretium, quo iſta beneficia ſunt comparata. Perperam igitur dicitur & ordine inverſo, cum *Chriſtus pro electis tantum ac prædeſtinatis mortuus* dicitur. Prædeſtinatio enim non tantum morte, ſed & merito mortis Chriſti innititur: & propterea non mortuus Chriſtus pro prædeſtinatis, ſed prædeſtinati, pro quibus Chriſtus eſt mortuus, licet non omnes. Nam mortis Chriſti univerſalitas latius ſe extendit objecto prædeſtinationis. Vnde etiam concluditur, mortem Chriſti eiuſque meritum prædeſtinationem natura & ordine antecedere. Et quid eſt Prædeſtinatio aliud, quam præparatio gratiæ nobis morte Chriſti partæ & comparatæ? & præparatio ad applicationem pertinens, non ad ipſam gratiæ nondum exiſtentis acquiſitionem. Decretum enim Dei quo ſtatuit Chriſtum dare mundo Redemptorem, eumque ſtatuere caput fidelium tantum, prius eſt decreto, quo ſtatuit gratiam morte Chriſti partam nonnullis actu ipſo per fidem applicare.

Reſpondetur ad alteram rationem pro ad-[illegible].

Ad primam.

At inquis, *Chriſtus non ſacrificat pro iis pro quibus non orat. quia intercedere & ſacrificare ſunt conjuncta. At non orat pro omnibus* ſed *tantum pro electis & credentibus.* Ioh. 17. v. 9 *& orando ſe offert Patri.* Ergo *non ſacrificat pro omnibus: & per conſequens, mors eius non eſt λύτρον pro omnibus hominibus.*

Reſp. Propoſitionem mihi non videri uſque quaque veram. Sacrificatio enim prior eſt interceſſione. Non enim potuit cælos penetrare ut intercederet pro nobis in conſpectu Dei, niſi per ſanguinem carnis ſuæ: atque ita prior, ut ſacrificatio pertineat ad meritum, interceſſio ad meriti applicationem. Dicitur enim Mediator merito & efficacia applicandi. Meritum acquiſivit ſacrificio; pro applicatione intercedit: utrumque facit ut Sacerdos, at eandem applicationem actu peragit, ut Rex & Caput Eccleſiæ ſuæ. Verum quidem eſt, Chriſtum in diebus carnis ſuæ preces cum lachrymis Deo Patri obtuliſſe; at iſtæ preces non ſunt factæ pro impetranda applicatione bonorum promeritorum, ſed pro aſſiſtentia Spiritus ut conſiſtere poſſet in certamine. Si vero & preces tum obtulit pro impetranda applicatione, illæ nitebantur Sacrificio peragendo, tanquam peracto. Atque hoc ordine inter ſe conjunguntur ſacrificium & interceſſio. Ad minorem quod attinet, Reſp. Chriſtum etiam oraſſe pro non electis. Nam oravit pro iis qui crucifixerunt eum, pro inimicis ſuis, inter quos & non electi fuerunt. Principes enim ſeculi illum crucifixerunt, at plurimis illorum ſapientia Dei & virtus, quæ eſt Chriſtus, non eſt revelata. Secundo, præcationem Chriſti, quæ Ioh. 17. præſcribitur, peculiariter fuiſſe inſtituta pro credentibus & credituris, & quidem ad impetrandum & applicandum illis bona ſacrificio mortis ipſius promerenda. Petit enim *ut unum ſint cum Patre & Filio, ſicut Pater & Filius unum ſunt*: quod petere non poteſt, niſi reconciliatione peracta reipſa, aut conſiderata à Deo ut peracta. At vero non eſt eadem ratio omnium precum Chriſti. Tertio dico *Mundi* vocabulum iſto loco Ioh. 17. ſignificare proprie illos qui Chriſtum in verbo Euangelii ipſis annuntiatum rejiciebant, rejecturiq; poſtmodum

erant.

erant. Quod apparet ex oppoſitione: *Non pro Mundo rogo, ſed pro iis quos dediſti mihi*, quos deſcribit credentes & credituros. Quemadmodum & multis aliis locis *Mundi* vocabulum uſurpatur. Ioh. 1. 10. *Mundus eum non agnovit.* Ioh. 3. 19. *Lux venit in mundum, ſed dilexerunt homines potius tenebras quam lucem.* Ioh. 14. 17. *Mundus non poteſt recipere Spiritum veritatis.* Ioh. 16. 8. 9. *Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato, eo quod non credunt in me.* Ioh. 14. 22. *Quid eſt cur te nobis conſpicuum ſis exhibiturus, & non mundo?* Ergo ſacrificationis amplitudo non eſt interceſſionis exiguis terminis circumſcribenda.

Quo pacto autem, cum juſtitia Dei & ſacrificii Chriſti infinito valore conveniat, quod iſta *precatio ſit expiatoria & Canon ſacrificii*, velim ex *Illyrico* intelligere. Ego exiſtimo Chriſtum à Patre non tantum non petiiſſe ut ſacrificium ſuum gratum haberet, ſed ne petere quidem potuiſſe: ſi verum eſt quod Eccleſiæ noſtræ uno ore docent & confitentur, Chriſti ſacrificio Dei juſtitiæ pleniſſimè ſatisfactum eſſe. Illud autem fit in Miſſa Pontificia, quo etiam alludunt iſta verba, Canon ſacrificii.

De dicto Illyrici.

At verba concluſionem tuam continentia mirabilia ſunt: & nullum rectum ſenſum habentia. Quid enim eſt Chriſtum *deſtinatum eſſe λύτρον Filii interceſſione & oblatione.* Interceſſio eſt λύτρου poſterior. Ergo hoc per illam non deſtinatum. Oblatio eſt ipſius τοῦ λύτρου, ergo prior interceſſione, & nullo modo ipſius λύτρου deſtinatoria: Sed actio oblatoria. Quin & ipſum λύτρον, quod jam ſæpe dixi, prius electione eſt. Electio enim eſt ad vitam, quæ non eſt niſi per oblationem pretii. Niſi dicamus electionem eſſe ad vitam jam non exiſtentem neque dum promeritam, ne in decreto Dei quidem. *Agnus* enim *mactatus eſt ab initio mundi.*

Progrederis porro, & aliis argumentis eandem ſententiam confirmare conaris, at fruſtra. Veriſimilitudinem enim aliquam habere videntur, at veritatem nullam. Dicis; *Chriſtum tantum illorum eſſe Mediatorem, quorum perſonam ſuſtinuit in cruce. At Electorum tantum ſuſtinuiſſe in cruce perſonam.* Ergo *Electorum tantum eſſe Mediatorem.*

Ad ſecundam.

Reſpondeo ad Majorem non eſſe de eſſentia ſeu natura Mediatoris, ut alicuius perſonam ſuſtineat. Eſt enim Mediator inter duas partes diſſidentes conſtitutus. Itaque qua Mediator neutrius perſonam ſuſtinens. Niſi forte illa Mediationis ratio ſit neceſſaria, quæ poſtulet ut Mediator perſonam ſuſtineat partis alterius. Ratio autem iſta locum habet in Mediatione, quam poſtulavit juſtitia Dei. Illa enim nullam reconciliationis viam cum mundo peccatis obnoxio inire voluit, niſi Mediator de ſatisfactione ſponderet, & eam jure fidejuſſoris reipſa præſtaret. Atque hoc eſt quod dicitur. 2 Cor. 5. 19. & 21. *Deus in Chriſto reconciliavit ſibi mundum, Chriſtum pro mundo peccatum*, hoc eſt hoſtiam pro peccato, *faciendo.* Atque hoc ſenſu vere dicitur, Chriſtum non eſſe Mediatorem niſi illorum quorum perſonam ſuſtinuit. Sacrificii inquam reſpectu: omnis enim *Pontifex pro hominibus conſtituitur apud Deum.* Hebr. 5. 1. Diſtingui etiam hic poteſt inter actum quo reconciliatio impetratur, & ipſum actus iſtius apoteleſma,

Tollitur hypotheſis minoris.

leſma, quod eſt reconciliatio. Actus impetrans reconciliationem eſt oblatio in cruce à Chriſto peracta. Apotelеſma eſt reconciliatio. Reſpectu actus ſuſtinuit noſtram perſonam; nos enim meriti eramus mortem: non reſpectu apotelеſmatis. Nam effectus ex oblatione exiſtens nititur dignitate & excellentia perſonæ Chriſti, non noſtra, quorum perſonam ſuſtinuit. Imò ſi diſtinctius illa licet conſiderare; dicam, Chriſtum non actus. i. oblationis, ſed paſſionis reſpectu noſtram perſonam ſuſtinuiſſe. Factus enim eſt pro nobis execratio, & factus hoſtia pro peccato. Vnde apparet, quum omnes in univerſum homines ſint peccatores & maledictioni obnoxii, & Chriſtus humanam naturam omnibus communem aſſumpſerit; veriſimile eſſe quod omnium hominum perſonam ſuſtinuerit.

Demonſtratur falſitas Minoris.

At hoc videmus in Minore ſyllogiſmi tui, quæ ita habet. *At Chriſtus electorum tantum perſonam ſuſtinuit in cruce*, ubi duplex mihi occurrit labes.

I. Vna falſitatis, altera ἀκυρολογίας. Falſitas in eo eſt quod Chriſtus dicitur tantum perſonam Electorum ſuſtinuiſſe in cruce. Probo. Quia Scriptura hoc nuſquam dicit. Imo contrarium dicit plurimis locis. Chriſtus dicitur *agnus Dei qui tollit peccatum mundi*. Ioh. 1. 29. *Deus* dicitur *ita dilexiſſe* mundum *ut Filium ſuum dederit*. Ioh. 3. 16. *Chriſtus* dicit ſe *carnem ſuam dare pro* mundi *vita*. Ioh. 6. 51. *Deus erat in Chriſto* mundum *reconſilians ſibi*. 2. Cor. 5. 19. *Chriſtus eſt propitiatio pro* totius mundi *peccatis*. 1. Ioh. 2. 2. Samaritani dicunt, Ioh. 4. 42. *Nos ſcimus hunc eſſe vere Salvatorem illum* mundi *Chriſtum*. Item Ioh. 4. 14. *Nos vero ſpectavimus & teſtamur Patrem miſiſſe Filium, qui eſſet Salvator* mundi. Quod vero *mundi* vocabulo iſtis locis ſimpliciter tota hominum univerſitas intelligatur, tum ex ipſis, tum ex uſu Scripturæ eſt manifeſtum. Nullus autem meo judicio locus eſt in tota Scriptura, in quo *mundi* vocabulum *Electos* ſignificare, citra controverſiam poſſit commonſtrari. Dicitur etiam Chriſtus *pro omnibus mortuus*. *Heb.* 2. & alibi. Dicitur *Salvator* omnium *hominum maxime fidelium*. 1 Timoth. 4. quæ vox de conſervatione in hac vita nequit explicari citra torſionem & injuriam. Chriſtus etiam dicitur, 1. Tim. 2. 4. *Mediator Dei & hominum*: dicitur *mortuus pro infirmis, pro impiis, pro peccatoribus*. Rom 5. 6. 8.

II. Accedit huc quod ante breviter monui: Quod una eſt cauſa totius generis humani, omnes ex æquo in peccatis concepti & nati, & filii iræ: & quod Chriſtus aſſumpſit humanam naturam omnibus communem, non ex Abrahamo tantum & Davide, ut Mathæus recenſet genealogiam Chriſti; ſed etiam ex Adamo, ad quem Lucas aſcendit *cap.* 3. Obtulit ergo carnem quam habuit communem cum omnibus. Heb. 2. 14. *Quemadmodum pueri*, &c. Obtulit carnem iſtam pro cauſa & culpa communi, nempe pro peccato mundi, cuius reſpectu nulla eſt inter homines differentia: & jungit hanc cauſam Apoſtolus ad Heb. 2, ſuper citato, *ut per mortem aboleret illum, qui mortis habet imperium*.

III. Accedat horſum dignitas & excellentia perſonæ, quæ potuit λύτρον offerre æquivalens culpæ omnium hominum in univerſum. Veniat in conſiderationem gratioſus & tener affectus Dei erga humanum genus,

quæ

quæ in Scripturis generali voce φιλανθρωπία dicitur. Tit. 3.4. Quæ ſane vox generatim, ſignificat amorem Dei erga homines: qui affectus Deo tribui nequit, ſi Deus ullum hominem citra meriti ipſius & peccati conſiderationem odio proſequatur.

Scio reſponderi à nonnullis, Deum neminem quidem odiſſe niſi propter peccatum, ſed odio ſuo juſto deſtinaſſe, hoc eſt, reprobaſſe nonnullos citra peccati conſiderationem; ſed invertitur iſto pacto rerum ordo: non enim odit Deus quia reprobat, ſed reprobat quia odit; reprobat autem peccatorem, quia peccator & peccatum ex æquo illi inviſa & exoſa ſunt. Odium eſt affectus in Deo, quo injuſtitiam & injuſtum odit, ſicut in eodem eſt amor erga juſtitiam & juſtum. Reprobatio eſt actus Dei internus in propoſito, externus in exſecutione; & actus poſterior affectu eſt, ordine naturæ. Deſtinatio autem ad odium qualitercunque illa conſideretur, neceſſario habet hæc duo præcedanea, odium adverſus injuſtitiam, & præviſionem quod homo ſua culpa injuſtitiam ſit admiſſurus, ſive commiſſurus.

Scio quidem φιλανθρωπίαν iſtam Dei non eſſe omnimodo æqualem erga omnes & ſingulos homines, ſed & nego tantum eſſe diſcrimen iſtius erga homines amoris divini, ut cum hiſce non niſi ſecundum legis rigorem ſuæ agere inſtituerit, cum aliis vero ſecundum miſericordiam ſuam & gratiam in Chriſto Euangelio ipſius explicatam. Secundum illum rigorem cum Angelis lapſis agere voluit, ſecundum hanc gratiam cum omnibus hominibus in Adamo lapſis. Omne enim bonum, quo etiam miſericordia & longanimitas compræhenditur. Exod. 33. 19. & 34.6.7. ſtatuit in hominum ſalute vel ſalvatione oſtendere. Niſi diſcrimen illud quod plerique Theologi ſtatuunt inter Angelorum & hominum lapſum, tollere magna ex parte velimus. Dicunt enim Angelos lapſos citra ſpem reſtaurationis, homines vero reſtaurari poſſe in integrum: cauſamque aſſignant, quod Angeli proprio motu & inſtinctu, homo Angelo malo inſtigatore & ſuaſore peccaverit.

Addamus hiſce omnibus coronidis vice propriam & immediatam IV.
mortis paſſioniſque Chriſti effectionem, & videbimus ab illa hominum neminem excludi poſſe. Illa autem eſt, non actualis peccatorum ab his & illis ablatio, non actualis peccatorum remiſſio, non juſtificatio, non actualis horum & illorum redemptio, quæ abſque fide & Spiritu Chriſti nemini contingunt; ſed reconciliatio Dei, remiſſionis, juſtificationis & redemptionis apud Deum impetratio: qua factum eſt ut Deus jam poſſit, utpote juſtitia, cui ſatisfactum eſt, non obſtante, hominibus peccatoribus peccata remittere & Spiritum gratiæ largiri: ad quæ effecta cum peccatoribus communicanda propendebat quidem jam ante ex miſericordia; Ex illa enim Chriſtum dedit mundo Salvatorem, at per juſtitiam ab illorum actuali productione impediebatur. Interea Deo jus ſuum integrum manet illa bona (quæ ipſius ſunt ex natura, quorum communicationem peccatoribus hominibus deſiderabat ex miſericordia, at obſtante juſtitia, actu inſtituere non poterat, & quæ

jam juſtitia ipſius (ſanguine ac morte Chriſti pacata actu poteſt largiri) iis quibus viſum, & iſtis conditionibus quas præſcribere volet, impartiri. Propterea quod ipſe ut pars læſa modum reconciliationis præſcribere potuit, quem & præſcripſit, conſtantem morte & obedientia Filii ſui: & quod ipſe idem nobis dedit illum qui Mediatoris munere pro nobis eſſet functurus. Quod ſi jam ſtatuamus ullum hominem ab iſto effecto excludi, ſtatuimus ſimul Deum illi peccata non remittere, non quia nolit cum poſſit, ſed quia non poſſit, utpote juſtitia obſtante, & quia voluit non poſſe: propterea quod voluerit juſtitiæ ſuæ ſatisfieri antequam peccata cuiquam remitteret, & noluerit juſtitiæ ſuæ pro illo tali ſatisfieri. Et contra, ſi ſtatuamus talem Mediationis rationem, qualem tu Perkinſe concipere videris, ut omnium Electorum tum peccata actu ab illis ablata & in Chriſtum tranſlata ſint; qui pænam pro illis paſſus, illos actu ipſo à pænis liberaverit, tum obedientia ab illo poſtulata fuerit, qui illam præſtitit & vitam æternam illa præſtatione non ſibi ſed illis meruerit; non ſecus quam ſi ipſi hunc Mediatorem noſtro loco conſtituiſſemus, & per eum Deo ſolviſſemus debita noſtra; jam ſimul ſtatuendum eſt ſecundum ipſum juſtitiæ Dei & legis rigorem electis deberi & immunitatem à pænis & vitam æternam, eoſque iſta bona à Deo poſtulare poſſe jure ſolutionis & emptionis: abſque eo ut Deus ab iis poſtulare poſſit ullo jure fidem in Chriſtum & converſionem ad ipſum. Quantis autem abſurditatibus & hęc & illa ſententia laboret, non facile eſt dicere. Vnico ſaltem argumento hanc, & altero iſtam refutabo. Si Deus noluit per Filii ſui mortem ſibi ſatisfieri pro peccatis aliquorum hominum, jam nullo jure poteſt ab illis fides in Chriſtum poſtulari, nullo jure illi propter infidelitatem condemnari, neque Chriſtus iiſdem ullo jure judex ſtatui. Poſteriorem ſententiam confuto argumento validiſſimo ex Scripturis Apoſtolicis deſumpto. Iuſtitia à Chriſto præſtita non eſt noſtra qua præſtita ſed qua per fidem nobis imputata, adeo ut ipſa fides nobis ad juſtitiam imputari dicatur. Rom. 4. 5. Quæ phraſis recte intellecta clariſſimam lucem toti huic tractatui adferre poteſt. Concludo itaque Chriſtum omnium in univerſum hominum perſonam ſuſtinuiſſe, eo quo dictum eſt modo, & non electorum tantum.

Ἀκυρολογίαν in eo noto, quod dicitur Electorum perſonam ſuſtinuiſſe in cruce, quum electus nemo ſit niſi in Chriſto mortuo & reſuſcitato, & qui jam à Deo caput Eccleſiæ Servatorque eorum ſit conſtitutus, qui in ipſum eſſent credituri, ipſique ad ſalutem obtemperaturi. Non ergo electi, cum ipſe adhuc in cruce penderet, intellige in pręſcientia Dei: quare nec illorum tanquam electorum perſonam ſuſtinere potuit in cruce. Et propterea etiam inconcinne dicitur Chriſtus reproborum perſonam ſuſtinuiſſe, quia nec reprobatio tunc locum habuit. Suſtinuit autem perſonam hominum peccatorum, impiorum, Dei inimicorum, citra conſiderationem ſeu diſtinctionem electionis & reprobationis. Patet igitur ex hoc reſponſo, iſto argumento concludi non poſſe Chriſtum eſſe tantum Electorum Media-

Notatur & eadem ἀκυρολογία.

Mediatorem, Mediatoris opere reſtricto ad oblationem in cruce peractam.

Conſideratur argumentum quo ſecunda ratio urgetur. Producis inſuper aliud argumentum ſententiæ tuæ probandæ, & inquis. *Quicquid Chriſtus paſſus eſt & egit quatenus redemptor, idem in illo & cum illo paſſi ſunt & egerunt omnes redempti. At Chriſtus ut redemptor mortuus eſt, reſurrexit, aſcendit, ſedit ad dextram Patris. Ergo in illo & cum illo mortui ſunt, reſurrexerunt, aſcenderunt, ſedent ad dextram Patris omnes redempti.* Subſumis deinde. *At ſoli Electi in & cum Chriſto moriuntur, reſurgunt, aſcendunt, ſedent ad dextram Patris.* Ergo *illi ſoli redempti.* Nos ſingulas argumentationis partes ordine inſpiciemus & examinabimus.

Negatur maior proſyllogiſmi. Propoſitio proſyllogiſmi mihi videtur notoria falſitate laborare, quæ etiam facile commonſtrari poteſt. Confundit enim paſſiones actioneſque quibus peracta & impetrata eſt redemptio, cum ipſo redemptionis apoteleſmate, & applicatione redemptionis. Redemptio enim notat non paſſionem, non actionem ullam Chriſti, ſed paſſionis & actionis apoteleſma, & eventum fructumque. Et propterea paſſiones & actiones Chriſti præcedaneæ ſunt redemptionis, redemptio autem præcedanea applicationis. Ex applicatione vero dicuntur redempti. Ergo quod Chriſtus paſſus eſt & fecit ad impetrandam redemptionem, hoc non ſunt paſſi neque fecerunt redempti. Non enim erant tum temporis redempti; ſed per illas actiones redemptio impetrata eſt, illiſque deinde per fidem applicata, atque ita demum redempti. Et natura ipſa rerum clare evincit, redemptorem & redemptos relata eſſe diſquiparantiæ; quorum illud ſit fundamentum, hoc terminus, non viceverſa: & propterea in illo cauſam comprehendi alterius, & cauſam quidem ſua efficacitate functam: unde ſequitur, redemptos non egiſſe id quod redemptor fecit: quia ſic fuerint redempti ante actum redemptionis à redemptore præſtitum & redemptionem impetratam. Si dicas te redemptos non conſiderare qua redemptos, ſed qua homines redimendos. Reſp. Quocunque modo conſiderentur, nunquam vere dici, quod illi in & cum Chriſto fecerint, quod Chriſtus ipſorum redimendorum cauſa fecit. Redimendi enim non ſunt in Chriſto neq; cum Chriſto: itaque neq; in illo neq; cum illo quidquam pati aut facere potuerunt. At paſſi & fecerunt in illo ut vade & fidejuſſore, inquies. At, inquam ego, ut fidejuſſore non ab ipſis ſed à Deo pro illis conſtituto, & cui à Deo impoſitum ſit munus redemptionis. Verum quidem quod ab hominibus aſſumpſerit naturam in qua redemptio erat peragenda: ſed ille obtulit eandem, non homines in illo. Quod ſi hoc reſpectu dicantur in illo paſſi, quia natura ipſorum in perſona Chriſti paſſa ſit: vides & hoc pacto generalem eſſe redemptionem ad omnes, quorum eadem eſt natura. Forte reſpicis ad locos illos Scripturæ ubi nos dicimur *Chriſto commortui, ſepulti cum eo, & cum eo reſurrexiſſe. Rom. 6. v. 3. 4. 5.* At male illos locos explicas, ſi ad præſens negotium pertinere arbitraris. Agitur enim illis locis de crucifixione, morte, ſepultura, reſurrectione, quas ipſi in propriis ſinguli perſonis perpetimur & experimur. At illæ non ſunt redẽptionis meritoriæ, ut crucifixio,

eoſdem enim *pertinet victima & ſanctificatio. At Chriſtus Electos ſolos & credentes ſanctificat. Ergo Chriſtus pro ſolis Electis & credentibus eſt victima.*

Extenditur Major. Reſpondeo ad Majorem. Victima expiatrix ſanctificat non qua oblata ſed qua applicata. Quod planiſſime videre eſt in loco abs te citato. *Heb.* 9. 13. 14. Cinis enim juvencæ *aſpergens* inquinatos ſanctificat: ita & Chriſti ſanguis *adſperſus*. Qua de cauſa *ſanguis aſperſionis* dicitur *Hebr.* 12. 24. Non ſecus atque illi qui non tantum cædebant agnum paſchalem, ſed & poſtes ædium ſuarum ſanguine illius adſpergebant, præteribantur ab Angele percutiente. Deinde ſi particula iſta, *pro quibus*, ſignificat non tantum oblationem, ſed etiam oblationis fructum & utilitatem, concedo Majorem. At non agitur hic de applicatione victimæ Chriſti, ſed de oblatione tantum, quam Scriptura ſimpliciter factam dicit *pro hominibus Heb.* 5. 1. Inter oblationem autem & applicationem ſeu ſanctificationem fides interveniat neceſſe eſt. Quare oblatio victimæ facta non pro fidelibus, verum pro hominibus peccatoribus, hac tamen conditione ut non ſanctificet niſi credentes in Chriſtum. Quare, etiam Minore conceſſa concludi nequit, Chriſtum pro ſolis Electis ſe obtuliſſe, quum Electio ipſa oblatione ſit poſterior; utpote facta in Chriſto oblato, mortuo, reſuſcitato, æternamque redemptionem per ſanguinem ſuum adepto. Addis porro *Chriſtum perfectum ſalvatorem eſſe eorum quos ſalvat, non merendo tantum, ſed & efficaciter ſalutem operando.* At quis negat hoc? Sed diſtinguuntur duæ hæ functiones & operationes Chriſti, ſalutis nempe per peccatum amiſſæ, recuperatio per ſanguinem Chriſti, & ſalutis ſanguine partæ actualis per Spiritum ſanctum communicatio ſeu applicatio. Illa fidei eſt præcedanea, hæc fidem ex decreto Dei poſtulat præcedentem. Quare licet Chriſtus non dicatur perfecte ſervare illos qui actu non ſalvantur, tamen Salvator dicitur etiam aliorum quam fidelium. 1. *Tim.* 4. v. 10. Qui locus quomodo commodè explicari poſſit, niſi per diſtinctionem vel ſalvationis ſufficientis, & efficacis, vel ſalutis recuperatæ & applicatæ, non video. Loci quos ex Patribus citas, partim ad præſens negotium non faciunt; partim faciunt quidem, ſed nihil aliud docent, quam quod mors & paſſio Chriſti, quæ ſunt ſufficiens pretium pro redimendis omnium hominum peccatis, ſolis electis & fidelibus reipſa proſint ad ſalutem. Quæ de *applicatione* dicis proba ſunt: ſed velim te recte inter iſtam & quæ illam præcedunt diſtinguere. *Applicatio Mediatoris.*

Ex hiſce jam dictis apparet, decretum dandi Mediatorem & per Mediatorem ſalvandi fideles, prius eſſe decreto Prædeſtinationis, quo hi deſtinantur ſaluti in Chriſto, iſti condemnationi extra Chriſtum poſiti. At *decretum Electionis* dicis *cauſam eſſe ac principium omnium in hominibus ſalutarium donorum & operum*. Concedo, ſed non qua decretum electionis, verum qua decretum conferendi gratiam. Qua vero eſt Electionis decretum, eſt cauſa cur hiſce ſolis gratia conferatur: opponitur enim reprobationi, & illam neceſſario infert. Nulla enim Electio citra reprobationem; & nomen ipſum Electionis dilectionem ſignificat cum ſecretione non dilecti, ſaltem non *Concluſio quæ habetur de Electione dicta.*

iſto

iſto modo & gradu, reſtringitque dilectionem ad hoſce qui Electi dicuntur, excluſis aliis ab eadem, qui non Electi ſeu reprobi dicuntur. Quatenus ergo iſto actu, qui Electio dicitur, ſalutaria dona conferuntur alicui, eſt proprie dilectio: qua reſtringitur illa collatio ad nonnullos excluſis aliis, electio dicitur. Unde apparet primo dilectionem iſtam quæ eſt ſecundum Electionem, non minorem futuram erga Electos, quam nunc eſt, etiamſi non eſſet ſecundum Electionem, hoc eſt, etiamſi omnibus in univerſum hominibus eundem favorem & amorem ſuum Deus declararet. Secundo illos qui dilectionem in Chriſto cauſam faciunt ſalutis hominum & ſolam quidem, non facere injuriam gratiæ, etiamſi dilectionem illam negent eſſe ſecundum Electionem, hoc eſt, ad paucos decreto aliquo Dei reſtrictam. Negant quidem quod verum eſt, ſed citra gratiæ & miſericordiæ injuriam; præſuppono enim illos eandem dilectionem ſtatuere cauſam ſalutis, quam ſtatuunt qui Electionem urgent. Scio quidem Auguſtinum adverſus Pelagianos ſæpe dicere, *qui gratiam faciunt omnibus communem gratiam ipſam negare*; ſed id non eſt in univerſum verum: valet autem contra Pelagianos & omnes iſtos qui tum temporis gratiam faciebant univerſalem. Nam gratiam interpretabantur donum omnibus ex æquo in natura prima per creationem collatum. Fateor quidem ex univerſalitate gratiæ conſequentias nonnullas deduci poſſe, quæ univerſalitatem gratiæ ipſi gratiæ qua ſalvantur Electi indirecte adverſari commonſtrabunt. At ſciendum non omnes teneri iſtas conſequentias ita accurate inſpicere; & velim hoc aperte commonſtrari abs te Perkinſe. Multum enim efficies, non ad tuam quidem, quam hic ſpeciatim tractas, ſententiam probandam; ſed ad electionem & reprobationem in univerſum confirmandam. At dicet aliquis, per reprobationem nonnullorum, hoc eſt, per dilectioni junctam electionem, electos de amore Dei erga ſe indebito magis convinci, quam ſi omnibus citra diſcrimen iſte idem amor a Deo præſtaretur. Fateor ſane, & Scriptura ſæpe iſto argumento utitur: At poteſt etiam citra iſtud argumentum gratuitus & indebitus erga nos amor comprobari & cordibus noſtris obſignari. Unde etiam apparet nullam eſſe abſolutam neceſſitatem iſtius argumenti producendi. Hæc autem non dico, quod velim dogma de Electione in Eccleſiis non doceri. Abſit. Sed ut commonſtrem moderatè idem tractandum eſſe, & citra offenſam fidelium infirmiorum: qui eo ipſo quod audiunt ſe de ſalute certos eſſe non poſſe, niſi de Electione credant id quod docetur cum rejectione aliorum, dubitare incipiunt, an ſenſus quem aliquando de ſalutis certitudine perceperunt, Sp. ſancti teſtimonio, an vero cuidam perſuaſioni & præſumptioni ſit tribuendus. Hæc ſcribo expertus. Atque hæc de Electione. *Reprobationem* illi oppoſitam jam videamus.

Definis autem decretum *Reprobationis* dupliciter. Primo dicis eſſe *opus divina providentia, quo Deus decrevit certos homines præterire quoad gratiam ſupernaturalem, ut juſtitiam & iram in illorum debito exitio declararet.* In qua definitione quatuor mihi videor *ἀφάλματα* notare poſſe, quæ mon- *Examinatur prior definitio decreti Reprobat.*

monſtrabo, Perkinſe optume, ſi te volente poſſum. Primum σφάλμα eſt, quod generis vice *opus* poſuiſti, quum decretum, ut immanens in Deo, nullo modo *opus* dici poſſit, quod eſt extra efficientem exiſtens poſt actum, & ex actu efficacitate ſeu efficientia efficientis producto. Malim itaque *actum* pro genere poſuiſſes. Alterum vitium eſt, quod objectum iſtius actus non bene deſcribis; *certos* enim *homines præteriri* dicis, citra ullam conditionis in illo objecto requiſitæ mentionem, & quidem quod illi tales ſint peccatores. Peccatum enim eſt conditio requiſita in homine per reprobationem prætereundo, ſeu, ut ita dicam, præteribili. Quod breviter ita doceo hiſce paucis argumentis. Primo, Scriptura nullam agnoſcit hominum à Deo factam reprobationem, niſi cuius cauſa meritoria ſit peccatum. Secundo, Quia reprobatio eſt oppoſita electioni, ſequitur, ſi electio divina verſatur circa peccatores, etiam reprobationem circa eoſdem verſari. At electio, ut docui ante, circa peccatores verſatur. Tertio, Quia gratia illa ſupernaturalis, quæ per reprobationem negatur, eſt gratia peccatori tantum neceſſaria; remiſſionis nempe peccatorum & renovationis Sp. ſancti. Quarto, Quia juſtitia & ira demonſtrari nequit, niſi adverſus peccatorem. ubi enim peccatum non eſt, ibi nullum locum habet, vel ira vel juſtitia puniens, quam hic intelligas eſt neceſſe. Quinto, Quia exitum nemini niſi peccatori debetur, & tu ducis, *in Reproborum debito exitio iram Dei & juſtitiam declarari.*

Reprobatio verſatur circa peccatores.

Quum autem peccatum pono meritoriam cauſam reprobationis, ne exiſtimato me juſtitiam contra ponere cauſam meritoriam Electionis. Eſt enim peccatum cauſa meritoria reprobationis omnium in univerſum peccatorum. Et Electio eſt non tantum ex gratia indebita, quam homo non promeruit, ſed etiam ex gratia pravum demeritum tollente. Poſita autem cauſa meritoria non ponitur ſtatim effectus, niſi intercedente voluntate illius, cuius eſt debitam pænam inferre ex merito peccati: ille autem poteſtatem habet peccatum ſecundum meritum ſuum punire, vel ex gratia in Chriſto condonare. Quare utrobique cauſa proxima & immediata, tum in electione, tum in reprobatione ponitur voluntas Dei liberrima. Si vulgatam mihi opponis diſtinctionem; qua peccatum in objecto exſecutionis quidem requiri dicitur, at non in objecto ipſius decreti: Reſpondeo, tam non licere Deo velle condemnare aliquem, ſeu velle preterire citra peccati conſiderationem, quam non licet illi actu præterire vel condemnare aliquem citra peccati meritum. Vt enim juſtitiæ actus primo eſt in volitione, deinde in exſecutione; ita quoq; injuſtitiæ: & prima injuſtitia eſt velle malum, altera idem facere. Quare vere dicitur unam eandemque eſſe & decreti & ipſius exſecutionis cauſam.

Tertium vitium eſt, obſcuritatis & inconcinnæ enuntiationis. Quid enim ſibi vult iſta phraſis, *præterire quoad gratiam ſupernaturalem?* pro eo quod eſt præterire in diſpenſatione & collatione gratiæ ſupernaturalis. Eſt inſuper in voce *ſupernaturalis* ambiguitas. Eſt etiam gratia ſupernaturalis, tum quæ naturæ integræ ſuperadditur, naturam evehens

ſupra naturam, tum quæ naturæ corruptæ confertur, eandem corrigens, & ad cæleſtia ſupernaturaliaque attollens. Quartum erratum eſt, quod finem adfers qui nulla neceſſaria copula cum antecedente cauſa præteritionis cohæret. Non enim illi actui præſupponitur peccatum, non ex eo exiſtit neceſſario peccatum: quorum alterum tamen ad neceſſitatem cohærentiæ illius actus cum fine neceſſario requiritur. Si vero dicas peccatum ex iſta præteritione neceſſario exiſtere, jam Deum peccati auctorem facis, per negationem gratiæ ſine, qua peccatum vitari nequit. Quod ſi gratia per præteritionem negata, non ſit neceſſaria ad peccatum vitandum, jam potuit homo ſine illa à peccato abſtinere, & ſic exitium non mereri. Hoc ſi potuit, non exiſtit illa juſtitiæ & iræ declaratio ex actu iſto decretæ præteritionis. At noſti definitionis partes inter ſe neceſſario vinculo cohærere, & finem illum in definitione non ponendum, qui etiam poſito actu aliquo, tamen ex eodem non exiſtit. Eſt enim finis per accidens, qui propterea à definitione, quæ eſt per ſe & ſcientiam abſolutam parit, abeſſe debet.

At videamus alteram definitionem, quam forte ideo adduxiſti, quia priorem minus bonam putaſti. Iſta autem ſic habet. *Decretum reprobationis eſt voluntas permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Scio illam definitionem à Scholaſticis, & inter alios à Thoma uſurpatam; cuius ego ingenio & eruditioni plurimum tribuo, ſi quis alius: at hic mihi hallucinatus videtur; & primo quidem, quod reprobationis decretum peccato præcedaneum faciat, quod ego jam ante refutavi. Secundo, quod permiſſionem illam tribuit reprobationis decreto, quæ alteri cuidam providentiæ generalioris decreto eſt tribuenda. Quod ita doceo. Actus ille, qui circa omnes in univerſum homines citra electorum & reproborum diſcrimen verſatur, non eſt actus reprobationis; illo enim Deus circa ſolos reprobos verſatur. At actus ille permiſſionis, quo Deus permiſit hominem cadere in culpam, eſt generalis, & ad omnes in univerſum homines ſe extendens. *Omnes* enim homines *in Adamo peccaverunt. Rom. 5* Et *omnes natura ſunt filii iræ. Epheſ. 2.* Ergo actus ille non eſt reprobationis, ſed providentiæ generalioris, omnes omnino homines curantis citra diſcrimen, ſtatumque illorum primævum in Adamo moderantis & adminiſtrantis. Si dicas utrunque conjungendum; permiſſionem caſus & illationem pœnæ, & ſic totum illud complexim ſumptum, eſſe proprium reprobationis; reſpondeo, hoc pacto permiſſionem illam, ſecundum quam Adamus lapſus eſt, & in eo omnes ipſius poſteri, quæ una eſt & univoca, in duas diverſas cauſas reſolvi, & eo ipſo duplicem & æquivocam eſſe: in decretum nempe reprobationis, quatenus permiſſi ſunt cadere reprobati, & in decretum providentiæ, qua etiam permiſſi ſunt cadere ipſi electi.

Addo aliud argumentum meo ſane judicio inconfutabile. Reprobatio & Electio oppoſite & diviſe dicuntur, neque una eſt ſine altera; quare nullus actus uni iſtarum tribuendus, cuius oppoſitus ſive affirmativus ſive negativus non tribuatur

tur alteri. At nullus actus oppoſitus iſti permiſſioni poteſt electioni tribui. Vnicus enim eſt actus iſti permiſſionis actui oppoſitus, nempe impeditio a caſu in culpam. At nullus homo, & ne electus quidem, impeditus rueret in peccatum. Nam ipſi etiam electi in Adamo peccarunt. Ergo neque actus permiſſionis reprobationis decreto eſt aſſignandus. Quod argumentum ſi diligenter attendas, videbis inde plane conſtare, permiſſionem iſtam & reprobatione & electione eſſe priorem; & propterea quoque decretum permittendi, prius decreto electionis & reprobationis, prius inquam ordine & natura. Manet itaque alterum iſtud reprobationis proprium; quod quia præſupponit peccatum, etiam inde concludo reprobationis objectum eſſe homines peccatores.

Duplex actus decreti Reprob. Circumſcribis porro reprobationis decretum duobus actibus. *Prior eſt propoſitum deſerendi quoſdam homines, juſtitiamque in eis declarandi.* At quam juſtitiam, niſi punientem? Si illam, coincidit iſte actus cum altero, *ordinatione* nimirum *ad pœnam.* Alii diſtinguunt iſtud idem decretum, in actum negativum præteritionis, & adfirmativum ordinationis ad pœnam. Si idem voluiſti, male enuntiaſti. Ordinationi enim ad pœnam, juſtitia puniens præficitur, deſertioni, libertas voluntatis divinæ.

Actus prioris cauſa impulſiva. Cæterum quod iſta *deſertio cauſam ex parte hominum non habeat*, nullo Scripturæ loco docebitur, quæ ubique docet, deſertionem omnem eſſe propter peccatum. Et licet hoc ita habeat, inde tamen non ſequitur, *Dei beneplacitum merum* non eſſe cauſam deſertionis. Nam liberum Deo eſt peccatorem deſertionem meritam, vel deſerere vel non deſerere: Atque ita voluntas Dei eſt cauſa proxima & immediata deſertionis, & quidem hoc reſpectu, quod cum poſſit non deſerere, velit tamen deſerere, cauſa unica deſertionis. Diſpenſat enim Deus abſolute pro arbitratu de peccati merito, an illud tollere velit in filio ſuo, an vero extra Filium ſuum punire. Et quid quæſo decedit *beneplaciti* (malim *placiti*) divini libertati, ſi dicatur deſerere non poſſe non peccatorem? Quemadmodum enim per juſtitiam ſuam deſerere non poteſt niſi peccatorem. Et libertas non objecta circumſcribit, circa quæ Deus verſatur volendo, ſed modum, quo vult circa aliquod objectum verſari.

Velim autem mi Perkinſe, ut libertatem voluntati Dei nullam tribuas, quæ in ipſius juſtitiam impingat. Iuſtitia enim voluntate prior eſt & iſtius regula, voluntati libertas ut modus eius attribuitur. Quare etiam modus iſte à juſtitia circumſcribitur. Neque tamen propterea negabitur Deum eſſe volens liberrimum. Quum enim volens liberrimum ſit, non quod omnia vult, ſed quod quæcunque vult, libere vult; quid officit libertati Dei, ſi dicatur quædam non velle, quia per juſtitiam ſuam illa velle non poſſit, quum illa libertas non a ſuperiore extra Deum, ſed ab ipſa juſtitia Dei circumſcribatur? Atque hoc ſenſu, voluntas Dei dicitur *cauſa cauſarum, & extra vel ultra quam ratio nulla eſt quærenda*; quod etiam obtinet in mea explicatione. Quærat enim quis, cur Deus illum deſerat & illum aſſumat? Reſpondetur, quia vult: cur autem velit, cauſa extra illum non eſt. At eſt

 cauſa

cauſa extra illum, cur jure velle poſſit aliquem deſerere; illa autem cauſa eſt peccatum: non efficiens actualem deſertionem, ſed promerens, & dignum faciens peccatorem deſertione; certoque deſerendum, ſi Deus illum pro merito punire velit, quod velle ipſius libero arbitratui permittitur.

Eſt quidem homo *ut lutum in manu figuli*, ſed inde non ſequitur Deum de iſto luto juſte facere poſſe, quicquid actu omnipotentiæ ſuæ de illo facere poſſet. Poteſt illud lutum a ſe conditum & hominem factum in nihilum redigere; eſt enim ipſius ſummo jure: at non poteſt idem lutum odiſſe, non illi iraſci, non æternum condemnare, niſi maſſa illa ſua culpa peccatrix, & maſſa corruptionis facta fuerit. Qualiter etiam Auguſtinus locum ad Rom. 9. explicat de maſſa corruptionis. At inquis, *ſi Deus homines qua peccatores tantum, non qua homines præterire voluerit æterno decreto ſuo, tum non facit ipſe vaſa iræ, ſed à ſeipſis vaſa iræ facta invenit.* Reſpondeo, eſſe phraſeos ignorationem qua Apoſtolus utitur *Rom.* 9. Nam *vas ad iram facere*, non ſignificat peccare, ſeu ira ſe dignum facere per peccatum, quod ſane homo fecit ſua culpa; ſed ſignificat eum qui peccavit & ira ſe dignum fecit, juſtæ iræ deſtinare; qui ſane eſt actus divini judicii, peremptorii quidem, quia eſt Reprobationis, at circa peccatorem occupati, quia iræ meritoria cauſa eſt ſolum peccatum. Si inſtes, *maſſa* nomine non homines conditos, ſed condendos ſignificari ex vi vocis: negabo vim & etymon vocis id præciſe urgere, & dicam ex uſu Scripturæ vocem iſtam non tantum tribui hominibus conditis, ſed etiam peccatoribus, & in gratiam reconciliationis aſſumptis, & fœdus gratiæ prævaricantibus; ut apud Prophetam Ierem. 18. *Annon domus Iſraelis in manu mea eſt, ut lutum in manu Figuli?*

In tertio argumento tuo diſcedis à controverſia, ipſiuſque ſtatu vero, contra legem probæ diſputationis, & propterea non concludis quod quæritur niſi forte dicas, *gratiam rejicere* idem eſſe quod *peccare*; quæ ſane duo in Scripturis ſæpe diſtinguuntur. Phariſæi enim jam ante in Adamo, imo & in ſeipſis peccatores erant, anteaquam *conſilium Dei adverſus ſeipſos contemnerent, non accedentes ad baptiſmum Iohannis. Luca* 7. Iudæi, quorum eſt mentio Act. 13. jam ante erant in Adamo. & ſeipſis peccatores, priuſquam *gratia Dei indignos ſe præſtarent, ſermonem vitæ repudiantes.* At vero hic quæritur, an Deus prætereat *peccatores*, non an *quos videt gratiam rejecturos.* Neque *propterea pendebit reprobatio ab hominibus*, ſi Deus neminem reprobet niſi reprobationem & deſertionem promeritum. Effectus enim dici nequit ab illa cauſa pendere, quæ poſita effectum non producit. At peccatores ſunt omnes homines, & Electi non deſeruntur: imo peccatum deſertionis cauſa non eſt, niſi interveniente Iudicis ſententia damnatoria, qua puniendum ſtatuitur peccatum juxta demeritum ipſius. Et quis ignorat ſententiam non à reo ſed judice pendere, etiamſi reus ſententiam illam ſit promeritus actu ſuo, citra quem judex ſententiam iſtam nec concipere poſſet, nec enuntiare, nec exſequi. Neque hinc ſequitur, *alios Deum eligere & ſic eligi ab eo, alios vero rejicere & propte-*

propterea rejici. Nam ſtatuitur peccatum commune meritum in electis & reprobis, per ſententiam quæ poſtulat ſimpliciter ut objectum prædeſtinationis ſtatuantur homines peccatores, citra ipſius peccati diſtinctionem ſpecialem. Probas autem gratiæ rejectionem prævîſam, non eſſe cauſam deſertionis, quia *infantes extra fœdus Evangelicum morientes gratiam non repudiaverint*, qui tamen reprobi ſunt & à *Deo deſerti.* At, inquam ego, in Parentibus, avis, abavis, atavis, tritavis, Euangelii gratiam repudiarunt, quo actu meruerunt ut à Deo deſererentur. Velim enim mihi ſolidam adferri rationem, cûr, cum omnes in Adamo contra legem peccaverint poſteri ipſius, atque eo ipſo pœnam meriti ſint & deſertionem, etiam infantes in ſuis parentibus quibus gratia Euangelica eſt oblata, at repudiata, non peccaverint contra gratiam Euangelii. Perpetua enim eſt fœderi Dei ratio, quod Filii in Parentibus compræhendantur & cenſeantur.

Quartum argumentum quod ex *Rom.* 9. adfers, ad præſens negotium non facit. Agit enim ibi Apoſtolus de decreto quo ſtatuit Deus non ex operibus, ſed ex fide in Chriſtum juſtificare & ſalvare, qui ſalutis & juſtitiæ hæredes ſunt futuri; non autem de decreto quo ſtatuit hos aut illos ſalvare, alios vero condemnare, ſeu quo ſtatuit his fidem dare, aliis vero denegare. Quod ex ipſo loco & toto contextu facillime commonſtrari poteſt, & jam poſſet, ſi tempus pateretur. At etiam conceſſo eo, non tamen dato, quod Apoſtolus opera excludit ab iſto decreto de quo hic agitur, non tamen ſequitur quod intendis probare. Nam Auguſtinus illud de operibus interpretatur, quæ unicuique illorum ſint propria, non communia ambobus; quale fuit peccatum originis, in quo jam concepti erant ambo, quum Deus Rebeccam alloqueretur. Quæ Auguſtini interpretatio ex eo vera eſſe evincitur, quod Apoſtolus velit Iacobum nihil boni & Eſavum nihil mali feciſſe, cum diceretur Rebeccæ matri, Majorem ſerviturum Minori. quaſi Eſau male agendo meritus eſſet ut ſervus eſſet fratris ſui Minoris, qui bene agendo ſibi prærogativam iſtam comparaſſet. Et propterea *non omnem peccati reſpectum excludit*, peccati inquam cui ambo ęque erant obnoxii. *Voluntas* autem *in qua Paulus acquieſcit*, non eſt iſta qua aliquem non peccatorem ſtatuit æternæ morti adjudicare, ſed qua ex æque peccatoribus huic miſericordiam impartitur, alterum vero indurat: quæ ſane voces peccati præexiſtentiam connotant. *Miſereri* enim nemo poteſt niſi *miſeri*: at miſer nemo niſi peccator. *Induratio* etiam cauſam habet peccatum, imo contumacem in peccato perſeverantiam.

Vltima vero tua ratione nihil concludis adverſus eos, qui peccatum ſtatuunt conditionem in objecto prædeſtinationis requiſitam: fatentur enim *mera eſſe voluntatis divina, quod hic ſit Electus, ille vero Rejectus.* Et locus quem citas ex Auctore libri de vocatione gentium etiam prædeſtinationi præſtituit peccatum. Non enim liberatur qui per peccatum captivus factus non eſt, & miſer.

Secundum actum reprobationis, ponis *ordinationem ad pœnam*, quam in *ſimplicem* diſtinguis & *comparatam*. At iſti diſtinctioni & locus eſſe potuit *Secundus actus reprobationis duplex.*

 in con-

in contrario Electionis actu. Electio enim ſimplex eſt aſſumptio in gratiam; Electio comparata, qua iſte & non ille in gratiam aſſumitur. Quod ſimplicis ordinationis cauſam facis voluntatem Dei, non tamen excluſo peccato, recte facis. Nam veriſſimum eſt, eandem Deo eſſe cauſam volendi & faciendi id quod decrevit. Et quam habet peccatum rationem ad damnationem ipſam, eandem etiam habet ad ordinationem. Habet autem ad damnationem cauſæ meritoriæ reſpectum, ergo & cauſæ meritoriæ reſpectum habet ad ordinationem. Et nulla eſt veriſimilis ratio, qua contrarium adſtrui poſſit. Quare ſimpliciter negari non poteſt, *peccatum eſſe cauſam decreti damnationis.* Vt ut enim non ſit cauſa immediata, proxima, præcipua, eſt tamen cauſa meritoria, citra quam Deus neminem ad pœnam juſte ordinare poſſet. Quod autem *peccatum non præcedat ordinis ratione in præſcientia divina priorem illum actum* præteritionis & deſertionis, probari velim. Nullus ſane eſt locus Scripturæ, qui id continet meo judicio; velim unum proferri.

Ordinatio comparata quæ ſit.

Ordinatio comparata eſt, qua hic non ille ordinatur ad pœnam, & pari quidem conditione. Deus enim habet poteſtatem puniendi peccatum & remittendi pro arbitrio; neque cuiquam eſt obnoxius, niſi quatenus ſe per promiſſiones ſuas obligavit. Hinc vero *libertas divinæ bonitatis oſtenditur,* ſed non tantum hinc. Eſt enim eadem declarata in ipſa creatione & diſpenſatione bonorum naturalium, eo ipſo, quod unam partem Nihili, ut ita dicam, voluit eſſe cælum, alteram terram, tertiam aerem & ita deinceps. Quin & *eandem libertatem in diſpenſatione bonorum ſupernaturalium* demonſtravit per creationem. Alias enim ſuarum creaturarum ornavit ſupernaturalibus donis, ut Angelos & Homines; alias & reliquas quidem omnes, ſine donis ſupernaturalibus condidit. Adde, quod non in creatione ſolum, ſed & gubernatione & adminiſtratione creaturarum rationalium, eandem libertatem demonſtravit, quum ſupernaturalis felicitatis communicationem inſtituit ſecundum certam legem & placitum ſuæ voluntatis: Vnde intelligere potuerunt Angeli & Homines, Deo liberum eſſe illam communicare pro arbitrio. Hoc enim declarat conditionis arbitraria præſcriptio. Hæc moneo, ne quis putet, hunc quo de agimus, actum primum eſſe, quo Deus libertatem ſuæ voluntatis demonſtravit.

Iſta verò verba tua: *& quidem ſi Deus omnes à ſe deſertos perderet & damnaret, injuſtus tamen non eſſet;* probare non poſſim, nec tu ipſe, ſi antecedentia cum iſtis conferas. Dixiſti enim ordinationem ad pænam ordine poſteriorem eſſe peccato, & peccatum hic non interponis inter deſertionem, primum actum reprobationis, & damnationem, qui eſt ſecundus; & damnatio non ſequitur immediatè deſertionem, ſed peccatum. Et, ut verbo dicam, verba iſta manifeſtam falſitatem continent. Primo, quia *judex totius mundi non poteſt jure pium cum impio perdere;* & peccatum eſt ſola & unica cauſa meritoria damnationis, *Qui peccavit illum delebo de libro vitæ.* *Anima quæ peccavit morietur.* *Si peccaveris morieris, & non vives.* Secundo, quia iſta deſertio eſt cauſa, in quam peccatum reſolvi poteſt, & propterea peccati cauſa

Gen. 18. Exod. 32. Ezech. 18.

per

per modum removentis, vel non dantis prohibens; ſine quo peccatum vitari non potuit. Et non levis error in eo commiſſus, quod quum peccatum non præſupponas deſertioni & præteritioni divinæ, ordinationem tamen ad pœnam deſertioni ſubjungas, ſine explicatione cohærentiæ utriuſque actus iſtius. Quod ſi coneris, non in leviorem incides culpam; facies enim deſertione iſta Deum peccati auctorem, quod argumentis irrefutabilibus commonſtrari poteſt. Similitudines abs te propoſitæ non quadrant propoſito, & propterea ſunt diſſimiles. Aliud enim eſt occidere beſtiam, quo facto non eſt amplius beſtia, nec miſera; & ex ædibus aliquem excludere, quem admittere non teneris: & aliud hominem æternis pœnis addicere, quod longe gravius eſt quam eundem in Nihilum redigere.

Cauſa comparata reprobationis. *Huius comparatæ reprobationis cauſa eſt mera Dei voluntas ſine conſideratione peccati*, nempe quod valeat ad diſtinctionem faciendam, non autem ad ipſam ordinandi poteſtatem, quæ in Deo quidem eſt ut Domino & Iudice, ſed exerceri actu non poteſt, niſi in peccatorem pœnam promeritum ex æquitate juſtitiæ divinæ. Cui meæ diſtinctioni accedit quod ex *Auguſtino* citas & *Gregorio*. Vterque enim peccatum meritoriam cauſam facit reprobationis, & omnino prædeſtinationi divinæ peccatum & peccatores præſtruit: at actum diſcretionis meræ Dei voluntati tribuit.

Gradus duo ſecundi actus reprobationis. Huius *ſecundi reprobationis actus* duos facis *gradus, juſtam deſertionem, & damnationem ob peccatum*. Vnde apparet, deſertionem, quam primum reprobationis actum feciſti, ab hac deſertione diſtinguere. Nec tamen addis, quodnam ſit inter duas iſtas deſertiones diſcrimen, quod tamen factum oportuit confuſionis vitandæ cauſa. Licet tamen ominari, cum illam feceris peccati præcedaneam, quod hanc peccati conſectaneam eſſe velis, & ex merito peccati exiſtentem. Deſertionem autem divinam duplicem facis; an hanc, qui eſt primus gradus actus ſecundi reprobationis, an vero deſertionem divinam in univerſum, non explicas. Non illam meo judicio: quia deſertio illa ad ſecundum actum reprobationis pertinens, eſt propter peccatum; & prima hæc ponitur abs te peccato præcedanea. Forte erit eadem cum deſertione primo actu reprobationis. Si ita eſt, non potes notam confuſæ tractationis hoc loco effugere. At videamus quomodo duplicem illam deſertionem nobis explanes. Priorem dicis eſſe *negationem auxilii & confirmationis, gratiaque ſecunda, qua prima efficax reddatur ad reſiſtendum tentationibus & perſeverandum in bono*, eamque vocas *explorationis deſertionem*, & eorum etiam eſſe dicis, *qui Deum nondum deſeruerunt*, quod probas exemplo Protoplaſti Adami. *Prior.* At quæro ex te, mi Perkinſe, an illud auxilium, iſtam conformationem gratiamque ſecundam adeo neceſſaria putes ad perſeverandum in bono, ut ſine iis homo tentationi reſiſtere non potuerit? Si ais, vide quomodo Deum excuſes à culpa peccati, qui homini citra ipſius culpam negaverit neceſſaria dona & auxilia ad præſeverandum in bono. Si neges, tum vero declara mihi quo jure hanc voces deſertionem Dei. An ille poteſt dici deſertus à Deo orna-

ornatus, gratia gratum faciente præditus, inſtructus omnibus neceſſariis donis & auxiliis ad perſeverandum in bono, quin & ipſa Dei Spirituſque ſancti aſſiſtentia munitus ad reſiſtendum tentationi? Si cum Scriptura loqui velis, deſertionem illam appellare non potes. At dices non ſimpliciter quidem dici deſertionem, ſed κατά τι, & quodammodo: quatenus nempe Deus illi, cui iſta omnia contulit, non præſtat auxilium efficax; non confirmationem actualem in bono, non gratiam ſecundam, ſine qua priores illæ gratiæ inefficaces ſunt: quod dicis ex eventu apparuiſſe, quia ſi iſta etiam obtinuiſſet, perſtitiſſet in bono nec lapſus fuiſſet. Quod ex Auguſtino enuntiabis: *Deum non deſeruiſſe hominem quoad poſſe, ſed quoad velle*; hoc enim ſi habuiſſet, ſtetiſſet. Ingredimur hic, Perkinſe doctiſſime, tractatum difficillimum & vix explicabilem, mihi ſaltem tyroni adhuc, & in iſtis apicibus Theologiæ Sacræ non ſatis exercitato. Audebimus tamen aliquid freti gratia illius qui parvulis dat ſapientiam & cæcis viſum. Tu juvabis in partem, ut mutua collatione veritas magis eluceſcat. Non enim in te ſed ad te ſcribere inſtitui, & diſcendi & docendi cauſa.

Duo autem mihi hic explicanda video neceſſario. Primo, de Gratia ſufficiente & efficaci. Secundo, de utriuſque adminiſtratione & diſpenſatione, diſpenſationiſque cauſis.

NOTA.

Hic ipſe Auctor in Autographo ſuo lacunam reliquit, quam quidem, ad finem perducta hac collatione, explere initio decreverat: poſtmodum tamen, repetitius expenſa cum animo ſuo, non fecit. Cauſam ſi divinare liceat, hanc fuiſſe exiſtimamus, quod ab una parte conſiderans eſſe materiem hanc involutis ſpinioſiſque difficultatibus plenam; ab altera perpendens diſtinctionem hanc totam non eſſe propriè divinæ traditionis, ſed humanæ potius inventionis: maluerit & tempus & ingenii vires in ſacroſanctis Chriſti Salvatoris oraculis perveſtigandis occupare, quam ſe in perplexis humanæ inventionis tricis evolvendis torquere.

Atque hactenus quidem doctrinam tuam de Prædeſtinatione examinavimus. Si jam tibi videatur illam ſecundum animadverſiones noſtras emendare, proculdubio *non Manichæa, non Stoica, non Epicuræa, imo nec Pelagiana* dici poterit: licet ab hoc poſtremo vitio immunis ſit etiam ut abs te eſt propoſita: at à reliquis non æque facile excuſari poterit apud illum: qui non modo ſententiam, ſed & ſententiæ tuæ conſectaria accuratè cum Manichæorum & Stoicorum dogmatibus comparabit. Epicureiſmum nonnulli ex eadem ſententia deducunt, at nonniſi per multas conſequentias. Velim autem te perſpicue ſatis doctrinam tuam ab iſtis objectionibus vindicaſſe. Conaris autem idipſum per reſponſionem ad varias criminationes doctrinæ abs te explicatæ impingi ſolitas. Quas criminationes cum

cum reſponſis tuis nos ordine conſiderabimus.

CRIMINATIO I.

Doceri à nobis certos homines, eoſque paucos eligi.

Quod ſententia tua idipſum aperte continet, quod iſta criminatione dicitur, veriſſimum eſt. Nulla ergo tibi iſtoc objectamento affingitur ſententia contra mentem tuam & doctrinam. Verum etiam eſt, quod iſta criminatio nullum crimen continet. Nam Scriptura idem planiſſimis verbis dicit: *Multi vocati, pauci electi*: &, *Ne time puſille Grex.* Et tu tua reſponſione planiſſime doces, nihil iſthac objectione falſum tuæ ſententiæ impingi. At vero non puto quemquam eſſe qui hoc tuæ ſententiæ objiciat: Omnes enim hæretici quos noſſe contigit, ſentiunt paucos eſſe electos: plærique etiam, imo & omnes, ſi dicere audeam, eos *paucos Deo notos & certos eſſe, adeo ut numerus iſte nec augeri nec minui poſſit, neque qui numerantur variari.* At explicationem aliam adferunt electionis tuæ, *contrariam, vel ſaltem diſſentaneam.* Quare non id tibi objicere debuiſti quod nonniſi à ſtulto adverſario tibi objici poteſt: ſed criminationem iſtam ita proponere debuiſti, ut ab iis concepta eſt qui tuæ ſententiæ adverſantur. Illi enim non hoc culpant in tua ſententia, quod certos eoſque paucos homines à Deo eligi dicas, ſed quod ſtatuas, *Deum nudo & abſoluto decreto, citra ullum peccati vel infidelitatis reſpectum, certos homines eoſque paucos elegiſſe: reliquam autem hominum multitudinem eodem decreto rejeciſſe, quibus Chriſtum non dedit, & quibus Chriſti mortem utilem eſſe noluit.* Sed de iſta objectione in reliquis à te allatis criminationibus aliquid dicetur.

Matt. 22. Luc. 12.

Quomodo proponenda erat hæc criminatio.

CRIMINATIO II.

Docere nos Deum ordinaſſe homines ad inferorum ignem, & creaſſe ut perderet.

In iſta criminatione circumſcribenda fuit vox *Homines*, & adſtringenda ad certos nempe perituros. Neque n. quiſpiam tibi impingit, quod id de omnibus hominibus intelligas: quum omnes ſciant te ex iſto numero eximere & excludere electos. Quare ita erat criminatio proponenda. *Docere nos Deum nonnullos homines, qua homines, citra conſiderationem peccati ad inferorum ignem ordinaſſe & creaſſe ut illos perderet.* Quæ ſane criminatio gravis eſt, & magnam calumniam habet, ſi falſo id tibi impingitur: at ſi vere, omnimodo tibi conandum, ut per ſententiæ mutationem te ab iſta criminatione expedias & exſolvas. Fateor autem te & qui tecum ſentiunt ita loqui non ſolere. At videndum an non æquipollentia dicatis, quod ſi monſtratum fuerit, criminis iſtius convicti teneamini. Ego autem jam ad tempus illorum criminatorum perſonam, minimè tamen criminator, ſuſtinebo: tu vide an cauſam illorum recte agam, & criminis iſtius te convincam.

Quomodo ſecunda.

Qui peccato pœnam ponit inferorum ignem, qui ordinat ut homo primus & in eo omnes homines peccent, qui ita gubernat ſua providentia hominem iſtum primum ut

Hanc merito obiicit.

neceſſario peccet, neque peccatum vitare actu poſſit, unde & ille peccat & omnes in eo: qui denique certo & irrevocabiliter apud ſe decrevit peccatorum iſtorum, qui in Adamo peccaverunt plurimos in Adamo relinquere, & peccatum in illis per inferorum ignem punire, ille meritiſſimo jure dicitur homines nonnullos imo quamplurimos abſoluto decreto, qua homines, & citra peccati conſiderationem, nullo ipſorum merito ad inferorum ignem ordinaſſe. Cohæret enim cum peccato illorum ignis inferorum, ex poſitione legis iſta pœna ſancitæ, & decreto Dei de peccato illis non condonando. Peccatum cohæret neceſſario cum decreto Dei, imo & ex eo dependet, adeo ut homo non poſſit non peccare, ſecus decreto iſti locus non eſſet. Vnde ſequitur: quum Deus homines ordinaverit ad peccandum, peccatum autem punire in multis abſolute decreverit, Deum quamplurimos ad inferorum ignem ſimpliciter ordinaſſe.

Quod vero tu & qui tecum ſentiunt, iſta ſingula ita ſentitis, commonſtrabo. Primo, dicitis & vere, ignem æternum eſſe pœnam ordinatam peccato & legis tranſgreſſioni. Secundo, dicitis Deum ordinaſſe ut primus homo & in eo omnes homines peccarent; nec dicitis ſolum, ſed & rationem decreti & ordinationis iſtius divinæ adfertis, ut Deus iſta ratione juſtitiam & miſericordiam ſuam, in quibus gloria ipſius potiſſimum conſiſtit, demonſtraret, quibus locus eſſe nequit niſi per peccatum, & occaſione illius. Tertio, additis Deum ita providentia ſua adminiſtraſſe hominis primævum ſtatum, ut, licet quod ipſius libertatem attinebat, ſtare poſſet & non labi, tamen reipſa laberetur & peccaret. Quæ duo inter ſe cohærent: ut enim Deus finem ſuæ ordinationis aſſequatur, neceſſe eſt ita negotium adminiſtret totum, ut inde finis ille exiſtat. Adminiſtrationi autem iſti præſcientiam peccati non ſubſtruitis: unde neceſſe eſt ut omnipotentiam Dei, cui reſiſtere homo nec poſſit nec velit, eidem præficiatis: qua poſita neceſſitatem peccandi & peccati inducitis. Iam vero hiſce omnibus ſuperadditis decretum Dei irrevocabile, quo ſtatuit peccatum illud ſecundum iſtud decretum perpetratum, abſque miſericordia per puram putam juſtitiam punire: Vnde puto apertiſſime conſtare, nihil verbis imponi quod à ſententia veſtra alienum eſt, quum iſta criminatio vobis objicitur.

Alteram criminationis partem jam præ manibus ſumam, qua tibi objicitur quod ſecundum doctrinam tuam *Deus homines creaverit ut perderet*. Veritas eius criminationis ex eo patet, quod dicitis Deum homines creaſſe hoc fini, ut in hiſce miſericordiam, in illis juſtitiam, & quidem punientem (illa enim miſericordiæ opponitur) demonſtraret, & citra præviſionem. Vnde ſequitur, cum juſtitia puniens hominem perdat, Deum homines nonnullos creaſſe ut illos perderet. Cohærent enim juſtitia puniens & interitus hominis, neque illa niſi per hunc declarari poteſt. Conſtat ergo, nihil tibi iſta tota criminatione a ſententia tua alienum objici.

Imo vero, puto te tuæ ſententiæ parcere voluiſſe, quum illi minus quam quod merebatur objeciſti, *Multo etiam graviora objici poſſe.*

Multo

Multo enim peius eſt, Deum ordinaſſe homines ad peccandum, & creaſſe ut peccarent; quam ordinaſſe ad pænas inferorum & creaſſe ut perderet eos. Si enim peccatum eſt peius malum quam damnatio, quod apparet ex eo, quod illud bono divino, hoc humano oppoſitum eſt; tum ſane gravius eſt ad peccatum aliquem ordinare quam ad inferos, creare ut peccet quam ut pereat. Quanquam, ſi verum lubet fateri, dicendum ſit; ſi homo ordinatus eſt ad peccandum, tum peccare non poteſt. Peccatum n. eſt voluntarium, & decretum Dei de peccato infert neceſſitatem peccandi. Et ſi homo creatur ut condemnetur, tum condemnari non poteſt à Deo. Nam condemnatio eſt actus judicis juſti. Iuſtus autem judex non condemnat niſi qui ſua culpa citra neceſſitatem malus eſt: non eſt malus citra neceſſitatem & ſua culpa, qui creatus eſt ut peccet, atque ita pereat.

Objectum per reſponſionem primam Perkinſii non confutari.

Iam vero reſponſionem tuam ad criminationem iſtam ſecundam inſpiciamus. Putas te criminationem obtundere & confutare diſtinctione duplicis actus in reprobatione, at non facis. Nam fateris ultro *Deum abſoluto ſuo propoſito deſeruiſſe creaturam, ex qua deſertione peccatum neceſſario, juxta tuam ſententiam, exiſtit*: ſecus juſtitiam punientem iſti deſertioni ſubnectere non potes, niſi conditionaliter: ſi nempe contingat hominem poſt deſertionem iſtam peccare. Fateris ergo quod criminatione iſta objicitur tuæ ſententiæ, non confutas criminationem. Confuſe autem hic miſces *permiſſionem lapſus & permiſſionem qua Deus permittit ut quis à beatitate finaliter decidat*. Non enim ſunt unum, neque ab una cauſa. Omnes enim permiſſione divina lapſi ſunt, at multi non pereunt finaliter in lapſu: & permiſſio lapſus eſt ex providentia divina generali, ad totum humanum genus; permiſſio finalis in lapſu eſt reprobationis & nonnullorum tantum. Et quod dicis *peccatum deſertione & permiſſione Dei eſſe poſterius*, intelligendum de permiſſione illa providentiæ qua hominem labi permiſit in peccatum, non de permiſſione qua patitur nonnullos finaliter à beatitudine excedere, quæ eſt reprobationis. Huius enim poſterioris permiſſionis cauſa eſt peccatum, nempe meritoria, ut ſæpe jam dictum eſt.

Inſpiciamus teſtimonia quæ adfers. In *Lombardi* dicto *futura merita* intelligenda ſunt, quæ unus haberet potius quam alius. Communia vero merita ut ut cauſa movens non ſint, ſunt tamen cauſa meritoria, & conditio in objecto reprobationis requiſita. Sic etiam *Hieronymi* dictum intelligendum de boni & mali patratione, qua inter ſe diſcriminarentur fratres, non de peccato in quo ambo pariter erant concepti: quod apparet ex eo qod dicit, & *electio illorum atque abjectio non merita ſingulorum, ſed voluntatem eligentis atque abjicientis oſtendit*. In *Anſelmi* dicto clare apparet quod volo. Nam dicit *Deum juſte agere ſi peccatores reſpuit*. Idem etiam indicat verbum *miſerendi* in altero ipſius dicto uſurpatum. Dicta Thomæ & Auguſtini hiſce conſentiunt. Non enim quæritur, an Dei voluntas ſit cauſa electionis & reprobationis, ſed an illa non habeat prævium peccatum tanquam cauſam meritoriam reprobationis, & conditionem in objecto tum electionis tum reprobationis

requiſitam, quod ex Auguſtini perpetua ſententia eſt veriſſimum; & vox *converſionis* à Thoma uſurpata, vox *trahendi* ab Auguſtino, peccatum iſti voluntati convertendi & trahendi præcedaneum facit. Teſtimonia reliquorum Scholaſticorum examinaremus, ſi tanti eſſet apud nos illorum auctoritas. Hoc autem dico, nullum eſſe quod peccatum Adami & commune omnium hominum excludat à decreto Prædeſtinationis, imo nonnulla idem clare includunt. Vbi enim *gratia, miſericordia* voces uſurpantur, ibi peccati tacita includitur mentio.

Quod vero *poſterior actus ſit cum reſpectu ad peccatum*, certum eſt, ſed ad peccatum non priore aliquo decreto ordinatum ut fieret, ſed ordinatum ut in unis puniretur ex juſtitia, in aliis tolleretur per gratiam, ubi factum eſſet. Iſta autem explicatio non docet *criminationem illam eſſe calumniam*, niſi ſimul doceas peccatum ex illo decreto reprobationis ſive alio quocunque non neceſſario extitiſſe.

Nec per ſecundam. *Secunda reſponſio* conſtat verbis tantum. Non enim excuſatur actus propter finem, ſi ſit injuſtus. Injuſtum eſt hominem citra peccatum perdere, & hoc injuſtum manet, etiamſi quis dicat hoc fieri ad *declarationem judicii* vel *declarandum judicium*; & ineptum videtur quod additur, hoc fieri ad *declarandum judicium in juſto exitio*, quod juſtum eſſe nequit, niſi inferatur ad peccatum. Quod additur, *Deum hominem non qua talis, ſed qua peccator eſt, debito exitio velle punire*, id ſolidi reſponſi vim obtinet, eo poſito quod homo libere & non neceſſario peccaverit. Peccandi enim neceſſitas & inevitabilitas à peccato excuſat, & a pæna eximit actus iſtius patratorem; actus dico & non peccati, quia actus, quem quis neceſſario & inevitabiliter perpetrat, peccati nomen cenſeri nequit. Nihil facit ad effugiendum hunc ictum varia diſtinctio, qua homo ſui reſpectu libere, decreti vero divini ratione neceſſario peccaſſe dicitur: quia fieri nequit, ut quis libere faciat id quod neceſſario facit, neque ut unus actus neceſſario fiat, hoc eſt, non poſſit non fieri, & tamen contingenter fiat, hoc eſt, poſſit non fieri. Pugnat enim hoc cum prima veritatis univerſalis notione; de quolibet affirmare aut negare verum eſt. Scio a nonnullis illam diſtinctionem propugnari, allato Dei exemplo, quem dicunt & neceſſario & libere bonum eſſe. At perperam. Adeo enim falſum eſt Deum eſſe libere bonum, ut non procul abſit a blaſphemia. Deus enim quod eſt, neceſſario eſt, & ſi libere bonus eſt, poteſt eſſe non bonus. Et quis unquam dixit, quæ naturalia ſunt & eſſentialiter inſunt, libere ineſſe.

Cameracenſis vero dictum ex parte eſt blaſphemum, ex parte verum. Blaſphemum eſt dicere, *Deum poſſe citra juſtitia ſua damnum & noxam punire & affligere æternaliter innocentem creaturam ſuam*: verum, *Deum poſſe creaturam annihilare ſine ejus peccato*. Multum enim diverſa ſunt punire & annihilare: Hoc enim eſt auferre eſſe quod dedit ex gratia, illud miſerum eſſe inferre & quidem infinite miſerum; citra tamen ullum meritum peccati. Hoc longe peius illo, dicente Chriſto: *Melius fuiſſet homini, ſi natus non fuiſſet.*

Quod

Contrarium eſt juſtitiæ divinæ punire non peccatorem.

Quod autem juſtitiæ divinæ contrarium ſit punire non peccatorem, apparet ex dictis Scripturæ plurimis. *Geneſ.* 18. *Abſit à te qui judex univerſæ terræ es, ut juſtum condemnes cum impio.* *Exod.* 32. *Dele me de libro tuo. Qui peccavit delebo de libro meo.* 2. *Theſ.* 1.6.7. *Siquidem juſtum eſt apud Deum viciſſim reddere iis qui affligunt vos, afflictionem; vobis vero qui affligimini relaxationem nobiſcum.* *Heb.* 6. 20. *Non enim eſt injuſtus Deus ut obliviſcatur operis veſtri,* &c. Dictum ſapientiæ *cap.* 12. à Cameracenſi citatum prorſus contrarium docet, quam *Cameracenſis* ex eo probare nititur. Agit enim de perditione nationum injuſtarum, & apertis verbis habet verſu, 15. *Iuſtus autem cum ſis, juſte gubernas omnia: eum qui nullam ſit meritus pœnam condemnare, exiſtimans alienum à tua poteſtate.* At fateor culpa veteris verſionis in errorem iſtum inductum Cameracenſem. Tu vero, Perkinſe eo ipſo non excuſaris. Debuiſti enim omittere teſtimonium Auctoris in errorem inducti vitio verſionis, cum id ſcires ex ipſo contextu Græco & Tranſlationibus poſterioribus melioribus iſta antiqua: *Deus* quidem *non eſt obligatus legibus creatis*, ſed ſibi ipſi eſt lex, eſt enim ipſa juſtitia. Et lex iſta ſecundum quam nemini licet pœnam inferre immerenti, non eſt creata, neque ab hominibus facta, aut inter homines tantum locum habens: ſed eſt lex æterna, & immota juſtitia divina cui Deus ex immutabilitate ſuæ naturæ & juſtitiæ eſt obligatus. Neque hoc in univerſum verum eſt, *quicquid juſtum eſt, eo juſtum eſſe, quia Deus illud velit*, quum multa ſint quæ Deus vult quia juſta ſunt. Iuſtum eſt ut Deus ſolus a creatura agnoſcatur pro vero Deo. Hoc Deus vult quia juſtum eſt, & non eſt juſtum quia Deus velit. Actus ſimplicis obedientiæ juſtus eſt, non quia Deus illum velit ſibi præſtari a creatura, ſed quia in ſe talis eſt, & Deus non poteſt non illum a creatura poſtulare; licet voluntatis liberæ eſſe poſſit præſcribere qua in re velit ſibi ab homine obedientiam præſtari. Et quod ad nos attinet, noſtri ſane eſt officii in legibus divinitus nobis latis, non tam videre an quod jubet, ſit juſtum in ſe, ſed ſimpliciter obtemperare quia Deus præſcribat & jubeat. Quod tamen noſtrum officium hoc fundamento nititur, quod Deus id quod injuſtum eſt præſcribere non poſſit, propterea quod ſit ipſa juſtitia, ſapientia, & omnipotentia.

Examinatio locorum ſcholaſticorum.

Omittere ſtatueram latiorem examinationem dictorum ex Scholaſticis Theologis allatorum: ſed, verbo dico. *Franciſci Maronis ſigna quatuor ad proceſſum prædeſtinationis & reprobationis intelligendum neceſſaria*, ut ipſe inquit, nullius eſſe pretii, & notoriæ falſitatis, & confuſi ordinis. In ſententia D. Bannes abſurde *permiſſio, qua tota natura permiſſa eſt ruere in Adamo*, adſcribitur reprobationi, quum illa permiſſio & lapſus eam ſecutus ſe extendat ad totum humanum genus circa diſcrimen electorum & reproborum. Quatuor illa quæ Ferrarienſis dicit in reprobato inveniri, non inſunt illi ut reprobato & reſpectu decreti reprobationis, ſed duo poſteriora tantum; nam *permiſſio lapſus* & *peccatum* etiam, ut eius verbis utar, in electis inveniuntur, & pertinent ad decretum generalioris providentiæ, quo Deus permiſit hominem libertati arbitrii

 ſui,

ſui, ut ante dictum & ſæpius. Fuerunt ergo alia tibi afferenda ad criminationem iſtam diluendam. Verum admodum velim te, mi Perkinſe, Scripturam citare ad ſententiæ tuæ confirmationem & criminationum iſtarum depulſionem. Scholaſticorum ſcripta pondus & auctoritatem, apud nos præſertim, habere non debent; de quibus Doctores noſtri Theologi uno ore affirmant *quod veram Theologiam in Philoſophiam & altercandi artem converterunt, quodque ſuas ſententias non tam ſacrarum litterarum quam Ariſtotelis auctoritate ſtabilire conantur.*

Criminatio III.

Stoïcam Prædeſtinationem & ſtoïcum fatum à nobis induci: quia (ut aiunt) ex neceſſario & energetico Dei decreto omnia dicimus fieri: etiam lapſum Adæ, quem ex noſtra (ut ferunt) ſententia decrevit & voluit Deus.

Et hanc criminationem nimis leniter propoſitam eſſe.

Gravis quidem eſt iſta criminatio, at leniter a te & leviter propoſita, & non illorum verbis qui illam objiciunt. Addere debuiſti quæ ad hanc criminationem eſſentialiter pertinent, & tibi tuæque doctrinæ ab aliis objiciuntur: qualia hæc ſunt. Inde ſequi *Deum eſſe peccati auctorem*; *Deum vere peccare*; *Deum ſolum peccare*, *& peccatum non eſſe peccatum*, quæ Bellarminus objicit ſententiæ quorundam doctorum noſtrorum, quam & tu propugnare videris. Ratio vero cur iſta omnia tuæ doctrinæ objiciant hæc eſt: Quia efficaci Dei voluntate, & cui reſiſti nequit, omnia evenire dicas, & quæ non fiunt, ideo non fieri, quia Deus abſoluto decreto, ſtatuit ne iſta fierent. Vnde ſequitur & actus quæ peccata ſunt, committi Dei voluntate, cui reſiſti nequeat & actus juſtitiæ omitti, quia Deus decreverit ſimpliciter & abſolute ne fierent. Et propterea Deum eſſe auctorem peccatorum, & impeditorem juſtitiæ & bonorum actuum. Ex quo infertur, Deum vere & proprie loquendo peccare: quumque neceſſitas ex qua actus tales patrant homines, illos à peccato excuſet, ſequitur Deum ſolum peccare, quemadmodum ille ſolus peccat qui arrepta manu aliena per vim alteri colaphum impingit. Cæterum quia Deus peccare non poteſt, ſequitur peccatum non eſſe peccatum. Quare nulla mihi videtur per iſtam criminationem tuę doctrinæ injuria illata eſſe.

An hæc criminatio recte expungatur.

At videamus quomodo tu iſtam criminationem expungas. Omiſſo quod generatim fuit objectum, de *Adami lapſu* agere incipis. Hunc fateris eveniſſe *non præſciente modo Deo, ſed volente etiam & decernente*: at, ut explicas te, *voluntate non approbante neque efficiente, ſed non prohibente, ſed permittente.* Quæ diſtinctio recte adhibita vera difficultatem ſolvit. Et ſi ſententia tua aliorumque hæc eſt, Deum non approbaſſe, non effeciſſe lapſum, non incitaſſe, non impuliſſe Adamum ad labendum, neque neceſſitatem illi ullam intuliſſe peccandi, ſive agendo ſive non agendo, ſed tantum voluiſſe non impedire, at permittere lapſum Adami: tunc fateor illa omnia injuſte tuæ ſententiæ objici. Sed verbo tenus hæc tantum dicere videris, reipſa permiſſionem ſeu non prohibitionem illam ita explicas, ut in energeticum illud

illud decretum Dei incidat. Quod ita probo. Dicis, *Quod Deus non impedit, ideo evenit, quia Deus non impedit; & quod non eſt, ideo non eſt, quia Deus vult non eſſe.* Concludo. Ergo non impeditio Dei & eventus inter ſe copulantur ut cauſa & effectus, & quidem immediate. Et ſic non impeditio habet rationem energeticæ effectionis. Ergo etiam volitio Dei, & non exiſtentia ſeu eventus rei inter ſe copulantur ut cauſa & effectus, & propterea volitio ne aliquid ſit, habet rationem energeticæ impeditionis. Quod porro latius ita doceo.

Peccatum eſt duplex, Commiſſionis & Omiſſionis: Commiſſionis quo fit quod vetitum eſt, Omiſſionis quo non fit quod præceptum eſt (ex tua ſententia) concurrere ad actum illum; qui ab homine ſine peccato committi nequit, & quidem ſic concurrere, ut Deus prima iſtius actus cauſa ſit, homo ſecunda, ille movens hominem, hic motus à Deo, & quidem ita movens, ut homo neceſſario illum motum ſequatur, atque ſi ex neceſſitate producat actum illum, quem ille ſine peccato committere non poteſt. Non impedire peccatum omiſſionis, eſt ex tua ſententia, non dare illam gratiam ſine qua omitti peccatum & præſtari bonum contrarium nequit. Qui autem illo pacto concurrit, & iſtam gratiam denegat, ille ſimpliciter eſt peccati præcipua & energetica cauſa. Imo & ſola cauſa, quia concauſa actus, propterea quod motui primæ cauſæ reſiſtere nequit, peccare non poteſt motum irreſiſtibilem ſequendo.

Si vero ſententiam tuam & aliorum ita explicare potes, ut ab ipſa mea explicatione reipſa diſſentiat, tum nihil tibi criminis impingo.

Diſtinctione iſta qua dicis *aliud eſſe velle rem aliquam per ſe, & aliud rem velle quoad eventum,* non elaberis, niſi per eventum rei intelligas id quod ex rei ipſius productione & exiſtentia evenit, quæ ſententia tua non eſt. Dicis enim *Deum velle peccati eventum,* hoc eſt, *peccatum evenire, at non velle peccatum ipſum:* quæ diſtinctio eſt abſurda. Nam peccati eſſentia conſiſtit in eventu; Eſt enim actio. Et eodem volendi modo Deus vult peccatum ipſum quo vult peccatum evenire, & quo vult peccatum evenire, eodem etiam vult peccatum ipſum. Non amat peccatum per ſe, non amat ut eveniat peccatum per ſe. Vult ut peccatum eveniat propter gloriam ſuam; vult etiam peccatum propter gloriam ſuam. Loquor ex tuo ſenſu. Monſtra, ſi potes, diſcrimen, & acquieſcam. *Diſtinctione rei per ſe & eventus rei.*

Quod vero dicis *Deum velle non impedire peccatum*, ambigue dicitur, niſi explicetur. Quid enim? Annon Deus impedivit ne homo peccaret, quantum ipſum decuit, & ſecundum modum, quo fas eſt ipſum agere cum creatura rationali; nempe legiſlatione, comminatione, promiſſione, gratia ſufficientis donatione, quin & aſſiſtentiæ ſuæ pollicitatione, ſi homo ad illam confugere vellit? quod potuit, aut abimus in infinitum. Non impedivit autem omnipotenti & phyſica actione, quia non decuit: ſic enim impediiſſet homini uſum libertatis ſuæ primævæ in qua illum inſtituerat; & per conſequens reſcidiſſet, ut alibi ex Tertulliano diximus, inſtitutionem ſuam.

Recte

Recte autem dicitur Deum proprie & primo, adde etiam immediate velle permiſſionem ſuam. At inde non ſequitur, Deum etiam velle eventum peccati. Non enim ſequitur, Deus volens permittit peccatum: ergo vult evenire peccatum. Contrarium enim verum eſt; Deus volens permittit peccatum: Ergo nec vult ut eveniat peccatum, neque vult ut non eveniat. Eſt enim permiſſio actus remiſſæ voluntatis: quæ voluntatis remiſſio hic Deum decuit, quia hominem liberi arbitrii fecit, ut illius liberam & voluntariam obedientiam exploraret: quod non potuiſſet, ſi impedimentum objeciſſet homini inſuperabile. Cauſa vero cur id quod Deus permittit eveniat, non eſt permiſſio, licet ſine illa non eveniret; ſed ipſa propria & immediata cauſa actum producens cum concurſu Dei ipſi ſemper parato. Permiſſio autem in cauſam per ſe reſolvi nequit, ſi de ea agatur ex rei veritate, ſed tantum in cauſam ſine qua non, ſeu removentem, vel potius non præſtantem prohibens, & quidem tale prohibens, quale dixi, cuius prohibitioni creatura obſiſtere non poteſt.

Permiſſio qualis cauſa.

Iſta vero verba tua; *Sicut nil boni poteſt eſſe aut fieri niſi Deo faciente, ita nil mali poteſt caveri niſi Deo impediente*, vera ſunt ſi recte intelligantur: ita nempe faciente Deo ut decet illum id quod bonum eſt per rationalem & liberam creaturam efficere: atque ita impediente Deo, ut decet liberam creaturam à malo impediri. Modus autem iſte & faciendi & impediendi talis eſt, ut libertatem hominis non auferat, ſed & ipſum hominem libere exque voluntate ſecundum modum voluntatis bonum facere & à malo abſtinere permittat. Secus non bonum fit ab homine, neque malum ab illo cavetur, ſed actus tantum fit & vitatur neceſſitate ſive naturali ſive ſupernaturali. Corrigi etiam poſſent illa verba, ſi accuratius eadem excutere quis vellet. Ita enim dicendum fuit. *Sicut nihil boni eſt aut fit, niſi faciente Deo, ita nihil mali cavetur, niſi Deo impediente.* Faciente enim Deo non tantum poteſt fieri bonum, ſed etiam fit ipſum, & impediente non poteſt modo caveri malum ſed etiam cavetur reipſa. Si vero *poſſe* illud retinere vis, ita tibi enuntiandum eſt. *Sicut nihil boni poteſt fieri aut eſſe, niſi Deus velit hoc facere, vel alteri faciendi facultatem & voluntatem dare, cumque illo ad agendum concurrere; ita nihil mali caveri poteſt, niſi Deus velit dare & det vires ſufficientes ad cavendum peccatum illaſque excitare velit & iiſdem cooperari.* Et hoc ſenſu *ne minimum* quidem *fit præter Dei voluntatem*, nempe vel volentem ut fiat vel volentem non prohibere ſed permittere ut fiat. Neque *otioſa eſt providentia* in permiſſione, & quidem ſic explicata, ut neque in voluntatem Dei qua vult ut aliquid fiat, neque in illam qua vult ut aliquid non fiat, incidat. Secus ſi in alterutram incidat, nulla eſt permiſſio, & fruſtra dicitur ab Auguſtino, *nihil fit niſi Deo vel faciente vel ſinente.*

Sed videamus quid ex locis Scripturæ quos uſurpas, probari poſſit.

Examinantur allatæ rationes. Primo loca Scripturæ.

Locus *Actor.* 2. v. 23. Non docet Deum voluiſſe ut Iudæi Chriſtũ trucidarent, ſed tantum *definito Dei conſilio & præſcientia traditum* eſſe in poteſtatem illorum, qui volebant ipſum trucidare. Nihil etiam amplius ex loco. *Actor.* 4. v. 28. inferri poteſt. Præordinavit enim Deus Filium

Act. 2. 23.

Act. 4. 28.

Filium ſuum tradere in manus hoſtium ſuorum, ut ab iis pateretur quæ Deus illi impoſuerat, & quæ Iudæi pro ſua malitia & odio adverſus Chriſtum inferre ipſi ſtatuerant. Præordinavit quidem Deus ut Chriſto ab ipſis mors inferretur: at quales Deus illos conſideravit quum *præordinavit* ut hoc ab iis *fieret*? Sane quales erant tum temporis quum Chriſto mortem inferrent, nempe inimici Chriſti jurati, præfracti Dei & veritatis hoſtes & contemptores, qui nullis monitis, precibus, minis, miraculis ad reſipiſcentiam adduci poterant; qui omnia mala Chriſto inferre volebant, modo ipſis poteſtas fieret illius, quod jam ſæpe fruſtra quæſierant.

Vnde apparet nullam hic fuiſſe aliam Dei actionem quam quod Filium ſuum in illorum manus tradiderit, permiſeritque ut illum, tractarent pro arbitrio, adhibita tamen determinatione quouſq; illos progredi vellet, diſpenſans & regens ita malitiam illorum ſed ſuaviter admodum, ut hoc tantum illi inferrent, quod Deus Filium ſuum pati volebat, & nihil præterea: ut perſpicuè videre eſt in ipſo ſupplicii genere, impedimento fractionis crurum in perfoſſione lateris, in inſcriptione tituli, & ſimilibus. Cæterum nulla hic apparet Dei actio qua impulſi ſint, aut moti ad volendum & agendum quod voluerunt & fecerunt: ſed volentibus Chriſtum morti tradere ex propria malitia & invidia, uſus eſt, prout ipſe ſcivit gloriæ ſuæ & ſaluti hominum conducere.

Cauſa autem cur Deus & Chriſtus in illa traditione, non peccaverint, non hæc ſola eſt neque præcipua, quod *diverſis finibus moti fuerunt ad tradendum*. Quid enim ſi Iudas in hunc finem id feciſſet, ut Chriſtus morte ſua mundum Deo reconciliaret, an propterea minus peccaſſet? Nihil minus. Non enim licuit illi malum facere ut inde bonum exiſteret. At præcipua diſcriminis cauſa eſt, quod Deus jus habuit Filium tradendi, & Chriſtus quoque tradendi animam ſuam in mortem; unde id faciendo peccare non potuerunt. Iudas vero nullam eius rei habuit poteſtatem, itaque peccavit. Actiones enim non ſine modo ſed & principio & forma diſcriminantur. Saul à peccato non excuſabatur quod armenta Amalecitarum ſervaſſet ad ſacrificium. *Actiones non distinguuntur solo fine.*

At quæ iſta eſt conſequentia? *ergo etiam dicere nobis licet; Adamus quando fructu vetito veſcebatur, id fecit quod Dei manus & conſilium præordinavit ut fieret.* 1. Sam. 15. Hæc ſane *lingua Apoſtolorum & Eccleſiæ* non fuit unquam neque eſſe potuit, rebus ita inter ſe diſſimiliter habentibus. Non enim una eſt ratio Adami & illorum hoſtium Chriſti. Ille ante eſum erat ſanctus & juſtus; hi ante mortem Chriſto illatam mali, injuſti, inimici & hoſtes Chriſti. Hi jam omnibus votis exoptabant, & ſæpe multis modis tentarant mortem inferre Chriſto; Adamus abhorrens ab eſu fructus vetiti uſque dum ab uxore ſeducta eo pelliceretur. Chriſti mors neceſſaria expiandis peccatis, & gloriæ Dei per ſe declarativa: Adami lapſus omnino non neceſſarius, & per ſe gloriæ & majeſtatis Dei violativus. Neque enim indiguit Deus maleficio hominis ad gloriæ ſuæ illuſtrationem. Et quid poteſt abſurdius cogitari iſto circulo.

Lapſus Adæ quomodo ordinatus à Deo. *Mors Chriſti à Deo præordinata eſt ut peccatum Adami expiaret: Adami lapſus à Deo præordinatus eſt ut morte Chriſti expiaretur.* Vnde initium ſumetur iſtius ordinationis; Vbi finietur? Ordinavit tamen Deus Adami lapſum, non ut exiſteret, ſed exiſtentem, ut ſerviret illuſtrationi juſtitiæ & miſericordiæ ſuæ.

1. Pet.3.17. Locus 1. *Pet.* 3. 17. ſimiliter explicandus eſt. *Vult Deus ut pii mala patiantur* ad caſtigationem & probationem ipſorum, vult illos eadem mala pati ab hominibus aliis, ſed qualibus? qui ultro ex propria malitia & inſtigatione Satanæ jam volunt ipſis mala inferre; quam illorum malam voluntatem Deus jam tum prævidebat, quum prædefiniret ut mala iſta piis inferrentur. Nullo itaque Dei actu iſti moti ſunt ad volendum inferre mala piis, nullo etiam ad inferendum, niſi tali qui ipſos potius ab ipſa volitione dimovere & ab illatione deterrerre debebat: & demoviſſet deterruiſſetque reipſa, niſi deploratæ malitiæ fuiſſent. Doctrina, vita, & miracula Chriſti & Apoſtolorum, mundi odium & invidiam illis conciliarunt.

2 Sam.16. Quod Deus *Semei præcipiſſe* dicitur, *ut Davidi malediceret*, etiam dextre explicatum, difficultatem nullam habet. Conſideretur Semei, ipſe David, & actus Dei qui dicitur præceptio ad meledicendum. Semei jam tum erat oſor Davidis, linguæ maledicentiſſimæ, & procacis animi, impius & contemtor Dei divinæque legis, qua præceptum erat *ne quis malediceret principi populi ſui.* David facto ſuo adverſus Deum & proximum ſuum ſe dignum reddiderat iſta ignominia, & omnino indigebat per iſtam caſtigari & probari: præditus inſuper erat dono patientiæ ad contumeliam iſtam æquo animo ferendam. Actus Dei eſt, ejectio Davidis & expulſio ex urbe regia & regno; Vnde exſtitit fuga Davidis, perlatio rumoris iſtius ad aures Simei, curatio ut David & Semei unum in locum convenirent: atque ſic Dei actu David fugiens & à filio pulſus, oblatus eſt Semei ex Saulis familia oriundo, & hoſti Davidis, prompto ad maledicendum. Adde ſi voles obdurationem animi Semejani, ne propter comites Davidis metueret Davidem maledictis inceſſere, quo hoc pacto animo ſuo & odio inveterato adverſus Davidem aliquo modo ſatisfaceret. Oblatio ergo iſta qua David fugiens Semei eſt oblatus, & obduratio animi Semejani divinitus facta, quin & directio linguæ maledicæ, ſunt actus ad iſtam præceptionem pertinentes, citra quos nulla in præceptione iſta Dei actio alia dari poteſt quæ in juſtitiam Dei non impingat, Deumque peccati auctorem faciat. Iam vero ſi conferre lubet omnia, videbimus ipſius actus maledicendi non tam Semei quam Deum auctorem eſſe. Semei ſolus fuit auctor volitionis, ſed ut reipſa, quod volebat, efficeret, Deo potiſſimum eſt tribuendum, non moventi Semeium ad maledicendum, ſed procuranti ut Semei occaſionem haberet maledicendi Davidi, & confidentiam occaſione illa utendi. Vnde apparet planiſſime Deum extra noxam eſſe, & Semeum culpæ implicari. Locus *Ierem.* 34, 22. *& Lament.* 3. 37. ſimiliter explicentur, & nihil difficultatis habebunt. Ex collatione vero apparebit hæc

omnia ad lapſum Adami nihil facere; ille enim initium fuit peccati: & reliqua omnia locum habent peccato jam in mundum ingreſſo & hominibus per peccatum depravatis.

Ratio ſecunda. Ad *rationem ſecundam*. Quod *Deus volens permittit peccatum* certum eſt, & æque certum quod *velle permittere ſit velle non impedire.* At hic ſiſte. Non enim idem ſunt velle permitterre ſeu non impedire, & *velle gratiam non dare*. Permittit enim ut ille labatur cui gratiam ad ſtandum ſufficientem & neceſſariam dederat. Pergamus. *Qui peccatum, quod futurum præſcit, impedire non vult per gratiam confirmantem cum poſſit, ille revera vult ut idem eveniat*, inquis. At nego ex nolitione prohibendi vel impediendi, recte concludi volitionem eventus peccati. Sunt enim tria inter ſe diſtincta quorum nullum alterum includit, *velle ut peccatum non fiat*, hoc eſt, velle impedire ne fiat, & *velle ut fiat* ſeu eveniat, & *velle permittere* ſeu non impedire. Duo priores actus ſunt affirmativi, poſtremus negativus. Ex negativo vero actu affirmativus concludi nequit: plus enim eſt in adfirmativo quam negativo actu. At plus non poteſt eſſe in concluſione quam in præmiſſis.

Quomodo Deus velit & non velit impedire peccatum Deinde dico committi ibi fallaciam à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Vult enim Deus non impedire peccatum ſecundum quid, & vult impedire ſecundum aliud; impedire inquam, prout decet, quam tamen impeditionem non ſequitur peccati omiſſio: & non impedire alio modo, quam impeditionem ſequeretur quidem peccati omiſſio, at citra laudem & virtutem omittentis, utpote non valentis non omittere propter iſtam impeditionem. At licebit & mihi ſic contra argumentari; *Qui peccatum odit, & per legis poſitionem gratiaque ſufficientis dationem impedire vult, ille non vult ut peccatum eveniat, ſed vult ut peccatum non eveniat; quod eſt affirmativi actus voluntatis.* Dices id recte concludi de *voluntate approbante.* Reſpondeo fieri non poſſe ut Deus quocunque volendi modo contradictoria velit vel contradicentia: Contradicentia autem ſunt evenire & non evenire. Ergo fieri nequit, ut Deus una voluntate velit aliquid evenire, quod altera velit non evenire. At fieri poteſt ut Deus voluntate beneplaciti, ut appellant, velit permittere id, quod voluntate approbante ſeu ſigni vult non fieri. Atque ſic concluſio tua Manca eſt, & dicta *Calvini & Bezæ*, ſalvo tantorum virorum honore dictum ſit, veritati minus conſentanea.

At vide ſis, quæſo, quæ ſubjungis, & videbis fateberiſq; te aliud agentem iſta in chartam conjeciſſe. *Quodcunque Deus*, inquis, *non impedit, ideo non impedit, vel quia vult fieri, vel quia penitus nolit fieri, vel quia non velit fieri* (at quæ horum duorum poſteriorum differentia? Nolle fieri eſt non velle fieri: particula *penitus* eſt nullius pretii, quia negans pars in contradicentibus non capit incrementum, ut non homo: tam enim eſt non homo Lupus, quam aër, terra, cœlum: at forte per *penitus nolit fieri*, intelligi vis, velit non fieri:) *vel quia non curat. Primum* ſi eſt, *obtines intentum.* At *ſecundum* eſſe non poteſt: *eſt* enim *abſurdum* dicere *Deum ideo aliquid impedire nolle, quia velit ut non fiat.* Neque tu in enumeratione iſta

cauſarum id ponere debuiſti: Nolle enim impedire, &, velle ut non fiat opponuntur; atque inde certum eſt unum alterius cauſam eſſe non poſſe. In inquiſitione autem cauſarum per viam diviſionis inſtituta, non ſolet neque debet poni id quod oppoſitum eſt. At tranſeat hoc.

Dices igitur; debet ergo ob aliquam cauſam ex tribus iſtis non impedire: fateor ſanè. At illa non eſt *quia non curet*, hoc enim eſt *Epicuræum*. neque quia *non velit fieri*; ergo quia *velit fieri*. Nego antecedens. Hæc enim eſt cauſa cur Deus non impediat aliquid; quia neque velit ut fiat, neque velit ut non fiat. quod conſtabit planius, ſi rem ita conſideres. Quod Deus vult ut fiat, hoc efficaciter efficit. Quod vult ut non fiat, hoc efficaciter impedit. Quod neque vult ut fiat, neque vult ut non fiat, hoc permittit creaturæ. Et quo modo mens humana concipere poteſt Deum ideo non impedire aliquid, hoc eſt permittere, quia velit ut fiat: ſane illud velle ut fiat, plus in ſe continet, quam ut inde permiſſio ſeu non impeditio producatur & concludatur.

Quod inde concludis *iſta talia Deo vel imprudente vel non curante fieri*, quod abſurdum eſt; non potes tueri, ne quidem adverſus teipſum. Iam ante enim non velle fieri, & non curare, ſejunxiſti in tua diſtinctione. Ergo jam unum ex altero concludere non potes. Et quomodo fiat Deo imprudente, quod fit permittente Deo, & volente permiſſionem ſuam? At poſtea ubi de permiſſione latius explicabimus, apparebit Deum quod permittit non imprudentem aut non curantem permittere. Quod autem *permiſſio ſit quadam voluntas affirmativa & non negativa pura*, recte intelligendum. Vult enim Deus actu affirmativo permiſſionem ſuam. At circa id quod permittit, verſatur ſolo actu negativo voluntatis ſuæ.

Abſit autem ut quis exiſtimet Deum quid iniquè aut injuſte decernere: poſito enim quod decreverit, concludendum ilico eſt, juſte decreviſſe. Sed videndum an & quo modo Deus aliquid decernat. Fieri enim nequit ut ipſius decreta cum juſtitia ipſius nobis in Scripturis patefacta pugnent: quare ſciendum eſt non ſufficere ad culpam à decreto quod nos Deo aſcribimus, auferendam, ſi addamus decreviſſe ſed *juſte*: non enim vocis iſtius additio juſtum facit decretum, ſed commonſtrandum id quod Deo tribuimus decretum, revera ipſi convenire, & tum de juſtitia nulla erit quæſtio.

Tertium argumentum elumbe eſt. Ex eventu enim alicuius rei non poteſt concludi Deum voluiſſe ut eveniret, ſed voluiſſe non impedire: & hoc velle non impedire, etiam eſt actus providentiæ Dei, quæ omnibus & ſingulis rebus adeſt & præeſt, vel faciendo, vel ſinendo ut fiant: adminiſtrando tamen & ordinando omnia ad juſtos & legitimos fines: atque ita ut *non tantum exitum verum, ſed & ipſa initia curet, & principia rerum & actionum*. Et notum eſt Satanam & Impios non modo nihil perficere, ſed ne ordiri quidem poſſe niſi Deo permittente. Quod tu addis, *volente*, non concedo niſi probaveris majore argumentorum pondere quam hactenus feciſti. Et propterea *impium eſt dicere quicquam exiſtere vel fieri, niſi Deus juſtus ſanctuſq.* *Ratio tertia.*

id ab æterno decreverit, & volens quidem, vel facere vel permittere. Eſt enim decretum Dei duplex, efficax & permiſſivum. Neutrum in alterum incidere poteſt.

Ratio quarta

Conſideremus & *Veteris Eccleſiæ judicium. Auguſtinus* aperte diſtinguit inter permiſſionem & efficientiam. Et licet dicat, *fieri nihil niſi quod Deus fieri velit*; explicat tamen ſe cum dicit, *vel ſinendo ut fiat, vel ipſe faciendo*: atque hac ratione id quod ſinit, non eſt objectum voluntatis immediatum, ſed permiſſio, cuius objectum eſt id quod permittit Deus. Ita quoque *Tertulliani, Hieronymi,* & aliorum dicta ſunt explicanda ne impingant in Scripturam quæ ſimpliciter dicit: *Tu Deus non volens iniquitatem.* Quare, ſi mihi libere loqui liceat, dicam me malle ut *Auguſtinus, Hieronymus, Catharinus,* & alii omnes ab huiuſmodi phraſibus abſtineant quæ in Scripturis non continentur: & explicationem deſiderant prolixam, ne in blaſphemiæ & hæreſeos occaſionem trahantur.

Diſtinctio iſta ſecundum quam Deus dicitur *velle ut malum ſit, non tamen velle malum*, nihil habet ſoliditatis. Odit enim Deus malum, & odit mali exiſtentiam: quumque malum conſiſtat in actione, eius fieri eſt eius eſſe, & eſſe eius eſt natura eius. Et licet inter mali eſſentiam & exiſtentiam diſtingui poſſet ſubtilius, tamen dici nequit tantum diſcriminis eſſe inter utrumque, ut Deus velit peccatum exiſtere, non velit autem ipſum peccatum. Quia enim Deus odit eſſentiam mali, ut ita dicam abuſive, idcirco vetat ne fiat malum: & cauſa cur nolit exiſtere peccatum eſt quia peccatum ipſum odit. Sed non ita odit mali exiſtentiam aut malum ipſum, quin permittat malum fieri à libera cauſa, non quia melius eſt ut ſint mala, quam ut non ſint, ſed quia melius eſt, primo, ut rationalem & liberam ſuam creaturam permittat agere pro arbitrio & libertate ſua, in quo conſiſtit exploratio obedientiæ illius, quam ut contra primævam ſuam inſtitutionem iſtam libertatem creaturæ adimat, vel uſum ſaltem eius impediat: ſecundo, ut de malo benefaciat, quam malum eſſe non ſinat. Quod autem Deus velit fieri malum non qua tale, ſed qua bonum, latiore indiget explicatione quam poſtea adferemus, Deo volente.

Cur Deus permittat malum.

Vigetur prima objectio.

Objectio autem iſta eſt magni pretii. Voluntas enim mala dicitur à volitione mala, volitio mala eſt quæ fertur in objectum non debitum. Objectum autem non debitum eſt malum. Ergo volitio mala eſt qua quis vult malum, & qua vult malum fieri. Nam verbo diſtinguuntur iſta duo, re conveniunt. Quare etiam *voluntatis mala eſt velle mala fieri, ſive voluntas illa delectetur malis, ſive uti iis velit ad bonum.* Nulli enim licet velle ut malum fiat, quo occaſionem habeat eo ad bonū utendi. Et regula quam adfers certa eſt: *Non ſunt facienda* imo nec volenda, *mala ut eveniant bona.* Nam prima iniquitas eſt in voluntate ſeu volitione mali, ſecunda in perpetratione.

Extenditur ad eam data reſponſio.

Reſponſio tua non aufert difficultatem objectionis. Quorſum enim *duo* iſta *principia* faciunt? Etiam illis ſtantibus, valet objectio: Nam quoad prius. Quum nihil ſit in rerum natura malum, non poteſt voluntas ferri in malum, & voluntatis omnis eſt tendere in bonum; nec voluntatis tantum, ſed & cupiditatis

& appetitus omnis. Verum ratio mali in eo non conſiſtit quod fertur in malum voluntas, ſed quod fertur in bonum non debitum, vel non debito modo & fine. Quod ad ſecundum. Certum eſt *nihil eſſe mali quin habeat aliquid boni conjunctum.* Nam non datur ſummum malum. Malum enim non eſt niſi in bono. At inde non ſequitur bonum eſſe ut peccatum eveniat. Tantum enim malum eſt peccatum, ut vitari debeat, etiamſi boni quid habeat conjunctum. Actus ſcortationis habet id boni quod congreſſus viri & fæminæ ſit naturalis, attamen eſt omittendus quia non poteſt ſine peccato patrari. Hoc autem bonum de quo tu agere videris, non eſt peccato conjunctum niſi per accidens, interveniente nempe Dei voluntate illud malum in bonum finem dirigentis.

Dictum Auguſtini rigide examinatum conſiſtere non poterit, commode autem explicatum poterit tolerari. *Non* enim *bonum eſt ut ſint mala.* Omne enim bonum facit Deus. Ergo Deus facit ut ſint mala. Quod pugnat cum dicto Auguſtini, quo ait, *Deum nonnulla facere, alia vero ſinere fieri, ut peccata.* Quomodo autem de Deo ſine contradictione dici poteſt, quod faciat ut ſint mala, & ſinat fieri mala? Ratio autem adjuncta hoc non probat. Omnipotens enim bonus non propterea ſinit mala quia bonum ſit etiam eſſe mala, ſed quia novit ſe pro ſua ſapientia & omnipotentia ex malo contra ipſius naturam & propriam efficacitatem, bonum educere poſſe, idque puro actu ſuo, aut juſtæ punitionis aut gratioſæ remiſſionis. Non eſt bonum ut ſint mala niſi per accidens, nempe propter Dei ſapientiam, omnipotentiam, voluntatem. Quod autem per accidens eſt, in conſiderationem non venit.

Sed videamus jam reſponſionem tuam. Dicis *peccatum in ſuis cauſis & circumſtantiis ὅλως conſideratum, duplicem reſpectum ſeu formalitatem induere.* *Duplex peccati reſpectus.* Primo dicis, *peccatum conſiderari non ſub ratione peccati, ſed quatenus apud Deum decernentem habet rationem boni.* *Primus.* At nego peccatum habere rationem boni apud Deum decernentem. Actus enim Dei circa peccatum omnino declarant, Deo peccatum non ſub boni, ſed ſub mali ratione conſiderari. Permittit enim peccatum; bonum autem facit: pnuit peccatum; malum autem punit & qua malum. Remittit peccatum & condonat: quod autem condonatur, id condonanti ut malum conſideratur. At Deus decernit permiſſionem peccati, quia novit ſe actus bonos producere poſſe ex peccato, non qua bonum, ſed qua peccatum eſt & malum. Neque recte dicitur *peccatum habere rationem boni apud decernentem Deum, quia Deus ex peccato elicere novit occaſionem bonorum actuum;* quum actus illos non producat niſi conſiderans peccatum ut peccatum. Et mirum eſt conſiderationem aliquam affingi peccato contra eius definitionem. Definitio autem peccati eſt quod ſit trangreſſio legis, & propterea violatio voluntatis Dei. Vnde etiam conſtat perperam dici *quod peccatum habeat boni rationem, quia eſt in bono, & quia eſt ad bonum.* Bonum enim dicitur de ſubjecto in quo eſt peccatum tanquam vitium deformans, & corrumpens ſubjectum, non de peccato inexiſtente. Quatenus autem Deus velit ſubje-

ctum in quo eſt peccatum, hoc eſt, actum qui ab homine ſine peccato patrari nequit, forte poſtea latius pertractabimus, ubi de permiſſione generatim dicemus. Et peccatum non eſt ad bonum per ſe, ſed per accidens tantum, quod Deus illud non faciendum, ſed jam factum ordinat ad bonum, exque eo elicit occaſionem boni. Nec dicitur Deus eatenus velle peccatum evenire, quatenus mira ſapientia novit inde bonum elicere, ſed eatenus velle permittere & non impedire. Hæc enim cauſa eſt cur permittat & impedire nolit, non cur velit peccatum evenire.

Secundus. 2. Secundum peccati reſpectum dicis eſſe, *quo peccatum formaliter & proprie conſideratur, hoc eſt, qua peccatum*: & hic quoque duplicem facis conſiderationem peccati, *vel qua eſt peccatum reſpectu hominum, vel qua peccatum eſt Deo*. Si verum audire vis, mi Perkinſi, vanæ & frivolæ ſunt iſtæ diſtinctiones, & inventæ non enucleando negotio, ſed magis involvendo. *Iſto reſpectu* dicis, *Deum non velle, neque probare, neque efficere peccatum, ſed velle quo ad eventum, neque ſimpliciter, ut ea qua bona ſunt per ſe, ſed tantum volendo permittere ut fiat*. Eſto, & hoc poteſt recte intellectum tolerari. Quæ de triplice voluntatis divinæ actione dicis, non examinabo, quia nihil admodum faciunt ad rem, ſaltem non faciunt contra ſententiam quam defendo. At quod in margine dicis verum eſt, *Deum eatenus velle peccatum evenire, quatenus poſſibile eſt ut eveniat Deo non efficiente*. At velim te hoc explicatius nobis pertractaſſe, inde ſane conſtitiſſet te hactenus non recte explicuiſſe modum quo Deus vult ut peccatum eveniat? ille enim talis eſt à te poſitus, qui Deum ab efficentia peccati excuſare nequit. At *peccatum qua Deo eſt tale, nec vult, inquis, nec probat, nec efficit, imo ne permittit quidem*. Illa concedo, hoc poſtremum nego, proprium enim objectum permiſſionis divinæ eſt malum qua malum, & quidem Deo conſideratum ut malum: licet cauſa cur permittat peccatum, non ſit ipſum malum. At diſtinguendum inter objectum permiſſionis, & eiuſdem cauſam. Quod verum malum ut malum permittit, jam ante demonſtravimus. Cauſam vero cur permittat Deus malum, non recte enuntiaſti, non enim permittit malum propter conjunctum bonum, ſed quia bonum ex malo elicere poteſt: quod ideo non poteſt dici conjunctum peccato, quia nonniſi per Dei actionem ex peccato elicitur. Si vero ita intelligis *conjunctum bonum*, non natura ipſius peccati, ſed actu Dei, nihil contradico.

Dicta Bezæ. Bezæ vero dicta iſta quæ citas rigorem examinis non ferunt. Prius enim aut falſum eſt aut æquivocatione laborat. Falſum, ſi intelligatur de permiſſione de qua nunc agimus, quæ non opponitur prohibitioni legis, ſed efficaci impeditioni. Nam verum eſt, Deum peccatum lege prohibere qua peccatum; & tamen idem illud peccatum, qua peccatum eſt, permittere, id eſt, non impedire. Si vero permiſſio intelligatur quæ prohibitioni per legem factæ opponitur, æquivoca eſt diſputatio, non enim agimus de illa permiſſione. Quis enim ignorat Deum non poſſe ſimul eundem actum lege adſtringere & non adſtringere? Et tibi jam ante definita

ſeu

ſeu deſcripta eſt permiſſio, *Negatio gratiæ confirmantis*, non vero, non-datio legis.

Alterum Bezæ dictum ſimpliciter falſum eſt. Nam pœnæ peccatorum non permittuntur à Deo, ſed à juſto judice infliguntur, & habent ipſum Deum auctorem. *Amoſ.* 3. *Non eſt malum in civitate quod Dominus non fecerit.* Et cujus quæſo peccati pœna fuit primum peccatum? Hoc tamen permiſſū Ergo non ut pœna.

Calvinus. Calvini dicta commode admodum ſunt intelligenda, & ſecundum præmiſſam à nobis interpretationem, ſecus defendi non poſſunt. Quod vero ipſius inſtitutum fuerit dogma Scholaſticorum convellere, ab illo dici non debet, qui illius dicta ſibi defendenda ſumpſit. Scholaſtici enim recte dicunt, dum voluntatem à permiſſione non disjungunt, quod tu dicis, ſed inter utramque hoc eſſe diſcriminis aiunt, quod permiſſio ſit objectum voluntatis immediatum, peccatum vero permiſſionis. Et aperte fatentur Scholaſtici omnes Deum volentem permittere quod permittit. Non eſt autem Calvino Manichæorum blaſphemia imponenda, quia licet aliquando incommodius loquitur, tamen alibi iſtam calumniam plane a ſe & ſua doctrina amolitur.

Expenditur Reſp. ad ſecundam objectionem. *Objectio ſecunda* eſt. *Deus vult contraria, ſi vult evenire quod in lege prohibet.* Recte ſane. Et reſponſio tua nodum non ſolvit. Nam *velle aliquid evenire, & velle idem non evenire*, non differunt tantum reſpectibus, ſed ὀικλῶς & integris eſſentiis. Neque ullus eſt reſpectus ſive modus ſecundum quem Deus dici poſſit velle ut eveniat aliquid, & ſimul velle ut illud non eveniat. Non enim poteſt circa unum idemque objectum, quibuſcunque id reſpectibus induatur, contrariis actibus verſari divina voluntas: neque poteſt unus idemque actus divinæ voluntatis verſari circa duo objecta contradicentia, qualia ſunt evenire & non evenire; quibuſcunque etiam reſpectibus iſta objecta induantur. *Deus prohibet malum qua malum*, at permittit idem, non qua boni rationem induit; hoc enim falſum eſt, quod peccatum boni rationem induat; ſed quia Deus ex eo bonum elicere & producere novit. Dictum Thomæ iſtis tuis non adſtipulatur, neque meis adverſatur.

Objectionem tertiam pro tuo arbitratu tibi formaſti, ut facile illam diluere poſſes. Puer enim in Dialecticis parum admodum intelligens novit inter cauſam conſequentiæ ſeu concluſionis, & cauſam conſequentis eſſe magnum diſcrimen. Poteſt enim ex effectu cauſa concludi. Et propterea bene dicis *Majorem*, quam poſuiſti *non eſſe generalem*. At tua correctio majori iſti addita nihil ad veritatem illius facit. Falſum enim eſt, *ſi nulla cauſa media intercedat inter antecedens, quo poſito conſequens ſequitur, & conſequens, tum antecedens cauſam eſſe conſequentis iſtius.* Neque propterea deſinit antecedens eſſe cauſa conſequentis, etiamſi media aliqua cauſa intercedat. Satan enim eſt cauſa eſus de arbore vetita, etiamſi homo proxima ejus ſit & immediata cauſa. Quo ipſo vis tuæ reſponſionis collabaſcit. Si autem docere potes, hæc duo inter ſe conſiſtere poſſe, quod Deus poſſit velle ut peccatum eveniat, & quod homo nihilominus libera voluntate peccet, tum viciſti cauſam. Fateor qui-

Objectio tertia male formata.

Excutitur [illegible].

eundem hominem *infallibiliter & tamen libere peccare* poſſe: at non idem eſt *infallibiliter* & *neceſſario* peccare. Nam *infallibiliter* dicitur reſpectu infinitæ præſcientiæ divinæ; *neceſſario* vero, reſpectu decreti Dei & voluntatis divinæ, qua vult ut eveniat peccatum: quare etiam hic perperam *infallibilitatem decreto* Dei tribuis, quum præſcientiæ id tribuere debueris, & decreto neceſſitatem. Atque ipſe poſtea fateris Deum eſſe cauſam peccati hominis, per *deſertionem* nempe *ipſius, & non collationem neceſſarii ad cavendum peccata auxilii: unde ſequitur hominem neceſſario peccare.* Qui enim legem ponit, & non dat auxilium neceſſarium ad præſtandum legem, ille cauſa eſt trangreſſionis legis ſuæ.

At dicis *hominis voluntatem intervenisse in hac deſertione,* quia *homo non deſertus ſit, niſi volens deſeri.* Reſpōdeo; ſi ita eſt, tum ſane homo meruit deſeri.

At quæro, an homo potuerit velle non deſeri: ſi dicas potuiſſe, jam non peccavit neceſſario, ſed libere: Si vero dicas non potuiſſe, jam culpa redundat in Deum, non minus quam antea; propterea quod Deus cauſa ſit iſtius volitionis, qua homo vult deſeri, quia non dederit gratiam neceſſariam, qua potuerit homo velle non deſeri: & nihil poteſt cogitari, quod interveniat inter hanc deſertionem Dei, & volitionem hominis, qua voluit deſeri.

Reſponſio ſecunda ad hanc criminationem. *Reſponſione ſecunda* te non magis expedis; imo bis fateris Deum decreto ſuo, quo voluit ut peccatum eveniret, eſſe peccati cauſam. Primo, quia dicis *pecatum eſſe merum conſequens decreti*; unde ſequitur, decretum eſſe cauſam peccati. Niſi tu aliam rationem adferas, ſecundum quam peccatum ſit conſequens decreti divini; quod tu omnino facere non poteris. At ita, inquis, *decretum Dei antecedit peccatum hominis, ut nullam cauſa niſi deficientis rationem habeat.* At inquam ego, hoc ſecundo argumento convinceris, quod Deum peccati auctorem ſtatuis. Si enim cauſa illa deficiens neceſſaria fuerit ad vitandum peccatum, tum ſane Deus per deficientiam operationis neceſſariæ ad vitandum peccatum, eſt cauſa peccati: niſi doceas hominem promeritum jam antea fuiſſe hanc deficientiam operationis divinæ. *Auguſtini* dictum non patrocinatur tuæ ſententiæ. Nihil enim vult aliud, quam peccatum, quod fit contra præceptum Dei, non fieri illo invito, & ſimpliciter volente ut non fiat, ſed permittente & quidem voluntaria permiſſione.

Objectionem aliam tibi opponis. *Decretum Dei eſt principium rerum omnium energeticum*, ſecundum ſententiam tuam; itaque *etiam principium peccati.* *Alia objectio.* Antecedens verum eſſe fateris & doces Primo, Auctoritate Scripturæ ex *Epheſ.* 1. citatæ. At præter ſenſum Sp. ſancti; Illa enim omnia referuntur ad ſalutaria dona & effecta, quæ Deus in Filio per Spiritum ſuum operatur in electis, quod etiam vox *ἐνδοκίας* ſignificat. Secundo ratione, quæ ratio proba eſt; Deus enim eſt cauſa omnium entium, & actuum; ſed commode explicandum, quomodo omnes actus producat. Negas autem conſequentiam, quia peccatum ſit *defectus entis, & non ens reale, verum rationis tantum.* Quomodo peccatum *defectus* ſit & *non ens poſitivum*, latiore indiget explicatione. At peccatum ens rationis eſſe, quod nō tantum ſubſiſtentiam ſuam habent in mente, ſed etiam à mente

ſuam habent originem, ab eaque conficta ſunt, ut ipſi ſerviant ad rerum ipſarum ſcientiam comparandam. Privationes vero etiamſi materiam & formam conſtitutivam nō habeant, ſunt tamen in ſubjecto unde exceſſit habitus, illudque ſubjectum ita afficiunt, ut ſentiantur à ſubjecto: neque intelliguntur à mente niſi ſub ratione ſuorum habituum, ex quibus etiam definiuntur. Vnde apparet, non eſſe pure entia rationis. Fateris enim peccatum non eſſe ens rationis, quum dicis *ex remotione originalis juſtitiæ immediatè veréque ſequi & eſſe*. At licet peccatum non ſit ens poſitivum ſed defectus, tamen ſi Deus cauſa eſt energetica iſtius actus, qui ab homine ſine peccato committi nequit, tum etiam Deus eſt cauſa energetia peccati. Hoc autem fateris, cum dicis *Deum eſſe cauſam omnium actuum energeticam*. Fatearis igitur & conſequens oportet; niſi commonſtres quomodo fieri poſſit ut homo libere illum actum præſtet, qui ipſius reſpectu peccatum eſt, ſi idem actus à Dei energetico decreto producatur, cui nemo reſiſtere poteſt. De eo autem poſtea amplius.

Vltima. *Objicitur* inſuper ſententiæ tuæ, quod doceat *Deum inclinare ad peccatum, & indurare poſitive*. Fateor hoc objici, & non ſine cauſa. Nunquam enim videre mihi contigit reſponſionem, quæ doctrinam iſtam, quam tu hic profiteris, ab iſta objectione & criminatione liberarit. Videamus tuam. Reſpondes *te non probare permiſſionem ſecluſam ab ipſa voluntate*: at quis probat? Quis unquam negavit Deum quod permittit, volentem permittere? Dicis *te Deo non tribuere actionem poſitivam vel phyſicam, quaſi corruptionem & malitiam infunderet*. At velim explicari, quomodo peccatum neceſſario fiat reſpectu divini decreti, citra actionem aliquam Dei phyſicam, ſive illa poſitiva ſit ſive negativa, imo ſi voles, & poſitivam. Nam ita reſolvis actum illum, qui ſine peccato ab homine non fit, in cauſam primam, ut Deum etiam cauſam poſitivam peccati neceſſario ſtatuas. Non eſt autem opus, ut infundat malitiam aut corruptionem ad hoc ut phyſica actio illi tribui poſſit, vel poſitiva: ſufficit ſi ad actum moveat, ſi impellat, ſi libertatem hominis determinet, ut non poſſit non velle & facere id quod prohibitum eſt. Fateris autem *Deum active indurare*; quod ſane non nego, ſed neceſſe eſt ut ita explicetur, ne Deus auctor peccati ullo modo ſtatuatur. Quod poſt videbimus.

Triplex actio Providentiæ in actibus hominum. Suidæ *triplicem providentiæ divinæ in actibus hominum actionem* non improbo. At vide mihi, *actionem quæ eſt κατ' εὐδοκίαν eſſe qua Deus vult, probat, efficit, eoque delectatur*, contra perpetuum tuum ſenſum quo vocem εὐδοκίας uſurpas. Ante enim ex *Epheſ.* 1. dixiſti, *Deum omnia agere ex beneplacito voluntatis ſuæ*; ubi etiam locum illum tibi ademi, fretus explicatione illius vera, quam etiam hic ex *Suidâ* adfers. I.

In *ſecunda autem actione quæ eſt κατ' οἰκονομίαν ſeu ſuſtentationis & conſervationis*, velim perpendas *an conſervatio & ſuſtentatio tam ſit motionum, actionum, paſſionum*, quam exiſtentiæ & facultatum. Quum enim exiſtentia ipſa rerum & facultates inexiſtentes rebus ſint actus primi; motiones, actiones, & ex iis paſſiones exiſtentes, actus ſint ſecundi, aut ex ſecundis II.

actibus;

ctibus; videtur ſane alius actus divinæ providentiæ huſce quam illis præeſſe. Verum autem eſt *Deum ſuſtinere naturam peccantem*: At quouſque & quomodo Deus concurrat cum creatura ad agendum, id vero diligenter explicandum fuit: qualiſcunque vero inſtituitur iſtius rei explicatio, ſemper caveri debet ne primæ cauſæ talis tribuatur cum ſecunda concurſus, ut cauſa mali merito illi adſcribi poſſit. Dicis *voluntatem nihil poſſe agere ſolam, poſſe tamen male agere ſolam*; quod ſimili illuſtras: id videamus quomodo conveniat. Imprimis ſciendum, id locum non habere in homine integro, quia *eius tibia non eſt luxata*, ergo primo illius ſtatui non eſt applicandum illud ſimile. Deinde duo ponis in claudicatione, *ambulationem ſive motum, & claudicationem, quæ eſt motus perverſitas*. Ambulationem confers cum actu, claudicationem cum actus vitioſitate, in qua proprie peccati ratio conſiſtit. At iſta duo non inſunt omni actui qui eſt vitioſus. Nam ipſe actus aliquando vetatur. Sic eſus arboris vetitæ; ubi diſtinguere non licet inter actum & eius vitioſitatem. Nam ipſe actus patrari non debuit, & peccati ratio conſiſtebat non in eo, quod illum eſum indebito modo præſtabat, ſed quod præſtabat ſimpliciter. Habet vero iſta ſimilitudo locum in actibus per ſe bonis, at non debito modo factis. Sic qui eleemoſynam dat ut videatur, actum bonum præſtat, ſed perverſè incedit, ſed claudicans. Vnde ſequitur etiam ad actum, cuius commiſſio eſt tranſgreſſio legis, neminem impelli poſſe citra peccatum & culpam impellentis & moventis. Quare & hic vides, quam caute explicanda ſit ratio qua Deus cauſa actus, ſed non vitioſitatis in actu eſſe dicitur.

Tertiam actionem dicis eſſe *κ' ſυγχώρησιν, qua Deus in malo opere hominis quædam ſancte operatur*. Non eſt autem dubium, quin id de Deo vere dici poſſit.

Hac in actione triplicem ponis actionem. *Primam* dicis eſſe *permiſſionem*; ſed illam ita explicas, ut Adamo integro accommodari non poſſit, ſed iis ſolis qui peccarunt, & peccatis ſuis meriti ſunt ut à Deo ſibi ipſis permitterentur & in reprobum ſenſum traderentur. *Non enim laxavit Deus habenas Adamo, non ſuſtulit impedimenta peccandi, non ſolvit ipſum antea ſune ligatum*. Adverſus *ſecundum actionem* eiuſque explicationem nihil admodum habeo, ſi accommodetur peccatoribus: licet nonnulla addi poſſe putem valde neceſſaria. *Ordinationem* quæ eſt *tertia actio*, non videris mihi diſtincte ſatis explicare. Nam vox dupliciter uſurpatur, pro eo quod eſt decernere & ſtatuere ut aliquid fiat; & pro eo quod eſt, ordinem in factis ſtatuere, & facta ad finem convenientem diſponere & determinare. Hæc æquivocatio tibi fuit tollenda, non confundenda diverſa vocis iſtius ſignificatio, ſicuti facis, quum in eodem orationis tractu dicis *Deum peccatum ordinare quoad cauſas & principia*; ubi prima ſignificatione accipitur vox *ordinandi*: inde, *idem ordinare quoad exitum & fines*; ubi altera ſignificatione ſumitur. Explicatio quam addis ab exemplo Satanæ, eſt tantum de ordinatione quoad finem & exitum. Niſi autem explicetur commode, *quomodo Deus actum, qui ſine peccato ab homine fieri non poteſt* (ita enim dicere

In tertio ipſis triplex actus.

I.

II.

III.

malo quam peccatum) *ordinet quoad cauſas & principia*, facili momento Deo peccati cauſa & culpa impingetur.

Loca ex Patrib. citata.

Clementis Alexandrini verba, de ordinatione ad finem tantum accipi poſſunt, & velim omnes noſtros Scriptores, & te etiam in iſtis verbis ſemper perſiſtere. Proba enim ſunt, & actionem Dei, per mala malorum opera, ſuum opus facientis, explicantia. In verbis *vero Auguſtini* planiſſimum eſt diſcrimen inter *facere & ordinare*, & vox *ordinandi* ſumitur ſecunda ſignificatione, pro eo quod eſt, voluntates jam ſua culpa malas, ad hoſce & illos fines actioneſque certas diſponere & determinare. Illa vero *Auguſtini* verba, *Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas hominum voluntates quocunque vult, etiam ad mala pro meritis illorum*, apte ſunt explicanda, ne impingant in id quod ſequitur, *Deum non facere voluntates malas*. Inclinat ergo voluntates malas ad mala, hoc eſt, ut potius in hoc objectum, quam aliud malitiam ſuam effundant. Si vero dicitur ad mala impellere quenquam, nempe ad volendum mala, tum intelligendum, quod hoc facit miniſterio Satanæ, & iſto modo, qui facile cum juſtitia ipſius conciliari poteſt. *Fulgentius* autem rectiſſime negotium explicat & paucis. Quum enim *malarum cogitationum auctorem Deum* eſſe negat, ſatis à peccato illum excuſat. Nam cogitationes ad opus ſuſcipiendum ſunt primæ cauſæ, & vocem *ordinandi* etiam poſteriore ſignificatione uſurpat, ut ex adjuncta explicatione facile liquere poteſt. Dicit enim, *Deum de malo opere bene operari.*

Tertia Reſp.

Tertium reſponſum negat quidem & merito, per illud dogma *Fatum Stoicum* introduci, explicato nempe iſto *Fato*, prout *Stoici* de eo docebant. At non tollit hanc difficultatem, quod nihilominus poſito iſto decreto Dei, quod tu ponis, neceſſitas inducatur rebus, cum qua libertas conſiſtere nequit. Quare licet *Fatum Stoicum* non inducatur per illud tuum dogma, inducitur tamen *Fatum neceſſitatem rebus inferens omnibus, & libertatem adimens.* At conaris ita decretum Dei explicare, ut rebus a Deo decretis libertatem non adimat, licet neceſſitatem inferat, quod ego omnino impoſſibile exiſtimo. At videamus, quam explicationis & extricationis cauſam adferas. Primo, diſtribuis, idquod *neceſſarium* eſt, in *ſimpliciter ſeu abſolute neceſſarium, & ex hypotheſi. Abſolute neceſſarium eſt quod non poteſt ſe aliter habere, & cujus contrarium eſt impoſſibile*, inquis, recte. At non diſtinguis, an agas de re incomplexa & ſimplici, an vero de ente complexo in enuntiatione. At iſtud mittamus. Certum eſt nihil iſto modo neceſſarium eſſe, præter Deum & divina. Reliqua omnia extra iſtam neceſsitatem ſunt poſita. *Neceſſarium ex hypotheſi eſt*, inquis, *quod ex unius vel multarum rerum poſitione non poteſt ſe aliter habere.* Neque hic ponis diſcrimen inter poſitionem rerum, qua aliquid ponitur ut ſit, & qua aliquid concluditur; quæ neceſsitas diſtinguitur in conſequentis & conſequentiæ neceſsitatem. Iſta eſt Syllogiſtica, illa eſt ex cauſis effectum ſeu conſequens producentibus: cauſis inquam, quæ ipſæ quidem non neceſſario ponuntur neque cauſſant, ſed quibus poſitis & quibus cauſantibus effectus neceſſario exiſtit. Exempli cauſa: Deus non

[illegible]

Diſtinctiones variæ Neceſſitatis.

non creat neceſſario mundum, ſi tamen creet, neceſſario mundus ex illa actione exiſtit. *Neceſſarium ex hypotheſi* ponis *ex natura*, *ex præcepto*, *ex decreto*. Neceſſarium ex natura tollit libertatem & contingentiam. Sic quoque neceſſarium ex præcepto; quod enim lege adſtrictum eſt, non eſt in libertate creaturæ: licet ex neceſſitate naturæ producatur actus neceſſario, niſi à potentiori impediatur. Ex neceſſitate vero præcepti non actus producitur neceſſario, ſed præſtationis imponitur creaturæ neceſſitas, ſiquidem velit Deo parere, & illi accepta eſſe. Neceſſarium ex decreto male definis, *quod Deus præſcivit & voluit vel efficere vel ſaltem permittere*: nam alia eſt neceſſitas præſcientiæ & permiſſionis divinæ, & alia effectionis. Imo ſi verum fateri lubeat, nulla eſt neceſſitas præſcientiæ & permiſsionis, ſed tantum effectionis ſeu voluntatis divinæ. Non enim præſcientia Dei, ſed *voluntas eſt rerum neceſſitas*: licet præſcientia Dei poſita ſequatur rem futuram, non ex præſcientia tanquam cauſa conſequentis, ſed ratione ſeu cauſa conſequentiæ. De permiſsione poſtea latius agemus. Et hoc quod neceſſarium eſt ex decreto, voluntatis effectricis ratione hoc quoque liberum aut contingens dici nequit.

Diſtinguis *ſecundo* neceſsitatem in *coactionis* & *infallibilitatis neceſſitatem*. Male. Non enim opponuntur. Nam poteſt una eademque res eſſe per coactionis neceſsitatem producta & infallibiliter prę́ſcita. Deinde non ſunt eiuſdem generis. Illa enim eſt voluntatis producentis aliquid, & eſt prior natura ipſa re producta; hæc præſcientia eſt, & re natura eſt poſterior. Illa coincidit cum neceſſitate conſequentis, hæc conſequentiæ. Tertio, eſt aliqua neceſsitas quæ propior eſt coactionis neceſsitati quod ad rationem, cauſam, & genus attinet, & coactioni opponitur, contra quam coactionis neceſſitas fuit diſtinguenda. Illa eſt *neceſſitas inevitabilitatis*, quæ quidem coactionem compræhendit quoque, ſed ſpecies innominata nomine generis appellari poteſt. Quod ut clarius intelligi poſsit, ita me explico. Inevitabilitatis neceſsitas eſt duplex, una vim inferens rebus pure naturalibus, quæ *violentia* dicitur, rebus voluntariis, quæ *coactio* dicitur. Altera rem, ſive natura illa ſit, ſive voluntas, ita leniter & ſuaviter intus movens, ut non poſsit non eo inclinari, & id velle quo movetur. At tamen, fateor, non agitur ſeu movetur voluntas ſecundum modum voluntatis, ſed ſecundum modum naturæ, qua motione tollitur libertas, ſed non ſpontaneus aſſenſus. quum utrumq; tollatur per coactionem. Definitionem coactionis tuam tranſeo. Infallibilitatis non placet: conjungis enim diſparata in definitione. *Certo* enim *evenire res* dicitur ratione præſcientiæ, *immutabiliter* ratione ipſius rei, & immutabilitas non convenit infallibilitati; nam infallibilitas præſcientiæ tribuitur, quæ falli non poteſt ob infinitatem naturæ & ſapientiæ divinæ. Quin & ipſe vocem *immutabiliter* expungis additamento tuo. Quod enim *poteſt vel evenire vel non evenire*, id non fiat immutabiliter, certo tamen præſciri poteſt ab eo, qui omnia etiam contingentia præſcit infallibiliter. Recte autem infallibilitati neceſsitatis adſtruis axioma. *Omne quod eſt, quatenus eſt, neceſſarium eſt.*

Quomodo rebus conveniat

Hactenus diſtinctiones neceſſitatis; jam oſtendes quomodo ea ſingulis conveniat.

Effectuum relationes omnes ſunt ad cauſas ſuas; ſed vel ad cauſas ſeparatas, vel concurrentes & concauſas, & ſimul agentes. Si ad cauſas ſeparatas, jam effecta ſortiuntur nomen à modo, quo iſti effectus ex cauſis exiſtunt. Si neceſſario, dicuntur neceſſarii, ſi contingenter, contingentes. At vero ſi cauſæ plures concurrant ad unum effectum producendum, jam quidem effectum illud relationem habet & affectionem ad ſingulas ſuas cauſas, ſed nomen non ſortitur, niſi ex modo quo ex cauſis illis ſimul junctis exiſtit & producitur: qui modus ſi ſit neceſſarius, neceſſarium dicitur, ſi contingens, contingens. Fieri autem nequit ut unus idemque effectus partim contingenter, partim neceſſario exiſtat, quocunque tandem reſpectu. Verum quidem eſt, ſi cauſa quæ ſecunda dicitur, ſola operaretur & ex voluntate ſua, res contingens dici poſſet: ſed quia cauſa prima ſecundam movet, ita ut non poſſit non moveri; hinc totus effectus neceſſarius dicitur. Quia fieri non poteſt ut ille effectus non producatur cauſantibus iſtis cauſis prima & ſecunda.

Libertas & neceſſitas an opponantur.

Quod vero putas *iſta neceſſitate non tolli libertatem cauſarum ſecundarum* de nihilo eſt; quemadmodum etiam, quod exiſtimas *effectum reſpectu ſecundæ cauſa liberum dici poſſe & contingentem, qui prima cauſa reſpectu neceſſarius dicetur.* Abſurdum enim eſt libertatem cum neceſſitate, & hanc cum illa velle conciliare. Omnis enim neceſſitas pugnat cum libertate, non tantum coactionis neceſſitas; Quod ita verum eſt, ut ne inſtantia quidem dari poſſit ulla veritati iſti infirmandæ. At verum eſſe fateor, quod *decretum Dei cauſas ſecundas ordinat, & ipſam adeo voluntatem humanæ libertatem*; at ita, ut per *ordinationem* illam libertas non tollatur: tollitur autem libertas quando Deus ſive coactione (quod non poteſt fieri, tum propter omnipotentiam divinam, tum propter voluntatis naturam) ſive molli & leni flexione ita voluntatem movet ut non poſſit non moveri.

Liberum & ſpontaneum diſtinguuntur

Videris autem mihi inter liberum & ſpontaneum motum non diſcriminare, quum ſpontaneus motus tantum diſtet à libero, ut ille cum naturali & interna neceſſitate coincidere poſſit, hic vero minime. Sponte enim homo vult beatus eſſe, at non libere. Beſtiæ etiam ſponte ſecuntur ad ea quæ ſibi bona eſſe ex inſtinctu naturæ æſtimant, at nulla poteſt iis tribui libertas.

An Adam libere ſimul & neceſſario lapſus ſit.

Hiſce conſideratis apparet nullo modo dici poſſe, quod *Adamus neceſſario lapſus ſit ſimul & libere.* niſi neceſſitatem infallibilitatis adferas, quæ non eſt in lapſu ſed in præſcientia Dei propter eius infinitatem. Libertas autem poſito decreto Dei tollitur, quia *Adam non potuit reſiſtere voluntati, id eſt, decreto Dei.* Quod reſpondes, *ut non potuit, ſic quoque noluiſſe*; refutatur, quia non potuit velle aliter. Quod tu fateris *quoad eventum ipſum* verum eſſe, negas *quoad potentiam.* At non hoc diſputatur an Adami voluntati fuerit adempta potentia, quæ libertas dicitur, quod neceſſe non fuit ad lapſus neceſſitatem inducendam: ſed an eventus ipſe, id eſt, lapſus neceſſario extiterit. Quod quum fateris, neceſſe etiam

etiam eſt fatearis, libere lapſum non eſſe. Circumſcripta enim fuit potentia iſta & determinata quoad actum illum & eventum, adeo ut actu aliter velle non potuerit; ſecus decretum Dei irritum factum eſſet. Et hic rurſus ſpontaneum motum pro libero uſurpas inerudite.

Ad rei dilucidationem *diſtinguis tria tempora, lapſum præcedens, præſens & futurum*. At *præſens & futurum* ad præſentem diſputationem non faciunt. Nam lapſus neceſſitatem ex præſenti & futuro tempore habere nequit. Solum *præcedens* ſervit propoſito. In *primo momento* dicis *lapſum dupliciter neceſſarium fuiſſe*. Primo, *propter Dei præſcientiam*. At præſcientia nullius neceſſitatis eſt cauſa, neque propter præſcientiam res dicitur fieri infallibiliter, ſed præſciētia cauſa eſt, cur res contingenter futura ſuo tempore, infallibiliter ſit præſcita a Deo. Secundo, *propter decretum Dei permiſſivum*. At permiſſio cauſa immutabilitatis aut neceſſitatis eſſe nequit. Eſt enim actus negativus, non prohibitio; unde affirmativa neceſſitas exiſtere nequit.

Ratio ad hanc rem allata.

Honorii & Hugonis dicta te non juvant; non enim prorſus idem agunt, neque ſunt ἀξιόπιστοι. Ratio vero quam adfers, eſt partim petitio principii, partim nulla. Petitio principii eſt, quum dicis, *quia malum permiſſum non poteſt non evenire*. Ratio nulla eſt, quum dicis, *quia aliter evenire nequit quam Deus decrevit*. Ex eo enim non ſequitur, ergo evenit neceſſario: quia licet aliter evenire non poſſit malum, quam id Deus permittat; tamen ipſa permiſſio non imponit neceſſitatem eventui peccati. Determinatio enim divina, non eſt circa peccatum ut fiat, ſed circa idem jam ex ſuis cauſis futurum, ne ulterius tendat, quam Deo viſum eſt. Quod autem *permiſſionem* definis, per *negationem gratiæ ad vitandum peccatum neceſſariæ*, tibi non concedo. Hoc enim non eſt permittere ut homo libere peccet, ſed efficere ut neceſſario peccet, quod jam ſæpe dictum eſt. Et velim abs te explicari, *quomodo neceſſitas decreti divini, quo ſtatuit ut Adamus peccaret, fuerit voluntatis humanæ libertati evitabilis, cum fuerit inevitabilis, quoad eventum actionis?* omitto quod abſonum ſit, neceſſitatem appellare evitabilem. Non vis autem ut quis exiſtimet *illam neceſſitatem ex decreto Dei fluxiſſe*. At tam multa dixiſti hoc evincentia, ut fruſtra jam hoc nolis: & explica quomodo iſta neceſſitas ſecuta ſit decretum, & decretum non habeat cauſæ rationem iſtius neceſſitatis reſpectu. Eſt enim decretum cauſa neceſſitatis ut conſequentis non ut conſequentiæ. Verba ſunt iſta & voces ad effugiendum ictum veritatis confictæ, quibus nulla ſubeſt veritas, imo ne veriſimilitudo quidem. Semper enim verum manebit; quod ex decreto neceſſarium eſt, id cauſam ſuæ neceſſitatis habet in decreto & a decreto Dei. At mi Perkinſe, annon iſta operoſa multarum diſtinctionum inveſtigatio & uſurpatio falſitatis ſignum eſt, quum veritatis oratio ſit ſimplex & aperta.

An damnationis neceſſitas ſit ex decreto reprobat.

Quod *prædeſtinati neceſſario ſalvantur, & reprobi neceſſario damnantur*, recte eſt intelligendum. Nam qua prædeſtinatus quis eſt, pugnat cum eo damnari: & qua reprobus quis eſt, pugnat cum eo ſalvari. At poſſe ſalvari & damnari, neutri repugnat. Nam decretum illud non eſt de poten-

potentia, ſed de actu ſalvandi & damnandi. Actus autem iſti duo quos ponis, *propoſitum* nempe *non miſerendi, & propoſitum damnandi*, ſequuntur peccatum. Miſericordia enim ſoli miſero & peccatori eſt neceſſaria, & vere dicitur, *quod propoſitum damnandi non ponit ullam neceſſitatem damnationis, niſi interveniente peccato*, ſed ita interveniente, ut non intervenire poſſit. Si autem Deus decreverit hominem ita condere & gubernare, ut non poſſit non actu peccare, quo juſtitiam ſuam in eius exitio declaret, jam propoſitum illud infert neceſſitatem peccati & condemnationis.

An eodem modo ex Dei præſcientia.

Quod vero *neceſſitas illa eodem modo ex præſcientia ſequatur*, abſurde dicitur. Quod enim præſcivit Deus, ideo præſcit quia futurum eſt. At quod decernit & proponit, ſtatuitque apud ſe facere, ideo fit, quia decrevit. Et ex præſcientia concluditur infallibilitas eventus, quæ eſt neceſſitas conſequentiæ; & ex decreto immutabilitas eiuſdem, quæ eſt neceſsitas conſequentis.

Sed objicis tibi, *qui ad mortem prædeſtinati ſunt, non poſſunt ſi velint per pœnitentiam liberari.* Objectio iſta huic loco & tempori non convenit. At ego objicio tibi: qui ad mortem prædeſtinati ſunt, etiam ad peccatum, juxta tuam ſententiam, ſunt prædeſtinati, ut id quod Deus illis inferre decrevit, mortem ſcilicet, juſte ipſis inferre poſsit, propter peccatum ſcilicet. At ſanè ſi Deus poteſt ad peccatum prædeſtinare, ut mortem inferre poſsit peccatori: poteſt etiam mortem inferre non peccatori; quia peccator ex prædeſtinatione divina non eſt peccator. Et pejus longe eſt ad peccatum prædeſtinare hominem integrum, quam innocentem prædeſtinare ad mortem. De quo etiam ante dictum eſt.

An ex permiſsione mali.

Quod verò eandem neceſsitatem imponere conaris ſententiæ, *quæ permiſsionem mali ſtatuit*, fruſtraneum eſt; permiſsione inquam recte ex natura ſua explicata & intellecta. At tu permiſsionem ita deſcribis, ut revera impingat in effectionem. Si enim *permittere, eſt velle non impedire*, quod revera eſt, & *velle non impedire tale eſt, ut ſine eo peccatum caveri nequeat*, ut tu dicis, jam velle non impedire peccatum, eſt efficere peccatum per negationem impedimenti neceſſarii. Atque ita malum neceſſario ex iſta permiſsione exiſtit, minime autem libere ex parte hominis. Vnde ſane conſtat decretum Dei non eſſe magis evitabile, quam hujuſmodi, ut eſt à te deſcripta, permiſsio. At niſi vana ſit diſtinctio decreti in energeticum ſive efficax & permiſsivum, ut certè vana non eſt; tum neceſſarium eſt ita deſcribi permiſsionem, ut in energeticum decretum non incidat.

Quid huic ſententiæ imponatur.

Quod vero *Stoicum & Manichæum* dogma tibi à nonnullis imponitur, non ea mente fit ab illis, quod putent veſtras ſententias omnino conſentire, ſed quod in eo conveniatis ſententiis, ut omnia neceſſario fieri dicatis. Hoc abs te amoliri debes, & iſto crimine doctrinam tuam liberare.

Contradicentia autem conjungis in unum, quum dicis: *hominem à peccando abſtinere non poſſe, & tamen non neceſſario, ſed voluntarie peccare. Neque ſufficit ad libertatem voluntatis, flexibilem eſſe ad utranque oppoſitum, & ſponte eligere, ſi in unam tantum partem determine-*

minetur à Deo. Determinatio enim iſta libertatem voluntatis aufert, vel potius libertatem volitionis. Licet enim voluntas in aliis rebus à Deo non determinatis, flexibilis in utrumque maneat ad libera, tamen volitio libera non eſt, quando determinatur præciſe ad unum ex contrariis.

Anſelmi dictum habet idem quod jam ſæpe diximus, Diſtinguendum inter neceſsitatem *conſequentis* & *conſequentiæ*: illa præcedit rem, hæc ſequitur. Tua vero neceſsitas ex decreto præcedit rem & non ſequitur, Anſelmiana ſequitur: ergo non eſt eadem. In *Gaudentii* dicto ne veſtigium quidem eſt eius ſententiæ quam tu propugnas.

Recapitulatio ſententiæ Perkinſianæ.

In brevi recapitulatione ſententiæ nodum non magis ſolvis. Semper enim verum manebit, *gratiæ ad vitandum peccatum neceſſariæ negationem, eſſe peccati cauſam per modum non dantis prohibens neceſſarium. Et falſum ſemper eſt, illum libere & voluntarie peccare, qui non poteſt non peccare. Et voluntatem libere ferri in iſtam partem, quæ certo Dei & inflexibili decreto eſt determinata.* Atque ita falſum, ut definitionibus inter ſe pugnent libertas & determinatio. Illa enim eſt ad utrunque oppoſitorum, hæc ad unum præciſe.

Quod exemplum *Angelorum* adfers, *qui & neceſſario & libere Deo obediunt*, facis pro tua auctoritate: at nondum probaſti quod dicis. Ego vero dico hæc duo inter ſe pugnare, ut, ſi mihi affirmes Angelos libere Deo obedire, ego fidenter dicturus ſim, Angelos poſſe Deo non obedire. Si contra aſſeveres, non poſſe non Deo obedire, ego audacter inde concludam, jam non libere Deo obedire. Integris n. eſſentiis inter ſe differunt neceſsitas & libertas, & quidem pluſquam genere. Et auſim dicere citra blaſphemiam, ne Deum quidem omni ſua omnipotentia efficere poſſe, ut quod neceſſarium eſt contingens ſit aut liberum, & quod neceſſario fit, libere fiat. Implicat enim contradictionem; non poſſe non fieri, & poſſe non fieri, & contradictionem oppoſitam primæ & generaliſsimæ notioni mentibus noſtris divinitus inſitæ, *de quolibet affirmare aut negare verum eſt.* Et *res non poteſt ſimul eſſe & non eſſe, ſimul hoc eſſe & non eſſe.* Illud autem non poſſe Deum, non eſt impotentiæ, ſed invariabilis potentiæ ſignum. Quod enim res eſt id quod eſt, per actualem Dei potentiam eſt; Si fiat ut ſimul & eodem tempore hoc non ſit, jam actualis Dei potentia aut vincitur, aut habet potentiam parem ſibi oppoſitam, qua fit ut res quæ per potentiam Dei eſt, eodem tempore non ſit. Quod eſt abſurdorum omnium abſurdum maximum.

Quanta ſit pugna libertatis & neceſſitatis.

Ingreditur Auctor tractatum de permiſſione.

CÆterum quia jam frequens nobis mentio facta eſt permiſsionis peccati, operæ pretium facturus ſum, & rem, ut ſpero, tibi *Perkinſe*, non ingratam, ſi, quid in univerſum de permiſsione & peccati permiſsione ſentiendum eſſe putem, ſecundum Scripturas, ſemel ex profeſſo explicuero. Tu leges, expendes, & judicabis libere & ſyncere, & ſicubi à veritate aberraſſe videbor, in viam revocabis amica & ſeria monela. Primum autem agam de permiſsione univerſim; deinde de permiſsione peccati.

De permiſſione in genere.

Permiſsionem ad genus actionis pertinere ex ipſa vocis flexione eſt notum, ſive per ſe ſive reductive, ut in Scho-

in Scholis loquuntur. Ceſſatio enim ab actu, ad actum quoque eſt reducenda. Cauſam autem proximam & immediatam habet voluntatem, non ſcientiam, non potentiam, non poteſtatem; licet & iſta in permittente requirantur. Nemo enim recte dicitur permittere, niſi & ſciens quid & cui permittat, niſi potens permittere & impedire, niſi denique jus & auctoritatem habens permittendi. Et ſi forte cuiquam permiſſio tribuitur, qui aut ſcientia iſta, aut potentia, aut poteſtate deſtitutus eſt: abuſive id fit & extenſive; quod in accurata tractatione rei locum habere non debet.

Objectum permiſſionis eſt tum perſona, cui permittitur aliquid, tum actus (ſub actu volo etiam compræhenſam ceſſationem ab actu) qui permittitur. In perſona cui permittitur, duo ponenda actus, iſtius reſpectu. Primo, vires ſufficientes ad actum præſtandum, intellige niſi impediatur. Secundo, propenſio ad actum producendum citra. hanc enim fruſtra permittitur actus; citra illas omnino non permittitur; nam neceſſario ad actus præſtationem requiruntur; & ut ut adſint illæ, niſi propendeat perſona, cui permittitur actus, ad actum ipſum, nullo fine & in vagum permittitur. Imo nec recte dici poteſt, quod alicui actus permittatur, qui actus illius præſtandi affectu nullo tenetur. Vnde apparet permiſſioni præcedaneam eſſe præſcientiam ſive ſcientiam tum virium ſufficientium, tum propenſionis ad actum illum præſtandum, in illo, cui fit permiſſio, exiſtentium. Modus permiſſionis eſt ſuſpenſio efficientiæ alicuius, quæ efficientia etiam poſsibilis eſt permittenti ſive ſecundum jus, ſive ſecundum potentiam, vel utroque modo, & uſurpata circumſcriberet, vel reipſa impediret actum. Vnde generatim definiri poteſt permiſſio; *Definitio permiſſionis in genere.* Actus voluntatis quo permittens efficientiam aliquam ſibi poſsibilem ſuſpendit; quæ uſurpata actum aliquem eius, cui permiſſio fit, circumſcriberet, vel reipſa impediret; ad quem actum præſtandum ille idem propenſionem habet & vires ſufficientes. Hiſce accommodatis ad permiſſionem Dei, qua creaturæ rationali actum aliquem permittit, ita poterit definitio formari.

Definitio permiſſionis Dei. Permiſſio Dei eſt Actus voluntatis divinæ, quo Deus efficientiam aliquam vel jure vel potentia vel utroque modo ſibi poſſibilem ſuſpendit, quæ efficientia, ſi à Deo uſurparetur, actum aliquem creaturæ rationalis vel circumſcriberet vel reipſa impediret, ad quem actum præſtandum creatura eadem propenſionem habet & vires ſufficientes. Cæterum cum voluntas Dei ſemper à ſapientia ipſius dirigatur, & in bonum tendat, non poteſt non in certum eumque optimum finem permiſſio illa inſtituta eſſe. *Eius ſpecies.* Sunt autem duo ſive modi ſive ſpecies permiſſionis: quod ſignificatum eſt in definitione, ubi efficientiæ, ſi uſurparetur, attributa eſt diſtinctè vel circumſcriptio actus, vel impeditio. Conſideratur enim voluntas Dei bifariam, vel ſecundum quam creaturis aliquid præſcribit jubendo vel vetando; vel ſecundum quam ipſe aliquid vult facere vel impedire. Hinc efficientia, de qua hic agitur, duplex eſt, una præſcriptio ſive latio legis, qua actus aliquis creaturæ circumſcribitur, qua circum-

ſcriptio-

ſcriptione actus ille libertati creaturæ adimitur, adeo ut non poſſit illum citra peccatum præſtare, ſi vetitus ſit, vel omittere, ſi præceptus. Altera eſt poſitio impedimenti, qua actus aliquis creaturæ impeditur. Primo modo circumſcriptus eſt *Eſus ex arbore vetita*, arbore ſcientiæ boni & mali, & *dilectio uxoris*: ille per prohibitionem, iſta per præceptum. Secundo modo impeditus eſt *Balaam*, ne malediceret *Iſraeli*, *Achazias* ne *Eliam* occideret, & *Sennacheribus* ne *Hieroſolymam* caperet; *Abimelechus* ne ſe contaminaret contactu & congreſſu *Saræ*. Quia autem Deus, ſi ita velit, utramque illam efficientiam, quando & ubi viſum eſt, ſuſpendit; hinc etiam duplex eſt permiſſio. Vna, qua actum aliquem lege non adſtringit, ſed permittit illum arbitrio & libertati creaturæ, ſive hoc fiat ob actus ipſius naturam ſimpliciter, quale eſt illud Apoſtoli, *omnia mihi licent*; ſive ob aliud malum vetandum, cuius exemplum eſt *libellus repudii*. Altera eſt, qua actui alicui impedimentum non ponit actione ſua, impedimentum, inquam, quo reipſa impediatur actus, non quo poſſit vel debeat impediri. Sic permiſit *Adamum* edere de fructu vetito, *Cainum* occidere fratrem ſuum. Licet enim impedimenta adhibuerit quibus & poterat & debeat impediri uterque actus, tamen non adhibuit, quibus actus impeditus ſit. Sed & hunc permiſſionis modum, qui eſt per non poſitionem impedimenti actum impedientis, licet dividere, ſecundum varietatem modorum quibus Deus impedire poteſt, imo & ſolet actum aliquem, ad quem efficiendum creatura propenſa eſt & ſufficiens. Nolo autem ſufficientiam illam unquam intelligi citra concurſum cauſæ primæ. Varietas autem iſta deſumitur ex cauſis, per quas creatura rationalis actum aliquem producit. Cauſæ iſtæ ſunt potentia, δύναμις Græce dicta, & voluntas (loquimur enim hic de actibus voluntariis, ad quos reſpectum habet permiſſio, de qua agimus) & propterea impedimentum ponitur vel potentiæ vel voluntati creaturæ: hoc eſt, efficitur à Deo, ut creatura actum illum producere aut non poſſit aut non velit. Illo modo impedivit ingreſſum *Adami* in Paradiſum, iſto *Ioſephum*, ne contaminaret ſe adulterio, congrediens cum uxore Domini ſui.

Primo qua voluntati creaturæ.

Secundo qua potentia aliquid permittetur.

Duplex impedimenti ſpecies oppoſita.

At magis particulatim videndum quot modis Deus impediat, ne creatura poſſit aut velit producere actum ad quem propenſionem habet, & vires ſufficientes, intellige citra hoc impedimentum. De potentia impedita prius, inde de voluntate. Vt creatura aliquid efficere poſſit, neceſſe eſt, ut potens ſit, ut potentia nulla maior vel æqualis ipſi opponatur, denique ut objectum habeat in quod agere poſſit ſua potentia. Hinc apparet impedimentum huic cauſæ poni poſſe quadruplici modo. Primo, eſſentiæ & vitæ, quæ ſunt fundamentum potentiæ, ablatione. Secundo, potentiæ ipſius ademptione vel diminutione. Tertio, maioris aut æqualis ſaltem potentiæ oppoſitione. Quarto denique, objecti ſubſtractione, quorum modorum unuſquiſque ſufficit ad impediendum. Exempla adferemus ſingulorum modorum.

Quomodo potentia creaturæ impediatur.

Primo modo impedita eſt *Hieroſolymorum* expugnatio à *Sennacheribo* tentata per *interfectionem centies &*

2. Reg. 18.
2. Reg. 19.

 octo

octuagies mil'e virorum ab Angelo uno perpetratam. Sic impedita *Eliæ* ad *Achaziam* adductio, *conſumptis igne bis* 50. *viris* qui ad illum compræhendendum miſſi erant.

Iud. 16. Secundo modo impeditus eſt *Sampſon*, ne ſe *poſt detonſos capillos* liberare poſſet è manu *Philiſtæorum*, robore iſto Spiritus, quo ante pollebat, ipſi adempto vel diminuto.

2. Par. 16. Geneſ. 14. Tertio modo impeditus *Vſiahu* ne ſuffiret *Iehova*, *obſiſtentibus Sacerdotibus*. quemadmodum & impedita abductio *Lothi & Sodomitarum* in captivitatem, per *Abrahamum* regibus victoribus cum domeſticis ſuis occurrentem.

1. Reg. 19. Act. 23. Quarto modo impeditus *Achab* ne nocere poſſet *Eliæ*; impediti *Iehudæi* qui *Apoſtolo Paulo* necem juraverant. Subduxit enim Deus *Eliam*, & *Paulus* per Tribunum *Iudæis* ſubſtractus eſt. Sic *Chriſtus* ſæpius ſe ſubduxit ex manibus illorum, qui illum volebant *capere*, etiam qui *regem* creare volebant.

Permiſſio iſtis impeditionis oppoſita Permiſſio huic impeditioni contraria eſt etiam per quatuor modos iſtis contrarios, at ſimul junctos. Nam ad productionem effecti requiritur cauſa integra, ſufficiente ad eius impedimentum unius cauſæ neceſſariæ abſentia. Neceſſe itaque eſt, ut, quum Deus potentiæ creaturæ actum aliquem permittit, creatura illa conſerveretur ut ſit, & vivat, potentia eiuſdem permaneat idonea ad actum producendum, nulla major vel æqualis potentia opponatur, objectum denique offeratur & potentiæ permittatur. Vnde apparet permiſſionem hanc Dei non eſſe otioſam, utpote ad quam tot actiones requirantur providentiæ divinæ, conſervantis eſſentiam, vitam & potentiam creaturæ, adminiſtrantis & gubernantis oppoſitionem potentiæ majoris vel æqualis, & oblationem objecti. Exempla huiuſmodi permiſſionis etiam adferre liceat. Sic Deus permiſit *Filium ſuum* potentiæ *Pilati & Iudæorum*. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*. Sic *Sathanæ Iobum*, ſic *Zachariam interfectoribus ipſius*, *Iacobum Herodi*. Matth. 27. &c. Iob. 1. 2. Par. 24. Actor. 12.

Quo modo impediatur creatura volens. Videamus jam quomodo Deus impediat ne velit creatura actum producere, ad quem habet propenſionem & vires ſufficientes. Ponitur affectui & voluntati creaturæ rationalis impedimentum à Deo duplici modo, ſecundum quem Deus agere poteſt in voluntatem. Agit enim in voluntatem vel per modum naturæ, vel ſecundum modum voluntatis & libertatis illius. Actio qua agit in voluntatem ſecundum modum naturæ, impulſio phyſica dici poteſt; qua in eandem agit ſecundum modum voluntatis & libertatis ipſius, ſuaſio dicetur commode. Impedit ergo Deus voluntatem vel actione phyſica, vel ſuaſione, ne velit illud ad quod aliquo adfectu propendet. Actione phyſica impedit voluntatem quando in illam agit ſecundum modum naturæ ut neceſſario inde exiſtat impeditio actus, ad quem propendet creatura aliquo adfectu ſuo. Sic videtur impeditus affectus malus. *Aegyptiorum* adverſus *Iſraelitas* ex quorundam judicio. Suaſione impedit Deus voluntatem, quando argumento aliquo perſuadet voluntati ne velit actum perpetrare, ad quem aliquo ſuo affectu fertur, & cui efficiendo vires habet aut habere ſibi videtur ſufficientes. Vnde non neceſſario quidem, ſed certo

certo impeditur voluntas. Quia vero Deus pro infinitate ſapientiæ ſuæ prævidit ex propoſitione iſtius argumenti perſuaſum iri animum creaturæ rationalis, & ex perſuaſione exſtituram actus impeditionem, neceſſe non habet ut alio impedimenti genere utatur. Cæterum omnia argumenta, quibus rationi actus aliquis perſuaderi poteſt ad tria genera reduci poſſunt: quod facilis ſit & præſtabilis; quod utilis, amœnus, jucundus, quod honeſtus, juſtus, decorus: hinc etiam triplici ſuaſione impedit Deus ne quis actum aliquem perpetrare velit. Perſuadet enim menti actum eſſe aut difficilem præſtitu, vel etiam prorſus impoſſibilem; aut inutilem & injucundum; aut inhoneſtum, iniquum, indecorum. Argumento à difficili vel impoſſibili *Phariſæi & Principes Sacerdotum* ſæpe impediti ſunt ne manus violentas *Chriſto* inferrent: ſciebant enim illum *à populo ut Prophetam* æſtimari, qui iſta de cauſa illum defenſurus videbatur adverſus hoſtium molitiones. *Iſraelitæ* perſequentes regem *Moab* ut illum præhenderent, *Mat. 21. 46.* *2. Reg. 23.* quum viderent illum *primo genitum ſuum* obtuliſſe in *holocauſtum*, exque eo cognoſcerent illum animum ſuum obfirmaſſe, diſceſſerunt ab eo, exiſtimantes ſe nonniſi difficulter admodum & magna cum clade urbem capere poſſe. *Samballat & Tobias*, & *reliqui inimici populi Dei*, qui conabantur impedire *ædificationem murorum Ieruſalem*, impediti ſunt à propoſito quum audiſſent *Nehemiæ inſidias innotuiſſe*. *Neh. 4. 15.* Deſperabant enim, niſi de improviſo Iudæos adorirentur, *Ib. 19.* quidpiam effecturos. Argumento ab inutili impediti ſunt *milites* qui *Chriſtum in crucem egerant*, ne *oſſa ipſius frangerent*; quum enim jam mortuus eſſet, inutilis erat fractio crurum horſum inſtituta & fieri ſolita, ut mors præmaturaretur; eo quod tum temporis Iudæi juxta legem, ante ſolis occaſum cadavera de cruce tolli cupiebant. Nolebat autem Deus ut ullum os eius comminueretur. Eodem argumento impeditus *Pilatus*, ne *Chriſtum* dimitteret. *Si hunc dimittas, non eris amicus Cæſaris.* Sicut *Exod. 17. &c.* etiam *Pharao* ne *populum Dei* vellet dimittere. Argumento ab iniquo vel inhoneſto impeditus *David*, ne *Saulem*, quum in manus ipſius incidiſſet, *interficeret*. *Abſit à me, ut manum meam mittam in unctum Domini.* *1. Sam. 24.* Sufficit autem ad impediendum actum argumento ſuaſionis, ſi actus impoſſibilis, inutilis, iniquus videatur iis à quibus Deus illum perpetrari non vult. etiam ſi revera talis non ſit. Sic *Iſraelitæ* impediti *Num. 13. & 14.* ſunt ne *aſcenderent in terram promiſſam*, quum ex *ſpeculatoribus* intellexiſſent *robur populorum & urbium munitiones*, exiſtimantes fieri non poſſe ut illos ſuperarent. Sic *David* impeditus, ne pro *Philiſtæis* adverſus *Saulem & Iſraelitas* pugnaret: dicebant enim Philiſtæi regi ſuo, *ne* *1. Sam. 29.* *deſcendat David nobiſcum in prælium, ne ſit nobis adverſarius in prælio.* Sic impeditus eſt *Achaz* ne peteret ſignum a Iehova, jubente *Eſaia* propheta: dicebat enim, *non petam neque tentabo Iehovam*: niſi forte dicamus Achazum metum Dei ſimulaſſe, & pium voluiſſe videri; Deus enim prohibuerat *ne quis ipſum tentaret*. *Eſai. 7. 12.* *Deut. 6.* Ad poſtremum hoc argumentum pertinent revelationes divinæ voluntatis ſive vere divinæ ſint, ſive tales falſo æſtimatæ. Sic *David* impeditus *templum* ædificare *Domino*, *2. Sam. 7.* *Geneſ. 31.* prohi-

prohibente Deo per *Nathanem*; quum tamen ſtatuiſſet animo id in gloriam Dei conſtruere. Sic impeditus *Laban* ne à bono ad malum loqueretur cum *Iacobo*, cui nocere poterat ut ipſe ajebat. *Rex Babel* oraculo Deorum ſuorum, quod conſulebat, impeditus, ne moveret in *Ammonitas*, ivit adverſus *Iudæos*, quos Deus punire volebat. Neque ſingula iſta ſejuncta ab aliis uſurpantur à Deo ad impediendum actum, quem vult non perpetratum, ſed etiam bina vel terna aliquando junctim proponuntur, prout Deus novit expedire ad impediendum actum, quem vult impeditum. Quæ vero actio illa ſit qua Deus argumenta, ad impediendam voluntatem propoſita, animo creaturæ ad actum propenſæ & viribus pollentis perſuadet, hic ex profeſſo non agimus. Certum tamen eſt, qualiſcunque illa ſit, efficacem eſſe ad impediendum, certoque impedituram: quæ efficacia & certitudo non tam ex ipſa omnipotentia actionis divinæ, quam ex præſcientia Dei dependet, ſcientis quæ argumenta iſthoc rerum ſtatu & tempore animum ſint motura hominis, eo quo Deus illum inclinatum cupit, ſive pro miſericordia ſua ſive pro juſtitia. Licet tamen, meo judicio, actionem illam ita diſtinguere, ut unum dicamus eſſe gratioſæ & particularis providentiæ divinæ, Spiritu ſuo ſancto mentem hominis, qua regenitus eſt illuminantis, & voluntatem inclinantis, ut id nolit & velit, quod Deus illum velle & nolle vult; & quidem ex puro obedientiæ erga Deum affectu: alteram dicamus eſſe providentiæ generalioris, qua in hominibus agit qua homines ſunt vel tantum moraliter boni, ut id nolint & velint, quod Deus illos nolle & velle vult, licet non hoc eventu & fine, ut Deo iſta ſua vel volitione vel nolitione obediant.

Ezech. 21.

Hinc jam permiſſionis oppoſitæ modos deſumamus, qui non ſeparandi ſunt ut modi impeditionis, ſed conjungendi. Nam ut unum argumentum impedire poteſt voluntatem, ne velit quod Deus vult impeditum: ita neceſſe eſt ut nullo argumentorum iſtorum perſuadeatur voluntas ad nolendum, ſecus permiſſio non fuerit. Permiſſio igitur qua Deus permittit creaturam rationalem velle perpetrare actum, cui perpetrando vires habeat idoneas & propenſionem, eſt ſuſpenſio impedimentorum illorum omnium, quibus voluntas perſuadenda erat & reipſa permovenda ad nolendum. Perſuadenda, inquam, & reipſa permovenda ad nolendum; non quibus perſuaderi & permoveri poterat ad nolendum. Fieri enim poteſt, ut Deus actum aliquem voluntati creaturæ permiſſurus, ita totum negotium adminiſtret, ut non modo aliqua diſſuaſionis argumenta, verum omnia ſimul juncta proponantur voluntati creaturæ rationalis; attamen cum ex iſta argumentorum propoſitione perſuaſio non ſit exſtitura, quod etiam præſcit Deus, hinc eſt, quod iſta propoſitio argumentorum optime cum permiſſione iſtius, ad quem diſſuadendum erant adhibita, conveniat. Exemplis rem illuſtremus: Deus permiſit *fratribus Ioſephi, ut de fratre occidendo cogitarent*; & tandem ipſum *venderent*, non curantes quod frater eſſet, quodque lege Dei homicidium & plagium committere vetarentur. Sic quoque

Oppoſitæ permiſſionis modi.

Geneſ. 37.

& pla-

& plagium committere vetarentur. Sic quoque permiſit *hoſtibus filii ſui*, ut ipſum *condemnarent*, licet *inauditum & juſtum*, & tandem *occiderent*, nihili æſtimantes legem, quæ ipſis non modo à Deo lata erat, ſed & in memoriam a *Nicodemo*, *Ioſepho*, & aliis vocata: *An lex noſtra inauditum quemquam condemnat?* Subordinarunt *falſos teſtes*, compererunt *teſtimonia non eſſe convenientia*, &c: & tamen fecerunt quod invidia & odium adverſus Ieſum dictabat. Sic quoque permiſit Deus, ut *Saul Davidem perſequeretur*; flocci faciens quod a filio ſuo & ipſa experientia de innocentia & probitate Davidis doceretur & convinceretur. Ex hiſce ita tractatis apparet, diſcrimen neceſſario eſſe ponendum inter impedimentum ſufficiens & efficax, & permiſſionem de qua hic agimus, eſſe efficacis impedimenti ſuſpenſionem. Sufficiens vero impedimentum, quod Deus certo præſcit nihil effecturum, adhibetur a Deo, partim ut declaret actum iſtum, ad quem impediendum argumenta iſta proponi curat & objici, ſibi diſplicere, partim ut inexcuſabiles magis ſint qui impediri ſe non patiuntur: quin etiam ut magis illos pro ipſorum malitia irritet ad actum illum cupide perpetrandum. Habemus itaque hic triplicem permiſſionem Dei. *Vnam*, qua Deus actum aliquem facit arbitrii creaturæ rationalis, non adſtringens illam lege: *Alteram*, qua actum permittit potentiæ creaturæ: *Tertiam*, qua affectui & voluntati eiuſdem actum permittit. Quæ duæ poſteriores ſubjecto disjungi non poſſunt, licet commoda ratione inter ſe diſtingui & poſſint & debeant. Neceſſe enim eſt, ut actus, quem Deus non vult impeditum, & potentiæ & voluntati creaturæ permittatur, quandoquidem per ſolam vel potentiæ vel voluntatis inhibitionem actui impedimentum ponitur quominus perpetretur. At dicet aliquis, impeditionis ſpecies ſive modos non ſufficienter enumeratos eſſe; neque enim actum in cauſis tantum ſuis, ſed etiam in ſeipſo impediri: quandoquidem neceſſe ſit ad actum, ut Deus non modo poſſe det & velle, ſed etiam ipſum efficere, idque immediate. Vnde ſequatur oportet, actum productum non iri, etiamſi Deus poſſe det & velle; & propterea actum impediri poſſe, etiamſi neque potentiæ neque voluntati impedimentum Deus ponat, nempe, ſi concurſum ſuum ſive actum ſive motum, qui immediate neceſſarius eſt ad actum producendum, creaturæ deneget. Vnde porro concludi poteſt, actum non plene permitti etiamſi potentiæ & voluntati creaturæ a Deo permittatur, niſi Deo etiam ſtatutum fuerit ſuo actu, ſive motu, ſive concurſu ad actum eundem immediate concurrere. Reſp. non negare me iſtius concurſus ſive actus Dei immediati neceſſitatem ad actum producendum: at dico, Deo ſemel ſtatutum eſſe creaturis ſuis concurſum ſuum ſive generalem ſive ſpecialem non denegare ad actus iſtos producendos, ad quos & poſſe & velle creaturis dedit, ſive quos potentiæ & voluntati creaturarum ſuarum permiſit; ſecus fruſtra poſſe & velle dederit, & ſine cauſa actum potentiæ & voluntati creaturæ permiſerit. Addo exemplum iſtiuſmodi impedimenti dari non poſſe, quod Deus actum potentiæ & voluntati creaturæ permiſſum impe-

Matth. 26.

1. Sam. 23. & 24.

impedimentum Deus poſuerit concurſum iſtum ſuum immediatum creaturæ denegando.

Quare concludo, ſufficienter enumeratos modos ſive ſpecies impeditionis, & propterea etiam permiſſionis. Cæterum fateor magnam non modo lucem, ſed & perfectionem acceſſuram doctrinæ de permiſſione divina, ſi non tantum quomodo Deus actus, ad quos creaturæ rationales propendent & vires habent ſufficientes, impediat, commonſtretur: ſed inſuper doceatur accurate, quomodo Deus per creaturas rationales ſive bonas ſive malas, ſuos actus ſuaque opera producat & exſequatur. In quo quidem multi docti & pii viri ſudarunt, & operam non pœnitendam poſuere: at exiſtimo tam multa reſtare enucleanda & explicanda, ut nullum quantumvis excellens ingenium, omnibus iſtis ſufficere poſſit, adeoque vere dici poſſit, puteum huius veritatis non modo altum & profundum eſſe, ſed & inexhauſtum. In quem tamen ſi nos ſobrie & ſacræ Scripturæ filum ductumque ſequentes demiſerimus, non dubium eſt, quin tantum haurire dabitur, quantum ſaluti Eccleſiæ & nominis ſui ſanctificationi conducere in hoc mundo novit omnis veritatis unicus fons & largitor Deus, cui ſit gloria in ſecula per Ieſum Chriſtum. Amen.

De permiſſione peccati, minimè qua eſt illius impeditione.

His ita de permiſſione generatim pertractatis, jam de permiſſione peccati videamus. Initio autem ſciendum peccatum non permitti primo permiſſionis modo. Nam peccatum eſt quod lege eſt vetitum, itaque lege non permiſſum; ſecus idem eſſet peccatum & non peccatum; peccatum qua vetitum, non peccatum qua permiſſum & non vetitum. Attamen cum verè dicatur peccatum permitti a Deo, certum eſt aliquo modo permitti: qui, generatim conſideratus, erit ſuſpenſio impedimentorum illorum omnium, quibus poſitis peccatum non fieret a creatura. Impedimenta autem quibus peccatum, quatenus peccatum eſt, impeditur, ſunt revelatio voluntatis divinæ, & motio ſive ſuaſio ad obtemperandum voluntati divinæ. Vnde conſtat permiſſionem peccati eſſe ſuſpenſionem illius revelationis vel ſuaſionis, vel etiam utriuſque. Huc vero ex generali permiſſionis definitione adferendum, illam revelationem & motionem ſive ſuaſionem tantæ eſſe efficaciæ, ut, ſi adhiberentur & uſurparentur, revera peccatum non fieret. Quod idcirco dico, ne quis exiſtimet Deum nullum actum præſtare peccato impediendo ſufficientem, quando peccatum reipſa non impeditur, atque inde concludat Deum peccatum velle: & rurſus, ne quis arbitretur, quum Deus unum aut plures actus producit peccato impediendo ſufficientes, illum nolentem peccatum permittere. In quorum altero videmus crebro falli, qui hanc rem non ſatis accurate penſitant. Sola enim conſideratio efficacis impeditionis, cuius ſuſpenſione permiſſio proprie & adæquate definitur, efficit ut intelligamus Deum nec velle peccatum propter impedimenta nonnulla licet non efficacia, adhibita, nec tamen invitum permittere, propterea quod præter illa ſufficientia impedimenta, etiam efficacia habet in ſuo ſapientiæ & potentiæ promptuario, quibus pro-

productis certo & infallibiliter peccatum impediretur.

Explicatio illius ſecundum differentiam peccati commiſſionis & omiſſionis.

Cæterum, ut quod ita generatim nobis dictum eſt, clarius evadere poſſit, paulo magis particulatim iſta explicemus ſecundum differentias peccati. Eſt itaque peccatum *aliud commiſſionis, aliud omiſſionis.* Omiſſionis peccatum eſt, quando, quod lege præſcribitur & jubetur, ommittitur. Commiſſionis, quando quod lege vetitum eſt & prohibitum, committitur & perpetratur. At quia lege jubente non tantum actus bonus, ſed etiam cauſa, modus eius & finis; item lege vetante non tantum actus malus prohibetur, ſed itidem cauſa & finis omiſſionis: hinc apparet bifariam tum contra legem jubentem, tum contra vetantem peccari: contra jubentem, omittendo actum ipſum, & actum quidem præſtando, at non debito modo & fine: contra vetantem, committendo actum, & actum non quidem committendo, ſed non debita cauſa finique ommittendo. Exempla ſunt plana. Omittit quis ſubvenire pauperi eleemoſyna; peccat omittendo actum præſcriptum: ſubvenit quis pauperi, ut appareat hominibus; peccat omittendo debitam cauſam & finem præſtationis. Furatur quis, peccat committendo actum vetitum; à furto abſtinet ut malitia iſta ad tempus recta, poſtea gravius noceat proximo, peccat non bene omittendo actum vetitum. Iam verò permiſſio divina ſingulis tum omiſſionis tum commiſſionis modis accommodatur. Diſtribuitur enim peccatum ratione cauſarum in peccatum *ignorantia, infirmitatis, & malitia; negligentia, ſeu incogitantia.* a nonnullis additur, tanquam ab iſtis diſtinctum & ſeparatum, quod alii tribus iſtis ſpeciebus immixtum putant. At has etiam differentias permiſſio divina attemperatur. Infinitum eſſet omnes peccati diſtributiones differentiaſque adferre, & commonſtrare quomodo ad ſingula genera permiſſio divina ſe habeat.

Alia Diſtributio peccati ex cauſis.

Diſtinctio peccati in actum & ἀνομίας.

At hoc non omittendum, quod in *peccato* non id ſolum, ſed & *actus* illi commixtus conſiderandus eſt, ita ut in peccato ſit *ἀνομία* & *actus*, i. *actus quà talis*, & *quà vetitus vel præſcriptus*, cuius præſcripti omiſſio, ut ante dictum, eſt peccatum. Poteſt autem *permiſſio* conſiderari vel *actus* vel *ἀνομίας* reſpectu: *impeditur* enim *peccatum impedito actu* ſine quo peccatum committi nequit. Et rurſus *actus* ipſe *impeditur impedito peccato*, quod neceſſario actui inhæret & adhæret, adeo ut ſine peccato actus iſte patrari nequeat. Fit enim ut ab *actu*, in quem affectu ſuo fertur, abſtineat quis, quia is *ſine peccato* perpetrari nequit: fit contra ut quis a *peccato* abſtineat, quia ad *actum* ipſum propenſus non eſt. Quum autem ab *actu* abſtinet quia *peccatum* eſt, per ſe a *peccato* abſtinet, per accidens ab *actu*: contra, ſi à *peccato* abſtinet, quia *actus* ſibi ingratus: tunc enim ab *actu* per ſe, a *peccato* abſtinet per accidens. Et cum *actus permittitur quà actus*, tum *iſte per ſe, peccatum per accidens permittitur:* cum *peccatum permittitur ut peccatum*, tum *iſtud per ſe*, *actus per accidens permittitur.* Quæ omnia diligenter in permiſſione conſideranda, ut intelligi poſſit, quam ſuam efficientiam Deus ſuſpendat in permiſſione iſta ſua, quam adhibeat ſed fruſtra; fruſtra, inquam, ratione iſtius eventus, eo quod peccatum non omittatur: non fruſtra quod ad

fines attinet, quos Deus ſibi habet propoſitos, optimos & ſapientiſſime intentos, potentiſſimeque obtentos. Quamvis autem jam antea in genere de actuum permiſſione egerimus, non erit ſupervacaneum hic de eadem agere, quatenus actus iſti ſunt peccato immixti & peccatum illis; licet interim potiſſimus hoc tractatu reſpectus ſit ad permiſſionem peccati, qua tale eſt. Quum n. iſta duo ita inter ſe connexa ſint, ut ſubjecto non diſſeparentur, neceſſitas ipſa cohærentiæ poſtulare videtur, ut de permiſſione utriuſque junctim dicamus, licet de permiſſione peccati, per ſe, de altera, per accidens. Verum enimvero, quia peccati ratio omnium planiſſime apparet in actu commiſſo contra legem vetantem, adeo ut omiſſio boni ſæpe ſub eo comprehendatur ſynecdochicῶs, quemadmodum in definitionibus ipſis peccati: *peccatum eſt quod fit contra legem*: item, *eſt concupitum dictum, factum contra legem*: non erit abs re ſi commonſtremus primo, quomodo Deus illud peccatum, ſive qua tale, ſive qua actus eſt permittat; ſive etiam utroque modo. Iſtos autem modos permiſſionis à contrariis impeditionis modis deſumemus, ut antea. *Cades* quam *Achab & Ieſabel Heliæ prophetæ* intentabant, *actus* erat, qui perpetratus vitam ademiſſet *Heliæ*, *& peccatum* eſt contra VI. Dei mandatum. *Impedivit* Deus iſtam *cadem*, non qua *peccatum* erat, ſed qua *actus*: Quod apparet ex modo impeditionis; nunc enim *ſubduxit Heliã* è manibus *Achabi*; nunc *conſumpſit igne cælitus demiſſo, qui ad comprehendendum prophetam erant emiſſi*. Quorum modorum ille eſt quartus, iſte *primus*, potentię *Achabi* oppoſitus, atque in cauſa illa effectum impediens. *David* inſtigatus à ſuis ut *Saulem* perſecutorem ſuum & hoſtem, qui jam in manus ipſius inciderat, *interficeret*, noluit, impeditus ab iſto *actu*, non qua *actus* eſt, ſed qua *peccatum*: *Abſit enim*, inquit, *à me, ut manum meam mittam in unctum domini*. Modus impeditionis fuit per *revelationem* divinæ voluntatis & *ſuaſionem* ad obtemperandum, qui eſt proprius *peccati* impeditionis qua tale. Vitiatio *Saræ uxoris Abrahami*: quum ad *Abimelechum* eſſet deducta, erat actus, qua *Saræ* caſtitas violata fuiſſet magno dolore *Abrahami*, & *peccatum* adverſus VII. legis præceptum; *impedita* autem fuit divinitus, ſi modum impeditionis conſideres, *quatenus peccatum erat*: Nam *Deus* in ſomno *illi revelavit* quod *maritata eſſet*, & ſine ſcelere illam cognoſcere non poſſet: Si vero finem & cauſam impeditionis examines, tum *quatenus actus*, tum *quatenus peccatum*. Quatenus *actus*, quia ille *Abrahamo* intuliſſet dolorem indelebilem; voluit autem parcere ſuo famulo Deus: quatenus *peccatum*, quia Deus ſciens quod *Abimelechus in integritate cordis ſui hoc feciſſet*, prohibuit ne peccaret, uxorem proximi ſui tangendo.

Exempla impediti partim actus partim peccati.

1. Reg. 19.
2. Reg. 1.

1. Sam. 24.

Geneſ. 20.

Videamus oppoſitos permiſſionis modos in exemplis itidem ex Scriptura petitis. *Venditio Ioſephi à fratribus illius facta*, *actus* erat & *peccatum*. Item *adflictio qua Satan Iobum* virum Dei *tentabat*; & *permiſſa* utraque à *Deo*: an qua *peccatum*, an vero qua *actus*? Hoc ex *permiſſionis modo* colligi nequit; omnibus enim modis impediendi abſtinet Deus permittens: quod ni faceret, impediret, & per conſequens neque *actus* neque *pecca-*

Exempla & modi oppoſiti permiſſionis.

Geneſ. 37.
Iob. 1. & 2.

peccatum fieret. Sed *ex fine & efficacitate actus* & *peccati* permiſſi judicium fieri poteſt de reſpectu ſecundum quem Deus actum peccati permiſit. Ex *venditione* extitit *Ioſephi in Aegyptum deportatio*, inde illius ad ſupremam dignitatem *evectio*, unde potuit neceſſaria domui paternæ tempore diriſſimæ famis procurare. Et Deus ipſe declarat ſe hoc fine illum in Ægyptum miſiſſe; totum autem illud ex venditione extitit non qua *peccatum* ſed qua *actus* eſt. In *adflictione Iobi* volebat Deus tentari *patientiam & conſtantiam* ſervi ſui *Iobi*, ea autem tentata per adflictionem non qua *peccatum* eſt, ſed qua *actus*. Contra *permiſit Deus Davidi* ut *numeraret populum*, *Achabo ut occideret Nabothum*, non qua numeratio & homicidium illud *actus* ſunt, ſed qua *peccata*. Volebat enim Deus *Iſraelem punire*, & *Achabum menſuram ſcelerum ſuorum implere*. Verum quidem eſt, Deum voluiſſe etiam pium *Naboth* ex hac miſeriarum valle in cæleſtem patriam transferre: at hoc fit per *cadem* non qua *peccatum* eſt, ſed qua *actus*. Verum propria, immediata, & adæquata cauſa, cur permiſerit ut *Achab* illam *cadem* perpetraret, eſt illa quam dixi: menſura ſcelerum implenda erat. Poterat enim Deus citra peccatum hominis per aliam viam *Nabothum* ad ſe evocare. Quod Deus *permiſit* ut *Abſalon patris ſui uxores ſeu concubinas inceſto pollueret*, factum utroque reſpectu. *Actus* enim ille *permiſſus* fuit qua *talis* & qua *peccatum*. Nam ut *actus* ſervivit caſtigando *Davidi*, qui *Uriæ uxorem adulterio polluerat*: ut *peccatum* permittebatur, quia Deus voluit *Abſolonum* ſibi hoc ſcelere ſpem præcidere perveniendi in gratiam offenſi patris, atque iſthoc pacto ſibi exitium, juſtam rebellionis in patrem ſuum pœnam, accelerare. Vtroque iſto reſpectu etiam permiſit Deus ut *Achab* contra verbum Domini aſcenderet in *Ramoth Gilead*: qua *peccatum*, quia voluit Deus illum punire, qua *actus*, quia voluit illum ibi occidi, quo per actum aſcenſionis pervenit. Ex iſtis exemplis judicium fieri poteſt de ſimilibus. Atque hactenus quidem de *permiſſione peccati* quod conſiſtit in *perpetratione actus lege prohibiti*: videamus de peccato quod committitur, quando *actus* lege *vetitus* non *patratur* quidem, at non *omittitur debita cauſa & fine*. Hic *actus* impeditus, at non *peccatum*; quare hic ſola eſt *peccati permiſſio* qua tale eſt, & modus permiſſionis, ſuſpenſio revelationis voluntatis divinæ, aut ſaltem ſuaſionis & motionis ad obtemperandum cognitæ voluntati divinæ: Omittit enim *actum* creatura, non quia Deus illum vetuit, ſed alia de cauſa. Sic omiſerunt *fratres Ioſephi occidere illum*, quod tamen ſtatuerant; non quia cœperunt cogitare *nefas hoc Deo diſplicere*, ſed quia juxta monelam *Iudæ*, *inutile id putabant*, *utiliuſque* judicabant illum *vendere*. Omiſit *Abſolon*, collectis aliquot millibus, ex *Achitophelis* conſilio, perſequi patrem fugientem, non quia iniquum judicabat patrem perſequi, totus enim in eo erat; ſed quia ſequens conſilium *Huſai*, periculoſum id ſibi populoque putabat. In iſtis & ſimilibus exemplis videmus Deum impediiſſe *actum* vetitum, & propterea eatenus *peccatum*, at non impediiſſe *peccatum* quod committebatur ab omittentibus *actum* iſtum vetitum; ſed permiſiſſe ut illi omittendo *actum* vetitum *peccarent*. Cauſa eſt

Margin notes: 2. Sam 24. 1. Reg. 21. 2. Sam. 16. 1. Reg. 22. Geneſ. 37. 2. Sam. 17.

manifeſta: quia per *actum* noceretur, quibus Deus vult parcere; per *peccatum* vero indebita *actus* omiſſione commiſſum non nocetur niſi peccanti; quod æquum eſt: imo per *actus* impedimentum præparatur pœna iiſdem qui omiſerunt *actum*, debita illis tum propter hoc indebitæ omiſſionis *peccatum*, tum propter alia; quod accidit *Abſolomo*. Progrediamur ad permiſſionem *peccati* quod committitur pura *actus præcepti omiſſione*. Hoc à Deo permittitur quâ eſt omiſſio *actus* & quâ *peccatum*. Permittit inquam Deus iſtum *actum* lege præceptum omitti, vel qua eſt *actus*, vel qua eſt *peccatum*. Permiſit Deus ut *filii Eli patris ſui monitis non obtemperarent*; ut *Saul Amalecitarum Regi parceret*; ut *Iſraelitæ audito ſpeculatorum nuncio detrectarent aſcendere in terram promiſſam*, ut *cives Sucoth & Penuel Gedeonis exercitui panes denegarent*; ut *Achab Benhadadum virum occiſionis Domini vivum dimitteret*; ut *Feſtus apud quem Paulus erat accuſatus ſententiam abſolutoriam, pro illo non pronuntiaret*, idque in *gratiam Iudæorum*, &c. eaque omnia permiſit partim quâ ſunt *omiſſiones actuum*, partim qua *peccata*, id eſt, *omiſſiones contra legem jubentem*, partim reſpectu utroque. De *filiis Eli* dicit Scriptura; *quod non audiverunt vocem patris ſui, quia volebat Iehova occidere eos*: quare *permiſſa omiſſio* obedientiæ quatenus erat *peccatum*. *Sauli* permiſſa *omiſſio occiſionis* eorum quos Deus volebat & juſſerat interfici, qua *peccatum*, non qua *omiſſio actus*, quo perpetrato illi vita privati fuiſſent. Nam ſtatuerat Deus regnum *Saulis* ab eo auferre, idque jam illi per *Samuelem* denuntiarat. Propterea quod *ſacrificaſſet* non expectato *Samuele*: & *Agag* rex Amalecitarum

1. Sam. 2.
1. Sam. 15.
Num. 14.
Iud. 8.
1. Reg. 20.
Act. 25.
1. Sam. 2. 25.
1 Sam. 15.
1. Sam. 13. 13 14.

poſtea ab ipſo Propheta *Samuele in fruſta conciſus eſt coram Iehova*. Quod *Iſraelitæ* omiſerunt aſcendere in terram promiſſam ut à Deo juſſi erant, id factum quia *Deus volebat illorum*, qui jam ſæpius ipſum tentarant, & adverſus ipſum murmurarant, *corpora cadere in deſerto* Itaque permiſſa iſta *omiſſio* qua *peccatum*. Quod cives *Sucoth & Penuel* omiſerunt ex debito *panes dare exercitui Gedeonis*, permiſit Deus, partim ut conſtantiam perſecutorum exploraret, partim ut pœnam pararet civibus *Sucoth & Penuel*. Itaque permiſſa *omiſſio actus quâ talis* & *quâ peccatum*. Vt enim per actum cibationis confortati fuiſſent qui perſequebantur *Madianitas*, ita omiſſio actus quâ talis, gravis illis fuit & damnoſa. Dimiſſio Benhadadi ſeu non interfectio (fuit enim peccatum commiſſum contra legem jubentem) permiſſa eſt à Deo *qua peccatum*, voluit enim *Achabum* accumulare ſibi iram in diem iræ, propter gravia ſcelera ipſius: atque etiam qua *omiſſio actus*. Nam eo ipſo quod *Benhadado* vita fuit prolongata omiſſione actus à Deo præcepti, conceſſum ipſi poſtea cum *Achabo*, & illo defuncto, cum *Iſraelitis* pugnare, & *Samariam* obſidere magno populi *Iſraelitici* malo. Vt vero *Feſtus* omitteret ſecundum jus & fas abſolvere *Paulum*, utpote qui nullius criminis convinci poterat, permiſſum a Deo quatenus *omiſſio actus* eſt, non qua *peccatum*. Eſt enim ex iſta omiſſione impoſita *Paulo* neceſſitas *appellandi Cæſarem*, quæ fuit occaſio profectionis illius *Romam* verſus, ubi Deus etiam volebat illum *de filio ſuo teſtari*. Iam vero quod attinet peccatum quo *actus præſcriptus non debito modo & fini præſtatur*, certum eſt, illud

Num. 14.
Iud. 8.
1. Reg. 20.
Actor. 25.

illud permitti *quâ tale*, nihil enim in eo permittitur quam *omiſsio debiti modi & finis*, quæ purum putum *peccatum eſt*. Conſtat hoc ex permiſſionis modo qui hic certus eſt; nempe per ſuſpenſionem efficientiæ qua *peccatum* impeditur ut *peccatum*. *Ioab* multa egregia & a Deo præſcripta perpetravit facta, bellando fortiter contra hoſtes populi Dei pro *Iſraele*, ut populo Dei bene eſſet: at non inclinavit Deus illius animum ut hoc faceret prout debebat. Apparet enim illum gloriam ſuam iſtis factis quæſiviſſe ex eo quod viros pares ſibi imperatoriis artibus & fortitudine dolo malo ſuſtulerit, ut ſolus eſſet in pretio. Qui enim defendit aliquem ut defendatur, idque in gloriam Dei, non ægre fert ſi quamplurimi prudentia & fortitudine prædi- ti viri ſe una comparent ad ſuſcipiendam defenſionem iſtius: imo plurimum eo nomine gaudet & lætatur. 2.Sam.3. & 20. Quod ad *peccati differentias* attinet ex *cauſis*, *ignorantia*, *infirmitate*, *malitia*, *negligentia* deſumptas, clarum eſt diſcrimen in permiſſione illorum. Permiſſio enim *peccati ignorantiæ* eſt ex ſuſpenſione revelationis voluntatis Dei: *peccati malitiæ* ex ſuſpenſione actus quo corrigitur & mutatur cordis perverſitas: *infirmitatis* ex non ſubminiſtrato robore perſiſtendi in tentationibus: *negligentiæ* ex ſuſpenſione actus quo ſeria & ſancta cura & ſollicitudo nobis ingeneratur vires noſtras obſervâdi, & ambulandi in lege Domini. Novit enim Deus quando illi viſum opus aliquod ſuum peragere per actus creaturarum rationalium, qui ſine peccato ab illis committi non poſſunt, quam ſuam efficientiam ſuſpendere debeat, ut permittat creaturis actus illos ſuos producere. Voluit *Eccleſiam ſuam perſecutionibus explorari & purgari*, & quidem *actu Sauli hominis zelum legis habentis*: qui ex præpoſtero & inconſiderato erga ſuam religionem amore, *ſectam* quæ dicebatur *Nazaraeorum* exſtirpatam cupiebat. Quo hoc per illum efficeret, paſſus eſt illum aliquamdiu in *iſta ignorantia* verſari, ſine qua, prout tunc erat conſtitutus, *Eccleſiam* perſequi noluiſſet. Dicit enim *ſe ignorantem feciſſe*. In *Iuliano Apoſtata*, teterrimo Eccleſiæ perſecutore deſtinatum & præfractum contra Chriſtum Chriſtique Eccleſiam odium non emendavit. Quum enim de veritate doctrinæ Chriſtianæ convictus eſſet, perſequi illam niſi ex *deſtinata malitia* non potuiſſet. Quod autem non correxit illud odium Deus, merito ipſius fecit, qui ultro & propria culpa a Chriſto defecerat. Voluit Deus ut Petrus, pluſculum de ſe præſumens in ſui ipſius notitiam veniret, & paſſus eſt illum *abnegare magiſtrum ſuum ex mortis metu*, non ſubminiſtrans illi illam Sp. ſui conſtantiam, ut contempta morte Chriſtum libere profiteri auderet: *David* ab hoſtibus ſuis liberatus, & plæriſq; vicinis regibus populiſque devictis, *negligentius ſuas vias cuſtodire capit*, & otio ſe quietique dedere, præſertim quia habebat ducem inſignem & militiæ peritum Ioabum, cui propter conſanguinitatem fidere poterat: unde factum ut in turpe iſtud cum *Vriæ uxore adulterium* incideret. Permiſit autem Deus ut ille in *negligentiam* iſtã incideret, & peccatum iſtud illa occaſione perpetraret, quo diligentius ſeipſum obſervaret, peccatum ſuum exemplo aliorum defleret, egregium humilitatis reſipiſcentiæque ſpeci-

Act. 9.
1.Tim. 1. 13.
Ioh. 13. 37. 38. & 18. 25. &c.
2 Sam. 10. 19. & 11 1. 2. 3. &c.

ſpecimen & exemplar præſtaret, & glorioſius ex peccato reſurgeret. Prolixum autem eſſet in ſingulis peccatorum generibus idem annotare; hæc vero ſufficiant, tanquam modum & viam commonſtrantia judicii de permiſſione ritè formandi. Quanquam autem totum illud complexum, quod ex *actu* conſtat & *ἀνομίᾳ*, permittatur à Deo per ſuſpenſionem omnium actuum divinorum, quibus, ſi à Deo uſurpati fuiſſet, *actus vel quâ talis vel quâ peccatum eſt* impeditus fuiſſet: tamen utile eſt diſtinctè conſiderare, quo reſpectu permiſſio illa à Deo fiat, & quas qualeſque ſuas efficientias ſuſpendat, ne commiſſionem vel omiſſionem actus præſcripti vel vetiti actu impediat. Hinc enim quam diſtinctiſſime divina *bonitas*, *ſapientia*, *potentia*, quin & *juſtitia* perſpicitur, & planiſſime commonſtratur quomodo Deus omni illa ſua *actione*, *impeditione*, *permiſſione*, culpæ expers, & à peccato immunis ſit, & minime peccati auctor habendus. In quo ſane docendo tanto magis eſt enitendum, quanto proclivior eſt lapſus in iſtam abſurditatem & blaſphemiam iis, qui providentiam divinam agentem, impedientem, permittentem adſtruunt quidem, ſed non ſatis diſtincte, accurate, diligenter ſingula inter ſe comparantes & conferentes & ab invicem diſtinguentes.

Cauſa permiſſionis. Cæterum cauſæ ſingulares permiſſionis pro ipſius & permiſſorum actuum peccatorumque diverſitate variæ ſimul & multiplices, nec generaliter explicabiles; quæ forſitan in ſingulis permiſſionibus aliquomodo commonſtrari poſſunt ab iis, qui ſenſus in divinis rebus exercitatos habent, & cum ſtudio iſtas conſiderare ſolent: Verum *duæ generales ſeu univerſales cauſa* adferri poſſunt cur Deus permittat aliquid, & cur hoc permittat. *Prior, eſt libertas voluntatis* cuius participem Deus fecit creaturam rationalem, quam dominam & principium liberum ſuarum actionum eſſe voluit; *Altera perfectionis divinæ commonſtratio*, quæ tanta eſt ut non ſolum efficere & impedire quid poſſit ad gloriam ſuam, ſed etiam actus creaturarum rationalium permiſſos, & ſæpe multum ab ordine ipſis præſcripto & poſito exorbitantes, ita in ordinem redigere, ut inde longe clarius laus *bonitatis*, *miſericordiæ*, *patientiæ*, *ſapientiæ*, *juſtitiæ*, & *potentiæ divinæ* eniteſcat & innoteſcat. Quo pertinet quod ab *Auguſtino* pulchre dicitur; *Deum judicaſſe ad omnipotentiſſimam ſuam bonitatem potius pertinere de malis benefacere quam mala eſſe non ſinere.* Conſideranda etiam creatura cui permiſſio fit actus committendi vel omittendi, qui ſine *peccato* committi vel omitti nequit; qualis nempe illa ſit tum temporis cum illi *actus* iſte permittitur: an *creata* tantum & *conſiſtens in integritate primævâ*, an ab illo primævo ſtatu *delapſa*: an rurſus in *gratiam aſſumpta*; an ad *gratiæ participationem vocata*; an eodem *adducta*; an *refractaria gratiæ*; an *non* ſatis *ſollicita* ad *gratiam accipiendam*, eandem *conſervandam*, & ſi quæ ſunt ſimilia. Poteſt enim Deus alicui creaturæ ut tali conſideratæ denegare actum, motionem, efficientiam, concurſum, ſive generalem ſive ſpecialem, naturæ ſive gratiæ, providentiæ ſive prædeſtinationis (quanquam de Prædeſtinationis actu fidenter adſeverare non audeam) quem actum

& con-

& concurſum, quam motionem & efficentiam citra injuſtitiam denegare non poteſt creaturæ eidem aliter conſideratæ. Conſtat autem permiſſio peccati huiuſmodi actus divini, motionis, efficientiæ, &c, ſuſpenſione, ut ante vidimus. Qui verò permiſſionem plene & integre pertrectare vellet, neceſſe haberet agere de *Providentia Dei in univerſum*; & de *Providentia conſervante, gubernante, moderante, efficiente, impediente, permittente* in ſpecie. Vt enim *permiſſio* opponitur *impeditioni* vel *privative* vel *contradicenter*, ita *efficientia* opponitur *diſparatè*: atque illa eſt *permiſſionis* natura, ut neceſſario præcedaneos ſibi habeat varios Dei actus circa eandem creaturam, cui fit *permiſſio*, & circa illum *actum qui permittitur* occupatos: qui actus Dei niſi explicentur accurate, intelligi non poterit in cuius efficientiæ divinæ ſuſpenſione proprie & immediate permiſſio conſiſtat. Quæ etiam cauſa eſt, quod multi, quum de permiſſione quid audiunt, ſtatim apud ſe providentiæ otioſam quietem & ab omni actu abſtinentiam concipiunt: alii providentiæ vim & efficaciam omnibus rebus & actibus præſentis & præſidentis conſiderantes, *permiſſionem* aut repudient, aut verbo tenus tantum confiteantur, ita interim illam explicantes ut in adfirmativum aliquem actum Dei & providentiæ efficientiam reſolvatur. Vtrumque autem cavendum, ne providentiæ divinæ actus ipſi convenientes adimamus, aut attribuamus alienos & eius juſtitia indignos.

Objectio. Cæterum hiſce quæ hactenus à nobis dicta ſunt objiciet quiſpiam, me non *ἀνομίαν* modo & inordinationem actus, ſed & ipſum *actum permiſſioni* tribuere, eoque ipſo non *ἀνομίαν* modo ſed & *actum* ipſum voluntati & efficientiæ divinæ adimere: In quo duplicem ſe errorem animadvertere dicet; *primum*, quod peccatum ſimpliciter & quovis reſpectu *permiſſioni* tribuo, & efficientiæ voluntatique divinæ adimo; quum certo reſpectu voluntati efficientiæque Dei ſit tribuendum; *Secundum*, quod *actum* qui eſt ens & aliquid poſitivum efficientiæ & voluntati Dei adimo, quæ omnis entis cauſa eſt prima & ſuprema. Videamus preſſius utramque objectionem. *Priorem* ita explicamus ex mente objicientium. In peccato tres ſunt reſpectus; eſt enim primo *malum culpæ*; deinde *pœna peccati*; denique etiam *cauſa aliorum peccatorum*. Deus quidem non eſt, inquiunt, cauſa peccati qua eſt malum culpæ, ſed qua pœna eſt peccati & cauſa aliorum peccatorum. Eſſe autem Deum cauſam pœnæ extra controverſiam eſſe dicunt, quia eſt actus juſtitiæ, per quem peccatum exhorbitans a lege juſtitiæ divinæ præſcribentis, in ordinem redigitur juſtitiæ divinæ punientis. A Deo etiam eſſe peccatum qua eſt cauſa alterius peccati, comprobant exemplo excæcationis, indurationis, traditionis in reprobum ſenſum, qui actus a Deo ſunt & ſunt cauſæ peccatorum. *Reſpondeo* primo illam objectionem non valere contra omnia peccata. Primum enim peccatum quod a creatura eſt admiſſum, non poteſt eſſe pœna alterius peccati. Sunt etiam multa peccata, quæ non ſunt actu cauſæ aliorum peccatorum: Deo ita lapſum peccataque creaturæ ſuæ adminiſtrante & diſpenſante ut ipſi cedant *Reſponſio.*

cedant

cedant in bonum, odium nempe maius adverſus peccatum, & diligentiorem ſollicitudinem curamque ſuos greſſus obſervandi. Multa igitur peccata, citra huius objectionis contradictionem fiunt permittente Deo, & nullatenus efficiente. At ſunt nihilominus, inquient, multa peccata, quæ tres iſtos reſpectus habent: de illis ſaltem dicere licebit, quod ſecundum duos poſteriores reſpectus Deum auctorem & cauſam habeant. *Reſpondeo ergo* ſecundo, nullum eſſe *actum ſive peccatum*, quod *ſimul ſit malum culpæ*, *malum pœna ſeu pœna peccati, & cauſa alterius peccati*, ſi recte & rigide iſta conſiderentur. Fateor autem id dici ſolere, & eſſe per vulgatum plæriſque hanc materiam tractantibus.

Probabo quod dico primum: deinde allatis exemplis excæcationis & obdurationis commonſtrabo.

Nullus actus ſimul & peccatum eſt, & cauſa peccati

Quod actus nullus ſit ſimul peccatum & pœna, certum eſt, quia *peccatum* eſt voluntarium, *pœna* eſt involuntaria, *peccatum* eſt actio, *pœna* eſt paſſio; per *pœnam* redigitur *peccatum* in ordinem, per *peccatum* non redigitur *peccatum* in ordinem, per pœnam, inquam, non reſpectu tantum, ſed re & ſubjecto, quod eſt actus, differentem à peccato ſeu malo culpæ. At cum hoc dicatur a doctis, ratio ſubeſſe debet cur ita æſtiment. Fateor; ſed ſenſum quo dicunt & intelligunt, intueamur.

Quo ſenſu peccatum interdum à nonnullis dicatur pœna alterius peccati,

Peccatum dicunt eſſe *pœnam peccati*, quia Deus *propter peccatum antecedens permittit* ut peccator *aliud peccatum committat*; imo & *actus nonnullos ſuos ſuſpendit*, alioſque producit, quibus *poſitis creatura* pro ſua malitia *peccabit*, & committet *aliud peccatum*; quo peccato majorem ſibi pœnam & condemnationem meretur, atque ita, quod *pœna* eſt *maioris meritorium*, dicitur eſſe *pœna peccati per metonymiam cauſæ & effecti*. Atque hoc ſenſu intelligunt id dictum ſuum, aut ſalvari nequit. Quod vero *peccatum* nullum ſimul ſit *malum culpæ* & *cauſa alterius peccati*, etiam verum eſt, ſi recte intelligatur; *cauſa*, inquam *proxima & immediata*. Eſt quidem *cauſa meritoria* alterius peccati, hoc eſt, meretur ut Deus aliquem *ſuum actum ſuſpendat* in poſterum, alioſque actus producat, quibus poſitis ille pro ſua malitia, ut ante dictum, *peccatum aliud committet*; eſt etiam *cauſa preparatoria* ad alia peccata perpetranda: nam per peccatum conſcientia vulneratur, precandi ſtudium & confidentia exſtinguuntur, habitus peccandi comparatur, Diabolo in peccatorem jus conceditur: ex quibus porro ſequitur facilis lapſus in aliud peccatum: at non eſt proxima & immediata alterius peccati cauſa. Sed eſt tamen cauſa, inquiet aliquis, licet remota & meritoria. Quid tum, inquam? Hac enim diſtinctione refutatur objectio. Nam Deus ponitur per iſtam diſtinctionem cauſa actuum nonnullorum, quibus poſitis creatura pro ſua malitia certo peccatum aliud priori meritorio adjunget, & abſolvitur a cauſalitate peccati, quod merebatur ut Deus iſtos actus produceret; peccati, inquam, etiam qua eſt cauſa alterius peccati. Intercedit enim Dei actio inter peccatum quod eſt cauſa alterius peccati, & peccatum conſequens. Iſta vero objectione concludebatur Deum eſſe peccati cauſam, qua eſt alterius peccati cauſa. Error iſte naſcitur ex confuſione & inordinata actuum iſto-

iſtorum conſideratione. *Peccatum* enim *ut malum culpæ* prius eſt ponendum, hoc ſequitur *meritum ſive reatus ad pænam, ex juſtitia Dei*; illum, *actus Dei, peccatum illud* pro merito deſertione ſua & excæcatione *punientis*. At *excæcatio* inquies, *eſt peccatum ſeu malum culpæ*, & *pæna peccati præcedentis*, & *cauſa conſequentis*. Et *Deus eſt cauſa excæcationis*. Iam commonſtranda veritas ante dictorum in hoc exemplo. Excæcationem Dei eſſe pænam peccati præcedentis recte dicitur, quin etiam cauſam eſſe peccatorum conſequentium dici poteſt, ſi recte intelligatur, nempe, per remotionem gratiæ prohibentis; & poſitionem nonnullorum actuum, ex quibus ſequetur ut creatura ita excæcata & derelicta, pro ſua malitia, peccet. At illa *excæcatio peccatum non eſt*, *neque malum culpæ*. Diſtinguendum enim eſt inter *excæcationem* quæ eſt *actus* Dei, quam patitur homo, & *excæcationem ipſius hominis qua animum ſuum obſtinat & indurat* adverſus Deum; quæ eſt *actio hominis* ex malitia & præfracta pertinacia ipſius producta. Concurrunt quidem hæ actiones, at non coincidunt, neque eſt una numero actio, conſtans ex efficientia cauſarum iſtarum concurrentium, quæ ſimul junctæ unam cauſam totalem faciant iſtius actus, qui excæcatio dicitur. At eruditi homines ſæpe ita loquuntur, fateor, at non diſtincte ſatis: & fors tali ſenſu, qui meæ explicationi conveniens eſt, & non contrarius. *Complexim* enim & *indiſtinctè* ſumunt *excæcationem* pro *actu excæcandi* & *apotelesmate ſeu opere & effectu, qui inde exiſtit in excæcato*, quæ poteſt dici *excæcatio paſſiva ab illa activa producta*. De *excæcatione* ita *confuſe* & *indiſtincte ſumta* poteſt dici *quod ſit peccatum, pæna peccati*, & *cauſa peccati*: at hoc non repugnat meæ ſententiæ, qui nego Deum eſſe *cauſam* illius *excæcationis quæ eſt peccatum* & malum culpæ. Nam *excæcatio activa* (ut jam diſtinguamus) quæ ab homine ſeipſum excæcante producitur, *eſt peccatum*; grande enim nefas eſt animum ſuum adverſus Deum obdurare. *Excæcatio activa, ut à Deo proficiſcitur, eſt pæna peccati antecedentis* quo peccator ſibi meruit deſertionem & gratiæ privationem. Excæcatio activa quæ eſt ab homine & quæ eſt à Deo, concurrunt ad unum effectum, quæ eſt *excæcatio paſſiva*, quæ proprie *eſt pæna*. Denique *excæcatio activa hominis ſeipſum*, & *Dei hominem excæcantis*, *cauſa eſt* quod *alia peccata* prioribus *accumulentur à peccatore excæcato*, ſed iſto quo dictum eſt modo. Reſpondeo inſuper, ſi ita res haberet ut *unus* idemque *actus* eſſet peccatum ſeu malum culpæ, *pæna peccati*, & *cauſa* conſequentis *peccati*, tum fieri non poſſet ut Deus eſſet *illius cauſa* ſecundum iſtos *duos poſteriores reſpectus*, & non ſecundum *primum*, propter duplicem cauſam. *Prima* qui diſtinctio reſpectus efficere nequit ut Deus cauſa ſit unius & non alterius realiter cum illo conjuncti, niſi iſto modo qui poſt explicabitur, quem hinc excludunt qui *excæcationem divinam* dicunt eſſe *peccatum*, & *cauſam peccati*. Reſpectus iſti uſum habent in mente intelligente, & res conjunctiſſimas diſcernere valente & diſtinguere, imo unam rem actu & numero, diverſo reſpectu conſiderante: at in *actuali efficientia*, cuius *terminus* eſt *ens reale*, locum habere non poſſunt. Infligit Deus *pænam peccatori* & *creaturæ ſuæ*: *actus inflictionis* non diſtinguit

creaturam à peccatore, ſed *mens* punientis: illa enim novit puniri *creaturam* non qua talis, ſed qua *peccatrix*. Crebro committitur hoc peccatum, quod reſpectus ulterius trahuntur quam natura illorum ferat. *Secunda* quia ex tribus iſtis reſpectibus ordine, & natura, & cauſalitate prior eſt, quo *peccatum* ut *malum culpa* conſideratur, poſteriores, quibus ut *pœna* & *cauſa peccati* conſequentis. At Deus eſt cauſa prima omnium effectuum quos cum aut per creaturas ſuas producit; hic vero erit cauſa poſterior; producet enim actum aliquem ratione poſteriorum reſpectuum, quem creatura producit ratione prioris: quod eſt abſurdum, & invertens ordinem cauſalitatis & efficientiæ, qui eſt inter primam & ſecundam cauſam. Niſi iſte ſtatuatur concurſus quem poſtea explicabimus; quem hic locum habere, negant qui excæcationem Dei cauſam eſſe dicunt peccatorum conſequentium, & ſimul peccatum. Hæc quidem paulo prolixius explicanda putavi propter rei ipſius difficultatem, & præconceptas opiniones. *Accedamus ad poſteriorem objectionem*, quam ita ex mente Auctorum explicamus. In *peccato duo ſunt*, *actus* & eius *ἀνομία* ſeu *inordinatio*. *Actus* eſt quid *poſitivum*, *inordinatio* eſt *privativum*; hæc cauſam habet voluntatem creaturæ, at ille in primam cauſam neceſſario eſt reducendus: atque hac ratione *Deus eſt cauſa illius actus* qui *reſpectu hominis* ſeu prout ab homine proficiſcitur, *eſt peccatum*. Male igitur *actus*, qui ſine peccato ab homine non patratur, *voluntati efficientiaque divina adimitur*, & *permiſſioni tribuitur*: quum *actus ille, quâ talis*, ſit *efficientiæ*, qua vero *inordinatus*, *permiſſionis divinæ*. *Reſpondeo.* Primo verè & univerſum de peccato omni dici non poſſe, quod in eo duo ſint, *actus* nempe & *inordinatio*. Nam aliquando ipſe actus eſt quod prohibetur; aliquando non ipſe actus, ſed aliqua circa actum circumſtantia. Sic, *eſus* ex arbore ſcientiæ boni & mali, erat *prohibitus*; non aliqua illius circumſtantia; & propterea ipſe *eſus indebitus illicitus & inordinatus*, imo *inordinatio* ipſa; poſita nempe lege eſum vetante; ſecus eſus per ſe & in ſe, citra iſtam legem, eſt actus naturalis, nullam in ſe inordinationem habens; at lege poſita quæ eſum prohibet, non poteſt ille *eſus* ita *naturaliter bonus* conſiderari, ut *inordinatio* ipſi accedat propter quam ſit omittendus: eſt enim per ſe omittendus & propter ſe, quia vetitus lege divina, & quia *ipſum edere* eſt *peccare*. Inordinatione tota in eo conſiſtente, quod actus ille edendi locum habeat in numero & ordine actionum humanarum, quem locum omnino habere non debuerit, neque numerum augere; ſed ipſe omnino omittendus, & ſub perpetua potentia concludendus, nunquam in actum producendus.

Conſideratio ſimilitudinis ab equo claudicante deſumpta.

Simile quod plærique adducunt huic negotio illuſtrando ab equo claudicante, non convenit actui qui lege eſt prohibitus. Nam in claudicatione eſt inceſſus, & eſt claudicatio, id eſt, vitioſus inceſſus: & inceſſui accidit vitium propter tibiam claudicantem, quod vitium licet ſeparari actu non poſſit ab iſto inceſſu manco, tamen poteſt commode diſtingui: & fieri adeo poſſet ut idem equus ſanata tibia recte incederet, atque hoc pacto claudicatio ab inceſſu abeſſet. At in eſu de arbore

vetita

vetita non eſt eſus & vitium eſus, ſed ipſe eſus totus & ſolus habet rationem peccati, quia commiſſus contra legem. Habet autem illud ſimile locum in peccato quod committitur adverſus legem quæ ipſum actum præſcribit, ſed actus aliquam circumſtantiam prohibet; quod peccatum in eo conſiſtit quod actus bonus, licitus, præſcriptus lege, non recte præſtatur, ut, quando eleemoſyna datur pauperi ex ambitione, & ſuperbia, ut videatur hominibus liberalis & pauperum amans, quin & religioſus qui illam largitur. Actus ille eſt bonus & inceſſus inſtar, at vitium illi accedit inſtar claudicationis ab affectu vitiato, quod actum illum mancum facit, & ingratum Deo, qui tamen propterea non omittendus, verum nihilominus præſtandus, ſed recte & debito modo, averruncata & omiſſa vitioſitate, quæ jure & facto ab illo ſeparari debet & poteſt.

At fateor iſta reſponſione quæſtioni ſeu objectioni non eſſe ſatisfactum. Inſiſtet enim quis & dicet; Eſum tamen eſſe actum poſitivum, & proinde ens quoddam, quamquam vetitus ſit; cumque omne *ens* Deum habeat cauſam, etiam Deum illius eſus eſſe cauſam; & ſic aliorum etiam actuum poſitivorum, quanquam adverſus legem vetantem commiſſorum: & propterea peccatum cum actus ſit, efficientiæ Dei adimi non poſſe.

In actu peccaminoſi reſolutione cavendum, tum ne libertas creaturæ evertatur, tum ne Deo cauſa

Reſpondeo, me nullo modo actum, qui ſine peccato non perpetratur à creatura, Dei efficientiæ adimere; quinimo fateri aperte, Deum omnium actuum qui à creaturis perpetrantur eſſe cauſam, at hoc unice expetere, ut iſta efficientia Dei ita explicetur, ne libertati creaturæ per illam derogetur quippiam, neve Deo ipſius peccati culpa tranſcribatur: hoc eſt, commonſtretur quod Deus *actus* quidem ſit *effector*, at ipſius *peccati* nonniſi *permiſſor*; imo quod Deus unius eiuſdemque *actus* ſimul ſit *effector & permiſſor*. Ardua ſane iſta res eſt & difficillimæ explicationis, moliamur tamen aliquid ad illius elucidationem. Dico igitur, Deum *cauſam* alicuius, qui à creatura proficiſcitur, *actus* eſſe vel *mediatam* vel *immediatam*.

peccati adſcribatur.

Deus cauſa actus vel mediata vel immediata.

Mediata cauſa eſt, quando *influit in cauſam*, illamque movet ad cauſandum actum. *Immediata*, quando una cum creatura *influit in ipſum actum*, & ſimul cum creatura cauſa eſt totalis illius actus. Quando Deus movet creaturam ad cauſandum, tunc, quia *creatura ut cauſa ſecunda & ſubordinata, determinatur à cauſa prima* movente ad particularem actum, qui ſpeciem habet ab influxu & motione Dei, fieri nequit ut *actus* ille, qualiſcunque ſit, *creaturæ imputetur in culpam*; ſed neceſſe eſt, ſi peccati nomine adpellari poſſit ille actus, Deum illius peccati cauſam & auctorem eſſe. Quod quia fieri nullo modo poteſt, certum eſt, per iſtam viam mediatæ actionis Dei, explicari non poſſe, quomodo Deus cauſa ſit actus, qui ab homine ſine peccato non patratur, & peccati ipſius permiſſor. Quando vero Deus *immediata* cauſa eſt actus, qui à creatura producitur, tunc *cauſa ſecunda*, ſi *libera* ſit (de qua hoc loco agimus) in poteſtate ſua habuit vel *influere* in actionem, vel *influxum* ſuum *ſuſpendere*, ne illa eſſet actio, atque ita influere ut potius hæc quam alia actio

produceretur. Vnde ſequitur, quum *cauſa ſecunda libere* inflexerit in actum ſuum, quumque *particulari* ſuo influxu *univerſalem* Dei influxum *determinaverit* ad hunc particularem actum, *ſpeciemque* actionis conſtituerit; *cauſam ſecundam* in *culpâ eſſe*, & actum illum merito *peccatum* dici *cauſa ſecundæ* reſpectu: Deum vero *culpâ vacare*, eiuſque reſpectu actum illum peccatum dici non poſſe.

De concurſu Dei.

Concurſus enim & *influxus* ille Dei nihil confert voluntati creaturæ liberæ, quo ad agendum vel inclinetur, vel juvetur, vel confortetur; neque conſtituit *voluntatem* in *actu primo*, ſed in *actu ſecundo*; & propterea præſupponit in voluntate quicquid ad agendum eſt neceſſarium, ne ipſo quidem Dei *concurſu* excepto: quem licet voluntas creaturæ liberæ non habeat in actu, niſi cum actu operatur, *habet* tamen in *poteſtate ſua priuſquam operatur* paratum ſibi & expoſitum. Secus ſi ſit, non poterit *voluntas* dici habere *actum* in poteſtate ſeu *potentia proxima*: neque poterit actus illius cauſa *moralis* dici, ſed *naturalis* tantum, & propterea *neceſſaria*, cui adtribui *peccatum* nullo modo poteſt.

Atque hoc pacto ſolvitur difficultas iſta, & commonſtratur quomodo *Deus cauſa* ſit *actus*, qui *à creatura ſine peccato* patrari nequit, ita ut neque *auctor* ſit ille *peccati*, neque *creatura à peccato immunis*; imo & ille *peccati* tantum ſit *permiſſor*, *creatura* vero propria *peccati cauſa*. Permittit enim Deus arbitrio ſecundæ cauſæ *libera* diſpenſationem *influxus proprii* in actum aliquem, & ubi cauſa ſecunda eſt in ipſo momento & inſtanti influxionis ſecuturæ, jungit Deus *libere* & pro arbitratu ſuo *influxum* & concurſum ſuum *univerſalem* influxui creaturæ, ſciens citra influxum ſuum *actum* produci nec poſſe nec productum iri. Neque fas eſt ut *Deus concurſum* & influxum ſuum deneget creaturæ, etiamſi videat *influxum creaturæ* in *actum* quem habet præ manibus *peccato junctum* eſſe, & contra legem ſuam committi. Quem enim *actum* libertati hominis *permiſit*, quum lex nondum lata eſſet, qua actus ille poſtea vetitus fuit; eundem par eſt ut *libertati* eiuſdem *permittat* lege poſita. Fruſtra enim lex poneretur actui, ad quem producendum Deus *concurſum* ſuum creaturæ denegare vellet. Sic enim produci non poſſet à creatura, & propterea non opus ut eius productio creaturæ vetaretur per legem. Deinde Legiſlatione ſtatuit Deus creaturæ ſuæ obedientiam explorare: non poteſt autem ſi ſtatuit *concurſum* ſuum denegare creaturæ ad actum lege vetitum: citra enim *concurſum* iſtum non poteſt creatura *actum* iſtum perpetrare. Et cur Deus *actui*, cui, ut *naturaliter* bono, ſuum *concurſum* non denegare ſtatuit, eundem ſuum *concurſum* denegaret facto jam *moraliter* malo per legem latam? quum Deus ſua legiſlatione teſtetur & declaret, ſe velle ut creatura ab illo *actu* abſtineat qua *moraliter* malus eſt, & non quatenus actus eſt *naturalis*? Vult autem ut ab *actu* abſtineat creatura ut *moraliter* malo, quando legem illi ponit vetantem, cui obedientiam præſtare tenetur. Quando vero ſuum *concurſum* denegare ſtatuit, vult ut *actus* ille à creatura non committatur qua eſt *naturalis*. Illud enim *impedimenti* genus eſt *morale*; illud *naturale*, illud per

poſitionem legis; hoc per negationem *concurſus*: per poſitionem, inquam, legis propter quam actus ille *ſine peccato* perpetrari nequit; per negationem vero concurſus propter quam actus *ſimpliciter* perpetrari nequit. Hoc igitur impedimento *negationis concurſus* poſito, non opus fuit alterum poni *poſitionis legis*.

De duplici libertate, exercitii & ſpecificationis.

Ex hac explicatione apparet creaturam peccantem actum peccati committere plena *libertate* voluntatis, tum quoad *exercitium*, tum quoad *ſpeciem* actionis, quibus duobus omnis voluntatis libertas circumſcribitur. Libertas enim quoad exercitium eſt, qua poteſt velle & agere, & volitionem actionemque ſuſpendere. Libertas quoad ſpeciem actionis eſt, qua potius hunc quam illum actum vult & agit. Commonſtramus utramque libertatem iſtam alio modo in actu peccati, quem producit creatura cum concurſu univerſali Dei. In *actu peccati* conſideranda *exiſtentia* eius, & *eſſentia*. Vt *exiſtat* actus ille, pendet à *libertate* voluntatis *quoad exercitium*. Vt hanc potius *eſſentiam* habeat quam illam, ſeu ut potius hic actus ſit quam alius; ut potius actus vetitus quam non vetitus; potius contra hoc quam contra illud præceptum; pendet à *libertate* voluntatis *quoad ſpeciem* actionis. Iā vero, ut *exiſteret* actus ille, effecit creatura libero influxu ſuo, quo potius agere voluit quam non agere; Licet non ſine divini concurſus influxu, jungentis ſe libere influxui creaturæ in ipſo primo illius influxus momento & inſtanti. Vt vero *hic* actus potius eſſet quam *alius*, effecit cauſa ſecunda, libere determinans actum ſuum ad certam *ſpeciem*, ad hanc potius quam illam, ut eſſet potius τὸ ὁδί τι, ἢ ἄλλό τι. Si quis dicat, hoc pacto concurſum divinum ſuſpendi ab influxu creaturæ: reſpondeo, id ex dictis non ſequi. Nam licet Deus non concurrat niſi creatura volente influere; tamen quod influit pendet à pura ipſius libertate; poſſit enim non influere.

Hinc jam clarere poteſt quomodo Deus & *permiſſor* ſit *peccati*, & *effector actus* quem creatura citra peccatum patrare nequit; *permiſſor* peccati, qua creatura permittit liberam diſpenſationem ſui influxus: *effector* actus, quatenus concurſum ſuum influxui creaturæ jungit, citra quem actus omnino à creatura præſtari nequiret.

Si vero quis diſtinctionem iſtam, vel propter rei ipſius difficultatem, vel propter explicationis noſtræ defectum minus capiat, eoque contendat efficientiam peccati aliquo modo Deo adſcribendam eſſe, propterea quod actus iſtius ſit effector: hunc conſiderare velim, quod Deus eadem ratione permiſſor dici poſſit actus, quia peccati ſit permiſſor, imo & juſtius longe, quum prohibitione ſua declaraverit ſe actum illum (antea non modo libertati & potentiæ creaturæ, ſed & juri & poteſtati permiſſum) jam ab illa perpetrari nolle: per quam prohibitionem in tantum ſubſtrahitur efficientiæ divinæ actus ille, quantum ipſa valere debuit voluntati creaturæ ab illo perpetrando abſterrendæ: & contra, tanto magis efficientia illius actus voluntatis creaturæ libertati adſcribenda eſt, quanto illa intelligi poteſt vehementius actum voluiſſe vetitum lege divina, quam poteſtati ſuæ permiſſum.

Cæterum, quocunque modo res iſta explicetur, cavendum eſt ſedulo, tum ne Deus *auctor peccati* ſtatuatur, tum ne *actus* ipſe *efficientia* Dei *ſubſtrahatur*: hoc eſt, ut totus ille actus, tum qua *actus*, tum qua *peccatum* rite *providentiæ* Dei ſubjiciatur: qua *actus efficienti*, qua *peccatum permittenti providentiæ*. Si tamen in alteram partem inclinandum erit, minus peccabitur ſi ſubſtrahatur actus efficientiæ divinæ qua actus eſt, quam ſi peccatum efficientiæ Dei tribuatur qua peccatum eſt. Præſtat enim Deo actum aliquem adimere qui ipſi competit, quam malum actum tribuere qui ipſi non competit; eo quod gravior injuria Deo irrogetur ſi *peccati cauſa dicatur*, quam ſi *actus* otioſus *ſpectator perhibeatur*.

CRIMINATIO IV.

Docere nos maximam partem humani generis deſtitui Chriſto & omni ſalutari gratiâ.

Senſus hujus criminationis. Senſus iſtius criminationis eſt hic, quod Deus æterno ſuo & immutabili decreto ſtatuerit ex hominibus aliquos mera ſua voluntate eligere, alios vero eoſque multo plures reprobare. Quumque Electi ad ſalutem perduci non poſſint, utpote peccatores facti in Adamo, niſi juſtitiæ Dei ſatisfactum eſſet & peccatum expiatum, hinc Deum ſtatuiſſe Filium ſuum illis dare Mediatorem, Reconciliatorem & Redemptorem, qui pro illis ſolis humanam naturam adſumeret, pro illorum tantum peccatis moreretur, illos ſolos cum Patre reconciliaret, illis ſolis ſpiritum ſanctum & redemptionem æternam mereretur, illis ſolis ex propoſito gratiam offerret, eoſque ſolos ad fidem vocaret & fide per internam vocationem donaret, &c. excluſis ab hiſce omnibus iis quos reprobavit, adeo ut nulla illis ſit in Chriſto ſalutis ſpes; propterea quod Deus ab æterno voluerit, ne Chriſtus pro iis homo fieret, pro iis moreretur; citra ullam conſiderationem infidelitatis; & quum illis etiam Euangelium annuntiari curat, non fieri ipſorum bono, ſed quia Electi illis ſint permixti, qui iſta prædicatione, juxta decretum Dei ad fidem & ſalutē ſunt perducendi. Iam vero reſpondendum tibi fuit, an iſtam criminationem admitteres, ut vere tuæ doctrinæ objectam, an vero doctrinam tuam ab iſta criminatione liberam arbitrareris. Videris illud fateri quod vere hæc ſit tua ſententia: Et ſane fatendum tibi eſt, ſi conſtare tibi vis & tuæ ſententiæ conſentanea dicere.

Reſpondes ergo, illud quod iſta criminatione doctrinæ tuæ objicitur, crimen non eſſe; Videamus autem quomodo hoc doceas & commonſtres. Primo dicis *non eſſe durum ipſos deſtitui Chriſto*, propterea quod *jam ante in Adamo ſalutarem gratiam, juſtitiam, & vitam beatam accepinit, una cum potentia perſeverandi in iiſdem, ſi modo voluiſſent.* At, inquam ego, interea bona pars hominum ſimpliciter deſtituitur Chriſto, quæ nunquam particeps fuit, vel erit ſalutaris gratiæ Chriſti. Gratia enim Adamo & omnibus poſteris eius in ipſo facta, non eſt gratia Chriſti, quæ tum neceſſaria non fuit. At potuit, inquis, Deus citra injuſtitiam omnes tum condemnare, neque uni gratiam per Chriſtum facere. Quis negat? Neque enim hoc diſputatur, *Examen primæ Reſponſio.*

An Deus, quum homo cum poſteris omnibus ſua culpa peccaſſet, & morti æternæ obnoxius factus eſſet, debuerit filium ſuum dare mundo mediatorem: ſed an vere dici poſſit, quum Deus voluerit Filium ſuum hominem fieri & pro peccatis mori, quod iſto diſcrimine iſtud voluerit, ut humanam naturam quam cum omnibus hominibus communem habet, tantum pro paucis quibuſdam aſſumeret; ut mortem, quæ poterat eſſe pretium pro omnibus peccatis omnium hominum, & primo pro peccato quod omnes pariter in Adamo perpetrarant, pro paucis tantum aliquibus pateretur: hoc eſt, an Deus apud ſe ſtatuerit, cum maxima parte hominum agere ſecundum juſtitiæ ſuæ rigorem, ſecundum normam legis & conditionem in lege requiſitam, cum paucis vero ſecundum miſericordiam & gratiam ſuam, ſecundum Euangelium & juſtitiam fidei, conditionemque in Euangelio propoſitam: an ſtatuerit paucis aliquibus, peccatum quod in ſua perſona in Adamo perpetrarant, imputare citra ullam remiſſionis ſpem. Hoc inquam quæritur: ad hanc quæſtionem tu adfirmative reſpondes, & propterea fateris criminationem illam vere tuæ doctrinæ objici: neque elaberis iſto effugio, *quod mirum non ſit deſtitui Chriſto, quum in Adamo gratiam acceptam repudiarint*. Tu de juſtitia actus reſpondes, & quæritur de actu, tu de cauſa reſpondes, & quæritur an ſit id cuius cauſam tu adfers.

Secundo. Ne vero iſta reſponſio tua horridior videatur multis, adfers ſecundo reſponſionem aliam, nempe *Chriſtum poſſe dici mortuum pro omnibus*: at explicationem huiuſmodi adjungis, quæ gloſſam corrumpit, & ſimpliciter tollit quod videbaris verbo concedere. Addis enim, *non eſſe mortuum pro omnibus & ſingulis æqualiter quoad Deum, non pro damnatis perinde ac pro Electis, non efficienter ex parte Dei*. Siſtamus hic pauliſper & quæ dicis expendamus. Scriptura dicit aperte, & ſimplicibus verbis, *Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe*, etiam *pro iis qui pereunt*. *Rom.* 14. 15. 2. *Pet.* 2. *verſ.* 1. *Non æqualiter*, inquis, *quoad Deum*. At quid hoc ſibi vult, *quoad Deum*, an idem quod decreto Dei? Sane *Chriſtus gratia Dei pro omnibus mortem guſtavit*, ut inquit Scriptura. *Heb.* 2. 9. *Mandato Dei Chriſtus animam poſuit ſuam pro mundi vita.* *Ioh.* 6. & *Ioh.* 10. *pro ovibus ſuis.* Et non poteſt dici mortuus pro ullo homine, niſi ex decreto & mandato Dei Patris; quia non mortuus eſt niſi ex decreto & mandato Patris. At dices, te non agere de decreto, quo Deus Pater Filio impoſuit munus & partes expiandorum peccatorum per mortem ſuam; ſed de decreto quo ſtatuit per Chriſtum ſalvare electos. At dico hoc decretum eſſe poſterius natura ipſa morte Chriſti, & merito per mortem impetrato.

Pro quibus Chriſtus ſit mortuus.

Addis præterea, *non æqualiter mortuum pro reprobis* (ita enim dicere debuiſti, non *damnatis*) *& electis*. Perverſo ordine hæc conſideras. Nam mors Chriſti ordine cauſarum præcedit electionis & reprobationis decretum, unde exiſtit diſcrimen hominum electorum & reproborum. In Chriſto enim mortuo & reſuſcitato & gratiam gloriamque promerito, electio eſt facta. Quare etiam Chriſtus citra diſcrimen electorum & reproborum pro omnibus

eſt mortuus. Reſpectus enim ille hominum duplex, poſterior eſt morte Chriſti, pertinens ad applicationem mortis & reſurrectionis Chriſti, bonorumque per illas comparatorum. Phraſis autem illa, *Chriſtus mortuus eſt pro electis*, non hoc ſignificat, quod electi aliqui fuerint antequam Chriſtus à Deo mandatum acceperit animam ſuam offerendi pretium redemptionis pro mundi vita, vel antequam Chriſtus conſideratus fuerit ut mortuus; (quomodo enim poteſt, quum Chriſtus ſit caput omnium Electorum, in quo ipſorum Electio eſt firma?) ſed quod mors Chriſti cedat Electis tantum in bonum, quod fit per applicationem Chriſti & beneficiorum ipſius. Quare & phraſis uſurpata à Scholaſticis ita intelligenda, *quod Chriſtus ſit mortuus pro omnibus ſufficienter, efficaciter vero pro Electis tantum & fidelibus*. At vero locutio iſta eſt abſona meo judicio, *efficienter ex parte Dei*. Quid enim vult, *Chriſtus mortuus eſt, efficienter ex parte Dei pro Electis non pro reprobis?* Non poſſunt illa conjungi ullo ſenſu recto. Scio te voluiſſe ſignificare, quod efficacia mortis Chriſti ipſis & non aliis applicetur. At ſi hoc vis, ita etiam loqui debuiſti, ut intelligi poſſis hoc velle. Si enim & tuam iſtam phraſin & Scholaſticorum rigide examinare lubet, non poterit citra injuriam mortis Chriſti, eiuſque meriti uſurpari. Nam ſufficientia attribuitur morti Chriſti, efficacia adimitur, quum idcirco ſufficiens ſit pretium mors Chriſti pro mundi vita, qui efficax fuit ad peccatum abolendum & Deo ſatisfaciendum. Non loquimur, inquies de efficacia mortis ſed applicationis; imo aperte contrarium patet: illi enim rei adimis efficaciam cui tribuis ſufficientiam: at morti Chriſti ſufficientiam tribuis. Verum, ſi libet & hoc rigide examinare, ne ſufficientiam quidem tribuis morti Chriſti. Quomodo enim erit ſufficiens pretium, quod pretium non eſt? Pretium non eſt quod non offertur, non ſolvitur, non annumeratur. At Chriſtus ſe non obtulit pretium niſi pro aliquibus tantum paucis, nempe Electis Certe Perkinſe, verba ſunt & effugia conquiſita ad evadendum ictum veritatis.

Refutantur argumenta quibus probatur non eſſe mortuum pro omnibus. Primum.

Adfers deinde Scripturæ locos nonnullos propoſito tuo probando. Chriſtus inquit reprobis, *nunquam novi vos*, ergo illos nunquam pro ſuis agnovit. Quid tum? Ergo pro iis non eſt mortuus. Inconſequens eſt argumentatio. Nam neceſſe eſt ut ſibi morte ſua redimat quos ſibi proprios eſt habiturus: quos autem non habet ſuos, illos non novit ut ſuos, ſeu agnoſcit pro ſuis. Vt autem aliquos pro ſuis agnoſcit, non ſatis eſt ut pro iis moriatur & jure redemtionis ſibi illos comparet, ſed etiam ut pro efficaci applicatione beneficiorum ſuos actu faciat. Vnde apparet fallaciam eſſe ignorationis elenchi & cauſæ non cauſæ.

Secundum.

Alterum argumentum quod adfers non plus valet. *Si omnes & ſinguli ſunt efficaciter redempti, omnes etiam & ſinguli Deo reconciliantur: at omnes non reconciliantur, nec omnes accipiunt remiſſionem peccatorum: ergo non omnes & ſinguli ſunt efficaciter redempti.* Quid ſi dicam me totum concedere ſed recte intellectum, & quod concludis, non verſari in quæſtione? Confundis enim apoteleſma cum actione & paſſione unde exiſtit. Oblatio

enim Chriſti in mortem, eſt actio Chriſti qua impetravit redemptionem. Confundis deinde redemptionem impetratam cum eiuſdem applicatione: nam efficaciter redemptum eſſe, ſignificat participem eſſe redemptionis Chriſti morte peractæ & impetratæ. Confundis etiam reconciliationem morte Chriſti & ſacrificio apud Deum peractam cum eiuſdem applicatione: quæ planè diſtinguuntur. 2. Cor. 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, & poſuit verbum reconciliationis in nobis*, &c. Rom. 5. Dicimur, *reconciliati Deo cum inimici eſſemus*, quod ſane de applicatione reconciliationis intelligi non poteſt. Quod vero *remiſſionem peccatorum & ſatisfactionem cohærere* dicis, non uſquequaque verum eſt. Nam ſatisfactio præcedit, utpote conſtans morte & obedientia Chriſti: at remiſſio peccatorum conſtat applicatione ſatisfactionis per fidem in Chriſtum, quæ poteſt actu non ſequi ſatisfactionem peractam. Nactus quidem eſt Chriſtus ſatisfactione æternam redemptionem & jus peccatorum remittendorum, ſed non remittitur peccatum niſi actu credentibus in Chriſtum. *Proſperi* dictum cum hiſce à me dictis prorſus conſentit. Intelligit enim *redemptionis* voce; actum cum apoteleſmate & eiuſdem applicatione. Eſt ergo hoc tuum ſecundum argumentum præter propoſitum, & propter variam confuſionem & æquivocationem nihil concludit.

Tertium. *Tertium argumentum* etiam eſt inconſequens. Nam etiam poſito antecedente, conſequens non ſequitur. Verum ſciendum, *Chriſtum ſe dediſſe ut jus à Patre obtineret ſanctificandi illos qui in ipſum eſſent credituri*, & hæc immediate ita conjungi. Quia vero jus obtinuit, etiam actu jus illud exſequitur per Spiritum, & applicationem adſperſionemque ſanguinis ſui, ſanctificans ſibi populum peculiarem, cumque à prava conſervatione ſua redimens & liberans, quod pertinet ad applicationem beneficiorum morte Chriſti nobis partorum. At inde non ſequitur, quia non omnes iſtius ſanctificationis actu fiunt participes, ergo Chriſtus non dedit ſe pro iis redemptionis pretium: propterea quod actio Chriſti cum apoteleſmate confunditur, & applicatio beneficiorum cum eorundem impetratione.

Quartum argumentum eodem laborat vitio confuſionis. *Deſtinatur* enim *redemptio peracta iis qui credunt in Chriſtum, & ſic filiatio*: at præcedere oportuit actum quo Chriſtus nobis redemptionem & filiationem promereri debuit, qui actus ordine cauſarum præcedit omnem Dei de applicanda redemptione deſtinationem. *Quartum.*

In *quinto argumento* eandem committis fallaciam. Diſputatur enim *an Chriſtus pro omnibus citra diſcrimen Electorum & reproborum ſit mortuus*; & tu probas, *non omnibus ſine diſcrimine mortem mortiſque beneficia applicari*. At quod dicis, *demus ex parte Dei liberatos eſſe à condemnatione, non tamen eatenus donantur gratia, ut peccatum non amplius regnet*. At, inquam, ſi illud das, & hoc dandum eſt. Conjuncta enim ſunt hæc duo beneficia morte & reſurrectione Chriſti nobis impetrata, liberatio à condemnatione peccati & ab eiuſdem dominio. Nulli unum ſine altero contingere poteſt. *Quintum.*

Vltimo producis teſtimonia non- *Vltimum.*

nulla veterum, ſed omnia iſta ſi recte explicentur, conveniunt cum hiſce quæ diximus. *Ambroſius* enim aperte de utilitate ex applicatione paſſionis exiſtente loquitur, dicens; *Non tibi deſcendit, non tibi paſſus eſt*: hoc eſt, non tuo bono. Et unde quæſo nobis fides contingit? Annon dono Spiritus quem Chriſtus nobis promeruit? Præcedit ergo pati & deſcendere Chriſti noſtrum credere, & propterea non poteſt fide circumſcribi diſcenſio & paſſio Chriſti. At fides eſt inſtrumentum applicationis. *Auguſtinus* etiam de *liberatione* agit non ut impetrata eſt ſed ut applicata. Sic *Bernardus*, *Haymo*, *Thomas*. Si vero quiſpiam vel Patrum vel Scholaſticorum aliquando aliter loqui videtur, ita explicandus eſt ne in veritatem Scriptura nobis patefactam impingat.

Examinatur Reſponſ. ad contrarias objectiones. Ad Primam.

Videamus jam *objectiones* nonnullas quas tuæ doctrinæ opponis. *Prima* eſt. *Scriptura aſſerit Chriſtum redemiſſe mundum.* At cur non *patiendi* voce uſus es potius, quam *redimendi*, ad vitandam ambiguitatem: præſertim cum quæſtio ſit non de applicatione paſſionis Chriſti, ſed de ipſa paſſione & morte Chriſti. At maneamus in ipſa objectione ut eſt a te formata. Dico diſtinguendum eſſe inter *impetratam redemptionem* & *applicatam*. & affirmo impetratam toti mundo, & omnibus ſingulisque hominibus eſſe; ſolis autem credentibus & Electis applicatam. Doceo quod ad prius. Niſi impetrata ſit omnibus, nullo jure poſtulatur fides in Chriſtum ab omnibus: & niſi impetrata ſit omnibus, nullo jure quiſpiam poterit culpari propter repudiatam oblationem redemptionis. Repudiat enim quod ipſius eſſe non poteſt, & merito quidem. Si Chriſtus redemptionem non impetravit omnibus, non poteſt omnium eſſe judex. Poſterius conceditur utrinque. At dico in *Auguſtini* dicto agi de reconciliationis applicatione, de ſalvatione actuali.

Ad Secundam.

Secunda objectio eſt. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* At non ſubnectis concluſionem. Verum ex antecedentibus deſumenda eſt. At multum intereſt quomodo illa concluſio formetur. Concludit unus: *ergo omnes in univerſum homines ſalvi fient, & pervenient ad veritatis notitiam. Voluntati enim eius quis reſiſtit?* Alter inferet: *ergo nulla eſt prædeſtinatio, ſecundum quam Deus velit aliquos ſalvari & credere, aliquos vero condemnari à fide alienos exiſtentes, idque ipſius quoque decreto.* Tertius inde deducet hanc concluſionem, *ergo nulla poteſt eſſe Dei voluntas qua ſimpliciter citra reſpectum peccati in homine velit aliquem condemnari & ad agnitionem veritatis non venire.* *Prima* concluſio inde non ſequitur. Non enim continuo ſalvantur quos Deus vult ſalvos fieri. *Secunda* etiam inde deduci nequit. De *tertia* autem vere mihi dicere poſſe videor, quod ex iſtis verbis deduci poſſit & debeat. Rationem adfero planam & perſpicuam. Nemo propter rejectam veritatem condemnari poteſt niſi ad eam vocatus fuerit, ſive in ſua perſona ſive in perſona parentum, avorum, abavorum. Nemo autem ad illam vocatur quem Deus ad illam pervenire nolit: omnes autem homines qui condemnabuntur eo nomine condemnabuntur, quod *quum lux in mundum venerit, ipſi tenebras magis quam lucem amaverint.*

At

Reſp. Prima ad hanc objectionem. At videamus quid tu reſpondeas. *Quadruplicem* adfers *reſponſionem. Prima* eſt, *vocem* OMNES *non complecti omnes Adami poſteros, ſed dici de hominibus in ultima ætate mundi.* Quod quidem vere dicitur conſiderata hujus loci circumſtantia, qui agit de amplitudine gratiæ ſub Novo Teſtamento exhibitæ in Chriſto: at veritas eorundem verborum etiam latius ſe extendit. Perpetua enim eſt illa Dei voluntas, & a prima ſeminis benedicti promiſſione in paradiſo facta initium habuit. Quod vero *Deus paſſus ſit Gentes incedere in viis ipſarum,* id non contravenit huic dicto. Erant enim ab alienati a fœdere Dei & expertes facti ſua culpa promiſſionum, ſua inquam culpa vel ab ipſis vel a parentibus commiſſa. Quare omnino concedendum tibi eſt, Deum voluiſſe per omnia ſecula omnes ſingulatim homines ad veritatis cognitionem venire & ſalvos fieri, quatenus in fœdere Dei comprædendebantur, non verò qua ab illo in ſe aut in parentibus exciderant.

Secunda. *Secunda reſponſio* eſt, *Deum velle omnes ſalvos fieri qui ſalvantur:* quæ ſanè apertam vim infert verbis & ridendum proponit Apoſtolum ita ſtolidè admonitionem ſuam confirmantem. Scopus enim Apoſtoli eſt, adhortari ut preces fiant pro omnibus hominibus & pro Magiſtratibus, Ratio, quia hoc eſt bonum coram Deo qui omnes homines vult Salvos fieri, &c. Vnde apparet vocem *omnes* eodem ſenſu accipi in ratione, qua ſumebatur in adhortatione. Secus ſcopæ fuerint diſſolutæ, & quatuor termini in ſyllogiſmo. At ſi in ratione ſumitur pro omnibus qui ſalvabuntur, tum in adhortatione ita quoque ſumendum eſt, & hoc ſenſu intelligenda adhortatio Apoſtoli: *Precor ut orationes & preces inſtituantur pro omnibus ſalvandis; vult enim Deus omnes qui ſalvandi ſunt ſalvari.* Quid eſt vim facere Apoſtolico ſenſui, ſi hoc non eſt? At *Auguſtinus* ita explicuit: quid tum? non ſtamus illius auctoritate. Et ex collatione quidem loci conſimilis. Hoc nego. Locus enim 1. *Corinth.* 15. *Omnes in Chriſto vivificabuntur*; eſt diſſimilis. Nam poteſt emphaſis eſſe in verbis iſtis; in *Chriſto*, & tunc ita legendum: *Omnes qui vivificantur in Chriſto vivificantur, & nemo extra Chriſtum.* Eſt autem emhapſis in iſtis verbis ut apparet ex oppoſitione alterius membri; *ſicut omnes in Adamo moriuntur.* In hoc v. loco nihil ſimile. Dicitur n., *Deus vult omnes homines ſalvatos fieri.* Vbi repetitio iſta & reduplicatio locum habere non poteſt. Annon Scriptura docet *pro omnibus eſſe precandum, etiam pro iis qui ſalutis participes non ſunt futuri?* Eouſque dum nobis non conſtat an ad mortem peccaverint nec ne: pro talibus enim, & ſolis quidem non eſt precandum.

Tertia. Tertia reſponſio eſt, *quod particula omnes non ſingula generum ſed genera ſingulorum ſignificet;* quaſi diceret Apoſtolus, *Deus vult è quovis hominum genere, ſtatu, conditione aliquos ſervari.* Quam reſponſionem probas ex diverſo uſu vocis OMNES, quæ nunc diſtributive, nunc collective ſumitur. quod verum quidem eſt, licet tu diſtributivam vocis iſtius ſumptionem pro collectiva explicueris, & contra. Diſtributive enim omnia animalia fuerunt in Arca Noë, at collective omnes homines. Verum enimvero etiamſi vocis

iſtius uſus ſit duplex, tamen inde non ſequitur, iſto & non hoc ſenſu hic uſurpandam eſſe. Poteſt enim vel hoc vel illo ſenſu. At non pro generibus ſingulorum, verum pro ſingulis generum uſurpatur: quia voluntas Dei tendit in ſingula generum ſeu ſingulares homines. Vult enim ſingulos homines ad veritatis agnitionem venire & ſalvos fieri, hoc eſt, omnes & ſingulos, divites, pauperes, nobiles, ignobiles, viros, fœminas, &c. Et quemadmodum agnitio veritatis & ſalus convenit ſingulis hominibus, & ſingulis reipſa ſalvandis prædeſtinatione præparatur, non generibus ſingulorum; ſingulisque condemnandis reprobatione negatur, non generibus ſingulorum: ita quoque providentia generaliore, prædeſtinationis reprobationiſq; decretum antecedente naturæ ordine; voluntas Dei circa ſingula generum & non circa genera ſingulorum verſatur. Pertinet enim providentia quæ circa genera ſingulorum verſatur ad conſervationem ſpecierum, quæ vero circa ſingula generum verſatur ad conſervationem individuorum. Providentia autem adminiſtrans ſalutem & media ad ſalutem neceſſaria pertinet ad conſervationem ſeu ſalvationem individuorum. Deinde ſi de generibus ſingulorum eſſet intelligendus locus, tum non dixiſſet Apoſtolus *pro omnibus in Magiſtratus officio conſtitutis*, ſed *pro aliquibus duntaxat in eminentia poſitis*: at aperte dicit *pro ſingulis in iſto ordine conſtitutis eſſe precandum*. Neque ulla eſt neceſſitas, cur aliter accipiatur vox iſta. Non enim opus eſt iſto effugio ad vitandam hanc conſequentiam: ergo omnes & [illegible] ſalvantur. Non enim ex eo ſequitur ſalus, quia Deus velit aliquem ſalvum fieri, voluntate approbante & deſiderante ſalutem omnium & ſingulorum: ſed quia velit voluntate efficaci omnes & ſingulos ſalvos facere. Et horſum facit diſtinctio *Damaſceni*, de qua paulo poſt latius videbimus.

Quarta reſponſio eſt, *Paulum loqui ſecundum judicium charitatis, non ſecundum judicium occultæ & infallibilis certitudinis*. Quarta.
Abſurde ſane, niſi de charitate Dei interpreteris. Agit enim Paulus de voluntate Dei, cui attribuit hanc volitionem, quod velit omnes homines ſalvos fieri; non de ſua voluntate aut deſiderio, quo omnium ſalutem ex animo optat. At verum interea eſt, Deum non velle id infallibiliter ſeu certo, adeo ut non poſſit ſecus evenire, aut ſaltem non ſit ſecus eventurum: ſed neque hoc dicitur ab iis qui iſto loco utuntur ad concludendum quod tuæ ſententiæ eſt contrarium. Permanet igitur hoc fixum, iſto loco bene concludi, *Deum non poſſe dici citra reſpectum peccati in hominibus, velle ut aliqui à veritate aberrent, ſeu ad veritatem non veniant & condemnentur*.

Iam conſideremus diſtinctionem *Damaſceni* qua voluntatem Dei in *antecedentem & conſequentem* diſtinguit. Conſideratio Diſtinctionis Damaſceni.
Inprimis videndum quum relative dicantur antecedens & conſequens voluntas, quo reſpectu iſtis nominibus appellentur. Reſpectus autem ille eſt vel voluntatis ad voluntatem, ſeu potius volitionis divinæ ad volitionem divinam, illius tanquam antecedentis, huius tanquam conſequentis; unum enim volitum prius vult Deus quam alterum ordine, licet non tempore: vel

vel eſt volitionis divinæ ad volitionem & actum creaturæ vel præcedentem vel conſequentem. Et huius reſpectu dicitur voluntas antecedens, illius reſpectu conſequens. Duo autem reſpectus iſti, non multum differunt, licet exiſtimem reſpectum ad volitionem & actum creaturæ vel conſequentem vel præcedentem volitionem divinam, iſti diſtinctioni cauſam dediſſe. Si enim ordinem conſideremus volitorum quæ Deus vult ante omnem actum ſeu volitionem creaturæ, videbimus in illo ordine eſſe volitiones quaſdam antecedentes, quaſdam conſequentes, omnes tamen antecedentes omnem creaturæ actum & volitionem. Quumque conſequens voluntas dicatur, quæ ex noſtra cauſa exiſtit, certum eſt *Damaſceno* primo huius diſtinctionis auctori iſto ſenſu diſtinctionem intellectam, ut reſpectus eſſet in creaturæ actum vel volitionem. Vnde *voluntas antecedens* dici poterit, *qua Deus aliquid vult creaturæ* (de rationali autem nobis quæſtio) *ante omnem illius actum, ſeu ante certum aliquem actum creaturæ illius*. Sic vult homines omnes & ſingulos ſalvari. *Conſequens* eſt *qua aliquid vult creaturæ rationali poſt actum aliquem, ſive poſt actus multos creaturæ.* Sic vult eos qui credunt & perſeverant in fide ſalvari: illos vero qui increduli ſunt & impænitentes manent condemnari. Voluntate antecedente voluit Saulis regnum confirmare & ſtabilire in ſæculum, voluntate conſequente voluit ipſum regno deturbare, & virum illo meliorem ipſius in locum ſubſtituere. Voluntate antecedente voluit Chriſtus Iudæos congregare ut gallina pullos: conſequente vero voluit illos diſpargere per omnes nationes.

Voluntas antecedens & conſequens quid.

1. Sam. 13. Matth. 23. 38. 73

Probas quidem hanc diſtinctionem, ſed exemplum antecedenti voluntati ab ipſo tributum non probas. At videamus rationes quibus inductus ita judices. *Primo* inquis. *Ex eo ſequeretur in Deo eſſe finitam potentiam & infirmitatem.* Nego ſequi. Dei enim potentia non eſt inſtrumentum affectus ſeu deſiderii ſeu velleitatis divinæ, ſed volitionis liberæ ultimum divinæ ſapientiæ judicium ſecutæ. Quanquam Deus eouſque ſua utatur potentia ad obtinendum quod deſiderat, quo decet. Neque verum eſt id, quod quis optat ſerioque vult, idem effectum daturum quibuſcunque poteſt modis, ſed iis modis quibus decet ut id effectum det. Pater optat & vult ſerio ut Filius ſuus ipſi obediat, at non violenter trahit illum ad obediendum; ſic enim obedientia non eſſet. Vult Pater ſerio ut Filius ab ebrietate abſtineat, non tamen includit illum in cubiculo, ubi ſe inebriare non poteſt. Vult Pater ſerio Filio ſuo hæreditatem paternam dare: & conſequente voluntate, nempe, quæ ſequitur contumacem & præfractam Filii malitiam, vult illum exhæredare, neque tamen omnia fecit ſibi poſſibilia ne Filius peccaret. Erat enim poſſibile Patri Filium concluſum & conſtrictum tenere cathenis ne peccare poſſet. At tam decet patrem non adhibere illum impediendi modum, quam filio hæreditatem paternam velle.

Exemplum à Damaſceno antecedenti voluntati tributum.

Similitudo à Mercatore merces & ſalvas cupiente, attamen in mare projiciente, adducta optime quadrat propoſito: Deus vult ſerio ut omnes homines ſalventur, at compulſus pertinaci & incorrigibili malitia non-

Simile à Mercatore.

nonnullorum vult illos jacturam facere ſalutis, hoc eſt, condemnari. Si dicas ſimile non eſſe, quia Deus potuerit illorum malitiam corrigere, Mercator vero non poteſt fluctibus & vento imperare. Reſpondeo, poſſe quidem omnipotentia abſoluta, ſed non decere Deum iſto modo corrigere malitiam creaturæ. Vult itaque Deus illorum condemnationem, quia non vult ſibi juſtitiam ſuam perire.

Exceptio de voluntate conditionali.

Qui excipiunt *hanc voluntatem dici conditionalem*, non omne id dicunt quod dici poteſt, neque tamen nihil dicunt. Non omne, quia hic affectus quo Deus deſiderat omnium hominum & ſingulorum ſalutem, eſt in Deo ſimplex, naturalis, & citra conditionem. Aliquid tamen dicunt; quia verum eſt Deum velle omnibus oqminibus ſalutem ea conditione, ſi crediderint, neque enim ulla Deo poteſt attribui voluntas, qua ita velit hominem ullum ſalvari, ut ſalus illi inde conſtet certo & infallibiliter, niſi illum conſideraverit ut fidelem & in fide perſeverantem uſque ad finem. Cæterum quia illa conditionata volitio poteſt mutari in ſimplicem, hoc pacto, Deus vult omnes fideles ſalvari, incredulos condemnari, quæ ſimplex ſemper impletur; dici poterit hoc volitum, non ad hanc diſtinctionem voluntatis pertinere. Iſta enim volitione nihil vult creaturæ ſuæ, ſed vult inter ſe cohærere duas res indiſſolubiliter, fidem & ſalutem, infidelitatem & condemnationem. Si cui tamen videatur ad volitionem antecedentem id exemplum referrre, non contradico: at applicatio non eſt niſi per volitionem conſequentem ipſum actum fidei & perſeverantiæ, incredulitatis & impænitentiæ.

Reſponſio prima ad eandem.

Quod vero hinc concludis *Dei voluntatem in dubio pendere incertam donec conditio impleatur, & cauſam primam ſuſpendi à ſecundis* fruſtraneum eſt. Nam quod ad primum attinet, Affectus iſte in Deo naturalis eſt erga ſuam creaturam, ſive homo credat ſive non. Non enim pendet ex fide iſtud deſiderium: neque poteſt incertitudo tribui voluntati illius qui infinita ſua ſapientia omnia ſibi habet præſentia, & omnia etiam maxime contingentia certo præſcit futura. Neque continuo *ſuſpenditur prima cauſa à ſecundis*, quando effectus aliquis primæ cauſæ ordine ponitur poſt effectum aliquem cauſæ ſecundæ, qui effectus ordine conſequens eſt meri arbitrii primæ cauſæ. Abſurdum eſt dicere, quod condemnatio pereuntium pendeat ab ipſis pereuntibus, etiamſi non pereant niſi ſuo merito. Vellent enim mereri perditionem & non perire, hoc eſt, vellent peccare, & non puniri. Pendet igitur iſta pæna ex mera & libera Dei voluntate, quam tamen inferre non poteſt niſi peccatoribus, ſuſpendente illius potentiam juſtitia divina, ſecundum quam potentia eſt exercenda. Neque magis hinc ſequitur, *quod hominibus* per iſtam diſtinctionem *tribuatur liberum credendi vel non credendi arbitrium*. Nam optime conſentit cum iſta conditione, neminem fidem habere niſi Deo dante: quanquam negari non poteſt ineſſe homini liberum non credendi arbitrium.

Secunda.

Secundo dicis, *hanc conditionatam voluntatem in Deo otioſam eſſe, propterea quod ſit infinitæ potentiæ, & propterea facere poſſit quod vult.* At non decet ut in-

ut infinita ſua potentia utatur ad id efficiendum quo deſiderio naturali ſuo fertur; & utile eſt homini hanc Dei voluntatem conditionatam (imo potius ſimplicem, ut ante dictum eſt) proponi; ſervit enim illi vice argumenti perſuaſivi ad credendum. Si enim volent ſalvi fieri, credant oportet, quia Deo ſtatutum, illos nonniſi per fidem ſalvari.

Tertia. *Tertio*, Ratio *de Angelis* poteſt in dubium vocari ratione antecedentis, & eo etiam conceſſo, non ſequitur conſequens. Non n. eadem eſt Angelorum & hominum ratio. Ego vero omnino puto veriſſimum eſſe Deum voluiſſe voluntate antecedente omnes & ſingulos Angelos ſalvari: ſed nonniſi debito modo & ordine. Ponantur enim ordine *tria* volita divina circa Angelos: Salus Angelorum, obedientia Angelorum; condemnatio, inobedientia Angelorum. Illam vult Deus ex amore erga creaturas ſuas, iſtam ex amore erga juſtitiam & obedientiam a creatura ſibi debitam: atque ita quidem ut iſtam magis ſibi velit præſtari, quam illam velit creaturæ hanc vult ex eodem amore erga juſtitiam, cuius læſionem non poteſt ferre impunitam, quandoquidem ſola punitio eſt ratio illam in ordinem redigendi.

Quarta. *Quarto*, Paria iſta eſſent, & *Deus vellet omnes homines peccatores qua tales damnari*, niſi ex amore erga homines ſtatuiſſet peccata ipſorum Filio ſuo imponere, huic fini, ut omnes in illum credentes a peccatis liberi juſtitiæ præmium conſequerentur. Imo dici poteſt Deum velle omnes peccatores qua tales condemnari: at interea non omnes peccatores actu condemnantur, quia fideles etiamſi peccarint, non ut peccatores, ſed ut juſti in Chriſto conſiderantur.

Quinta. *Quinto* dicis voluntatem antecedentem abſolutam eſſe, quid tum? Nolo enim impedire quominus & tu voluntatem antecedentem tuo modo capias, diverſo a ſententia *Damaſceni*. At ſcito tum te illi non contradicere. Cæterum quis voluntatem abſolutam ita definivit; *cui reſiſti non poteſt? Abſoluta voluntas eſt, qua eſt citra conditionem.* Exempli cauſa Deus vult abſolute ut Adamus ex arbore vetita non edat. Edit tamen ex illa arbore. Voluntas cui reſiſti nequit dicitur efficax. Non licet nobis definita & definitiones noſtro arbitratu fingere. *At antecedenti* inquies, *voluntati reſiſti non poteſt*. Nego: probas, *Quia voluntas de qua Rom. 9. eſt voluntas antecedens, & illi reſiſti nequit.* Nego illud, tu proba. Res vero ipſa declarat, quum ibi agatur de voluntate qua indurat Deus & miſeretur, quæ ſunt effecta Dei ſequentia actum creaturæ, qui peccatum dicitur; conſequentem illam eſſe, non antecedentem voluntatem. Alius *modus* quo uteris ad idem probandum eſt æque imbecillis. Falſum enim eſt, *Deum ſimpliciter & abſolute velle ut alii credant & perſeverent, alii vero deſerantur, ſive non credentes ſive non perſeverantes.* Deſerere n. non vult niſi ſe deſerentes: quin & gratioſus eſt iis qui de ipſo ne cogitabant quidem. Argumentum ab eventu imbecillum eſt. Alia enim fiunt Deo volente & faciente, alia Deo permittente. Ergo ex eventu concludi nequit, Deum id voluiſſe. Antea autem monſtratum eſt, quomodo res non ideo eveniat quia Deus

Deus illam impedire nolit: licet eventura non eſſet, ſi Deus illam vellet efficaciter impedire. Hinc ergo illa concluſio deduci nequit. Verum quidem eſt, rationem dari non poſſe, cur Deus uni nationi media ſalutis ſubminiſtret, alteri non; cur uni homini fidē det, alteri non, quæ non in ipſius voluntatem tandem reſolvatur: ſed quod illa voluntas ſit antecedens, etiam omnes cauſas in hominibus & ab hominibus præcedens, id vero inde non concluditur, neque verum eſt.

Sexto.

Sexto, inquis fundamento deſtructo perit ædificium. At *iſtius opinionis* de voluntate antecedente omnium & ſingulorum hominum ſalutem deſiderante, *fundamentum eſt locus* 1. *Timoth.* 2. *jam ante à nobis tractatus*, atque ille male à Damaſceno eſt intellectus. Reſpondeo. *Primo*, Non ſolum illum locum ſed & multos alios locos apertiſſime diſtinctionem iſtam voluntatis in Antecedentem & Conſequentem comprobare. *Matth.* 23. *Quoties volui congregare vos*, antecedentis eſt voluntatis, & *relinquetur vobis domus deſerta*. Conſequentis eſt. Matth. 22. Antecedente voluntate. *Nam ad nuptias & citantur per ſervos ut veniant qui invitati erant*: conſequente vero voluntate *declarantur indigni, & exſcinduntur*. Antecedente voluntate *etiam ille invitatur qui poſtea compertus non habere veſtem nuptialem, eſt ejectus* quod eſt opus voluntatis conſequentis. Matth. 25. Antecedentē voluntate. *Rex ſervis ſuis juſſit annumerari talenta, addito mandato ut illa exponerent Domino ſuo in lucrum*; conſequente voluntate *à ſervo malo aufertur talentum quod acceperat*. Act. 13. Antecedente voluntate *exponebatur Iudæis ſermo Dei*, conſequente idem *ſermo ipſis ademptus & ad alios miſſus eſt*. Probat eandem diſtinctionem conſideratio attributorum Dei. Quum enim Deus bonus ſit & juſtus, non poteſt velle creaturæ ſuæ rationali ad imaginem ſuam conditæ æternam mortem ſine conſideratione peccati: non poteſt autem non velle creaturæ ſuæ ſalutem æternam. Immutabilitas etiam Dei idem neceſſario poſtulat. Quum enim providentia ſua omnibus creaturis dederit neceſſaria & ſufficientia media, quibus ad finem ſuum pervenire poſſint; finis autem hominis ad imaginem Dei conditi ſit vita æterna; hinc ſequitur omnes homines à Deo ad vitam æternam amatos eſſe voluntate antecedente; neque poſſe Deum ſine mutatione inſtituti ſui hominibus vitam æternam denegare, citra reſpectum peccati: quæ negatio conſequens actum hominis, erit voluntatis conſequentis.

Fundamentum diſtinctionis Damaſcenianæ.

Ultima.

Auguſtinus Damaſceno non adverſatur. Negat enim *Auguſtinus* locum eſſe intelligendum de voluntate efficaci; at hoc non dicit *Damaſcenus*, imo idem quoque cum *Auguſtino* fatetur; *Deum non velle omnes & ſingulos homines efficaciter ſalvare*. Secunda interpretatio *Auguſtini* nobis eſt argumento certo rejecta. Neque *Proſper Damaſceno* eſt contrarius. Nam qui dicit *Deum velle voluntate antecedente omnes homines ſalvos fieri*, non negat eundem conſequente voluntate multos homines præterire, quibus gratiam vocationis non impartit. *Thomas* non magis in *Damaſcenum* incurrit. Agit enim *Thomas* ibi de voluntate efficaci, & conſequente. Nam alibi probat illam *Damaſceni* diſtinctionem & diſtinctionis uſum

uſum ad explicandum locum qui hic nobis controvertitur. *Hugo* aperte cum *Damaſceno* facit, ſi recte inſpiciatur.

Examinatur Reſponſ. prima ad object. tertiam.

Objectio tertia eſt. Quod quiſque tenetur credere verum eſt. At quiſque tenetur credere ſe efficaciter redemptum eſſe per Chriſtum. Ergo verum eſt unumquemque morte Chriſti efficaciter redemptum eſſe; & propterea reprobos quoque, cum & illi hoc credere teneantur.

Quia objectio illa eſt magni momenti, & ſola potens tuam ſententiam convellere ſi vera ſit, neceſſe eſt ut illam diligenter examinemus, & ſimul tuum ad illam reſponſum.

Ad majorem quod attinet, illius veritas eſt manifeſta. Nam fundamentum fidei eſt veritas; neque poteſt quiſquam obligari ulla ratione ad credendum quod falſum eſt. Diſtinguis autem veritatem iſtam, & inquis. *Quod verum eſt, eſt aut verum quoad intentionem Dei obligantis, aut quoad eventum.* At diſtinctio iſta eſt nullius pretii. Dico enim quod verum eſt tantum ſecundum intentionem Dei, id credendum eſt ſecundum intentionem Dei. Quod verum eſt ſecundum eventum, hoc, ſi patefiat, etiam credendum eſt quoad eventum. neque poteſt Dei intentio obligare quenquam ut credat verum eſſe quoad eventum, quod ſecundum eventum verum non eſt. Et in univerſum verum eſt, obligari nos ad credendum id quod verum eſt, eo modo quo verum eſt, non alio modo, ſecus falſum credere teneremus. Vides ergo non opus fuiſſe iſta diſtinctione Maioris: imo hinc planiſſime patet te, ne nihil diceres, diſtinctiunculâ voluiſſe fortem hunc ictum eludere.

Minorem conſideremus. Illa male eſt enuntiata, quia *efficacia* redemptionis pertinet ad applicationem; illa autem fit per fidem. Credere ergo prius eſt, efficaci applicatione, & objectum fidei prius ipſa fide. Corrigatur ergo & ita dicatur. *At tenetur unuſquiſque credere in Chriſtum Salvatorem, quod ille ipſius cauſa mortuus ſit, & reconciliationem illi apud Deum redemptionemque impetraverit.* Hoc etiam eſt veriſſimum. Nam condemnari non poſſunt ob incredulitatem qui credere id non tenebantur. At hic etiam diſtinctionem uſurpas, ſed ad rem non facientem & rediculam prorſus (ignoſce Perkinſe liberius hic loquenti) injuriam tibi ipſi facis & tuo ingenio, quod quum apertæ veritati fucum facere conaris, ita pueriliter ludas diſtinctiunculis. *Electum*, inquis, *tenetur credere, ut credendo electionis particeps fiat, reprobus ut non credendo fiat ἀναπολόγητος etiam ex intentione Dei.* Cæterum, quid hoc ad rhombum, qua fini teneatur hic vel ille credere, dummodo credere teneatur? Vnde poſtea veritas concludetur eius quod credere tenetur quiſpiam. At phraſis abſurda eſt, *ut Electionis particeps fiat.* Corrige: *ut bonorum electione ſibi præparatorum particeps fiat:* imo ſi intra terminos nos continere velimus, *ut redemptionis per Chriſtum ſibi comparata reipſa particeps fiat.* At credere etiam tenetur reprobus iſta eadem de cauſa. Dic participem non poſſe fieri ſimpliciter, & dicam eo ipſo non teneri reprobum credere. Finis enim fidei præſtitæ, eſt applicatio redemptionis & beneficiorum omnium Chriſti merito nobis comparatorum: finis fidei imperatæ & requiſitæ eſt ut applicatio iſta fieri poſſit. At quam abſurde dicitur, *reprobum propterea teneri*

credere, ut non credendo fiat inexcuſabilis? Connecte hæc, ſi potes, tam diſſentanea & toto cælo terraque diſtantia. At de illis etiam jam ante dictum eſt. Pergis diſtinguere, & dicis, *mandatum eſſe aliud obedientiæ, aliud probationis.* At quid hoc ad præſens negotium? Sive enim mandet Deus volens, ut homo actu obediat, ſive volens illius tantum obedientiam tentare in conatu exſecutionis, ſemper tenetur homo præſtare quod Deus mandat, quod apparet in Abrahamo Iſaacum immolante. Neque habet hoc mandatum probationis quidpiam ſimile cum eo quod jungis, *Deum non illudere hominibus, etiamſi per verbum prædicatum vocet illos quos non vult ſalvos fieri*; & jam antea ſatis nobis de iſtis & ſimilibus effugiis dictum eſt. Verbo dicam: Nemo poteſt ſe fateri affinem culpæ eſſe ob repudiatam promiſſionem verbo factam, ſi mens dicentis ſtatuit illi promiſſionem non præſtare; vel potius ſi certo decreto ſtatuerit, qui verbo promittit, ne promiſſio ad illum pertineat aut pertinere poſſit. Objicis tibi tanquam adverſarius tuus, & inquis, *at dices non potuiſſe.* Non hoc tantum, ſed & hoc. *Quomodo vero tu illud dictum confutas, ut inde non ſequatur extra culpam eſſe qui oblatam ſalutem recipere non potuit?* Dicis *impotentiam illam voluntariam eſſe & nobis cognatam, propterea que excuſationem non mereri.* Erras Perkinſe, & confundis impotentiam præſtandi legem ab Adamo in nos propagatam, cum impotentia credendi in Chriſtum & accipiendi gratiam Euangelicam nobis verbo oblatam. Quo enim facto illam impotentiam nobis conciliavimus? Non facto præcedente ipſam promiſſionem: ergo ſequente, hoc eſt, promiſſionis Euangelicæ rejectione: quæ etiam rejectio nobis imputari in culpam nequit, ſi recipere impotentes fuerimus jam tum, quum promiſſio primum nobis proponeretur. Nihil ergo reſpondetur, propter utriuſque impotentiæ confuſionem, quæ eſt fallacia ignorationis elenchi, & æquivocationis.

Secũdo reſpondes; *verum eſſe id quod quiſq; tenetur credere, tenetur, niſi obicem poſuerit ſibi non credendo.* Itane vero? An poteſt quis obicem ſibi ponere ſua incredulitate, ut verum non ſit quod tenetur credere? abſurdum. At poteſt quis ſibi ſua incredulitate obicem ponere ne porro credere poſſit, hoc eſt, mereri indurationem in incredulitatem propter rejectam veritatem oblatam. Poteſt etiam quis ſua incredulitate mereri ut Deus affectum quo illi obtulit filium redemptorem mutet in iram, qua illum punire vult citra remiſſionem & veniam. *Secundo.*

Tertio. Reſpondes, *argumentum bis ſequitur in utraque parte affirmatum.* At mi Perkinſe, quis te coëgit argumentum illud ita in ſyllogiſmum aſyllogiſton redigere, cum poſſit legitima figura & modo concludi, hoc pacto. *Illud quod quiſque tenetur credere, verum eſt. At Chriſtum eſſe redemptorem ſuum, qui ſua morte ipſi meruerit patris gratiam & veniam peccatorum, eſt illud quod quiſque Euangelio vocatus tenetur credere. Ergo verum eſt Chriſtum eſſe redemptorem omnium qui Euangelio vocantur & credere jubentur. At inter eos multi ſunt reprobi. Ergo verum eſt Chriſtum eſſe redemptorem multorum reproborum. Imo ſi conſideremus vocationem qua quis aut in ſe aut in parentibus vocatus eſt, omnes in univerſum* *Tertio.*

homi-

homines illius vocationis ſunt aut fuerunt participes; & propterea omnes à Chriſto redempti. Sed & illa forma qua tu illud concluſiſti eadem eſt, licet ita poſueris verba ut ſecus videatur. Video Perkinſe te currente calamo iſta ſcripſiſſe citra examen ſyllogiſmi, ut abs te eſt propoſitus.

Ad Objectionem quartam

Objectio quarta ex Patribus adverſus te valet, neque ſolvis conſentienter ſententiæ tibi adverſariæ. Hoc enim vult objectio, *Chriſtum pro omnibus ſufficienter mortuum eſſe, tum quoad communem naturam humani generis; tum quoad communem cauſam & pretium ſufficiens redemptionis.* Efficaciam tu ipſe immiſcuiſti argumento ſive objectioni, quum illi qui objectionem iſtam tibi opponunt, norint inter ipſam mortem Chriſti eiuſque applicationem quam optime diſtinguere.

De gratiæ amplitudine.

Atque huc uſque de amplitudine & efficacia mortis Chriſti, inquis, quum non de efficacia, verum de ſufficientia illius, & oblatione, oblationiſque univerſalitate actum ſit hactenus. Nunc aggredieris agere *de gratiæ amplitudine.* At quæ adfers, eo non faciunt magnopere. Quæritur enim, non *an omnes & ſinguli homines actu regenerentur & renoventur, ſed an Deus ullum hominem reprobaverit citra reſpectum peccati tanquam cauſæ meritoriæ; an ulli homini gratiam remiſſionis & renovationis Sp. ſancti ſimpliciter negare ſtatuerit citra conſiderationem indignitatis, qua ſe illa gratia indignum fecit; indignitatis, inquam, non ex primo peccato exiſtentis, ſed ex gratia iſtius oblatæ rejectione & contemptu.* Et potuiſſet diſcrimen gratiæ ſufficientis & efficacis plurimum huic negotio commodare, quod & nos antea commonſtravimus. Unum tamen eſt quod te moneam. Videris mihi non recte imaginem Dei conſiſtentem in juſtitia & ſanctitate à ſupernaturali gratia excludere. Licet enim illud donum homini collatum ſit in creatione & ſimul cum ipſa natura, ita enim jam pono, tamen ſupernaturale eſt, & ipſam hominis naturam excedens: quod probo ab actu regenerationis, qui eſt gratiæ ſupernaturalis. Quum enim regeneratione opus ſit ad illam juſtitiam & ſanctitatem recuperandam; quæ regeneratio eſt actio ſupernaturalis: neceſſe eſt eandem etiam homini initio collatam fuiſſe actione ſupernaturali. Et velim ſcire quæ ſint illa ſupernaturalia quæ homo amiſiſſe dicitur, naturalibus corruptis. Atque de his hactenus.

Concluditur prima pars huius tractatus.

Puto vero ex iſtis quæ hactenus tractavimus ſatis liquere, quod ſententia illa tua quam propoſuiſti de Prędeſtinatone, Scripturis S. comprobari non poſſit: quod adverſus fortia objectamenta defendi nequeat: quod à multiplici abſurditate excuſari non valeat: quare & illa tibi deſerenda erit, & alia ex Scripturis inveſtiganda, quæ illis conſentanea ſit, & impetum incurrentium objectionum citra aliquam ſui noxam ſuſtinere queat.

EXAMINIS
LIBELLI PERKINSIANI
DE
PRÆDESTINATIONIS *ordine & modo.*

PARS ALTERA.

PRima Tractatus noſtri parte tuam, Perkinſe doctiſs., de Prædeſtinatione ſententiam examinavimus, eamque ut arbitror, ſacris litteris minime conſentaneam eſſe probavimus atque commonſtravimus: Iam alter nobis labor ſupereſt, conſiderandi quomodo ſententiam quam à tua diſſimilem dicis, confutes. Sententiam autem illam ex editis aliorum ſcriptis diligenter exceptam, ita breviter proponis quatuor ex partibus conſtantem.

Explicatio ſententiæ de Prædeſt. à priore Perkinſiana diſſimilis.

Primo, *Deus creavit omnes & ſingulos homines in Adamo ad vitam æternam.*

Secundo, *Prævidit lapſum.*

Tertiò, *Quia natura bonus eſt, vult ſerio omnes homines poſt lapſum ſalvos fieri, & ad veritatis agnitionem pervenire: & proinde vult omnibus dare omnia adjumenta & natura & gratia ut ſalvi fiant; ſed indefinite ſi crediderint. Hæc* (inquiunt) *voluntas Dei eſt prædeſtinatio, eademque cum ſcripto Evangelio: hujuſque voluntatis regula eſt, Quicunque crediderit ſalvabitur; qui non crediderit condemnabitur.*

Quarto & ultimò, *Electio eſt ſecundum præſcientiam fidei futuræ (quæ tamen poſſit totaliter ut alii, vel finaliter ut alii volunt, deficere:) & Reprobatio ſecundum præſcientiam infidelitatis ſive contemptus Evangelii.*

De ſententiæ illius explicatione, menti ne auctorum conveniens ſit nec ne, dicere non poſſum, quia taces auctores ex quibus illam deſumpſiſti: ſi tamen bona tua venia id liceat, dicam mihi videri non ſatis recte abs te propoſitam eſſe. Nam, ut omittam duo priora themata, quæ ipſam prædeſtinationem præcedunt, in tertio enuntiando mihi ἀδολεσχίαν committere videris, quam vix puto admiſſam ab illis quorum ſententiam explicare profiteris. Quale enim eſt hoc, *Deum velle omnes homines ad veritatis cognitionem pervenire, ſed indefinite, ſi crediderint?* Annon fides eſt ipſa illa veritatis cognitio? Deluſoria eſt itaque illa enuntiatio & ridicula. *Deus vult omnes homines ad veritatis notitiam pervenire, ſed indefinite, ſi ad veritatis cognitionem pervenerint: vel vult omnes ad fidem pervenire ſi crediderint.* Deinde & illud ſimile eſt, *Deus vult omnibus dare omnia adjumenta & natura & gra-*

Quid in hac explicatione deſideretur.

& gratia ut ſalvi fiant, ſed indefinite, ſi crediderint, quum fides ipſa inter adjumenta gratiæ, quibus ſalus comparatur eximium locum habeat. Ex loco Euangelii citato, *Quicunque crediderit ſalvabitur*, &c. apparet illos, quorum refers ſententiam, voluiſſe hoc tertio themate, non id quod tu dicis enunciare, ſed *Deum conſtituiſſe apud ſe ex humano genere lapſo nonniſi credentes in Filium ſalvare, incredulos vero condemnare.*

Quartum etiam *thema* mihi videtur non ex mente auctorum ſatis explicatum. Ita enim, niſi fallor, habet illorum ſententia: *Electionem ad ſalutem eſſe ſecundum praſcientiam futura fidei, quam Deus ordinariis mediis ab ipſo ordinatis conferre iiſdem ex gratia decrevit. Reprobationem vero ſecundum praſcientiam infidelitatis, ſive contemptus Euangelii, cuius culpa tota reſidet in ipſis reprobis.* Fateor quidem aliquid requiri poſſe in explicatione iſtius ſententiæ, ſed tu illam non recte explicuiſſe videris. Cæterum non una tantum tibi ſententia adverſaria conſideranda fuit, ſed & aliæ quæ tuæ contrariantur, & omnes tibi refutandæ, ut hac ratione conſtare poſſet nullam aliam præter tuam veram eſſe.

An propoſita ſententia recte refutetur. Iam vero conſideremus quomodo tu ſententiam illam refutes. Quamplurima errata enumeras quæ ex illa ſequi tibi videntur, illa nos ordine examinabimus.

P.l.95. Primum erratum. Qualem hæc ſententia ſtatuat electionem & reprobationem.

Primum erratum, aut erratum non eſt, aut ſi eſt, ex illorum ſententia non poteſt deduci. Non eſt erratum, ſi recte hypotheſis explicetur. Nam verum eſt univerſaliter, *Deum velle omnes homines ſalvari ſi credant, & condemnari ſi non credant.* Hoc eſt, Deus fecit decretum de eligendis fidelibus ſolis & condemnandis infidelibus. *At hoc*, inquis *erratum eſt, quia ſtatuit univerſalem electionem, & ex eo infertur univerſalis reprobatio, nempe addita conditione.* At illa ſententia neque univerſalem electionem, neque reprobationem univerſalem ſtatuit, quod fieri nequit, ſed ſtatuit particularem electionem fidelium, & particularem reprobationem infidelium. Quæ electio & reprobatio infinitis Scripturæ locis proponitur. Ioh. 3. v. 16. & ſub finem; *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, &c. *Ioh.* 17. 3. *Ioh.* 8. 24. *Niſi credideritis me eum eſſe, moriemini in peccatis veſtris. Act.* 10. 43. *Huic omnes Propheta, &c. Act.* 13. v. 46. *Poſtquam ſermonem Dei repellitis, &c.* 1. *Ioh.* 5. *Qui habet Filium habet vitam, qui non habet Filium Dei, vitam non habet.* Conſtat igitur illam electionem & illam reprobationem multis Scripturæ locis comprobari. Neque hinc ſequitur *Deum prorſus eodem modo ſe erga omnes homines habere.* Licet enim ſerio velit omnium hominum converſionem & ſalutem, tamen non æqualiter omnium converſionem & ſalutem operatur. *Deut.* 4. 7. *Qua eſt Gens ita magna cui ſint Dei propinqui, &c. Deut.* 7. v. 6. *Te elegit Iehova Deus tuus ut ſis illi populus peculiaris. &c. Pſal.* 147. *Non fecit taliter omni nationi. Matth.* 13. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regnicalorum. Act.* 14. *Deus ſivit præteritis ætatibus omnes Gentes ſuis ipſarum viis ambulare.* At non diſtinxiſti inter decretum Dei quo ſtatuit credentes in Filium ſalvare, increduloſque condemnare; & quo apud ſe conſtituit de diſpenſatione mediorum ad Fidem & converſionem ab ipſo ordinatorum, quod faciendum tibi fuit. Nam diſtincta ſunt decreta; *Volo fideli dare*

vitam; *&*, *volo huic dare fidem.* In priore fides occupat ſubjecti locum, in poſteriore attributi. Hæc ſi diſtinxiſſes, illam ſententiam iſto abſurdo non gravaſſes.

Fol. 94. Erratum ſecundum. Ad *Secundum erratum. Summus & abſolutus conſiliorum Dei finis* ab illius ſententiæ auctoribus non ponitur *communicatio bonitatis divinæ in vera felicitate omnibus hominibus facienda.* Dicunt enim fidelibus ſolis ſalutem deſtinaſſe Deum: & licet plurimis ſuam bonitatem & vitam æternam non impartiatur, utpote infidelibus, tamen non dicunt id fieri *præter propoſitum Dei.* Nam propoſiti divini partem unam eſſe dicunt, qua ſtatuit infidelibus vitam æternam denegare. Fruſtra ergo hoc impingitur iſti ſententiæ. *At*, inquis, *ultimum Dei conſiliorum finem aut incertum habere eventum, aut in vanum proponi* (quæ duo coincidunt, neque fuerunt per disjunctivam enuntianda) ſi iſta ſententia obtineat. *Quis ultimus conſiliorum Dei finis.* Negabunt eius aſſeclæ. Nam ultimus conſiliorum Dei finis, non eſt vita huius & mors illius, ſed illuſtratio bonitatis, juſtitiæ, ſapientiæ, & potentiæ divinæ, quam ſemper obtinet. Sit tamen vita æterna horum, & mors illorum finis extremus: non ſequitur illum incertum habere eventum, in vacuumque proponi, ſi illa citra conditionem fidei nemini obtingat, iſta neminem ſine infidelitate maneat. Deus enim ſecundum præſcientiam ſuam novit quinam gratia ipſius ſint credituri, & qui ſua culpa in infidelitate manſuri. Conſiderare te velim certitudinem eventus ex præſcientia Dei proprie eſſe, neceſſitatem vero ex omnipotenti & irreſiſtibili actione Dei: quæ quidem præſcientiæ alicuius eventus fundamentum eſſe poteſt; at huius non eſt, quia Deus ſtatuit ſalvare credentes per gratiam, id eſt, lenem & ſuavem liberoque ipſorum arbitrio convenientem ſeu congruam ſuaſionem, non per omnipotentem actionem ſeu motionem, cui reſiſtere nec velint nec poſſint, nec velle poſſint. Multo minus damnatio nonnullorum ex ineluctabili à Deo neceſſitate impoſita proficiſcitur.

Fol. 95. Tertium erratum. At *tertium erratum.* Imprimis tibi explicandum fuit, *quid ſit voluntatem Dei à voluntate hominis pendere*; fors enim latius illam phraſin extendis quàm par ſit. *An hæc ſententia Deo voluntatem tribuat quæ ab hominis voluntate pendeat.* Certum enim eſt, Dei, quum ſit αὐτεξούσιος, voluntatem ſive volitionem potius, ab hominis volitione pendere non poſſe, recte illa phraſi intellecta, pro eo quod eſt *legem vel normam accipere ab hominis volitione.* Alioquin certum eſt Deum velle nonnulla quæ non vellet niſi aliqua humana volitio antecederet. Vult Saulem regno abdicare; at non vellet niſi Saul voluiſſet Deo eſſe immorigerus. Vult Deus Sodomitas cum vicinis perdere; at non voluiſſet niſi illi voluiſſent in peccatis ſuis pertinaciter perſeverare. Vult Deus Filium ſuum dare redemtionis pretium pro peccatoribus; at non voluiſſet, ſi homo in obedientia mandati divini perſtitiſſet. Vult Deus condemnare Iudam; at non voluiſſet niſi Iudas in malitia ſua perſiſtere voluiſſet. Neque hoc eſt *Dei voluntatem ab hominis voluntate pendere*: imo ſi poſſet homo, vellet efficere ut iſta Dei volitio ſuam ipſius antecedaneam volitionem non ſequeretur, id eſt, ne pœna peccatum exciperet. Quin imo Deus purus putus eſt iſtius ſuæ volitionis auctor. Statuit enim arbitratu

ſuo

ſuo libero talem volitionem creaturæ ſuæ, huiuſmodi ſua volitione & non alia excipere: fidem creaturæ remiſſione peccatorum & donatione vitæ æternæ, infidelitatem eiuſdem condemnatione æterna. Et hæc eſt mens ſententiæ illius quam refutandam tibi ſumis, & propterea immerito hoc illi abſurdum impingis.

An evehat creaturam in ſolium Dei. At gravius multi crimen illi ſententiæ imponis; *evehi enim per illam dicis creaturam in ſolium omnipotentis Dei creatoris.* At quomodo probas? Dicit enim, inquis, illa ſententia, *Deum velle omnes homines ſalvos fieri per Chriſtum, & multos ex illis non ſalvari propterea quod ipſi nolint.* At bone vir, an dicit illa ſententia, *Deum velle omnes homines ſalvari per Chriſtum ſive velint ſive nolint?* imo dicit, *Deum velle illos ſalvari & ad cognitionem veritatis pervenire*, quod poſterius citra illorum liberam volitionem fieri nequit. Nemo enim invitus ſive nolens ad veritatis notitiam id eſt fidem pervenit. Si Deus vellet abſolute & citra conditionem ullam omnes homines ſalvos facere, & tamen nonnulli non ſalvarentur quia nollet, tum ſequeretur divinam voluntatem ab humana ſuperatam eſſe, & creaturam in ſolium creatoris evectam: At quum Deus velit ſuam volitionem iſtam cum volitione hominis debito ordine & modo conjunctam ſalutis præcedaneam eſſe; mirum non eſt hominem ſuum adſenſum negantem Deo, a ſalute excludi, ipſa eadem determinatione & propoſito voluntatis divinæ. *Sed Deus*, inquis, *ordinat & diſponit a'lum cauſa ſecunda, non ordinatur voluntas divina à voluntate creatura.* Quis negat? Non illa ſententia quam hic impugnas: fruſtra ergo & hoc abſurdo illam deſtruere moliris.

An ſtatuat homines ſeipſos eligere & reprobare. Sed tertium adjungis abſurdum ex hac ſententia conſectaneum. *Si vera eſt*, inquis, *illa ſententia, tum homines ſeipſos eligunt, oblatam Dei gratiam acceptando gratia communis ope; & à ſeipſis reprobantur, oblatam gratiam repudiando.* Videamus quale hoc ſit. Etiamſi homo gratiæ communis ope gratiam oblatam acceptando, ſe dignum electione faceret, & alius eandem repudiando reprobatione dignum ſe præſtaret: non tamen ex eo ſequeretur, electionem & reprobationem eſſe hominis, ſed Dei dignitatem & indignitatem judicantis & remunerantis. Et de reprobatione omnino verum eſt, hominem ſibi eſſe cauſam meritoriam damnationis, & propterea reprobationis, quæ eſt voluntas damnandi. Quare etiam *figulus* poteſt dici ſuæ damnationis, ratione iſtius meriti: licet Deus ſi vellet meritum hoc illi condonare poſſet. At electionis alia eſt ratio: illa enim eſt merè gratuita, non tantum non ex merito, verum etiam contra demeritum hominis. Cæterum an gratia oblata homini etiam ab illo accipiatur ope gratiæ quæ illi communis cum aliis repudiantibus eandem gratiam, an vero auxilio gratiæ illi peculiaris, in controverſia forte eſt. Sane non video de eo ſententiam illam quam explicuiſti quicquam præjudicaſſe. Hoc vero mirabile eſt, *Deum non fore celebrandum, ſi homines etiam gratia communis ope benedictionem amplecterentur.* Quis meruit ut benedictio ſibi offerretur; quis meruit ut gratia ſibi conferretur qualiſcunque ad illam amplectendam? Annon omnia illa ſunt gratuiti favoris divini?

Et ſi

Et ſi ſint, annon Deus ob illa perpetuis laudibus erit celebrandus ab iis qui gratiæ iſtius participes facti Dei benedictionem acceperunt? Quid ad hanc rem magnopere facit, ſive gratiæ communis ope ſive peculiaris oblatam benedictionem fuerit amplexus, ſi tam illa quam hæc adſenſum hominis liberum impetraverit, & certo impetratura à Deo præſcita fuerit? Dices, ſi peculiaris gratiæ ope gratiam oblatam apprehenderit, inde patere Deum majore ipſum proſecutum amore, quam illum, cui gratiam tantum communem fecit, peculiarem vero denegavit: fateor, & forte illa quam oppugnas ſententia id non negabit: ſed dicet ita peculiarem illam gratiam explicandam eſſe, ut cum libero arbitrio conſiſtere poſſit: & gratiam communem ita deſcribendam, ut homo per illius repudiationem condemnatione dignus haberi poſſit, Deuſque ab injuſtitia alienus demonſtrari.

Pag. 98. *Erratum quartum.*

Ad *quartum erratum*. Scientia Dei quatenus reſpectum habet ad creaturas, duobus modis ſpectari poteſt. Vno modo, quatenus Deus novit ſe illas creaturas facere poſſe, & ſimul quod hoc aut illo modo ſint faciendæ, non ut ſint modo, ſed etiam ut huic vel illi fini ſervire poſſint. Hæc ſcientia in Deo eſt naturalis, & præcedit actum ſeu determinationem voluntatis liberam, qua Deus apud ſe conſtituit eaſdem creaturas tali tempore producere. Altero modo, quatenus Deus cognoſcit creaturas tali vel tali tempore eſſe futuras: & hoc modo conſiderata, ſequitur determinationem voluntatis. Idem poteſt etiam referri ad creaturarum ipſarum actus, quos Deus vel efficere vel permittere decrevit. Scientia enim priore modo conſiderata, novit omnes in univerſum actus qui à creaturis ipſo vel efficiente, vel permittente produci poſſunt. Hinc ſequitur decretum de hiſce atque illis actibus efficiendis, & permittendis, quod decretum ſequitur ſcientia qua Deus præſcit illos actus tali & tali tempore futuros. Et hæc poſterior ſcientia, quæ præſcientia recte dicitur, proprie cauſa rerum ſeu actuum non exiſtit. Illa vero prior cum voluntate cauſa eſt rerum & actuum. Oſtendit enim modum operandi & voluntatem dirigit. Voluntas vero illam movet ad exſecutionem. Certum igitur eſt præſcientiam determinatam ſeu definitam de malo culpæ non eſſe, niſi præceſſerit decretum de permittendo peccato. Sine hoc enim peccatum non erit. Et præſcientia eſt de rebus futuris, & certo futuris; ſecus præſcientia aut non ſit, aut incerta ſit. Hæc recte abs te dicuntur, & ordo quem poſuiſti inter præſcientiam & decretum, probus eſt; ſed huic hypotheſi non contrarius; verum ita cum illa conſentiens, ut hypotheſis illa ſine hoc ordine ſe tueri non poſſit. Nam ſtatuit Deum ab æterno ſcire quod fieri poſſit ut homo iſta tali gratia adjutus accipiat aut repudiet Chriſtum: inde quod Deus decrevit vel permittere ut homo iſte Chriſtum repudiet, vel cooperari ut Chriſtum fide accipiat: tum quod Deus præſcit hunc hominem Chriſtum fide apprehenſurum, illum vero eundem per infidelitatem repudiaturum. Vnde ſequitur exſecutio illius decreti, quo ſtatuit fideles juſtificare & ſalvare, incredulos vero condemnare, quæ eſt actua-

[illegible margin note]

actualis illius juſtificatio, & iſtius condemnatio. Apparet igitur ſententiam illam abs te immerito gravari iſta abſurditate. Id vero quod dicis, *Deum permittere malum habita ſemper ratione ad conjunctum bonum, ſeu conjuncti boni*, animadverſionem meretur. Verba enim ita ſumi poſſunt, atque ſi Deus malum permitteret ob conjunctum malo bonum, quæ ſententia tolerari non poteſt. Bonum enim illud quod ex malo evenit non eſt malo conjunctum, ſed per Dei ſapientiam, bonitatem & omnipotentiam occaſione iſtius mali mirabiliter productum. Novit enim ex tenebris producere lucem. Et hæc ſcientia qua Deus novit ſe poſſe malum uſurpare ad bonum finem, etiam cauſa eſt permiſſionis mali. *Nunquam* enim *Deus bonus malum permitteret, niſi omnipotens de malo bene facere poſſet*, ut recte Auguſtinus.

Fol. 97. Erratum quintum. Quid eadem ſtatuat de redemptionis univerſalitate.

Ad *quintum erratum*. Tria hic ſunt rite inter ſe diſtinguenda. Actus & paſſiones Chriſti, actuum paſſionumque fructus & apoteleſmata, & fructuum iſtorum communicatio applicatioque. Chriſtus ſacrificio ſui corporis, obedientia & paſſione ſua nos Deo reconciliavit, æternamque redemptionem nactus eſt citra ullum reſpectum ſeu diſcrimen electorum & reproborum, fidelium & infidelium; quandoquidem illa conſideratio eſt ordine poſterior. Reconciliatio illa & redemptio nobis applicatur, quum nos verbo reconciliationis fidem habentes in Chriſtum credimus, & in eo juſtificamur ſeu juſti cenſemur, redemptioniſque participes ſimus actu ipſo. Unde apparet ſecundum illam ſententiam *non damnari plurimos ex illis, quibus reconciliatio & redemptio eſt actu applicata per fidem*. Quare neque inde ſequetur *peccatum, ſatanam, mundum, mortem, infernum Chriſto redemptore eſſe potentiores*. Nam *primo* non potuerunt impedire quominus Chriſtus ſe Patri offerret in ſacrificium, Patri obediret, & mortem obiret; *Deinde* quominus per iſta, reconciliationem & æternam redemptionem impetraret apud Deum. Quod ad applicationem attinet iſtorum, *impedit ſane peccatum, Satan, Mundus, Caro quominus multi in Chriſtum credant, & participes iſtorum bonorum fiant*; neque tamen *vincitur eo ipſo Deus*: tum quia Deo viſum non eſt omnipotente & irreſiſtibili actione ſua homines ad fidem adducere; tum etiam quia Deo ſtatutum eſt ne quiſpiam particeps fiat iſtorum bonorum, qui in Chriſtum non credit. *Neque mutatur Deus ſecundum hanc hypotheſin*; Non enim ſtatuit illa ſententia Deum abſolute & ſimpliciter vellet ſalvare omnes homines, ſed ſub conditione: & juxta præſcientiam ſuam conſtituiſſe illos qui ad hoc ſe conſilium non inclinabunt æternum condemnare: quod etiam reipſa tandem exſequitur citra ullam mutationem. Non ſufficit abſurdum ſententiæ impingere: probandum id ex illa conſequi bona conſequentia.

Fol. 97. Erratum ſextum. Quid ſtatuat de gratia ſalutifera univerſalitate.

Ad *Sextum erratum*. *Quod gratia ſalutifera non ſit univerſalis* hoc pacto ut omnibus & ſingulis hominibus omnium ætatum facta dici poſſit, mihi eſt certiſſimum juxta Scripturas. Sed comprobandum tibi eſt per illam ſententiam *gratiam ſalutiferam univerſalem ſtatui*. Ab illo abſtines, & multus es in probatione alterius. Quod quidem non improbo, ſed

alterum illud tibi æque neceſſario ad finem, quem propoſitum habes, faciendum fuit. Nonnulla vero & hic conſiderationem merentur. Diſtinctio inter *poſſe credere ſi velis*, & *poſſe velle credere*, non eſt accurate ſatis abs te propoſita. Vtrunque enim, tam hoc quam illud poteſt conveni-re non credituris, imo & convenit. Nam niſi poſſint credere, imo & velle credere, non poſſunt jure puniri eo quod crediderunt. Deinde unum includit alterum, nemo enim poteſt credere, niſi poſſit velle credere. Nam nemo credit nolens. At aliud eſt velle credere actu, quam poſſe velle credere: hoc enim eſt omnium, illud tantum regenitorum, ſeu potius per gratiam Sp. ſancti illuminatorum. Hinc vides, multa tibi eſſe corrigenda, & in locum eius, quod eſt *poſſe velle credere*, ſubſtituendum *velle credere*, quod cum ipſo credere eſt conjunctiſſimum, altero iſto ab actuali fide longiſſime remoto. Eſt autem diſtinctio iſta inter poſſe, velle, agere hic præcipuè neceſſaria: ſed non modo commodè eſt explicanda, verum & cauſæ adſcribendæ, per quas poſſe, velle, agere hominibus detur. In tertio argumento tuo, quo probas gratiæ ſpecialitatem, recte per disjunctivam enuntias iſta, *qui nullam habuerunt notitiam fidei, aut non conſervarunt illam*. Maior enim ineſt iſti disjunctivæ emphaſis, quam forte primo intuitu quis arbitretur. Si enim non conſervarunt, ſua culpa amiſerunt, abjeceruntque, & propterea puniendi propter repudiatum Euangelium: ſi puniendi propter hoc, etiam propter hoc ipſum punitioni deſtinati. Non enim alia eſt cauſa decreti, quam executionis.

Objectio de faciente quod in ſe eſt.

Objicis tibi ex ſcholaſticorum uſitato dicto, *hominem non poſſe excuſari ob defectum notitiæ ſupernaturalis, propterea quod accipere potuiſſet illam à* Deo, *imo & accepturus fuiſſet, ſi ipſe quod in ſe eſt feciſſet, quod cum non fecerit, reum teneri iſtius defectus*. Reſpondes quidem ad objectionem, ſed non decenter. Non enim eſt ſufficiens diviſio, *gratiam dari vel ex merito, vel ex promiſſo*: imo neque conſtat contrariis ſeu oppoſitis partibus. Poteſt enim Deus id neque ex merito (mallem debito) neque ex promiſſo dare, ſed ex gratia non promiſſa, quemadmodum multa dat & facit ex gratia, quam non promiſit. Videamus ipſam primam à lapſu promiſſionem, illa facta eſt neque ex debito, neque ex promiſſo, ſed ex gratia præcedente promiſſionem. Deinde & coincidunt aliquando. Deus enim ex promiſſo & debito dat vitam operanti. Rom. 4. v. 34. At vide mihi an non iſto dicto Chriſti, *Habenti dabitur*, promiſſio iſta contineatur, qua Deus ſpondet ſe gratia ſupernaturali illuminaturum, qui lumine naturali recte utetur, aut ſaltem utetur, quantum poterit, minus male.

Reſponſio.

Argumentum à fatuis & infantibus ductum, eſt prorſus puerile. Quis enim audeat negare multos fatuos & parvulos ſalvari, quod ſane citra gratiam ſalutiferam illis non contingit. Ad loca Scripturæ, quæ uſurpas aliquid notandum, licet forte ſit futurum præter propoſitum Rom. 9. 18. ubi dicitur: *neque volentis neque currentis, ſed miſerentis* Dei, ſubauditur, *juſtitia*. Diſputatur enim de illis, quibus propriè juſtitia imputatur, non operantibus, ſed credentibus, id eſt, non adipiſcitur juſtitiam, volens

Di[illegible] in eo [illegible]

volens, aut currens, ſed ille *enim Deus ſtatuit miſereri*, id eſt, *fidelis*. Locus Matth. 13. 11. probat non omnibus dari æqualiter & eandem gratiam, imo non omnibus contingere divinitus notitiam cæleſtium myſteriorum. In reliquis non recte opponuntur illa, *Spiritus non in omnibus, ſed ubi vult ſpirat*. Quid ſi velit in omnibus? Sane ex eo quod ſpirat ubi vult, non ſequitur illum in aliquibus non ſpirare, niſi conſtet illum velle non ſpirare in aliquibus.

Ita quoque *Filius revelat quibus vult*. Quod ſi velit omnibus? *Non omnes credunt, ſed qui trahuntur*. Quid ſi trahantur omnes? Vides non recte illa opponi: Licet verum ſit, Spiritum in omnibus non ſpirare, Chriſtum non omnibus Patrem revelare, non omnes trahi à Patre.

Examinatur Reſponſ. de gratia extenuatione. Præterea quæ de *Gratiæ efficacis extenuatione* dicis, velim paulo prolixius abs te tractata fuiſſe. Et primò quidem ipſius gratiæ naturam, eiuſque cum libero arbitrio hominis convenientiam, inde eius efficacitatem efficacitatiſque cauſam plenius explicatam fuiſſe. Nihil enim magis neceſſarium exiſtimo ad huius rei plenam pertractationem. Quod quia Auguſtinus vidit, idcirco quamplurimis locis de gratiæ & liberi arbitrii convenientia, & de diſtinctione gratiæ ſufficientis & efficacis agit. Hoc tantum verbulo adnoto: gratiam efficacem non dici illam, quæ neceſſario accipitur & repudiari nequit, ſed quæ certo accipitur, & à nullo, cui applicatur, rejicitur. Addo, in Gratiæ contumeliam non cedere ſi tanta hominum plurimorum ſit malitia & perverſitas, ut per illam converti ſe ad Deum non patiantur; quum gratiæ auctor ſtatuerit per gratiam ſuam non cogere homines ad adſentiendum, ſed leni & ſuavi ſuaſione movere, qui motus liberi arbitrii liberum conſenſum non modo non tollat, ſed ſtabiliat etiam. Et quid mirum, quum Deus, ut tu ipſe fateris, perverſam voluntatem nolit reprimere, ſupple, aliter, quam adhibita illa gratia, quam perverſitate repudiant. Quæ ex Patribus adfers non oppugno, puto enim pleraq; cum ſententia, quam tu hic confutare vis, conciliari poſſe. *Fol. 103. & 104. Excutiuntur obiect. IV. pro gratia univerſaliter collata.*

Adfers jam aliquas objectiones quæ pro iſta ſententia tibi objici poſſunt, eaſque confutas. *Prima* objectio eſt. *Quod omnibus Adami poſteris & ſingulis hominibus facta ſit promiſſio de ſemine mulieris in ipſo Adamo*. Et hoc verum eſt, neque illa quæ abs te adferuntur iſti veritati deſtruendæ faciunt. Non enim pugnant inter ſe, quod iſta promiſſio ad omnes homines in Adamo conſideratos pertineat, & quod Iudæi ſoli ſint populus Dei. Conciliantur enim hoc dicto, quod alii populi ab alienati ſunt ab iſta promiſſione, ſua vel parentum culpa: quemadmodum ex toto contextu Sacræ Scripturæ videre eſt.

Secunda & tertia objectio adferuntur ab iis, qui fidem hiſtoricam de Chriſto ad ſalutem neceſſariam eſſe haud arbitrantur. placet refutatio tua, nullius illæ ſunt momenti. *Fol. 105. 106* Objectionem *ex Patribus* ſatis commode etiam expedis. Sed illa non appoſite ex mente eorum quos oppugnas hoc libello. *106. 107. 108. 109.* Fatentur enim illi gratiam qua datur velle converti & velle actu in Chriſtum credere, non eſſe omnibus hominibus communem, quod etiam ſententiæ ſuæ de electione fidelium, infidelium-

liumque reprobatione obeſſe non exiſtimant.

F.l.K10. Erratum 7. male iſti ſententiæ impingitur.

Ad *ſeptimum Erratum.* Si dicam hoc dogma iſti ſententiæ falſo impingi, hærebit tibi aqua, neque probare poteris. Agnoſcunt enim illi *prædeſtinationis regulam eſſe voluntatem ipſam & decretum Dei.* Hoc enim thema *fideles ſalvabuntur, infideles condemnabuntur,* citra ullam fidei vel infidelitatis præſcientiam ſtatutum eſt a Deo mera ipſius voluntate & eo ipſo dicunt prędeſtinationis & reprobationis definitionem comprehendi. Quum vero agitur de prędeſtinatione & reprobatione certorum hominum, tum præſcientiam fidei & infidelitatis illi præmittunt, non tanquam normam & regulam, ſed tanquam decenter prędecaneam.

Excutiuntur rationes propoſita. Prima

Cui ſententiæ locus *Epheſ.* 1. non refragatur. Fideles enim prædeſtinati ſunt *ſecundum propoſitum eius qui omnia efficit ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Nam propoſitum illud ſecundum quod prædeſtinatio inſtituta dicitur, eſt de fidelibus in Chriſto adoptandis in filios, & ad vitam æternam, quemadmodum apparet ex pluribus Scripturæ locis ubi de propoſito iſto agitur. Rom. 8. Rom. 9. Ex quo etiam conſtat primam tuam rationem adverſus ita ſentientes nihil efficere.

Secunda.

Secundo dicis: *Electionem divinam eſſe regulam fidei vel danda vel non danda: Ergo electio non eſt fidelium, ſed potius fides eſt electorum, vel ex electionis dono.* Liceat mihi tua bona venia hoc negare, & probationem poſtulare, agenti cauſam illorum quorum ſententiam tu hic confutas. Electio enim eſt in Chriſto facta. At nemo in Chriſto eſt niſi fidelis. Ergo nemo in Chriſto eligitur niſi fidelis. Locus Rom. 11. verſ. 5. Probandæ iſti theſi non inſervit. Non enim agitur ibi de electione gratiæ ſecundum quam fides datur aliquibus, ſed ſecundum quam juſtitia imputatur fidelibus. Quod ex ipſo contextu facillime liquet, & liquebit diligentius attendenti & intuenti. *Populus* enim *quem Deus præcognovit,* id eſt, ex gratia pro ſuo agnovit, eſt populus fidelium, & non ille qui per opera legis juſtitiam ſectatur. Hunc populum Deus non abjecit. Ita etiam intelligendum quod dicit, *reliquias ſecundum electionem gratiæ factas eſſe,* hoc eſt, illos ſolos velut reliquias populi Dei æſtimari, qui in Chriſtum credunt, propterea quod illi ſoli ſub electione gratiæ compræhenduntur, excluſis filiis carnis qui juſtitiam per legem ſectantur. Idem docet id quod ſequitur: *Quod ſi per gratiam, non eſt ex operibus.* Quid illud eſt, *quod eſt per gratiam?* Electio ad fidem? Nihil minus; ſed electio ad juſtitiam, ſive juſtitia ipſa. Illa enim dicitur eſſe per gratiam, non per opera. Non enim agitur hic an fides alicui obtingat per opera, ſed an juſtitia. Vide etiam ſequentem verſum. *Quid igitur? Quod requirit Iſrael non eſt adſecutus, ſed electi adſecuti ſunt, reliqui occalluerunt.* Quid eſt, *id quod requirit Iſrael, & non eſt aſſecutus?* non fides, ſed juſtitia. Vide finem 9. & principium 10. capitis. Fidem enim in Chriſtum rejiciebant, & juſtitiam per opera legis adſequi conabantur, & hæc cauſa eſt cur juſtitiam legis non ſint aſſecuti. Hoc idem quoque eſt quod electi adſecuti dicuntur, non fides, ſed juſtitia.

Locus Rom. 11. 5. exponitur.

An ergo, inquies, fides non datur ex electione? Reſpondeo non dari ex illa

exilla

ex illa quæ iſtic loci ab Apoſtolo tractatur, & propterea locum illum tuo propoſito non conducere. Sed, an ergo duplex eſt Dei electio? certe, ſi eſt electio qua Deus eligit ad juſtitiam, & vitam, neceſſe eſt aliam eſſe illam qua aliquos eligit ad fidem; ſi tamen ad fidem aliquos eligit: quod jam non explicabo, quia propoſitum mihi tantum eſt ad tua reſpondere.

Tertia. *Tertium tuum argumentum* æque eſt infirmum, præſcientia enim fidei & infidelitatis æque late patet atque prædeſtinatio. Nam primo infidelitas negativa eſt etiam infidelitas, eaque prævisa decernenti Deo ad damnationem. Secundo Infantes fidelium cenſentur in parentibus fidelibus, neque à populo fidelium ſejungendi ſunt.

Fol 11. Quarta. *Quartum tuum argumentum* eodem modo ſolvitur quo ſecundum. Fides non eſt effectum electionis, qua nonnulli ad juſtitiam & vitam ſunt electi. At de illa electione agunt cum quibus tibi hic eſt negotium. Locus *Epheſiorum* 1. fidem prædeſtinationi præſupponit. Nam ad adoptionem per Chriſtum nemo prædeſtinatur niſi fidelis. *Ioh.* 1. *Quotquot acceperunt illum, dedit illis poteſtatem ut filii Dei fierent.* Loca ex patribus adducta probant fidem eſſe electionis effectum, ſed proculdubio illius electionis, qua Deus inter homines diſcriminat ſecundum diſpenſationem mediorum, quibus ad fidem pervenitur, quam illi forte non negabunt quibuſcum tibi hic eſt negotium, modo recte juxta Scripturas explicetur.

Quinta. *Quintum argumentum* eſt huiuſmodi *Electio non eſt ſecundum præviſionem fidei, quia cauſa cur Deus fidem in uno prævideat, in altero non, eſt mera Dei voluntas volentis fidem huic dare non alteri.* Reſpondebit ille cum quo tibi hic negotium, fidem ita eſſe meræ voluntatis Dei, ut voluntas illa non utatur omnipotente & irreſiſtibili motione ad fidem ingenerandum hominibus, ſed leni ſuaſione & accommodata ad movendam voluntatem hominis pro modo libertatis ipſius: ac propterea cauſam totalem cur ille credat, iſte non, eſſe voluntatem Dei & liberum arbitrium hominis.

Ad ſextum argumentum reſpondebit, qui fatetur fidem omnino deficere poſſe, non fidem, ſed perſeverantiam in fide finalem eſſe regulam, ſeu potius præcedaneam electionis conditionem; electionis iſtius, inquam, qua Deus ad ſalutem elegit & vitam æternam. Sexta.

Ad octavum Erratum. Quod fides vera & ſalutifera totaliter vel finaliter excidat, non facile auſim dicere: Licet plærique ex patribus ſæpe id dicere videantur. Tamen argumenta tua, quibus probas non poſſe deficere nec totaliter nec finaliter, conſideranda. 172. Erratum octavum.

Argumentum ſeu ratio prima deducta eſt ex Matth. 16. verſ. 18. *ſuper hanc petram ædificabo* &c. tripliciter ex illo loco probas intentum. At *prima* probatio eſt æquivoca propter vocis *fidei* duplex ſignificatum. Significat enim aut ipſam confeſſionem fidei de Chriſto a Petro editam, aut fidem in iſta confeſſione & doctrina fidei requieſcentem. Fides priore modo ſumpta eſt *petra* illa quæ inconcuſſa & immobilis permanet, eſtque Eccleſiæ fundamentum: at fides poſteriore modo acce- 173. Examinantur rationes quibus probatur fidem veram non poſſe deficere. Prima.

tamen non rogare, atque ita firmitatem illam non impetrare: unde ſequitur defectio. Atque hinc dependet perpetua neceſſitas precationis, quæ nulla eſt, ſi obtinet quis illam Dei aſſiſtentiam, ſine quotidianis precibus, neque hic dicitur, quod officium precandi intermittere non poſſint fideles: quod tamen neceſſario præſupponendum eſt iſti, quam ex precatione elicere moliris, concluſioni. Quod *Chriſtus hic in electis pro confeſſo ſumit*, certum eſt. At electi & fideles non reciprocantur ſecundum Patrum ſententiam, niſi fidei jungatur perſeverantia. Sed neque iſto dicto Chriſti dicitur, Electos iſtos a Chriſto diſcedere non poſſe, ſed *ſeduci* non poſſe, quo ſignificatur vis ſeductionis quanquam magna, tanta tamen non futura, ut abducat poſt ſe electos: quod ſervit conſolationi electorum adverſus vim & fallacias pſeudochriſtorum & falſorum prophetarum.

117. Tertia. *Ratio tertia* multis modis infirmari poteſt. Primò, Totalis defectio a vera fide *requirit ſecundam inſitionem*, ſi quidem ſalvus ſit futurus, qui deficit: ſimpliciter autem neceſſarium non eſt, ut deficiens rurſum inſeratur: imo dicet quis ex Heb. 6. & 10. totaliter a vera fide deficientem per pœnitentiam non reſtitui. Secundo, Nulla abſurditas in eo eſt ſi dicantur *ſecundo inſeri*, quia Rom. 11. de ramis exciſis & defractis dicitur, *quod Deus illos rurſum poſſit inſerere*. Si dicas id non intelligi de iiſdem individuis, petam dicti probationem. Tertiò ex *Secunda inſitione* non ſequitur *baptiſmi reiterationem eſſe neceſſariam*, quia baptiſmus ſemel alicui collatus perpetua illi eſt ſponſio gratiæ & ſalutis, quotieſcunque ad Chriſtum redit: & remiſſio peccatorum etiam poſt baptiſmum commiſſorum contingit citra baptiſmi repetitionem. Quapropter etiam conceſſo eo *quod baptiſmus non ſit reiterandus*, quod libenter dabunt illi, cum quibus hic agis, tamen inde non ſequitur, fideles totaliter excidere non poſſe; vel ob id, quod totaliter deficientes non reſtituantur in integrum, vel quod, ſi reſtituantur, non indigeant ſecundo baptizari.

Ratio quarta, non videtur facile refutari poſſe. Reſpondet tamen Auguſtinus hic non agi niſi de illis qui ſecundum propoſitum ſunt vocati, & regenerati ex decreto prædeſtinationis divinæ Si dicas, hic de omnibus, qui ex Deo nati ſunt, dici, quod non peccent, & quod ſemen Dei in illis maneat; excipiam vocem manendi ſignificare inhabitationem, at non inhabitationis continuationem. quamdiu autem ſemen Dei in illo eſt, non peccat ad mortem, ſed poteſt paulatim ipſius vitio & negligentia ſemen illud ex corde eius auferri, atque ita perire ſecunda illa communicatio, quemadmodum prima creatio ad imaginem Dei periit. Verum hoc argumentum fateor eſſe omnium, quæ horſum adferri poſſunt, firmiſſimum. 117. 118. Quarta.

Ad *quintam*. Semen verbi Dei eſt immortale in ſe, at poteſt auferri ex cordibus illorum, qui receperunt, ut Math. 13. 118. Quinta.

Ad *ſextam* rationem. Quamdiu membra Chriſto inhærent tanquam palmites viti, tam diu ſane intermori non poſſunt, vi nempe Chriſti vivifica in illis inhabitante. At ſi fructum non tulerint, tum excidentur *Ioh.* 15. At hoc fieri poteſt, ut palmites fructum non ferant, etiam viti inſiti, Sexta.

inſiti, non vitio radicis, aut vitis, ſed palmitum ipſorum. Et *Rom.* 6. eſt adhortatio Apoſtolica, ne credentes rurſus peccato vivant; quum in Chriſto mortui ſint peccato, quod fruſtra monentur Chriſtiani, ſi fieri nequeat ut peccato exinde poſt liberationem a peccati dominio vivant. Sciendum mortificationem carnis per totam vitam peragi, neque ita uno momento peccatum in fidelibus Chriſto inſitis & commortuis extingui, ut non aliquando proferat fructus peſſimos, Dei iram provocantes, & excidium ipſius hominis promerentes. Quod ſi producat peccata iram Dei & excidium merentia, & Deus illa non remittat niſi per pænitentiam & ſeriam reſipiſcentiam; inde ſequitur, illos qui ita peccant excidi poſſe, & quidem finaliter, ſi ad Deum non redeant: ut autem redeant neceſſarium non eſt ex vi inſitionis iſtius, licet infallibiliter hoc ſit futurum in illis quos Deus ſalutis hæredes facere immutabili decreto prædeſtinationis ſuæ conſtituit.

Septima.

Septima ratio. *Omnes qui ſunt membra corporis Chriſti evadunt in virum perfectum*, ſcilicet, ſi a Chriſto non recedant: quod poſſunt. neque id eſt in definitione membrorum interna & eſſentiali, quod a capite ſuo recedere & deficere non poſſint. *Ioh.* 15. dicitur *palmis exſcindendus qui fructus non profert. Rom.* 11. dicuntur *nonnulli rami propter infidelitatem defracti.*

119. *Examinatur prima quæſtio ſuper eadem materia.*

Quæris deinde, atque ſi plene comprobaſſes fidem totaliter non excidere, *qua cauſa ſit cur fides non pereat?* & *reſpondes*, id non ex fidei natura eſſe, ſed ex dono gratiæ confirmantis, quæ promiſſa eſt credentibus. Male hic inter ipſam fidem & gratiam confirmantem diſtinguis: quum inter hominem fide præditum & gratiæ donum diſtinguere debuiſti. Cauſa enim cur fides perire, ſeu potius cur fidelis fidem amittere nequeat totaliter, eſt vel in ipſo fideli, vel in gratia confirmante ſeu conſervante fidem, ne fidelis eam amittat. Non in ipſo fideli: nam ille quia homo eſt obnoxius errori & lapſui, fidem amittere poteſt. At ſi Deo ſtatutum ne ille amittat fidem, id eſt ex gratia qua illum ſtabiliat ne deficiat. *Petre rogavi pro te ne fides tua deficiat.* Petri ergo fides deficere potuit, ſi Petri ipſius conſtantiam conſideremus. At Chriſtus interceſſione ſua illi gratiam impetravit qua factum eſt ne deficeret. Fœdus Dei cuius fit mentio *Ierem.* 23. non continet in ſe impoſſibilitatem defectionis a Deo, ſed promiſſionem doni timoris, quo, quamdiu id in ipſorum cordibus vigebit, impedientur ne recedant a Deo. At vero illud donum timoris excuti non poſſe nuſquam Scriptura docet, neque utile eſt eiuſmodi promiſſiones fieri fœderatis Dei: ſufficit, ſi promiſſionibus fulciantur adverſus omnes tentationes mundi, carnis, peccati, ſatanæ, & quod, modo ſibi ipſis & gratiæ Dei non deſint, adverſus omnes hoſtes firmiter ſint conſtituti.

Adjungis alteram quæſtionem, *quatenus amittant fideles gratiam, & Spiritum ſanctum. Reſpondes*, quæſtionem illam enodandum per duplicem diſtinctionem, *fidelium* nempe & *gratiæ*. In fidelium diſtinctione quos *primos* nominas, fideles dici nullo modo merentur: *auditio* enim & *intellectio verbi*, niſi accedat *approbatio eius-*

119. 120. *Examinatur ſecunda quæſtio.*

Diſtinctio fidelium approbata.

eiuſdem fidelem non facit. Qui *ſecundum* ordinem faciunt, æquivoce fideles dicuntur. Vera enim fides eſſe nequit quin aliquem fructum edat ſuæ naturæ convenientem, fiduciam in illum, amorem erga illum, timorem illius in quem creditur. *Tertii* & *quarti* ordinis fideles ita diſtinguis, ut hoſce *Chriſtum redemptorem viva fide apprehendere* dicas *ad ſalutem*, quod adimis illis: concedens interea utriſque non approbationem modo auditæ & intellectæ veritatis Euanglicæ, ſed & fructuum quorundam productionem; ubi te ſane cogitaſſe oportuit dictum Chriſti, *ſine me nihil poteſtis facere; ut palmes fructum ferre non poteſt niſi in vite manſerit, ſic neque vos niſi in me manſeritis*, An vero quiſpiam in Chriſto maneat niſi illum ut redemptorem viva fide apprehendat ad ſalutem? Evanida itaque eſt tota illa fidelium diſtinctio, quum ſoli iſti poſtremi hoc nomine venire poſſint: quos ſi probaveris deficere ac perire non poſſe, propoſito tuo accurate ſatisfeceris. Reliqui illi gratiam & Spiritum ſanctum amittere dici nequeunt, ſed potius gratiam repudiare, & Spiritui ſancto reſiſtere, ſi ulterius non progrediantur; quum auditio, intellectio, & approbatio verbi horſum tendant, ut Chriſtum Ieſum Redemptorem viva fide apprehendant ad ſalutem.

120. *Diſtinctio gratiæ.*

Prima gratiæ definitio.

Ad *gratiæ diſtinctionem* veniamus & videamus quomodo ex illa ad quæſtiones reſpondeas. *Gratia*, inquis, *eſt vel prima vel ſecunda. Prima eſt gratuitus Dei favor ſuos in Chriſto ad vitam æternam amplectentis.* Eſto. *Ab hac illos excidere* dicis *quodammodo*, nempe *ſecundum effecta quædam iſtius gratiæ, quibus carere debent, & quorum contraria experiri, ubi graviter peccaverint; non ſecundum ipſam gratiam quum Deus ſemper paternum affectum erga eos ſervet, & propoſitum de adoptione vitaque æterna iis danda non commutet.* Verum iſta diligentius conſideranda ſunt. Peccati gravis adverſus conſcientiam commiſſi effectus eſt ira Dei, conſcientiæ morſus, & æterna damnatio. Ira autem Dei conſiſtere non poteſt cum ipſius gratia circa idem, eodem tempore, reſpectu eiuſdem, ut cui iraſcitur, illi in ipſa ira velit adhuc vitam æternam. Velle illi poteſt aliqua gratiæ effecta, per quæ ad ſanam mentem reduci poteſt, ad quam reducto gratia illa Dei ad vitam æternam, rurſus contingit. Conſcientia accuſans & vere accuſans conſiſtere cum gratia ſeu gratuito Dei favore ad vitam æternam non poteſt: Sic enim conſcientia non accuſet vere. Deus enim vita æterna donare non vult quem conſcientia ſua indignum teſtatur vita æterna & vere: niſi interceſſerit pænitentia, quæ indignitatem aufert ex gratioſa miſericordia Dei. Qui æternam damnationem meritus eſt ſuo peccato, atque pænitentiam nondum egit, illi Deus vitam æternam non vult, dum iſto ſtatu eſt. Vere ergo excidit ex iſta ipſa gratia qua illum amplectitur ad vitam æternam. Verum quia Deus novit huiuſmodi hominem per media iſta quæ Deus adhibere ſtatuit iſti curando, vere ex peccato reſurrecturum; hinc eſt quod talis homo prorſus excidere ex gratia Dei dici nequeat. Verum hic diſtinguenda ipſa gratia reſpectu variorum bonorum quæ Deus vult huiuſmodi homini. Vitam æternam non vult niſi fidelibus & pænitentibus: At media ad

Examinatur quod ex illa definit. ad quæſt. reſpondetur.

Itaque, ſi habeatur ratiò præſentis ſtatus, vere eſt diſcipulus, ſi conſequentis ſtatus, non eſt vere diſcipulus, ſeu non meretur nomen illud quod aliquando deſerit. Niſi quis dicat neminem unquam ſyncerè obſervaſſe ſermonem Chriſti, qui ab illo deficit. Quod eſt probandum. Locus *Rom.* 8. *Quis nos ſeparabit à dilectione Dei*, nihil ad rem facit. Eſt n. conſolatio qua confirmantur fideles adverſus omnia præſentia & ingruentia mala. Nihil omnino illorum poſſe efficere, ut Deus amare deſinat quos in Chriſto amare cæpit. Rom. 11. non magis negato commodat. Nam licet *Deum donorum ſuorum non pæniteat*, poteſt tamen quis dona Dei quæ accipit abjicere. Quod affers ex 2. Tim. 2. propoſito non patrocinatur. *Novit* enim *Dominus ſuos*, etiamſi nonnulli ex fidelibus deficiant à fide. Dici enim poteſt Deum illos nunquam pro ſuis agnoviſſe notitia quæ eſt prædeſtinationis adminiſtratrix, de qua hic agitur. Subveniat hic diſtinctio Auguſtini, *quod nonnulli ſint filii ſecundum præſentem juſtitiam, nonnulli ſecundum præſcientiam & prædeſtinationem* Dei.

Gratia ſecunda diſtinctio. Gratia ſecunda, (inquis, eſt vel imputata vel inhærens: phraſis iſta minus recte ſonat auribus meis. Putavi hactenus gratiam non imputari, ſed imputare. Sic ad Rom. 4. Merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito. Iuſtitia dicitur imputari & quidem ex gratia ſine operibus, ibidem. Sed omiſſo eo, rem videamus. Quæſtio propoſita fuit quatenus fideles amittant gratiam & Spiritum ſanctum. Reſpondes (reſpectu gratiæ imputatæ, quæ in juſtificatione ſita eſt, cuius pars eſt remiſſio peccatorum) *remiſſionem peccatorum non reddi irritam.* Eſto. At poſt remiſſionem peccatorum nonnullorum impetratam peccant fideles & graviter labuntur. *Gratia remiſſionis peccatorum an amitti poſſit.* Quod ſi contingat illos non reſipiſcere actu, an tum remiſſionem obtinebunt? Reſpondes, *non obtenturos.* Hinc ego concludo, illos gratiam illam remiſſionis peccatorum amittere poſſe. At excipis, *fieri non poſſe, ut non reſipiſcant.* Audio id dici, at probationem eius deſidero: non quidem quod electi hinc diſcedere non poſſint ſine pænitentia finali, ſed quod qui ſemel fideles fuerunt, vitam in impænitentia finali deponere non poſſint. Hoc ubi probaveris, non neceſſe erit ad hanc gratiæ diſtinctionem recurrere: tum enim dicere licuit, fidelem nunquam fidem finaliter amittere, & in impænitentia mori.

Gratiam inhærentem diſtinguis *in fidem, & donum fidei conſequens.* 122. *An fides ſecundum habitum.* In *fide* conſideras *actum & habitum fidei.* Vnde reſpondes ad quæſtionem propoſitam: *fidem ſecundum habitum & potentiam conſideratam propter gratiam confirmantem non perire* (*licet per ſe amitti poſſit*) *at fidem ſecundum actum aliquem amitti poſſe.* Primo, poſtulo probationem eius quod dicis: *fidem ſecundum habitum amitti non poſſe propter gratiam confirmantem.* Deinde quæro, an ille actus fidei ſecundum quem fides amitti poteſt, neceſſarius ſit ad apprehendendum Chriſtum, necne? ſi ſit, tum excidere homo poteſt ex gratia; ſi actum apprehenſionis Chriſti amittat, ut tu loqueris; vel potius, ſi actu Chriſtum non apprehendat. Si non ſit neceſſarius, tum ſane nullius pretii fuit conſideraſſe de iſto actu, ubi de amiſſione gratiæ agitur.

At probas tum *exemplo Davidis*, tum

An huius [illegible] *prohibeant quæ citantur exempla & ſententiæ.*

tum Patrum *ſententiis nonnullis*, habitum fidei & charitatis amitti non poſſe. Exemplum *Davidis* nihil probat. Nam & conceſſo eo quod David poſt adulterium & homicidium commiſſum non amiſerit Spiritum ſanctum, hinc non ſequitur amitti non poſſe. Poteſt enim quis gravius peccare, & hac ratione amittere Spiritum ſanctum. At, quid ſi dixero, Davidem Spiritum ſanctum amiſiſſe poſtquam adulterium & homicidium commiſiſſet. Reſpondebis ex Pſal 51. conſtare rem aliter habere. Reſp. Pſalmum illum cantatum Davidi poſtquam a Nathane admonitus reſipuiſſet à ſceleribus iſtis. Deum autem tum temporis ad prædicationem Nathanis Spiritum ſanctum Davidi reſtituiſſe. Ad *veterum dicta* quod attinet, *Exemplum Petri* nihil præjudicat opinioni quæ ſtatuit fidem exſtingui poſſe. Nam Petrus ex infirmitate peccavit, quæ fidem labefactat, non exſtinguit. *Gratianum*

123. 124. *Auguſt. hac de re ſententia.*

prætereo. De *Auguſtini* ſententia latius agendum ſemel foret, ſiquidem illam enucleatè tradere propoſitum eſſet. Si tamen quis ſcire volet quæ fuerit Auguſtini hac de re ſententia, videat loca ſubſequentia. *lib. 1. de Prædeſtin. Sanctor. cap. 14 lib. 2. de bono perſeverantiæ. cap. 1. cap. 6 & lib. 2. cap. 8. & cap. 13. cap. 16. 17. 22. 23. de corrupt. & gratia.* Adjungantur nonnulli loci *Proſperi* qui Auguſtinianam ſententiam tenet & defendit ubique. *Ad cap Gall. reſponſ. 7. ad objectiones Vincentinas reſp. 16. de vocatione Gentium lib. 2. cap. 8.* 9. 28. Ex hiſce locis, meo judicio, apparebit, Auguſtinum exſtimaſſe *quoſdam fideles, regenitos, juſtificatos. fide, ſpe, charitate donatos excidere poſſe & damnari, imo excidere reipſa & damnari, exceptis ſolis prædeſtinatis.*

Sequuntur *objectiones* quædam adverſus præmiſſam hanc explicationem. *Objectio prima. Peccatum & gratia Sp. ſancti ſimul conſiſtere nequeunt.* Reſpondes id *verum eſſe de peccato regnante, ſive quod fit pleno conſenſu voluntatis.* At negas *renatos ex plena ſeu tota voluntate peccare.* Reſpond. primo, peccatum *regnans* non eſſe idem cum eo *quod fit plena voluntate & conſenſu.* Nam illud eſt in genere qualitatis ſeu habitus, hoc in genere actionis, & per hoc via ſternitur illi. Vnde facile conſtat *peccatum regnans cum gratia Sp. ſancti conſiſtere non poſſe.* Verum & hoc eſt, *in renatis peccatum non regnare.* Antequam enim hoc fiat, neceſſe eſt ut gratiam Spirit. ſancti peccatum mortificantem & vim eius inhibentem rejecerint. Quare perſiſtendum in altero, & videndum, *an renati nonnulli pleno conſenſu voluntatis peccent, nec ne.* Tu negas, & rationem negationis adfers *ex principio & gradibus tentationis*; illa videamus. *Principium tentationis* ponis *concupiſcentiam ſeu nativam corruptionem.* illam ais eſſe *ſolum in homine non regenito, qui totus ſit caro. In homine vero renato carnem ſimul eſſe & ſpiritum, ſed in gradibus remiſſis, ita ut partim ſit caro, partim ſpiritus:* unde concludis, *concupiſcentiam cum gratia Sp. ſancti conſiſtere poſſe, modo non regnet.* Reſp. licet adverſus concluſionem illam parum habeam, tamen quæ præcedunt non in univerſum probare poſſum. Sunt enim in illis nonnulla falſa, & eſt imperfecta deſcriptio. Falſum eſt quod dicis, *hominem non regenitum totum eſſe carnem*, hoc eſt, in illo nihil eſſe niſi carnem. Quo enim nomine appellabitur

125. *Objectiones contra præmiſſam explicat. Prima.*

An homo irregenitus totus ſit caro.

labitur *veritas* illa, quam impii dicuntur *detinere in injuſtitia*? Quid eſt *conſcientia accuſans & excuſans*? Quid *cognitio legis qua convincuntur peccatorum ſuorum*? Illa omnia nomine *carnis* venire nequeunt. Sunt enim bona & carni adverſa. Fateor tamen in homine irregenito Spiritum ſanctum non habitare. Imperfecta eſt deſcriptio, quia omiſſa eſt explicatio proportionis quæ eſt inter carnem & Spiritum in homine renato, quæ addenda fuit, quod Spiritus in homine renato prædominetur, & quod à parte predominante renatus nomen *ſpiritualis hominis* ſortiatur, adeo ut nomine *carnalis* venire non poſſit. At nota inſuper concluſionem eſſe de concupiſcentia, quæ eſt in qualitatis prædicamento, cum quæſtio fuerit de peccato actuali, an *peccatum actuale conſiſtere poſſit cum Spirit. ſancti gratia*?

126. *Quintus Gradus tentationis.* Videamus *gradus tentationis*. *Primum* gradum renatis convenire fateris, etiam *ſecundum*, & vere quidem. Sed *Paulum* iſta de cauſa *queri de captivitate ſua quod delectaretur moroſa cogitatione de perpetrando peccato*, id ex textu evinci nunquam poterit. Agit enim ibi de peccato actu ipſo perpetrato, Quod nolo facio.

Quatenus tertius homini renato poſſit tribui. *Tertium gradum*, qui eſt *conſenſus voluntatis de malo perpetrando*, etiam renatis tribuis, *ſed remiſsiorem*, *ſecundum quem ita velint, ut etiam nolint peccatum perpetrare*, idque putas exemplo *Pauli ad Rom.* 7. comprobari poſſe. At velim hic conſideres, quomodo hæc inter ſe conſentiant, ut circa unum eundemque actum numero duplex ſit, & quidem contraria voluntas ſeu volitio, etiam tum cum actus ipſe perpetratur. Antea forte, cum adhuc in dubio eſſet animus, & caro contra Spiritum, Spiritusque viciſſim contra carnem concupiſceret, id dici potuit: at ubi jam caro ſuam concupiſcentiam in actum producit, hoc eſt, facit quod contra Spiritum concupivit, tum ſane Spiritus concupiſcere deſiit: aut dicendum, hominem renatum peccatum ex concupiſcentia carnis patrare, Spiritu fruſtra contra concupiſcente; hoc eſt, carnem fortiorem eſſe Spiritu, & Spiritus concupiſcentiam vinci à carne; contra id quod Scriptura dicit, *fortiorem eſſe qui in nobis eſt, illo qui in mundo eſt*, & contra ſtatum renati, in quo Sp. prædominatur carni, neque fit ut caro ſuperet, niſi Spiritu quieſcente & pugnam intermittente.

At dicit Scriptura Rom. 7. renatum hominem *velle bonum & non facere, nolle malum & facere*. Reſp. iſto loco de renato homine non agi, ſed de eo qui eſt ſub lege. Verum eo etiam conceſſo, dico, fieri non poſſe ut volitio & nolitio ſimul ſint circa eundem actum. quare illa volitio quam actus ſequitur, eſt volitio pura puta & efficax: altera non tam volitio eſt quam velleïtas dicenda, quam non Spiritus ſanctus contra carnem concupiſcens efficit, ſed conſcientia, ſeu lex mentis in homine exiſtens, quæ non deſinit contra carnem niti, uſquedum & illa cauteriata, & omni ſenſu exuta fuerit. Ille autem reniſus conſcientiæ non efficit ut homo non peccet pleno conſenſu, ſed potius peccatum aggravat, & declarat quam vehemens ſit voluntatis conſenſus in peccatum a carnis concupiſcentia oblatum, quum ne conſcientia quidem reclamans impedire voluntatem a conſenſu iſto potuerit. *Reniſus conſcientiæ peccatum aggravat.*

 Noxia

Noxia igitur eſt & periculoſiſſima opinio, quæ ſtatuit hominem renatum non peccare pleno conſenſu, quum morſum ſentit conſcientiæ reclamantis peccato, quod voluntas vadit perpetratum. Id ipſum quia omnibus accidit, qui aliquo ſenſu juſti & injuſti tanguntur, proclive admodum illis erit ſibi perſuadere, quod quum non peccent pleno voluntatis conſenſu, certum ſuæ regenerationis indicium habeant. Ergo, ſi plenus voluntatis conſenſus in peccatum cum Spiritus ſancti gratia conſiſtere nequit, certum eſt renatos aliquando Sp. ſancti gratiam amittere, propterea quod pleno voluntatis conſenſu peccent, quando peccant contra conſcientiam.

127. *Quartus gradus.* *An renatus eodem actu peccet & non peccet.*

Quartum gradum ſtatuis *ipſam mali operis in actum eductionem*. Recte. Sed *diſtinctio* quam adfers, Scripturis comprobari nequit. Nam renatus cum peccat, peccat victus concupiſcentia carnis, quieſcente ſpiritu regenerationis, eodemque peccatum non deteſtante, niſi *ante peccatum* quum nondum voluntatis conſenſus acceſſit ſuaſione concupiſcentiæ, & *poſt peccatum* ubi revivere ſpiritus inceperit. *Deteſtatio* autem de qua tu loqueris, eſt nihil aliud quam conſcientiæ actus accuſantis illum & ante peccatum & poſt peccatum perpetratum. Totus itaque homo peccat, ſed non *ſecundum illud principium quo renatus eſt*. Quod addi non neceſſe erat; quis enim id in dubium vocet? Verum & hoc de homine ſub lege dici poteſt, quod non peccet ſecundum legem mentis, hoc eſt, conſcientiam legem approbantem, ſed ſecundum carnem tantum. Quare vides rem hanc aliter diſtingui debuiſſe. Neque hoc concedendum videtur, *quod actio à regenito patrata minus ſit vitioſa quam ab eo in quo peccatum regnat*. Actiones enim vitium & pravitas ex voluntatis in peccatum vehementi conſenſu eſt dijudicanda. Vehementius autem fertur in peccatum, qui Spiritus ſancti contra concupiſcentis actum rejicit, & carnis concupiſcentiam ſectatur, quam qui carnis concupiſcentia ſola conſcientia oppugnans eidem tandem cedit. Sic longe gravius fuit peccatum Davidis adulterium & homicidium committentis, quam Gentilis cujuſvis eadem peccata perpetrantis; quemadmodum gravius peccarunt Bethzaiditæ & Corazitæ quam cives Tyri & Sydonis, propterea quod peccantes pluribus rebus a peccato perpetrando impedire valentibus reſtitere quam iſti. *An in eodem actu minus peccet quam is in quo peccatum regnat*

Vltimum gradum dicis eſſe, *quando peccatum frequenti iteratione confirmatum, exit in habitum*. Iſtum gradum Græcis dicis eſſe τὸ ἀποτελεῖν. Sed liceat mihi bona tua venia negare illud Græcis eſſe ἀποτελεῖν. Nam *quartus gradus* eſt ἀποτελεῖν, idem quod peccatum patrare, peccatum parere. Hic vero gradus non tam eſt peccati gradus quam peccantium, quorum alii longius aliis progrediuntur. Hunc gradum tu negas accidere renatis: quod probandum tibi reſtat. Perpetua eſt in omnibus iſtis diſtinctionibus petitio principii. Qui n. dicunt renatos poſſe amittere gratiam Spirit. Sancti, illi aiunt etiam renatos non peccare modo, ſed & peccatis perſeverare, & habitum peccati contrahere. *Vltimus gradus.*

Altera objectio quam tibi objicis eſt. *Adamus adhuc integer defecit totaliter: ergo multo magis ii qui poſt Adami lapſum nati & regeniti crederint.* Vis argu- 128. *Altera objectio.*

argumenti pendet à paritate ſeu æqualitate ſtatus utriuſque: Adami, ſecundum quem creatus fuit in juſtitia & ſanctitate vera: poſterorum, ſecundum quem regenerati ſunt in juſtitia & ſanctimonia veritatis. Tu nodum ſolvis monſtrata diſſimilitudine. At diſſimilitudo iſta quæ eſt inter utrunque ſtatum, non facit ut regeniti deficere totaliter non poſſint. Neque enim hoc dicitur loco *Auguſtini*, quem citas. Vtut enim regeniti velle habeant quod poſſint, quo dono Adamus caruit ex Auguſtini ſententia: hinc tamen non ſequitur illos donum hoc repudiare non poſſe, & ultro abjicere. Licuit alia inſuper adferre quibus ſtatus fidelium in Christo differt a ſtatu primævo Adami in juſtitia. Nam inter alia hoc eſt eximium, quod ille ſtatus non habuit promiſſionem remiſſionis peccatorum, ſi contingeret Adamum vel ſemel peccare: fidelium vero iſta promiſſione ſit beatior: *peccatorum illorum non recordabor amplius*. Vnde accidit ut fides Dei non reddatur irrita, etiamſi fœderati ipſius peccent. *Rom.* 3. Eſt enim fœdus gratiæ & fidei, non juſtitiæ & operum. Pone tamen quaſcunque voles differentias utriuſque ſtatus, neceſſe ſemper erit ut fatearis perſeverantiam voluntariam liberam & mutabilem in utroque ſtatu ad ſalutem neceſſe fuiſſe. Homo enim non perſeverat neque in hoc neque in illo ſtatu niſi volens & libere. Quod eouſque verum eſt, *ut Deus etiam à perſeveraturis illam mutabilitatem, qua poteſt nolle, non auferat.* ut eſt in libro de vocatione gentium ſecundo capite. 28.

120. *Objectio tertia.* *Objectionem tertiam* hanc ponis. *Membrum meretricis non eſt membrum Christi. At fidelis, qui actu membrum Christi eſt, poteſt fieri membrum meretricis, & per conſequens deſinere eſſe membrum Christi.* Reſpondes ad objectionem, per diſtinctionem *membri*. At diſtinctionibus iſtis opus non fuit. Nam primo, de *apparente* membro non agitur, ſed de *vero*. Eſt enim *apparens* membrum, æquivoce membrum, & propterea definitionis non particeps, quare ſyllogiſmo quatuor erant termini. Neque agitur de membro quod *deſtinatione eſt tale*, ſcimus enim quod omnes in univerſum homines qui deſtinatione ſunt membra Christi, vel potius, deſtinati ſunt ut ſint membra Christi, membra Satanæ ſunt, antequam actu ad Christum adducantur eique uniantur. Quare quum de membris quæ actu talia ſunt in objectione agatur, quorſum iſtæ diſtinctionum ambages quæruntur? De *actu* vero *membris* dicis, *quod alia viva ſint, alia ſemimortua. Vtraque vero ſecundum electionem membra.* Si ita eſt, obtines propoſitum: quis enim ita deſipiat ut dicat electos finaliter excidere. At negabunt illi quos tibi facis adverſarios, omnia vera membra Christi eſſe prædeſtinatione talia. Dicent enim nonnulla eſſe talia ſecundum præſentem ſtatum, juſtitiam, & inſitionem præſentem; Sed videamus reſponſionem tuam, poſita diſtinctionis iſtius veritate *Verum & actuoſum membrum, & quod manet tale, non poteſt eſſe membrum meretricis*, inquis. Sane nihil mirum. Eſt enim identica & propterea inanis propoſitio. Membrum Christi quod manet tale, non eſt membrum meretricis: id non eſt reſpondere ad quæſtionem hanc; an membrum vivum Christi perpetuo vivum Christi membrum maneat,

maneat. Dicebatur enim in objectione, vivum membrum Chriſti fieri meretricis membrum & propterea non manere Chriſti membrum. Eſt ergo petitio principii in tua ad argumentum illud reſponſione. *Semi mortuum* autem dicis *Spir. ſanctum aliquando quantum in ipſo eſt amittere.* At unde fit ſemimortuum? nonne ex totaliter vivo? niſi forte dicas quum inſeritur Chriſto ſemimortuum eſſe, quod ipſe abſurdum eſſe vides. Ratio autem huius rei ita habet ſecundum illos qui contra te diſputant. Initio fidei in Chriſtum & converſionis ad Deum fit fidelis membrum Chriſti vivum: quod in fide Chriſti perſeverans & conſcientiam illæſam ſervans manet vivum membrum. At ſi contingat illud ſegniter agere, ſui curam non habere, peccato locum dare, fit paulatim ſemimortuum: & ſic tandem progrediendo ulterius, prorſus moritur, & membrum eſſe deſinit. Hæc tibi refutanda fuerunt, quæ tantum abeſt ut confutes, ut potius per diſtinctiones tuas ſtabilias. Sane *Perkinſe* negligentius hæc tractaſti quam rei dignitas & tua eruditio merentur.

13. *Erratum nonum.* *Erratum nonum*, quod vocas, per errorem ſententiæ adverſarii impingitur: non enim hoc dicunt, neque ullo modo ex illorum ſententia deduci poteſt. Sed hoc ſentiunt. *Hominem libero ſuo arbitrio recipere gratiam qua ipſi divinitus obtingit, qualiſcunque illa ſit.* Nam quemadmodum gratia ſervat, ita liberum arbitrium ſervatur, & gratiæ ſubjectum eſt liberum arbitrium hominis. Quare neceſſum eſt ut liberum arbitrium concurrat ad conſervandam gratiam datam, adjutum tamen a gratia ſubſequente; manetque ſemper in poteſtate liberi arbitrii gratiam datam rejicere, & ſubſequentem repudiare: quia gratia non eſt omnipotens actio Dei, cui reſiſti a libero hominis arbitrio non poſſit. Et quandoquidem res ita habet, exiſtimant illi iidem hominem gratiam abjicere poſſe & deficere. Unde vides fruſtraneam ſumi abs te operam, quum erratum illud quod impingis ſententiæ iſti, refutas. At conſideremus tamen & illa eadem: forte dabitur occaſio aliquid annotandi quod ſcitu non eſt indignum. *Expenditur eiuſdem refutatio.* *Tribuit*, inquit, *hæc ſententia liberum arbitrium flexibile in utramque partem ex gratia ſingulis hominibus.* Sed, an tu negas liberum arbitrium eſſe flexibile in utramque partem, addo & ſine gratia? flexibile enim eſt natura ſua: & ut malo addictum in ſtatu peccati, ita capax boni; quam capacitatem illi gratia non donat: ineſt enim illi a natura. At reipſa ad bonum non flectetur niſi per gratiam, quæ inſtar formæ eſt potentiam & capacitatem materiæ in actum producentis, quanquam per ſe ſufficiens ſit ad malum. *August. de Præd. Sanctorum. cap 5. Poſſe habere fidem & charitatem natura eſt hominum, habere autem eſt gratia fidelium* At forte male te habet, *quod ſingulis hominibus id ineſſe* dicatur: citra cauſam id ægrè fers. Senſus enim eſt, non quod omnibus hominibus gratia illa adſit qua liberum ipſorum arbitrium ad bonum actu flectatur: ſed quod omnibus inſit tale arbitrium quod flexile ſit in utranque partem accedente gratia. At docent, *eſſe in hominis arbitrio applicare ſe ad gratiam datam ope univerſalis gratiæ, vel eandem reſpuere impotentia naturæ corruptæ*; inquis, ſed quid hic

hic deſideras? ut pro *univerſalis gratiæ* nomine *particularis* ponatur. dices: Atqui quis unquam dixit, *hominem ad gratiam particularem datam ſe applicare poſſe vi univerſalis gratiæ*? neminem ita deſipere poſſe exiſtimo: actus enim in objectam gratiam particularem eſt à libero arbitrio a gratia particulari adjuto. Illa autem, *reſpuere impotentia*, incommodè junguntur: *impotentia* enim non *reſpuit*, ſed eius eſt non accipere poſſe, *pravitatis* eſt *reſpuere*. Quum ergo ipſe pro arbitratu tuo *univerſalem gratiam* poſueris, contra propriam umbram depugnas. Conſtat enim *potentiam credendi in actum non produci, niſi per auxilium gratiæ alterius ſubſequentis, quam particularem, ſeu ſpecialem vocamus propterea quod non, ut natura, omnibus & ſingulis hominibus contingat.*

131. *Loca Scripturæ.* Loca Scripturæ quæ adfers non faciunt ad hoc propoſitum. Priora enim duo accommodata ſunt ad probandum, quod fideles non diſcedant a Chriſto, ſed adde juxta *Auguſtinum* & auctorem libri de *vocatione Gentium*, fideles qui ſunt prædeſtinati ad vitam, quibus ſolis perſeverantia obtingit. Loca *Auguſtini* docent gratiam prædeſtinatis præparatam, certo illorum corda movere, neque ab illis reſpui: propterea quod Deus ita ſuadeat ut aptum illis novit, & congruum quo perſuadeantur. Et hanc ille vocat *Gratiam efficacem*, quam contra *ſufficientem* idem ille ſemper diſtinguit. Tu vero *Auguſtinum* citans illam diſtinctionem ſatis ſuperciliose rejicis. At, quibus argumentis? quia *nulla ſit ſufficiens gratia ad converſionem quæ non ſit efficax.* Nego, & natura ipſa reclamat tuæ adfirmationi, ſufficientiam ab efficacitate diſtinguens. Deus ſufficit multis mundis creandis, non tamen efficaciter id facit. Chriſtus ſufficiens eſt ad omnes homines ſalvandos, non tamen id facit efficaciter. At tu forte efficacem cauſam intelligis quæ efficere poteſt, & ſic ſane cum efficiente eadem eſt. At qui diſtinguunt inter ſufficientem & efficacem, hanc definiunt quæ efficit reipſa effectum. Neque probas intentum eo quod dicis, quia *deſit homini liberum arbitrium in ſpiritualibus.* Eſto. *At ſi gratia libertatem arbitrii reſtituat, an non tum in libero arbitrio vel agere poteſt ſufficienter, vel efficaciter agit?* Neque ad rem facit quod *mortui ſumus, & ſufficientia noſtra tota eſt ex Deo*: qui gratiam ſufficientem ſtatuunt, id non negant. Neque *ἀδυναμία illa triplex* gratiam ſufficientem tollit. Qui enim illam ſtatuunt, dicunt gratiam ſufficientem poſſe triplicem iſtam impotentiam tollere, & efficere ut homo oblatam gratiam recipiat, receptam uſurpet, & conſervet.

Auguſtini. 132. 133. 134.

Diſtinctio gratiæ in ſufficientem & efficacem vindicatur.

Conaris deinde probare ex neceſſitate *quintuplicis gratiæ, prævenientis, præparantis, operantis, cooperantis, & doni perſeverandi*, nullam eſſe gratiam ſufficientem, propterea quod *nulla ex quinque iſtis gratiis ſola ſit ſufficiens ad ſalutem, verum omnes ſimul junctæ ſint neceſſariæ.* At neque illa conſequentia eſt bona. Nulla eſt ſufficiens gratia, quia nulla ex quinque gratiis ſola ſufficit: a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter non valet conſequentia: item a diviſo ad non diviſum concluſio eſt aſyllogiſtica. Quin & illæ ipſæ gratiæ, *præveniens* nempe & *præparans*, aut ſufficientes ſunt aut efficaces. *Prævenit* n. Deus ſufficienter & efficaciter, *præparat* itidem ſufficienter & efficaciter.

Quæri poſſet an non idem de *operante & cooperante* gratia dici queat. Concedamus tamen illas proprie pertinere ad gratiam efficacem. Nihilominus dicent qui ſufficientem defendunt, haſce poſteriores paratas eſſe & expoſitas omnibus iis qui per ſufficienter prævenientem & præparantem gratiam moveri ſe eo, quo intendit gratia, paſſi fuiſſent: & poſt illas ipſum quoque donum perſeverandi. Quare iſta ratione ſufficientem gratiam non refutaſti, quatenus contra efficacem diſtinguitur. Ipſas vero quintuplicis iſtius gratiæ definitiones non examinabimus, quia id non eſt ex ſcopo huius tuæ diſputationis.

Simili deinde conaris refutare eandem diſtinctionem. At illud multum eſt diſſimile. *Moles* enim movetur naturaliter & neceſſario adhibitis viribus gravitatem ipſius excedentibus: at nos homines movemur ſecundum modum libertatis, quam Deus voluntati indidit, unde liberum arbitrium dicitur. Poſſet hic non incommode adferri ſimilitudo quam in tractatione de prædeſtinatione uſurpat Cardinalis *Contarenus*, oppoſita iſti tuo ſimili. Ponit in lapide duplicem gravitatem, unam naturalem, alteram adſcititiam. Vires quæ ſufficiunt attollendo lapidi ſola nativa gravitate vergenti deorſum, non ſufficient ſi acceſſerit gravitas illa adſcititia; impedieturque efficientia ſufficientium virium per adſcititiam gravitatem. Videmus id clare in athletis luctantibus. Conatur alterum alter attollere de terra, atque ita ſublatum proſternere. Potens eſt uterque & levi momento id præſtare antagoniſtæ ſuo, ſi ſolo nativo corporis pondere nitatur adverſus attollentem; at quia tolli non vult, ſeipſe quantum poteſt & adverſarium deprimit, robore nervorum & oſſium uſus, quod longe excedit corporis ipſius gravitatem. Ita eſt homini agnata ex primo primi parentis peccato gravitas quæ nativa dicitur, vel dici poteſt. Eſt alia ex propria malitia hominis adſcita, quæ non tam ineſt, quam adeſt, ad impediendum ne gratiæ ſufficientis vires ad tollendam gravitatem nativam id efficiant quod ſine impedimenti iſtius poſitione valerent. Neque tollitur flexibilitas arbitrii noſtri, aut electio noſtra per concurſum iſtorum quinque donorum, ſed hoc efficitur per concurſum quintuplicis iſtius gratiæ efficacis, ut arbitrium quod ſua natura flexibile eſt in utramque partem, & electio quæ inter duo libere eligere poteſt, certo & infallibiliter ad id inclinet, quo motio quintuplicis gratiæ impellit. Quare & illa quæ ſequuntur verba corrigi velim, & pro *inflexibili affectu* poni *certo & infallibili affectu*. Niſi enim id ſtatuamus hominis adfectum alio moveri poſſe, etiam tum cum movet gratia efficax, ſequetur voluntatem hominis non ſecundum modum libertatis, ſed ſecundum modum naturæ moveri, & ſic non *liberum arbitrium*, ſed *hominis natura* ſalvabitur. Liberum vero arbitrium, ſaltem quod ad uſum ipſius, tolletur per gratiam, quum gratiæ ſit non tollere ſed corrigere naturam ipſam, ſicubi vitioſa facta eſt.

Simile Contarenus.

Neque repugnat iſtis quod de *promiſſo Spiritu* dicitur. Nam *Spiritus qui facit ut actu ambulemus*, non tollit libertatem arbitrii & electionis humanæ: ſed ita agit in libero arbitrio,

prout

proitaptum & congruum novit ut certo & infallibiliter moveatur. Idem de *tractu Patris* intelligi velim. Quæ ſequuntur huic doctrinæ infirmandæ non faciunt. Nam per *poſitionem gratiæ efficacis agentis in iis quos Deus certo & infallibiliter vult converſos & ſalvatos*, non tollitur gratiæ ſufficientis exiſtentia: imo nec ponitur per eiuſdem poſitionem, id quod tu concludis. Ergo vere fideles non poſſunt non perſeverare. Certam enim effectus exiſtentiam inde deducere licet, ſed non neceſſariam. Cuius diſtinctionis ignoratio cauſa eſt quod *ſufficientem gratiam* negandam tibi putaſti.

Obiectionis primæ pro grat. ſufficientis reſolutio exponitur.

Sequitur nunc reſolutio nonnullorum locorum Scripturæ quibus illi qui gratiam ſufficientem ponunt, uti ſolent ad illius probationem. Videris autem illos ex *Bellarmino* deſumpſiſſe, qui iſto eodem ordine illos proponit. Videamus refutationem.

136. *Ex Eſa. 5. duplex argumentum. Primum.*

Primus locus eſt ex *Eſa.* 5. Inde *Bellarminus duplex argumentum* deſumit pro ſtabilimento gratiæ ſufficientis. *Prius* eſt tale, ut id in ſyllogiſmi formam redigamus. *Qui fecit vineæ ſuæ omnia quæ neceſſaria erant ut ea fructum facere poſſet, ille ſufficientem culturam adhibuit ad fructum ferendum. At Deus: Ergo.* Majoris veritas eſt perſpicua ex terminis. Conſtat enim definitione & definito. Nam *ſufficiens cultura eſt per quam omnia ad fructum faciendum neceſſaria ſunt adhibita.* Minoris veritas eſt in textu. *Qui enim fecit omnia quæ facere debuit ad fructificationem, ille neceſſaria adhibuit.* Neque poſſet Deus jure dicere iſta verba, niſi omnia neceſſaria adhibuiſſet. *Ergo ſequitur concluſio. Reſponſio* eſt per diſtinctionem *duplicis ſufficientiæ*, & *duplicis vineæ; ſufficientiæ externorum mediorum, & æternæ gratiæ. Vineæ bonæ & malæ.* At in reſponſionis priore parte conceditur quod illo loco probatur. Si enim externa illa media talia ſunt, ut per illa ſufficienter ad ſalutem invitarentur & ducerentur, niſi fuiſſent illorum adeo perverſa & prava ingenia, ut tu loqueris, tum ſequitur illa media ſufficientia fuiſſe. Neque opus eſt ad ſufficientiam iſtis mediis gratiæ tribuendam, ut accedat interna gratia certo commutans vineam malam in bonam. Imo dici poteſt neque internam gratiam defuiſſe quanta ſufficiebat ad commutationem cordis, vel ſaltem non defuturam fuiſſe niſi illi perverſitate ſua externa media repudiaſſent. Diſtinctio *vineæ bonæ & malæ*, ad rem hanc non facit. Hoc enim ipſum eſt de quo Deus conqueritur, vineam ſuam ita fuiſſe perverſam, ut ſufficienti culturæ adhibitæ reſpondere noluerit.

Secundum.

Alterum argumentum eſt huiuſmodi. *Si vineæ iſti non dedit Deus omnia neceſſaria ad proferendas uvas, tum abſurde diceret Deus, exſpectaſſe ſe ut faceret uvas. At bene dicit & jure ſuo ſe uvas exſpectaſſe. Ergo dedit illi omnia ad proferendas uvas.* Majoris veritas eſt certa. *Novit enim Deus vineam fructus proferre non poſſe, quæ neceſſariis nonnullis ad fructificationem ſit deſtituta, & ſi id novit, ſcit etiam fruſtraneum eſſe imo ſtultum exſpectare uvas à vinea quæ uvas ferre non poſſet.* Minor eſt in textu. Sequitur ergo conſequens, *ſufficientem gratiam non defuiſſe vineæ.*

Quomodo Deo tribuatur exſpectatio.

Operæ autem pretium eſt conſiderare quid illa *exſpectatio divina* ſibi velit, & quomodo Deo recte tribuatur. *Exſpectatio* qua actus aliquis ab aliquo exſpectatur, nititur proba cogni-

cognitione ſufficientiæ quæ ineſt vel adeſt ei cui actus incumbit præſtandus neceſſariæ ad actus præſtationem, ſecus irrationalis fuerit exſpectatio. Ex tribulis nemo ficus, ex ſpineto roſas exſpectat. Hæc ergo *divina exſpectatio*, niſi irrationalem illam dicere velimus, quod eſt blaſphemum, nititur eadem cognitione. Neque obſtat, quominus illa *exſpectatio* Deo tribui poſſit, propterea quod per infinitatem ſcientiæ ſuæ novit ex ſufficientia iſtarum virium nullum effectum ſecuturum. Illa enim ſcientia omnino non præjudicat ſufficientiæ cauſarum, qua nititur exſpectationis æquitas & ratio. Verum quidem eſt illam ſcientiam efficere quominus Deus falli poſſit. Fallitur autem exſpectans qui fruſtra exſpectat, & cuius exſpectationi non reſpondet eventus. Vnde concludere erit proclive *exſpectationem* Deo nonniſi per ἀνθρωποπάθειαν attribui. Verum & hoc conceſſo, *nihilominus* ſequetur ex eo quod Deo ſpectatio licet impropriè tribuitur, vires *ſufficientes* adfuiſſe illi à quo actu exſpectabatur. Sed, ſi in exſpectatione non tantum illam cognitionem, verum & ſummum deſiderium conſideremus, quo, cui exſpectatio tribuitur, fructuum productionem poſtulat, iſto reſpectu Deo propriiſſime exſpectatio tribuetur. Nihil enim æquè deſiderat ab hominibus, nulla re æquè delectatur. Quod etiam iſta parabola planiſſimè eſt expreſſum. Redeamus.

Inſtantia Perkinſii. Ad ſecundum iſtud *argumentum* nihil dicit *Perkinſius*, ſed aliam inſtantiam ponit quam ſibi facilius refutabilem exiſtimavit. Sed & illam cum reſponſione introſpiciamus. Inſtantia eſt: *Si gratiam proferendi fructus non dedit, qua tamen non niſi ipſo donante haberi poteſt, cum habet Deus juſtam cum Iudæis expoſtulandi cauſam.* Reſponſio eſt *per negationem conſequentiæ*, cuius negationis triplex adſignatur ratio. Prima eſt *quia non debet gratiam, nemini enim eſt obligatus.* Secunda, quia *acceptam in primis parentibus abjecerunt.* Tertia, quia *objectam non expetunt de novo, nec curant.* Imo potius rem bene penſitanti una eſt ratio, ſed tribus iſtis partibus conſtans. Nam cauſa cur Deus jure expoſtulare poſſit cum non ferentibus fructum, hæc eſt, *quod gratiam ad id ſufficientem habuerunt, ſed rejecerunt*: cui cauſæ confirmandæ & adſtruendæ additur, *quod Deus non teneatur ſecundò dare gratiam, & quod, etiamſi teneretur, tamen non negaverit cupientibus ſed non det non cupientibus, imo nec curantibus de gratia.* Cauſa iſta juſtæ expoſtulationis examinanda eſt, & quidem tanto diligentius, quanto frequentius uſurpatur. Quæritur igitur, *an Deus poſſit jure expoſtulare quod fructus bonos non edant illi, qui gratiam ad iſtos producendos neceſſariam in primis parentibus acceptam abjecerunt, ſeu potius amiſerunt, Deo illam juſto judicio auferente.*

Examinatur ad hanc data Reſp.

Ad thematis illius tractationem neceſſe eſt ut primum diſpiciatur *an Deus fructus poſtulare poſſit, ab iis qui gratiam ad iſtos producendos neceſſariam in primis parentibus acceptam punitione Dei amiſerunt*, hoc eſt, *qui gratia neceſſaria ſunt deſtituti, licet ſuo ipſorum merito?* ex quo facile ſequetur ſolutio quæſtionis, an poſſit jure poſtulare cum iſtis talibus, ſi fructus non producant? Ad primum igitur quod attinet. Omnis poſtulatio divina qua à creatura aliquid poſtulat, lege præſcribitur. Lex autem duabus con-

An Deus fructus poſſit poſtulare ab iis qui gratia hac ſua culpa deſtituuntur.

conſtat partibus, mandato & ſanctione. Mandatum quo actus præſcribitur vel vetatur, hoc non debet ſuperare vires eius cui mandatum ponitur. Sanctio continet promiſſionem præmii obedienti, denuntiationem pænæ tranſgreſſori factam. Vnde conſtat duplex eſſe legis poſtulatum, obedientiæ & pænæ. obedientiæ eſt prius & abſolutum: pænę eſt poſterius; & locum non habet niſi quando obedientia præſtita non eſt. Vnde & duplex eſt ſatisfactio legis, una qua præſtatur obedientia lege præſcripta, altera, qua perſolvitur pæna à lege inobedientiæ poſita. Qui alteram ſolvit, ille à legis altero poſtulato immunis eſt. Qui itaque pænam ſolvit lege poſitam, ille immunis porro eſt obligatione obedientiæ præſtandæ. Hoc generatim de pæna quacunque verum eſt. Quod ſi pæna inobedientiæ poſita in ſe comprehendat privationem illius gratiæ ſine qua lex præſtari nequit, tunc ſane duplici jure videtur ita punitus immunis eſſe ab obligatione obedientiæ, tum quia pænam paſſus debitam, tum quia orbatus illis viribus ſine quibus lex præſtari nequit, & orbatus per actum punitionis à Deo ipſo legiſlatore peractæ, quod emphaſim habet. Ita enim excluditur illa ratio quam nonnulli adferunt, dicentes, ſervum teneri domino præſtare obſequium ſive ſervitium, etiamſi manus ſibi ipſi amputarit ſine quibus id præſtare nequit. Eſt etiam diſſimilis ratio. Nam culpa & peccatum ſervi in eo conſiſtit quod ipſe ſibi manus præſciderit, ibi vero Deus ipſe legiſlator aufert vires, propterea quod iis non ſit uſus qui acceperat: juxta dictum, *Habenti dabitur*, &c. Imo ſervus ille meritus eſt pænam iſto maleficio, quam ſi perſolvat, non poteſt Dominus ab illo poſtea ſervitium poſtulare non præſtabile ſine manibus. Videtur ergo concludendum quod Deus fructus poſtulare non poſſit ab iis, quibus ipſe, licet ipſorum merito, ademit vires, neceſſarias ad fructus proferendos. Perſiſtamus in arboris ſimilitudine. Arbor quæ fructum non fert meretur excidium: at ubi iſto ſupplicio affecta eſt, nemo ullo jure ab illa fructum poſtulare poteſt.

Hinc ergo ſequitur ſecundum: *Deum non poſſe jure expoſtulare cum illis, qui fructum non producunt, ſi gratia ad id neceſſaria ipſa punitione Dei ſunt deſtituti.* *An cum talibus ſi fructus non ferant poſſit expoſtulare.* Neque ad rem facit, quod Deus non teneatur illis reſtituere gratiam. Nam ſicuti non tenetur reſtituere gratiam, ita non poteſt poſtulare actum obedientiæ: & ſi vult actum poſtulare, tenetur reſtituere gratiam ſine qua actus non eſt pręſtabilis. Sic neq; hoc ad rem facit, quod amiſſam gratiam non expetant. Eo enim bis merentur non recipere gratiam, tum quia ſua culpa amiſerunt, tum quia amiſſam non expetunt: ſed eo ipſo non accipit Deus jus poſtulandi actum ſine illa gratia non præſtabilem. Hæc ad reſponſionem inſtantiæ oppoſitam.

Objectio ſecunda eſt ex loco Math. 23. *Secunda objectio.* *Quoties volui congregare tuos filios, at tu noluiſti.* Ex quo loco *Bellarminus* ita argumentatur ad probandum eſſe aliquam gratiam ſufficientẽ. *Si non juvit Chriſtus Iudæos ut poßent velle, quos ſciebat per ſe non velle, tum non potuit jure conqueri de nolentibus. At jure conqueſtus eſt de nolentibus. Ergo juvit eos ut poßent velle.* Nititur *iſta argumẽtatio hac hypotheſi, quod nemo jure conqueri poßit de aliquo,*

quod actum non præſtiterit quendam, ad quem præſtandum vires ſufficientes non habuit.

Examinatur prima reſp. Reſponſio tua ad illam objectionem eſt *duplex*. *Prior* quæ eſt per diſtinctionem voluntatis *beneplaciti & ſigni* ad rem objectionis prorſus non facit. Neque enim dicit *Bellarminus* Chriſtum voluiſſe illos colligere voluntate beneplaciti, ſed aperte negat, & ex ipſo loco id comprobari poſſe adfirmat. Nam collectio quæ fit per voluntatem *beneplaciti*, non ſufficiens modo eſt, ſed & efficax. Eſto ergo collectio iſta per voluntatem quæ *ſigni* dicitur, ſed & ex eo ſequitur id quod concludit *Bellarminus*. Nullo enim modo volendi vult colligere, ſi non adjuvet, vel adjuvare paratus eſt ut poſſint velle & ipſi quos vult colligere: adeoque falſum eſt id quod dicitur, *Deum poſſe velle voluntate ſigni Iudæos colligere, licet non adjuvet ut poſſint velle & ipſi.* Hujus enim voluntatis neceſſarium conſequens ſive effectum eſt auxilium ſufficiens, quo & ipſi Iudæi velle poſſint. Contradicentia autem ſunt licet indirecte, *vult colligere, &, non vult dare auxilium ſufficiens quo poſſint velle colligi Iudæi, qui niſi volentes colligi non poſſunt.* Addis huic reſponſioni id quod ad primam objectionem quoque dictum fuit, quare non neceſſe ut hic repetatur.

Secunda. *Secunda reſponſio* eſt, *quod Chriſtus hic non loquitur ut Deus, ſed ut Miniſter circumciſionis.* Eſto. Voluit ergo illos colligere ut Miniſter circumciſionis, & quidem talis Miniſter qui poteſtatem habebat baptizandi Spiritu ſancto. Declarat ergo iſta ſua volitione ſe gratiam illis ſufficientem aut dediſſe, aut dare paratum eſſe, citra quam colligi non poterant.

Verum in loco *Eſa. 5. Deus* ipſe loquitur, qui potens eſt efficaciter emollire & convertere corda, & inquit; *Quid amplius faciam vineæ meæ?* Reſpondebit quis ex ſenſu iſtius tuæ reſponſionis: emolliviſſes corda & convertiſſes illos & hoc decuit te facere. Nam Deus es, & ibi locutus ut Deus. Abſurda igitur & inconveniens ſolvendæ objectioni eſt iſta diſtinctio. Videmus ſane quam infirmis fundamentis nititur ſententia iſta, quæ alias reſponſiones ad ſolvenda objectamenta probare nequit.

Tertia objectio ex 7. *capite Actorum: Vos ſemper reſiſtitis Spiritui ſancto* Ex quo loco dupliciter argumentatur *Bellarminus*. Primo. *Quibus non inſpirantur bona deſideria, illi non poſſunt dici reſiſtere Spiritui ſancto. At Iudæi dicuntur reſtitiſſe. Ergo bona deſideria illis inſpirata quibus poterant converti.* Secundo. *Qui non poſſunt non reſiſtere, ille jure argui non poſſunt quod reſtiterint. At jure redarguntur Iudæi à Stephano. Ergo potuerunt non reſiſtere: &* per conſequens ex utraque concluſione deducitur, *habuerunt gratiam ſufficientem ad non reſiſtendum imo ad aſſentiendum Spiritui ſancto.* Poſterior probatio eſt firmiſſima. Adverſus priorem quanquam aliquid dici poſſit, tamen levi additamento & illi robur dari poſſet adverſus quaſvis contradictiones. 1:8. *Tertia objectio.* *Ex Act. 7. duplex argumentum.*

Sed reſponſionem tuam videamus: illa tota inepta eſt, & partim prorſus ridicula. Fatetur enim *Bellarminus* hoc non dici *quoad efficacem operationem Spiritus.* Nam diſtinguit aperte inter *ſufficientem & efficacem* gratiam ſive operationem. Imo hoc ipſum agit iſtis locis adductis ut doceat concedendam eſſe partitionem auxilii ſpecialis in ſufficiens & efficax. *Examinatur Reſp. Pereſi.*

efficax. At dicitur quoad externum *miniſterium* prophetarum. Sane. Sed *miniſterium* per quod Spiritus ſanctus vult operari: ſecus qui illi ſe opponit, Spiritui ſancto reſiſtere nequit. Subordinata ſunt illa, & hucuſque conjuncta, ut Spiritus per miniſterium, ſaltem ſufficienter velit operari. *Lombardi* interpretatio verè digna eſt Lombardo Scholaſticæ Theologiæ parente, & indigna quam tu *Perkinſe*, in tanta Euangelii luce proferas circa acrem reprehenſionem. refutationem illius non addo, quia interpretationis perverſitas prima fronte adparet intuentibus.

Quarta objectio. *Locus quartus* quam tu *objectionem tertiam* feciſti, eſt ex *cap.* 3. *Apocalypſeos. Ego ſto ad oſtium & pulſo.* Hinc *Bellarminus. Qui oſtium pulſans certo ſciens neminem eſſe intus qui aperire poſſit, ille fruſtra pulſat, imo ſtultus eſt. At abſit ut hoc de Deo cogitemus. Ergo, quum Deus pulſet, certum eſt hominum aperire poſſe, & per conſequens habere gratiam ſufficientem.* Reſponſio tua Perkinſe adverſus Bellarminum non pugnat. neque enim ille inde concludere vult *gratiæ univerſalitatem*, ſed *eſſe quandam gratiam ſufficientem* cui tu non contradicis. An vero illa ſufficiens gratia univerſalis ſit, hoc eſt, omnibus in univerſum & ſingulis hominibus contingat, alio loco diſputatur à Bellarmino: cuius ſane ego non ſuſcepi defenſionem, neque velim. ſed neceſſe eſt ut veritatem amemus à quocunque demum dicatur.

Erratum decimum. *Decimum erratum* eſt tibi, quod illa *hypotheſis* quam *oppugnas ſecum pugnet*: validum ſane confutationis genus. Sed quomodo commonſtras. Sententiam illam contrarietate laborare? imprimis impingis illi injuria quod ſentiat *Deum ſtatuiſſe omnia natura & gratiæ adjumenta conferre omnibus.* qui poſſit? quum fateatur, *gratiam eſſe aliquam efficacem quam Deus non impartitur omnibus.* Imo tu tibi in explicatio ie illius non conſtas. Dicis enim illum dicere, *Deum omnibus conferre omnia adjumenta*, & poſtea dicis illum dicere, *quod Deus non omnibus det ut actu perſeverent, ſed tantum ut poſſent perſeverare, vel velle perſeverare.* An inter omnia adjumenta non eſt ipſum domum actualis perſeverantiæ. Quomodo unum & alterum affirmabitur ſine contradictione? Corrige errorem. ubi correctus, videbis te debuiſſe dicere de gratia illa efficaci; *ſine qua nemo actu ſalutem conſequitur.* At vero non deeſt Deus illis quibus dat gratiam qua poſſunt ſalvari, licet non det gratiam qua actu ſalvantur. Verba illa, *perſeverando ſalutem conſequi*, ita eſſent ponenda; *perſeverare & ſalutem conſequi.* Confundis per errorem actum cum potentia, efficacitatem cum ſufficientia.

Undecimum erratum. *Undecimo* ſententiæ iſti impingis *quod hæreſes olim damnatas interpolet*, nempe *Pelagianorum.* quod tamen poſtea ipſe videris lenire, eò quod *Pelagiani* bene agendi facultatem vel naturæ in ſolidum, vel ex parte tantum gratiæ tribuerint; hæc vero ſententia gratiæ in ſolidum. Sed reprehendis, quod *gratiam univerſalem faciat, atque ita ſe magis involvat.* Sed de eo aliquid antea dictum. Quanti autem refutatio tua? Quid enim ſi quis dicat omnes in univerſum homines habere potentiam credendi & ſalutem conſequendi ſi velint, & hanc ipſam potentiam eſt naturæ hominum divinitus collatam, quo tuo argumento confutabis illam? non enim

enim inde ſequitur, *naturam & gratiam æque late patere.* nam poſſe credere naturæ eſt, credere gratiæ. Sic & poſſe velle atque velle ſe habent. *Deus efficit in vobis*, &c. *vobis datum ut credatis.* In eo autem veritati injuriam facere videris, quod Pelagianum eſſe dicas, *hominem poſſe nolendo grati reſiſtere:* Nulla Scripturæ pagina eſt quæ hoc non doceat. An homo ſtipes eſt qui per puram putam neceſſitatem naturalem aſſentiatur gratiæ? Si id falſum, homo ergo libere conſentit, & propterea potuit non conſentire, id eſt, reſiſtere. Quorſum alioquin minæ & promiſſiones? Hominem poſſe *gratiam Dei volendo ſequi*, de potentia remota explicatum, & quæ purè paſſivè ſe habeat, & alio nomine capacitas dici poteſt ad recipiendam potentiam activam & propinquam, qua quis velle poteſt aſſentiri gratiæ, non eſt Pelagianum. Vtinam qui hodie prædeſtinationis dogma tractant, ſententiam ſuam *fatalem neceſſitatem* non inducere probent. *Catholici* hoc olim fecere. *Par crimen* quod illis & hiſce impingitur *non indicat parem cauſam*. Fieri poteſt ut illi ab hiſce diſceſſerint, & ita doctrinam tueantur obnoxiam objectamento huic.

Vltimum Erratum. *Vltimo* objicis *hypotheſin hanc convenire cum ſententia pontificia de prædeſtinatione.* eſto ſane: An propterea falſa? Tu proponis quidem illam, ſed non refutas, at putas tam abſurdam eſſe ut propoſuiſſe ſufficiat, & explicationem vice refutationis ſufficere. Sed quid ſi defendendam iſtam ſententiam ſuſcipiat quis, quomodo refutares? Experiamur: *Deus prævidit ab æterno hominum naturas & peccata. hæc præviſio præcedit decretum quo ſtatuit Chriſtum dare Salvatorem mundo. Præviſio peccatorum, inquam, plerorumque. nam peccatum crucifixionis Chriſti non prævidit, niſi poſt decretum illud jam factum.* Negligenter itaque explicuiſti ſententiam iſtam, qui hæc non diſcernas. Inde decrevit Deus, *dare propter Chriſtum gratiam ſufficientem qua ſalvari poſſint homines.* an omnibus? hoc non dicunt Pontificii. jam *prædeſtinavit ad vitam quos prævidit in gratia vitam finituros quæ ipſis Dei prædeſtinatione fuit præparata.* hæc ſane non abeunt ab Auguſtino.

Theorema tuum eſt. *Deum non revelaſſe Chriſtum omnibus hominibus & ſingulis.*

Ad prædeſtinationis & gratiæ ſingularitatem adſtruendam, non magnopere tibi ſervit Theorema iſthoc: eo quod illi contra quos diſputas etiam ſuppoſita illius veritate duplici tibi occurrunt ratione. 147. 148. *Reſpondetur ad propoſitum theorema duplicitor.*

Prima eſt, cauſam cur Deus non omnibus & ſingulis hominibus Chriſtum revelet, hanc eſſe, quod parentes illorum verbum Euangelii repudiaverunt: quo pacto ſivit & parentes & poſteros ire in viis ſuis, idque tanto tempore quanto juſtitia Dei & ipſorum peccata videntur poſtulare. *Primo.*

Secunda eſt, quod interea dum Chriſti cognitione deſtituuntur, non tamen ſine teſtimonio Deus ſe reliquerit, ſed & illo tempore aliquam veritatem de potentia & bonitate ſua illis patefecit, legem quoque mentibus inſculptam conſervaverit: quibus bonis ſi recte uſi fuiſſent, ſaltem ex conſcientia majorem ipſis gratiam conceſſurus fuiſſet, ſecundum illud, *habenti dabitur.* Eorum vero abuſu vel non uſu indignos ſe fecerunt etiam iſta Dei miſericordia, & propterea inexcuſabiles, & ſine *Secundo.*

lege

lege damnandos per cogitationes ipſos accuſantes. Act. 14. & 17. Rom. 1. & 2. Cæterum quod Deus promiſſionem de Meſſia ulli hominum abſconderit ante iſtam repudiationem, ex Scripturis probari non poteſt. Imo contrarium evinci poteſt ex iis quæ de *Adamo*, eiuſque poſteris, & *Noacho* & eius liberis in Scriptura narrantur. Paulatim autem venit defectio, & Deus tunc non tenetur ſingulis momentis novam revelationem mittere hominibus, qui nec illa revelatione quam adhuc habent recte utuntur.

Conſectaria. Et hinc patet quid de *conſectariis* iſtis judicandum ſit.

Ad *primum*, cauſa *non revelatæ omnibus hominibus promiſſionis de benedicto ſemine*, eſt tum culpa parentum repudiantium illam, tum ipſorum qui veritatem quam habuerunt in injuſtitia detinuerunt.

Ad *ſecundum*, eadem eſt reſponſio.

Ad tertium, *Omnes homines aliqua vocatione vocantur*, nempe per iſtam teſtificationem Dei, qua adduci poſſunt ut palpando Deum inveniant, & illa veritate quam in injuſtitia detinent, hoc eſt, cuius in ſe effectum impediunt: & illa legis in mentes inſcriptione, ſecundum quam cogitationes habent ipſos accuſantes. Hæc autem vocatio quanquam ſalutaris non eſt, utpote ex qua ſalus immediate obtineri non poſſit, tamen præcedanea poteſt dici ſalutari, qua Chriſtus offertur: quæ ipſam recte uſurpatam ex Dei miſericordia ſit conſecutura.

Ad quartum dicitur quod *nemo dixit regulam prædeſtinationis eſſe præſcientiam fidei, vel infidelitatis*, ideoque fruſtra id impugnatur. Verum quod aliqui damnentur per ſolam legem, id rariſſimum eſt, & propterea propter ipſorum impænitentiam, quanquam non propter Chriſtum repudiatum.

APPENDIX

Ad ſuperiorem libellum: continens Tractatiunculam materia congeneris, Analyſin, videlicet, brevem Noni capitis Epiſtolæ Pauli ad Rom. ante multos annos à IACOBO ARMINIO *ſcriptam ad* GELLIUM SNECANUM, *cum primum Iſagoge ipſius in idem hoc caput in lucem prodiiſſet: circa quod tempus* ARM. *hoc ipſum caput Amſtelodami pro concione recenter pertractarat.*

Eximio Dei viro *Gellio Snecano*, Symmiſtæ in Chriſto dilectiſſimo, ſalutem & bene per Chriſtum agere precor,

IAC. ARMIN.

NOn facile dixerim, Vir præſtantiſſime quanto affectus ſim gaudio ex commentarii tui in 9. cap. Epiſt. ad Rom. lectione & ſeria meditatione. Quum enim viderem te idem in ſcopo Apoſtoli & præcipuorum argumentorum tractatione animadvertiſſe, quod non ita pridem commiſſo mihi populo publice in eiuſdem capitis explicatione propoſueram; valde in iſta ſententia ſum confirmatus: tum quia plurimum tuo judicio tribuo, tum quia id probum ex adjunctis rationibus cognoſcebam. Itaque non poſſum, quin pro gratiarum actione viciſſim tibi ſummatim tranſcribam, quibus ego veſtigiis in eiuſdem cap. explicatione inſtiterim, & quæ me cauſæ impulerint iſtum tramitem inire: non quo mutuum conſenſum teſter tantum, ſed & confirmem, quantum in me erit. Ingenue fateor, ſemper mihi iſtum locum denſiſſimis obſitum tenebris viſum fuiſſe, difficillimæque explanationis, quoad per hanc viam lux immiſſa tenebras diſcuteret, ſuaque claritate locum illuſtratum intellectui perſpiciendum præberet. Sed ad rem venio ipſam. Initio quod ad ſcopum, is idem eſt, quo totius Epiſtolæ: *Euangelium, non legem, eſſe potentiam Dei ad ſalutem, non operanti ſed credenti: Quia in Euangelio ſit patefacta juſtitia Dei, qua per fidem in Chriſtum apprehenſam, ſalus obtineatur.* Hoc autem caput ſuas partes agit in confirmatione iſtius propoſitionis, & quidem peculiares. Tuetur enim illam adverſus objectiones Iudæorum, qui omnibus viribus eam, ut ſibi noxiam & injuriam, conabantur evertere: atque ita tuetur adverſus incurſus, ut magis magiſque eam ſtabiliat, & per refutationem objectionum, antejactis fundamentis robur & firmamentum addat, ab ipſo *divino verbo & propoſito*, quod Iudæi ſtrenue pro ſe ad Paulini dogmatis demolitionem torquebant. Hunc eſſe ſcopum ipſa cohærentia commonſtrat: cuius ratio

Scopus huius capitis idem eſt qui totius Epiſtolæ quem Apoſtolus hoc capite contendit verſus modo obiectiones Iudæorum.

ratio petenda, partim ex propoſitione hac antecedente, *Iudæorum plerique ſunt rejecti*, quæ incluſa eſt proœmii propoſitione hac, *velim ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, &c.* partim ex conſequentis negatione; *neque tamen in te ſequitur verbum Dei excidiſſe.* Quæ duo unico enuntiato compræhenſa, per diſcretionem efferentur hoc pacto: *Quanquam Iudæorum plerique ſunt rejecti, tamen verbum Dei propterea non excidit.* Vnde luce clarius apparet, oppoſitam iſti negationi affirmationem Paulo à Iudæis fuiſſe objectam, ut dogma illud Pauli, unde tam abſurdum ſequeretur conſequens, per antecedentis iſtius interpoſitionem (quod immediate ex dogmate iſto Pauli ſequebatur) falſitatis convincerent, & tanquam abſurdum refutarent, hoc pacto: *Si Iudæorum plerique ſunt rejecti, tum verbum Dei excidit: At fieri non poteſt ut verbum Dei excidat: Ergo Iudæorum plerique non ſunt rejecti.* Quomodo autem hoc facit adverſus Apoſtolum? Propoſuerat ille dogma quod neceſſario Iudæorum magna ex parte rejectionem inducebat, nempe *de juſtitia & ſalute per fidem in Chriſtum non ex operibus legis obtinenda.* Hinc concludere Iudæis promptum erat; *Si juſtitia & ſalus conſtant fide in Chriſtum quem Paulus prædicat, tum ſequitur magnam Iudæorum partem eſſe rejectam à fœdere.* Ratio conſequentiæ: *Quia Iudæorum plerique in Chriſtum non credunt. At falſum eſt Iudæorum pleroſque à Deo eſſe rejectos: ſic enim exciderit verbum Dei: Ergo Apoſtoli Pauli dogma id, unde iſtud conſequens deducitur, eſt abſurdum.* Hanc objectionem, caſum & internecionem ſuo dogmati minitantem, refutandam ſibi Apoſtolus putavit; docendo principium illud indubitatum, quod Iudæi tanquam fulcrum ſuę objectioni præſtruebant, ſuæ cauſæ non tantum non obeſſe, verum etiam inſigniter patrocinari. Cæterum ſtatus quæſtionis inter Apoſtolum & Iudæos controverſę ritè eſt conſtituendus. Id enim magnum toti negotio adferet momentum. Ille non eſt: *An Iudæorum plerique ſint rejecti*; neque, *an verbum Dei excidere poſſit.* Hoc enim Apoſtolus fatetur nefas eſſe vel cogitare: illud poſtea apertis Scripturæ teſtimoniis comprobabit: At ex utroque quæſtio eſt conſtituenda: *An verbum Dei exciderit, ſi Iudæorum plerique ſint rejecti.* Sed neque hoc ſatis. Nam iſtius queſtionis ſolutio totam diſputationem non abſolvit, neque omnes difficultates exhaurit. Fac enim id Apoſtolum argumentorum vi obtinere: fieri poſſe ut nonnulli imo plerique Iudæorum ſint rejecti, & nihilominus firmum maneat verbum Dei; annon ſupererit hæc quæſtio; *Vtrum verbum Dei non excidat, ſi illi ex Iudæis ſint rejecti, qui ex lege ſummo zelo juſtitiam ſectantur?* Sane. Facile enim erit Iudæis excipere ad illius quæſtionis ſolutionem: utut firmum maneat verbum Dei multis Iudæorum rejectis, nos tamen ſub eorum numero comprævhendi non poſſumus, quin irritum fiat verbum Dei. Itaque qualitas iſta adjecta totum ſtatum quæſtionis complebit hoc pacto:

An non verbum Dei irritum fiat, ſi illi ex Iudæis, qui non ex fide ſed ex lege juſtitiam quærunt, à Deo rejiciantur.

Hæc enim quæſtio ſcopo eſt accom-

Objectio principalis Iudæorum, ex Pauli doctrina ſequi verbum Dei excidere.

Eius occaſio.

Item ne la[illegible] ex[illegible] ca. 10.

Inquiritur in ſtatum controverſiæ inter Apoſtolum & Iudæos, removeturque inſufficiens & non accommodatus ſcopo.

Adſignatur verus ſcopóq; accommodatus.

accommodata: huius ſolutio diſputationem finit, & difficultates omnes exhaurit; hanc Apoſtolus tractat; ut patet ex argumentis, quæ adfert ad eius ſolutionem. Neque enim id à quæſtione eſt ſejungendum, quod quæſtioni occaſionem dedit, & cuius refutandi cauſa principium illud de verbi Dei conſtantia à Iudæis eſt adductum: quodque Apoſtolus adverſus Iudæos conatus eſt quam maxime aſſerere. Hoc itaque in quæſtione hac maxime attendatur; *an non verbum fœderis cum Iudais initi fiat irritum, ſi Apoſtoli dogma de juſtitia & ſalute ex ſola fide in Chriſtum, non ex lege aut operibus legis obtinenda, locum inveniat, & pro ſalutis fundamento habeatur.* Quantum autem inter duos iſtos illius quæſtionis ſtatus interſit, & cuius iſta differentia ſit momenti, facile vides. Quæſtio enim iſta hoc modo propoſita, *annon verbum Dei irritum fiat ſi Iudæorum plerique rejiciantur*, hac reſponſione tolli poteſt: *Deum quidem verbo promiſſionis omnes Iudæos invitare & vocare ad fœderis communionem, ſed tamen æterno ſuo decreto & propoſito conſtituiſſe reipſa iſtius facere participes nonnullos tantum ex Iudæis, reliquis præteritis & in priore ſtatu relictis.* Quam etiam nonnulli dicunt ſummam eſſe Apoſtolicæ reſponſionis ad propoſitam quæſtionem.

Oſtenditur diverſitas utriuſque ſtatus ex diverſitate reſponſi quoad quæſtionem illo vel hoc modo conceptam reſpondendum eſt.

At quæſtio hoc poſtremo modo propoſita: *Annon verbum Dei irritum fiat, ſi illi ex Iudæis; qui non ex fide, ſed ex Lege juſtitiam quærunt, à Deo rejiciantur*, non niſi hoc reſponſo ſolvi poteſt: *Deum illo ipſo ſuo verbo & ſermone promiſſionis ſignificaſſe, ſe illos tantum ex Iudæis filiorum nomine cenſere, qui juſtitiam & ſalutem ex fide eſſent ſectaturi, iſtos vero qui ex lege eaſdem ſectarentur, extraneorum, loco habere.* Duo autem iſta reſponſa plurimum differunt. Priore enim Decretum prædeſtinationis juxta ſenſum Bezæ & aliorum definitur; poſteriore juxta tuum. Sed abſit ideo talem à me proponi quæſtionem ut aliquam tuam vel meam ſuper prædeſtinationis decreto ſententiam, iſthoc reſponſo confirmem, quod ſolum video aptum eſſe tali quæſtioni ſolvendæ. Verum ipſe locus inſpectus declarabit quæſtionis ſtatum eſſe illum, quem dixi: ſi tamen ex argumentis ad quæſtionem tractandam adductis & concluſione, rectum de quæſtionis ſtatu judicium fieri queat: quod nemo, qui vel πρόθυρον παιδείας à limine ſalutaverit, inficiabitur. Illa igitur in Apoſtoli reſponſione conſideremus. Primo negat Apoſtolus conſequentiam, id eſt, conſequentis iſtud, *verbum Dei excidit*, ex antecedente illo, quod Iudæi poſuerunt, ullo modo conſequi: his verbis, *Non quod exciderit*, vel *fieri tamen non poteſt ut exciderit verbum Dei.* Subjungit deinde negationis rationem, & implexam rationi probationem ex ſcriptura ἀλληγορικῶς, & dictata à Deo, & ab Apoſtolo explicata. Ratio eſt a diſtinctione Iudæorum, & duplici eorundem genere, reſpectu huius verbi & propoſiti divini: vel a duplici ſemine Abrahami, quorum unum tantum verbo iſto & propoſito comprænhendatur. *Non enim* (inquit) *omnes qui ex Iſraele ſunt, ſunt Iſrael, neque quia ſemen Abrahæ, omnes ſunt filii:* ſed ſunt inter eos alii *filii carnis*, & alii *filii promiſſionis*: unde concluditur: Si verbum Dei omnes ad unum Iſraelitas non comprænhendat, id non excidere, etiamſi aliqui ex illorum numero rejiciantur: & multo

Negat Apoſtolus ex ſua doctrina ſequi verbum Dei excidere priore parte v. 6.

Ratio negationis reliquo verſ. 6. & ſeqq.

multo minus, ſi illi rejiciantur quos conſtat verbo ipſo nunquam fuiſſe compræhenſos. Quod omnino addendum fuit, aut quæſtioni nullo modo potuit ſatisfieri; imo & additum fuit ab Apoſtolo, ut apparet. Neque enim tantum dicit, non omnes eſſe compræhenſos ſub verbo iſto; ſed & deſcribit quinam ſint iſti qui filiorum loco habeantur à Deo, & qui iſtoc nomine non cenſeantur. Nam *filii carnis* à fœdere alieni, & *filii promiſsionis* fœderis participes ab Apoſtolo appellantur. Vnde talis concluſio fieri poteſt objectionis Iudaicæ refutatoria.

Syllogiſmus refutatorius obiectionis Iudæorum principalis; cum aliquali retorſione.

Si verbum Dei ſolos filios promiſſionis comprahendit, excluſis filiis carnis; tum ſequitur verbum Dei non excidere, etiamſi filii carnis rejiciantur: imò excideret ſi admitterentur iſti qui deſcriptione ipſa conditionis fœderis excluduntur.

At verbum Dei ſolos filios promiſſionis comprahendit, excluſis filiis carnis.

Ergo verbum Dei non excidit, etiamſi filii carnis rejiciantur, &c.

Et per conſequens, *verbum Dei non excidit ſi Iudæorum plerique ſint rejecti, modo illi ipſi ſub numero filiorum carnis comprahendantur* quod ita eſſe patet ex deſcriptione filiorum carnis.

Quinam ſint filii carnis & promiſsionis ex ſenſu Apoſtolico.

Nam *filii carnis* Apoſtolo hoc loco ſunt, qui *per opera legis juſtitiam & ſalutem conſectantur.* Et de huiuſmodi valet conſequens, ex dogmate *de juſtitia & ſalute per fidem in Chriſtum* conſequenda deductum. Ex eo enim non ſequitur, *Iudæos aliquos eſſe rejectos, niſi cum hac nota*, utpote *qui in Chriſtum non credunt*, ſed ex *lege juſtitiam ſectantur. Filii* vero *promiſſionis ſunt illi, qui fide in Chriſtum juſtitiam & ſalutem quærunt.* Quæ filiorum carnis & promiſſionis deſcriptio ex Scripturis ita eſt plana, ut probatione longiore non indigeat. Fundamenta autem probationem ex cap. 4. 9. 10. huius epiſtolæ peti poſſunt, etiam ex cap. 3. & 4. epiſt. ad Galatas, ut tu annotaſti, & ego populo cum hæc tractarem propoſui. Ex hac itaque quæſtionis tractatione patet, illam iſto ſecundo modo cum rejectorum qualitate fuiſſe proponendam. Iam vero probatio iſtius rationis eſt conſideranda, quæ quidem eſt aſſumptio refutatorii ſyllogiſmi. Propoſitionis enim conſequentia per ſe eſt clara & manifeſta. Probat igitur Apoſtolus verbum promiſſionis & fœderis ſolos filios promiſſionis complecti, excluſis filiis carnis, idque *duplici typo*, uno ex domo *Abrahami*, altero ex *Iſaaci* familia deſumpto. Duo autem utrique probationi ſunt præſupponenda, ambo Apoſtolica nixa autoritate, quæ nobis debet eſſe ſacroſancta. Vnum quod *Iſmael & Iſaac, Eſau & Iacob* non in ſeſe, ſed ut *typi*, iſtis quos adfert locis, ſunt conſiderandi. Alterum, quod ut *typi filiorum carnis & promiſſionis*. Neutrum enim probat Apoſtolus, ſed utrumque ſumit, nec injuria. Certo enim certius eſt ex ipſis locis inſpectis ita eſſe ut Apoſtolus inquit Gal. 4. ἀλληγορούμενα, & primum ſenſum, quem Deus illis locis ſignificare voluit, eſſe, non literalem, ſed, allegoricum. His præſuppoſitis, vis argu-

Probatur adſumptio Syllog. refutatorii ex aliquot Vet. Teſtam. locis allegoricè ſive typicè accommodatis.

Typus notatur duplex, unus in familia Abrahami, alter in Iſaaci.

menti Apoſtolici eſt in typorum & antyporum convenientia, quæ tanta eſt quãta immutabilitas & conſtantia illius, qui iſtos voluit eſſe typos iſtorum antityporum. At obſervandum convenientiam iſtam non eſſe in uno tertio univoce ſumpto, ſed in χέσει & habitudine unius ad alterum mutua, ſemper ſervata propria typi & antitypi differentia. Quod moneo ne quis putet neceſſum eſſe, ut is qui repræſentat filios carnis, ſit ipſe filius carnis eiuſdem definitionis modo. Nunc ad ſingula. Probatio ex primo typo nititur his duobus Scripturæ locis; *In Iſaac vocabitur tibi ſemen, & hoc tempore veniam & erit Sara filius.* Ex quibus ita concluditur præſuppoſita iſta convenientia.

Fundamenta prioris typi verſ. 7. & 9.

Concluſio ex priore parte typi primi.

Iſaac cenſetur in ſemine.
Iſaac eſt typus omnium filiorum promiſſionis.
Ergo omnes filii promiſſionis cenſentur in ſemine.

Propoſitio eſt his verbis compræhenſa; *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Aſſumptio partim iſtis, *Promiſſionis enim ſermo eſt iſte: Hoc tempore veniam & erit Sara filius*; Partim iſta convenientia, de qua eſt dictum. Verum non tantum concluditur omnes filios promiſſionis cenſeri in ſemine, ſed & *ſolos*. Iſta enim quæ de Iſaaco dicuntur, ad excluſionem faciunt Iſmaelis; quod ſignificat Apoſtolus per adverſativam particulam. *Sed* adjunctam membro ſuperioribus negationibus oppoſito, *ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen*: unde ita concluditur,

Concluſio ex poſteriore parte typi prioris.

Iſmael non cenſetur in ſemine.
Iſmael eſt typus omnium filiorum carnis.
Ergo nulli filii carnis cenſentur in ſemine.

Scio quidem in iſta figura non concludi niſi particulariter, at firmitas concluſionis nititur convenientia quæ eſt inter typum & id quod typo adumbratur per immutabilem Dei voluntatem. Et ſcimus per neceſſitatem materiæ ſæpe concludi, quod per formam ſyllogiſticam concludi nequit. Hic multa nobis dicta ſunt de congruenti mutuæ iſtius inter *Iſmaelem & filios carnis, Iſaacum & filios promiſſionis*, affectionis ratione: quo pacto per utriuſque nativitatem commodo id ſignificatum, quod Apoſtolus typo iſto præfiguratum dicit. Sed non puto opus eſſe hic illa repetere, quia explicandæ ſententiæ tantum, non confirmandæ ſerviunt, quę nobis Apoſtolica autoritate eſt ſatis comprobata: nempe *filios carnis* per *Iſmaelem*, *filios* vero *promiſſionis* per *Iſaacum* ſignificari.

Sequitur nunc alter typus ex *familia Iſaaci* deſumptus; quo Apoſtolus dicit idem quod priore, declaratam eſſe, quum dicit: *neque hic ſolum ſed & Rebecca*, &c. Itaque ad eundem finem locus adductus eidem ſcopo convenienter eſt explicandus. Tria autem hic ordine conſideranda. *Primò* circumſtantiæ quædam huic typo peculiares, quæ multum ponderis Apoſtolicæ probationi adferunt; & quibus prævenit Apoſtolus, quidquid adverſus typum priorem cauſæ ſuæ noxium, adferri à Iudæis poſſe prævidebat. *Secundò* verbum domini quod fuit ad *Rebeccam*, quod typica comprobatio continetur, illuſtratum ab alio loco poſterioris prophetæ. *Tertiò* explicatio quam Paulus

De ſecundo typo, locisque quibus ornatur verſ. 10. 11. 12. 13.

Ad duo præviſionem antecedentem ſunt notanda.

Paulus προσδιορισμὸς a fine & ſcopo iſtius divini oraculi adfert. *Quod ad primum*, poterant Iudæi adverſus typum priorem objicere, non mirum eſſe, ſi *Iſmaele* repudiato *Iſaacm* eſſet a Deo in filium adoptatus: tum quia *Iſmael* eſſet natus ex *ancilla*, *Iſaac* ex *libera*, tum quia, antequam Deus id *Promiſsionis verbum Sara* annunciaret, *Iſmael* jam natus erat, & ea perpetraſſe poterat, quę illum indignum iſto honore & fælicitate facerent. Hiſce occurrit Apoſtolus, & ad primum reſpondet, rem in *Eſavo & Iacobo* aliter habere, qui ambo *eodem patre & eadem matre*, imo & *eodem partu ſint editi*. Ad alterum: Illud *Rebecca* dictum, quum adhuc gemellos in utero geſtaret, & propterea, *nondum natis pueris, quumque nihil boni vel mali fecisse poterant*, quo ille rejici, hic adoptari mereretur. Ita ſcilicet his circumſtantiis Iudæis adimitur, quidquid pro ſe adverſus priorem typum excipere poterant; ſe, nempe quum ex libera nati eſſent, & ſalutem ſuam per legem quærerent, nullo modo in rejectorum numero poſſe recenſeri. *Nunc ipſum oraculum conſiderandum*, quod breviter ita habet: *Maior ſerviet minori*: explicaturque Malachiæ loco, *Iacobum dilexi*, *Eſaum odio habui*; idque ut conſtet maioris ſervitutem conjunctam cum odio Dei, dominium vero minoris cum eiuſdem amore. Sed hic repetendum, quod antea generatim dictum, *Eſaum & Iacobum* non in ſe, ſed ut *typos* conſiderari, itaque quæ iſtis tribuuntur *antitypis*, ſeu potius rebus ſignificatis eſſe accommodanda. Quare & antitypa conſideranda, antequam concluſio ſuperiori ſimilis ex hiſce elici poſſit, ad refutationem ſententiæ Iudæorum, & Apoſtolicæ confirmationem. Illa autem colligenda quænam ſint, ex fine & ſcopo, quem Apoſtolus explicationis ergo addidit, his verbis: *ut propoſitum Dei ſecundum electionem ex vocante non ex operibus maneret*. Hoc eſt: Deus iſtis verbis (*major ſerviet minori*) Rebeccæ dictis, quum *nondum nati eſſent pueri, & propterea nihil boni malive feciſſent*, nihil aliud ſignificare voluit, quam ſe *propoſitum* de *juſtitia & ſalute* communicanda, apud ſe ab æterno ſtatuiſſe, non quod omnes in univerſum Abrahami poſteros complecteretur, ſed quod eſſet *ſecundum electionem*, qua inter hos & illos diſcerneret, non ſimpliciter in *ſua natura* integra aut corrupta conſideratos, ſed reſpectu *conditionis*, per quam *juſtitia & ſalus* eſſet applicanda: quemadmodum ſequentibus verbis oſtendit Apoſtolus; *ut id propoſitum ſecundum electionem, non ex operibus ſed ex vocante maneret*; quibus verbis eadem antityporum deſcriptio continetur, quę antea per *filios carnis & promiſsionis eſt propoſita*: & hic quidem clarius: nam filii carnis & promiſſionis a ſua ſinguli proprietate definiuntur hoc loco ab Apoſtolo, quod *illi* ſint *ex operibus*, *hi* vero *ex fide qua vocanti Deo parent*. Dicit igitur Apoſtolus, Dei *propoſitum* quod eſt *ſecundum electionem*, eſſe de ſalvandis iis, qui *vocanti Deo fidem haberent*, & in *Chriſtum crederent*, non de iis qui *per opera legis* ſalutem eſſent quęſituri. Ex his jam adverſus Iudæorum objectionem pro Apoſtoli dogmate de juſtificatione ex fide concludi poteſt hoc pacto: *Si verbum Dei & propoſitum ſit ſecundum electionem, qua maiore repudiato minor aſſumitur, tum ſequitur, etiamſi nonnulli ex Iudæis ſint repudiati, illud verbum & propoſitum tamen non eſſe irritum*;

Primo circumſtantia quędã illi peculiares

Secundo oraculum ipſum ad Rebeccam factum v. 12. cum adiuncta eius confirmatione ex Malachia v. 13.

Tertio amplificatio quam Apoſtolus à fine & ſcopo iſtius divini oraculi adfert

irritum; *imo potius, ſi id, quod eſt ſecundum electionem, propoſitum, omnes abſque electione jam complecti diceretur, irritum fieret. At hoc verbum & propoſitum eſt ſecundum electionem. Ergo etiamſi nonnulli ex Iudæis ſint repudiati, tamen illud verbum & propoſitum propterea non excidit, imo potius ex eo ſtabilitur, quia natura eius eſt aliquos excludere, utpote quod ſit ſecundum electionem, qua unus repudiatur alter aſſumitur.* Sed huiuſmodi indefinita probatio non ſufficit huic negotio; ulterius enim probandum reſtat, illos ipſos hoc *ſecundum electionem propoſito* excludi, quos excluſos & rejectos, ex dogmate Apoſtoli *de juſtificatione per fidem*, recte colligebant: nempe qui *non ex fide in Chriſtum, ſed ex operibus legis juſtitiam & ſalutem conſequi ſtuderent.* Hoc igitur addit Apoſtolus. Unde ita concluditur ad totam objectionem exhauriendam.

Argumentum refutatorium objectionis Iudæorum contra dogma Apoſtoli de juſtificatione per fidem & non per opera, ex fine & ſcopo oraculi ad Rebeccam facti.

Si propoſitum ſecundum electionem manet ex vocante, non ex operibus; tum ſequitur illos qui ex operibus legis ſunt, & per legem juſtitiam & ſalutem ſectantur illo propoſito non contineri: ſed illos tantum qui Deo vocanti & promittenti per fidem parent.

At propoſitum ſecundum electionem manet ex vocante, non ex operibus.

Ergo iſto propoſito non continentur qui ex operibus legis ſunt, ſed tantum qui ex fide ſunt Ieſu Chriſti,

Propoſitio eſt per ſe plana ex phraſi recte intellecta, quæ ſignificat *firmitatem propoſiti*, quod eſt *ſecundum electionem*, *pendere ex vocante non ex operibus*: Ergo qui *ex operibus legis* ſunt, iis non poteſt *firmum* & ratum eſſe hoc *propoſitum*, ſed iis qui *ex fide* ſunt. Ex hoc ſenſu videor mihi ſubolfacere, quid cauſæ fuerit, cur Deus conditionem *fœderis gratiæ* non in *perfecta legis obedientia*, ut ante, poſuerit, ſed *in fide in Chriſtum*. Aſſumptio nititur dicto, *Maior ſerviet minori*, & convenientia *typi & antitypi*, quæ hæc eſt, *antitypo* convenire quod *typo* eſt præſignificatum. *At typo Eſavi & Iacobi* eſt præſignificatum: primo, *Dei propoſitum eſſe ſecundum electionem*, deinde *id propoſitum manere ex vocante non ex operibus.* Illud quidem, quia unus ſit *amatus* alter *exoſus*, unus alteri *prælatus & præfectus*, quod eſt ſignum *propoſiti ſecundum electionem*; hoc, quia *major Eſau ſit exoſus, & ſubjectus, minor vero Iacob amatus & præfectus*, quod eſt ſignum *propoſitum id non eſſe ex operibus firmum ſed ex vocante*: hoc eſt, *Deum amare* illos qui fide *in Chriſtum juſtitiam & ſalutem quærunt*; *odiſſe* vero illos qui *eaſdem ex operibus legis conſectantur.* Unde ſequitur, iſto propoſito non contineri, qui *ex operibus legis ſunt*, ſed tantum qui ſunt *ex fide Ieſu Chriſti.* Et per conſequens Iudæorum *illos rejectos* eſſe qui *legis juſtitiam* ſectabantur, *illos electos & amatos* qui *fide in Chriſtum* juſtitiæ communionem quærebant. Itaque tantum abeſt ut dogma de juſtitia ex fide evertatur verbo fœderis & propoſito divino, ut iſto unico ſtabiliatur. Hic etiam multis explicui quo pacto per Eſavum majorem ſignificarentur Iudæi, qui zelo legis per illam quærebant juſtitiam & vitam: per Iaco-

Explicatio iſtius argumenti cum interfecta levi conſideratione loci ex Malachia adducti v. 13.

Iacobum vero minorem illi, qui fide in Chriſtum eadem ſectarentur. At non opus illa hic inculcare, ſufficit Apoſtoli auctoritas ita typos iſtos explicantis, & breviter ex convenientia typi & antitypi ſeu ſignificati per typum ita concludentis.

Confirmatio dogmatis Apoſtolici argumento ducto à typo partim Eſavi fratris in ſervitutem addicti & Deo exoſi; partimque Iacobi dominantis fratri, & Deo dilecti.

Eſau maior eſt ſervituti fratris addictus à Deo & illi exoſus.

Eſau maior eſt typus omnium illorum qui ex operibus legis ſalutem & juſtitiam ſectantur.

Ergo omnes illi qui ex operibus legis ſalutem ſectantur, ſunt ſervituti addicti, & Deo exoſi.

ET

Jacob minor obtinuit dominium in fratrem & eſt Deo amatus.

Jacob minor eſt typus omnium qui ex gratia vocationis per fidem juſtitiam ſectantur.

Ergo qui ex gratia vocationis per fidem juſtitiam ſectantur, obtinent dominium & Deo ſunt amati.

Propoſitio utraque eſt his verbis compræhenſa: *Maior ſerviet minori; & Iacob dilexi, Eſau odio habui.* Aſſumptio continetur iſtis; *ut propoſitum Dei ſecundum electionem non ex operibus ſed ex vocante maneret:* nititurque autoritate Apoſtoli typos iſtos ita explicantis.

Concluditur ex iis quæ

Hinc apparet, quæſtionem non tantum fuiſſe de *nonnullis reiectis & nonnullis aſſumptis*, ſed de *reiectis & aſſumptis talibus*, id eſt *certa qualitate notatis*. Et propterea Apoſtolus hic non agit *de decreto ſeu propoſito divino*, quo *uni ſint electi alii reprobati*, ſimpliciter in *ſua natura* ſive integra ſive corrupta *conſiderati:* ſed de *tali propoſito*, quod includit electorum & reproborum deſcriptionem iſtam, quæ hic aperte in ipſo propoſito ab Apoſtolo eſt annotata: in qua re conſiſtit controverſia inter *Bezam eiuſque ſectatores*, qui illud mordicus defendunt, *& te*, qui huiuſmodi propoſitum ſalutis inculcas, quo qualitates iſtæ ſalvandorum & damnandorum continentur.

Hucuſque quæ ſunt dicta, non agi hoc loco de decreto quo alii electi ſimpliciter, alii reprobati, ſed quo electi fideles, reprobati operarii & infideles.

Sed inquient illi, verum quidem eſſe, *Iſmaelem & Eſavum, Iſaacum & Iacobum typice conſiderari*, hoc eſt quatenus illi gerunt imaginem *filiorum carnis*, & eorum qui ſunt *ex operibus legis*; Hi vero *filiorum promiſſionis* & qui ſunt *ex fide:* ſed interea ipſos eoſdem pro ſe quoque ad iſtos pertinere, quorum *typum* gerunt, idque ex æterno Dei propoſito, quo ſtatuit *Iſaacum & Iacobum filios facere promiſſionis, & fide in Chriſtum donare, Iſmaelem vero & Eſavum in carnali nativitate relinquere.*

An ne illi qui hic ut typi proponuntur, eorum etiam numero accenſendi ſint quorum typum gerunt.

Altius enim conſcendendum dicunt & quærendum; cur unus ſit filius carnis, alius promiſſionis, cur unus in Chriſtum credat, alius non, ſed ex operibus legis ſalutem quærat. *Reſpondeo.* Ex hoc loco probari non poſſe iſtos qui *typos* gerunt ad *ipſa antitypa* pertinere: & ſi forte *Iſmael & Eſau* pertineant ad *filios carnis* ita deſcriptos; tamen, id eos eſſe ex *propoſito* aliquo divino, hoc loco non docetur. Hoc enim *propoſito* de *filiis carnis & promiſſionis* ſtatuitur aliquid, at iſto quod illi volunt,

Ggggg ſtatui-

enim inde ſequitur, *naturam & gratiam æque late patere.* nam poſſe credere naturæ eſt, credere gratiæ. Sic & poſſe velle atque velle ſe habent. *Deus efficit in vobis*, &c. *vobis datum ut credatis.* In eo autem veritati injuriam facere videris, quod Pelagianum eſſe dicas, *hominem poſſe nolendo grati reſiſtere*: Nulla Scripturæ pagina eſt quæ hoc non doceat. An homo ſtipes eſt qui per puram putam neceſſitatem naturalem aſſentiatur gratiæ? Si id falſum, homo ergo libere conſentit, & propterea potuit non conſentire, id eſt, reſiſtere. Quorſum alioquin minæ & promiſſiones? Hominem poſſe *gratiam Dei volendo ſequi*, de potentia remota explicatum, & quæ purè paſſivè ſe habeat, & alio nomine capacitas dici poteſt ad recipiendam potentiam activam & propinquam, qua quis velle poteſt aſſentiri gratiæ, non eſt Pelagianum. Vtinam qui hodie prædeſtinationis dogma tractant, ſententiam ſuam *fatalem neceſſitatem* non inducere probent. Catholici hoc olim fecere. *Par crimen* quod illis & hiſce impingitur *non indicat parem cauſam*. Fieri poteſt ut illi ab hiſce diſceſſerint, & ita doctrinam tueantur obnoxiam objectamento huic.

Vltimum Erratum. *Vltimo* objicis *hypotheſin hanc convenire cum ſententia pontificia de prædeſtinatione* eſto ſane: An propterea falſa? Tu proponis quidem illam, ſed non refutas, at putas tam abſurdam eſſe ut propoſuiſſe ſufficiat, & explicationem vice refutationis ſufficere. Sed quid ſi defendendam iſtam ſententiam ſuſcipiat quis, quomodo refutares? Experiamur: *Deus prævidit ab æterno hominum naturas & peccata. hac præviſio præcedit decretum quo ſtatuit Chriſtum dare Salvatorem mundo. Præviſio peccatorum*, *inquam*, *plerorumque. nam peccatum crucifixionis Chriſti non prævidit*, *niſi poſt decretum illud jam factum.* Negligenter itaque explicuiſti ſententiam iſtam, qui hec non diſcernas. Inde decrevit Deus, *dare propter Chriſtum gratiam ſufficientem qua ſalvari poſſint homines.* an omnibus? hoc non dicunt Pontificii. jam *prædeſtinavit ad vitam quos prævidit in gratia vitam finituros qua ipſis Dei prædeſtinatione fuit præparata.* hæc ſane non abeunt ab Auguſtino.

Theorema tuum eſt. *Deum non revelaſſe Chriſtum omnibus hominibus & ſingulis.*

Ad prædeſtinationis & gratiæ ſingularitatem adſtruendam, non magnopere tibi ſervit Theorema iſthoc: eo quod illi contra quos diſputas etiam ſuppoſita illius veritate duplici tibi occurrunt ratione. 147. 148. *Reſpondetur ad propoſitum theorema dupliciter.*

Prima eſt, cauſam cur Deus non omnibus & ſingulis hominibus Chriſtum revelet, hanc eſſe, quod parentes illorum verbum Euangelii repudiaverunt: quo pacto ſivit & parentes & poſteros ire in viis ſuis, idque tanto tempore quanto juſtitia Dei & ipſorum peccata videntur poſtulare. *Primo.*

Secunda eſt, quod interea dum Chriſti cognitione deſtituuntur, non tamen ſine teſtimonio Deus ſe reliquerit, ſed & illo tempore aliquam veritatem de potentia & bonitate ſua illis patefecit, legem quoque mentibus inſculptam conſervaverit: quibus bonis ſi recte uſi fuiſſent, ſaltem ex conſcientia majorem ipſis gratiam conceſſurus fuiſſet, ſecundum illud, *habenti dabitur.* Eorum vero abuſu vel non uſu indignos ſe fecerunt etiam iſta Dei miſericordia, & propterea inexcuſabiles, & ſine lege *Secundo.*

lege damnandos per cogitationes ipſos accuſantes. Act. 14. & 17. Rom. 1. & 2. Cæterum quod Deus promiſſionem de Meſſia ulli hominum abſconderit ante iſtam repudiationem, ex Scripturis probari non poteſt. Imo contrarium evinci poteſt ex iis quæ de *Adamo*, eiuſque poſteris, & *Noacho* & eius liberis in Scriptura narrantur. Paulatim autem venit defectio, & Deus tunc non tenetur ſingulis momentis novam revelationem mittere hominibus, qui nec illa revelatione quam adhuc habent recte utuntur.

Conſectaria. Et hinc patet quid de *conſectariis* iſtis judicandum ſit.

Ad *primum*, cauſa *non revelatæ omnibus hominibus promiſſionis de benedicto ſemine*, eſt tum culpa parentum repudiantium illam, tum ipſorum qui veritatem quam habuerunt in injuſtitia detinuerunt.

Ad *ſecundum*, eadem eſt reſponſio.

Ad tertium, *Omnes homines aliqua vocatione vocantur*, nempe per iſtam teſtificationem Dei, qua adduci poſſunt ut palpando Deum inveniant, & illa veritate quam in injuſtitia detinent, hoc eſt, cuius in ſe effectum impediunt: & illa legis in mentes inſcriptione, ſecundum quam cogitationes habent ipſos accuſantes. Hæc autem vocatio quanquam ſalutaris non eſt, utpote ex qua ſalus immediate obtineri non poſſit, tamen præcedanea poteſt dici ſalutari, qua Chriſtus offertur: quæ ipſam recte uſurpatam ex Dei miſericordia ſit conſecutura.

Ad quartum dicitur quod *nemo dixit regulam prædeſtinationis eſſe præſcientiam fidei, vel infidelitatis*, ideoque fruſtra id impugnatur. Verum quod aliqui damnentur per ſolam legem, id ratiſſimum eſt, & propterea propter ipſorum impænitentiam, quanquam non propter Chriſtum repudiatum.

APPENDIX

Ad ſuperiorem libellum: continens Tractatiunculam materiæ congeneris, Analyſin, videlicet, brevem Noni capitis Epiſtolæ Pauli ad Rom. ante multos annos à IACOBO ARMINIO *ſcriptam ad* GELLIVM SNECANVM, *cum primum Iſagoge ipſius in idem hoc caput in lucem prodiiſſet: circa quod tempus* ARM. *hoc ipſum caput Amſtelodami pro concione recenter pertractarat.*

Eximio Dei viro *Gellio Snecano*, Symmiſtæ in Chriſto dilectiſſimo, ſalutem & bene per Chriſtum agere precor,

IAC. ARMIN.

Non facile dixerim, Vir præſtantiſſime quanto affectus ſim gaudio ex commentarii tui in 9. cap. Epiſt. ad Rom. lectione & ſeria meditatione. Quum enim viderem te idem in ſcopo Apoſtoli & precipuorum argumentorum tractatione animadvertiſſe, quod non ita pridem commiſſo mihi populo publice in eiuſdem capitis explicatione propoſueram; valde in iſta ſententia ſum confirmatus: tum quia plurimum tuo judicio tribuo, tum quia id probum ex adjunctis rationibus cognoſcebam. Itaque non poſſum, quin pro gratiarum actione viciſſim tibi ſummatim tranſcribam, quibus ego veſtigiis in eiuſdem cap. explicatione inſtiterim, & quæ me cauſæ impulerint iſtum tramitem inire: non quo mutuum conſenſum teſter tantum, ſed & confirmem, quantum in me erit. Ingenue fateor, ſemper mihi iſtum locum denſiſſimis obſitum tenebris viſum fuiſſe, difficillimæque explanationis, quoad per hanc viam lux immiſſa tenebras diſcuteret, ſuaque claritate locum illuſtratum intellectui perſpiciendum præberet. Sed ad rem venio ipſam. Initio quod ad ſcopum, is idem eſt, quo totius Epiſtolæ 1. *Euangelium, non legem, eſſe potentiam Dei ad ſalutem, non operanti ſed credenti: Quia in Euangelio ſit patefacta juſtitia Dei, qua per fidem in Chriſtum apprabenſam, ſalus obtineatur.* Hoc autem caput ſuas partes agit in confirmatione iſtius propoſitionis, & quidem peculiares. Tuetur enim illam adverſus objectiones Iudæorum, qui omnibus viribus eam, ut ſibi noxiam & injuriam, conabantur evertere: atque ita tuetur adverſus incurſus, ut magis magiſque eam ſtabiliat, & per refutationem objectionum, antejactis fundamentis robur & firmamentum addat, ab ipſo *divino verbo & propoſito*, quod Iudęi ſtrenue pro ſe ad Paulini dogmatis demolitionem torquebant. Hunc eſſe ſcopum ipſa cohærentia commonſtrat: cuius ratio

Scopus huius capitis idem eſt qui totius Epiſtolæ quo Apoſtolus hoc capite contendit refutando objectionis Iudæorum.

ratio petenda, partim ex propoſitione hac antecedente, *Iudæorum plerique ſunt rejecti*, quæ incluſa eſt proœmii propoſitione hac, *velim ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, &c.* partim ex conſequentis negatione; *neque tamen inde ſequitur verbum Dei excidiſſe.* Quæ duo unico enuntiato compræhenſa, per diſcretionem efferentur hoc pacto: *Quanquam Iudæorum plerique ſunt rejecti, tamen verbum Dei propterea non excidit.* Vnde luce clarius apparet, oppoſitam iſti negationi affirmationem Paulo à Iudæis fuiſſe objectam, ut dogma illud Pauli, unde tam abſurdum ſequeretur conſequens, per antecedentis iſtius interpoſitionem (quod immediate ex dogmate iſto Pauli ſequebatur) falſitatis convincerent, & tanquam abſurdum refutarent, hoc pacto: *Si Iudæorum plerique ſunt rejecti, tum verbum Dei excidit: At fieri non poteſt ut verbum Dei excidat: Ergo Iudæorum plerique non ſunt rejecti.* Quomodo autem hoc facit adverſus Apoſtolum? Propoſuerat ille dogma quod neceſſario Iudæorum magna ex parte rejectionem inducebat, nempe *de juſtitia & ſalute per fidem in Chriſtum non ex operibus legis obtinenda.* Hinc concludere Iudæis promptum erat; *Si juſtitia & ſalus conſtant fide in Chriſtum quem Paulus prædicat, tum ſequitur magnam Iudæorum partem eſſe rejectam à fœdere.* Ratio conſequentiæ: *Quia Iudæorum plerique in Chriſtum non credunt. At falſum eſt Iudæorum pleroſque à Deo eſſe rejectos: ſic enim exciderit verbum Dei. Ergo Apoſtoli Pauli dogma id, unde iſtud conſequens deducitur, eſt abſurdum.* Hanc objectionem, caſum & internecionem ſuo dogmati minitantem, refutandam ſibi Apoſtolus putavit; docendo principium

Objectio principalis Iudæorum, ex Pauli doctrina ſequi verbum Dei excidere.

Zelus occaſio.

Item ut latius expo. ca. 10.

illud indubitatum, quod Iudæi tanquam fulcrum ſuę objectioni præſtruebant, ſuæ cauſæ non tantum non obeſſe, verum etiam inſigniter patrocinari. Cæterum ſtatus quæſtionis inter Apoſtolum & Iudæos controverſę ritè eſt conſtituendus. Id enim magnum toti negotio adferet momentum. Ille non eſt: *An Iudæorum plerique ſint rejecti*; neque, *an verbum Dei excidere poſſit.* Hoc enim Apoſtolus fatetur nefas eſſe vel cogitare: illud poſtea apertis Scripturæ teſtimoniis comprobabit: At ex utroque quæſtio eſt conſtituenda: *An verbum Dei exciderit, ſi Iudæorum plerique ſint rejecti.* Sed neque hoc ſatis. Nam iſtius quęſtionis ſolutio totam diſputationem non abſolvit, neque omnes difficultates exhaurit. Fac enim id Apoſtolum argumentorum vi obtinere: fieri poſſe ut nonnulli imo plerique Iudæorum ſint rejecti, & nihilominus firmum maneat verbum Dei; annon ſupererit hæc quæſtio: *Vtrum verbum Dei non excidat, ſi illi ex Iudæis ſint rejecti, qui ex lege ſummo zelo juſtitiam ſectantur?* Sane. Facile enim erit Iudæis excipere ad illius quæſtionis ſolutionem: utut firmum maneat verbum Dei multis Iudæorum rejectis, nos tamen ſub eorum numero compræhendi non poſſumus, quin irritum fiat verbum Dei. Itaque qualitas iſta adjecta totum ſtatum quæſtionis complebit hoc pacto:

Inquiritur in ſtatum controverſiæ inter Apoſtolum & Iudæos, tanquam utrumque inſufficiens & non accommodatus ſcopo.

An non verbum Dei irritum fiat, ſi illi ex Iudæis, qui non ex fide ſed ex lege juſtitiam quærunt, à Deo rejiciantur.

Adſignatur verus ſcop. q. accommodatus.

Hæc enim quæſtio ſcopo eſt

 accom-

accommodata: huius ſolutio diſputationem finit, & difficultates omnes exhaurit; hanc Apoſtolus tractat; ut patet ex argumentis, quæ adfert ad eius ſolutionem. Neque enim id à quæſtione eſt ſejungendum, quod quæſtioni occaſionem dedit, & cuius refutandi cauſa principium illud de verbi Dei conſtantia à Iudæis eſt adductum: quodque Apoſtolus adverſus Iudæos conatus eſt quam maxime aſſerere. Hoc itaque in quæſtione hac maxime attendatur; *an non verbum fœderis cum Iudæis initi fiat irritum, ſi Apoſtoli dogma de juſtitia & ſalute ex ſola fide in Chriſtum, non ex lege aut operibus legis obtinenda, locum inveniat, & pro ſalutis fundamento habeatur.* Quantum autem inter duos iſtos illius quæſtionis ſtatus interſit, & cuius iſta differentia ſit momenti, facile vides. Quæſtio enim iſta hoc modo propoſita, *annon verbum Dei irritum fiat ſi Iudæorum plerique rejiciantur*, hac reſponſione tolli poteſt: *Deum quidem verbo promiſſionis omnes Iudæos invitare & vocare ad fœderis communionem, ſed tamen æterno ſuo decreto & propoſito conſtituiſſe reipſa iſtius facere participes nonnullos tantum ex Iudæis, reliquis præteritis & in priore ſtatu relictis.* Quam etiam nonnulli dicunt ſummam eſſe Apoſtolicæ reſponſionis ad propoſitam quæſtionem.

Oſtenditur diverſitas utriuſque ſtatus ex diverſitate reſponſi quoad quæſtionem illo vel hoc modo conceptam reſpondendum eſt.

At quæſtio hoc poſtremo modo propoſita: *Annon verbum Dei irritum fiat, ſi illi ex Iudæis; qui non ex fide, ſed ex Lege juſtitiam quærunt, à Deo rejiciantur*, non niſi hoc reſponſo ſolvi poteſt: *Deum illo ipſo ſuo verbo & ſermone promiſſionis ſignificaſſe, ſe illos tantum ex Iudæis filiorum nomine cenſere, qui juſtitiam & ſalutem ex fide eſſent ſectaturi, iſtos vero qui ex lege eaſdem ſectarentur, extraneorum, loco habere.* Duo autem iſta reſponſa plurimum differunt. Priore enim Decretum prædeſtinationis juxta ſenſum Bezæ & aliorum definitur; poſteriore juxta tuum. Sed abſit ideo talem à me proponi quæſtionem ut aliquam tuam vel meam ſuper prædeſtinationis decreto ſententiam, iſthoc reſponſo confirmem, quod ſolum video aptum eſſe tali quæſtioni ſolvendæ. Verum ipſe locus inſpectus declarabit quæſtionis ſtatum eſſe illum, quem dixi: ſi tamen ex argumentis ad quæſtionem tractandam adductis & concluſione, rectum de quæſtionis ſtatu judicium fieri queat: quod nemo, qui vel τεῖχος παιδείας à limine ſalutaverit, inficiabitur. Illa igitur in Apoſtoli reſponſione conſideremus. Primo negat Apoſtolus conſequentiam, id eſt, conſequentis iſtud, *verbum Dei excidit*, ex antecedente illo, quod Iudæi poſuerunt, ullo modo conſequi: his verbis, *Non quod exciderit, vel fieri tamen non poteſt ut exciderit verbum Dei.* Subjungit deinde negationis rationem, & implexam rationi probationem ex ſcriptura ἀλληγορικῶς, & dictata à Deo, & ab Apoſtolo explicata. Ratio eſt a diſtinctione Iudæorum, & duplici eorundem genere, reſpectu huius verbi & propoſiti divini: vel a duplici ſemine Abrahami, quorum unum tantum verbo iſto & propoſito comprehendatur. *Non enim* (inquit) *omnes qui ex Iſraele ſunt, ſunt Iſrael, neque quia ſemen Abraha, omnes ſunt filii:* ſed ſunt inter eos alii *filii carnis*, & alii *filii promiſſionis*: unde concluditur: Si verbum Dei omnes ad unum Iſraelitas non comprehendat, id non excidere, etiamſi aliqui ex illorum numero rejiciantur: & multo

Negat Apoſtolus ex ſua doctrina ſequi verbum Dei excidere priore parte v. 6.

Ratio negationis reſponſo verſ. 6. & ſeqq.

multo minus, ſi illi rejiciantur quos conſtat verbo ipſo nunquam fuiſſe comprӕhenſos. Quod omnino addendum fuit, aut quӕſtioni nullo modo potuit ſatisfieri; imo & additum fuit ab Apoſtolo, ut apparet. Neque enim tantum dicit, non omnes eſſe comprӕhenſos ſub verbo iſto; ſed & deſcribit quinam ſint iſti qui filiorum loco habeantur à Deo, & qui iſtoc nomine non cenſeantur. Nam *filii carnis* à fœdere alieni, & *filii promiſſionis* fœderis participes ab Apoſtolo appellantur. Vnde talis concluſio fieri poteſt objectionis Iudaicӕ refutatoria.

Syllogiſmus refutatorius objectionis Iudӕorum principalis; cum aliquali retorſione.

Si verbum Dei ſolos filios promiſſionis comprӕhendit, excluſis filiis carnis; tum ſequitur verbum Dei non excidere, etiamſi filii carnis rejiciantur: imò excideret ſi admitterentur iſti qui deſcriptione ipſa conditionis fœderis excluduntur.

At verbum Dei ſolos filios promiſſionis comprӕhendit, excluſis filiis carnis.

Ergo verbum Dei non excidit, etiamſi filii carnis rejiciantur, &c.

Et per conſequens, *verbum Dei non excidit ſi Iudӕorum plerique ſint rejecti, modo illi ipſi ſub numero filiorum carnis comprӕhendantur* quod ita eſſe patet ex deſcriptione filiorum carnis.

Quinam ſint filii carnis & promiſſionis ex ſenſu Apoſtolico.

Nam *filii carnis* Apoſtolo hoc loco ſunt, qui *per opera legis juſtitiam & ſalutem conſectantur.* Et de huiuſmodi valet conſequens, ex dogmate *de juſtitia & ſalute per fidem in Chriſtum* conſequenda deductum. Ex eo enim non ſequitur, *Iudӕos aliquos eſſe rejectos, niſi cum hac nota, utpote qui in Chriſtum non credunt*, ſed ex *lege juſtitiam ſectantur.* Filii vero *promiſſionis ſunt illi, qui fide in Chriſtum juſtitiam & ſalutem quӕrunt.* Quӕ filiorum carnis & promiſſionis deſcriptio ex Scripturis ita eſt plana, ut probatione longiore non indigeat. Fundamenta autem probationem ex cap. 4. 9. 10. huius epiſtolӕ peti poſſunt, etiam ex cap. 3. & 4. epiſt. ad Galatas, ut tu annotaſti, & ego populo cum hӕc tractarem propoſui. Ex hac itaque quӕſtionis tractatione patet, illam iſto ſecundo modo cum rejectorum qualitate fuiſſe proponendam. Iam vero probatio iſtius rationis eſt conſideranda, quӕ quidem eſt aſſumptio refutatorii ſyllogiſmi. Propoſitionis enim conſequentia per ſe eſt clara & manifeſta. Probat igitur Apoſtolus verbum promiſſionis & fœderis ſolos filios promiſſionis complecti, excluſis filiis carnis, idque *duplici typo*, uno ex domo *Abrahami*, altero ex *Iſaaci* familia deſumpto. Duo autem utrique probationi ſunt prӕſupponenda, ambo Apoſtolica nixa autoritate, quӕ nobis debet eſſe ſacroſancta. Vnum quod *Iſmael & Iſaac*, *Eſau & Iacob* non in ſeſe, ſed ut *typi*, iſtis quos adfert locis, ſunt conſiderandi. Alterum, quod ut *typi filiorum carnis & promiſſionis*. Neutrum enim probat Apoſtolus, ſed utrumque ſumit, nec injuria. Certo enim certius eſt ex ipſis locis inſpectis ita eſſe ut Apoſtolus inquit Gal. 4. ἀλληγορούμενα, & primum ſenſum, quem Deus illis locis ſignificare voluit, eſſe, non literalem, ſed, allegoricum. His prӕſuppoſitis, vis argu-

Probatur adſumptio Syllog. refutatorii ex aliquot Vet. Teſtam. locis allegoricè ſive typicè accommodatis.

Typus noſter duplex, unus in familia Abrahami, alter in Iſaaci

menti Apoſtolici eſt in typorum & antyporum convenientia, quæ tanta eſt quāta immutabilitas & conſtantia illius, qui iſtos voluit eſſe typos iſtorum antityporum. At obſervandum convenientiam iſtam non eſſe in uno tertio univoce ſumpto, ſed in σχέσει & habitudine unius ad alterum mutua, ſemper ſervata propria typi & antitypi differentia. Quod moneo ne quis putet neceſſum eſſe, ut is qui repræſentat filios carnis, ſit ipſe filius carnis eiuſdem definitionis modo. Nunc ad ſingula. Probatio ex primo typo nititur his duobus Scripturæ locis; *In Iſaac vocabitur tibi ſemen, & hoc tempore veniam & erit Sara filius.* Ex quibus ita concluditur præſuppoſita iſta convenientia.

Fundamenta prioris typi verſ. 7. & 9.

Concluſio ex priore parte typi primi.

Iſaac cenſetur in ſemine.

Iſaac eſt typus omnium filiorum promiſſionis.

Ergo omnes filii promiſſionis cenſentur in ſemine.

Propoſitio eſt his verbis compræhenſa; *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Aſſumptio partim iſtis, *Promiſſionis enim ſermo eſt iſte: Hoc tempore veniam & erit Sara filius;* Partim iſta convenientia, de qua eſt dictum. Verum non tantum concluditur omnes filios promiſſionis cenſeri in ſemine, ſed & *ſolos*. Iſta enim quæ de Iſaaco dicuntur, ad excluſionem faciunt Iſmaelis; quod ſignificat Apoſtolus per adverſativam particulam. *Sed* adjunctam membro ſuperioribus negationibus oppoſito, *ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen:* unde ita concluditur,

Concluſio ex poſteriore parte typi primi.

Iſmael non cenſetur in ſemine.

Iſmael eſt typus omnium filiorum carnis.

Ergo nulli filii carnis cenſentur in ſemine.

Scio quidem in iſta figura non concludi niſi particulariter, at firmitas concluſionis nititur convenientia quæ eſt inter typum & id quod typo adumbratur per immutabilem Dei voluntatem. Et ſcimus per neceſſitatem materiæ ſæpe concludi, quod per formam ſyllogiſticam concludi nequit. Hic multa nobis dicta ſunt de congruenti mutuæ iſtius inter *Iſmaelem & filios carnis, Iſaacum & filios promiſſionis*, affectionis ratione: quo pacto per utriuſque nativitatem commodo id ſignificatum, quod Apoſtolus typo iſto præfiguratum dicit. Sed non puto opus eſſe hic illa repetere, quia explicandæ ſententiæ tantum, non confirmandæ ſerviunt, quę nobis Apoſtolica autoritate eſt ſatis comprobata: nempe *filios carnis* per *Iſmaelem*, *filios* vero *promiſſionis* per *Iſaacum* ſignificari.

De ſecundo typo, locisque quibus nititur verſ. 10. 11. 12. 13.

Sequitur nunc alter typus ex *familia Iſaaci* deſumptus; quo Apoſtolus dicit idem quod priore, declaratam eſſe, quum dicit: *neque hic ſolum ſed & Rebecca*, &c. Itaque ad eundem finem locus adductus eidem ſcopo convenienter eſt explicandus. Tria autem hic ordine conſideranda. *Primò* circumſtantiæ quædam huic typo peculiares, quæ multum ponderis Apoſtolicæ probationi adferunt; & quibus prævenit Apoſtolus, quidquid adverſus typum priorem cauſæ ſuæ noxium, adferri à Iudæis poſſe prævidebat. *Secundò* verbum domini quod fuit ad *Rebeccam*, quod typica comprobatio continetur, illuſtratum ab alio loco poſterioris prophetæ. *Tertiò* explicatio quam Paulus

Ad eius partitionem antedictam tria notanda.

Paulus θεοδίδακτον a fine & ſcopo iſtius divini oraculi adfert. *Quod ad primum*, poterant Iudæi adverſus typum priorem objicere, non mirum eſſe, ſi *Iſmaele* repudiato *Iſaacum* eſſet a Deo in filium adoptatus: tum quia *Iſmael* eſſet natus ex *ancilla*, *Iſaac* ex *libera*, tum quia, antequam Deus id *Promiſsionis verbum Saræ* annunciaret, *Iſmael* jam natus erat, & ea perpetraſſe poterat, quę illum indignum iſto honore & fælicitate facerent. Hiſce occurrit Apoſtolus, & ad primum reſpondet, rem in *Eſavo & Iacobo* aliter habere, qui ambo *eodem patre & eadem matre*, imo & *eodem partu ſint editi*. Ad alterum: Illud *Rebeccæ* dictum, quum adhuc gemellos in utero geſtaret, & propterea, *nondum natis pueris, quumque nihil boni vel mali feciſſe poterant*, quo ille rejici, hic adoptari mereretur. Ita ſcilicet his circumſtantiis Iudæis adimitur, quidquid pro ſe adverſus priorem typum excipere poterant; ſe, nempe quum ex libera nati eſſent, & ſalutem ſuam per legem quærerent, nullo modo in rejectorum numero poſſe recenſeri. *Nunc ipſum oraculum conſiderandum*, quod breviter ita habet: *Maior ſerviet minori*: explicaturque Malachiæ loco, *Iacobum dilexi, Eſaum odio habui*; idque ut conſtet maioris ſervitutem conjunctam cum odio Dei, dominium vero minoris cum eiuſdem amore. Sed hic repetendum, quod antea generatim dictum, *Eſaum & Iacobum* non in ſe, ſed ut *typos* conſiderari, itaque quæ iſtis tribuuntur *antitypis*, ſeu potius rebus ſignificatis eſſe accommodanda. Quare & antitypa conſideranda, antequam concluſio ſuperiori ſimilis ex hiſce elici poſſit, ad refutationem ſententiæ Iudæorum, & Apoſtolicæ confirmationem. Illa autem colligenda quænam ſint, ex fine & ſcopo, quem Apoſtolus explicationis ergo addidit, his verbis: *ut propoſitum Dei ſecundum electionem ex vocante non ex operibus maneret*. Hoc eſt: Deus iſtis verbis (*major ſerviet minori*) Rebeccæ dictis, quum *nondum nati eſſent pueri, & propterea nihil boni malive feciſſent*, nihil aliud ſignificare voluit, quam ſe *propoſitum* de *juſtitia & ſalute* communicanda, apud ſe ab æterno ſtatuiſſe, non quod omnes in univerſum Abrahami poſteros complecteretur, ſed quod eſſet *ſecundum electionem*, qua inter hos & illos diſcerneret, non ſimpliciter in *ſua natura* integra aut corrupta conſideratos, ſed reſpectu *conditionis*, per quam *juſtitia & ſalus* eſſet applicanda: quemadmodum ſequentibus verbis oſtendit Apoſtolus: *ut id propoſitum ſecundum electionem, non ex operibus ſed ex vocante maneret*; quibus verbis eadem antityporum deſcriptio continetur, quę antea per *filios carnis & promiſsionis eſt propoſita*: & hic quidem clarius: nam filii carnis & promiſſionis a ſua ſinguli proprietate definiuntur hoc loco ab Apoſtolo, quod *illi* ſint *ex operibus*, *hi* vero *ex fide qua vocanti Deo paretur*. Dicit igitur Apoſtolus, *Dei propoſitum* quod eſt *ſecundum electionem*, eſſe de ſalvandis iis, qui *vocanti Deo fidem haberent*, & in *Chriſtum crederent*, non de iis qui *per opera legis* ſalutem eſſent quęſituri. Ex his jam adverſus Iudæorum objectionem pro Apoſtoli dogmate de juſtificatione ex fide concludi poteſt hoc pacto: *Si verbum Dei & propoſitum ſit ſecundum electionem, qua maiore repudiato minor aſſumitur, tum ſequitur, etiamſi nonnulli ex Iudæis ſint repudiati, illud verbum & propoſitum tamen non eſſe irritum*;

Primo circumſtantiæ quædã illi peculiares

Secundo oraculum ipſum ad Rebeccam factum v. 12. cum adiuncta eius confirmatione ex Malachia v. 13.

Tertio amplificatio quam Apoſtolus à fine & ſcopo iſtius divini oraculi adfert

irritum; imo potius, ſi id, quod eſt ſecundum electionem, propoſitum, omnes abſque electione jam complecti diceretur, irritum fieret. At hoc verbum & propoſitum eſt ſecundum electionem. Ergo etiamſi nonnulli ex Iudæis ſint repudiati, tamen illud verbum & propoſitum propterea non excidit, imo potius ex eo ſtabilitur, quia natura eius eſt aliquos excludere, utpote quod ſit ſecundum electionem, qua unus repudiatur alter aſſumitur. Sed huiuſmodi indefinita probatio non ſufficit huic negotio; ulterius enim probandum reſtat, illos ipſos hoc *ſecundum electionem propoſito* excludi, quos excluſos & rejectos, ex dogmate Apoſtoli *de juſtificatione per fidem*, recte colligebant: nempe qui *non ex fide in Chriſtum, ſed ex operibus legis juſtitiam & ſalutem conſequi ſtuderent.* Hoc igitur addit Apoſtolus. Vnde ita concluditur ad totam objectionem exhauriendam.

Argumentum refutatorium objectionis Iudæorum contra dogma Apoſtoli de iuſtificatione per fidem & non per opera, ex fine & ſcopo oraculi ad Rebeccam facti.

Si propoſitum ſecundum electionem manet ex vocante, non ex operibus; tum ſequitur illos qui ex operibus legis ſunt, & per legem juſtitiam & ſalutem ſectantur illo propoſito non contineri: ſed illos tantum qui Deo vocanti & promittenti per fidem parent.

At propoſitum ſecundum electionem manet ex vocante, non ex operibus.

Ergo iſto propoſito non continentur qui ex operibus legis ſunt, ſed tantum qui ex fide ſunt Ieſu Chriſti,

Propoſitio eſt per ſe plana ex phraſi recte intellecta, quæ ſignificat *firmitatem propoſiti*, quod eſt *ſecundum electionem, pendere ex vocante non ex operibus*: Ergo qui *ex operibus legis* ſunt, iis non poteſt *firmum* & ratum eſſe hoc *propoſitum*, ſed iis qui *ex fide* ſunt. Ex hoc ſenſu videor mihi ſubolfacere, quid cauſæ fuerit, cur Deus conditionem *fœderis gratiæ* non in *perfecta legis obedientia*, ut ante, poſuerit, ſed *in fide in Chriſtum*. Aſſumptio nititur dicto, *Maior ſerviet minori*, & convenientia *typi & antitypi*, quæ hæc eſt, *antitypo* convenire quod *typo* eſt præſignificatum. *At typo Eſavi & Iacobi* eſt præſignificatum: primo, *Dei propoſitum eſſe ſecundum electionem*, deinde id *propoſitum manere ex vocante non ex operibus.* Illud quidem, quia unus ſit *amatus* alter *exoſus*, unus alteri *prælatus & præfectus*, quod eſt ſignum *propoſiti ſecundum electionem*; hoc, quia *major Eſau ſit exoſus, & ſubjectus, minor vero Iacob amatus & præfectus*, quod eſt ſignum *propoſitum id non eſſe ex operibus firmum ſed ex vocante*: hoc eſt, *Deum amare* illos qui fide *in Chriſtum juſtitiam & ſalutem quærunt*; *odiſſe* vero illos qui *eaſdem ex operibus legis conſectantur.* Vnde ſequitur, iſto propoſito non contineri, qui *ex operibus legis ſunt*, ſed tantum qui ſunt *ex fide Ieſu Chriſti.* Et per conſequens Iudæorum *illos rejectos* eſſe qui *legis juſtitiam* ſectabantur, *illos electos & amatos* qui *fide in Chriſtum* juſtitiæ communionem quærebant. Itaque tantum abeſt ut dogma de juſtitia ex fide evertatur verbo fœderis & propoſito divino, ut iſto unico ſtabiliatur. Hic etiam multis explicui quo pacto per Eſavum majorem ſignificarentur Iudæi, qui zelo legis per illam quærebant juſtitiam & vitam: per Iaco-

Explicatio iſtius argumenti cum interfecta levi conſideratione loci ex Malachia adducti v. 13.

Iacobum vero minorem illi, qui fide in Chriſtum eadem ſectarentur. At non opus illa hic inculcare, ſufficit Apoſtoli auctoritas ita typos iſtos explicantis, & breviter ex convenientia typi & antitypi ſeu ſignificati per typum ita concludentis.

Confirmatio dogmatis Apoſtolici argumento ducto à typo partim Eſavi fratris in ſervitutem addicti & Deo exoſi; partimque Iacobi dominantis fratri, & Deo dilecti.

Eſau maior eſt ſervituti fratris addictus à Deo & illi exoſus.

Eſau maior eſt typus omnium illorum qui ex operibus legis ſalutem & juſtitiam ſectantur.

Ergo omnes illi qui ex operibus legis ſalutem ſectantur, ſunt ſervituti addicti, & Deo exoſi.

E T

Jacob minor obtinuit dominium in fratrem & eſt Deo amatus.

Jacob minor eſt typus omnium qui ex gratia vocationis per fidem juſtitiam ſectantur.

Ergo qui ex gratia vocationis per fidem juſtitiam ſectantur, obtinent dominium & Deo ſunt amati.

Propoſitio utraque eſt his verbis compræhenſa: *Maior ſerviet minori; & Iacob dilexi, Eſau odio habui.* Aſſumptio continetur iſtis; *ut propoſitum Dei ſecundum electionem non ex operibus ſed ex vocante maneret:* nititurque autoritate Apoſtoli typos iſtos ita explicantis.

Concluditur ex eo quæ

Hinc apparet, quæſtionem non tantum fuiſſe de *nonnullis rejectis & nonnullis aſſumptis*, ſed de *rejectis & aſſumptis talibus*, id eſt *certa qualitate notatis*. Et propterea Apoſtolus hic non agit *de decreto ſeu propoſito divino*, quo *uni ſint electi alii reprobati*, ſimpliciter in *ſua natura* ſive integra ſive corrupta *conſiderati*: ſed de *tali propoſito*, quod includit electorum & reproborum deſcriptionem iſtam, quæ hic aperte in ipſo propoſito ab Apoſtolo eſt annotata: in qua re conſiſtit controverſia inter *Bezam einſque ſectatores*, qui illud mordicus defendunt, *& te*, qui huiuſmodi propoſitum ſalutis inculcas, quo qualitates iſtæ ſalvandorum & damnandorum continentur.

Hucuſque ſunt dicta, non agi hic [illegible] de decreto quo uni electi ſunt ſimpliciter, alii reprobati, ſed quo electi fideles, reprobi operarii & infideles.

Sed inquient illi, verum quidem eſſe, *Iſmaelem & Eſavum, Iſaacum & Iacobum typice conſiderari*, hoc eſt quatenus illi gerunt imaginem *filiorum carnis*, & eorum qui ſunt *ex operibus legis*; Hi vero *filiorum promiſſionis* & qui ſunt *ex fide*: ſed interea ipſos eoſdem pro ſe quoque ad iſtos pertinere, quorum *typum* gerunt, idque ex æterno Dei propoſito, quo ſtatuit *Iſaacum & Iacobum filios facere promiſſionis, & fide in Chriſtum donare, Iſmaelem vero & Eſavum in carnali nativitate relinquere.*

Anne illi qui hic ut typi proponuntur, eorum etiam numero accenſendi ſint quorum typum gerunt.

Altius enim conſcendendum dicunt & quærendum; cur unus ſit filius carnis, alius promiſſionis, cur unus in Chriſtum credat, alius non, ſed ex operibus legis ſalutem quærat. *Reſpondeo.* Ex hoc loco probari non poſſe iſtos qui *typos* gerunt ad *ipſa antitypa* pertinere: & ſi forte *Iſmael & Eſau* pertineant ad *filios carnis* ita deſcriptos; tamen, id eos eſſe ex *propoſito* aliquo divino, hoc loco non docetur. Hoc enim *propoſito* de *filiis carnis & promiſſionis* ſtatuitur aliquid, at iſto quod illi volunt,

ſtatuitur de *hominibus*, quod *hi filii carnis, illi promiſſionis ſint futuri*: quod propterea unum cum hoc eſſe nequit; mutato quippe ſubjecto huius in attributum iſtius, de cuius ſubjecto adæquato inter ipſos nondum convenit iſtius ſententiæ Coryphæos. Et quia quæſtio, cur alii credant alii non, eandem obtinet ſubjecti & attributi mutationem: dico illam ab Apoſtolo hic non pertractari, neque vel tantillum ad eius propoſitum facere. Alios itaque Scripturæ locos conſulant, & videant an ex illis ſuum illud decretum ſtabilire poſſint. Sufficit nobis hic *propoſitum* deſcribi quo *juſtitia & ſalus* noſtra *ex gratia* conſtant in ſeſe, & quo de iiſdem in nobis poſſumus eſſe certiores. *Propoſitum* autem hoc eſt quod Deus ſtatuit, poſtquam *prior conditio fœderi legali addita* non eſſet præſtita, & homo per lapſum in præſtandi impotentiam incidiſſet; *fœdus gratiæ per Chriſtum nobiſcum inire*, & ex gratia conditionem prioris fœderis in fidem in Chriſtum transferre; quo in illum credentes idem obtineremus, quod antea nonniſi per obedientiam legis plenariam à nobis ipſis præſtitam fuiſſemus conſecuti. *Hoc propoſito* nititur *ſalutis noſtræ firmitas*, ut apparet, & ſimul in nobis eius certitudo. Hoc enim Enthymemate illam concludimus, *Ego ſum fidelis*, vel *ego credo in Chriſtum*; *ergo ero ſalvus*, vel *ergo ſum electus*. Cuius firmamentum eſt in hac propoſitione: *Quotquot credunt in Chriſtum, illos ſtatuit Deus ab æterno immutabiliter ſalvare*; quibus verbis *propoſiti* iſtius ſumma continetur. Si autem quis quærat cur Deus *Iſmaelem & Eſau* voluerit eſſe *typos filiorum carnis*, *Iſaacum* vero & *Iacobum filiorum promiſſionis*: Reſpondeo: quia decuit ſignificationis ergo & convenientiæ inter *typum & antitypum* reſpectu *prioris typi*, illum qui *ex ancilla & vi carnali natus* eſſet, *typum* eſſe *filiorum carnis*: *illum qui ex libera & vi promiſſionis*, ubi caro jam eſſet effæta, *typum eſſe filiorum promiſſionis*: reſpectu vero *poſterioris typi*, illum qui *prior eſſet natus* gerere *figuram filiorum carnis*, *& qui poſterior*, *filiorum* promiſſionis. Ratio erit manifeſta conſideranti typorum & antityporum *convenientiam*. At ultra quæret quis, cur Deus *Iſmaelem ex ancilla & vi carnali*: *Eſavum priorem*; *Iſaacum* vero *ex libera & vi promiſſionis*, *Iacobum poſteriorem* naſci voluerit? Reſpondeo eandem fore quæſtionem ſi *Iſaacus & Iacobus loco Iſmaelis & Eſavi* ponantur. Sed in hoc plena eſt Dei libertas, nulla proprietatum divinarum aut voluntatis patefactæ neceſſitate circumſcripta: quam an divinæ naturæ proprietates & patefacta voluntas Deo concedant in iſto propoſito faciendo, quod adverſarii tui urgent, illi viderint.

Propoſito quod hic deſcribitur niti novum fœdus, noſtram ſalutem & certitudinem de ſalute.

Nunc ad aliam objectionem veniamus, quæ eſt huiuſmodi: *Quid ergo dicemus? Num injuſtitia eſt apud Deum?* Quid quæratur, ſive quid objiciatur manifeſtum eſt: at non æquè quod ſit illud antecens, unde hæc objectio deducatur. Nonnulli hoc ponunt: *Si Deus nullo operum reſpectu Iſmaelem & Eſau odio habeat, & ex numero filiorum excludat, Iſaacum vero & Iacobum diligat, filiorumque loco habeat; an non eſt injuſtus? Injuſtitiæ* autem *ſpeciem habere videtur paribus paria non tribuere*. Sane, ſi Apoſtolus iſtos in ſeſe; *non ut typos talium* (ut dictum) conſideraſſet, huiuſmodi eſſet occaſio iſtius objectionis.

Obiectio ſecunda pro parte Iudæorum, Deum hoc pacto ſtatui iniuſtum, priore parte verſ. 14.

Nam

Nam certum eſt ex antecedentibus occaſionem objectionis eſſe natam. At illud non fuit antecedens Apoſtoli, ſed hoc; *Deus verbo fœderis & propoſito quod eſt ſecundum electionem, ſolos illos complexus eſt qui eſſent filii promiſsionis qui in Chriſtum crederent, excluſis filiis carnis & qui legis juſtitiam ſectabantur.* Vnde ſequebatur *Iudæorum illos eſſe rejectos qui ſtudio legalis juſtitiæ in Chriſtum non credebant*, & præterea *illos ex Gentibus eſſe aſſumptos in fœdus, qui fide in Chriſtum juſtitiæ & ſalutis communionem quærebant.* Alterutrum igitur eſt antecedens iſtius objectionis, nimirum hoc: *Si Deus filios carnis odit & à fœdere excludit, filios vero promiſsionis amat in ſemine fœdere comprahenſo cenſet, & quidem ex puro ſuo propoſito nulla habita operum ratione; tum ſequitur illum eſſe injuſtum*: aut iſtud: *Si Deus Iudæos rejicit & Gentes in illorum locum aſſumit, tum eſt injuſtus.* Sed in idem pene recidunt hæc duo. At ego puto prioris hic habitam potiſſimum eſſe rationem. *Ratio* autem *injuſtitiæ Deum arguendi* ex iſto propoſito hæc videbatur ſufficiens. Quod huiuſmodi decretum ex mero voluntatis beneplacito abſque ulla meriti ratione apud ſe ſtatuiſſet. Sed Apoſtoli reſponſum inſpiciamus. *Primo* negat conſequentiam: deinde reddit rationem negationis. Negat conſequentiam quum dicit: *Abſit.* Hoc eſt, nullo modo hoc in cogitationem nobis venire debet, ullam in Deo eſſe injuſtitiam, qui in ſe juſtus, imo ipſa juſtitia exiſtens, nihil agit, ac ne agere quidem poteſt, niſi quod cum iſta ſua natura congruit ſolidiſſimè. *Ratio negatæ conſequentiæ* eſt bipartita. *Altera* ducitur à libertate miſericordiæ divinæ. *Altera* à juſta divinæ potentiæ & gloriæ illuſtratione. Quæ a miſericordiæ libertate ducitur, comprahenditur his verbis: *Moſi dicit; Miſerebor cuius miſertus fuero, & commiſerabor quem commiſeratus fuero.* Quibus verbis hæc ineſt ſententia ex idiotiſmo Hebræorum; In voluntatis meæ arbitrio & libertate poſitum eſt *miſereri cuius volo*: ut & concluſio indicat; *itaque miſeretur cuius vult.* Quo pacto a. hoc reſponſum faciat ad conſequentiæ iſtius deſtructionem vox *Miſericordia* declarat, quę totum refutationis momentum in ſe eſt complexa. Vnica enim ſufficiens cauſa Deo ob iſtud propoſitum injuſtitiam impingendi hæc erat: Quod Deus creationis *propoſitum*, quo juſtitiam & vitam poſuerat in obedientia legis, condemnationem vero & mortem in eiuſdem legis, tranſgreſſione, abſque injuſtitia irritum facere non poſſet; præſertim euſque ut aliud propoſitum faceret, quo illos, qui *per legem* ad *juſtitiam & vitam* conarentur pervenire, a *juſtitia & vita* excluderet, alios vero qui id non facerent, ſed tantum *crederent in Chriſtum*, *juſtitiæ & vitæ* participes faceret. Hanc injuſtitiæ cauſam ſolum a Deo aufert *miſericordiæ nomen* hic uſurpatum, quod quia præſupponit *miſeriam* & ideo *peccatum*: eo ipſo indicat *propoſiti mutationem* non eſſe factam ulla Dei culpa, ſed quia eius conditio per tranſgreſſionem legis violata erat, & per hanc impotentia illam præſtandi homini allata. Hinc videmus ipſo hominum vitio fœdus illud in creatione initum factum irritum, & eo ipſo Deum liberum ab obligatione potuiſſe aut hominem punire pro meritis, aut aliud *propoſitum* apud ſe inire. Quod ut hominis bono fieret, oportuit

Ex quo Antecedente Objectio illa revera deducta videatur.

Reſponſio Apoſtoli per negationem conſequentiæ, poſteriore parte v. 14. & per adductionem rationis negationis, verſ. ſeqq.

Ratio negatæ conſequentiæ eſt bipartita.

Prior à libertate miſericordiæ divinæ v. 15.

miſericordiam intervenire, quæ *peccatum* remitteret, & eam porro conditionem exigeret quæ ipſius *miſericordiæ* beneficio præſtare poſſet. Huiuſmodi, inquit Apoſtolus, propoſitum Deus apud ſe fecit, & quidem ex mera miſericordia, cui liberum eſt ſtatuere (juſtitia tamen moderante) quorum *velit miſereri*, & quorum *miſereri nolit*; quoſnam velit *juſtitiæ & vitæ* participes fieri, quos ab iiſdem excludi. Vnde ſequitur Deum ob iſtiuſmodi *decretum & propoſitum ſecundum electionem, quo filiis carnis à fœdere excluſis filios promiſſionis aſſumere ſtatuit*, quodque *ex vocante non ex operibus firmum eſſe voluit*, injuſtitiæ argui non poſſe; quia ſola *miſericordia* motus huiuſmodi decretum apud ſe ſtatuerit. Eſſet itaque injuſtus Deus, ſi alicui *juſtitiam & vitam* adimeret aut addiceret contra fœderis in creatione initi conditionem: at quum ob conditionem violatam & præſtandi impotentiam, aut *miſericordiæ* fuerit, fœdus gratiæ cum homine paciſci, aut *vigoris*, hominem abſque ſpe veniæ punire; apparet Deo in iſtoc fœdere non minus, imo multo magis fuiſſe liberum, conditiones quas viſum eſſet ponere, quam in fœdere creationis. Et per conſequens non magis hic quam ibi *injuſtitia* coargui poſſe. Sed tota res hoc ſyllogiſmo compræhendi poteſt.

Si propoſitum Dei ſecundum electionem, de filiis carnis rejiciendis, cenſendis autem in ſemine filiis promiſſionis, cauſam habet ſolam Dei miſericordiam & commiſerationem; tum ſequitur Deum ob id nullo modo injuſtitiæ argui poſſe.

At propoſiti iſtius cauſa eſt una Dei miſericordia.

Ergo Deus ob id injuſtitiæ argui non poteſt.

Hunc eſſe ſenſum Apoſtolicæ reſponſionis patet ex conſectario reſponſioni ſubnexo: *Nempe igitur non eſt eius qui velit, neque eius qui currat, ſed miſerentis Dei*, ſubaudi, *propoſitum ſecundum electionem*, quod tantumdem valet, atque id quod antea dixit: *propoſitum ſecundum electionem manet ex vocante, non ex operibus: & filii promiſſionis cenſentur in ſemine filiis carnis excluſis.* Quum enim *miſericordiæ Dei voluntas & curſus hominis* opponitur; certum eſt iſtum ſignificare conatum & curſum, quo homo *abſque miſericordia Dei juſtitiam & ſalutem conſequuturum ſe ſperat.* Talis eſt autem *conatus & curſus eorum* qui per *legis opera juſtitiam & ſalutem ſectantur.* Quumque *miſericordia* viciſſim *voluntati & curſui* opponitur, conſtat id juſtitiæ & vitæ conſequendæ *medium* iſto *miſericordiæ propoſito* ordinatum, quod *miſericordiæ* eſt maximè affine, nempe, *fides in Chriſtum mediatorem*. *Qua confirmatur conſectario ab Apoſtolo ſubnexo verſ. 15.*

Altera ratio negationis conſequentiæ eſt à juſta potentia & gloria divina illuſtratione; per eos, quorum viſum eſt non miſereri: quæ propoſita quidem eſt in particulari *Pharaonis exemplo*; at ipſa in ſe ſua natura eſt conſtantiſſima & ſemper ſui ſimilis. Compræhenditur his verbis: *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Ad hoc excitavi te, ut in te oſtenderem potentiam meam, & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra.* Ex quo loco Apoſtolus ad *iſtam* obie- *Altera à libera & iuſta potentia glorìaque divina illuſtratione verſ. 17.*

obiectionis partem, quia Deus injuſtitia arguebatur, quod *filios carnis* ex *propoſito ſecundum electionem* rejiceret atque odio haberet; ita reſpondet:

Quomodo illa formanda ex ſenſu Apoſtoli

Si liberum Deo eſt, ad juſtam ſuæ potentiæ declarationem nominiſque ſui illuſtrationem, Pharaonem excitare, indurare, punire; tum Deo non poteſt, injuſtitia attribui, quod propoſito ſecundum electionem decernat in filiorum carnis juſta induratione & pœna potentiam ſuam & gloriam illuſtrare.

At illud Deo liberum eſt; ut apparet ex hoc loco,

Ergo & poſterius: & propterea ob id non poteſt injuſtitiæ accuſari.

Connexio propoſitionis certa eſt & firma. Nam aut Deo nunquam erit liberum potentiam & nominis ſui gloriam in alicuius juſta punitione illuſtrare, aut etiam liberum illi erit *propoſito aliquo decernere*, in quorum juſta condemnatione ſuam potentiam & nominis gloriam velit declarare. Et ſane, nihil eſt aliud Deo adimere jus & poteſtatem *decretum* quod eſt *ſecundum electionem* faciendi, quam nolle illum *ſuam potentiam & nominis ſui gloriam* in aliquorum juſta *induratione & punitione oſtendere.* Conjuncta enim hæc ſunt, punire aliquem, & eundem pœnæ obnoxium decernere. Nulli enim pœna juſte infligi poteſt, niſi cui eadem *juſto propoſito & decreto* fuerit deſtinata: & ſi cui pœna juſtè infligi poteſt, eidem poteſt eadem pœna *propoſito & decreto aliquo* juſte deſtinari. Quomodo autem liberum Deo fuerit *Pharaonem excitare, indurare* &c. poſtea in refutatione ſequentis objectionis generatim demonſtrabitur. Hunc eſſe totius reſponſionis Apoſtolicæ ſenſum, apparet ex concluſione toti reſponſioni ſubjuncta: *ergo quorum vult miſeretur & quos vult indurat.* Ex iſta enim concluſione tota objectio Iudæorum refutatur ſoludiſſimè, hoc pacto.

Concluſio totius hujus reſponſionis verſ. 18.

Eiuſque ad vindicandam Dei iuſtitiam contra Iudæorum obiectionem adoptatio.

Si Deus poteſt miſereri quorum vult, & indurare quos vult, tum etiam liberum illi eſt propoſitum ſecundum electionem facere, quo filiorum promiſſionis ſtatuat miſereri, filios vero carnis indurare & punire.

At Deus poteſt miſereri quorum vult & indurare quos vult. Ergo liberum illi eſt decretum ſecundum electionem facere quo filiorum promiſſionis ſtatuat miſereri, filios vero carnis indurare & punire.

Et per conſequens, *ſi hoc faciat, quod illi liberum eſt; non poteſt injuſtitia ullo ſuo merito accuſari.*

Ita Dei juſtitia in iſto *propoſito ſecundum electionem* ab Apoſtolo firmiſſimis ſcripturæ ipſius Moſaicæ teſtimoniis eſt adſerta, & comprobata.

Sequitur nunc *alia Iudæorum objectio*, nata ex poſteriore parte *concluſionis* proxime antecedentis: in cuius *refutatione magnum* ſeſe putant

Alia obiecti. Iudæorum, quæ etiam nunc inſtan & connex

ſuæ

probare Deũ per Apoſtolicum dogma ſtatuiſſe iniuſtũ, ducta ex poſteriore parte concluſionis præcedentis verſ. 19.

ſuæ cauſæ habere *firmamentum* qui *abſolutum illud Dei de aliis ſimpliciter ſalvandis, aliis damnandis decretum urgent.* Quo nomine & nobis diligenter tum objectio tum eius refutatio erit examinanda, ne forte præ negligentia id velut inviſum prætereamus, quod illis *Herculea eſt clava* ad omnia objectionum *monſtra* debellandum, vel potius, *Alexandri Magni gladius* ad quemvis *nodum* inſolubilem *diſſecandum*. Objectio autem eſt huiuſmodi. *Quid ergo adhuc ſuccenſet?* Ratio additur: *Nam voluntati eius quis reſtitit?* Quæ interrogationis forma propoſita ita reſolventur: *Ergo non poteſt merito ſuccenſere: quia voluntati ipſius nemo poteſt reſiſtere.* Explebitur objectio per antecedentis, unde id conſequens deducitur, adjectionem: *Deus quos vult indurat: Ergo non poteſt merito ſuccenſere induratis.* Ratio cohærentiæ; *Quia nemo poteſt eius voluntati reſiſtere.* Hinc huiuſmodi exiſtit connexum: *Si Dei voluntati nemo poteſt reſiſtere, tum non poteſt jure ſuccenſere illis quos iſta voluntate indurat.* Convertatur hoc connexum in ſimplex ſive categoricum enuntiatum. *Deus non poteſt jure ſuccenſere omnipotente ipſius voluntate induratis.* Hæc eſt objectio, iſta nunc quas vires habeat examinetur; ut iſto examine conſtet quo pacto refutari poſſit, & via ad commodam refutationem præſtruatur. *Duo* itaque iſta *conſideranda*. *Unum, Deus non poteſt jure ſuccenſere induratis.* Alterum; *Quia voluntate ſua omnipotente, cui nequit reſiſti, eos induravit.* *Prioris* examen conſiſtit in quæſtionis huius tractatione: *Quinam ſint illi quibus Deus jure poſſit iraſci.* *Alterius* examen in tractatione huius: *An & quomodo illi qui omnipotenti Dei voluntate* *indurantur, ex illorum numero ſint exempti, quibus Deus jure poteſt ſuccenſere.* *Prior quæſtio* abſolvetur, ſi explicetur, quid ſit illud ob quod Deus merito poſſit ſuccenſere, id eſt, quæ cauſa iræ divinæ propria. Propria autem cauſa iræ divinæ, & id ob quod Deus jure poteſt alicui ſuccenſere, eſt *peccatum*. *Peccatum autem eſt transgreſſio legis*, intellige juſtæ; niſi enim Lex juſta ſit, Lex non eſt, nec propterea eius tranſgreſſio peccatum. Vt a. Lex juſta ſit has duas conditiones neceſſario requirit; ut ſit lata ab illo qui jubendi habeat poteſtatem: ut ſit lata illi qui præſtandi habeat poteſtatem vel potius potentiam; non tantum *δυνάμει*, ſed & *ἐνεργείᾳ*: hoc eſt, huiuſmodi habeat potentiam quæ nullo interveniente decreto impediatur, quominus id quod poteſt, ipſo actu præſtet. Vnde apparet, *peccatum eſſe legis tranſgreſſionem voluntariam*, quam quia vitare potuerit peccator (de ipſo actu loquor) ſua culpa admiſerit. Ob huiuſmodi peccatum, & huiuſmodi peccatori jure Deus poteſt ſuccenſere. Hac autem conditione ſublata, jure Deus homini ob peccatum ſuccenſere non poteſt; imo nec iſte peccatum committere. Hoc illorum cauſa dico, qui putant Deum merito iraſci poſſe legis tranſgreſſoribus, etiamſi ipſo actu, ob decretum interveniens, illam præſtare non potuerint; ſed falluntur multum. Huiuſmodi enim actio quæ eſt inevitabilis ob decreti alicuius determinationem, peccati nomen non meretur. Hæc ego certiſſima eſſe non dubito, & quando opus erit probabuntur. Hinc itaque conſtat, *quibus Deus jure poſſit ſuccenſere.* Iam videamus an & quomodo

Explicatio illius.

Deſcriptio peccati quod ſolum iuſta iræ divinæ cauſa.

Quibuſnam Deus iure poſſit iraſci.

An Deus iis iure iraſci non poſſit qui voluntate ipſius omnipotente indurantur.

modo illi qui omnipotente Dei voluntate indurantur, ex eorum numero eximantur: hoc eſt; An voluntas Dei omnipotens indurans tollat cauſam juſtæ accuſationis, querimoniæ, & iræ. At præmittamus quid ſit id, *voluntati Dei quis reſtitit?* Hic voluntati Dei tribuitur omnipotentia omnia in univerſum ſibi ſubjicere potens, & reipſa ſubjiciens quando eam voluntas comitatur, & illa voluntatem. Omnipotentia autem voluntatem Dei quovis modo conſideratam non comitatur. Nam vult Deus legem ſuam præſtari ab omnibus, quod non fit. Nec tamen propterea duæ in Deo ſunt voluntates ſibi invicem contrariæ, quarum altera velit legem ſuam ab omnibus præſtari, altera velit non præſtari: ſic enim non mirum legem à multis non præſtari, quum hæc voluntas omnipotentia armata impediat quominus illa fiat. Quopacto autem fieri poſſit ut iſtæ voluntates ſibi contrariæ non ſint, quum explicare conantur nonnulli, dicunt Dei voluntatem dupliciter conſiderari; ut eſt *occulta*, & ut eſt *revelata*. *Revelatam* eſſe de iis quæ Deus grata habeat & ingrata; *occultam* de iis quæ ſimpliciter & abſolute velit fieri vel non fieri: & bene convenire quod unam eandemque actionem fieri velit *revelata voluntate*, & *occulta voluntate* velit non fieri, cum diverſo modo velit. Sed an *occulta voluntas* in Deo ſtatui poſſit, qua ſimpliciter velit fieri vel non fieri, quod *revelata* vult non fieri vel fieri, diſputari poteſt. Alii dicunt *voluntatem* Dei eſſe *beneplaciti* vel *ſigni*, quod in idem recidit. Sed an non *beneplacens Dei voluntas* verbo ut ſigno eſt ſignificata? Alii *voluntatem* Dei aliam eſſe *efficacem*, aliam *inefficacem*. Sed hoc idem eſt cum attributo, alii reſiſtitur, alii reſiſti nequit. Et mirum in quos ſeſe Labyrinthos involvant, vel imperitia vel præjudicio, vel utroque potius excæcati. Sed recte conſiderantibus una eademque apparebit Dei voluntas in ſeſe, objectis tantum diſtincta. Quid enim? *annon voluntas eſt appetitus libet cum ratione, vel eius ſaltem ſpecie, extenſus ad faciendum vel habendum?* Et ita in Deo. (Liceat enim nobis noſtris vocibus tenebroſis illa delineare quæ ſunt in clariſſima iſta luce) vult enim facere, & vult habere. Illa vult aliquid à ſe, hac vult aliquid à nobis: illa vult aliquid a ſe fieri & advocat omnipotentiam, quæ nunquam non illam comitatur. Hac aliquid vult a nobis fieri per juſtitiam, cuius exemplar a nobis tradit ſuam legem. Ceterum quod vult a nobis, hoc neceſſum eſt, ut nobis manifeſtet, imo & præcipiat, quo id, quod a nobis vult, obtineat. Quod vero vult a ſe fieri, ſive quod vult facere, non ſemper nobis aperit, ſed aliquando duntaxat, prout gloriæ ſuæ & ſaluti noſtræ conducere judicat.

Voluntatem divinam quovis modo conſideratam non eſſe comitatam omnipotentia.

Nobiliſſima voluntatis Dei diſtinctio, in eam qua ipſe vult aliquid facere, & qua vult aliquid a nobis fieri vel habere.

Sed quæris an hic agatur de voluntate aliqua Dei occulta, & quidem tuum judicium adjungis, non agi de illa. Intellexiſti jam meam mentem de occulta voluntate. Et ego tecum ſentio hic non agi de occulta voluntate, quomodocunque illa ſumatur. Sed dicant illi quid hic occultum ſit. Anne Deo *reſiſti non poſſe*, quominus *induret*, quem *vult indurare*? At hoc apertum eſt hoc ipſo dicto. An vero quinam illi ſint quos Deus vult indurare? neque hoc. Nihil enim planius in Scriptura, quam *peccatores in peccatis* adver-

Non agi hic de voluntate aliqua Dei occulta.

aduerſus Dei patientiam, eos ad reſipiſcentiam invitantis, *perſeverantes*, eſſe illos quos Deus vult indurare. Sed non conſtat quinam ſint illi peccatores; Et hoc eſt occultum. Verum hoc eſt. ſed quid hoc ad voluntatem ut illa dicatur occulta? Potius hic Dei ſcientia dicetur nobis occulta. At ex pluribus talibus peccatoribus vult Deus hunc indurare, illum non, & hoc eſt occultum quemnam velit præ cæteris. Non diſputo jam de iſto: Sed dico iſtud hoc loco non agitari. Itaque quum, quod hic objectum ſtatuitur voluntatis nobis occultum, hoc loco non pertractetur, nec hic ullo modo de occulta voluntate agitur. Sed redeo ad propoſitum. Iſta *omnipotens voluntas* tollit cauſam juſtæ iræ, ſi per eam homo ad peccandum moveatur, & iſta vi, cui reſiſtere non poſſit; ideoque per illam voluntatem eximentur *indurati* ex eorum numero quibus Deus juſtè poteſt iraſci, ſi illi, id, ob quod indurantur, fecerint iſta omnipotente voluntate moti, cui reſiſtere nemo poteſt. Non loquor hic de coactione. *Deus enim cogere non poteſt, nec voluntas cogi*: ſed ſufficit iſta vis motionis divinæ ad hominem excuſandum & iræ Dei juſtæ eximendum, quam conſequitur inevitabilis id, ad quod movetur, præſtandi neceſſitas. Si vero homo id, quod indurationem meretur, libera voluntate commiſerit, culpæ ſubjicitur & dignus ira eſt, etiamſi iſta voluntate, cui reſiſti nequit, induretur. Obſiſtens enim & libere, voluntati in verbo patefactæ, cui reſiſti poteſt, incidit in illam neceſſitate decreti divini, etiam in verbo patefacti, cui reſiſti non poteſt, & ita fit voluntas Dei de illo, à quo voluntas Dei facta non eſt. Ex his puto facile ſolutionem confici poſſe ad iſtam objectionem.

Reſponſum Apoſtoli ad ſuperiorem objectionem.

Sed Apoſtoli reſponſum præ manibus ſumamus, & ea diligentia quam rei gravitas & difficultas merentur, pro noſtro tamen modulo. Initio autem præſupponendum Apoſtolum non quæſiiſſe effugia, quum objectionem ipſam refellere non poſſet, neque rem difficultatibus involviſſe, ut objicientem difficultate rei perterritum coerceret & cohiberet: ſed aptiſſimè & ſolidiſſimè objectionem totam refutaſſe. Et auſim dicere nullam in tota ſcriptura objectionem ſufficientius eſſe refutatam. At ſemper obverſetur oculis ipſa objectio cum omnibus ſuis fundamentis, contracta in compendium, ut velut uno momento inſpici poſſit: hoc pacto: *An Deus merito poſſit ſuccenſere voluntate ipſius irreſiſtibili induratis?* Liceat compendioſæ ſignificantiæ cauſa iſtam vocem uſurpare. *Reſponſum* autem Apoſtoli eſt *duplex*. *Vnum objurgatorium* de objicientis & objectionis indignitate: *Alterum refutatorium* ad rem ipſam objectam. Objurgatorium habet tres partes. *Objurgationem, eius rationem, & rationis comprobationem.* Objurgatio eſt ſub forma interrogationis propoſita, his verbis: *Imo vero, ô homo tu quis es qui ex adverſo reſponſas Deo?* Id eſt, Conſidera ô homo, quis ſis, & quis Deus ſit & intelliges indignum eſſe te Deo iſto modo reſponſare. Et certe doctrinam iſtam inſignem ita calumniari, ut per iſtam homine omni culpa exempto, Deo injuſtus iræ furor impingeretur; nihil aliud erat quam Deo velut in faciem reſiſtere, & in os illi adverſari. Vnde non mirum Apoſtolum indignitate rei commotum ſtatuiſſe

Quod duplex.

Primum Objurgatorium verſ. 20. conſtans 3. partibus:

1. Objurgatione.

2. Eius ratione ducta à comparatione.

ſtatuiſſe acriter reprehendere ita objicientem. *Ratio* eſt à comparatione hominis & Dei, ſimilique indigna reſponſatione accommodata comparationi. Vt enim *tria* ſunt iſta *propoſitione* contenta, *Homo reſponſans, Deus cui reſponſatur, & ipſa reſponſatio*: ita ratio iſtius propoſitionis ad tria iſta reſpicit, his verbis: *Num dicet figmentum fictori, cur me ſic feciſti?* Hic *Homo figmento, Deus factori, reſponſatio* iſta huic, (*cur me feciſti?*) comparatur. Qua comparatione rationem reddit Apoſtolus, cur *homini*, ut *figmento*, non decet *Deo*, ut *factori* ita reſponſare: ac ſi diceret: *Quemadmodum non licet figmento factori ſuo dicere, cur me ſic feciſti? ita quoque tibi ô Homo non licet Deo iſtoc modo reſponſare.* Tu enim nihil es aliud quam pulvis & vermis terræ, figmentum Dei; Deus autem

3. Rationis confirmatione item ducta à Comparatu verſ. 21.

eſt ille qui te finxit & formavit. At hic videndum quæ ſit redditio ad reſponſationem iſtam in figmento repræhenſam; ubi tamen prius tertiam partem, id eſt, *confirmationem rationis* inſpexerimus. Illa autem ſumpta eſt à *jure & poteſtate*, ſive comparatione *juris & poteſtatis* quam *figulus* habet in *lutum*, ad *jus & poteſtatem* quam *Deus* habet in *ſuum figmentum*, vel potius in *id, ex quo fingit figmentum*. *Jus & poteſtas figuli* facit ad comprobandam *indignitatem iſtius objectionis*, & propterea ad illam refutandam.

Comparatio autem facit ad demonſtrandum, idem quoque *Deo licere in ſuum, quod figulo in ſuum*. Quod ad primum, ita concluditur. *Si figulus habet poteſtatem ex eadem maſſa faciendi vas ad decus & ad dedecus; tum non licet figmento dicere fictori cur me ſic feciſti? At figulus habet illam poteſtatem. Ergo* &c. Quod ad ſecundum: *Si figulus habet iſtam poteſtatem in lutum, tum & Deus habet eandem in homines, vel potius in id unde homines facturus & formaturus eſſet. At prius. Ergo & poſterius.* Et propterea *non licet homini Deo dicere, cur me ſic feciſti?* vel iſtud objicere, cuius cauſa Apoſtolus objicientem repræhendit & objurgat. Hæc de diſpoſitione & ſumma reſponſionis objurgatoriæ; ubi etiam commoſtratum quo pacto illa facere poteſt ad objectionis ipſius refutationem, ſi nempe facta fuerit additio comparationi conveniens. Nunc de *applicatione iſtorum comparatorum* recta & legitima agendum: Quæ tota conſtabit explicatione *juris & poteſtatis Dei in hominem, vel jam conditum, vel condendum. Primum* autem de applicatione *comparati in ratione uſurpati: num dicet figmentum fictori, cur me ſic feciſti?* Red-

De recta applicatione prioris comparati.

ditio iſtius erit, ſecundum comparationem, vel in uno tertio, hoc pacto: *ita non licet homini iſto modo reſponſare Deo quo tu facis iſta objectione.* Vtut ſit, neceſſe eſt iſtam objectionem hominis cum hac figmenti congruere. Illa autem erat: *Si tua voluntate irreſiſtibili hominem induras, non eſt quod illi ſuccenſeas*: quæ, ad illam figmenti conformata, ita habebit: *Cur me tua voluntate irreſiſtibili indurandum feciſti?* ita ut illud (*ſic*) in redditione ſignificet, *voluntate tua irreſiſtibili indurandum.* Quod hic *Beza* dicit de mutabilitate conditionis humanæ, id mihi minus videtur ſcopo accommodatum. Et ſi conſideremus probationem à poteſtate figuli, apparebit talem quandam comparati iſtius applicationem eſſe faciendam. Nam quid poteſtas ad dedecus vel decus condendi, habet ſimile cum poteſtate mutabilem condendi? multum autem habet cum hac poteſtate condendi indurandum

randum vel miſericordia proſequendum. Sed videamus jam, quæ ſit *redditio iſtius comparati* quod in *probatione* eſt uſurpatum. *Figulus habet poteſtatem in lutum, ex eadem maſſa fingendi aliud vas ad decus, aliud ad dedecus.* Redditio ſtricte ſumpta erit hæc: *ita Deus habet poteſtatem ex eadem maſſa condendi alios homines ad decus, alios ad dedecus*; vel, *alios ad iram, alios ad miſericordiam: accommodate ad id quod agitur*, ut apparet ex ſequentibus verſibus: unde ita concluditur, *Si Deus habet poteſtatem ex eadem humani generis maſſa condendi vas ad iram, & vas ad miſericordiam; tum non poteſt homo juſte illi dicere, cur me tua voluntate irreſiſtibili indurandum*, id eſt, *vas ad iram condidiſti?* Adjungit autem de *vaſis ad decus & miſericordiam*, licet tantum quæſtio ſit de *induratis*; quia de poteſtate Dei agit quæ eſt in utrumque. Vides autem me juxta ſenſum adverſariorum rigidiſſime iſta propoſuiſſe, quia volo illis concedere quidquid ullo modo ad ſcopum Apoſtoli accommodari poteſt. At nunc videndum quo pacto iſta intelligenda ſint, quæ Deo hiſce applicationibus attribuimus: *Quod*, nempe, *poteſtatem habebat ex maſſa humani generis condere vas ad decus & ad dedecus; hominem miſericordia proſequendum, & irreſiſtibili voluntate indurandum.* *Poteſtatis* vox hic uſurpata ſignificat non *potentiam* ſed *jus & autoritatem*. Eſt enim ἐξουσία non δύναμις. non igitur hic agitur de *abſoluta potentia* qua poteſt aliquid, ſed de *jure* quo licet illi aliquid. *Maſſa* nomine Beza intelligit *humanum genus nondum conditum, nedum corruptum*. Scimus *Auguſtinum eſſe in alia ſententia* qui *maſſam perditionis* interpretatur: & ſi quis negare velit, iſta Bezæ probatio quam adfert, non ſufficiet: nempe alioquin dicendum fuiſſe Apoſtolo, alia *vaſa in dedecore iſto relicta, alia ab hoc dedecore ad decus tranſlata.* Sed volo illi hoc concedere, *maſſa* nomine ſignificari *informem materiam*. Nam ſimpliciter dicere *Deum non habere poteſtatem* ex *maſſa una* faciendi *vas ad iram*, & *vas ad miſericordiam*; faciendi *hominem* irreſiſtibili voluntate *indurandum*, & *miſericordia proſequendum*, non videtur mihi ſatis tutum. Quum enim videamus Deum quotidie facere vaſa miſericordiæ & vaſa iræ, & homines alios indurare, & aliorum miſereri; ſane apparet illum quod facit, jus faciendi habuiſſe. Sed addo eodem modo habuiſſe jus faciendi quo facit, & eaſdem ob cauſas ſtatuiſſe facere, ob quas reipſa facit. Res autem per ſe eſſet plana, niſi involuta eſſet difficultatibus per præpoſteram explicandi rationem. Quam ego hic non refutabo, ne prolixior ſim: non enim ſtatui jam id facere, ſed tantum commonſtrare hoc caput, quo velut fundamento nixam ſuam ſententiam dicunt, illis non patrocinari. Conabor tamen aliquid lucis huic negotio adferre. Quum Deus dicitur *facere vas iræ*, vel *miſericordiæ*, *hominem indurare*, vel *eius miſereri*: tum neceſſario, tria nobis veniunt conſideranda: duo explicite, unum implicite, quod inter duo illa velut medium interveniat. Primo enim neceſſe eſt ut *homo fiat & quidem vas*: Deinde neceſſe eſt, ut, antequam *vas iræ vel miſericordiæ fiat*, ſit *vas peccati*, id eſt, *peccator*. Inde tertio ut *vas iræ fiat vel miſericordiæ*. Iam videamus quod hic Dei opus ſit. Primum eſt opus Dei quo *hominem condit, ut ſit*, neque tantum ſit, ſed *ut ſit ad cer-*

De applicatione vel redditione poſterioris comparati ſtricte ſumpta

Quo pacto intelligenda ſint quæ Deo hiſce applicationibus tribuuntur.

Homo quà à Deo conditus, eſt vas ad illuſtrationem gloriæ ſuæ.

ad certum finem, quod *vaſis* nomine ſignificatur, quod tantumdem valet atque *inſtrumentum*. Inſtrumentum autem eſt finis alicuius gratia. *Finem* hunc appellat Scriptura *Dei gloriam*. Condidit itaque Deus hominem ad gloriam ſuam, id eſt, non quo ipſe gloriam acciperet ab homine, ſed quo gloriam ſuam per hominem multo illuſtrius, quam per reliquas creaturas illuſtraret. *Gloria* autem Dei illuſtratur per patefactionem *proprietatum ipſius naturalium*, præſertim earum, quæ in ſecundo divinæ naturæ momento conſiderantur, ut ſunt *bonitas, juſtitia, ſapientia, potentia*. Sunt aliæ ipſi eſſentiæ peculiares, ſimplicitas, infinitas, æternitas, incommutabilitas, &c. Nunc conſiderandum, quarum proprietatum patefactione Dei gloria primitus fuerit illuſtranda. Dico *bonitatis, juſtitiæ, ſapientiæ, potentiæ*. *Bonitatis enim eſt ſeipſum communicare: Iuſtitiæ, præſcribere normam communicationis: ſapientiæ, ſcire quomodo id deceat & poſſit fieri: potentiæ, poſſe ſe actu ipſo communicare.* *Bonitas* itaque Deum impulit, non tantum ut alia, ſed & *hominem conderet*, hoc eſt, ut ſeipſum nihilo per ſimilitudinem ita communicaret, ut ex nihilo & iſta communicatione id exiſteret, quod eſt *homo*. *Iuſtitia* præſcripſit modum quo decebat iſtam communicationem fieri: nam eſt *bonitatis arbitratrix*, vel, ut Tertullianus inquit, *arbitratrix operum Dei*. *Sapientia* ſcivit, quo pacto decuerit Deum ſe, ad id quod eſſet *homo* faciendum, communicare, & quomodo Deus id potuerit. *Potentia* harum inſtrumentum, præſto fuit *ad exſequendum*. Poteſt enim Deus nihilo ſuam ſimilitudinem communicare. Sed *homo* non fuit conditus, quin *vas* fuerit iſtius *bonitatis, juſtitiæ, ſapientiæ, potentiæ*: & hoc pacto fuit vas gloriæ illuſtratæ. At videndum quo modo vas ſit illuſtrandæ porro Dei gloriæ. Recte ſane. Nam Deus *hominem* condidit non ut *eſſet tantum* id quod eſt conditus, ſed ut ad *perfectionem tenderet maiorem*. Neque enim ſatisfactum putavit Deus ſuæ *bonitati*, quod homini ſemel ſe communicaſſet, ut illius *creator*, ſui autem ipſius *glorificator*: ſed voluit ulterius ſe homini communicare, ut *ipſius etiam hominis glorificator*; atque ut id poſſet, non tantum *naturalibus* ſed & *ſupernaturalibus donis* illum inſtruxit. Verum *juſtitia* normam & modulum præſcripſit huius communicationis, ſcilicet, illam fieri non debere, niſi *ſub conditione*, ſi homo *imagini divinæ convenienter* in obedientia mandatorum Dei *viveret*: & quia poterat evehi, poterat & deprimi; & nihil juſtius quam ut deprimeretur, ſi abuteretur donis, quorum recto uſu poſſet evehi ad ſummam dignitatem. fuit itaque homo illo reſpectu *vas illuſtrandæ juſtæ Dei bonitatis & iræ*, per quod Deus declararet *inſignem ſuam bonitatem in eo beando, ſi juſte viveret, & ſeveram ſuam iram in eo puniendo, ſi mandatum tranſgrederetur*. Sic fecit Deus initio hominem & in eo reliquos homines vaſa illuſtrandæ juſtæ bonitatis & iræ, id eſt, apta ad id inſtrumenta: actu autem non fecit, niſi interveniente eo, quod ſecundo loco hic eſt conſiderandum. Cæterum homo in hoc ſtatu, a Deo conſtitutus, *mandatum tranſgrediendo, ſeipſe fecit vas malum* id eſt, peccatorem; nulla Dei ad hoc *cooperatione* concurrente, niſi quæ eius *bonitatem, juſtitiam, ſapientiam, imo & conſtantiam* in primæva creationis inſtitutione

Gloria Dei illuſtratur per patefactionē proprietatum eius.

Quarum proprietates Dei primo omnium fuerint patefaciendæ.

Homo qua ex inſtitutione Dei tenderet ad maiorem perfectionem, vas eſt ulterius illuſtrandæ gloriæ divinæ.

Homo ſeipſo peccando fecit vas malum.

decreret: qua nihil decederet hominis *libertati*, aut *liberi arbitrij* actualis motus impediretur, ad hoc vel ad illud impelleretur. *Homo* vero *in hoc ſtatu* exiſtens, cum *omnibus poſteris*, quos Deus ſtatuerat ex eius ſanguine ordinario modo producere, *dignus erat*, cui Deus pro meritis *iram* redderet & *pœnam*: hoc eſt, quem *vas iræ* reipſa faceret. Sed hoc non eſt paſſa eadem illa *bonitas*, (quam mihi matricem miſericordiæ hoc loco appellare liceat) quin nec ipſa Dei *juſtitia, bonitatis*, & *miſericordiæ arbitratrix*. Sciebat quidem ſapientia Dei *cauſæ iſti*, id eſt, *peccato* deberi *pœnam*: & *juſtitia* volebat cauſæ reddi, quod ipſi debebatur: ſed & ſcivit illa *bonitati* quid amplius deberi, & voluit *iſta*, pro ſua natura, *bonitati* quoque reddi quod ipſius erat: nempe *ſummam ſui ipſius demonſtrationem, ſuique promotionem in miſericordiam*, quæ eſt bonitatis affectus in miſeros, & propterea male meritos. *Decuit* enim *bonitatem Dei*, ſe communicare, non tantum *non exiſtentibus, & nihil meritis exiſtentibus*, *& bene meritis* (*ſiquidem mandatum præſtitiſſent*) *ſed & male meritis & legis tranſgreſſoribus*: *ut & daret non habenti, & redderet imo adderet habenti, & parceret abutenti*, tam *victrix* adverſus peccatum *per remiſſionem*, quam de nihilo *triumphatrix per creationem*. Invenit itaque, *ſapientia* modum, quo redderetur *cauſſa* quod meruit, & *bonitati* quod decuit: nempe *Ieſum Chriſtum Mediatorem*, cui cauſa iſta generis humani imponeretur apud tribunal juſtitiæ perferenda & peragenda, quo ita *homo* eſſet *vas bonitatis & juſtitiæ* ſummo & excellentiſſimo modo illuſtrandæ. Cæterum hic quoque *juſtitia* ſe interpoſuit memor ſui officii, & demonſtravit communicationem iſtam *bonitatis per miſericordiam*, non magis decere fieri *abſque conditione* in hoc ſtatu quam in priore: ſed æquum eſſe ut *conditio* ſtatuatur ſecundum quam bonum illud *ex miſericordia* communicetur, vel non communicetur; imo contrarium malum inferatur. Atque hinc ſtatutum alios homines facere *vaſa iræ & alios miſericordiæ*, id eſt, *apta ad iram* vel *miſericordiam*: *miſericordiæ, qui præſtarent conditionem*; *iræ, qui illam tranſgrederentur, nec tranſgredi deſiſterent*: *idque irrevocabiliter & neceſſario*, adeo ut qui conditionem eſſent tranſgreſſi, perſiſtentes in tranſgreſſione, vaſa iræ fierent ipſo actu, & qui præſtitiſſent eandem, fierent ipſo actu vaſa miſericordiæ; quæ tamen eadem *miſericordia vim tribuit præſtandi eo modo, quo decet* miſericordiam juſtitia temperatam *eam dare*, Breviter: *Deus facit hominem vas*: *Homo ſe facit vas malum*, ſive *peccatorem*, *Deus decernit hominem facere ſecundum conditiones ſibi placitas vas iræ vel miſericordiæ*, *quod & reipſa facit, quando conditio eſt aut præſtita, aut pervicaciter neglecta*. Hinc apparet quis ſit verus ſenſus eorum quæ hic ab Apoſtolo adferuntur; nempe 1 Deum ex informi materia poteſtatem habere faciendi homines, & de iiſdem puro ſuæ voluntatis arbitrio & placito decretum ſtatuendi certis conditionibus ſancitum, ſecundum quas alios vaſa ad dedecus, alios vaſa ad decus faciat; & propterea hominem juſtam cauſam non habere expoſtulandi cum Deo, quod ſe fecerit irreſiſtibili voluntate indurandum; quum inter voluntatis ſtatutum & ipſam indurationem interveniat obſtinatio in peccatis: ob quam Deus vult ſecundum idem voluntatis placi-

Quomodo homines vaſa mala ſive peccatores facti, alij vaſa miſericordiæ, alij fiant juxta tenorem fœderis novi.

Senſus eorum quæ verſ. 21. ab Apoſtolo dicuntur.

placitum hominem voluntate irreſiſtibili indurare. Si quis *ſimpliciter* dicat Deum habere poteſtatem faciendi *hominem vas ad dedecus & iram*, ille Deo maximam injuriam faciet & apertæ Scripturæ contradicet. Quare nec ipſe *Beza* id audet *ſimpliciter* dicere, ſed iſta intelligenda eſſe de *decreto*, quod non *exequatur* niſi poſtquam homo *peccator* factus ſe ira dignum fecerit. Sed ille *executionem* ita decreto ſubjungit, ut *proximam executionis cauſam* ab ipſo *decreto* ſuſpendat, quod tandem idem valet, atque ſi ſimpliciter dicat: Deum ſtatuiſſe aliquos homines facere vaſa ad decus, aliquos vaſa ad dedecus; alios vaſa iræ, alios vaſa miſericordiæ; & ut hoc poſſit, facere omnes primum peccatores, ut poſtea alios per juſtitiam reipſa faciat vaſa iræ & dedecoris, alios per miſericordiam vaſa miſericordiæ & honoris. Quidquid autem abſurdi ex iſta comparatione ab Apoſtolo allata per ſiniſtram interpretationem poſſit deduci, ſolo diſcrimine, quod eſt inter homines & vaſa figuli recte intellecto poteſt præveniri. Hæc autem ita mihi tractata ſunt, non quaſi nulla alia eſſe poſſit iſtius comparationis redditio, ſed ut illis ipſis, cum quibus hic nobis negotium, ſuam redditionem concedens, commonſtrarem etiam illam recte juxta analogiam fidei intellectam, huiuſmodi propoſito, quale hinc concludere volunt, non patrocinari, imo cum altero illo, quale tu deſcribis, optime conſentire. At quid ſi dicam, & quidem pro meo jure, non illam eſſe *redditionem* quam illi Apoſtoli verbis affingunt, ſed iſtam quam Apoſtolus ipſe ſequentibus duobus verſibus adducit. *Si vero volens Deus*, &c. & hac ratione iſtam *poteſtatis figuli in lutum deſcriptionem* facere tum ad *objurgationis rationem confirmandam, tum ad objectionem ipſam refutandam*: Quæ ipſa quoque ſunt affinia; Nam commonſtrare objectionis indignitatem, eſt illam aliquo modo refutare, ut & in ſuperioribus vidimus. Nec video quare commode hæc redditio accommodari iſti propoſitioni non poſſit: *Quemadmodum enim figulus habet poteſtatem in lutum, ut ex eadem maſſa faciat aliud vas ad decus, aliud ad dedecus: ita Deus habet poteſtatem, & quidem multo æquiorem vaſa iræ ad interitum coagmentata lenitate ſua perferre, & vaſa miſericordiæ præparare ad gloriam.* Quæ æquitas illuſtratur à finibus quos Deus ſibi habet utrinque propoſitos. Sed dicet quis, *iſta non habere inter ſe convenientiam, facere vas ad dedecus, & lenitate ſua perferre vaſa iræ jam ad interitum*, id eſt, *dedecus coagmentata*; ſed hoc potius illi convenire, *coagmentare vaſa iræ ad interitum*: ut *præparare vaſa miſericordiæ ad gloriam*, iſti convenit; *facere vas ad decus*. Sed quis Apoſtolo præſcribet modum applicationis ad comparationem? an non licet illi *paritatem divinæ poteſtatis* commonſtrare in eo quod Deus reipſa facit *circa vaſa iræ & miſericordiæ*: licet *minus* ſit quam quod *figulus facit circa vaſa dedecoris*, ut hac ratione vis argumenti ſit fortior à minori ad majus, quam à pari ad pariter comparatum? Deeſt autem aliquid iſti Apoſtolicæ applicationi, & liquet id huiuſmodi eſſe: *An id faciendi non habebit poteſtatem?* vel, *an propterea non poterit merito ſuccenſere induratis?* At nunc denique videamus quam inſigniter hiſce verbis, quomodocunque illa ſumantur, (ſive pro reddi-

Notandum diligenter diſcrimen quod eſt inter homines & vaſa figuli.

Alia & præſtiter comparati poſterioris applicatio ſua redditioni, ex ipſo textu deſumpta.

Exceptio contra illam.

Reſponſio.

Hactenus objurgatoriam reſponſionem; ſequitur jam objectionis refutatoriam.

redditione comparationis ſive pro ſe ſimpliciter) objectio iſta refutetur. Dixi autem & etiamnum dico, *nullam* mihi tota Scriptura *objectionem* videri *firmiter refutatam, nullamque reſponſionem ſufficientius exhaurire omnes ſuæ objectionis difficultates.* *Objectio* autem habebat hæc tria. *Antecedens: Deus quos vult indurat. Conſequens*, quod erat objectum: *Ergo non poteſt merito ſuccenſere induratis. Conſequentiæ probationem* ab adjuncto voluntatis divinæ: *Quia voluntati Dei reſiſti nequit.* Antecedens & ratio conſequentiæ connectantur: *Quos vult Deus indurare voluntate irreſiſtibili*, additur conſequens, *illis non poteſt merito ſuccenſere.* Simplicia in iſta objectione continentur quatuor: *Ira divina, indurati, voluntas irreſiſtibilis, merito vel immerito*: quod quartum malim modum dici vel compoſitionis per affirmationem, vel diviſionis per negationem. *Affectio inter hæc* ab objiciente proponitur huiuſmodi; *Ira divina* eſt adjunctum, quo verſatur Deus circa *induratos*, qui propterea ſunt *objectum iræ*, & hic etiam *cauſa*: ut ſæpe objecta rationem habent cauſæ non ipſorum adjunctorum in ſe, ſed quatenus circa objecta verſantur, id eſt, non quatenus ſunt actu primo, ſed ſecundo. *Indurati & voluntas irreſiſtibilis* ponuntur ut *cauſa & effectum. Induratio eſt effectum voluntatis Dei irreſiſtibilis.* Iam quæritur an *iſta poſita affectione* inter *indurationem & voluntatem irreſiſtibilem*, eadem ſit *affectio inter iram divinam & induratos*: hoc eſt; *an Deus iraſci poſſit iis induratis*, quod ſignificatur per vocem *merito vel immerito.* His ita explicatis applicetur Apoſtoli reſponſio. *Primò* declarat Apoſtolus *iſtam affectionem* inter *iram* Dei & *induratos* non eſſe, ſed potius *univerſam.* Non enim *objectum iræ divinæ* ſunt *indurati*, neque *induratio iræ cauſa*, ſed potius *ira divina cauſa indurationis*; Et Deus *actu indurationis* verſatur circa eos quibus *iratus jam eſt*, hoc eſt, qui ipſo actu jam ſunt *vaſa iræ.* Quod Apoſtolus ſignificat his verbis, *vaſa iræ ad interitum coagmentata indurat Deus.* Eſt itaque in illis non tantum fallacia à *cauſa non cauſa, ſubjecto non ſubjecto*; ſed *& inverſio* cauſæ & effecti, ſubjecti & adjuncti. quare refutatio iſtius partis eſt firmiſſima. Tantum abeſt ut Deus non poſſit ſuccenſere induratis, ut contra non induret niſi jam ſua culpa juſtiſſimæ iræ divinæ vaſa factos. Docet autem Scriptura tota indurationem eſſe effectum & ſignum iræ divinæ. Vnde ſtulta eſt quæſtio, *an Deus poſſit ſuccenſere induratis*, quum quærendum fuerat; *an Deus poſſit indurare eos quibus ſuccenſet.* Deinde reſpondet Apoſtolus ad *affectionem* inter *indurationem & voluntatem irreſiſtibilem*, his verbis: *pertulit ira vaſa multa lenitate*: quibus *modum indurationis* ſignificat eſſe per *patientiam & manſuetudinem*, non *omnipotentem voluntatis*, cui reſiſti nequit, *actionem.* Itaque & hic eſt fallacia cauſæ non cauſæ. At inquiet aliquis, annon decretum quo ſtatuit Deus indurare *vaſa iræ*, eſt *voluntatis cui reſiſti nequit?* Ita ſane. At aliud eſt, Deum omnipotentis voluntatis actu uti ad indurationem efficiendam, & aliud iſta voluntate ſtatuiſſe, ſe vaſa iræ induraturum. Nam iſto pacto voluntas tribuitur decreto indurationis, non actui: inter quæ differentia tanta eſt, ut Deus poſſit voluntate irreſiſtibili decretum facere de vaſis iræ per patientiam & lenitatem ſuam indurandis. Si

Repetitur & explicatur propoſita objectio.

Applicatur ad Apoſtoli reſponſionem.

quod 3. partibus abſolvitur Prima.

Secundo.

Si quis regerat *indurationem* tamen *certo certius eſſe ſecuturam per iſtam patientiam*; propter illud *decretum* quo non tantum ſtatuit uti patientia, ſed illa uti *ad indurationem*: & *hoc æquipollere omnipotenti actui voluntatis cui reſiſti nequit*. *Nego iſta æquipollere*: ſed ad negationis rationem multa pertinent, quæ longum eſſet hic adferre: quare reſponſione ſuperſedebo; quia id objectum non obeſt propoſito. Concedamus enim *vi omnipotentis voluntatis indurari vaſa iræ*, an hoc, *juſtitiæ iræ divinæ* vel tantillum a limet, quum ipſi *meriti ſint indurationem*, in Dei autem arbitrio ſit pœnam infligere, quo ipſi viſum eſt modo? *Tertia* reſponſionis pars eſt

Tertia. de *æquitate* iſtius actus divini, quem Apoſtolus nunc explicat, ſumpta à fine. Quid enim, an non æquum ut Deus *iram ſuam & potentiam* aliquando demonſtret? Æquiſſimum. Adverſus quos autem, ſi non adverſus *vaſa iræ ad interitum coagmentata, quæ Deus pertulit multa lenitate*? Aut adverſus huiuſmodi æquum eſt ut Deus declaret ſuam *potentiam & iram*, aut nunquam illi id liberum erit: & ſic incaſſum Deus *potentia* ſit armatus & *ira*, utpote quas exercere nunquam poterit, quibuſcunque etiam modis irritatus. Hinc apparet amplius, quid hic ab Apoſtolo præſtitum eſſe, quam neceſſaria refutatio iſtius objectionis poſtulabat. Quidquid enim ad *iræ divinæ*, adverſus *induratos* non excuſationem tantum, ſed & defenſionem, imo præconium adduci poterat, hic allatum eſt: & ita deſcripti illi in quos Deus *iram & potentiam* ſuam vult oſtendere, ut omnes ſimul, *iræ divinæ* juſtas cauſas in ſe complectantur. Non enim iraſcitur iis, niſi *iræ vaſis* jam exiſtentibus; neque quum merito ſuo ad interitum ſint coagmentati, *iram ſuam* in illorum exitium *ſtatim jure ſuo exſequitur*, ſed *diu magna lenitate & patientia illos tolerat*, ad pœnitentiam invitans, & reſipiſcentiam exſpectans: at ubi *corde duro & reſipiſcere neſcio iſtam Dei patientiam & lenitatem contemnunt*, non mirum quod nec ipſa *miſericordiſſima Dei bonitas* ab *iræ illatione* ſe poſſit temperare, ne ſibi ubique *jus ſuum ſummum à juſtitia* reddi poſtulans, *illi* locum nullum concedere velle videatur. Brevius autem reſponſionem proponemus, ſi ad ſingulas ſyllogiſmi objectivi partes illam accommodemus. Syllogiſmus autem talis erat:

Qui voluntate ſua irreſiſtibili indurat, ille poteſt merito ſuccenſere induratis. At Deus voluntate irreſiſtibili indurat. Ergo non poteſt merito ſuccenſere induratis. *Ad* *Contracta ad objectionem in Syllogiſmum redacta reſponſio.*

propoſitionem reſpondet Apoſtolus *Ad maiorem* per *negationem*: tum quia ſimpliciter ſit *falſa*, *meriti* enim ſunt *indurationem* illi quos Deus *indurat*, & liberum eſt Deo illam *meritis infligere*, quocunque ipſi viſum eſt modo: tum quia *falſa iræ cauſa allegatur induratio*, quum illi jam ſint *vaſa iræ* antequam indurentur, & ira ſit cauſa indurationis. Corrigatur ergo propoſitio hoc pacto: *Qui voluntate ſua irreſiſtibili indurat eos, qui propterea quod vaſa iræ ſunt, meruerunt indurationem, ille poteſt merito iſtis induratis porro ſuccenſere. Ad minorem* reſpondet per *poſitionem alterius modi indurationis*, quo tollitur iſte modus in minore aſſumptus: *perfert enim multa lenitate vaſa iræ ad interitum coagmentata*: Et cur Deo imputandum ſi illi hinc indurentur pro ſua malitia? Corrigatur etiam minor: *At Deus patientia & lenitate utens erga vaſa iræ, illa indurat.* *Ad minorem*

Vnde & *major* ulterius corrigenda venit, per *ſuppoſitionem huius modi indurationis*, qui eius veritatem & æquitatem multum commendabit. Hinc jam ſequitur *concluſionem* eſſe falſam: cuius contraria ex facta antecedentium correctione neceſſario ſequitur, & eſt veriſſima, non tantum propter veritatem antecedentem, ſed & propter *juſtum finem divinæ indurationis*, qui eſt *illuſtratio & oſtenſio iræ & potentiæ* Dei. Quod ad phraſin iſtam attinet, *iræ vaſa eſſe ad interitum coagmentata*, ex præcedentibus facile poteſt intelligi. Quæ de *vaſis miſericordiæ* addidit, dictum qua id occaſione fecerit Apoſtolus: Et quia de illis non eſt quæſtio, latiori explicationi ſuperſedebo.

Atque ita quidem mihi commonſtraſſe videor, *Hunc Apoſtolici locum confirmandæ iſti ſententiæ non ſervire, quam multi huius capitis fundamento nixam eſſe arbitrantur. Res vero ipſas* hoc capite compræhenſas prolixius tractare viſum non fuit, quia alias id commodius fiet; quando eas non ut huius vel illius loci autoritate ſuffultas, ſed per ſe conſiderabimus.

Hæc mihi Paulino ſi quis male conſona fini
Monſtret, ab hoc ſenſu abſiſtere promptus ero.
At ſi quis fidei monſtret male conſona, culpam
Noſcere, & errorem tollere promptus ero.

Aphoriſmi aliquot

Summam huius tractatus ordine complectentes.

Quomodo verbo Dei & inſitis animo notionibus doctrina de Prædeſtinatione & gratia Dei recte ſuperſtruatur. Fol. 634.
Axioma hoc. Deum ſemper juſtum eſſe, licet homines non intelligant quomodo juſtus ſit; caute uſurpandum eſſe. ibid.
Quomodo accipiendum ſit, cum Deus dicitur non pendere à cauſis ullis ſecundis. fol. 635
Ordinandi verbum quomodo accipiendum ſit in materia de providentia ibid.
Permittere aliquid certi finis gratia an idem ſit cum otioſe ſpectare quid fiat aut quid futurum ſit. ibid.
Quomodo intelligendum ſit; quæ mutantur, quoad certas & fixas omnes circumſtantias non ſine immutabili ipſius decreto mutari. fol. 636.
Iudicia quidem omnia Dei reverenter honoranda eſſe, ſed ſimul certiſſime conſtare debere quod judicia Dei ſint, quæ eſſe ipſius dicuntur. ibid.
Quomodo Deus concurrat cum cauſis ſecundis ad opus aliquod producendum. fol. 637.
Quomodo accipiendum nihil mali caveri poſſe niſi Deo impediente. ibid.
An ex eventu quocunque rei recte concludatur, Deum aliquid voluiſſe. ibid.
Quomodo verum ſit hominem non facere bonum etiam quod ex gratia facere poſſit, niſi Deus in illo efficiat ut faciat ſicut effecit ut poſſit facere ſi velit. ibid.

Quo-

Quonam tandem modo Deus toti mundo & rebus omnibus à ſe creatis præſideat, omniaque & ſingula adminiſtret & gubernet. ibid.
An prædeſtinatio rectè definiatur vel deſcribatur, quod ſit conſilium Dei de hominis ultimo fine vel ſtatu extra temporalem hanc vel animalem vitam. fol.639.
Quomodo rectè accipiendum, prædeſtinationis ultimum finem ſtatui declarationem gloriæ Dei in illius partim miſericordiæ partim juſtitiæ. ibid.
Deum in omni opere ſuo propoſitam ſibi habere gloriam ſuam: eam autem eſſe perfectionis ſuæ manifeſtationem. f.640
Quibus modis Deus ſoleat gloriam ſuam manifeſtare: quarum nempe proprietatum eſſentialium explicatione; accuratè & copioſè expenditur. ibid.
An Deus rectè dicatur decreviſſe ut homo laberetur & illud decretum ad finem ſeu terminum produxiſſe. fol.643.
An creatio & lapſus hominum rectè ſtatuantur commune medium eſſe conſilio prædeſtinationis ſubſtratum. ibid.
An prædeſtinationis actui rectè ſubjiciatur homo condendus. fol. 644. & 655.
An creatio hominis rectè definiatur formatio eſſe hominis è nihilo, integri ad imaginem Dei, mutabilis tamen; & animali vita præditi. fol.644.
Quomodo homo conditus ſit mutabilis. ibid.
Quomodo permiſſio lapſus in Deo ſeſe habeat. ibid.
An permiſſio ſit ceſſatio ab actu illuminationis & inclinationis ad obediendum ſibi. fol.645.
Quomodo permiſſio ſit Dei præſcientis & volentis. ibid.
Cauſæ propter quas Deus peccatum permiſit. ibid.
An ſi Deus peccatum non permitteret, bonum univerſi impediretur. fol.645.
An lapſus Adami rectè dicatur fœlix culpa. ibid.
Lapſus permiſſio & lapſus permiſſus an rectè differre dicantur. fol.647.
Quomodo ſimul verum eſſe poſſit, lapſum permitti à Deo & non evenire niſi volente Deo. ibid.
Diſtinctio vulgo recepta inter lapſum & eventum lapſus expenditur. ibid.
Diſtinctio voluntatis in voluntatem ſigni & beneplaciti, revelatam & occultam expenditur. fol. 648. & 668.
Diſtinctio inter lapſum qua peccatum eſt & qua medium eſt illuſtrandæ gloriæ divinæ expenditur. fol. 648.
Quot modis aliquis Deum peccati auctorem facere poſſit. fol.650.
Quod Deus eligendo & reprobando circa homines ut peccatores conſideratos verſatus ſit. ibid.
Definitio electionis Perkinſianæ excutitur & corrigitur. ibid.
Quomodo Chriſtus ſe habeat in electione. fol 651. & 657.
Electionis objectum fideles ſunt. fol.651.
Decretum quo Deus ſtatuit fideles juſtificare & in filios adoptare videri aliud eſſe ab eo decreto quo Deus ſtatuit; nonnullis fidem dare, aliis vero eandem negare. ibid.
Utrum actus mentis divinæ duplex; prior de fine alter de mediis ad finem, rectè appellentur decretum & executio decreti. ibid.
An Rom 9. 11. propoſitum æternum Dei & electio diſtinguantur ab Apoſtolo: Item, utrum electio quædam præcedanea ponatur ante propoſitum damnandi & ſalutem conferendi. fol. 652.
Locus ad Rom. 9. 11. expenditur. ibid.
Item locus ad Rom. 8.29. ibid.
Quod Deus neminem pro ſuo prædiligere & amare poſſit, niſi eum in Chriſtum credi-

crediturum præuoverit atque ut credentem in Christum intuitus ſit. fol. 653
An ex eo quod qui prædeſtinati, prædeſtinentur ut juſti fiant, etiam prædeſtinentur ut credant. fol 654.
Prior actus decreti electionis expenditur. ibid.
Qualiter objectum in decreto electionis conſiderari debeat. fol. 655.
Quomodo verum ſit electionem ex mera Dei voluntate proficiſci citra ullum mali in creaturis intuitum. fol. 656.
Actus ſecundus decreti electionis expenditur. fol. 657.
Quomodo in electione Christus in conſiderationem veniat. ibid.
Quomodo prædeſtinationem deſtinatio Mediatoris ingrediatur. fol. 658.
Deſtinatio Mediatoris an recte à Perkinſio deſcripta ſit. ibid.
De univerſalitate promiſſionis & oblationis Chriſti. fol. 659.
An mandatum credendi ſit generalius promiſſione. ibid.
An promiſſio ſit ſolorum electorum. f 661.
An electi impiis in promiſſionibus univerſalibus recte ſibi invicem opponantur. ibid.
An Miniſtrorum verbi officium recte circumſcribatur ſola hortatione ad pænitentiam. ibid.
An quos Deus novit non converſuros ſe, eos tamen ad reſipiſcentiam hortetur, hoc fini ut inexcuſabiles fiant. ibid.
An Deus externa Euangelii prædicatione ad fidem & pœnitentiam hortetur nonnullos, quibus certo decreto ſtatuit fidem & pœnitentiam non dare. fol. 663.
An Deus certo decreto ſtatuerit reprobis fidem & pœnitentiam non dare. f. 665.
Quomodo fides & pœnitentia infundantur. ibid.
An mandatum Dei quo fidem & pœnitentiam mandat cum ejuſdem decreto pugnare poſſit. fol. 667.
Examinatur quod dicitur Deus in mandatis & promiſſionibus non omne id dicere quod decrevit, ſed voluntatem ſuam tantum ex parte proponere. fol. 668.
Examinatur quod dicitur Deus in quibuſdam converſionem tantum velle quod approbationem, cohortationem & media. ibid.
Diſtinctio voluntatis in revelatam & arcanam excutitur. ibid.
Exhibitio Mediatoris prout ea à Perkinſio deſcripta eſt, accurate expenditur. fol. 670.
Sententia Perkinſii expenditur de virtute pretii ſive λύτρου à Chriſto Mediatore perſoluti. fol. 671.
Vtrum Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, an vero pro electis & prædeſtinatis tantum. ſol. 672. & 735.
Objectiones ſolvuntur quæ concludunt Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus & non eſſe Mediatorem omnium. fol. 672. & ſeqq.
Quomodo intelligendum, decretum electionis & cauſam eſſe & principium omnium in hominibus ſalutarium donorum & operum. fol. 679.
Definitio Perkinſiana reprobationis prior expenditur. ibid.
Quod reprobatio tantummodo circa peccatores verſetur. fol. 681.
An ſicuti peccatum eſt meritoria cauſa reprobationis, inde juſtitia ſit meritoria cauſa electionis. ibid.
Quod decreti & executionis una eademdemque cauſa ſit. fol. 682.
Gratia ſupernaturalis bifariam dicitur. ibid.
Vtrum ex præteritione aut negatione gratiæ ſine qua peccatum vitari nequit, dici poſſit peccatum exiſtere. ibid.
Definitio Perkinſiana reprobationis altera

ad examen revocatur. ibid.
An permiſſio rectè ſubordinetur reprobationis decreto. fol.683.
De reprobationis actu primo: ſcilicet, de propoſito Dei deſerendi quoſdam homines & ſuam juſtitiam in iis declarandi. ibid.
An à Deo deſeratur quiſquam alius quam peccator. ibid.
An Deus rectè dicatur deſerere non poſſe niſi peccatorem. fol. 684.
An Deus de luto jure facere poßit, quidquid actu omnipotentiæ ſuæ de eo facere poteſt. ibid.
Quid ſibi velit, vas ad iram facere. ibid.
Quidnam omnino Maßa ſignificare poßit. ibid.
An propter verba Rom. 9. Non ex operibus, &c. rectè à Prædeſtinatione omnis peccati reſpectus excludatur. fol. 685.
De reprobationis actu ſecundo: ſcilicet, de ordinatione ad pœnam eaque ſimplice. ibid. & *comparata.* fol.686.
An ſi Deus omnes à ſe deſertos perderet & damnaret, injuſtus tamen non eſſet. ibid.
De comparata reprobationis cauſa fol.687.
De deſertione eiuſque definitione. ibid.
Examinatur primæ criminationis veritas, qua dicitur doceri à Perkinſio certos homines eoſque paucos eligi. fol 689.
Examinatur ſecunda criminationis veritas, qua dicitur, Deum ſecundum ſententiam Perkinſii ordinaſſe homines ad inferorum ignem & creaſſe ut perderet. ibid.
Reſponſio Perkinſii contra criminationem ſecundam examinatur. fol.691.
An unum ſint & ab eadem cauſa permiſſio lapſus, & permißio qua Deus permittit ut aliquis à beatitate finaliter excidat. ibid.
Quomodo reprobatio quoad propoſitum deſerendi &c. abſoluta ſit. ibid.
Quomodo peccatum ſit deſertione & permiß.one Dei poſterius. ibid.
Patrum loca quædam examinantur quæ Perkinſius producit pro ſententiæ ſuæ probatione. ibid.
Quomodo reprobatio quoad propoſitum damnandi cum reſpectu ad peccatum ſit. fol.692.
Peccandi neceſſitas & inevitabilitas, à peccato & pœna excuſat. ibid.
An rectè dicatur hominem reſpectu ſui, libere, reſpectu vero decreti divini neceſſario peccare. ibid.
An rectè Deus dicatur libere eſſe bonus. ibid.
Quod contrarium ſit juſtitiæ divinæ punire non peccatorem. fol.693.
An quidquid juſtum eſt, eo ipſo juſtum ſit quia Deus illud velit. ibid.
Examinatur tertiæ criminationis veritas, qua dicitur ſtoicam prædeſtinationem & ſtoicum fatum à Perkinſio induci; quaſi ex neceſſario & energetico decreto omnia dicat fieri. fol 694.
Lapſus Adami quomodo permißioni à Perkinſio ſubſternatur. ibid.
Permißio Perkinſiana in energeticum decretum incidit tandem. ibid.
Diſtinctio quædam expenditur, qua dicatur aliud eſſe velle rem aliquam per ſe; & aliud eſſe, rem velle quoad eventum. fol 695.
Quomodo intelligendum ſit Deum velle non impedire peccatum. ibid.
An quia Deus vult permißionem ſuam, ideo quoque rectè dicatur, velle etiam eventum peccati. fol. 696.
Permißio qualis cauſa ſit. ibid.
Locus Act. 2.23. expenditur, hunc definitio conſilio & praſcientia Dei deditum, &c. ibid.
Item locus Act. 4. verſ. 28. coacti ſunt ut face-

faceren quæcunque manus tua & conſilium tuum prǽordinavit ut fierent. ibid.
Actiones non diſtinguuntur ſolo fine. f 697
Lapſus Adami quomodo à Deo ordinatus ſit. fol 698.
Locus 1. Pet. 3. 17. expenditur: melius eſt ut benè agentes ſi ita velit Dei voluntas, malè aſſiciamini quam male agentes. ibid.
Locus 1. Sam 16. expenditur, ubi dicitur Deus præcepiſſe Semeia ut Davidi malediceret. ibid.
Quomodo Deus velit & non velit impedire peccatum. fol 699.
Cur Deus permittat malum. f. 702.
An peccatum apud Deum decernentem habeat rationem boni. ibid.
Calvini & Bezæ in hoc argumento dicta quadam partim commode accipienda aut ſimpliciter quædam eorum falſa ſunt. fol. 704
Quomodo peccata ſeſe habeant reſpectu decreti. fol. 705.
Locus Epheſ. 1. 11. expenditur, Deus omnia operatur ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ. ibid.
An ex doctrina Perkinſij ſequatur, quod Deus inclinet ad peccatum & induret poſitivè. fol. 706.
De triplice actione providentiæ in actibus hominum, ex Suida. ibid.
An decretum Dei præcedaneum nullam veram neceſſitatem rebus decretis inferat, expenditur. fol. 708.
Diſtinctiones variæ neceſſitatis expenduntur. ibid.
An idem propter reſpectuum diverſitatem recte contingens ſimul & librum dicatur. fol. 710.
Libertas & neceſſitas opponuntur. ibid.
Liberum & ſpontaneum diſtingui debent. ibid.
An Adam libere ſimul & neceſſario lapſus eſſe dici poſſit. ibid.
Quomodo intelligendum quod prædeſtinati neceſſario ſalventur & reprobi neceſſario damnentur. fol 711.
Utrum neceſſitas recte dicatur ex præſcientia ſequi. ibid.
Utrum ex permiſſione. fol 712.
Quanta pugna ſit libertatis & neceſſitatis fol 713.
De permiſſione ampla quædam pertractatio. ibid.
Permiſſio in genere definitur: itemque permiſſio Dei in ſpecie. fol. 714.
Permiſſionis ſpecies. ibid. una, qua voluntati creaturæ, altera, qua potentiæ eius aliquid permittitur. fol. 716
Duplex impeditio, una qua potentia creaturæ. fol. 715.
altera qua voluntas creaturæ impeditur. ibid.
Quot modis potentia creaturæ impediatur. ibid.
Quomodo potentiæ creaturæ aliquid permittatur. ibid.
Quot modis creaturæ voluntas impediatur. ibid.
Quomodo voluntati creaturæ aliquid permittatur. fol. 718.
De permiſſione peccati ſimulq; de illius impeditione. fol 720.
Peccati aliquot diſtributiones adferuntur & propoſitæ tractationi accommodantur. fol. 721.
Exempla impediti partim actus partim peccati. fol. 722.
Exempla permiſſi partim actus partim peccati. ibid.
Cauſæ permiſſionis inquiruntur. fol. 726.
An actus aliquis recte dicatur peccatum, pœna peccati, ſimulque cauſa alterius peccati eſſe. fol. 728.
Quo tamē ſenſu id ſic vulgo dicatur ibid.
Expenditur ſimilitudo ab equo claudicante deſumpta. fol. 730.

Eſſe

Efficientia actuum qui ſine peccato à creatura perpetrari non poſſunt, hactenus Deo adſcribenda eſt, ut neque libertati creaturæ per illam quippiam derogetur, neque Deo culpa aliqua peccati adſcribatur. fol. 731.
Deus cauſa actus vel mediata vel immediata eſt. ibid.
ubi ſimul explicatur influxus Dei quo influit una cum creatura in ipſum actum. ibid.
De duplice libertate hominis quoad exercitium & quoad ſpecificationem actionis. fol. 733.
Examinatur quarta criminationis veritas, qua dicitur doceri à Perkinſio maximam partem humani generis deſtitui Chriſto & omni ſalutari gratia f. 734
Dura eſſe quæ Perkinſius concedit à ſe doceri. ibid.
Pro quibus omnino Chriſtus mortuus ſit. fol. 735.
Probatur vero pro omnibus univerſe hominibus mortuum eſſe. ibid.
Refutantur ordine argumenta aliquot, quibus probare conatur Perkinſius Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus. fol. 736.
Reſponſiones Perkinſii ad argumenta illa expenduntur, quibus probatur Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe. fol. 738. *ſunt autem hæc quatuor.*
Expenditur locus 1. *Timoth* 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* ibid.
Expenditur diſtinctio voluntatis in antecedentem & conſequentem. fol. 740.
Voluntas antecedens & conſequens quid. fol. 741.
De voluntate conditionali. fol 742.
Vtrum recte dicatur non eſſe in Deo talis voluntas, qua voluerit omnes angelos ſalvos fieri. fol. 743.
Fundamenta illius diſtinctionis inſpiciuntur qua voluntas in antecedentem & conſequentem diſtinguitur: fol. 744.
De gratia amplitudine. fol. 747.
Non recte imaginem Dei conſiſtentem in juſtitia & ſanctitate, à ſupernaturali gratia excludi. ibid.
Examinatur ſententia quorundam aliorum de prædeſtinatione. fol. 748.
Oſtenditur autem quod ea non ſatis fideliter ex mente eorum propoſita ſit. f. 749.
Declaratur quod multa quæ Perkinſio videntur errata eſſe non ſint errata. ibid.
Electionem & reprobationem non univerſalem ſed particularem eſſe. ibid.
Quod ultimus conſiliorum Dei finis circa hominem ſit. fol. 750.
An voluntas Dei ab homine pendeat. ibid.
An homo ſeipſum eligat & reprobet. f. 751.
An Deus non ſit celebrandus ſi homines etiam gratiæ communis ope benedictionem amplecterentur. ibid.
Præſcientia Dei quatenus determinationem voluntas in eodem ipſo Deo præcedat & quatenus determinationem voluntatis ſequatur. fol. 752.
An recte dicatur Deus permittere malum habita ratione conjuncti boni fol. 753.
De redemptionis univerſalitate. ibid.
De gratiæ ſalutiferæ univerſalitate. ibid.
De faciente quod in ſe eſt, &c. fol 754.
Gratia efficax quæ ſit, declaratur. fol 755.
Reſponſiones Perkinſii ad argumenta pro gratia univerſalitate allata examinantur. ibid.
Conciliantur inter ſe hæc: omnibus Adami poſteris & ſingulis hominibus promiſſionem factam eſſe de ſemine mulieris, &c. & tamen ſolos Iudæos populum Dei fuiſſe. ibid.
An fides ſit electorum ſive ex electionis dono. fol. 756.
Vtrum fides vera & ſalutifera totaliter vel finaliter excidere poßit. fol. 757.
Expenditur locus Math. 16. *portæ inferorum non prævalebunt &c.* fol. 758.

Quod Perkinſius diſquirit, unde fit quod fides non pereat, id examini ſubjicitur. fol. 760.
An expediat inculcari quod fides excidere non poſſit. ibid.
Diſtinctio fidelium quadruplex Perkinſii expenditur. ibid.
Diſtinctio gratiæ in primam & ſecundam adfertur. fol. 761.
An fideles à prima gratia, id eſt, à favore Dei quo illos in Chriſto complectitur, excidere poſſint. ibid.
Loca Scripturæ expenduntur quæ videntur dicere, quod fideles à fide deficere non poſſint. fol. 762.
Gratia remiſſionis peccatorum an amitti poſſit: & an fieri non poſſit ut vere fideles graviter lapſi non reſipiſcāt f. 763
Vtrum fides ſecundum habitum amitti poſſit. ibid.
An renati pleno voluntatis conſenſu unquam peccent. fol. 764.
An homo irregenitus totus caro ſit. ibid.
De quinque gradibus tentationis. fol. 765.
Renifus conſcientiæ peccatū aggravat. ib.
An renatus in eodem actu peccet & non peccet. fol. 766.
An in eodem actu minus peccet regenitus quam irregenitus ibid.
Quod ſemper in poteſtate liberi arbitrij maneat gratiam datam rejicere & ſubſequentem repudiare. fol. 768.
Diſtinctio gratiæ in ſufficientem & efficacem ſalvatur. fol. 769.
Objectionum pro gratia ſufficiente refutationes examinantur. fol. 771.
Expenditur locus Eſai. 5. 4. Quid potui facere vineæ meæ, &c. ibid.
Quomodo Deo tribuatur exſpectatio. ibid.
An Deus fructus poſſit poſtulare ab iis qui gratia horſum neceſſaria deſtituuntur. fol. 772.
An cum talibus, ſi fructus non ferant, poſſit expoſtulare. fol. 773
Locus Matth. 23. 37. quoties volui congregare vos, &c. expenditur. ibid.
Locus 7. Act. vos ſemper reſiſtitis ſpiritui ſancto, expenditur. fol. 774.
Locus Apocalypſ. 3. ego ſto ad oſtium, &c. expenditur. fol. 775.
An Pelagianum ſit, hominem nolendo poſſe gratiæ reſiſtere. ibid.
Cur Deus non revelaverit Chriſtum omnibus hominibus & ſingulis. fol. 776.
Vtrum Deus promiſſionem de Meſſia & redemptione per Chriſtum ulli hominum abſconderit citra interventum culpæ alicuius à parte ipſorum. fol. 777.
Quod omnes homines vocatione aliqua vocantur. ibid.
Conceditur Perkinſio, quod præſcientia fidei in Chriſtum & infidelitatis privativa, non ſit regula ſecundum quam ordinavit Deus prædeſtinationem ſuam: nam aliquos per ſolam legem damnari. ibid.

Ex Analyſi.

Verus ſtatus quæſtionis in capite 9. epiſtolæ ad Rom. proponitur. fol. 779.
Quinam Apoſtolo ſint filii carnis & filii promiſſionis 781. *& ſeqq. item.* 783.
Iſmael & Iſaac, Eſau & Iacob ut typi conſiderantur. fol. 781.
Quæ in re conſiſtat controverſia quoad hunc locum inter D. Bezam & D. Gellium Snecanum. fol. 785.
Vtrum Iſmael & Eſau, Iſaac & Iacob ut typi propoſiti, eorum etiam numero accenſendi ſint quorum typū gerunt. ibid.
Quo ſyllogyſmo concludatur ſalutis in nobis certitudo. fol. 786.
Vtrum Deus abſque injuſtitia fœdus legale irritum facere potuerit. fol. 787.
Quibuſnam Deus jure iraſci poſſit. fol. 790.
Actio inevitabilis ob decreti alicuius deter-

determinationem, peccati nomen non meretur. ibid.
An Deus jure iraſci poſſit illis qui voluntate ipſius omnipotente indurantur. f 791
Voluntatem divinam quovis modo conſideratam non comitatur omnipotentia. ibid.
Varia voluntatis divina diſtributiones excutiuntur. ibid.
Quinam illi ſint quos Deus indurare velit. ibid.
Voluntas cogi non poteſt. fol.792.
Voluntas Dei fit de illo à quo voluntas Dei facta non eſt. ibid.
Ius figuli & Dei inter ſe conferuntur. fol.793.
Differentia inter ἐξουσίαν *&* δύναμιν *explicatur.* fol.794.
Quid Maſſa apud Apoſtolum ſignificet. ibid.
Homo qua à Deo conditus, eſt vas ad illuſtrationem gloria ipſius. ibid.
Gloria Dei illuſtratur per patefactionem proprietatum eius. fol.795.
Qua proprietates Dei primo omnium patefacienda ſint. ibid.
Homo qua ex inſtitutione Dei tendens ad maiorem perfectionem, vas eſt ulterius illuſtranda gloria divina. ibid.
Homo ſe ipſe peccando fecit vas malum. ibid.
Quomodo homines vaſa mala, id eſt, peccatores facti; horum deinde alii vaſa miſericordia alii vaſa ira fiant juxta tenorem novi fœderis. fol.796
An Deus ſimpliciter habeat poteſtatem faciendi hominem vas ad dedecus & iram. fol.797.
Notandum diligenter diſcrimen inter homines & vaſa figuli. ibid.
Induratio tantummodo effectum & ſignum ira eſt. fol.798.

F I N I S.

Mollerus in Malachia cap. 1. verſ. 2. & 3.

Ex geneſi veriſimiles conjecturæ ſumi poſſunt, quæ oſtendunt Eſau non ita eſſe rejectum à Deo ut ſit damnatus; ſed converſum egiſſe pœnitentiam & vitæ æternæ factum eſſe hæredem. nam & reconciliatus eſt fratri, & poſtea fuit ſocius funeris patris, nec poſt reconciliationem fratri unquam adverſatus eſt.

OEcolampadius ad idem.

Non auſim ipſum Eſau propter hoc dictum dicere reprobum; quandoquidē hic per temporalia magis ſpiritualia figurantur. &c.

D. Sohnius in Theſib. de prædeſtinatione.

Nec ex ratione, nec ex lege judicandum eſt de Electione, ſed ex Euangelio, &c.

IACOBI ARMINII

S. S. Theol. Doctoris eximij,

DE

vero & genuino ſenſu

CAP. VII. EPISTOLAE

AD

ROMANOS

DISSERTATIO.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo Viro,

D. GVILHELMO BARDESIO,

Toparchæ in VVarmenhuyſen,

Domino & fautori nobis multis nominibus honorando.

NObiliſſime & Ampliſſime vir, domine plurimùm honorande.

INſignis perpetuaque conſideratione digna eſt illa apud Apoſtolum ſententia, quæ Euangelii doctrinam veri- Tit.1.v.1 tatem ſecundum pietatem *vocat. Vnde nobis bona bonorum omnium venia colligere licet, eam non in nuda theoria inanique conſiſtere ſpeculatione, neque in iis quæ ad meram & abſtractivam notitiam pertinentia cerebrum hominis duntaxat pervolitant, ad affectuum voluntatiſque reformationem neutiquam pertingentia: ſed in iis quæ ſincero Numinis metu, veroque ſolidæ pietatis amore pectus imbuunt, hominesque ſtudioſos efficiunt bonorum operum. Cui rei confirmandæ imprimis & illuſtrandæ facit alius non minus præclarus eiuſdem Apoſtoli in eadem Epiſtola locus, qui ſic habet:* Illuxit enim gratia illa Dei ſalutifera Tit.2.11.12 omnibus hominibus; erudiens nos ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, juſte, & pie vivamus in præſenti ſeculo. *Quicunque ergo divinæ huius* veritatis *præcones ſe profitentur, etiam atque etiam id operam dare debent, ut præciſis curioſis ſpinoſiſque quæſtionibus; omnibuſque otioſis ſubtilitatibus quæ ex humana vanitate ortum ducunt, unam & ſolam pietatem auditoribus ſuis commendent, eoſque ad fidem, ſpem, charitatem ſerio informent: quemadmodum viciſſim illi ex auditoribus quibus hæc veritas cordi eſt, hoc enixe agere tenentur, ut reliquis omnibus quæ tranſverſim incidere poſſint præteritis & inſuper habitis, in unam pietatem colliniant perpetuo atque oculos intendant: illud utrique pro indubitato principio habentes, ſe in vera Theologia rudes prorſus, & hoſpites eſſe, niſi ita didicerint θεολογεῖν, ut Theologia ipſis ad pietatem & ſanctimoniam facem præferat, quam ipſi ſedulo graviterque ſequantur.*

Hæc monela, ſi unquam neceſſaria fuit, certe eo magis hoc tempore neceſſaria eſt, quod videamus impietatem æſtuantis & turbinibus agitati maris inſtar exundare paſſim, idque cum tanto hominum ſtupore & ἀναισθησίᾳ, ut non pauci qui antiquum prorſus obtinent, & ne tantillum quidem de impura vita inſtitutis mutarunt, tamen Chriſtianos ſe vel inter primos autument, favoremque ſummi Dei, cælum, vitam, conſortium Chriſti & beatorum Angelorum tanta & tam præſumptuoſa præſidentia, tanta animi ſecuritate ſpondeant, ut atrociſſima ſe injuria affici ab illis cenſeant, qui ipſos in vana hac perſuaſione falli judicantes, ulla ex parte de ea dubitare jubent. Equidem, hac tam deploranda rerum conſtitutione nullum ſtudium laudabilius eſſe videtur, quam ut tam pernicioſi mali cauſæ ſedulo inquirantur, erranteſque animæ remedii ſalutaris adhibitione ex diabolico hoc veterno excitatæ, felicioribus Euangelii & Spiritus Chriſti auſpiciis vitam mutent, ſe ſolidæ emendationi morum dent, atque ſic demum ſibi qua talibus gratiam apud Deum gloriamque æternam ex divino eius verbo condiſcant.

Cauſæ variæ ſunt, & pleræque conſiſtunt in erroneis quibuſdam falſiſque conceptibus, quos homines alii alios ſive à ſe excogitatos, ſive aliunde ſubminiſtratos animo ſuo impreſſos circumgeſtant, qui vel in generali, vel in particulari, vel directè vel indirectè vero ſerioque pietatis ſtudio, atque conſectationi virtutum obicem & impedimentum ponunt. Nihil de impiis nonnullorum conceptibus hic dicendum nobis, qui vel non credunt extare vitam æternam, vel ſi maxime extet, eam non credunt tantæ tamque ſublimis excellentiæ eſſe atque in Scripturis ſacris deſcribitur; vel deſperant de miſericordia Dei erga peccatores reſipiſcentes; vel denique impoſſibile eſſe ſtatuunt, viam pietatis novæque obedientiæ à principe ſalutis noſtræ præſcriptam inire. Quandoquidem illi adſeverationes & promiſſiones Dei, quæ ſunt vera Chriſtianæ Religionis fundamenta, non luxant modo, ſed & funditus evertunt, atque ita uno ictu omnem pietatem eiuſque ſtudium omne & amorem ex animis hominum radicitus evellunt. Verba facere inſtituimus de illis vel tacitis vel expreſſis hypotheſibus pietati noxiis, quæ inter ipſos Chriſtianos locum habent, ſive publice defendantur, ſive ſecus. Inter eas primo loco in cenſum venit prædeſtinationis inconditionatæ dogma, cum iis quæ inde neceſſario nexu dependent, & nominatim illa tantopere decantata ſanctorum perſeverantia (cujus fiducia ea à nonnullis proferuntur quæ referre horreſcimus, ſicut etiam revera indigna ſunt Chriſtianis auribus) quippe quæ non leve impedimentum pietati ponunt. Quod ipſum cum parens

noſter, benedictæ memoriæ, poſt diligentem ſæpiuſque repetitam Scripturarum ſacrarum lectionem & relectionem, poſt longas meditationes, ardentes ad Deum preces cum jejuniis, certo ſibi deprehendere viſus eſſet, ſecumque perpendiſſet illa dogmata, utut à Doctoribus quibuſdam acriter urgerentur, & paſſim in Scholis juventuti inſtillarentur; nunquam tamen nec à priſca Eccleſia, nec à Moderna, praeunte legitimo examine, recepta eſſe, inque rem judicatam tranſiiſſe: cœpit paullatim ſuas adverſus ea difficultates & gravamina proponere, ut oſtenderet non eſſe tam firmiter in Scripturis fundata atque vulgo haberentur; progreſſuque temporis confirmatior factus in veritatis cognitione (præſertim poſt habitam collationem cum D. FRANCISCO IUNIO *viſamq; imbecillitatem reſponſionum ipſius) ea fortius impugnare: memor tamen ſemper modeſtiæ ſibi convenientis. Argumentorum autem quibus ea impugnavit non poſtremum fuit hoc ipſum in quo nos jam verſamur, quod videlicet, is eorum eſſet genius, ut ſtudium pietatis luxare, atque adeò extinguere comparata eſſent. Quo in labore nonnunquam & ſubtilitatibus uſus eſt, iiſque rationibus quæ non ſtatim vulgo obviæ: ſed ſubtilitatibus neceſſariis ad evertenda dogmata (ipſius judicio) tam noxia. Et certe, ſicut amor nonniſi per alium amorem vincitur, ſic ſubtilitas falſi inventrix & ſtabilitrix vix citra ſubilitatem veri adſertricem, falſique convictricem ſuperari evertique poteſt. Subtilitates itaque quas hic uſurpavit utiles & neceſſariæ fuerunt, non otioſæ, inanes, ad delectationem, oſtentationem, faſtum adinventæ. Quam autem de reliquis rigidus ſubtilitatum, & inanis μετεϱεωλογίας hoſtis fuerit, norunt omnes qui ipſo, præſertim noviſſimis annis quibus in Schola (ubi maxime ſubtilitates conſectari mos eſt) verſatus fuit, familiariter uſi ſunt: poſſentque teſtari inter ſtudioſos etiam illi, quos alioquin in nonnullis à ſe diſſentientes habuit, ſi ex conſcientia verum dicere velint, illum omnia ad uſum & praxin Chriſtianæ vitæ retuliſſe, adeoque in lectionibus diſputationibuſque tum privatis tum publicis, in concionibus, ſermonibus, ſcriptionibus, unam pietatem, metumque divini Numinis ſpiraſſe. Cæterum, quo pacto & prædeſtinationis & adnexorum dogmatum genium pietati adverſari comprobaverit, non eſt opus à nobis hic repeti, cum ipſius ſcripta ea de re partim extent, partim aliquando (cum bono Deo) extitura ſint. Præſtat lectores cordati ipſum ſuis verbis loquentem audiant, quam nos de ipſo balbutientes. Dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ. Hypotheſes reliquæ pietati obicem ponentes variæ ſunt, quarum omnium nunc non poſſumus meminiſſe; eas autem quæ occurrunt*

brevitèr, ne prolixitas tibi Vir nobiliſſime, tædium pariat, exſequemur.

Capitalis error primum ſe offert, omnium penè hominum medullis & febris intime inhærens, quo tacite apud ſe fingunt illimitatam in Deo miſericordiam, ex qua futurum opinantur, ſe, etiamſi pluſculum vitiis indulſerint, non tamen fore rejectaneos, ſed contra Deo charos dilectoſque manſuros. Qui error revera cum notoria incredulitate conjunctus eſt. Religionemque Chriſtianam, quæ ſanguine Chriſti fundata eſt, magna ex parte convellit. Sic enim tollitur neceſſitas piæ vitæ, eique Apoſtoli pronuntiatio manifeſtè contradicitur, quo adſeveratur, neminem ſine
Heb.12. ſanctimonia viſurum Deum. *Inſaniam hominum, audentium ſibi benedicere ubi Deus maledicit!*

Succedit falſa aliorum hypotheſis, qui mente percurrentes mortalium inſtituta, mores, vitam, conſiderante ſque multitudinem errantium & deviantium inter homines omnium ordinum: concludunt, miſericordiam Dei non paſſuram ut tot & tam infinitæ myriades creaturarum rationalium ad imaginem Dei conditarum, æternum pereant. Vnde fit, ut pro eo, quod ſe deberent torrenti impietatis opponere, juxta tenorem Chriſtianiſmi, contra abripi ſe eius impetu ſinant, ſeque multitudini errantium aggregent. Obliti nimirum, multos per viam latam incedere, quorum finis erit exitium à facie Dei, ſecundum ipſius veritatem. Multitudo neminem præſervabit à perditione. Infælix & miſerandum ſolatium, habere multos ſocios in perpeſſione pœnarum ſempiternarum.

Conſideretur & illa deceptrix vis, quod vitia nominibus virtutum condecorantur, & contra virtutes appellationibus vitiorum deturpantur: quo fit, ut homines per ſe in vitia proni, tanto avidius ea ſub larva virtutum latentia conſectentur, & contra virtutes, ad quas eniti arduum eſt, vitiorum gorgone indutas exhorreant. Sic ebrietas hilaritatis; αἰσχρολογία jucundæ παῤῥησίας; ſobrietas in cibo & potu, in veſtitu ſimplicitas hypocriſeos nomine inter homines veniunt. Hoc nimirum eſt bonum malum vocare, & contra; occaſionemque quærere qua non modo ſine conſcientiæ reniſu, ſed & conſcientia ipſa impellente atque inſtigante à virtutibus ceſſans, vitiis te te des. Venit etiam in hunc cenſum turpis παραλογισμὸς, quo ex illis locis ubi dicimur juſtificari ex fide ſine operibus, *maleſani homines inferunt, non eſſe ergo neceſſe bonis operibus incumbere, utpote citra quæ juſtificandi, ac proinde & ſalvandi ſimus. Non advertentes alibi ſcriptum eſſe, fidem veram, hoc eſt,*

cam

eam per quam juſtificamur, debere eſſe efficacem per charitatem: item fidem ſine operibus mortuam eſſe atque inanimi cadaveris inſtar ſe habere.

Non parum etiam homines ſibi in propriis & ad quæ propenſi ſunt vitiis blandiri quærentes hæc imaginatio ſolatur, quod non omnibus vitiis dediti, non ad omnia ſcelera projecti ſint, ſed quibuſdam ſibi peculiaribus vitiis addicti, à reliquis abhorreant. Citantur huc (ut ingenioſi ſunt homines ſeſe excuſandis) dicta vulgata, nemo ſine crimine vivit, item, trahit ſua quemque voluptas. Exiſtimant itaque ſe vere Chriſtianos eſſe, ac proinde ſibi æternum bene futurum, cum à pleriſque malis (ut ſibi perſuadent) abſtinentes, de cætero unum aliquod vitium tantum, unam tantum Herodiada colunt. Abſurdum inventum; cum nemo ſit, nemo poſſit eſſe addictus omnibus ſimul vitiis, utpote quorum quædam inter ſe ex diametro pugnant, ſeſeque mutuo expellunt. Hoc conceptu poſito, nemo mortalium impius aut erit, aut eſſe
poſſit. Occurrere debebat illud Jacobi, eum qui in uno prævaricatur Iac. 2. 10.
omnium reum eſſe: item juberi nos non aliquam, ſed omnem mali- 1. Pet. 2. 1.
tiam, fraudem, hypocriſin deponere, quo ſic porro Deo nos conſecremus.

Alii exiſtimant ſe, ſi modo aliquo affectus parte in Deum & pietatem ferantur, muneri ſuo facere ſatis, etiamſi alia ipſius parte principi mundi & peccato inſerviant, Obliti nimirum Deum ex toto affectu colendum, amandumque; item Deum & principem huius mundi contrarios eſſe Dominos, ac proinde impoſſibile eſſe ut utrique ſimul ſerviatur, ſicut habet expreſſum Salvatoris noſtri dictum.

Haud multum huic abludit commentum illud, quo quidam tempora ſua partientes, eorum unam partem Deo & Chriſto, alteram carni & affectibus deputantes, egregiè ſe defungi ſuo officio opinantur. Sed non perpendunt hi homines, quicunque illi ſint, Deo vitam univerſam, omniaque eius tempora conſecranda eſſe, perſeverandumque in pietate & obedientia uſque ad finem: pro qua brevitatem brevis temporis obedientia ex gratia magnam illam vitæ mercedem ipſis repromiſerit. Certe, ſi quis aliquo tempore labitur, non poteſt ille in gratiam cum Deo redire, niſi & ſerio pœnitentia lapſum illum deploraverit, & ſe rurſum ex animo ad Deum converterit, hoc animo, ut reliquum vitæ tempus Deo vivat.

Nec prætereundi illi qui in ea ſunt hæreſi, ut illa omnia quæ cum blaſphemia in Deum notoriaque in proximum injuria & violentia non

ſunt

ſunt conjuncta, & de reliquo ſpeciem charitatis & benevolentiæ habent, inter peccata non reputent. Hiſce lubentibus terreſtria ſapere, ventri ſervire, cuticulam curare, cupiditatibus in Venerem & Bacchum indulgere, breviter vitam Epicuri vivere; & quæcunque animus in voluptates pronus juſſerit peragere liceat; modo ab ira, odio, vindictæ cupiditate, amarulentia, cæteriſque ad vim & læſionem armatis affectibus abſtineas. Certe, ſi hos Magiſtros ſequamur, multo faciliorem expeditioremque in cœlos viam inveniemus, quam magnus ille magni Dei legatus, (cuius unius erat viam ad cœlum monſtrare) nos docuit.

Præbent quoque ſiniſtri circa pietatis exercitium conceptus, occaſionem, tractationes & phraſes nonnullæ Eccleſiaſticæ, ſive non ſatis Scripturis conformatæ, ſive non recte intellectæ. Pauca quædam carptim, idque ὕστερον πρότερον, exempli cauſa, deſtringenda. Cum bona opera noſtra gratitudinis erga Deum reſpectu veſtiuntur, colligunt inde homines (res notiſſima eſt) ſe jam eſſe hæredes & proprietarios vitæ, in ſtatu gratiæ & ſalutis æternæ, antequam vel incipiant bona opera præſtare. Unde porro expeditum eſt & illam hypotheſin ſequi, non eſſe tam præciſam eorum præſtandorum neceſſitatem. Tenendum hic ex Scripturis, veram converſionem præſtationemque bonorum operum eſſe conditionem prærequiſitam ante juſtificationem, juxta illud Iohannis, ſi vero in luce ambulemus, ſicut ipſe in luce eſt, communionem habemus cum eo mutuam, & ſanguinis Ieſu Chriſti Filii eius purificat nos ab omni peccato. *Quod ipſum conſonat cum celebri Eſaiæ loco, ubi Dominus expurgationem abolitionemque omnium etiam graviſſimorum ſcelerum Judæis promittit, poſtquam ſe converterint ad ipſum, viaſque ſuas correxerint.* 1.Ioh.1.17. Eſai.1. *Sacramentorum tractatio, qua illa tantum conſiderantur ut obſignantia nobis promiſſiones & gratiam Dei, non autem ut nos obligantia & commonefacientia ad officium noſtrum, ſicut defectuoſa, ita quoque negotio pietatis per defectum noxia cenſeri poſſit. Fideles, & Regenitos* etiamnum ad omne malum eſſe propenſos; ſanctiſſimoſque inter eos exigua tantum initia habere obedientiæ *requiſitæ; phraſes ſunt nimis tenuiter novæ creationis efficaciam deſcribentes, & proinde κατὰ τὸ ῥητὸν periculoſæ: cum illa diſcrimen prorſus omne inter Regenitos & Irregenitos tollere videatur; hæc eas obedientiæ minutias in Regenitis conſtituere, ut homo ſibi benedicere adſuetus, ſi vel leviſſimam cogitationem aut motum de obedientia præſtanda in animo ſuo ſentiſcat, continuo ſe veræ Regenerationis participem eſſe concludere poſſit.*

Cum

Cum intempeſtivè & ultra modum urgetur imperfectio perpetua Regenitorum, impoſſibilitaſque ſervandi legem in hac vita, abſque eo ut addatur quid per fidem & Spiritum Chriſti poſſint ſancti: facile ſolet ea cogitatio animos audientium etiam maximè piorum ſubire, ſe nihil omnino boni poſſe: unde porro fit ut Regenitis minus interdum tribuatur quam ipſi Irregeniti poſſint. Priſca Eccleſia quæſtionem de impoſſibilitate præſtandi legem inter capitales non cenſuit; quod vel ex Auguſtino patet, qui optat ut Pelagius agnoſcat poſſe eam præſtari per gratiam Chriſti & pacem *fore edicit. Ipſi Apoſtoli Chriſti in eo quidem occupati fuerunt, ut homines extra gratiam conſtitutos convincerent de impotentia præſtandi obedientiam: at de Regenitorum imperfectione & impotentia vix verba ab iis facta invenias; quinimò contra illis crucifixionem carnis & concupiſcentiarum, mortificationem operum carnis, reſurrectionem in novam vitam, ambulationem ſecundum Spiritum tribuunt, aperteque proteſtari non verentur ipſos per fidem vincere mundum. Parum eſt agnoſcere imperfectionem ſuam, quippe Chriſtianiſmo prævium: at gloria Chriſtianorum in eo eſt ſita, ut cognoſcant vim reſurrectionis Chriſti, & à Spiritu Dei ducti ſecundum puriſſimam Euangelii lucem vivant. Diſtributio Theologiæ in* Deum *&* Dei Actiones, *ſpeculativam nobis Religionem introducit, nec ſatis aptam ad officii præſtationem urgendam: cui accenſeri poteſt ſubtilis illa nimis, & extra Scripturas excogitata de reſpectibus actuum qui à nobis præſtantur diſquiſitio.*

Illa quoque Religionis noſtræ deductio ſive œconomia, qua omnia ad ſpecialis miſericordiæ fiduciam tanquam præcipuam officii noſtri partem, conſolationemque quæ ex ea elicitur, contra deſperationem ei oppoſitam; non autem ad neceſſariam obedientiæ præſtationem oppoſitè ad ſecuritatem diriguntur, non uſque adeo apta eſſe videtur ad pietatem promovendam. Ortum ex eo habet conceptu, quod maior ſit metus deſperationis illius quàm ſecuritatis, cum tamen contrarium ſit verum. Nam in univerſa V. & N. Teſtamenti hiſtoria, quæ complectitur tempus tot millium annorum, unus tantum proprii Salvatoris perfidus proditor Judas (Caini exemplum extra ſcopum eſt) occurrit qui deſperaverit; cum contra mundus, ut olim fuit, ſic & hodie ſit hominum ſecurorum officiique divinitus impoſiti inſuper habentium pleniſſimus, qui ſibi nihilominus interea ſuaviter benedicunt, gratiamque & pacem à Deo plena menſura pollicentur.

Hiſce & ſimilibus omnibus (ut tandem pergamus) animum vere

 pium

pium inque fide Dei & Chriſti firmiſſimè radicatum opponere debemus; hoc ſollicitè caventes, ne ullorum ſive horum ſive aliorum conceptuum deceptrice vi, ullarum phraſeon tractationumque ſive incauta uſurpatione ſive ſiniſtra torſione à ſerio ſolidoque pietatis ſtudio avocati, peccatiſque nos dantes nobis in iis blandiamur; ſed contra, abnegata omni impietate, viam virtutum ſedulo perpetuoque inſiſtamus; memores graviſſimæ monitionis quam Apoſtolus Epheſiis, eos dehortatus ab Eph. 5. 6. *impuritate & aliis vitiis, proponit, dicens:* Nemo vos ſeducat *inanibus rationibus*; propter hæc enim venit ira Dei ſuper filios inobedientiæ. *Vbi advertendum, quam ſignificanter hypoteſes & argumenta quibus nixi homines ſibi in vitiis ſuis applaudunt,* inanium rationum *nomine deſignet: revera enim* inanes, *hoc eſt, mendaces & deceptrices* rationes *ſunt, quibus homines, dum cupiditatibus ſerviunt, ſeipſos decipiunt, ſibi perſuadentes quod ſint in ſtatu gratiæ & ſalutis, cum contra ſint in ſtatu iræ & perditionis æternæ, qua nulla alia magis capitalis impoſtura aut deceptio dari poteſt.*

Ceterum, præter ea quorum hucuſque mentionem fecimus, quæ pietatis progreſſui obicem ponunt, unum inſuper occurrit quod vel præcipuè huc pertinet; prava videlicet & contorta quorundam Scripturæ locorum interpretatio, qua vel in genere univerſum bonorum operum ſtudium, vel in ſpecie aliqua eius pars luxatur. Hoc certe impedimenti genus inter maxima cenſeri debet. Nam ſic vel ipſum malum, vel remiſſior ſaltem boni conſectatio divina auctoritate ſtabiliri videtur, quæ major eſt omni exceptione. Quamobrem, ſicut illi omnes laudem merentur qui hypotheſes quaſcunque pravas noxiaſque pietati evertere nituntur: ſic maxime inter eos commendandi, qui locos per abuſum ita explicari ſolitos, ut eorum explicatione vitæ inordinatio directè vel indirectè foveatur, à prava illa explicatione vindicatos, recte & hypotypoſi ſanorum ſermonum conſentaneè interpretari conantur, populoque Chriſtiano & imprimis paſtoribus in re tam utili & neceſſaria facem præferunt. Loci vulgo cum noxa pietatis torqueri ſoliti, multi ſunt: ex quibus nos hic tres tamen recenſebimus. Dicitur in proverbiis juſtum cadere ſepties; *quæ ſententia auctario gloſſematis* in die *in vulgatis Bibliis latinis interpolata omnibus in ore eſt: cumque intelligendus ſit locus de lapſu in infortunium, perverſe de lapſu in peccatum intellectus fovendis vitiis ſervit. Apud Eſaiam Eccleſia Judaica multiplici Idololatria, defectione à Deo, aliiſque infinitis ſceleribus inquinatiſſima, cum à Deo propter iſtas fœditates graviter puniretur, lamentabunda*

querens

querens de gravitate pœnarum , ſimulque etiam exomologeſin faciens peccatorum, fatetur inter cætera juſtitias ſuas ut pannum menſtruatæ eſſe, *deſignans nimirum optima opera quæ durante publica defectione ſua præſtiterat. Hic locus vulgo pernicioſa torſione corrumpitur; allegatur n. perpetuo ac ſi ſenſus illius inferret , excellentiſſima quæque præſtantiſſimorum Chriſtianorum opera (ac proinde etiam ardentiſſimas preces in nomine Chriſti fuſas; eleemoſynas ex animo verè & intimè miſericordia commoto præſtitas , denique & martyrium propter Chriſtum ad ſanguinis fuſionem uſque oblitum) eſſe ut pannum menſtruatæ, hoc eſt , fœda, abominanda, horrenda, coram facie Dei, meraſque adeo abominationes , Quo nomine cum ſola flagitia & ſcelera maxima nuncupari in Scripturis ſoleant : ſequitur porro optima & præſtantiſſima opera nihil à flagitiis immaniſſimis differre. Quem conceptum ſiquis ſemel hauſerit , annon omne pietatis ſtudium curamque objiciet , ipſique perinde erit ſive bene ſive male vivat, retenta interea hac perſuaſione ſe nihilominus poſſe eſſe verum Chriſti diſcipulum ? Ratio certe in aperto eſſe videtur, cum optima opera æquè fœda ſint coram Deo (ex iſta hypotheſi) atque peſſima ſcelera.*

Caput VII. *ad Romanos à verſu 14. ad finem uſque etiam in hunc cenſum venit , ſi nempe Apoſtolus de homine regenito hic intelligatur loqui. Tum enim ſequetur hominem Regenitum adhuc* carnalem eſſe, venditumque ſub peccatum, *hoc eſt , mancipium peccati* ; velle quidem bonum, ſed non facere, nolle malum ſed id tamen facere; imo *victum* , & captivatum eſſe ſub lege peccati , *hoc eſt ſub vi & efficacia peccati. Unde porro & hoc deducitur , ut quis regenitus ſit ſufficere ipſum* bonum velle *licet voluntate incompleta & quam actus non ſequatur, item* malum nolle , *licet actu illud patret. Quod ſi verum eſt, tum* totum pietatis ſtudium , tota nova obedientia, totaque adeo nova creatura *ad has anguſtias redigetur, ut conſiſtat non in* effectu, *ſed in* affectu *tantum . Hoc ipſum quam languidos , frigidos, remiſſos nos omnes ſit effecturum , tum in abſtinentia à malo , tum in præſtatione boni, nemo non primo intuitu videt. Habent quidē qui hanc ſententiam tuentur ſua effugia & palliationes , ſed quæ huiuſmodi ſunt, ut gloſſa plerunque textui repugnet. Periculoſum eſt circa pietatis exercitium homines hunc* præconceptum *in animis impreſſum habere* , caput hoc de regenitis eſſe intelligendum : *nam hoc pro fundamento tenentes , in reliquis vadunt quo affectus eos ducit, gloſſarum à Doctoribus ſuis propoſitarum non recordantes. Adverterit hoc ipſum Auguſtinus,*

 & ſcan-

& ſcandalum metuens, primis annis de homine ſub lege, poſterioribus de homine ſub gratia interpretatus quidem eſt locum; ſed longe mollius quàm jam fit, pœneque nulla cum pietatis noxa. Bonum *enim quod Apoſtolus ſe* velle *dicit* & non facere, *interpretatur* non concupiſcere, malum *quod ſe dicit* nolle & tamen facere, concupiſcere; *quanquam mirabili mixtura legis præceptivæ & prohibitivæ. Moderni interpretes de bono & malo actuali intelligunt. Notabile diſcrimen! Cæterum ſicut parens noſter quàm diligentiſſimè laborem ſuum collocavit in tollendis reliquis impedimentis pietatis: ita imprimis in eruendo vero ſenſu Scripturarum male intellectarum, maximè ſi in pietatis ſtudium impingerent indefeſſo ſtudio deſudavit. Quod ſi uſquam hoc præſtitit, certe circa* VII. *hoc cap ad Romanos eum nominatim hoc præſtitiſſe fatendum eſt, quippe ſuper quo Commentarium tam prolixum tamque accurate elaboratum conſcripſerit, quem nunc in lucem damus.*

Cum primum Geneva domum reverteretur, hoc ipſum caput intelligebat prout vulgo nunc explicatur, ita ſcilicet edoctus à præceptoribus ſuis, quorum tanta erat auctoritas apud ſtudioſos, ut nemo in id quod ab ipſis diceretur vel inquirere auderet. Sed cum poſtmodum in Miniſterio Eccleſiæ Amſtelodamenſis Epiſtolam ad Roman. explicandam pro concione ſumpſiſſet, perveniſſetque ad hoc ipſum caput, ſuper cuius recepta interpretatione jam ſcrupulum in animo ſuo ſentire cœperat, eo quod videretur & extenuare regenerationis gratiam, & pietatis zelum ſtudiumque minuere: ab initio ad finem uſque illud in bona conſcientia (quemadmodum par erat, & publicæ functionis ratio exigebat) perpendit, cum antecedentibus & conſequentibus contulit, omnia & ſingula, ut coram Deo, penſitavit; Commentatores varios quoſcunque habere potuit, veteres, mediæ ætatis, novos ſuper eo legit, tandemque, ſæpius invocato nomine & auxilio Dei, adjutus imprimis comment. Buceri & Muſculi in hunc eundem locum, deprehendit receptam interpretationem non poſſe ferre cenſuram veritatis, ſed locum omnino eſſe intelligendum de homine ſub lege *exiſtente, in quo lex omni ſuo officio defuncta ſit, qui proinde contritus in animo ſuo propter peccata, convictuſque de impotentia legis ad ſe ſalvandum, liberatorem quærat, ſitque non quidem regenitus, ſed in proximo gradu ad regenerationem: quemadmodum eum etiam publicè pro ſuggeſtu explicuit, exiſtimans hoc ſibi per libertatem prophetiæ (quæ ſemper in Eccleſia Christi locum habere debet) licere. Hæc diligentia in tractandis Scripturis, hic candor cum*

laude

laude & commendatione ſingulari eſſent digna, præſertim apud Eccleſiaſticos, ita tamen excepta fuere à nonnullis (quos minime omnium decebat) zelotis, ut per illos non ſteterit, quominus auctor loco præmii noxam & inſaniam auferret. Hoc ſcilicet eſt diligentiam acuere ad perveſtigandas Scripturas, hoc libertatem prophetiæ fovere; & non potius ex ſervis Chriſti mancipia hominum facere quorundam qui paulo ante nos vixere, eorumque interpretationem tantum non pro norma & regula interpretationis noſtræ canonizare.

Hoc cum videret parens noſter, cœpit jam tum hunc Commentarium ſcribere, quem tandem etiam ad finem perduxit. Si Deus illi longiorem vitam conceſſiſſet, accuratius eum ipſe (ſicut & jam inceperat) limaſſet: ſed cum morte præventus hoc ipſum perficere non potuerit, & tamen dignum ſit opus (judicio magnorum virorum) quod lucem videat, auſi ſumus id publico committere. Hic autem primo ſententiam ſuam proponit auctor, eamque ex deductione totius capitis; nec non & ex connexione tum præcedentis tum conſequentis capitis probat. Deinde eam nunquam damnatam fuiſſe, ſed ſemper adſtipulatores maximos habuiſſe oſtendit. Tertio à Pelagianiſmi labe eam vindicat, eique directè adverſari demonſtrat. Quarto, interpretationem vulgo receptam contendit prorſus novam eſſe à nullis veterum receptam, à multis rejectam. Denique, eandem gratiæ injuriam eſſe & noxiam bonis moribus. Sic collatione ſententiæ Auguſtini, vulgatæ, ſuæ, amicaque Symmyſtarum προσφωνήσει *opus claudit.*

Viſum vero nobis eſt hoc ipſum opus nobiliſſ. Bardeſi, Amplit. Tuæ dicare ac conſecrare; cuius rei non unam habuimus cauſam. Fuit parenti noſtro inde à primis Miniſterii initiis ſancta amicitia cum Ampliſſ. & Nobiliſſ. Viro parente tuo, honorandæ memoriæ, quæ etiam inter ipſos continuata duravit, uſque dum idem ille parens tuus plenus annis & ſatur honorum ſupremum diem clauderet. Tu, ſicut paternorum bonorum, ſic & amicitiæ hæres in parentis locum ſucceſſiſti, unde etiam tibi cum parente noſtro, ex quo à peregrinatione quam & ſtudiorum proſequendorum & viſendarum exterarum nationum cauſa ſuſceperas reverſus es, arctiſſima familiaritas interceſſit. Tu ipſius dona magnifacere, eum ſæpius ſuper quæſtionibus Theologicis conſulere, ſæpius eius conſiliis uti ſolitus es; ille tuis. Cum autem ipſe apud animum ſuum reputaret, ſe non eſſe hominum mancipium, ſed ſervum Ieſu Chriſti, inque ipſius ſolius verba juratum, ac proinde inciperet in ſententias ab hominibus excogitatas, in veritatem & neceſſitatem illarum libere

 inqui-

nos una cum matre noſtra extare apud poſteros volumus æternum amicitiæ quæ tibi cum parente noſtro I. ARMINIO *ſancta fuit, ſimulque etiam obligationis noſtræ erga te monumentum. Dominus Deus tibi qui erga afflictiß. familiam noſtram miſericordia ductus fuiſti, miſericordiam viciſſim faciat, æque atque honoratiß. familiam tuam omni benedictionum genere cœlitus locupletet, ad nominis ſui gloriam, veſtrumque omnium ſalutem, Amen. Lugd. Batav. ipſis idibus Auguſti* 1612.

Tuæ Amplitud. Addictiſſimi

D. IACOBI ARMINII *Veteraquinatis*

Liberi orphani novem.

IACO-

IACOBI ARMINII

DE

Vero & genuino ſenſu capitis VII. Epiſtolæ

AD

ROMANOS

DISSERTATIO.

Quid circa ſententiam huius capitis quæratur,

QVæritur de ſententia Capitis VII. ad Romanos, & potiſſimum poſtremæ illius partis, quæ ab initio XIV. aut XV. verſus ad finem uſque capitis pertractatur: *An ſcilicet Apoſtolus iſthic de ſeipſo, qualis tunc erat; vel, quod idem pene eſt, ſub ſua perſona de homine ſub gratia Chriſti exiſtente agat: an vero perſonam ibi ſuſtineat hominis ſub legi conſtituti?* Quæ quæſtio etiam aliis verbis proponi ſolet: *An Apoſtolus iſthic tractet de homine adhuc irregenito, an vero per ſpiritum Chriſti jam regenerato:* ſententia aliquantulum diverſa; cum quia vox *irregeniti* latius ſe extendat, complectens etiam illos qui ſunt ſub lege, quorum ſtatum Apoſtolus etiam ſub ſua perſona verſu nono huius capitis breviter perſtrinxit: tum quia eadem vox nonnullis non modo puram putam regenerationis, ſed & omnium illorum quæ regenerationi neceſſario præcedanea ſunt, abſentiam denotet, quæ præcedanea tantum abeſt ut vocibus hiſce (*ſub lege eſſe*) excludantur, ut bona pars iſtorum ſtatus iſtius, qui iſtis vocibus ſignificatur, ambitu neceſſario compræhendatur. Quod præteriri citra animadverſionem non debuit, quia iſta vocis *irregeniti* præconcepta multis notio, cauſa non exigua eſt, cur rejiciendam ſibi putent ſententiam, quæ hic de homine irregenito (hoc eſt, non modo ipſius regenerationis experte, ſed & omnium quæ regenerationem præcedere ſolent) agi pronuntiat, & cur alteram iſti contrariam, ſine diligentiore vocum & rerum conſideratione ſibi approbandum cenſeant.

Quomodo hæc quæſtio diſputetur.

Diſputatur autem hæc quæſtio non tanquam una ex illis de quibus diverſum ſentire liceat Catholicæ doctrinæ tractatoribus, ſed ac ſi tanti ſit momenti & ponderis ad fidei veritatem, ut citra eius detrimentum & manifeſtam hæreſin de illa nonniſi in unam partem ſtatui poſſit, illam nempe, quæ de homine ſub gratia exiſtente & regenito ibidem agi affirmat. Quod quidem de iſta quæſtione judicium mihi novum eſſe videtur, & ante hæc ſecula inauditum, quibus conceſſa fuit doctoribus Eccleſiæ libertas, vel in hanc vel in iſtam partem de iſta quæ-

Olim in eadem libertatem ſententiarum conceſſam fuiſſe.

quæſtione ſentiendi, modo explicationem ſententiæ ſuæ non contrariam Articulis & dogmatis fidei adferrent. Quod quidem in hoc negotio fieri poſſe res ipſa declarabit, & illi exiſtimant, qui libertatem ſententiarum hic conceſſerunt: quum nemo unquam putarit ſententiam in Eccleſia tolerandam, quæ reliquis dogmatis & fidei articulis conſentaneè explicari non poſſet.

Qui de homine ſub lege hunc locum explicant perperam gravari affinitate hæreſeos Pelagianæ.

Gravantur quidem qui de homine ſub lege exiſtente locum iſtum explicant, duplicis Pelagianæ hæreſeos affinitate; quod homini citra gratiam Chriſti quid veri & ſalutaris boni tribuant, & luctam inter carnem & Spiritum in regenitis tollentes, perfectionem juſtitiæ in hac vita ſtatuant: ſed ingenue fateor me iſta conſectaria ex animo deteſtari, at interim non videre quomodo ex illa ſententia deduci queant. Si quis id monſtrare dignabitur, ſententiam hæreſi præcedaneam abjurabo, ſciens verum eſſe non poſſe, unde falſum bona conſequentia concludi poteſt. Si vero id monſtrari non queat, ego vero planum facere poſſim, nec iſtas, nec ullas alias hæreſes ex hac ſententia rite explicata derivari; tum ſane meo jure poſtulare poſſe videor, ne vel mihi vel ulli alteri ſuper iſta ſententia exhibeatur moleſtia. Quod ſi argumentis non probabilibus modo, ſed & irrefutabilibus, aut ſaltem probabilioribus quam quibus contraria adſtruitur, ſententiam iſtam firmavero, tum petere mihi liceat ut æquali ſaltem jure hæc ſententia cum altera locum in Eccleſia obtineat. Si denique probavero alteram illam ſententiam, prout à plæriſque hodie explicatur, cum multis planiſſimis Scripturis ægrè conciliari poſſe, gratiæ Spiritus inhabitantis non parum injuriam eſſe, & bonis moribus nocivam, à nullo denique antiquorum doctorum Eccleſiæ approbatam, à nonnullis vero, quin & Auguſtino ipſo improbatam eſſe, tum meritiſſimo jure admonere mihi liceat ſententiæ alterius defenſores, ut etiam atque etiam diſpiciant, ne melioris ſententiæ ejuſque aſſeclarum condemnatione injuſta, iram Dei in ſe concitare velint.

His ita præmiſſis rem ipſam aggrediamur, quæ in has tributa partes nobis tractabitur.

Diſtributio rerum in hoc commentario tractandarum

I. *Docebo Apoſtolum hoc loco non de ſeipſo, qualis tunc erat, neque de homine ſub gratia exiſtente loqui, ſed perſonam in ſe transſtuliſſe hominis ſub lege conſtituti.*

II. *Planum faciam ſententiam illam in Eccleſia unquam hæreſeos damnatam fuiſſe, quin ſemper adſtipulatores aliquos inter Eccleſiæ doctores habuiſſe.*

III. *Commonſtrabo nullam hæreſin neque Pelagianam neque aliam ex iſta ſententia derivari poſſe, ſed illam ipſam planiſſime Pelagianiſmo adverſari, ejuſque πρῶτον ψεῦδος præclarè & ex propoſito refutare.*

Poſſem intra terminos neceſſariæ tutelæ conſiſtens tribus iſtis capitibus explicatis tractatui finem imponere, niſi alicui conſultum & ex re videri poſſet ſententiam contrariam, præſertim ut hodie explicatur, paribus argumentis confutari. Quod faciam duobus aliis capitibus ad ſuperiora tria adjunctis, quæ poſterioribus duobus analoga & velut parallela erunt.

IV. *Itaque probabo ſenſum iſtum quem nonnulli moderni doctores noſtri Apoſtolo*

iſthoc loco tribuunt, à nullo antiquorum Eccleſiæ Doctorum, ne ab Auguſtino quidem approbatum eſſe, ſed & ab eodem & ab aliis nonnullis repudiatum & refutatum.

V. Et poſtremo *demonſtrabo ſententiam iſtam prout à multis hodie explicatur, & gratiæ injuriam, & bonis moribus adverſam eſſe.*

Faxit Deus ut nihil niſi quod ſacroſanctæ ipſius veritati conſonum ſit, mediter aut ſcribam: Si tamen quid tale exciderit, quod facile eſt ex parte cognoſcenti & ex parte prophetanti, id non dictum non ſcriptum volo: quod jam ante proteſtor, & reipſa declarabo, ſi quis veriora & certiora docuerit.

PRIMA PARS.

Theſis [illegible]

Apoſtolum non de ſeipſo, qualis tunc erat, neque de homine ſub gratia exiſtente hic agere, ſed perſonam in ſe transtuliſſe hominis ſub lege conſtituti.

Sive ut alii.

Apoſtolum hoc loco non agere de homine jam per Spiritum Christi regenerato, ſed perſonam ſuſcepiſſe hominis nondum regeniti.

Deſcriptiones terminorum theſi [illegible]

THeſeos probationi præmittendæ & præſtruendæ ſunt ſubjectorum iſta comprehenſorum definitiones ſeu deſcriptiones. Subjecta ſunt, *Apoſtolus* ipſe, *homo ſub gratia conſtitutus, homo ſub lege poſitus, homo regenitus ſpiritu* Chriſti, *& homo nondum regenitus.*

Deſcriptio Apoſtoli omittitur.

Apoſtolum disjunctim poſui à regenitis & ſub gratia conſtitutis, non quia è numero illorum ipſum eximam inter quos eximium locum obtinet, ſed quia nonnullis viſum eſt ex Apoſtolicæ perfectionis deſcriptione argumenta ducere, quibus probent Apoſtolum hic de ſeipſo, qualis tum fuit, loqui non potuiſſe, quum illa quæ hic ſibi tribuit, diſſentanea ſint iis quæ alibi de ſeipſo ſcribit, & eximio illius ſtatui progreſſuique in fide & novitate vitæ ignominioſa. Verum quia certum eſt, Apoſtolum hic de ſe propriè, ut eſt ab aliis omnibus cujuſcunque ſint ſtatus ſeu ordinis disjunctus, non egiſſe; ſed ſub ſua perſona de certo hominum genere & ordine tractaſſe, ſive illi ſub lege ſint & nondum regeniti, ſive regeniti & ſub gratia conſtituti; nos omiſſa deſcriptione Apoſtoli videbimus, quid ſit *eſſe ſub gratia & ſub lege*; quid *regenitum & nondum regenitum* ſive *irregeneratum*, ita tamen ut in ſententiæ noſtræ adſtructione ſimus allaturi argumenta ab Apoſtoli deſcriptione deſumpta.

Sub lege itaque *eſſe*, non ſignificat legi obnoxium eſſe ad illam præſtandam; ſeu teneri juſſibus legis obedire: quo ſenſu omnes in univerſum homines, tum qui ſine lege eſſe dicuntur capitis huius verſu 9. creationis jure, tum etiam qui ſub gratia ſunt, redemptionis inſuper & ſanctificationis jure, ſub lege eſſe cenſentur, ita tamen ut ſub rigore eius non ſint; ſub lege quippe Chriſto præſtanti ſuos à legis rigore immunes: ſed quia legis duplex circa peccatores eſt officium, unum peccatores ſub reatu pænæ, à lege transgreſſoribus denunciatæ, concludere,

& ſua

& ſua ſententia condemnare; alterum peccatores primum de ſui æquitate juſtitia & ſanctitate inſtruere & certos reddere, hinc eoſdem peccati arguere, ad obedientiam urgere, propriæ infirmitatis convincere, metu pœnæ terrere, ad liberationem quærendam compellere, & in univerſum peccatores pro ſua efficacitate ducere, regere, & agere; hinc ſub lege eſſe dicuntur primi officii reſpectu, *omnes in univerſum peccatores, etiam qui ſine lege ſunt, & ſine lege peccaverunt; nam peribunt ſine lege. Rom. 2. Non tamen citra juſtam legis ſententiam condemnandi.* Secundi vero officii ratione *ſub lege* eſſe dicuntur, *qui ſunt ſub imperio, regimine, magiſterio, & pædagogia legis, qui legis efficacitate & ductu reguntur & aguntur, in quibus vim ſuam exerit, & operationes iſtas ſuas exercet; ſive omnes, ſive aliquas plures pauciores ve:* quo reſpectu diverſi gradus & ordines illorum eſſe poſſunt & ſunt, qui ſub lege hoc ſecundo intuitu eſſe dicuntur. Hic vero hominem ſub lege ex integra efficacitate & omnibus operationibus legis definimus, ſic Apoſtoli ſcopo poſtulante, ut poſt videbimus.

August. in Pſal. 118. Aliud eſt eſſe in lege, aliud ſub lege. Qui eſt in lege, ſecundum legem agit, qui eſt ſub lege, ſecundum legem agitur. Ille ergo liber eſt, iſte ſervus. Deinde aliud eſt lex quæ ſcribitur & imponitur ſervienti, aliud lex quæ mente conſpicitur ab eo, qui non indiget litera.

Quid ſub gratia eſſe.

Huic phraſi ex adverſo reſpondet altera illa, *ſub gratia eſſe*, cujus gratiæ cum duplex ſit effectus, prior hominem peccatorem à reatu peccati & condemnatione abſolvere; alter hominem ſpiritu adoptionis & regenerationis donare, eoque ſpiritu vivificare, ducere, agere, & regere: hinc *ſub gratia eſſe* dicuntur, *tum qui immunes ſunt à reatu & condemnatione, tum qui gratiæ & Spiritus ſancti ducatu reguntur & aguntur.* Quum vero hoc loco non agatur propriæ de peccati condemnatione, ſed tyrannide & dominio quod in ſubditos ſuos violenter exercet, eos vi ſua in ſui obſequium compellendo; cui fruſtra efficacitas & vis legis opponitur, quumque non de remiſſione peccatorum, ſed de gratia tyranni & domini iſtius vim inhibente, & hominem in ſui obedientiam perducente, hoc loco pertractetur, hinc *ſub lege & ſub gratia eſſe*, ad poſterius ſignificatum ſunt reſtringenda, ut *ſub lege* ſit *qui legis ductu; ſub gratia, qui ejus ductu regitur & agitur.* Quod patebit ex præcedentis VI. cap. verſu 14. accurate cum præcedentibus & ſequentibus ejuſdem capitis verſibus collato, & ex cap. V. ad Galatas verſ. 17. & 18. huic eidem negotio convenienter applicatis. Si quis tamen ad utrumque ſignificatum hæc extendere velit, per me licet: nihil enim ad veritatem rei de qua nobis agitur inquirendam & inveniendam obeſſe poterit.

Regenitus homo quid.

Iam vero de *regenito & irregenito* videamus. *Regenitus homo* (ut ille nobis ſtricte, quemadmodum in oppoſitionibus & diſtinctionibus fieri decet definiatur) qui non à cœpta Sp. ſancti actione ſeu operatione, etiamſi illa regeneratio ſit, ſed ab eadem perfecta (quod ad partes illius eſſentiales, licet non quoad quantitatem & gradum) ita appellatur; non eſt *qui illuſtratus eſt, donum cæleſte guſtavit, particeps factus eſt Spir. ſancti, guſtavit bonum* Dei *verbum, & virtutes futuri ſeculi. Heb 6. 4.5.* ſiquidem ille locus de irregenitis à pleriſque noſtris Doctoribus explicatur: neque qui *inquinamenta mundi per agnitionem D. N. I. Chriſti effugit, & viam juſtitiæ cognovit.* quandoquidem & ille locus. 2. Pet. 2. 20. 21 de irregenitis explicatur: neque qui *legem audit, legis opus in corde ſuo ſcriptum habet,*

habet, enim cogitationes ſeſe mutuo accuſant & excuſant, qui acquieſcit in lege, gloriatur in Deo, voluntatem eius novit, explorat quæ diſcrepant, inſtitutus ex lege. Rom. 2. neque qui *in nomine Domini prophetavit, Diabolos ejecit.* Matth. 7. 22. qui *omnem fidem habet, adeo ut etiam montes transferat.* 1. Cor. 13. neque qui ſe peccatorem agnoſcit, ob peccatum dolet, etiam *triſtitia ſecundum Deum affectus*, qui *fatigatus eſt, & laborat* ſub onere peccatorum ſuorum, Matt. 11. tales enim venit vocare Chriſtus, quæ vocatio juſtificationem & ſanctificationem, id eſt, regenerationem præcedit. Rom. 8.30. neque qui *novit ſe cæcum* eſſe *ærumnoſum, pauperem & nudum*; illi enim tali ſuadetur à Chriſto emat quæ ipſi neceſſaria ſunt. Apoc. 3. Neque obſtat quod Eccleſia Laodicena ſe non noſſe dicitur: ſuaſio enim iſta nunquam perſuadebit ut emat iſta a Chriſto, niſi antea talem ſe cognoverit. Neque qui ſcit hominem ex operibus legis juſtificari non poſſe, eoque ipſo compellitur ad Chriſtum confugere, ut in illo juſtificationem obtineat. Gal. 2. Neque qui indignum ſe agnoſcens vel oculos in cœlum attollere, ſed pectus percutiens dixit, Deus placator mihi peccatori. Beza Quemadmodum *Beza* in abſterſione calumn. *Til. Heshuſii* primo tomo opuſcul. fol. 328. pulchre præcedanea regenerationis ab ipſa regeneratione ita inquiens di-
» ſtinguit: Aliud eſt querere quibus
» modis ad reſipiſcentiam ſive reno-
» vationem vitæ nos præparet Deus,
» quam agere de ipſa reſipiſcentia. Sit
» igitur ſane agnitio peccati & triſti-
» tia ſecundum Deum reſipiſcentiæ
» initium, ſed quatenus Deus hac via
» incipit nos ad vitæ renovationem
præparare, quo reſpectu iſtum Dei “
timorem merito Calvinus initialem “
vocare conſuevit. Præterea pavores “
illos conſcientiæ non ita ſolemus “
mortificationem carnis ſeu veteris “
hominis vocare, ut nonnulli ſolent, “
in pænitentiæ deſcriptione, quam- “
vis verbum Dei ſciamus gladio “
comparari, qui nos quodammodo “
mactet, ut nos Deo in ſacrificium “
offeramus, & afflictiones alicubi vo- “
cet Paulus Chriſti mortificationem “
quam in corpore noſtro circumferi- “
mus. Conſtat enim mortificatio- “
nem carnis & veteris hominis ſive “
membrorum noſtrorum apud Pau- “
lum longe aliud ſignificare, illam vi- “
delicet Spiritus Chriſti efficaciam, “
non quæ nos terreat, ſed quæ nos “
ſanctificet, corruptam illam natu- “
ram in nobis perimendo, quæ mor- “
ti fructificabat. Iam vero in eo quo- “
que a nonnullis diſcrepamus, non “
quod ad rem ipſam attinet, ſed in “
ipſa docendi ratione ſive forma, “
quod illi volunt fidem eſſe alteram “
pænitentiæ partem, nos vero μετάνοιαν “
(quo nomine intelligimus vitæ “
renovationem ex Scripturæ con- “
ſuetudine) dicimus eſſe fidei effe- “
ctum, &c. Hactenus Beza. Quam exacte autem hæc cum iis quæ a me dicta ſunt conſentiant, utraque conferenti planum evadet. Huic autem conſonat quod ſcribit Iohan. Calv. de initiali timore, hiſce verbis: Fe- “
fellit eos forte, quod nonnulli con- “
ſcientiæ pavoribus ante domantur “
vel formantur ad obſequium, quam “
imbuti fuerint cognitione gratiæ, “
imo eam guſtaverint. Atque hic eſt “
initialis timor, quem inter virtutes “
nonnulli recenſent, quia veræ & ju- “
ſtæ obedientiæ propinquam eſſe “
cernunt. Sed hic non agitur quam “
variè

» variè nos Chriſtus trahat ad ſe, vel
» præparet ap pietatis ſtudium, &c.

Sed regenitus homo eſt qui omnia, quæ ſubjungam, complexim in ſe habet. *Qui exuit veterem hominem cum factis ipſius, & induit novum illum qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus qui condidit ipſum.* Col. 3. 9. 10. *qui accepit à Deo Spiritum ſapientiæ & revelationis per agnitionem ipſius, illuminatis oculis mentis ipſius.* Epheſ. 1. 18. *qui depoſuit, quod ad priſtinam converſationem attinet, veterem illum hominem, qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur: & renovatus eſt Spiritu mentis ſuæ, & induit novum illum hominem, qui ſecundum Deum conditus eſt in juſtitia & ſanctimonia veritatis.* Epheſ. 4. 22. 23. 24. *qui revelata facie gloriam Domini intuens, ut in ſpeculo, in eandem imaginem transformatur ex gloria in gloriam, ſicut à Domini Spiritu.* 2. Cor. 3. 18. *qui peccato eſt mortuus, cujus vetus homo cum Chriſto crucifixus eſt, ut aboleatur corpus peccati, ne poſt hac ſerviat peccato; qui liberatus eſt à peccato, qui Deo vivit per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Rom. 6. *qui una cum Chriſto crucifixus eſt, qui non amplius vivit ipſe, ſed in quo Chriſtus vivit, & qui vitam quam vivit in carne, vivit per fidem Filii Dei.* Gal 2. 20. *Qui carnem crucifixit cum affectibus & concupiſcentiis, qui Spiritu vivit.* Gal. 5. 24. 25. *qui mundo crucifixus eſt, & cui mundus eſt crucifixus.* Gal 6. 14. *Qui circumciſus eſt circuncisione non manufacta, corpore peccatis obnoxia carnis exuto per circuncisionem Chriſti.* Col, 2. v. 11. *In quo Deus operatur & velle & perficere.* Phil. 2. 13. *Qui non eſt in carne ſed in Spiritu, in quo Spiritus Chriſti habitat, qui Spiritu facta carnis mortificat, qui Spiritu Dei agitur, qui non ſecundum carnem ſed ſecundum Spiritum ambulat.* Rom. 8. 2.

Hoc eſt breviter omnibus regenerationis partibus & fructibus in unum conjunctis: *Regenitus eſt*, qui habet mentem a tenebris & vanitate mundi purgatam, & vera ſalutarique Chriſti cognitione & fide illuminatam, affectus mortificatos, & a Dominio & ſervitute peccati liberatos, noviſque & divinæ naturæ convenientibus deſideriis accenſos, & ad novam vitam comparatos, voluntatem in ordinem redactam, & voluntati Dei conformem, vires & facultates adverſus Peccatum, Mundum, Satanam decertare per auxilium Spiritus ſancti potentes, & victoriam de iis reportare, fructuſque Deo & pœnitentia dignos proferre: qui etiam actu ipſo adverſus peccatum decertat, & victoria de illo reportata, non quæ carni & concupiſcentiæ adlubeſcunt, ſed quæ Deo grata ſunt facit; hoc eſt, actu ipſo declinat a malo & bonum facit; non perfecte quidem, ſed pro menſura fidei & donationis Chriſti, pro modulo regenerationis inchoatæ in hac vita, & paulatim promovendæ, denique poſt hanc vitam perficiendæ: non quod ad partes eſſentiales, ſed quod ad quantitatem attinet, ut dictum eſt antea: non ſemper citra interruptionem: impingit enim aliquando, labitur, aberrat, peccat, Spiritum ſanctum triſtitia afficit, &c. ſed ſubinde & plærunque. *Regenitus homo.*

Iam vero irregenitus eſt, non tantum qui prorſus cæcus eſt, voluntatem Dei non noſcens, ſciens & volens citra ullum conſcientiæ morſum peccatis ſe contaminans, nullo ſenſu iræ Dei affectus, nullo terrore pœnæ compunctus, nullo onere peccati preſſus, nullo deſiderio liberationis incenſus: ſed etiam qui volun- *Irregenitus homo.*

tatem Domini novit, ſed non facit, viam juſtitiæ agnovit ſed ab ea regreditur, opus legis in ſuo corde ſcriptum habet, cogitationes habet ſeſe mutuo accuſantes & excuſantes, qui ſermonem Euangelii cum gaudio excipit, ad tempus in eius luce exultat, ad baptiſmum venit, ſed id ipſum verbum corde bono aut non excipit, aut ſaltem fructum non profert: qui peccati ſenſu adficitur, qui onere peccati premitur, triſtitia ſecundum Deum afficitur, per legem juſtitiam acquiri non poſſe novit, ideoque ad Chriſtum confugere compellitur.

Omnia enim iſta, quocunque modo ſumuntur, non ad ipſam regenerationis, pænitentiæ ſive reſipiſcentiæ eſſentiam & partes eſſentiales, quæ ſunt mortificatio & vivificatio, pertinent; ſed præcedanea tantum ſunt, interque initia, &, ſi quis ita volet, cauſas pænitentiæ & regenerationis cenſeri, & locum aliquem habere poſſunt: quemadmodum erudite & nervoſe Calvinus explicat Inſtit. Chriſt. lib. 3. cap. 3. Quin & ipſa vera & viva in Chriſtum fides regenerationem ſtrictè ſumptam, & mortificatione veteris hominis, novique vivificatione conſtantem præcedit, ut Calvinus ibidem aperte dicit, & Scripturis & naturæ fidei conſentaneè. Fide enim Chriſtus noſter fit, noſque Chriſto inſerimur, membra ſimus corporis ipſius ex carne eius & oſſibus eius, atque ita cum eo plantati coaleſcimus, ut ex illo vivificam vim Spiritus ſancti trahamus, qua vetus homo mortificatur, & in novam vitam reſurgimus. Iſta omnia ordine quodam inter ſe cohærent, atque ita quoque conſideranda ſunt, ſi quis non confuſe ſed diſtincte illa noſſe, & aliis explicare cupiat. Hic vero non de omnibus in univerſum irregenitis agimus, ſed de illis tantum in quibus lex omnem ſuam efficacitatem exſeruit, qui propterea ſub lege eſſe reciproce dicuntur.

His ita ex neceſſitate rei & ordinis præmiſſis, ad quæſtionis & theſeos ipſius tractationem progrediamur. Vtile autem fuerit totius capitis ſummam, diſpoſitionem, & veluti diſpenſationem breviter ob oculos ponere; ut ſcopo Apoſtoli & iis quæ ad ſcopum faciunt, & tanquam ſcopo inſervientia ab Apoſtolo allata ſunt, conſideratis, eius mens nobis planius innoteſcere queat. Hoc ut commode fieri poſſit, paulo altius negotium repetendum erit.

Hortatus erat Apoſtolus verſibus 12. & 13. imò & præcedentibus ſexti capitis ad Romanos, fideles omnes qui Romæ erant ut ſtrenue adverſus peccatum decertarent, neque paterentur peccatum ipſis dominari, aut regnum in mortali ipſorum corpore exercere, ſed ut Deo ſe ſiſterent, & membra ſua arma juſtitiæ Deo dederent: hortationis æquitate multis argumentis, præſertim à communione fidelium cum Chriſto deductis commonſtrata & confirmata. Quo autem ad hanc ſpiritualem pugnam (cuius ineundæ ſtudium non per æquitatis modo demonſtrationem, ſed & per felicis ſucceſſus pollicitationem fuit perſuadendum) fortius illos animaret, certam victoriæ ſpem illis propoſuit ſequente verſu, dicens: *peccatum enim vobis non dominabitur.* Nihil enim ad pugnam fortiter & animosè capeſſendam æque inſtigare poteſt, atque

Capitis ſeptimi cum capite ſexto connexio.

atque certa victoriæ obtinendæ fiducia, quam iſtis verbis pollicetur Apoſtolus. Firmat autem promiſſum ſuum ratione ducta ab illo eiuſque viribus, ſub cuius ductu & auſpiciis eſſent adverſus peccatum decertaturi, vel ab eo ſtatu in quo jam erant in Chriſto & per Chriſtum conſtituti, his verbis: *non eſtis ſub lege*; gratiæ vires à contraria legis imbecillitate commendans. Quaſi dicat, quod tam ſedulo vos hortor ad pugnam contra peccatum ſtrenue ſuſcipiendum, id facio non tantum, quia, dum communionem veſtram cum Chriſto intueor, æquiſſimum illud eſſe judico: ſed etiam quia præſentem veſtrum ſtatum conſpiciens, in certam ſpem venio, futurum ut victoria adverſus illud potiamini auſpiciis illius ſub quo militatis; & omnino non fore ut peccatum vobis, ſicuti ante, dominetur. Eſtis enim ſub gratia, ſub regimine & ductu Spiritus Chriſti, & non amplius ſub lege. Si adhuc eſſetis in ſtatu illo, in quo fuiſtis ante fidem in Chriſtum, nempe, ſub lege, deſperandum vobis, ut ſub domino peccati conſtitutis, de victoria dicerem, quam legis viribus, quæ jubere novit, adjuvare, ut juſſa præſtentur, minime, adverſus peccati vim decertantis in vobis obtinere minime poſſetis: quantumcunque etiam id operam ſub auſpiciis legis pugnantes daretis. Illud autem ad comprobandam neceſſitatem gratiæ in Chriſto ſolo oblatæ & obtinendæ in primis valebat, adverſus illos qui legis cauſæ contra Euangelium patrocinabantur, & fœdus legem operum contra fœdus gratiæ Legemque fidei urgebant: quod plurimum faciebat ad ſcopum Apoſtoli quem præcipua huius epiſtolæ parte ſibi propoſitum habet. Iſte eſt, docere *non Legem ſed Euangelium eſſe potentiam Dei ad ſalutem, omni credenti*: tum quia per Legem Legiſque opera nemo juſtificari queat à peccatis admiſſis, tum quia eiuſdem Legis vi & auxilio nemo peccati potentiæ ſeſe opponere poſſit ad jugum illius excutiendum, & excuſſo jugo Deo ſerviendum, quia ſtatim in conflictu ſuccumbat: utrumque autem nobis in Chriſto per Euangelium oblato & fide apprehenſo contingere, tum peccatorum per fidem in ſanguine eius remiſſionem; tum Spiritus Chriſti vim, qua peccato reſiſtere ab eius domino liberati per eundem Spiritum, poſſimus, & victoriam de eodem referre, Deoque in novitate vitæ ſervire.

Quæ unico intuitu inſpiciantur ita ob oculos poſita.

Propoſitio Apoſtoli {
- Dehortatoria; *Ne præbete membra veſtra arma injuſtitiæ peccato.*
- Adhortatoria; *Sed ſiſtite membra veſtra arma juſtitiæ Deo.*

Ratio { *Peccatum enim vobis non dominabitur.*

Hinc

Hinc enthymema, cuius { Antecedens: *Peccatum vobis non dominabitur.*
Conſequens: *Itaque ne præbete membra veſtra arma injuſtitiæ peccato; ſed ſiſtite vos Deo,* &c.

Antecedentis ſeu rationis comprobatio { *Eſtis enim ſub gratia. Itaque peccatum vobis non dominabitur.*

Illuſtratio comprobationis a contrario < *Non eſtis ſub lege.*

Comprobationis & Illuſtrationis brevis explicatio. { *Siquidem adhuc ſub lege eſſetis, ut ante fuiſtis, peccatum vobis ut ante dominaretur, & non poſſetis non illius imperium & impulſum ſequuti, membra veſtra dare arma injuſtitiæ peccato.*
At cum non amplius ſub lege, ſed ſub gratia jam ſitis, peccatum omnino vobis non dominabitur, ſed vi gratiæ facilè illi reſiſtetis, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo præſtabitis.

Inde vero intermiſſo paululum hoc argumento, in eadem adhortatione (prius tamen refutata objectione, quæ ex iſto deduci poterat) perſeverat reliquo hoc ſexto capite: reſumpturus idem illud argumentum, latiuſque pertractaturus capite ſeptimo integro, & parte capitis octavi priore, quandoquidem illius argumenti tractatio ad ſcopum Apoſtoli plurimum, ut ante vidimus, conducebat.

Eiuſdem brevis diſpoſitio. Tractat autem Apoſtolus argumentum hoc iſto ordine & modo, quem ipſa ratio & tractationis neceſſitas poſtulebat. Dixerat enim: *peccatum vobis non dominabitur; non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Quibus verbis hæc 4. enuntiata continentur.

IV. Enuntiata.
I. Chriſtiani non ſunt ſub lege.
II. Chriſtiani ſunt ſub gratia.
III. Iis qui ſub lege ſunt peccatum dominabitur.
IV. Iis qui ſub gratia ſunt peccatum non dominabitur.

Quorum 4. enuntiationum ſecundum & quartum ad ſuadendum illam exhortationem ſunt neceſſaria & ſufficientia; primum vero & tertium tum illuſtrationis cauſſa, tum quia præcipuus totius Epiſtolæ ſcopus id requirebat, ſunt addita: quorum illud notum eſt omnibus axiomatis diſcreti naturam mutuumque inter partes illius reſpectum intelligentibus, hoc vero ex ipſius Epiſtolæ deductione & conformatione diligenter inſpecta clarere poteſt.

Iſta itaque quatuor axiomata Apoſtolus ſibi pertractanda putavit ordine, & quidem ſemper cum mentione concluſionis, quam ex iſtis velut præmiſſis inferre voluit, in qua adhortationis ſumma conſiſtebat. *Tractatur ordine.*

Duo autem iſta priora junctim tractat Apoſtolus, natura illorum ita poſtulante, Quibus enim unum adimit, iiſdem alterum tribuit, & merito; cauſa quippe una eademq; exiſten- *Duo priora coniunctim tractantur.*

exiſtente cur hoc tribuatur, illud adimatur, cur ſint ſub gratia, & non ſub Lege, quæ cauſa verſ. 4. exprimitur hiſce verbis, quod ſint *mortificati Legi in corpore Chriſti, ut eſſent alterius.* Quatuor vero primis verſibus probat Apoſtolus Chriſtianos ſeu fideles non eſſe ſub Lege, ſed ſub gratia: quæ probatio hoc ſyllogiſmo compræhendi poteſt.

Quid igitur verſ. 1. 2. 3. probetur.

Qui Legi mortui ſunt, & quidem in corpore Chriſti ut eſſent alterius, nempe Chriſti, illi non amplius ſunt ſub Lege, ſed jam ſunt ſub gratia.

At Chriſtiani Legi mortui ſunt, ut eſſent alterius, nempe Chriſti.

Ergo Chriſtiani non amplius ſunt ſub Lege, ſed ſub gratia.

Propoſitionis pars prima, nempe, *qui legi mortui ſunt non amplius ſunt ſub Lege*, expreſſa eſt verſu primo his verbis: *Lex tantiſper dominatur homini quoad ipſe vixerit.* Altera pars, nempe, *qui Chriſti facti ſunt illi ſunt ſub gratia*, incluſa eſt verſui quarto unde deduci poteſt. Additur autem confirmatio primæ partis à teſtimonio conſcientiæ illorum qui peritiam Legis habent verſu eodem primo: & verſu ſecundo & tertio illuſtratur eadem propoſitionis prima pars a ſimili, nempe a conjugio, in quo fœmina non ulterius eſt obnoxia Legi viri, quam quoad ipſe vixerit; mortuo vero marito libera eſt a Lege viri, ita ut illi liceat citra crimen adulterii ad alterum virum tranſire. Cujus redditio plana eſt, hoc tantum animadverſo diſcrimine, quod Chriſtianos Legi & non Legem illis eſſe mortuam, mutato dicendi genere pronunciavit; quam mutationem nonnulli Apoſtolicæ prudentiæ tribuunt phraſin vitanti, quam Iudæis offendiculo futuram præſciebat; alii rei naturæ transſcribunt, in qua dicunt non Legem, ſed peccatum mariti perſonam ſuſtinuiſſe, quod mortuum dicitur, verſ. 6. verum hoc ad præſens negotium non facit.

Aſſumptio eſt verſu quarto his verbis: *vos quoque mortificati eſtis Legi in corpore Chriſti, ut eſſetis alterius, nempe Chriſti*: quæ aſſumptio illuſtratur primo a *cauſa efficiente* mortificationis illius, quæ eſt crucifixio & reſuſcitatio corporis Chriſti, & fidelium cum Chriſto in iſta crucifixione & reſuſcitatione corporis illius communio: Secundo, *à cauſa finali* liberationis, quæ continet ſcopum adhortationis Apoſtolicæ, nempe, ad fructum ferendum Deo. Perſeverat autem in iſto fine duobus ſequentibus verſibus 5. & 6. tractando eum per comparationem parium, ut etiam fecit ſexti capitis. verſ. 19. Par eſt ut *Deo ſerviamus*, & quum jam *non in vetuſtate litteræ ſed in novitate Spiritus ſimus, & à lege liberati, mortuo eo in quo detinebamur, æquum eſt ut Deo fructificemus: quia cum eſſemus in carne affectus peccatorum per Legem exiſtentes vigebant in membris noſtris ad fructum ferendum morti.*

. Concluſio non infertur aperte, ſed ſubintelligitur: quod eſt frequentiſſimum, propterea quod propoſitio ſeu quæſtio tractanda a concluſione non re, ſed modo tantum poſitionis differat.

Duo autem iſti verſus 5. & 6. licet iſtum, qui jam explicatus eſt, ad antecedentia reſpectum habeant, tamen ad conſequentia etiam ſunt referendi. Nam 3. & 4. enuntiatum hiſce duobus verſibus proponuntur. Tertium verſ. 5. & quartum verſ. 6. Hæc enim verba, *Adſectiones peccatorum per Legem exiſtentes vigent ſeu*

Tertium & quartum enuntiatum proponuntur verſ. 5 & 6.

 operan-

operantur in membris hominum qui in carne ſunt: idem valent quod iſta; *Qui ſub Lege ſunt iis peccatum dominatur.* Item hæc verba; *Nunc autem liberati ſumus à lege, mortuo in quo detinebamur, ut ſerviamus in novitate Spiritus ac non in vetuſtate litteræ*, conveniunt cum iſtis; *Qui ſub gratia ſunt iis peccatum non dominabitur.* Quod planum eſſe poterit, ſi quis particulam ὥστε cum veteri Interprete, *ita ut*, transferat, & non de fine ſed de eventu intelligat; quemadmodum iſtius particulæ uſus pænè perpetuus requirit: ſenſus enim eſt, *quum adhuc in vetuſtate litera eſſemus, & ſub Lege, tum ſub peccato detinebamur. at tum jam ſimus liberati à lege & in novitate Spiritus conſtituti, poſſumus Deo ſervire in juſtitia & ſanctitate*, ſtatui iſti novitatis noſtræ convenienter.

In tertio enuntiato controverſia potiſſimum ſita eſt, cuius deductio conſtat, propoſitione enuntiati, & eius tractatione.

Sed preſſius jam videamus quomodo tertium illud enuntiatum tractetur, quandoquidem in eo controverſia potiſſimum eſt poſita. Conſtat autem διήγησις totius negotii, propoſitione enuntiati & illius tractatione; quæ partim eſt explicatio, partim cauſæ redditio; utraque etiam breviter juncta eſt propoſitioni, ut eſt verſu 5. huius capitis poſita; quare plenior eſt & accommodatior prolixiori tractationi, quam ut ex 14. verſu capitis ſexti eſt propoſita. Propoſitio enim eſt iſta, *peccatum*, ſive, quod nervoſius dicitur, *affectus peccatorum dominantur in iis qui ſub Lege ſunt*: quod attributum etiam nervoſius hoc loquendi genere exprimitur, quo affectus peccatorum ipſam per Legem exiſtere dicuntur.

Propoſitio enuntiati.

Additur propoſitioni explicationis ergo duplex dominii iſtius effectus; unus eſt *vigor & operatio in membris*, alter *fructificatio mortis*. Cauſa cur *in hominibus ſub lege affectus peccatorum vigeant ad fructificandum morti*, redditur iſtis verbis: *Quum eſſemus in carne*: temporis n. anteacti nota a ſtatu carnali ſumitur, qui ſtatus cauſam complectitur cur anteacto tempore affectus peccatorum in membris noſtris viguerint: q. d. Apoſtolus; *Non mirum affectus peccatorum dominatos nobis, & viguiſſe in membris noſtris ad fructum ferendum morti: eramus enim in carne, & ipſa Lex tantum abeſt ut potuerit hunc dominatum impedire, & vigorem peccati inhibere, ut affectus iſti per legem (non Legis vitio, ſed malitia & pervicacia peccati dominantis & abutentis) ſint longe ferventiores & vehementiores.*

Eiuſdem tractatio conſtans latiore explicatione & redditione cauſæ.

Iſta itaque Propoſitio latius explicatur a verſu 7. ad verſum 14., eiuſque cauſa pertractatur a verſu 14. incluſo ad finem uſque capitis. Explicatio verſatur circa duplicem iſtum effectum, *operationem peccati*, & *fructificationem qua morti fructus adfertur*. Cauſæ redditio perpetua intenta eſt ad id quod verſu 5. dictum eſt; *quum eſſemus in carne.* Vtrobique autem diligenter cavetur ne Lex ipſa in ſuſpicionem culpæ trahatur, quaſi illa per ſe ſit cauſa pravarum in nobis cupiditatum & mortis, quum tantum ſit occaſio, quam peccatum violenter arreptam uſurpat ad iſtos effectus in hominibus ſub lege exiſtentibus producendum. In explicatione uterque iſte effectus a lege removetur, & peccato tanquam propriæ cauſæ tribuitur, ita tamen ut ſimul addatur, peccatum lege abuti ad iſtos effectus producendum.

Latior explicatio à verſ. 7. ad 14 verſ.

Removetur prior effectus a Lege verſ. 7. his verbis: *Quid ergo dicemus, Lex peccatum eſt?* Abſit. Hoc eſt;

anno

nunc ergo Legi adſcribi poteſt quod ſit ipſum peccatum, vel cauſa in nobis pravarum cupiditatum, quia dictum eſt verſu 5. affectus peccatorum qui ſunt per Legem? Reſpondet Apoſtolus tale quid nefas eſſe vel cogitare de Lege. Adjungit probationem eiuſdem remotionis à contrario legis effecto. *Lex enim peccati index eſt*: ergo non eſt peccatum, neque peccati cauſa. Probationem illuſtrat ab exemplo ſpeciali: *Nam concupiſcentiam non nóßem, niſi Lex dixiſſet, Non concupiſces.*

Verſ 8. 9. 10. 11. Tribuitur vero idem effectus peccato verſ. 8. his verbis; *ſed peccatum effecit in me omnem cupiditatem*, ita tamen ut lege velut occaſione ad iſtum effectum producendum abutatur; quod ſignificatur his verbis: *peccatum ſumpta occaſione per illud mandatum operatum eſt*, &c. Quod poſtremum probatur verſu ſequente his verbis: *Nam abſque Lege peccatum eſt mortuum adventu vero legis peccatum revixit*, quod illuſtratur à contrariis privantibus: *Ego vero tum vivebam cum peccatum eßet mortuum: ubi vero peccatum revixit, ego mortuus ſum*; quum vero id per legem factum ſit, hinc conſtat peccatum lege ad iſtum effectum producendum abuti. Iungit vero hic Apoſtolus ſecundum effectum primo, quia natura cohærent, & iſte huius eſt cauſa. Et ſic adſcribit mortem peccato lege abutenti *verſ.* 10. & 11. ita tamen ut legem excuſet ab iſto quoque effecto mortis verſ. 10. his verbis: *Mandatum quod erat ad vitam*: transſcripta cauſâ mortis peccato, his verbis: *Nam peccatum occaſione per illud mandatum accepta, &c.* Perſequetur vero legis excuſationem *verſ.* 12. à deſcriptione naturæ

Verſ 12. & 13. legis, quod illa ſit *ſancta, juſta & bona*: & propterea nullo modo cauſa mortis: quam etiam verſus 13. priore parte à lege cum indignatione rejicit: *Abſit*, inquiens, *ut illud quod bonum eſt mihi ſit operatum mortem*: reliqua autem parte eiuſdem verſus peccato eundem effectum adſcribit, juncto duplici fine in dedecus ipſius peccati vergonte, his verbis: *Sed peccatum ſcilicet mihi factum eſt mors: ut appareret peccatum, per bonum mihi operatum ſeu efficere mortem, ut peccatum fieret ſumme peccans per illud mandatum.* q. d. *peccatum iſto abuſu legis ad nos ſeducendos & occidendos illud effeciſſe, ut viciſsim ipſius pravitas & perverſitas per Legem patefieret: quæ in eo conſiſtit quod per legem bonam mortem operetur, & per mandatum juſtum & ſanctum ſumme peccans, & velut ſupra modum peccator non fiat modo ſua ipſius malitia, ſed & declaretur legis indicio, qua tam turpiter abuſum eſt ad effectus iſtos producendos.* Apparet autem ex tota hac explicatione, Apoſtolo ita temperatum ſtilum, ut ex peccati efficacitate, & legis imbecillitate gratiæ Chriſti neceſſitatem concluderet. Quod magis perſpicuum evadet, ſi paucis iſtam Apoſtoli explicationem complexi fuerimus hoc pacto. *Peccatum dominatur iis qui ſub lege ſunt, omnem in illis concupiſcentiam per ipſam legem efficiendo, eoſque per ipſam legem occidendo: ita tamen ut lex ab utraque culpa immunis ſit, utpote quæ ſancta ſit & bona, peccati index & ad vitam data. Sed peccatum ita eſt potens in hominibus ſub lege exiſtentibus, ut ipſa lege abutatur ad illos effectus in homine ſibi ſubdito producendos; per quem legis abuſum hoc viciſsim aufert à lege præmium, ut ipſius perverſum & noxium ingenium legis indicio manifeſtetur. Vnde homo ſub lege exiſtens ad gratiam confugere compellitur, ut eius bene-*

 ficio

ficio & auxilio à pravi & noxii iſtius domini tyrannide liberari poſſit.

Verſ. 14. & ſeqq. Redditio cauſæ à verſu 14. ad finem uſque capitis.

Cauſæ redditio ſequitur a verſu 14. ad finem uſque capitis, ubi, uti dictum, etiam diligentiſſimè cavetur, ne legi ulla irrogetur ignominia, aut culpa adſcribatur: omniſque noxa peccati potentiæ, & hominis ſub lege exiſtentis imbecillitati tribuitur. Redditur autem cauſa breviter ipſo 14. verſu, his verbis: *Nam Lex ſpiritualis eſt, at ego carnalis ſum venditus ſub peccato.* Vt autem iſta cauſæ redditio accurate intelligi poſſit, rurſus inſpiciendum id cuius cauſam hic explicare Apoſtolus ſtatuit. Illud eſt; *Peccatum dominari iis qui ſub lege ſunt*, ſive *affectus peccatorum qui ſunt per legem vigere in hominibus ſub lege exiſtentibus.* Cuius cauſa ut plene & perfecte reddatur monſtrandum eſt, cur Lex in iis qui ſub ipſa ſunt peccati vim & tyrannidem enervare nequeat, & cur peccatum eos, qui ſub lege ſunt, eouſque ſibi velut jure quodam ſuo obſtrictos & obnoxios habeat. Quare rationis redditio eſt bipartita. Prima pars his verbis continetur: *nam lex quidem ſpiritualis eſt; at ego carnalis ſum.* Particulam (quidem) addendam eſſe tum illius relativa *δὲ*, tum res ipſa evincit. Altera his verbis continetur: *Nam ego venditus ſum peccato*, id eſt, ego ſum ſub peccati dominio tanquam ſervus emptitius jure venditionis conſtitutus, & velut mancipium factus peccati. q. d. *Quod lex in hominibus ſub lege exiſtentibus impedire nequeat peccati vigorem & operationem, ex eo eſt, quod homines ſub lege exiſtentes carnales ſunt, in quibus propterea Lex, licet Spiritualis ſit, tantum non habet virium, ut carnis ad mala & legi contraria proclivitatem inhibere poſſit: quumque peccatum in homines ſub lege exiſtentes ſuo quodam jure dominium exerceat; hinc eſt quod illi peccato mancipati ſunt, eiuſque poteſtati, tanquam ſervi emptitii devincti & obſtricti.*

Verſus 14. continet rationis redditionem bipartitam.

Verſ. 15. Probatio continetur.

Probationem ſubjungit Apoſtolus verſu ſequente 15. non tam illius quod homo ſub lege carnalis ſit, quam quod mancipium peccati. Probatio autem deſumpta eſt a proprio ſervi emptitii adjuncto ſive effecto, his verbis: *Non enim agnoſco quod perpetro.* Mancipium enim non facit quod ipſi viſum eſt, ſed quod domino viſum eſt illi præſcribere. Sic enim verbum agnoſcendi hic uſurpatur pro approbare. Si vero quis in propria ſignificatione id uſurpatum putat, idem erit argumentum, & idem eius valor: *Servus enim neſcit voluntatem* Domini, ut inquit Chriſtus; neque Dominus tenetur aut ſolet ſervo ſuo omnem ſuam voluntatem patefacere, niſi quatenus ipſi videtur opera ſervi per illius ſcientiam uſurpanda. At prior ſignificatio vocis iſtius huic loco eſt accommodatior, & ſequentia iſtam poſtulare videntur: nam latior illius argumenti adfertur explicatio, his verbis: *Non enim quod volo hoc ago, ſed quod odi, hoc facio*; quod ſignum evidens eſt voluntatis ſubjugatæ, & alterius poteſtati ſubjectæ: peccati nempe: *ergo eſt ſervus & mancipium peccati.* Hinc jam duo conſectaria deducit Apoſtolus, quorum altero legem excuſat, altero culpam omnem iſtius rei in peccatum conjicit, ut & antea fecit. Primum eſt, *quod ſi id facio quod nolo, conſentio legi quod bona ſit*, id eſt, ſi facio id quod peccatum mihi præſcribit, nolens, jam ſane legi conſentio quod bona ſit, utpote cui contra peccatur, juben-

Et latior ejus explicatio.

Unde duo conſectaria deducuntur, primum verſ. 15.

jubenti aſſentior, licet quod præſcribit præſtare nequeam ſub dominio peccati conſtitutus. Alterum eſt: *Nunc itaque non amplius ego id perpetro ſed peccatum quod in me habitat*: id eſt; itaque, quia id quod facio nolens facio, non ex proprio ſed alieno arbitrio, domini mei, nempe, quod eſt peccatum; hinc ſequitur non me id facere, ſed peccatum, quod in me habitat, & mihi dominatur, meque ad faciendum impulit.

Alterum verſ. 17.

Hinc redit Apoſtolus ad cauſæ redditionem verſ. 18.

His ita tractatis, redit Apoſtolus ad eandem cauſæ redditionem & probationem. Cauſæ redditio eſt verſ. 18. his verbis: *Novi enim non habitare in me*, id eſt, *in carne mea bonum*: Quare non mirum quod lex, licet Spiritualis ſit, non valeat in homine ſub lege exiſtente peccati vires infringere: *non enim habitat*, id eſt, non dominatur id quod bonum eſt in homine carnali, & ſub lege exiſtente. Probatio ſubditur eodem verſu: *Nam velle adeſt mihi, ſed ut quod bonum eſt perficiam, non aſſequor*, ſeu, *ſed bonum perficere non invenio*; cuius latior explicatio eſt verſ. 19. *Non enim facio bonum quod volo, ſed malum quod nolo, hoc ago*: quod eſt planum ſignum in carne mea bonum non habitare. Si enim bonum habitaret in carne mea, jam actu poſſem præſtare ad quod mens & voluntas inclinant. Hinc rurſus deducit ſecundum illud conſectarium verſ. 20. *Quod ſi id facio quod nolo, non amplius ego id perpetro; ſed peccatum quod in me habitat.* Ex iſtis autem argumentis concludit intentum verſ. 21. dicens: *Comperio igitur volenti mihi facere bonum hanc legem*. ſ. impoſitam eſſe, *quod malum mihi adjaceat*, hoc eſt, reipſa igitur comperio ex eo, quod velle mihi adeſt, at bonum perficere non valeo, malum, id eſt, peccatum, mihi adjacere, non locum tantum in me habere, ſed & prævalere: quæ concluſio ſenſu non differt à cauſæ redditione verſ. 14. compræhenſa, his verbis: *Ego carnalis ſum, venditus ſub peccato.* Cæterum duobus ſequentibus verſibus 22. & 23. illam proximè præcedentem concluſionem probat, & probando clarius explicat, unde & quomodo fiat, ut homo ſub lege exiſtens peccato dominari non poſſit, ſed ipſe peccati concupiſcentias volens nolens explere compellatur, dicens: *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem: ſed video aliam legem in membris meis belligerantem adverſus legem mentis meæ & captivum me reddentem legi peccati.* Sub finem vero ex conſideratione miſeri ſtatus hominum ſub lege exiſtentium, naſcitur exclamatio votiva pro liberatione ab iſta peccati tyrannide & ſervitute, his verbis: *Miſer ego homo, quis me eripiet ſeu liberabit ex hoc corpore mortis*: ſeu *ex corpore mortis huius?* id eſt, non ex hoc mortali corpore, ſed à dominio peccati, quod hic vocat *corpus mortis*, ſicut & alibi *corpus peccati*. Subjungit exclamationi reſponſionem: Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum liberabit te; vel gratiarum actionem, qua Apoſtolus in ſua perſona ſignificat unde liberatio ſit petenda & exſpectanda. Toti deniq; tractatui ſubnectitur concluſio, qua totus ſtatus hominis ſub lege exiſtentis, jam ante prolixe deſcriptus, breviter definitur, his verbis: *Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei, carni vero legi peccati.* Atque ita ſeptimum caput clauditur.

Ad probationem verſ. eodem.

Cuius latior explicatio ſequitur verſ. 19.

Unde rurſum deducitur ſecundum conſectarium verſ. 20.

Concluſio intenti v. 21.

Illius probatio verſ. 22. 23.

Exclamatio votiva pro liberatione hominis ſub lege exiſtentis verſ. 24.

Reſponſio ſeu gratiarum actio relativa ad illam exclamationem priore parte verſ. 25.

Concluſio totius tractatus qua ſtatus hominis ſub Lege breviter definitur, altera parte verſ. 25.

Vt autem iſta velut in pugnum contracta unico intuitu inſpici poſſint, breviter hanc quoque ſecundam partem recapitulemus, hoc pacto.

Brevis recapitulatio ſecundæ partis.

Dictum eſt nobis antea peccatum hominibus ſub lege exiſtentibus dominari: huius autem rei cauſa eſt: quod, licet Lex ipſa ſpiritualis ſit, & homines ſub lege exiſtentes legi conſentiant quod bona ſit, bonumque velint, & condelectentur legi Dei ſecundum interiorem hominem, iidem tamen homines ſub lege exiſtentes carnales ſunt, venditi ſub peccato, non habentes in carne ſua bonum inhabitans, ſed habentes in ſe peccatum habitans, & malum ſibi adiacens, legemque in membris ſuis non belligerantem modo adverſus legem mentis ipſorum, ſed & ipſos captivos reddentem legi peccati, quæ eſt in membris ipſorum. Cuius rei certum eſt & evidens ſignum, quod bonum quod volunt, non agant, malum autem quod odio habent, faciant, quod volentes facere bonum, non aſſequuntur poſſe. Vnde certo conſtat non illos ipſos eſſe ſuorum actuum dominos, ſed peccatum quod in ipſis habitat; cui etiam præcipuè adſcribenda culpa mali, quod ab hominibus iſtis velut invitis perpetratur: hinc vero homines iſti miſeriam ſuam ex legis indicio cognoſcentes exclamare coguntur, & gratiam Ieſu Chriſti implorare.

Conſiderata hoc pacto totius capitis diſpoſitione & œconomia, jam preſſius quæſtionem nobis propoſitam pertractemus: nempe, an iſta quæ a verſu 14. ad finem uſque capitis dicuntur, de homine ſub lege an ſub gratia exiſtente ſint intelligenda.

Quæſtionis ipſius preſſior tractatio, & demonſtratio in ipſo textu.

Primum omnium connexio verſ. 14. cum ſuperioribus attendatur: particula enim rationalis (γὰρ) connexionem indicat cum ſuperioribus: quæ connexio indicat hic agi de eadem re quæ ante tractata eſt: & pronomen, Ego, de eodem homine intelligendum eſt, qui antea per idem pronomen eſt ſignificatus. Actum autem eſt antea *de homine ſub lege exiſtente*, & pronomen Ego, hominem ſub lege exiſtentem antea denotavit: ergo & hic ubi cauſa redditur eius quod ſuperius explicatum eſt, agitur *de homine ſub lege exiſtente*. Secus ſunt meræ ſcopæ diſſolutæ. Neq; unquam videre contigit connexionem vel veriſimilem, ſecundum quam conſequentia hæc cum antecedentibus cohæreant, allatam ab iis, qui ibi de homine ſub lege, hic ſub gratia exiſtente, ſermonem habitum arbitrantur. Si quis neget, ille moliatur connexionem: quod etiam nonnulli eorum videntes, hunc verſum juxta præcedentes de homine, ſub lege interpretantur; ſequentes vero de homine, ſub gratia: quod etiam tum videbitur.

ſummata, quod de homine ſub Lege, non ſub gratia poſito hic agatur. Verſ. 4. Nota bene.

Secundo in eodem verſu homo ille, de quo Apoſtolus agit ſub ſua perſona, *carnalis* eſſe dicitur: at homo *regenitus & ſub gratia conſtitutus* non eſt *carnalis, ſed ſpiritualis*: Ergo hic de homine ſub gratia conſtituto non agi certiſſimum eſt. Homo vero *ſub lege exiſtens* eſt *carnalis*: ergo hic de homine *ſub lege* agi perſpicuum eſt. Probo hominem regenitum & ſub gratia conſtitutum non eſſe, neque in Scripturis dici *carnalem*. Rom. 8. v. 9. *Vos non eſtis in carne, ſed in ſpiritu.* Ibidem verſ. 8. *Qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt:* At homo regenitus, & *ſub gratia conſtitutus* Deo placet. Ibidem verſ. 5. *Qui ſecundum carnem ſunt quæ carnis ſunt ſapiunt:* At homo ſub gratia ſapit quæ *ſecundum Spiritum* ſunt.

Gal. 5.

Gal. 5. 24. *Qui Chriſti ſunt carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentiis*: & qui carnem crucifixerunt, &c, non ſunt *carnales*: homines autem *regeniti* & *ſub gratia* conſtituti *ſunt Chriſti*, *& carnem crucifixerunt*: Ergo iſti tales non ſunt *carnales*. Rom. 8. v. 14. *Filii Dei ſpiritu Dei aguntur.* At homines *regeniti* ſunt *Filii Dei*. Ergo *Spiritu Dei ducuntur*. Tales autem ſunt *ſpirituales*. At hic objicitur quod idem homo diverſo reſpectu *carnalis & ſpiritualis* dici poſſit; *Spiritualis*, qua regenitus per Spiritum, *carnalis*, qua non regenitus: homo enim quamdiu in hoc mortali eſt corpore, non plene regeneratur. Vnde duplex exiſtit ſignificatio vocis (*Carnalis*): una hominem *mere carnalem* notat, in quo *peccatum dominatur*, altera *hominem ex parte carnalem, ex parte vero Spiritualem*. Reſp. Quod homo non plene & perfectè regeneratur, quamdiu in hac vita eſt, concedo juxta Scripturam, ſed rectè intellectum, nempe ut illa perfectio non de ipſius regenerationis eſſentia partibuſque eſſentialibus, ſed quantitatis gradu & menſura intelligatur. Regenerationis enim negotium non ita habet, ut homo ſecundum aliquas ſuas facultates regeneratus, ſecundum aliquas maneat prorſus in vetuſtate depravatæ naturæ: ſed ita eſt comparata ſecunda iſta nativitas, ut prima, qua homines naſcimur, integre quidem humanæ naturæ participes, at non in perfectione virili: ſic quoque omnes hominis facultates vis regenerationis pervadit nulla excepta, at non perfecte primo momento, gradatim enim provehitur, & per quotidianos profectus, uſque dum ad plenam & virilem ætatem in Chriſto producatur. Vnde totus homo ſecundum omnes ſuas facultates, mentem, affectus, voluntatem, regenitus dicitur, & propterea ſecundum iſtas facultates regenitas ſpiritualis. Quum vero *ſpiritualis* & *carnalis* in Scriptura integris ſuis definitionibus opponantur; ille enim eſt *qui ſecundum ſpiritum*, hic, *qui ſecundum carnem ambulat*, & unum dicatur ad alterius oppoſitionem, iſto quidem reſpectu non poteſt idem homo *ſpiritualis* ſimul & *carnalis* dici. Atque ita diſtinctionem iſtam carnalium, qua uni dicuntur *carnales* in quibus peccatum dominatur ex parte prædominante; alii vero in quibus caro luctatur adverſus Spiritum a parte minus potente *carnales* appellantur, ſecundum Scripturam rejicere mihi licet, quæ hoſce poſtremos non ſolet carnalium nomine cenſere. Quod ſignificantiſſime exprimit Leo de Reſur. Dom. his verbis: *Quamvis ſpe ſalvi facti ſumus, & corruptionem adhuc carnemque mortalem geſtamus; recte tamen dicimur in carne non eſſe, ſi carnales nobis non dominentur affectus, & merito eius rei deponimus nuncupationem, cuius non ſequimur voluntatem.* Sed & conceſſo illo nondum tamen evincitur quod moliuntur, niſi probatum fuerit hunc hominem *carnalem* dici, non primo ſed ſecundo reſpectu, ſive ſenſu; non quia *peccatum* in illo *dominatur*, ſed quia *caro adverſus ſpiritum luctatur*: quod quidem ex ipſo textu nunquam fieri poterit. Apparet enim in iſto homine, quem Apoſtolus *carnalem* appellat, *peccatum dominari*, & *carnis* potiores quam *mentis* eſſe partes. Nam *peccatum in illo habitat*; *facit malum quod non vult*; *non facit bonum quod vult*; *ut bonum perficiat non invenit*, *peccatum quod in illo habitat* perpe-

Carnalis & Spiritualis quomodo opponantur in Scriptura.

perpetrat malum; *captivatur ſub lege peccati*, ſeu *legi peccati*: quæ omnia dominantis peccati ſunt certa & evidentia τεκμήρια. Neque obſtat quod nolens & invitus peccato obedire cogatur: eſt enim duplex dominium peccati, vel cum conſenſu illius qui peccat, vel adverſus illius conſcientiam, & ex conſcientia natum conſenſum. Sive enim ſervus volens, ſive nolens obediat Domino, Servus eſt eius cui obedientiam præſtat. Quod uſque adeo verum eſt, ut nemo à ſervitute peccati ad libertatem venire queat, niſi per hanc viam, viam inquam odii iſtius ſervitutis & deſiderii obtinendæ liberationis. At dicet aliquis, etiam illos qui *ſub gratia ſunt carnales* dici, 1. Cor. 3. verſ. 1 & 2. Reſpondeo, de voce non eſſe quæſtionem, ſed de vero vocis ſenſu, & re voce ſignificata. Videndum igitur an eodem ſignificatu iſta vox & hoc loco & ſeptimo ad Romanos uſurpetur. Dicuntur autem *carnales* reſpectu cognitionis, & affectus ratione. Iſto ſenſu rudes in pietatis doctrina & cognitione Euangelii carnales dicuntur oppoſitè ad Spirituales, qui omnia dijudicare norunt, 1. Cor. 2. verſ. 15. & qui perfecti dicuntur, 1. Cor. 2. 6. Et hoc ſenſu *infantes* in Chriſto, & qui *lactis potu* ſunt alendi *carnales* dicuntur. Affectus vero ratione carnales dicuntur, in quibus affectus humanus & carnalis dominatur & prævalet, qui alibi *in carne eſſe dicitur*, & *ſecundum carnem ambulare*, oppoſite ad *ſpirituales*, qui *Spiritu facta carnis mortificaverunt*, *& carnem cum concupiſcentijs crucifixerunt*. Hic vero videtur Apoſtolus Corinthiis aut eorum nonnullis id nomen tribuere cum duplici iſto reſpectu: nam dicit illos cognitionis reſpectu eſſe *infantes* in Chriſto, id eſt, rudes in pietatis doctrina, qui *lacte erant alendi* & *ſolidum cibum* ferre non poterant: affectus vero ratione, dicit illos eſſe *carnales*, *& ſecundum hominem incedere*, propter contentiones & diſſidia quæ inter illos vigebant, ex quibus patebat *carnem* in illis *Spiritui* prævalere. Cæterum quocunque ſenſu aut modo vox iſta hic uſurpetur, nihil prodeſt cauſæ illorum, qui Apoſtolum dicunt ſeipſum *carnalem* appellare, Rom. 7. 14. Nam ſi non eodem ſenſu hic ad Cor. 3. uſurpatur eadem vox, quo Rom. 7. v. 14. tunc inerudite & fruſtra ad hanc quæſtionem tractandam adfertur: Eſt enim æquivocatio erroris genitrix. Si eodem modo, tum firmiter mihi inde pro mea ſententia concludere licet, Apoſtolum *carnalem* dici non poſſe, Rom. 7. 14. quia Corinthios acriter eo nomine reprehendit, quod *illis ut ſpiritualibus loqui non potuerit*, utpote qui adhuc *carnales* eſſent; quod immerito facit, ſi & ipſe iſto nomine eadem ſignificatione ſumpto comprehendatur.

Obiect. ex 1. Cor. 3. v. 1 & 2.

Reſponſ.

Tertio, Idem homo, de quo Apoſtolus hic agit, dicitur eodem verſu 14. *venditus ſub peccato*, ſeu, quod idem eſt, mancipium & ſervus peccati venditione factus, qui titulus hominibus *ſub gratia* conſtitutis nullo ſenſu adoptari poteſt, Scriptura multis locis apertiſſime reclamante. Ioan. 8. 36. *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Rom 6. 7. *qui mortuus eſt juſtificatus eſt*, id eſt, liber factus *à peccato*. verſu 17. 18. *Gratia Deo quod fuiſtis quidem ſervi peccati, ſed liberati à peccato ſervi facti* ſeu mancipati *eſtis juſtitiæ*. Quod autem hæc duo ita opponantur, ut ſimul uni homi-

Venditus ſub peccatum.

homini convenire nequeant, claret ex eiuſdem capitis verſ. 20 *quum ſervi eſſetis peccati, liberi eratis juſtitia.* At homini ſub lege exiſtenti idem convenire apparet ex collatione loci, 2. Cor. 3 17. *ubi Spiritus Domini ibi libertas*; cum loco 5. capitis ad Galatas verſ. 18. *quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Ergo qui Spiritu ducuntur liberi ſunt. At illi tales non ſunt *ſub lege*: Ergo qui *ſub lege* ſunt, *liberi* non ſunt, ſed *ſervi* peccati. Sive enim quis invitus & neceſſitate peccati compulſus obediat peccato, ſive voluntariè; ſive quis facto primorum parentum mancipium peccati factus ſit, ſive inſuper *ſe vendiderit ad faciendum malum in oculis Iehova*, ut 1. Reg. 21. verſ. 20. de Achabo dicitur, vere & merito *peccati ſervus* nuncupatur. Nam *à quo quis devictus eſt huius ſervus eſt.* 2. Pet. 2. 19. *Et qui committit peccatum ſervus peccati eſt.* Ioh. 8. 34. Et, *an neſcitis quod cui vos ſiſtitis ſervos ad obediendum, eius ſervi eſtis cui obeditis, vel peccati ad mortem, vel obedientia ad juſtitiam?* Rom. 6. v. 16. Servitutis enim modus diverſus à ſervitute non eximit, ſed ſub ſervitute concludit. Si quis regerat, hunc hominem non dici ſimpliciter *ſervum peccati*, ſed cum reſtrictione, nempe *ſecundum carnem, non ſecundum mentem*, ut apparet ex verſu ultimo, qui eſt explicatio hujus: dico hunc ſimpliciter ſervum dici, ſed ex eorum genere qui inviti & reluctante conſcientia peccato ſerviunt: quo modo vero iſte ultimus verſus ſit intelligendus, videbimus ubi eo ventum fuerit.

Cæterum hunc verſum 14. de homine non regenito, neque *ſub gratia* conſtituto intelligendum eſſe, fatentur plerique noſtræ profeſſionis Theologi. Sic Calvinus in iſtum verſum: Nunc committere proprius inter ſe legem & hominis naturam incipit: & in verſum 15. ſequentem: Nunc deſcendit ad exemplum magis particulare hominis jam regenerati. Sic Beza adverſus Caſtellionem in refutatione argumenti primi ad 13. & 14. calummiam fol. 413. Paulus clamat ſe ne ad cogitandum quidem bonum ſufficere: & alibi ſeipſum extra gratiam conſiderans: Ego, inquit, ſum carnalis, venditus ſub peccatum.

Calvinus. *Beza.*

Verſu 15. continetur probatio eius quod 14. præcedente dictum eſt, nempe hominem iſtum de quo Apoſtolus agit eſſe *venditum ſub peccatum*, ſeu peccati mancipium.

Verſ. 15. Quod perpetrat non approbat, neque facit quod vult, ſed quod odit facit.

Sumptum enim eſt argumentum ab officio & proprio effectu ſervi emptitii, & illius qui ſui juris non eſt, ſed alienæ poteſtati ſubjectus. Eſt enim ſervi proprium non ſuam, ſed Domini ſui voluntatem exſequi; ſive id volens faciat ſive pleno conſenſu, ſive reclamante propriæ mentis judicio, & renitente voluntate. Quod non inſcite exprimit Auguſtinus lib. 1. retractat. cap. 13. Ille qui concupiſcente adverſus Spiritum carne non ea quæ vult facit, concupiſcit quidem nolens, & in eo non facit quod vult: ſed ſi vincitur, concupiſcentiæ conſentit volens, & in eo non facit niſi quod vult, liber, ſcilicet, juſtitiæ, ſervuſque peccati. Cui confirmiter Zanchius de Operibus Redempt. lib. 1. cap. 3. Certe Petrus ideo negavit Chriſtum quia voluit, quanquam non plena voluntate nec libenter id fecit. Sed probatio eſt accommodata ſtatui hominis de quo agit, nempe *ſub Lege* exiſtentis, qui ita eſt *peccati ſervus*, ut illi non

pleno conſenſu ſed reclamante conſcientia ſerviat. Verba enim Apoſtoli, hæc ſunt: *quod enim perpetro non agnoſco*, id eſt, non probo: quod latius explicat & probat his verbis ſequentibus: *Non enim quod volo, hoc ago, ſed quod odi hoc facio.* Vnde hic ſyllogiſmus conficitur.

» Qui non probat quod perpetrat, neque agit quod vult, ſed quod odit, facit; ille eſt mancipium alterius, ſcilicet, peccati: At homo de quo Apoſtolus agit, non probat quod perpetrat, neq; facit quod vult, ſed quod odit facit: Ergo homo de quo hic agitur, eſt mancipium alterius, ſcilicet, peccati: & propterea idem ille homo eſt irregenitus, & non conſtitutus ſub gratia.

De lucta in homine.

At dices hic deſcribi luctam in homine, de quo agitur, quæ eſſe nequit in homine non regenito. Reſp. Non hic luctam deſcribi inter hominem hunc & peccatum, ſed peccati dominium, & hominis ipſius ſub peccato ſervitutem à proprio ſervi emptitii effecto demonſtrari: quod quidem effectum ab hoc homine non producitur ſine reluctatione conſcientiæ & mentis reniſu ipſam actus productionem præcedente, ſed neque perpetratur niſi mente devicta & à peccati vi ſuperata. Deinde nego in homine *irregenito*, qualis qualis ille ſit, luctam nullam mentis ſive conſcientiæ cum affectibus & deſideriis carnis & peccati inveniri: quin aio & adfirmo in homine *ſub lege* exiſtente neceſſario luctam eſſe inter *mentem & conſcientiam juſta & honeſta* præſcribentem, & *affectum peccati* ad illicita & vetita impellentis. Duplex enim à Scriptura nobis lucta adverſus peccatum deſcribitur: una *carnis & mentis ſive conſcientiæ*; altera eiuſdem *carnis ſive peccati & Spiritus.* Illa obtinet in omnibus qui *æqui & iniqui, juſti & injuſti* cognitionem habent; *in quorum cordibus opus Legis ſcriptum eſt; quorum cogitationes ſe mutuo accuſant & excuſant*, ut eſt Rom. 2. *qui veritatem detinent in injuſtitia. Rom.* 1.18. *qui conſcientiæ* nondum *cauterium inuſſerunt; qui nondum dedoluerunt.* Epheſ. 4. 19. *Qui voluntatem Domini ſui norunt, & non faciunt*, Luc. 12. 49. Confirmatur hoc ipſum ab Auguſtino lib. Expoſit. quarudam propoſiti ex Epiſtola ad Rom. cap. 3. « Ante legem inquit (id eſt, in ſtatu ſeu gradu ante legem) non pugnamus, quia non ſolum concupiſcimus & peccamus, ſed etiam approbamus peccata. Sub lege pugnamus, ſed vincimur. Fatemur enim mala eſſe quæ facimus, & fatendo mala eſſe utique noluimus facere: Sed quia nondum eſt gratia, ſuperamur. In iſto gradu oſtenditur nobis, quomodo jacemus, & dum ſurgere volumus & cadimus, gravius affligimur, &c. » Quod etiam Petrus Martyr in caput 5. ad Romanos verſ. 8. fatetur, inquiens: « Non diffitemur eiuſmodi aliquam pugnam eſſe interdum in hominibus non regeneratis; non quod eorum mens non ſit carnalis & propenſa ad vitia, ſed quod in ea adhuc inſculptæ ſint leges naturæ, quodque aliqua in ea ſit illuſtratio Spiritus Dei, quamvis non ſit ea quæ eos juſtificare poſſit, aut ſalutarem mutationem inducere. » Alter inter *carnem & Spiritum* obtinet in ſolis *regenitis*. Vbi enim *Spiritus* non eſt & habitat, ibi non luctatur, (licet nonnulli *Spiritui ſancto obſiſtere*, dicuntur, & in *Sp. ſanctum peccare*, quod habet alium ſenſum.) Diſcrimen inter haſce duas luctas eſt planiſſi-

Petrus Martyr de Lucta in hominibus non renatis.

niſſimum ex eventus diverſitate; in illa enim *caro* vincit plærunque, hic vero *Spiritus* plærunque ſuperat, evaditque ſuperior: quemadmodum ex comparatione huius loci & v. 16. & 17. quinti capitis ad Galatas videre licet; quam comparationem poſtea præ manibus ſumemus. Quod autem in homine qui ita *ſub lege eſt*, ut Lex omni ſuo erga illum officio functa ſit, omneſque ſuas vires in illo exſeruerit, lucta ſit adverſus peccatum, ex ipſius legis propriis effectis certiſſime demonſtrari poteſt. Eſt enim Legis effectum hominem de juſtitia Dei convictum peccati convincere, ad obedientiam urgere, propriæ infirmitatis convincere, liberationis deſiderio incendere, ad liberationem quærendam compellere; iſta autem ſine *lucta* adverſus *peccatum inhabitans* confici non poſſe notiſſimum eſt. De huiuſmodi autem homine, & qui iſthoc pacto *ſub Lege* eſt, hic agi diximus. Si quis adhuc præfracte ſuſtinere velit omnes in univerſum irregenitos pleno conſenſu, abſque ullo reniſu perpetrare id quod peccatum & caro ſuadent, ille ne ægre ferat ſi probationem iſtius poſtulavero, quum id contra expreſſa Scripturæ teſtimonia adfirmetur, & multa exempla contrarium evincant: nempe Bileami contra conſcientiam Regi Moabitarum obſequentis, Saulis contra conſcientiam Davidem perſequentis; Phariſæorum Spiritus ſancto obſtinata malitia reſiſtentium, &c. Sed & ipſa peccatorum uſitatiſſima diſtinctio, qua diſtinguuntur in peccata *ignorantiæ, infirmitatis & malitiæ* iſthoc pacto tollitur, ſi omnes irregeniti abſq; ullo reniſu pleno conſenſu peccatum perpetrent. Velim hic etiam adverſariis in mentem venire, quibus gradibus Deus ſuos à vitæ pravitate ad ſe convertere ſit ſuetus: quod ſi diligenter conſiderabunt citra præjudicium, videbunt neceſſario luctam mentis & carnis per legem excitatam inter initia & præcedanea regenerationis ponendam.

Verſu 16. ducitur conſectarium ex præcedentibus ad legis excuſationem, his verbis; *Si vero quod nolo, id facio, conſentio legi quod bona ſit.* Vbi nihil dicitur quod homini *ſub lege* exiſtenti non optimè & citra ullam controverſiam conveniat. Niſi enim *homo ſub lege conſenſum præbeat Legi quod bona ſit*, ſub lege omnino non eſt: id enim eſt primum legis effectum in illis quos ſibi ſubjiciet, ut de ſui æquitate & juſtitia illos convincat, & quo facto neceſſario exiſtit conſenſus iſte. Quod enim conſenſus ille non ſit proprius *hominis regeniti*, neque *Spiritus regenerantis* proprium effectum apparet ex cap. 1. & 2. Epiſtolæ ad Romanos, itidemque ex 10. ubi Iudæis *zelus Dei citra legem tribuitur.* Si quis dicat hic agi de conſenſu, quo quis toti Legi Dei aſſentiatur, qui eſſe non poteſt in iis qui totam Legem non intelligunt; *irregenitorum* autem neminem totam Dei Legem intelligere: Reſpondeo primo, vere dici non poſſe quod *irregenitorum* nemo totam legem intelligit, reclamantibus hiſce locis: *Servus qui novit voluntatem Domini, & non facit: Si habeam Prophetiam & noverim myſteria omnia, omnemque notitiam, & ſi habeam omnem fidem, &c. Scientia inflat, charitas ædificat. Melius fuiſſet non cognoviſſe viam juſtitiæ, quam ea cognita regredi & deficere.* Secundò, Neque hoc uſquequaque vere dici,

Verſ. 16.
Conſenſus Legi, quod bona ſit.

toti legi neminem aſſentiri niſi totam intelligat. Aſſentitur enim toti legi qui novit illam eſſe à Deo, & bonam, etiamſi non omnia intelligat ſpeciatim quæ lege preſcripta & vetita ſunt. Et quis ille eſt *regenitorum* qui ſibi id aſſcribere audeat? Tertio, quod proprie huic propoſito ſervit, nego hic agi de conſenſu quo quis omnibus legis præceptis tanquam ſpeciatim intellectis aſſentitur: nam neque verba hoc præ ſe ferunt, neque ratio connexionis permittit. Ex eo enim quod *facit id quod non vult* concludit, *ſe conſentire legi quod bona ſit*; quod ex iſto facto concludi nequit, ſi de conſenſu, qui ex omnium legis præceptorum ſpeciali notitia & intelligentia exiſtit, hic agi dicatur. Factum enim quod hic ſe perpetrare dicit homo iſte, particulare eſt; itaque ſpeciali aliquo legis præcepto prohibitum; cuius præcepti notitia & approbatio cauſa eſt cur illud factum patret nolens qui id committit; unde ex iſto facto ita perpetrato, renitente ſcilicet & reclamante mente, tanquam ex conſequente concluditur, quod iſte qui ita illud facit, conſentiat legi quod bona ſit. At inſtabit aliquis, & dicet forte, hic non agi de conſenſu *generalis æſtimationis*, qui cadere poteſt & reipſa cadit in multos *irregenitorum*, ſed de conſenſu *particularis approbationis*, qui proprius eſt actus *Sp. regenerantis*: verum ille ſciat, quæ confidenter citra ullam probationem dicuntur, æquè libere rejici poſſe, citra rationis redditionem. At res ipſa evincit contrarium. *Conſentire enim quod res bona ſit*, non eſt particulariter factum lege præſcriptum approbare, quia iſte conſenſus *particularis approbationis* cum perpetratione facti quod particulariter improbatur, conſiſtere nequit: conſiſtit autem perpetratio facti improbati cum conſenſu de quo Apoſtolus agit.

Verſ. 17. Non tam ipſe amplius hoc malum perpetrat, ſed peccatum quod in ipſo habitat.

Verſ. 17. Alterum conſectarium ex præcedentibus deducitur, quo peccato omnem iſtius rei culpam transſcribit, non ut ſe excuſet, quod abſit (*Lex enim data eſt & inſcripta cordi*, ut *cogitationes ſeſe excuſent & accuſent*) ſed ut ſervilem ſuum ſtatum ſub peccati dominio commonſtret. Quare neque in iſto conſectario quid contineri poteſt quod homini *ſub lege* exiſtenti non conveniat; ſecus plus contineat conſectarium quam fuit in præmiſſis, quas commonſtratum eſt homini *ſub Lege* exiſtenti optime convenire. Sed videamus conſectarii verba: *Nunc itaque non amplius ego id perpetro, ſed peccatum quod in me habitat*, ſcilicet, id perpetrat. Ex quibus duo elici poſſe videntur argumenta probandæ ſententiæ, quæ de *homine regenito & ſub gratia* conſtituto hic agi adfirmat.

Ex hoc verſu duo argumenta pro contraria ſententia adducuntur & refutantur.

Primum argumentum.

Prius eſt huiuſmodi: *de irregenitis* dici nequit, quando peccant, quod non *ipſi id faciant, ſed peccatum quod in illis habitat*; convenientiſſime autèm hoc dicitur *de regenitis*: Ergo hic homo de quo hic agitur non eſt *irregenitus*, ſed *regenitus*.

Reſponſio.

Antecedens eſt examinandum, eo enim poſito aut negato, ponitur aut negatur conſequens. Primo conſtat ſimpliciter dici non poſſe de ullo homine qualiſcunque ille ſit, quod *non ipſe faciat peccatum quod committit*: Eſt enim contradictio in adjecto; & Apoſtolus dicit hominem illum *facere malum*: unde ſi hoc vere dici poſſit, neceſſe eſt ut ſecundum quid intelligatur, & certo reſpectu. Reſpectus autem

autem ille fundari debet aut in homine ipſo qui peccatum perpetrat, aut in ipſa peccati perpetratione. Si in homine ipſo fundatur reſpectus, ille ita generatim erit explicandus & enuntiandus; peccatum quod homo ille committit, facit qua eſt talis, & non facit qua eſt talis: Si reſpectus fundatur in peccati perpetratione & effectione, tum ille ſumendus ex varia cauſarum eiuſdem generis ad effectum relatione. Hic autem agitur de cauſa efficiente peccati, quæ duplex hic ponitur, *homo & peccatum inhabitans*, ſed ita ut non *homo*, verum *peccatum inhabitans* id efficere dicatur: quare effectus ille ſumendus ex diſtributione cauſæ efficientis, qua illa in primariam & præcipuam, & ſecundariam minuſque principalem diſtribuitur. Secundo, quod duplex ille reſpectus in hominem tantum cadat *regenitum & ſub gratia* conſtitutum, minime autem cadat in hominem, vel minime conveniat homini *ſub lege* conſtituto, nullo pacto dici poteſt ab eo qui veritatis ſyncero amore tenetur. Nam quemadmodum duplex eſt reſpectus in *regenitis*, propter regenerationis in hac vita imperfectionem, & *veteris hominis* reliquias, ſecundum quem reſpectum dici poteſt de homine *regenito* quod *qua regenitus* eſt hoc faciat, qua *non regenitus* idem non faciat, vel non perfecte faciat: ita & in homine *ſub lege* duplex eſt reſpectus propter legis adventum. Eſt enim *carnalis & ſervus peccati*, & eſt *ſub lege*, hoc eſt, *conſentit legi quod bona ſit*, qui conſenſus non eſt *ex carne*, au *ſecundum carnem*, id eſt, ex depravata natura. Quare de homine *ſub lege* dici poteſt *quod ille peccatum faciat*, non qua eſt *ſub lege*, neque qua *conſentit legi quod bona ſit*, ſed qua eſt *carnalis & ſervus peccati*. Tertio, alter ille reſpectus, ſecundum quem effectum, quod à duabus cauſis concurrentibus ſimpliciter profectum eſt, uni illarum adimitur & alteri tribuitur, hic potiſſimum locum habere videtur: ut illo Apoſtoli dicto, *Ego plus laboravi quam reliqui omnes: non tamen ego, ſed gratia Dei quæ mecum*. Notum autem eſt & valde uſitatum, ex cauſis concurrentibus principaliori & primariæ adſcribi effectum, eodem effecto ſecundariæ cauſæ adempto: præſertim ſi ſecundaria aliquo modo, aut præter naturam, aut contra voluntatem vi ſuperioris cauſæ ad efficientiam pertracta fuerit. Sic Legatus ſui Domini cauſam agens, non ipſe agere dicitur, ſed Dominus qui illius opera utitur. Sic multo magis, ſervus qui à tyrannico Domino premitur, ſi quid juſſus & impulſus à Domino faciat contra ſuam voluntatem, non ipſe id facere dicetur, ſed Dominus, qui ipſi dominatur. Et hunc ſenſum habere verba Apoſtoli planiſſimum eſt, oculis irretortis illa inſpicienti, ut apparet ex epitheto quod *peccato* mali iſtius patratori tribuitur, quo dominium peccati notatur; nempe *peccatum inhabitans in me id facit*. Quarto, Non mirum eſt non *ipſum id facere ſed peccatum*: nam ipſe *mortuus eſt legis adventu, & peccatum revixit*. Quod ergo vivit cauſa eſt actionum, non quod mortuum eſt. Apparet igitur Antecedentis iſtius priorem partem falſam eſſe, & propterea alteram non reciprocam: quare concluſio inde bona conſequentia deduci nequit; quæ conſequens concludit de *regenito* homine cum *irregeniti* excluſione.

 Alte-

Alterum argumentum. Alterum argumentum deſumitur ex adverbiis temporis hic uſurpatis, *nunc, &, non amplius*: unde ita concluditur pro eadem ſententia. Adverbia illa reſpectum habent ad tempus antecedens; tempus a. antecedens eſt tempus quo nondum erat *regenitus*, q. d. olim quum nondum *regenitus* eſſem *ego peccatum perpetrabam, nunc vero non amplius id facio, regenitus* quippè: itaque apparet hoc tempus præſens quod per Adverbium (nunc) ſignificatur, de *regenerationis ſtatu* eſſe intelligendum; quandoquidem de *homine irregenito* dici nequit, quod quum olim ipſe fecerit *peccatum, jam non amplius id perpetret.*

Reſponſio. Reſp. Adverbia iſta reſpectum notare ad tempus antecedens, veriſſimum eſſe concedo, & quidem commode locum ita explicari: *olim quidem ego malum illud patrabam, at jam non amplius ego id perpetro*; Sed nego tempus antecedens integrum ſtatum ante *regenerationem* complecti. Status enim *irregenerationis* ſeu ante regenerationem in duplicem alium ſtatum auctore Apoſtolo diſtinguitur: *ante legem* vel *ſine lege*, & *ſub lege*, ut eſt verſu 9. eiuſdem 7. capitis: & tempus antecedens, cuius reſpectu dicitur, *nunc & non amplius*, ſtatum *ſine lege* comprehendit hoc vero tempus præſens ſtatum *ſub lege*: q. d. olim cum eſſem *ſine lege, ego peccatum perpetrabam*, *nunc* vero quum *ſub lege* ſim, non *amplius ego id perpetro, ſed peccatum quod in me habitat*, convenienter verſui nono: *Ego ſine lege vivus eram quondam, mandati autem adventu peccatum revixit; ego vero mortuus ſum.* Quum enim *ſine lege* viveret, malum faciebat ſine ullo reniſu mentis aut voluntatis. Itaque tum *ipſe faciebat malum*: jam vero *ſub lege* conſtitutus patrat quidem *peccatum*, ſed *contra conſcientiam* & renitente voluntate. Quare non tam ipſi quam peccati violento impulſui peccati cauſa & culpa eſt transſcribenda. Vidimus huc uſq; nihil eſſe in iſto verſu quod adverſariam ſententiam fulcire poſſit: videamus porro an non hinc elici poſſit argumentum pro veritate ſtabilienda alterius ſententiæ, quæ de homine *irregenito & ſub lege* conſtituto intelligendum eſſe pronuntiat. *Argumentum ex hoc verſu pro ſententia vera.*

Dicit Apoſtolus in hoc homine peccatum habitare: at in regenitis peccatum non habitat: ergo hic non agitur de regenitis ſeu ſub gratia conſtitutis, ſed irregenitis & ſub lege exiſtentibus. Vna præmiſſarum eſt in textu. Altera nobis commonſtranda eſt. Scio quidem iſtam miram videri aſſuetis diſtinctioni peccati, qua aliud *dominans* aliud *inhabitans* dicitur, & qui illud *irregenitorum* hoc *regenitorum* proprium eſſe arbitrantur. Verum, ſi quis poſtulet iſtius diſtinctionis probationem, aqua illis hærebit. Sed annon peccatum aliud eſt *dominans* ſive *regnans*, aliud *inexiſtens* & *non regnans*, & illud proprium *irregenitorum*, hoc *regenitorum*? Quis neget, Scriptura affirmante reliquias peccati & veteris hominis in nobis, dum in hac mortali vita ſumus & erimus ſupereſſe? At quis in Scriptura verſatus *peccatum dominans* ab *inhabitante* diſtinguet, & *inhabitans* cum *inexiſtente* idem exiſtimabit? Peccatum ſane *inhabitans* eſt dominans, & *dominans* eſt *inhabitans, & peccatum* propterea in *regenitis non habitat*, quia in illis *non dominatur*. Prius probo ex ipſa vocis *inhabitandi ſeu habitandi* tum ſignificatione tum uſu Scripturis familiari. De ſignificatione vocis ita Zanchius lib. 2. de attributis Dei cap. 6. *De verbo habitandi vel inhabitandi ſecundum ſignificationem vocis & uſum Scripturæ.*

cap. 6. quæſt. 3. Deus non dicitur habitare in impiis, ſed in piis. Quid enim eſt habitare alicubi? Eſt ibi non ſimpliciter eſſe, ut fit in hoſpitiis & profectionibus, ſed tanquam in ſuo domicilio pro arbitrio regnare & dominari. Idem Zanchius in 17. verſ. cap. 3. ad Epheſios: Habitandi verbum in hac propoſitione, Chriſtus habitat in cordibus noſtris, metaphoricôs poſitum eſſe, dubium non eſt, ſumpta metaphora ab iis qui non ut inquilini & peregrini in hoſpitio alieno morantur ad tempus; ſed à patribus familias qui in ſuis propriis ædibus libere vivunt, operantur, familiam regunt, & dominantur. Bucerus in hunc locum quem tractamus: hunc exitioſam vim dicit in ſe habitare, hoc eſt, ſe penitus occupare, & dominari, ut ſolent qui ſunt domi ſuæ in ſede & domicilio proprio. Apoſtolus & omnis Scripturæ hac metaphora inhabitationis ſæpe utitur, & certam fere ad ſolidam præſentiam eius, quod inhabitare dicitur, per eam ſignificat plærunque, & dominium. Et paulo poſt: ad hunc modum inhabitare peccatum eſt illud

Muſculus. penitus & potentius nobis inſidere, noſtrique dominari. Martyr in 9. verſ. capitis 8. ad Romanos. Metaphora habitationis ex eo ſumitur, quod qui habitant domum non tantum eam occupant, ſed etiam in ea

Martyr. imperant & pro arbitrio ſuo moderantur. Muſculus in hunc locum. Et ut tyrannidem iſtam & violentiam peccati evidenter exprimat, non dicit, exiſtens in me peccatum, ſed inhabitans in me peccatum. Nam oſtendit verbo inhabitandi, plenum in ſe peccati obtinere dominium: peccatum quaſi ſedem ſuam in ſe fixiſſe. Malum nuſquam potentius regnat, quam ubi ſedem fixit, id quod videre eſt in tyrannis. Ita e contrario modo dicitur Deus habitaſſe in medio Iſrael, eo quod in nullo alio populo bonitatem ſuam tanta evidentia declaravit atque in iſto, juxta illud. non taliter fecit omni nationi. Hoc ſenſu ſæpenumero verbum habitandi in Scripturis uſurpatur. Quum itaque vellet Apoſtolus declarare peccati in ſe vim & tyrannidem, dixit illud in ſe habitare, velut in proprio domicilio, atque ita plenè regnare. Calv. Inſtit. lib. 4. cap. 16. Sect. 11. dicit nos in Chriſto circumciſos, circumciſione non manu facta, depoſito corpore peccati quod in carne noſtra habitabat, quam circumciſionem Chriſti vocat. De Scripturæ uſu quod dixi cum *Bucero*, patet & hiſce locis. Ioh. 14. v. 23. *Pater & ego ad illum veniemus, & manſionem apud illum faciemus* Rom. 8. 11. *Si Spiritus eius qui excitavit Ieſum à mortuis habitat in vobis, &c.* 2. Cor. 6. 16. *Habitabo in eis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Epheſ. 3. 17. *ut inhabitet Chriſtus, &c.* 2. Tim. 1. 5. *Revocans in memoriam meam non ſimulatam fidem, qua habitavit prius in avià tua Loide, & matre tua Eunica,* 2. Tim. 1. 14. *Præclarum depoſitum ſerva per Spiritum ſanctum qui inhabitat in nobis.* Iac. 4. 5. *At invidiam fertur Spiritus qui habitat in vobis.* 2. Pet. 3. 13. *Sed cælos novos & terram novam expectamus ſecundum promiſſum, in quibus juſtitia inhabitat.* Apoc. 2. 13. *Antipas martyr ille meus fidelis trucidatus eſt apud vos, ubi Satanas habitat.* Ex hoc uſu *ſancti* dicuntur *habitaculum Dei in Spiritu.* Epheſ. 2. 22. Conſtat ergo ex ſignificatione & uſu vocis. S. Scripturis uſitato

uſitato *inhabitans peccatum* idem eſſe quod *dominans*. Iam vero & alterum illud facile eſt demonſtrare, nempe, *peccatum in regenitis non habitare:* nam *Sp. Sanctus in illis habitat*, ut & *Chriſtus per fidem in cordibus ipſorum*, dicunturque *habitaculum Dei in Spiritu*. Ergo *non habitat* in illis *peccatum*: quia nemo poteſt ab utroque ſimul *inhabitari*, & *fortem armatum Chriſtus* ubi vicit *conſtringit & ejicit*, atque ſic *domum illius occupat, & inhabitat*. Qui *mortui ſunt peccato, & in quibus Chriſtus vivit* in illis peccatum non habitat. At *regeniti* non vivunt ſed *mortui ſunt peccato*. Rom. 6. & in iiſdem *habitat Chriſtus & vivit* Gal. 2. 20. Ergo in *regenitis peccatum non habitat*. Poterit autem collatio iſtorum duorum locorum. *Non ego id perpetro, ſed peccatum quod in me habitat*; *&, vivo autem non amplius ego, ſed Chriſtus in me vivit*; demonſtrare pleniſſime Apoſtolum hic de ſe non egiſſe, ſed perſonam hominis qui peccato vivit, & in quo peccatum vivit & habitat & operatur in ſe ſuſcepiſſe. Neque tamen hinc ſequitur peccatum in regenitis non eſſe; nam *eſſe* alicubi, & ibidem *habitare, dominari, regnare*, ut commonſtratum eſt, ſunt diverſa.

Verſ. 18. & 19. Bonum in iſto homine id eſt, in carne ipſius non habitat, &c.

Conſideretur jam verſus 18. quo eandem cauſæ redditionem eiuſque probationem perſequitur Apoſtolus. Cauſæ redditio eſt: *Novi enim non habitare in me*, id eſt, *in carne mea*, *bonum*; quibus verbis idem ſignificatur, quod illis: *Ego carnalis ſum*. Ille enim eſt *carnalis* in quo *bonum non habitat*. Probatio continetur hiſce verbis: *Nam velle adeſt mihi, ſed bonum perficere non invenio*. Ex cauſæ iſta redditione ita pro ſtabilienda ſua ſententia argumentantur nonnulli: In hoc homine de quo agit Apoſtolus, eſt *caro* & aliud quiddam à *carne* ſive diſtinctum, ſive diverſum: ſecus Apoſtolus ſe non corrigeret, dicens, *in me*, id eſt, *in carne mea*: At in *irregenitis* nihil aliud eſt quam *caro*: ergo hic homo, de quo agit Apoſtolus eſt *regenitus*.

Argumentum pro contraria ſententia propoſitum ex verſ. 18. Reſponſ.

Concedo in hoc homine eſſe aliud quiddam a *carne* diverſum ſeu diſtinctum, hoc enim habet correctio Apoſtolica; at nego in *irregenitis*, nihil eſſe præter carnem, irregenitis inquam, illis qui *ſub lege ſunt*, de quibus hic nobis eſt controverſia. Rationem adfero juſtæ negationis: quia in hominibus *ſub lege* exiſtentibus eſt *mens* quæ *veritatem* aliquam *de Deo*, & τὸ τοῦ θεοῦ γνωστὸν novit. Rom. 1. quæ *juſti & injuſti notitiam habet*. Rom. 2. *Cuius cogitationes ſeſe accuſant & excuſant*, ibidem: quæ *novit concupiſcentiam eſſe malam*. Rom. 7. quæ dicit, *non furandum, non adulterandum*. Rom. 2. &c. *Irregenitis* etiam nonnullis tribuitur *quædam illuſtratio Sp. ſancti* Heb. 6. v. 4. *Agnitio Domini & Servatoris Ieſu Chriſti*. 2. Pet. 2. 20. *Via juſtitiæ cognitio*, ibidem verſu 21. *voluntatis Domini notitia*, Luc. 12. 47. *donum Prophetiæ*. &c. Iſta talia qui *carnis* nomine inſignire audet inſiguem Deo & ipſius Spiritui injuriam facit. Et ſane quomodo illud quod *peccatum accuſat*, *homines peccati convincit*, *ad liberationem quærendam compellit*, *carnis* nomine comprehendi poteſt? Eſt ergo in hominibus *ſub lege* exiſtentibus *caro* & aliquid præter *carnem*, nempe *mens* cognitione legis imbuta, eique *conſentiens quod bona ſit*, & in nonnullis *irregenitis* præter *carnem mens* cognitione Euangelii colluſtrata: illud autem aliud à *carne*, hoc ipſo capite non *Spiritus*

ab A-

ab Apoſtolo, ſed *mens* appellatur.
» Muſcul. in hunc locum. Vide quam
» iterum caute utatur verbo habitandi:
» non dicit, novi quod non ſit quic-
» quam in me boni. Nam unde alio-
» qui approbaret bona & deteſtaretur
» mala, conſentiens legi Dei, quod ſit
« ſancta, juſta, & bona, ſi nihil in ſe
» boni haberet? ſed novi quod non
» habitet in me bonum, id eſt, non
» regnet in me, non potiatur imperio,
» cum illud ad ſe rapuerit peccatum,
» ſitque voluntas quod bonum eſt ex-
» petens, non libera, ſed infirma &
» coacta ſuſtinens potentiam tyranni.

Inſtantia. At dicet aliquis, non tantum quid à *carne* diverſũ huic homini tribuitur, ſed & illi ipſi quod diverſũ eſt a *carne inhabitatio boni* attribuitur, ſecus n. correctione iſta opus nõ fuiſſet. At in homine *irregenito* ſeu *ſub lege* exiſtẽte, nihil *eſt cui bonum in habitat*. Ergo, &c.

Reſponſio. Vt illud concedam: nego hoc, nihil ſcilicet eſſe in homine *ſub lege*, cui *bonum inhabitet*. Nam in mente iſtius hominis habitat bonum, nempe veritas aliqua & cognitio legis. Inhabitionis ſigna ſunt opera quæ illa cognitio & veritas in mente produnt, utpote, conſcientia hominem peccati non accuſans modo, ſed & convincens, ſententiæ condemnationis adverſus ipſum hominem pronuntiatio, legum bonarum latio, publicæ diſciplinæ cuſtodia, ſcelerum punitio, bonorum defenſio, de juſtitia per legem legiſque opera adipiſcenda deſperatio, ad liberationem deſiderandam, liberationemq; quærendam compulſio. Hæc ſane opera ſigna ſunt certiſſima legis in mẽte talis hominis habitantis & dominantis. Precor hic ne quis hæreſeos cõdemnet quod hactenus vel non audivit, vel non ſatis conſideravit. Non enim dico, in homine ſub lege ſive irregenitorum ullo bonum habitare & dominari; Nam non eſt idem in mente, & in homine ſimpliciter dominari. Si enim cognitio iſta ſimpliciter in homine habitaret & dominaretur, jã quoq; idem ille homo conſentaneè iſti ſuę cognitioni viveret, carnis reſiſtẽtia repulſa ab eo quod in homine ſimpliciter primas & potiſſimas partes obtineret. Et ſiquis exacte hanc cauſæ redditionem conſideret, & ſcopo Apoſtoli accommodet, intelligit iſtam correctionem & neceſſariam fuiſſe, & horſum allatam, ut, non obſtante boni alicuius in mente hominis ſub lege exiſtentis inhabitatione, cauſa propria & adæquata redderetur, cur in iſto tali homine peccatorum affectus vigeant, & omnem concupiſcentiam operentur: quæ hæc eſt, quod in carne iſtius hominis bonum non habitat, in qua ſi habitaret bonum, jam non ſciret modo & vellet bonum, ſed & ipſo opere adimpleret, affectibus à bono inhabitante domitis & ſubactis, legique divinæ ſubjectis. Vnde appoſite Thomas in hunc ipſum locum: Et per hoc manifeſtatur quod «
bonum gratiæ non habitat in carne, «
quia ſi in carne habitaret, ſicut fa- «
cultatem volendi bonum per gra- «
tiam habitantem in mente habeo, ita haberem facultatem perficiendi per gratiam habitantem in carne.

At inquiet aliquis, totus homo *irregenitus* in Scriptura *caro* appellatur. *Inſtantia.* Geneſ. 6. 3. *eo quod & ipſi caro ſunt.* Ioh. 3. *Quod natum eſt ex carne caro eſt.*

Reſponſio. Reſpondeo primo: Hunc loquendi modum eſſe metonymicum, & *carnem* dici pro *carnali*, conſuetudine Hebræis peculiari, qui abſtracta pro concretis uſurpant, quod *Beza* in lo-

Muſcul. in locum cap. de lege nat., titulo de lege naturæ, & titulo de vi & efficacia legis.

in locum Ioh. 3. v. 6. aperte indicat, dicens: Caro pro carnali ponitur, ut apud Hebræos ſæpe appellativa pro adjectivis uſurpantur, atque adeo apud Græcos & Latinos, ut *κάθαρμα*, ſcelus. Secundo dico, etiamſi vox caro in abſtracto urgeatur; totum hominem carnem dici poſſe, at non totum hominis. *Mens* enim *condemnans peccatum* & juſtificans Legem, non eſt *caro*. At illa eadem *mens carnalis* dici poteſt aliquo modo, propterea quod ſit in homine *carnali*, & quod *caro* adverſus illam *pugnans* totum hominem *captivum reddat legi peccati*, atque hac ratione *prædominetur* in illo homine. Poteſt vero hinc argumentum extrui pro confirmanda vera ſententia, hoc pacto: In *carne* hominis *regeniti habitat bonum*: ergo homo de quo Apoſtolus agit non eſt *regenitus*. Probo propoſitionem a proprio effecto Sp. inhabitantis. Sp. S. enim *carnem crucifigit cum concupiſcentiis ipſius*, *carnem carniſque actiones mortificat*, *carnem ſibi ſubigit*, *corpus carnis peccati enervat*: & iſta omnia per *inhabitationem* ſuam: Ergo in *carne* hominis *regeniti habitat bonum*. Aſſumptio eſt ipſo textu. Ergo concluſio inde ſequitur.

Argumentum ex iisdem verbis pro vera ſententia.

Videamus jam probationem iſtius, quod *in carne iſtius hominis bonum non habitet*. Illa continetur his verbis: *Nam velle mihi adeſt, ſed ut quod bonum eſt perficiam, non invenio*. Ex collatione quæſtionis probandæ & argumenti ad probandum allati apparet, hiſce verbis argumentum contineri; *Non enim invenio bonum perficere*, ſeu, *non adſequor ut bonum perficiam*. quæ probatio ſumpta eſt ex effecto: ut enim ex *inhabitatione boni in carne* ſequeretur *perficere bonum*; ita ex non *inhabitatione boni in carne* exiſtit *patrationis boni impoſſibilitas*. Iſta vero verba, *velle quidem mihi adeſt*, adhibentur per collationem diverſorum, quod hic fuit neceſſarium; quia probatio fuit accommodanda homini de quo agitur. Ita autem accommodatur: *velle quidem adeſt homini ſub lege* exiſtenti, at idem homo, propterea quod *carnalis eſt*, *bonum perficere non invenit*. Vnde apparet illum *carnalem* eſſe, inque eius *carne bonum non habitare*; quod ſi *habitaret in carne ipſius*, tum *carnis* vires & cupiditates inhiberet, ne boni voliti perpetrationem impedire poſſet. At proponatur tota probatio hoc ſyllogiſmo.

Altera pars verſ. 18. Velle adeſt iſti homini, at perficere bonum non invenit.

Qui velle quidem habet, at bonum perficere non invenit, in illius carne non habitat bonum.

At homo, de quo Apoſtolus agit, velle quidem habet, at bonum perficere non invenit.

Ergo in hominis iſtius carne non habitat bonum.

Quod iſte ſit ſyllogiſmus Apoſtoli, negare non poteſt qui Logicam vel a limine ſalutavit, & perpendit accurate verſum iſtum. Poſſim autem ex iſta propoſitione concludere propoſitionem ſyllogiſmi paulo ante a me ad ſententiæ meæ ſtabilimentum allati, nempe *in carne hominis regeniti habitare bonum*, hoc argumento, quia *homo regenitus invenit perficere bonum*. Contraria enim contrariorum eſt conſequentia. Quod ut planius patere poſſit, age videamus propoſitionem iſtam cum aliis inde per inverſionem deductis. Propoſitio eſt: *Nemo bonum perficere impotens habet in carne ſua bonum inhabitans*, Ergo per inverſionem: *Nemo habens in carne ſua bonum inhabitans, bonum*

bonum perficere eſt impotens : cui æquipollet.

Omnis habens in carne ſua bonum inhabitans eſt potens perficere bonum ; *& quidem potens propterea quod habet bonum inhabitans.* Ergo per inverſionem ſimplicem in materia neceſſaria & reciproca:

Omnis potens perficere bonum , *habet in carne ſua bonum inhabitans.* hæc eſt major. Hinc ſubſumo.

At regenitus poteſt perficere bonum. Phil. 2.

Ergo regenitus habet in carne ſua bonum inhabitans: quæ fuit Maior ſyllogiſmi mei paulo ante adducti.

Argumentum pro contraria ſententia ex hac ſecunda parte verſ.18.

Sed contrariæ ſententiæ adſertores videntur ſibi ex hac probatione argumentum deducere poſſe ad ſententiæ ſuæ confirmationem, quod eſt tale:

Cui adeſt velle bonum, ille eſt regenitus.

At huic homini adeſt velle bonum.

Ergo hic homo eſt regenitus.

Reſponſio.

Antequam ad ſingulas ſyllogiſmi iſtius partes reſpondeam, tollenda nobis eſt amphibolia iſtius phraſeos, *velle bonum*, ſive homonymia in voce *velle*. Certum enim eſt, duplex eſſe iſtius *volitionis* genus, quando quidem de uno eodemque homine hic dicitur, quod circa unum idemque objectum *bonum & volendo* verſatur & *nolendo*; *volendo*, qua *vult* illud; qua non *facit nolendo: ideo* enim *non facit* quia *non vult*, licet *voluntate* tanquam ſerva peccati compulſa ad *nolendum*. Rurſus circa unum idemque objectum *malum* verſatur *nolendo & volendo: Nolendo* qua illud *non vult & odit*, *volendo* qua idem facit; Non enim *faceret* niſi *vellet*, licet voluntate impulſa ab *inhabitante peccato* ad *volendum* Quod Auguſtinus lib. Retract. 1. cap. 13. teſtatur

Auguſtinus.

verbis ſupra expreſſis.

Bucerus.

Bucerus in hunc locum fol. 368. „Hinc factum eſt, ut fecerit (David) „& quod volebat, & quod nolebat: „quod nolebat, non tum quidem „quando id faciebat, ſed quum adhuc „ſtaret conſideratio Legis divinæ, „quumque ea reſtituta fuit; quod vo„lebat quum jam actu concluderet & „ſtatueret de objecta muliere. Ita Petrus, &c.

Zanchius.

Zanchius de operibus redemptionis lib. 1. cap. 3. fol. 25. *Certe Petrus ideo negavit Chriſtum quia voluit, quanquam non plena voluntate, nec libenter id fecit.*

Quare quum fieri nequeat ut unicum ſit *volitionis & nolitionis* genus, ſive unus *volendi & nolendi* modus, quo *vult bonum*, & idem *bonum non vult*, quo *non vult malum*, & idem *malum vult*; neceſſe eſt hanc phraſin *velle bonum* & *nolle malum* duplicem ſenſum habere: quem explicare conabimur. *Volitio* igitur & *nolitio* omnis, quia ſequitur judicium hominis de re objecta, pro judicii diverſitate etiam eſt diverſa. Iudicium autem ratione cauſæ ſuæ eſt duplex. Aut enim proficiſcitur ex *mente* & ratione *approbante legem quod bona ſit*, *& bonum* exiſtimante quod lex præſcribit, *malum* contra quod vetat: aut proficiſcitur ex *ſenſu & affectu*, & cognitione, ut loquuntur, ſenſuali, ſeu hauſta à ſenſibus, approbante quod utile, amœnum, & delectabile eſt, licet vetitum, improbante quod noxium, inutile, & inamœnum eſt, licet præſcriptum. Illud judicium dicitur *generalis æſtimationis*, hoc *particularis approbationis ſeu operationis.* Hinc *volitio* alia eſt ex judicio *æſtimationis generalis*, alia ex judicio *particularis approbationis*,

 atque

atque ita *nolitio*. Vnde *voluntas* ſequens judicium *generalis æſtimationis vult* quod lex præſcribit, *non vult* quod lex vetat: at eadem *voluntas* ſecuta judicium *particularis approbationis* vult *malum* delectabile ſive utile quod lex vetat, & non vult *bonum* moleſtum & noxium quod lex præſcribit. Quæ diſtinctio conſiderata reſpectu objecti unius eiuſdemque varie conſiderati, magis illuſtrabitur. Objectum enim quod *voluntati* objicitur aut ſub forma generali, aut ſub particulari forma conſideratur. Sic *adulterium* conſideratur in genere aut in particulari. In genere conſideratum condemnatur à ratione ut malum & lege vetitum, in particulari approbatur cognitione a ſenſibus hauſta ut delectabile & bonnm. Sic Bucerus in hunc locum de eadem re agens fol. 366. Duplex autem eſt in homine *voluntas*, altera qua *conſentit Legi*, altera, *qua facit quod deteſtatur*. Altera ſequitur cognitionem Legis, qua *cognoſcitur bona eſſe*: altera cognitionem hauſtam a ſenſibns, quæque eſt de rebus præſentibus.

Bucerus.

Aliter etiam hæc *volitio* & *nolitio* diſtingui poſſunt. Eſt *volitio nolitio* ſequens ultimum judicium de objecto factum; eſt alia non ultimum, ſed antecedens judicium ſequens. Reſpectu illius erit *volitio circa bonum* huius reſpectu *volitio* circa *malum* illi oppoſitum, & contra: atque ita de *nolitione*. Et reſpectu illius erit *volitio*, huius reſpectu erit *nolitio* circa idem objectum, & contra. Sed *volitio* & *nolitio* ſequentes non ultimum judicium, non tam *volitio & nolitio* ſimpliciter & abſolute dici poſſunt, quam *velleitas & nolleitas*: ſequentes vero ultimum judicium ſimpliciter & abſolute dicuntur *volitio & nolitio* efficax, quam effectus ſequitur. Thomas illam dicit *non plenam* hanc *completam voluntatem*, in hunc ipſum locum ſeptimi capitis ad Romanos. Conſideretur vero hic eadem diſtinctio ut eſt de Deo uſurpata. Dicitur enim Deus aliquid *velle approbative* tanquam *bonum in ſe*, aliquid vero *velle efficaciter*, tanquam ſimpliciter ad gloriam ipſius faciens. Iam videndum de quo *velle & nolle* Apoſtolus agat. Non de *volitione* & *nolitione particularis approbationis*, ſed *generalis æſtimationis*. non de *volitione* & *nolitione* verſantibus circa objectum *particulariter*, ſed *generaliter* conſideratum: non de *volitione & nolitione*, *ultimum* ſed *antecedens* judicium ſequente; non de *volitione ſimplici*, *abſoluta* & *completa*, ſed de *incompleta*, & quæ *velleitas* potius dici mereatur. Nam *bonum* quod *vult non facit*, *& malum quod non vult facit*. Si *vellet bonum* à lege præſcriptum voluntate *approbationis particularis*, ſequente *ultimum judicium*, jam etiam *bonum* hoc ita *volitum faceret*: Si eodem modo *nollet malum* a lege vetitum, jam *ab eo abſtineret*, quod erudite & prolixe a Bucero in hunc locum explicatur. Nunc venio ſpeciatim ad ſingulas partes ſyllogiſmi, in quo major Propoſitio mihi duplici nomine reprehendenda videtur; tum quia *velle bonum* de quo hic agitur nõ eſt proprium *regenitorum*, convenit enim *etiam non regenitis*; (puta *ſub lege* exiſtentibus, & omnia in ipſis habentibus, quæ Deus per legem efficere ſolet), tum quia etiam illo altero ſenſu uſurpatum non continet plenam hominis *regenerati* definitionem. Non enim tantum *vult* id quod *bonum* eſt homo *regeneratus*, ſed etiam facit.

Deus

Deus enim in illis *efficit velle & perficere.* Phil. 2. *& Deus præparavit bona opera ut in iis ambularent regeniti*, ſeu, *condidit eos ad bona opera.* Sunt *nova creaturæ*; *donati ſunt fide quæ eſt efficax per charitatem*: & tribuitur illis *obſervatio mandatorum Dei*: *faciunt voluntatem Domini*, *obediunt* ex animo *iſti formæ doctrinæ in quam ſunt traditi*, &c. Vnde apparet addendam fuiſſe propoſitioni particulam, *tantum*, quæ addita illius falſitatem & inſufficientiam prima fronte prodit, hoc pacto: *cui ſolum velle bonum adeſt*, *is eſt regenitus.* Ad *aſſumptionem* reſpondeo quod mutile proponitur. Non enim hæc eſt integra Apoſtoli ſententia: *Velle adeſt mihi*: ſed pars una ſententiæ ab altera, ſine qua non conſtat, ſeparata. Eſt enim *axioma* hoc *unicum, diſcretum* nempe, *velle adeſt mihi, ſed quod bonum eſt perficere, non invenio.* Ex Scriptura autem mutile propoſita nihil ſolide concludi poteſt. Addo quod poſterior illa pars omiſſa in dubio relinquit, de cuiuſmodi *volitione* & *nolitione* hic agatur; addita vero plane ſignificet agi de *volitione inefficaci & generalis æſtimationis*: at illa, ut ante dictum, non eſt propria *regenitorum.* Poteſt autem *aſſumptio* ſimpliciter negari, ut non extructa ex contextu Apoſtoli. Apoſtolus enim homini, de quo agit, non attribuit *velle bonum*, *& nolle malum*, ſed *facere malum*, *& non facere bonum*, quibus attributis deſcriptionis inſtar additur, *quod nolo*, & *quod volo*: quæ deſcriptio addita eſt accommodate ſtatui hominis de quo agit Apoſtolus, & ſic poſtulante ratione apodicticæ tractationis: ſtatutū enim Apoſtolo propriam & reciprocam cauſam adſerre cur *ille homo*, de quo agit, *bonum perficere non inveniat*, & propterea omnes aliæ cauſæ fuerunt ſemovendæ, inter quas etiam erat *nolitio boni* & *volitio mali*, item *ignorantia boni & mali, &c.* Sic in altero illo diſcreto axiomate, *velle adeſt mihi*, *ſed bonum perficere non invenio*, præcipuum quod homini, de quo agit Apoſtolus, attribuitur, ſeu quod de illo prædicatur, eſt, *non invenire ut perficiat bonum*, ad cuius illuſtrationē adfertur illud diverſum, *velle* quidem *mihi adeſt*, quod diligenter conſiderandum eſt rectum intellectum hujus loci difficillimi inquirenti.

Ex hiſce vero patet contrarium ex duobus iſtis verſibus cōcludi poſſe hoc pacto:

Cui velle quidem adeſt, at non perficere, quique non facit bonum quod vult, malum vero, quod non vult, facit, ille non eſt regenitus. Ex deſcriptione regenerationis & partium eius. *Argumentum ex v. 18. & 19. pro vera ſententia*

At homini iſti adeſt velle, at non perficere, & idem ille non facit bonum quod vult, ſed facit malum quod non vult.

Ergo ille homo de quo Apoſtolus agit non eſt regenitus.

Aſſumptio eſt in textu Apoſtoli. Propoſitio itaque ſola probanda. *Regeneratio* non tantum *mentem illuminat*, *voluntatem conformat*, ſed & *affectus cohibet & ordinat*, *& membra externa*, & interna in obſequium legis divinæ *dirigit.* Matth. 7. 21. non qui voluerit ſed *qui fecerit voluntatem Patris ingreditur in regnum calorum*: Ibidem *prudens* dicitur non qui *voluerit*, ſed *qui fecerit ſermones Chriſti.* Vide quæ ante dicta in negatione *propoſitionis* ſyllogiſmi ad contrariam ſententiam ſtabiliendam allati. Et, *qui voluntatem carnis faciunt in deſideriis ipſius*, *non ſunt regeniti.* *At hic homo facit voluntatem carnis. Ergo*, &c. Conveniunt autem illa quam *Probatio Maioris propoſitionis quæ ſola in dubium vocari poteſt.*

optime homini *ſub lege* exiſtenti, *velle* nempe *bonum & nolle malum*, ut *conſentienti legi quod bona ſit*, *non facere* autem *bonum & facere malum*, ut *carnali & mancipio peccati*. At regerat

Obiectio. forte quiſpiam, non ſimpliciter *facere bonum* huic homini *adimitur*, ſed *perficere*, id eſt, perfecte facere, idque Auguſtino adſtipulante, qui illud verbum ita explicat.

Reſponſ. Reſp. ut nihil jam dicam quomodo horum ſententia cum Auguſtiniana conveniat, quod poſtea videbimus, merum hoc eſſe effugium. Vox enim Græca κατεργάζομαι non ſignificat *perfecte facere*, ſed ſimpliciter *facere*, *patrare*, confectum reddere; ut patet ex verbo ποιῶ quod ſequitur, & ex ipſa hac voce verſ. 15. uſurpata, ubi ex ipſorum opinione non poteſt vox illa ſignificare *perfecte facere*, nam *regeniti* de quibus hunc locum intelligunt, malum *perfecte* non *faciunt*. Inſpiciantur loci Scripturæ quibus hæc vox uſurpatur, & verus ſenſus illius facile ex uſu Scripturæ intelligetur. Addo quod iſto ſenſu non magis *perficere*, id eſt, *perfecte facere bonum* homini *regenito* adimi poſſit, quam *velle bonum*. Nam *regeniti bonum perfecte non volunt* dum ſunt in hac mortali vita.

Inſtantia. At vero, inquiet aliquis, *velle bonum* & *nolle malum*, quocunque modo & ſenſu ſumptum, eſt *bonum* aliquod. Et homini *irregenito* nihil prorſus tribui poteſt, quod *bonum* appellari queat, citra *gratiæ & Spiritus ſancti* contumeliam.

Reſponſio. Reſpondeo. Antea intelleximus quale & quantum *bonum* hoc ſit. At velim mihi probari nihil omnino homini *irregenito*, qualiſcunque ille ſit, attribui poſſe *boni*: Scriptura meo judicio hoc nullibi aperte dicit, neque puto bona conſequentia ex Scripturis dici poſſe: ſed contrarium planiſſime comprobari poteſt. *Veritas* de qua Rom. 1. *bona* eſt, utpote *injuſtitiæ* contraria. At illa eſt in hominibus non nullis *irregenitis*. *Opus legis* de quo Rom. 2. *bonum* eſt, at illud *ſcriptum in cordibus Ethnicorum*, & quidem à *Deo*: *guſtus doni cæleſtis*, *& boni Dei verbi virtutumque futuri ſeculi bonus eſt*, & tamen in *irregenitis eſt* & Heb. 6. 4. 5. *Inquinamenta mundi per agnitionem* D. N. *Ieſu Chriſti effugiſſe*, *viam juſtitiæ cognoſſe bonum eſt*, & convenit non *regenitis*. 2. Pet. 2. 20. 22. *Cum gaudio verbum Dei accipere bonum eſt*, & convenit non *regenitis*, Matth. 13. v. 20. Et in univerſum dona illa Sp. S. quæ ad Eccleſiæ ædificationem multis reprobis tribuuntur *bona ſunt* 1. Cor. 12. & 13. *agnoſcere ſe peccatorem*, *dolere ob peccata*, *petere liberationem à peccatis bona ſunt*, & conveniunt nonnullis *irregenitis*: imo nemo poteſt *regenerationis* fieri particeps, niſi hæc talia in ipſo præcedant. Vnde apparet vere dici non poſſe, quod nihil *boni* tribui poſſit *irregenitis*, qualeſcunque illi fuerint. Si quis regerat, non eſſe *ſalutaria* iſta *bona*, neque talia qualia eſſe debent. Fateor, ſed nonnulla ex illis ſunt neceſſario *ſalutaribus præcedanea*, quin & ipſa certo momento *ſalutaria*. Neque continuo nomen *boni* amittit quod nondum eo venit quo tendere debet. *Metus pœnæ & timor ſervilis*, non ſunt iſte *metus* & *timor* qui à *filiis Dei* requiruntur, interea tamen inter *bona converſionem præcedentia* ab Auguſtino cenſentur, dicente ſerm. 13. de verbis Apoſtoli: Non accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timorem: Quid eſt iterum? Quomodo terrente moleſtiſſimo pædagogo: quid eſt iterum? ſicut

Bona tum alia quædam, tum ea quæ ſalutaribus præcedanea in irregenitis nonnullis locum habere.

Auguſtinus.

ſicut in monte Sina accepiſtis Spiritum ſervitutis. dicat aliquis: alius eſt Spiritus ſervitutis, alius libertatis. Si alius eſſet, non diceret Apoſtolus iterum. Idem ergo Spiritus, ſed in tabulis lapideis in timore, in tabulis cordis in dilectione, &c. Et paulo poſt. Iam ergo non in timore, ſed in dilectione, ut non ſervi, ſed filii ſitis. Qui enim adhuc ideo bene agit, quia pœnam timet, & Deum non amat, nondum eſt inter filios: utinam tamen vel pœnam timeat. Timor ſervus eſt, charitas libera eſt, & ut ſic dicamus, timor eſt ſervus charitatis. ne poſſideat Diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet dominæ venturæ locum, fac, fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ. Veniet domina, & ſervus abſcedet, quia conſummata charitas foris mittit timorem.

Calvinus. Beza.

Calvinus etiam timorem initialem inter bona numerat, quem Beza ex illius ſenſu & ſuo præcedaneum facit regenerationi, ut antea vidimus. Hæc autem, & ſi quæ ſunt alia, irregenitis, attribuuntur nulla cum injuria gratiæ & Spiritus ſancti: quia etiam ipſa ex gratiæ, & Spir. ſancti operatione ineſſe creduntur iis quibus inſunt. Sunt enim quædam actiones præcedentes converſionem, & illæ ſunt à Sp. ſancto voluntatem præparante, ut Zanchius ait in judicio ſuo, de Pezelii Tomo 1. & 2. objectionum & reſponſionum, quod judicium ſecundo tomo eſt ſubjunctum. Vide quæ ſupra citavimus ex Beza contra Tilman. Heshuſium. Quis mediocriter Theologicarum rerum peritus ignorat Spiritum ſanctum uti verbi prædicatione hoc ordine, ut prius per legem, de cujus æquitate & juſtitia mentem convincit, peccati nos convincat. Rom. 3. condemnationis reos peragat, impotentiam & imbecillitatem noſtram ob oculos ponat, ex lege non poſſe juſtificari doceat. Gal. 2. & 3. ad Chriſtum confugere compellat, utens lege tanquam pædagogo qui ad Chriſtum finem legis ad juſtitiam omni credenti tanquam manu ducat? Vnde etiam certis nominibus in Scriptura appellantur: nempe *peccatores*, qua contra *juſtos* diſtinguuntur *qui ſibi juſtitiam venditabant*, quos *peccatores Chriſtus venit vocare: onerati & laborantes*, quos *Chriſtus venit reficere: ægroti & infirmi*, & quibus *Medico opus eſt*, ut diſcernantur ab illis qui ſe *ſanos* exiſtimabant, & *Medici* operæ haud indigos: *Egeni & pauperes*, quibus *Chriſtus venit Evangelizare: vincti & captivi*, & ſtatum ſuum agnoſcentes, quos *Chriſtus venit liberare*; *contriti corde* quos Chriſtus venit religare, &c. Iſtis per legem peractis, incipit ut idem *Spiritus* prædicatione *Evangelii*, qua Chriſtum patefacit & revelat, fidem infundit, fideles cum Chriſto in unum corpus compingit, in communionem bonorum Chriſti ducit, ut *remiſſione peccatorum per nomen ipſius* impetrata, *in illo* & ex illo porro *vivere* incipiant. Vnde iidem etiam certis nominibus in Scriptura appellantur: *fideles, juſtificati, redempti, ſanctificati, regeniti, liberati, Chriſti inſiti, illi concorpores, oſſa de oſſibus ipſius, caro de carne ejus, &c.* Ex quo ordine apparet aliquas *Sp. ſancti* actiones occupari circa *non regenitos* ſed *regignendos*, & quædam ex illis opera exiſtere in animis *nondum regenitorum ſed regignendorum*. An vero hæc opera ſint *Spiritus*, quatenus eſt *regenerator*, nihil

Quam diſſimilibus nominibus in Scriptura appellentur illi qui per legem ſubacti, & rurſum qui per gratiam Evangelii renovati & regenerati ſunt.

Zanchius.

nihil ſtatuo. Scio Apoſtolum Rom. 8. diſtinguere inter *Spiritum adoptionis & ſervitutis.* Scio 2. Cor. 3. diſtingui inter *miniſterium legis & mortis.* & *miniſterium Evangelii & Spiritus.* Scio Apoſtolum ad Gal. 3. dicere, *Spiritum non accipi ex operibus, ſed ex fide Evangelii Chriſti.* Et diſtinguendum exiſtimo inter *Spiritum* quatenus ſibi *templum præparat*, & qua idem *templum ut ſanctificatum inhabitat*: quanquam magnopere pugnare nolim, quin actiones & opera iſta *Spiritui regeneratori* tribui poſſint, non qua *regenerat*, ſed qua corda ad regenerationis renovationiſque efficientiam ſuſcipiendam *præparat*. Hinc puto ſemel in univerſum clarere iſtam ſententiam Sp. ſancto ignominioſam non eſſe, neque quicquam *Spiritu ſancto* adimere, quod ipſi in Scriptura tribuatur: ſed ordinem tantum indicare ſecundum quem *Sp. ſanctus* ſuas actiones diſponit & diſpenſat. Neſcio annon contra ignominioſum ſit *Spiritui adoptionis habitanti in cordibus regenitorum*, ſi hujuſmodi in illis efficere dicatur *volitionem*, quam *effectus* non conſequatur, ſed quæ *in ipſo conatu deficiat*, victa à tyrannide *peccati inhabitantis*; contra id quod dictum eſt: *fortior eſt qui in nobis eſt quam qui eſt in mundo.* 1. Ioh. 4. 4. Neque hinc ſequitur quod hic de homine *ſub gratia* conſtituto agatur: nam aliud eſt aliquem *præparantis gratiæ* effectum ſentire, & aliud *ſub gratia* eſſe, ſive à *gratia inhabitante regi, duci, agi.*

Verſ. 20. Quod ſi quod non vult facit tum non amplius ille id facit, ſed peccatum quod in ipſo habitat.

Verſum 20. jam ante conſideravimus, breviter autem moneo & hic veritatem noſtræ expoſitionis antea allatæ manifeſtè prodi: quod in hoc eodem verſu *& ſe facere dicit quod non vult*, & tamen *non facere* ſed *peccatum hoc operari.* *Facit* ergo & *non facit*; quia *facit tanquam ſervus* compulſus à Domino, qui non tam *ſuam* quam *Domini ſui voluntatem* exſequitur, licet *& ſuam*, alioquin *non faceret.* Nam *conſentit voluntati Domini* antequam illam faciat, quia non coactus facit. voluntas enim cogi non poteſt.

Verſ. 21. Comperit ſibi volenti bonum malum adjacere.

Verſus 21. habet concluſionem ex antecedentibus, accommodatam propoſito Apoſtoli quod hic tractat. Ex eo enim quod *velle ſibi adeſſe novit, at perficere minime*, concludit, *ſibi volenti bonum, malum adjacere.* Sed animadvertendum quod Apoſtolus verſ. 18. eadem phraſi uſus eſt *de velle*, qua hic utitur *de malo*: atque ſic *utrunque* ſibi *adeſſe* & adjacere dicit, tum *velle bonum*, tum *malum*. Et quemadmodum *velle bonum* ipſi adeſt *ex affectu legis, & mente eam ut juſtam & bonam approbante*; ſic *malum* ipſi quoque *ex lege quadam peccati adjacet*, hoc eſt, vi & tyrannide peccati, poteſtatem & jus ſibi in iſtum hominem aſſumentis & uſurpantis. Iam videndum an utriuſque præſentia & adjacentia, ut ſic loquar, æquipolleat; an vero alterum alteri prævaleat, & utrum ex duobus. Conſtat non æquipollere, ſed unum alteri prævalere, & quidem *malum* potentius & vehementius *adjacere*: illud enim obtinet & prævalet in homine, ex cuius imperio, inſtinctu, & impulſu agere, & ab actione quieſcere comperitur. Hoc vero quomodo de homine *regenito & ſub gratia* conſtituto vere dici poſſit, velim mihi ex Scripturis explicari, quæ mihi ubique contrarium affirmare videntur.

Verſ. 22. & 23.

Verſib. 22. & 23. Adfertur clarior explicatio & probatio concluſionis

Condelectatur legi Dei, id eſt, una cum lege delectatur ſecundum interiorem hominem: at videt aliam legem in mẽbris belligerantem, &c.

ſionis antecedenti verſu poſitæ, quæ concluſio convenit cum eo ipſo quod Apoſtolus hac parte tractandum ſibi propoſuit. Probatio autem propriè eſt verſ. 23. quia ille verſus reſpondet hiſce: *Malum mihi, volenti bonum adjacet*, quod erat probandum. Probatio deſumpta eſt ab effecto *mali adjacentis*, quod eſt *belligeratio cum lege mentis, & victoria*, poſtque victoriam *captivatio hominis ſub lege peccati*. Verſ. 22. reſpicit ad hæc verba: *volenti mihi facere bonum*; & continet illius *volitionis* latiorem à cauſa propria explicationem, & verſus ſequentis 23. à diverſis ſeu diſcretis illuſtrationem. Continetur autem duobus iſtis verſibus unum axioma, quod diſcretum appellatur proprie, ut apparet ex particula δὲ verſ. 23. uſurpata, quæ eſt ipſius μὲν relativa, licet omiſſa ſit; & ex ipſa forma oppoſitionis. Pars antecedens iſtius axiomatis, & minus præcipua continetur verſ. 22. conſequens & principalis verſ 23 Nam ad conſequentis illuſtrationem adhibetur antecedens, ut videre eſt in omnibus axiomatibus. Sic Math. 3. 11. *Ego quidem baptizo vos aqua, at qui poſt me venit baptizabit vos Spiritu ſancto & igni.* 2. Cor. 4. 16. *Etiamſi externus noſter homo corrumpitur, internus tamen renovatur quotidie*, & ſimilibus. Particulæ enim *quidem*, *etſi*, *quanquam*, *quum*, notant antecedentem & minus præcipuam axiomatis partem; particulæ autem *ſed*, *verum*, *tamen*, *tum*, notant conſequentem & principalem. *Delectari lege Dei*, ſeu *condelectari Legi Dei ſecundum interiorem hominem*, cauſa eſt quod *velle* iſti homini *adjaceat*. *Malum adjacens* eſt *lex in membris*. *Effectus* unde *malum* illud *adjacere* probatur, continetur his verbis; *belligerantem adverſus legem mentis meæ, & captivantem me legi peccati*, &c. Iſta autem de axiomatis diſcreti recto judicio monere conſultum putavi, ne quis alteram partem ab altera ſejungat, & minus principalem pro præcipua accipiat. Videamus jam porro quid ex verſibus iſtis duobus ad ſententiæ alterutrius probationem concludi queat.

Qui ſententiæ meæ contrariam tenent ex verſ. 22. ad ſtabilimentum illius ita concludunt.

Argumentum ex verſ. 20. pro contraria ſententia.

Qui delectatur Lege Dei ſecundum interiorem hominem, eſt regenitus & ſub gratia conſtitutus.

At homo ille de quo Apoſtolus agit, delectatur lege Dei ſecundum interiorem hominem.

Ergo homo ille eſt regenitus & ſub gratia conſtitutus.

In propoſitione duplex ſuæ ſententiæ firmamentum habere ſe exiſtimant. I. Quod huic homini tribuatur *interior homo*. II. quod idem dicatur *delectari lege Dei ſecundum interiorem hominem*. Vtrunque enim *ſolis regenitis* convenire aiunt. Primum quia *interior homo* in Scripturis ſignificet idem quod *novus & regenitus homo*. Alterum, quia de piis dicitur quod *meditentur in lege Domini*, *quod voluntas illorum ſit in lege illius dies & noctes*.

Reſponſio ad propoſitionem

Reſpondeo ad propoſitionem. Primo, *Interiorem hominem* neque ex *etymo* vocis, neque ex *uſu Scripturæ* idem eſſe quod *novus & regenitus*, homo, eumque non eſſe *regenitorum*, proprium, ſed & *non regenitis* convenire. Secundo, *Delectari Lege Dei*, ſeu potius *condelectari legi Dei ſecundum interiorem hominem* non eſſe proprium *regenitorum*, *& ſub gratia* conſtitutorum, ſed convenire homini

ſub lege conſtituto. Dico quod ad *primum*. *Interior homo* ex vocis etymo relative & oppoſitè dicitur ad *hominem exteriorem*. Duo enim ſunt in uno *homine* homines, unus intra alterum exiſtens, alter iſtum priorem in ſe habens. Ille eſt *occultus cordis homo*, hic *externus corporis homo*: ille *inhabitans*, hic qui *inhabitatur*: ille ad *inviſibilia & incorporea* bona comparatus, hic ad *terrena & viſibilia*: ille, *immortalis*, hic *mortalis & morti* obnoxius. Nulla in duabus iſtis vocibus ſyllaba eſt quæ *regenerationis & novitatis* ex *regeneratione* exiſtentis vel leviſſimum indicium det. Sed voces iſtæ *Homo interior, regenitus, & novus* hunc inter ſe habent ordinem, quem ipſæ voces præ ſe ferunt primo intuitu. *Interior homo* notat *ſubjectum*, *regenitus actionem Sp. ſancti regenerantis*. *Novus qualitatem* in *interiore homine* per *regenerationis* actum exiſtentem. Scripturæ *ſenſus & uſus* non eſt huic ſignificationi adverſus, quin optime cum ea conſentit: quod apparebit ex locorum quibus mentio fit *interioris hominis* diligenti conſideratione. Vnus eſt iſte de quo impræſentiarum agimus. Alter eſt 2. Cor. 4. 16. Tertius Epheſ. 3. 16. De iſtis ergo duobus jam videamus. Ille qui eſt ad Corinthios ita habet. *Propterea non ſegneſcimus, ſed etiamſi externus noſter homo corrumpitur, internus tamen renovatur quotidie.* Quod hoc loco *internus* & *externus homo* non pro *novo & vetere*, ſed pro *incorporeo & inhabitante*, a parte interiore hominis, anima ſcil. denominato & pro *corporeo & inhabitato*, a corpore exteriore hominis parte ſic appellato ſumatur, doceo ex ipſo verſu. Primo, quia ſi *externus & internus* pro *vetere & novo homine* hic ſumerentur, tum modus iſte loquendi *diſcretionis* locum habere non poſſet. Non enim diſcerni poſſunt iſto pacto hæc duo inter ſe: *Etiamſi vetus noſter homo corrumpitur, tamen novus homo quotidie renovatur*, ſunt enim neceſſario cohærentia, & ſe mutuo conſequentia. Quantum enim decedit *veteri*, tantum accedit *novo*. Abſurditas iſtius *diſcretionis* apparebit manifeſtius, ſi ita proponatur res eadem: licet *vetus noſter homo crucifigatur, occidatur, & ſepeliatur*, tamen *novus homo reſurgit, vificatur, & magis magiſque renovatur*: & licet *vetuſtatem antiquam* deponamus, tamen in *novitate vitæ* magis ac magis proficimus. Ridiculum ſe præbeat quis ita loquens: quanquam puer iſte inſcitiam dediſcat & deponat, tamen quotidie magis magiſque proficit in rerum neceſſariarum cognitione. Secundo, Solatium quod Apoſtolus adfert contra oppreſſiones & anguſtias, quibus ſancti in hoc mundo ſunt obnoxii, conſiſtit in his verbis, *internus renovatur quotidie*, non in illis, *licet externus noſter homo corrumpatur*. quod docet loquendi modus ab Apoſtolo uſurpatus, qui indicat illam ipſam *externi hominis corruptionē*, quæ fit per oppreſſiones & anguſtias, eſſe id adverſus quod ſolatium verbis ſequentibus comprehenſum ab Apoſtolo eſt allatum: *homine afflicto* ſic dicente: at *externus noſter homo corrumpitur*, *Apoſtolo reſpondente*; ne id doleto, nam *internus homo noſter quotidie renovatur*, in cuius *renovatione ſalus* noſtra conſiſtit. Non enim *externa & viſibilia* bona, quæ ad vitam *hominis externi* faciunt, ſunt ſpectanda, interitui enim ſunt obnoxia, : ſed *interna & inviſibilia*, quæ ad vitam *interni hominis* pertinent, magni facienda ſunt, nam ſunt

Interior homo ſignificat animam, ſicut exterior corpus quod oſtenditur ex etymo.

Ex uſu Scripturæ.

Nominatim ex 2. Cor. 4. 16.

ſunt *æterna & nunquam peritura*. Quod ſi voce *externi hominis vetus* eſſet intelligendus, tum etiam hoc ſolatii vice ab Apoſtolo fuit adferendum, hoc pacto: ne dolete quod affectionibus & oppreſſionibus multis obnoxii ſitis, nam *vetus* veſter *homo* iſtis ipſis *corrumpitur, & internus renovatur magis magiſque*. Quod vero *corruptio externi & veteris hominis* non ſit eadem ex eo apparet; quod illa ſit contra *naturam ipſam* hominis, & *vitæ animalis* bonum, iſta vero ſit contra *naturam depravatam*, & contraria *vitæ peccati* in homine. Tertio, Ex voce *renovandi* apparet *internum hominem* ſubjectum eſſe *renovationis & actionis Sp. ſancti*. Fateor quidem recte dici poſſe, *Novum hominem quotidie magis magiſque renovandum*; tum quia neceſſe eſt ut *novitas* illa quæ homini actione *Sp. regenerantis* eſt ingenerata creſcat & augeatur indies, tum quia *veteris hominis* reliquiæ debent paulatim magis magiſque tolli & debilitari; Sed & ibi tunc *ſubjectum* eſt *interior homo*, qui jam à *novitate*, quæ effici in illo cœpit per *Spiritum regenerantem Novus* dicitur. Idem enim eſt *ſubjectum renovationis promoventis* & progredientis, quod *incipientis*. Incipientis autem *ſubjectum* eſt non *novus homo*, non enim *novus* dicitur ante actum *renovationis*, & ab actu impreſſam qualitatem, ſed *interior homo*. Itaque licet *novus* dicatur *renovari* (quam phraſin neſcio an Scriptura uſurpet) tamen *ſubjectum* eſt *interior homo*, quod *ſubjectum* appellari poteſt ab impreſſa qualitate *novus homo*; ſicut dicimus candidum hominem quotidie candidiorem fieri; candore communicato candido non qua talis eſt, ſed qua homo, nigredinis adhuc quidpiam habens, & nondum iſtum adeptus candorem quem exoptat. Hiſce adſtipulatur Scriptura ipſa Epheſ. 4. 23. 24. his verbis: *Renovamini Spiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt*. Ubi *Sp. mentis noſtræ* dicitur *ſubjectum renovationis*, id eſt, *interior homo*, ſeu *mens*; & *novus homo*, non ipſum *ſubjectum*, ſed *qualitas* quam *ſubjectum* illud inducere debet: quæ *qualitas* ibidem appellatur *juſtitia & ſanctimonia veritatis*. Dixi neſcire me an Scriptura alicubi iſtam phraſin uſurpet, propter locum Coll. 3. v. 10. ubi videtur uſurpata. Sic enim inquit Apoſtolus: & *indueritis novum illum hominem, qui renovatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus qui creavit illum*. Sed diligentius locum conſideranti planum erit, verba iſta, qui *renovatur*, ſeu, τὸν ἀνακαινούμενον ita cum antecedentibus jungenda eſſe, & *indueritis novum hominem*, id eſt, qui *renovatur*, ſeu *renovatum in agnitionem*, &c. ut ſit deſcriptio *Novi hominis*, non aliquod novum *novi* iſtius *hominis* attributum. Sed in eo non magnum momentum poſitum eſt, & dixi me non negare *novum hominem magis renovari*. Ex reliquo capite idem liquet. Synonyma enim ſunt, *Externus homo* verſ. 16. *teſtaceum vaſculum*. v. 7. *corpus noſtrum*. verſ. 10. *caro noſtra mortalis*. verſ. 11. item *premi, affligi, perſecutionem pati, mortificationem Domini circumferre, morti tradi, corrumpi*; quod ex collatione antecedentium & conſequentium cum hoc verſ. 16. clarere poteſt veritatis ſtudioſo indagatori.

Item ex Epheſ. 3. 16. 17.

Locus Epheſ. 3. 16. 17. ita habet: *ut det vobis pro divite gratia ſua ut fortiter corroboremini per Sp. ſuum in interiori homine, ut inhabitet Chriſtus per fidem in in-*

in cordibus veſtris. Hic apparet per *interiorem hominem* denotari *ſubjectum* circa quod *Spir. ſanctus* verſatur ſua *actione* & operatione, quæ hic *corroboratio* appellatur: quod etiam ex ſynonymo verſu ſequente poſito patet: *ut inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris. Cor n. & interior homo* pro eodem ſumuntur. Mihi hic adſtipulatur doctiſſimus *Zanchius*, ita inquiens in hunc locum: Interioris hominis nomine diximus demonſtravimuſque ex 2. Cor. 4. ſignificari partem hominis præcipuam, Mentem ſcilicet quæ intellectu & voluntate conſtat, & quæ cordis, in quo vigent affectus, nomine denotari ſolet; ſicut contra exterioris hominis nomine aliud intelligi non poteſt, quam pars hominis corporea, quæ vegetatur, quæ ſentit, quæ loco movetur, &c. Paulo poſt, hac igitur particula in interiori homine, docet Apoſtolus ſicut donum fortitudinis, ſic etiam reliquas ſpirituales virtutes ſedem non habere in parte vegetativa, ſed in mente, corde, ſpiritu, &c.

Idem fuſius oſtenditur ex Patribus.

Cæterum quia à nonnullis non tantum pro certo habetur *interiorem hominem* eſſe eundem cum *novo & regenito*, unde dicere audent ſolos *regenitos* habere *interiorem hominem*, ſed etiam tanquam *articulus fidei* urgetur: Age videamus, quid bona pars Doctorum Eccleſiæ per interiorem hominem intellexerit.

Clem. Alexandrinus.

Clemens Alexandrinus *στρωματῶν* lib. 3. fol. 194. *ἄνθρωπον δὲ καλεῖ διχῶς, τόν τε φαινόμενον, καὶ τὴν ψυχήν.*

Tertullianus.

Tertull. adverſus Gnoſticos cap. 15. Sed etſi, inquit Apoſtolus, exterior noſter homo vitiatur, caro ſcilicet, vi perſecutionum, ſed interior renovatur de die in diem, anima ſcilicet, ſpe promiſſionem. Idem de reſurrectione carnis cap. 40. Nactæ denique hæreſes duos homines ab Apoſtolo editos, interiorem, id eſt, animam, & exteriorem, id eſt, carnem, ſalutem quidem animæ, id eſt, interiori homini, exitium vero carni id eſt, exteriori adjudicaverunt: quia ſcriptum ſit Corinthiis: nam etſi homo noſter exterior, &c.

Ibidem. Extrinſecus pugnæ debellantes, ſcilicet, carnem, intrinſecus, timor affligens, ſcilicet animam. Adeo etſi corrumpitur homo exterior, non ut amittens reſurrectionem, ſed ut ſuſtinens vexationem corrumpi intelligetur, & hoc non ſine interiore; ita amborum erit conglorificari, ſicut & compati.

Idem de reſurrectione carnis cap. 16. Nam etſi (caro) vas vocatur apud Apoſtolum, quam jubet in honore tractari, eadem tamen ab eodem homo exterior appellatur. Ille ſcilicet, limus qui prior titulo hominis inciſus eſt, non calicis, aut gladii, aut vaſculi ullius. vas enim capacitatis nomine dicta eſt, qua animam capit & continet, homo vero de communione naturæ, quæ eam non inſtrumentum in operationibus præſtat, ſed miniſterium.

Ambroſius.

Ambroſius in Epiſtolam ad Romanos cap. 7. Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. Animum his oblectari, dicit quæ à lege traduntur; ſic eſt interior homo.

In 2. Cor. 4. Licet ſi exterior, &c. preſſuris, plagis, fame, ſiti, frigore, nuditate caro corrumpitur, ſed anima ſpe futuri præmii renovatur, quia aſſiduis tribulationibus purgatur; proficit enim in preſſura, non interit, ita ut accedentibus tentationibus

nibus quotidie acquirat ad meritum, quia & corpori corruptio hæc proficit ad immortalitatem merito animę.

Epiſt. 77. ad Conſtantium. Condelector Dei legi ſecundum interiorem hominem. Interior noſter homo eſt qui eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus; exterior qui figuratus eſt è Limo. Sicut ergo duo homines, ita gemina cõverſatio eſt, una interioris hominis, altera exterioris. Et quidem plærique actus interioris hominis perveniunt ad exteriorem hominem: quemadmodum caſtimonia interioris hominis tranſit etiam ad caſtitatem corporis. Qui enim adulterium cordis ignorat, idem utique neſcit adulterium corporis, &c. Ergo eſt interioris hominis circumciſio. Nam qui circumciditur, totius carnis illecebras, tanquam præputium exuit, ut ſit in Spiritu, non in carne, & Spiritu mortificet corporis ſui actus, &c. Paulo poſt. Interior noſter homo quando eſt in carne, in præputio eſt.

Baſilius Magnus. Baſilius Magnus in hexamëro homilia, 10 Faciamus hominem ſecundum imaginem noſtram. Internum hominem dicit, faciamus hominem. Et paulo poſt. Audi Apoſtolum dicentem: Etſi exterior noſter homo, &c. Quomodo duos cognoſco homines? unum apparentum, alterum in apparente occultatum, inviſibilem, internum hominem. Intus itaque habemus hominem & duplicem ſumus, & quod dicitur verum eſt, nempe quod intus ſumus.

Ibidem homilia 11. Manus tuæ fecerunt me, & formaverunt me: fecit internum hominem, formavit externum. Etenim convenit formatio luto, fabricatio vero ei quod ſecundum imaginem eſt. Quare formata quidem eſt caro, facta vero anima.

Idem concione in initium Proverbiorum. Quando quidem duplex eſt homo, velut Apoſtolus ait, alter externus, alter internus, neceſſe eſt, nos tum juxta eum quem videmus, tum juxta eum quem in occulto intelligimus etiam ætatem in utriſque conſimiliter accipere.

Cyrillus Alexand. Cyrillus Alexandrinus de incarnatione unigeniti cap. 12. Nam etſi exterior noſter homo, &c. Si quis igitur dicat interiorem noſtrum hominem in exteriore homine inhabitare, verum quidem memoravit, ideo tamen unum dividere non videbitur.

Macarius. Macarius homilia 15. Vera mors intus conſiſtit in corde, & occulta eſt, ubi mortuus eſt interior homo. Si quis ergo tranſierit à morte in vitam occultam, ille revera vivit in ſecula, nec moritur. Ibidem. Peccatum ſecreto in hominem interiorem & mentem agit, ac pugnat cum cogitationibus. Homilia 7. Animæ membra multa ſunt; nempe mens, conſcientia, voluntas, cogitationes accuſantes & defendentes. Hæc autem omnia in unam rationem colligata ſunt, membra tamen ſunt animæ: anima vero unica eſt, videlicet homo interior. Sic homilia. 27. interior homo & anima pro eodem ſumuntur.

Chryſoſtom. Chryſoſtomus in 2. Cor. 4. Sed licet externus homo, &c. Quomodo corrumpitur? dum flagellatur, abigitur innumera fert mala. Sed interior renovatur de die in diem. Quomodo renovatur? fide, ſpe, alacritate, ut audeat ſe opponere malis. Nam quo plura tulerit corpus, hoc majo-

maiorem ſpem habet anima, & fulgidior evadit, velut aurum quod multo igne examinatur.

Auguſtinus. Auguſtinum videamus unum pro multis. Tom. 2. Epiſt. 6. Quis autem niſi dementiſſimus dixerit corpore nos eſſe vel futuros eſſe Deo ſimiles? In interiore igitur homine iſta ſimilitudo eſt, qui renovatur in cognitionem Dei, ſecundum imaginem eius qui creavit eum.

De Spiritu & littera cap. 27. Qua gratia in interiore homine renovato juſtitiæ ſcribitur, quam culpa deleverat.

Tom. 7. de peccat. meritis & remiſſ. lib. cap. 25. Vt hominem interiorem dixerit venientem in hunc mundum, quia exterior eſt corporeus, ſicut hic mundus.

Lib. 2. cap. 5. Sicut corporis oculus non adjuvatur à luce ut clauſus averſuſque diſcedat, ut autem videat adjuvatur ab ea; neque hoc omnino niſi illa adjuverit poteſt: ita Deus qui Lux eſt interioris hominis adjuvat mentis noſtræ obtutum, ut non ſecundum noſtram, ſed ſecundum eius juſtitiam aliquid boni operemur.

Cap. 7. Si in ipſo animo, qui eſt homo interior, perfecta in baptiſmo novitas fieret, non diceret Apoſtolus; Etſi exterior &c.

Cap. 21. Sicut hæc arbor (vitæ) in corporali, ſic illa (ſapientia) in Spirituali Paradiſo; illa interioris, iſta exterioris hominis ſenſibus præbens vigorem ſine ulla in deterius temporis commutatione vitalem.

Tom. 7. de anima & eius origine lib. 4. cap. 8. Vide igitur quam multa non præterita, ſed præſentia de natura noſtra, nec tantum quod ad corpus, verum etiam quod ad interiorem hominem pertinet ignoremus, nec tamen pecoribus comparemur.

De perfectione adverſus Cæleſtium fol. 1. littera f. Quoniam res, Pes ipſe, vel corpus vel homo eſt, qui pede vitiato claudicat, nec tamen vitare poteſt homo claudicationem, niſi habeat ſanatum pedem. Quod etiam in interiore homine fieri poteſt, ſed gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Paulo poſt. Sic & interioris hominis animus res eſt, rapina actus eſt, avaritia vitium eſt, id eſt, qualitas ſecundum quam malus eſt animus, etiam quando nihil agit, unde avaritiæ vel rapinæ ſerviat.

De anima & eius origine l. 4. c. 4. Apoſtolus quidem præter interiorem & exteriorem, non video quod alium facit interioris interiorem, id eſt, totius hominis intimum. Fatetur ibidem animam eſſe interiorem hominem corpori, ſed negat Spiritum eſſe interiorem hominem animæ.

Tom. 3. de Geneſi ad litteram l. 3. cap. 22. Nonnulli autem etiam hoc ſuſpicati ſunt, nunc interiorem hominem factum, corpus autem (eius) hominis poſtea, cum ait Scriptura: Et finxit Deus hominem de limo terræ.

Tom. 6. l. 24. contra Fauſtum Manich. cap. 1. Paulus quidem Apoſtolus interiorem hominem per Spiritum mentis, exteriorem vero in corpore atque iſta mortali vita vult intelligi: non tamen utrunque horum ſimul duos homines eum dixiſſe, aliquando in eius litteris legitur, ſed unum quem totum Deus fecerit, id eſt, & id quod internus eſt, & id quod externus eſt: ſed eum ad ima-

imaginem ſuam non fecit, niſi ſecundum id quod interius eſt, non ſolum incorporeum ſed etiam rationale, quod pecoribus non ineſt. Paulo poſt. Ecce Deus etiam exterioris hominis effector ab eodem Apoſtolo predi-atur,& citat 1.Cor. 12. Deus poſuit membra.

Ibidem. Veterem hominem nihil aliud Apoſtolus quam vitam veterem dicit, quæ in peccato eſt, in quo ſecundum Adam vivitur, de quo dicit: per unum hominem peccatum intravit in mundum, &c. Ergo totus ille homo, id eſt, in exteriore & interiore ſui parte inveteravit propter peccatum, & pœnæ mortalitatis addictus eſt, &c.

Tom. 3. de Trinitate. l. 4. cap. 3. Et ideo per talem crucem evacuatur corpus peccati, ut jam non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, quia & interior homo ſi utique renovatur de die in diem, profecto vetus eſt antequam renovetur. Intus namque agitur, quod idem Apoſtolus dicit: Exuite vos veterem hominem, & induite novum.

Ibidem. Iam vero ad exemplum mortis exterioris hominis noſtri dominicæ carnis mors pertinet. Paulo poſt: Et ad exemplum reſurrectionis exterioris hominis noſtri pertinere invenitur reſurrectio corporis Domini.

Lib. 12. de Trinit. cap. 1. Age nunc videamus ubi ſit quaſi quoddam confinium hominis, exterioris interiorisque: quidquid enim habemus in animo commune cum pecore, recte dicitur adhuc ad exteriorem hominem pertinere. Non enim ſolum corpus homo exterior deputabitur, ſed adjuncta quædam vita ſua, qua compages corporis & omnes ſenſus vigent quibus inſtructus eſt ad exteriora ſubeunda. Quorum ſenſorum imagines infixæ in memoria eum recordando reviſuntur res adhuc agitur ad exteriorem hominem pertinens. Atque in his omnibus non diſtamus à pecore, niſi quod figura corporis non proni ſed erecti ſumus.

Ibidem cap. 8. Aſcendentibus itaque introrſus quibuſdam gradibus conſiderationis per animæ partes, unde incipit aliud occurrere, quod non ſit nobis commune cum beſtiis; inde incipit ratio, ut homo interior non poſſit agnoſci.

Ibidem lib. 13. cap. 1. Vtriſque (credentibus & incredulis) notum eſt quid ſit homo, cuius exteriorem partem, id eſt, corpus per corporis lumina didicere, interiorem vero, id eſt, animam, in ſeipſis.

Tom. 5. lib. 13. cap. 24. de civitate Dei. Imo vero Scriptura nobis ita in hoc atteſtatur, ut etiam cum duo iſta conjuncta ſunt, & vivit homo, tum etiam ſingula hominis vocabulo appellet, animam ſcilicet interiorem hominem, corpus vero exteriorem hominem vocans, tanquam duo ſint homines, quum ſimul utrunque ſit unus homo.

Sic lib. 11. cap. 27. & 3.

Tom. 8. in primum Pſalm. Vt terra hæc viſibilis exteriorem hominem nutrit, & continet, ita illa terra inviſibilis interiorem hominem.

Denique in Ioh. tract. 26. Qui credit in eum, manducat, inviſibiliter ſaginatur, quia & inviſibiliter renaſcitur. Infans intus eſt, novus intus eſt, ubi novellatur ibi ſatiatur.

Theo-

Theophyl. Theophylactus in 2. Corinth. 4. „ Porrro exterior homo, id eſt, corpus corrumpitur: quomodo? dum flagris cæditur, dum agitatur. Interior vero, id eſt, Spiritus & anima renovatur. quanam ratione? quum bene ſperat, ac libere agit, quaſi propter Deum patiens & gaudens.

Vigilius. Vigilius lib. 4. cont. Eutychen. „ Spiritalia Apoſtoli verba ſpiritaliter advertamus, quibus ſe non oculis & manibus corporis, ſed interioris hominis membris vidiſſe & palpaſſe verbum Dei teſtatur.

Proc. Gazæus Procopius Gazæus in Geneſ. c. 1. „ Hominis ſubſtantia, ſi interiorem hominem conſideres, eſt Imago Dei: ſi exteriorem hominem conſideres, eius ſubſtantia erit terra, aut pulvis de terra. Vnus tamen atque idem eſt compoſitione quę confecta eſt ex utriſque.

Bernardus. Bernardus Ser. 3. in die Aſcenſionis. Sicut per faciem exterior homo recognoſcitur; ſic per voluntatem demonſtratur interior.

Leo Magnus. Leo Magnus Ser. 4. de Quadrageſima.

„ Afflicto paululum exteriore homine reficiatur interior, & ſubtracta carni ſaturitate corporea ſpiritalibus mens deliciis roboretur.

Gregorius Nazianzenus Gregorius Nazianzenus apologia pro fuga ſua. In hac vero natura erga interiorem cordis hominem omnis cura eſt, atque omne ſtudium geritur.

Gregorius Nyſſenus. Gregorius Nyſſenus in verba, faciamus hominem ad imaginem noſtram. De interiori homine loquitur. At enim, dices, tu de ratione diſſeris. Oſtende nobis hominem ad imaginem Dei. Eſtne ratio homo? Audi Apoſtolum, licet, inquit, is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt renovatur de die in diem. Quonam pacto? duplicem agnoſco hominem, unum qui videtur, alterum abſconditum, quem ille ipſe qui videtur non videt. Interiorem ergo habemus hominem, & quodammodo duplices ſumus. Ego enim ſum ille qui intus eſt homo, quæ vero ſunt extrinſecus non ego illa ſum, ſed illa ſunt mea. Neque enim ego ſum manus ſed ratio quæ in animo eſt. Manus autem exterioris hominis pars eſt.

De Beatitudinibus. Ita homo quoque internam, quem cor Dominus nominat, quum ſordes rubignioſas, quæ propter pravum ſitum cum forma effloruerunt, abſterſerit, rurſus cum originali & principali forma ſimilitudinem recuperabit, cum bonus erit.

Probatur idem ex modernis Theologis. Videamus jam etiam quorundam noſtræ ætatis & profeſſionis Theologorum ſententias de interiore homine.

Calvinus. Calvinus Inſtitut. lib. 1. cap. 7. ſect. 9. Quanquam Reprobi cum filiis Dei non huculque pergant, ut poſt carnis dejectionem interiore homine renoventur ac refloreſcant.

Sect. 10. Terrentur autem (ſcilicet reprobi) non quod interior eorum animus permoveatur aut afficiatur, ſed quia tanquam injecto freno minus ab exteriore opere continent, & ſuam pravitatem intus cohibent, quam alioquin petulanter effuſuri erant.

Lib. 4. cap. 20. ſect. 1. Porro cum duplex in homine regimen ſuperius ſtatuerimus: & de altero illo quod eſt in anima ſeu interiore homine poſitum, æternamque vitam reſpicit, ſatis multa verba alibi fecerimus, &c.

Lib. 1.

Lib. 1. cap. 15. ſect. 3. Quamvis in homine externo refulgeat Dei gloria, propriam tamen imaginis ſedem in anima eſſe dubium non eſt. Idem in 2. Cor. 4. 16. Externum hominem male quidam & imperite cum veteri homine confundunt. Eſt enim longe aliud vetus homo de quo Rom. 6. &c. & paulo poſt. Interit etiam in reprobis externus homo, ſed nulla compenſatione.

Beza. Beza in 2. Cor. 4. 16. Renovatur, id eſt, novas vires acquirit, ne novis malis ingruentibus frangatur, externus, qui huius viribus ſuſtinetur; quam ob cauſam dixit ſupra v. 12. Mortem in nobis agere.

Bucerus. Bucerus in Epiſtolam ad Rom. cap. 5. fol. 261. Eſt in ſanctis quoque duplex homo, internus & externus, Etſi, inquit Paulus, homo noſter ille externus deſtruitur, internus renovatur in dies. ut itaque homo duplex eſt, ita eſt & judicium duplex, & voluntas duplex. Id quod ipſum Dominum noſtrum fateri non puduit: ſed non mea, dicebat ad Patrem, ſed tua voluntas fiat. Eo certe quod ajebat, non quod ego volo, ſed quod tu fiat: voluiſſe ſe id quod Patrem oſtendit; & ſimul tamen ſuæ voluntatis eſſe illud agnoſcit; transfer à me calicem iſtum. Bipartitam igitur & in ſpeciem ſecum pugnanté voluntatem Dominus in ſe agnovit.

Fr. Iunius. Fr. Iunius lib. 3. de 3. veritatibus cap. 2. fol. 182. Homo exterior audit verbum Dei extrinſecus, interior vero audit intus.

In Eccleſiaſtico l. 3. c. 5. Deinde vero, quum in Eccleſiaſtica adminiſtratione non ſolum homo interior informetur in cognitione Dei, ſed ab exteriore quoque homine adjumenta petantur & miniſteria, quatenus externa ſanctorum communionis ſigna ad internam alendam & provehendam requiruntur, in hac etiam cauſæ ſuum Magiſtratui autoritatem eſſe à Deo tributam agnoſcimus.

Piſcator. Piſcator in 2. Cor. 4. v. 26. Externus homo, id eſt, corpus, ut vocavit ſupra. Internus, id eſt, animus ſeu mens.

Hollandiæ Eccleſiæ. Holl. Eccleſiæ in libello quo rationem reddunt Excommunicationis Coolhaſii. fol. 93. Quando quidem ex pravo corde & ex interiore homine mali fructus proveniunt, inde ſequi neceſſe eſt, ut qui intus purum ſe eſſe gloriari vult, idipſum demonſtret ſpontanea approbatione & obedientia mandatorum Chriſti, &c.

Iohannes Driedo. Iohannes Driedo. Interior homo eſt anima rationalis ſuis prodita viribus, quæ non corrumpitur unquam. Corpus autem, ſuis ornatum ſenſibus exterior homo appellatur; ſeu homo noſter qui foris eſt & corruptibilis, dicente Apoſtolo 2. Cor. 4. Licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt renovatur de die in diem. Condelector, inquit, legi Dei ſecundum interiorem hominem. de gratia & libero arbitrio fol. 262.

Paulo poſt. Subinde Apoſtolus Paulus non eandem rem intelligit per veterem hominem & per exteriorem. neque idem ſignificavit per novum hominem & per interiorem, ſed in homine interiori reperitur & vetus homo & novus. In anima enim vetuſtas hujuſcemodi fit ſimul & novitas. In hac imago eſt vel cæleſtis vel terreſtris, id eſt, voluntas vel carnalis vivens ſecundum peccati fomitem, vel ſpiritualis, vivens ſecundum Dei Spiritum.

Scio quidem Theologos noſtræ profeſſionis ſæpe *internum hominem* pro *regenito & novo* ſumere: ſed tum *internum* non conſiderant niſi cum *certa qualitate*, illi a *Spiritu ſancto* & *regenerante* infuſa, cum qua conſideratus *internus homo* recte *regenitus & novus* dicitur. Si quis urgeat, ipſum nomen *interioris hominis* per ſe tantundem valere illis Theologis, quantum nomen *regeniti & novi hominis*, velim iſtum certis & firmis argumentis edocere ſenſum illorum Theologorum veritati eſſe conformem.

Quid ſit condelectari legi Dei.

Iam ad alterum veniamus firmamentum, quod eſt *hominem iſtum* cui tribuitur *delectari Lege Dei* eſſe *regenitum*, & hoc ipſum attributum non alii quam *regenito* convenire poſſe. Vt res iſta plane expediri poſſit, videndum quid iſta phraſis ſignificet, *delectari lege Dei*, vel *condelectari legi Dei*, quemadmodum Græcus textus vertendus videtur, & verſio vetus habet. Verbum enim *Συνήδομαι mutuam delectationem*, quæ eſt inter hunc hominem & legem, ſignificare videtur, qua & homo hic legi & lex homini iſti condelectetur. Condelector legi, id eſt, delector cum lege; eadem mihi placent quæ legi. Quæ interpretatio illuſtrari poteſt & firmari ex collatione cum ſimilibus phraſibus, quæ paſſim alibi occurrunt. Rom. 15.30. *Συναγωνίσασθαί μοι* ut mecum certetis: & verſ. 23. *Συναναπαύσωμαι ὑμῖν* una refociller vobiſcum: Phil. 4. verſ. 3. *Συνήθλησάν μοι* una mecum certarunt: Rom. 8. 6. *συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν*, teſtatur una cum Spiritu noſtro. Vnde non incommode Chryſoſtomus *condelector legi*, explicat pro *aſſentior legi quod bene habeat*, *quemadmodum & lex mihi viciſſim, quod bonum eſt facere volenti*: ſumpta explicatione iſtius phraſeos ex textu ipſo; quod genus interpretandi obtinere hic non modo poteſt, ſed etiam debet, quum nullus alius tota Scriptura ſit locus ubi eadem iſta phraſis uſurpatur. Si quis volet tantundem valere atque phraſis Pſal. 1. 2. uſurpata, ſciat ſibi incumbere iſtius ſuæ adfirmationis probationem: quæ non immerito ab illo poſtulatur, quum antecedentia & conſequentia, quæ *iſti homini*, quem *Pſalmus primus* denotat & *beatum* prædicat, attribuuntur, multum ſint diverſa ab iſtis quæ *huic homini* tribuuntur, de quo hic agitur, imo contraria. Sed conceſſo hoc (at non dato, quod abſit) notandum tamen quod *hic homo* non dicatur *ſimpliciter delectari lege Dei*, ſeu *condelectari legi Dei*, ſed cum reſtrictione & ſecundum quid, nempe *ſecundum interiorem hominem*. Quæ reſtrictio ſignificat *interiorem hominem* in hoc homine primas non obtinere, ſed *impotentiorem* eſſe quam *caro* ſit, utpote quæ impediat ne *legem* cui aſſentitur, & *cui condelectatur* opere & actu ipſo *præſtare* poſſit. Hanc autem reſtrictionis illius cauſam eſſe videbit qui verſum ſequentem cum hoc præſente comparabit. Iſto enim non dicitur, *ſed video aliud in me ſecundum quod non delector lege Dei*, qualis oppoſitio eſſe deberet, ſi illa reſtrictione Apoſtolus vellet tantum *delectari* illud homini iſti ſecundum *unam ipſius partem* adſcribere, & ſecundum *alteram* adimere: quum vero *alteri parti* non modo adimat illud *delectari*, ſed inſuper tribuat vires *belligerandi contra illum interiorem hominem*, *eumque ſuperandi*, patet reſtrictionem ideo additam, ut doceat

imo

interiorem hominem in hoc homine non *dominari*, ſed *inferiorem eſſe.* Qui iſtis contradicere volet, doceat ſimilem reſtrictionem uſurpatam ubi de *regenitis* agitur, & in alium finem allatam. Ex hiſce igitur apparet propoſitionem meritiſſimo juro negari. Videamus *adſumptionem.*

Ad Aſſumptionem, quæ mutile propoſita eſſe oſtenditur per omiſſionem eorum quæ verſ. 23 docentur.

Dico illam *mutile* propoſitam eſſe, ut ante in argumento ex 18. verſu allato. Conjungit enim Apoſtolus *verſum ſequentem* cum iſto, atque ita ut verſus ſequens 23. ſit compoſiti & diſcreti axiomatis *pars præcipua*, adhibita ad probandum quod Apoſtolus intendit: iſta vero *pars* quæ in Aſſumptione eſt poſita, *minus eſt principalis*, faciens ad alterius illuſtrationem per diſcretionem. Unde ſequitur concluſionem ex præmiſſis deduci non poſſe, propterea quod *propoſitio ſit veritate deſtituta, aſſumptio mutila, & concluſio ipſa præter & contra propoſitum Apoſtoli.*

Argumentum pro contraria ſententia ex verſ. 23

Videamus porro an ex verſu 23. quid adferri poſſit ad contrariæ ſententiæ demonſtrationem.

Homo qui in ſe habet præter legem membrorum, legem mentis illi contrariam, eſt regenitus. Talis hic homo. Ergo regenitus. Propoſitionem veram eſſe credunt, quia *lex mentis* mentis ſit oppoſita *legi membrorum*, utpote *conſentiens legi Dei*, quod *ſolis regenitis* convenire exiſtimant: idque confirmari putant ex eo quod hic idem Apoſtolus quandam diſertè nominet *mentem carnis*. Coll. 2. 18. quam etiam vocat *φρόνημα σαρκὸς*, infra 8. verſ. 7. At iſtis locis propoſitio adſtrui nequit.

Reſponſio ad propoſitionem

Eſt enim *ſimpliciter falſa*, & quæ adferuntur ad probandum inidonea. Nam & *irregenitis nonnullis*, illis nempe, qui *ſub lege* ſunt, qui *legis notitiam habent*, qui *habent cogitationes accuſantes & excuſantes*, qui *norunt concupiſcentiam peccatum eſſe*; aliud quid præter *legem membrorum*, *mentem carnis*, *φρόνημα τῆς σαρκὸς*, convenit, illis *oppoſitum & repugnans*, nempe *opus legis ſcriptum in cordibus illorum*: quod neque eſt *lex membrorum*, neque *mens carnis*, neque *φρόνημα τῆς σαρκὸς*, ſed *pugnans cum iiſdem. Conſcientia enim boni & mali hominem*, licet fruſtra, *compellens ad bonum*, *abſterrens à malo*, *opponitur* directe *legi membrorum* ad malum impellenti, *& affectui carnis qui legi Dei ſubjici nequit.* Hæc enim *conſcientia eſt legi Dei conſentiens, & illius* eiuſdem *legis* in *homine* etiam *irregenito inſtrumentum* ad illum *accuſandum & convincendum.* Quare licet illam *propoſitionem* negare, & poſtulare probationem illius firmiorem.

Ad aſſumptionem.

Ad *aſſumptionem* quod attinet, idem dicere licet quod antea; *non plene propoſitam* ut decet, ſed *cum omiſſione* eorum quæ juncta fuerant in textu Apoſtoli: *iſta* autem *talia* ſunt, ut *addita aſſumptioni* facile ſint *declaratura falſitatem* propoſitionis, nempe quod talis ſit in hoc homine *legis membrorum & mentis oppoſitio*, ut illa adverſus hanc non *bellum modo gerat*, ſed & *victoriam è prælio reportet*, *hominem* nempe ipſum *captivans ſub lege peccati.* Hinc etiam liquet *concluſionem inde ſequi non poſſe.*

Argumentum firmiſſimum ex duobus iſtis verſibus, primo ad refutationem contrariæ ſententiæ.

Verum experiamur jam an non ex hiſce duobus verſibus quid pro altera ſententia ſtabilienda deduci poſſit. Ego ſane videor mihi invictum argumentum hinc poſſe producere ad ſententiæ contrariæ refutationem, & ſtabilimentum meæ. Ad refutationem contrariæ hoc pacto,

Lex mentis belligerans adverſus legem mem-

membrorum, vincitur à lege membrorum, adeo ut homo captivus reddatur legi peccati, quæ eſt in membris ipſius, hoc loco:

2. Cor. 10. 5. captivam ducimus omnem cogitationem ad obedientiam Chriſto.

At lex Spiritus vitæ qui eſt in Ieſu Chriſto belligerans adverſus legem membrorum illam vincit, adeo ut hominem captivatum ſub lege peccati, à lege peccati & mortis liberet. Rom. 8. 2.

Ergo lex Spiritus non eſt lex mentis, neque lex mentis lex Spiritus, quod patet ex inverſione ſimplici & ex illo eodem ſyllogiſmo, præmiſſis ita tranſpoſitis ut aſſumptio propoſitionis locum obtineat, & vice verſa. Et propterea mens hic pro Spiritu non uſurpatur. Hoc argumentum eſt irrefutabile, conetur qui volet & experietur. Sub finem autem rectius intelligetur eius vis, ubi totum hoc negotium quod hic agitur plenius explicatur.

Deinde ad ſtabilimentum vera; quod initio amplè proponitur.

Ad ſtabilimentum meæ ſententiæ ita hinc deduco argumentum.

Homo ille qui delectatur quidem lege Dei ſecundum interiorem hominem, at lege mentis ſua pugnans adverſus legem membrorum, iſti prævalere non modo non poteſt, ſed etiam ab illa ſuperatur, & captivatur ſub lege peccati, fruſtra repugnante lege mentis ipſius, eſt irregenitus, & non ſub gratia, verum ſub lege conſtitutus.

At hic homo, licet delectetur lege Dei ſecundum interiorem hominem, & lege mentis pugnet adverſus legem membrorum, tamen non poteſt legi membrorum non modo non prævalere, ſed etiam à lege membrorum captivitatur ſub lege peccati, fruſtra obnitente lege mentis.

Deinde brevius conſtringitur.

Ergo homo hic eſt irregenitus, non ſub gratia ſed lege conſtitutus. Vel brevius, omiſſis quæ omitti poſſunt:

Homo ille in quo lex membrorum ita belligerat cum lege mentis, ut hæc ſuperata, aut ſaltem fruſtra renitente, hominem ipſum captivet ſub lege peccati, eſt irregenitus, & ſub lege conſtitutus.

At in homine iſto, de quo Apoſtolus agit, belligerat lex membrorum cum lege mentis, ita, ut hac ſuperata, aut ſaltem fruſtra renitente, hominem ipſum captivet ſub lege peccati.

Ergo homo iſte eſt irregenitus, & ſub lege conſtitutus.

Propoſitio probatur tribus rationibus.

Propoſitionis veritas nititur hiſce tribus rationibus. I. Quod homo regenitus non tantum lege mentis ſuæ pugnet contra legem membrorum, ſed potiſſimum lege Spiritus, id eſt, vi & robore Spiritus ſancti. ſic enim dicitur ad Gal. 5. 17. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum, & Spiritus adverſus carnem.* II. Quod iſtius pugnæ quam regenitus vi & robore Spiritus ſeu lege Spiritus pugnat adverſus legem membrorum & carnem, longe alius ſit exitus. Nam plærunque victoriam refert lex Spiritus; niſi deſinat homo adhibere iſtam in prælio, eaque ſe defendere adverſus ingruentes tentationes carnis, ſathanæ, & mundi. III. Quod in hominem regenitum & ſub gratia conſtitutum non competat captivari ſub lege peccati, ſed potius id quod capitis ſequentis. v. 2. illi tribuitur, nempe liberum eſſe factum per legem Spiritus vitę à lege peccati & mortis, quum antea ſub lege conſtitutus ſub vi & poteſtate peccati captivatus eſſet.

Quæ firmantur contra objectamenta.

Firmabo nunc iſtas rationes adverſus objectamenta quæ objiciuntur aut objici poſſunt.

Adverſus primam rationem objici poteſt, quod quum lex mentis & lex Spiritus unum ſint, imperite hic diſtinguantur: tum etiam quod nemo adverſus legem membrorum pugnet

pugnet niſi lege Spiritus, ſeu vi & robore Sp. ſancti: & propterea legem mentis eſſe legem Spiritus. Reſp. Ante probatum eſſe, quod lex mentis & lex Spiritus non ſint idem, & quod etiam conſcientia pugnet in hominibus ſub lege exiſtentibus contra legem membrorum.

Adverſus ſecundam rationem objici poteſt, quod etiam regeniti in multis offendant. Iacob. 3. 2. *quod non ſit homo in terra qui non peccat.* 1. Reg. 8. 46. quod *regeniti* non poſſunt, *vere dicere ſe peccatum non habere.* 1. Ioh. 1. 8. & ſimilia. Reſp. me iſta omnia ex animo fateri, at non videre quod ratio ſecunda ullo pacto per iſta infirmetur. Non enim pugnant inter ſe, in multis labi regenitos, & plerunque ex pugna adverſus peccatum victoriam referre, quando ſcilicet armis quibus à Sp. ſancto ſunt inſtructi utuntur. Siquis dicat regenitos in iſta pugna ſæpius vinci quam vincere: velim illum explicare quomodo tum de regenitis dici poſſit, quod non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum ambulant. Vinci enim eſt patrare carnis deſideria. Qui hoc plærunque facit ſecundum carnem ambulat. Quod autem pugna iſta quam regeniti adverſus peccatum vi & robore Spiritus ſancti ſuſcipiunt, fælicem plærunque & lætum illis ſortiatur ſucceſſum, docent multa Scripturæ loca. 1. Ioh. 5. v. 4. 5. *Quicquid natum eſt ex Deo vincit mundum, & hæc eſt victoria quæ vicit mundum, fides noſtra. Quis eſt qui vincit mundum niſi qui credit Ieſum eſſe Chriſtum?* Iacob. 4. 7. *Subjicite vos Deo, reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.* 1. Ioh. 4. *potentior eſt qui in vobis eſt, quam qui in mundo eſt,* Epheſ. 6. 11. *Induite univerſam illam armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli.* & v. 13. *propterea aſſumite univerſam illam armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere tempore adverſo, & omnibus confectis ſtare.* Phil. 4. 13. *Omnia valeo per Chriſtum qui me corroborat.* Marc. 9. 23. *Omnia poſſibilia ſunt credenti.* Quod variis exemplis comprobatur. Heb. 11. *toto capite,* Epheſ. 3 20. *Ei vero qui infinita cum redundantia poteſt omnia facere ſupra ea quæ petimus aut mente concipimus pro vi illa agente in nobis, ſit gloria.* &c. Iud. 24. *Cæterum ei qui poteſt vos ſervare à peccato immunes, & ſtatuere in conſpectu ſuæ gloriæ inculpatos cum exultatione, ſit gloria,* &c. Rom. 8. 13. 5. *Si Spiritu actiones corporis mortificaveritis, vivetis,* &c. v. 37. *Imo in his omnibus plusquam victores ſumus per eum qui dilexit nos.* Et multis aliis locis illud idem probari poteſt.

Probatur ex Scripturis Regenitos in pugna contra peccatum plerunque vincere.

Sed conſideremus locum ad Galatas 5. verſ. 16. 17. 18. eumque cum hoc præſenti conferamus, ut & inde clare conſtare poſſit, pugnæ quæ eſt inter ſpiritum & carnem hunc exitum plærunque eſſe, ut ſpiritus carne ſuperior ex pugna diſcedat, quum hic ad Romanos videamus contrarium prorſus eventum deſcribi & deplorari. Locus ita habet, *Hoc autem dico, Spiritu incedite, & quod caro concupiſcit ne perficite, ſeu non perficietis. Nam caro concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus autem adverſus carnem: hæc autem inter ſe oppoſita ſunt, ut non quæcunque vultis, ſeu volueritis, eadem faciatis. Quod ſi Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Adhortatio Apoſtoli eſt verſ. 16. quæ propter Græcæ vocis ambiguitatem dupliciter legi poteſt, nempe, perficite aut perficietis. Si priore modo legatur, tum adhortatio conſtat duabus partibus, quarum altera docet quid faciendum ſit, altera quid

Conſideratio ſpecialis loci ad Gal. 5. 16 17. 18 eiuſque cum hoc præſenti loco collatio.

ſit omittendum; ſpiritu nempe incedendum, & carnis deſideria non perficienda: Sin ſecundo modo legatur, tum continet adhortationem his verbis: ſpiritu incedite; & ſubjunctum adhortationi conſectarium, his verbis: & deſideria ſeu cupiditates carnis non perficietis. Quæ lectio Apoſtolicæ menti videtur convenientior. Nam jam ante verſ. 13. adhortatus eſt Galatas, *ne libertate Christiana ad licentiam & laſciviam carnis abuterentur*: Iam vero verſu 16. remedium adfert, quomodo poterunt carnis impetum & vires compeſcere & frenare: nempe ſi ſpiritu incedant, tunc futurum eſſe ut deſideria carnis non perficiant. Ratio additur verſ. 17. deducta à contrarietate & lucta quæ eſt inter carnem & ſpiritum, & luctæ iſtius vel fine vel eventu. Contrarietas ſeu lucta hiſce verbis deſcribitur: *Nam caro concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus autem adverſus carnem.* Vnde conſtat neceſſitas tum adhortationis, ne ad licentiam carnis abuterentur libertate Chriſtiana, neve carnis concupiſcentias perficerent, tum remedii, quo ſolo carnis cupiditates frenari & compeſci poſſunt; nempe ſi ſpiritu incederent, qui adverſus carnem concupiſcit. Ex iſta enim quæ inter carnem & Spiritum eſt inimicitia & contrarietate concluditur; ſi ſpiritu incedant fore ut carnis concupiſcentias non perficiant. Vnde etiam apparet poſteriorem iſtam lectionem Apoſtolico ſenſui eſſe aptiorem. Luctæ iſtius finis vel eventus deſcribitur hiſce verbis: *Hæc autem inter ſe oppoſita ſunt, ut non quæcunque volueritis illa faciatis.* Dixi luctæ finem vel eventum deſcribi propterea quod nonnulli non finem ſed eventum hic declarari exiſtimant. At particula ab Apoſtolo uſurpata, ἵνα nempe, finem ſignificat, & non eventum, & ipſæ Apoſtolicæ menti omnino convenit hæc interpretatio. Horſum enim Spiritus adverſus carnem concupiſcit, ut illa quæ ſecundum carnem concupiſcimus & volumus non perficiamus. Vnde ſequitur, ſi ſpiritu incedamus carnis deſideria non perfecturos: & contra, cum caro horſum etiam concupiſcat adverſus Spiritum, ut quæ ſecundum ſpiritum concupiſcimus non perficiamus: ſequitur ſi carne aut ſecundum carnem incedamus, ſpiritus cupiditates non perfecturos. Verum ſcopo Apoſtoli conveniens eſt hæc lectio, ut non quæcunque ſecundum carnem volueritis eadem faciatis. Si eventum hic ſignificari dicamus, tum ſenſus etiam erit bipartitus. Poterit enim eſſe: caro & ſpiritus inter ſe ſunt oppoſita, ita ut non faciatis ea quæ ſecundum ſpiritum vultis: poteſt & iſte; ita ut non faciatis illa quæ ſecundum carnem vultis: hoc eſt, hunc eventum ſortitur iſta lucta, ut non faciatis quæ vultis ſecundum ſpiritum, vel, ut non faciatis quæ vultis ſecundum carnem. At videamus uter ſenſus convenientior ſit. Sane hic poſterior. Nec convenientior modo ſed & neceſſarius, ſi de eventu hic agatur: quod ex abſurditate admonitionis apparebit, ſi iſto altero ſenſu locus explicetur. Admonet Apoſtolus ut ſpiritu incedant, & ne carnis concupiſcentias perficiant (illam enim lectionem jam retinebimus, tanquam qui iſti ſenſui qui de hoc eventu locum explicat, ſit magis conſentanea) ſuaſio erit: Nam caro & ſpiritus inter ſe ſunt oppoſita, hoc

eventu,

eventu, ut illa quæ ſecundum ſpiritum vultis non faciatis: quod ſane non eſt adhortari, ſed eventus infælicis prænuntiatione diſſuadere & dehortari. Quin & ipſa ratio poſtulat κατ' πάντων παιδείας, ut id quod propoſitum eſt concludatur, ſecus ſcopæ erunt diſſolutæ. Propoſitio autem fuit, vel hæc; ſpiritu incedite, & quod caro concupiſcit non perficietis: vel hæc; ſpiritu incedite, & quod caro concupiſcit ne perficite. quo pacto iſta propoſitio concludatur ex verſ. 18. intellecto de eventu, quo caro impedit ne quod ſecundum ſpiritum volunt Galatæ, perficiant, velim commonſtrari. At quod pulchre utraque propoſitio concludatur ex loco de fine pugnæ intellecto, imo & de eventu ubi ſpiritus eſt ſuperior, jam antea eſt monſtratum. Apparet itaque pugnæ, cuius hic fit mentio, non finem modo ex ſpiritus concupiſcentia, ſed & eventum ex eiuſdem vi & potentia hunc eſſe, ut ſpiritus carne devicta ſuperior evadat, & homo ſpiritu pugnans adverſus carnem, & ſpiritu incedens, ea quæ concupiſcit caro non perficiat. Hinc conſectarium infertur. v. 18. *Quod ſi ſpiritu ducimini non eſtis ſub lege:* hoc eſt, ſi ſpiritu inceditis, ſi ſpiritus ductu adverſus concupiſcentias carnis certatis, atque ita certatis ut eaſdem non perficiatis: inde certe concludere vobis licebit, quod non ſitis ſub lege. In hoc conſectario videmus ſub lege eſſe, & carnis concupiſcentias non perficere, eſſe oppoſita; nam hoc ipſum eſt proprium effectum ductus ſpiritus; quare conſentanea ſunt, ſub lege eſſe, &, quod caro concupiſcit perficere: hoc autem eſt quod ad Rom. 6. 14. dicitur: *peccatum vobis non dominabitur, non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Unde apparet peccati dominatum, qui cauſa eſt quod carnis concupiſcentiæ perficiantur, in iis qui ſub lege ſunt obtinere; quum autem non obtineat in iis qui ſub gratia ſunt, & quidem hac de cauſa, quia ſunt ſub gratia, hinc conſtat conſentanea, imo eadem eſſe, ſub gratia eſſe, & ſpiritu duci: unus enim eſt utriuſque effectus, hoc eſt, impedire ne peccatum dominetur in homine, & ne homo carnis concupiſcentias perficiat: quod etiam 8. cap. ad Rom. prolixe explicatur, convenienter iſti quod breviter hic verſ. 17. eſt poſitum, nempe *ſpiritum carni horſum eſſe oppoſitum. ut non faciant ea quæ ſecundum carnem volunt.* Ex 7. vero ad Rom. cap. perſpicuum eſt alium eſſe pugnæ exitum de quo ibi agitur: nam *homo ibi facit quod vult ſecundum carnem, & non facit quod velle dicitur ſecundum interiorem hominem*, fruſtra peccati vim & carnis concupiſcentias impedire conante lege Dei, lege mentis, & interiore homine, propterea quod per carnem ſunt debilitatæ.

Si quis regerat, hoc quoque regenitorum optimis evenire ut non perficiant ea quæ ſecundum Spiritum volunt, ſed ea quæ caro concupiſcit perficiant. Fateor, ſi addatur id aliquando fieri. Si enim plerunque id fiat, jam non Spiritu incedunt, quod tamen regenitorum eſt proprium. Sed dico ad Romanos 7. non deſcribi quid aliquando piis eveniat, ſed ſtatum deſcribi iſtius hominis de quo ibidem agitur, hoc eſt, ſub lege exiſtentis, antequam gratiæ ductu agitur, & Spir. ſancti actu regatur. Quod ex hoc loco ad Galatas confirmatur. Deinde reſpon-

Obiectio.

Reſponſio.

Reſpondeo, illud evenire non ex eo quod Spiritus qui aliquandiu colluctatus eſt cum carnis deſideriis, tandem victus cedat ob impotentiam: ſed quod homo iſte vel præoccupetur à tentatione, & ſuperetur, antequam ſpiritus & gratiæ arma opponere incipiat; vel in ipſo conflictus progreſſu arma quæ uſurpare cæpit ab initio è manibus abjiciat, vel ulterius non adhibeat, incipiens pugnam in Spiritu, ſed in carne pugnam perficiens. Secus fieri nequit ut ſuperent caro, mundus, ſathanas, quia potentior eſt qui in nobis eſt quam qui in mundo: ut antea pluribus eſt demonſtratum. Cauſa alia cur pii & qui ſub gratia conſtituti ſunt, à carne, mundo, ſathana vincantur, aliquando, reddi non poteſt ſine ignominia & contumelia gratiæ divinæ & Spiritus Chriſti. Aut enim non fortior eſt Spiritus qui in nobis eſt, aut concupiſcens & pugnans adverſus carnem vincit. Et quomodo fieri poterit, ut qui carnem, quum adhuc integris viribus eſſet, debellavit, & ſic nos ſibi ſubjecit; de carne crucifixa & mortificata in corpore Chriſti, victoriam referre non poſſit.

Ad tertiam rationem objicitur, quod etiam regeniti aliquomodo & ſecundum quid captivari dicantur ſub peccato, nempe, qua nondum plene ſunt regeniti, & motus carnis concupiſcentis contra Spiritum adhuc in ſe ſentiunt, à quibus penitus non liberantur, dum in hoc mortali corpore verſantur. Concedo antecedens, nego conſequens. Nam tantum abeſt ut Scriptura illis tribuat ob regenerationis imperfectionem & carnis reliquias quod ſub peccato captivi detineantur, ut illius regenerationis reſpectu dicantur liberati à jugo & ſervitute peccati & Diaboli tyrannide. Contradictoria ſunt peccati reliquias ſupereſſe in regenitis, & regenitos ab iiſdem detineri captivos: illud ſignum eſt peccati devicti & ſuperati, hoc victoriam & triumphum attribuit peccato: quæ enim poſt cœptam peccati mortificationem a Spiritu, eiuſdem Spiritus circa peccatum eſt actio? certe perſecutio reliquiarum peccati, ut & eas debellet & extinguat, donec non ſint amplius; & locus illorum quæratur, nec inveniatur, ut Auguſtinus alicubi de hoc negotio agens eleganter dicit. Cauſa autem opinionis illius eſt, quod libertas à peccato, & ſervitus ſub eius tyrannica poteſtate, ſolutio a vinculis Sathanæ, & captivitas ſub eius tyrannide ita æſtimentur, ac ſi in gradibus remiſſis (ut aiunt) concurrere poſſint, & convenire in uno ſubjecto: non ſecus atque albor & nigror in virore, calor & frigus in tepore: quum res longe aliter habeat. Libertas enim ne cum minima quidem ſervitute vel captivitate conſiſtere poteſt: licet magna difficultate laborare queat hoſtibus ingruentibus reſiſtendi, imo & aliquando cladem aliquam ex conflictu auferat. Verum etiamſi ad modum iſtorum ſimilium res haberet, tamen neque tunc dici poſſet homo ille partim liber a peccato, partim peccati ſervus & captivus: ſed neceſſum eſſet ex illis duobus tertium quid exiſtere, quod medium inter extrema iſta, neque huius, neque illius nomen ſortiri poſſet. At velim locum Scripturæ ullum proferri, ubi de regenitis & ſub gratia conſtitutis hoc dicitur, quod homini, de quo hic agitur,

agitur, adſcribitur, vel illi æquivalens.

Conſideratio loci Eſa. 64. 10. Locus Eſaiæ.64.v.10. adfertur ad comprobandum, quod pii & ſub gratia conſtituti a lege membrorum captiventur ſub lege peccati: ſed quam recte, collatio utriuſque loci patefaciet. Locus Eſaiæ ita habet. *Sed ſumus omnes nos ut immundus, & ſicut panniculus menſtruatus ſeu abjectiſſimus omnes juſtitiæ noſtræ, diffluimuſque velut folium, & iniquitates noſtræ ut ventus auferunt nos.* Locus vero ita habet: *Sed video aliam legem in membris meis, belligerantem adverſus legem mentis meæ, & me captivantem legi peccati quæ eſt in membris meis.* Age vero inſtituamus collationem. Illo loco agitur de captivitate qua populus ob peccata ſua abductus fuit in exilium, hic de captivitate ſub peccato. Ergo hoc eſt ad aliud genus tranſire, contra rationem probæ diſputationis. Illo loco agitur de pœnis quas populus patiebatur merito propter peccata actualia quæ perpetrarent contra Deum, hic vero agitur de cauſa unde fiat, quod homo, qui legi Dei conſentit, qui lege mentis ſuæ bellum gerit adverſus legem membrorum, vincatur & ſuperetur, ita ut perpetret peccatum actu ad quod a peccato inhabitante inſtigatur & impellitur: quare hic de cauſa actualis peccati, ibi de actualium peccatorum pœnis agitur. Phraſis enim iſta, diffluimus ut folium, & iniquitates nostræ ut ventus auferunt nos, non ſignificat homines iſtos per pravas carnis concupiſcentias ad quodvis peccati genus, velut vento vehemente impelli, & velut in peccata diffluere: ſed propter peccata actualia, quæ iniquitatum nomine appellantur, in exſilium tanquam vento deferri, & tanquam folia disjici. Conferatur Pſal. 1. ubi ſimilia de impiis dicuntur. Inſpiciantur Interpretes noſtri Calvinus, Muſculus, Gualtherus, &c. & conſtabit totum iſtum locum etiam quod ad antecedentia male a multis citari ad probandum quod volunt. Ad planiorem huius rei explicationem notandum, duplicem eſſe captivitatem ſub peccati tyrannide, unam primævæ noſtræ ex Adamo originis, ſecundum quam omnes iræ filii & ſervi peccati naſcimur; alteram particularis noſtri actus, quando nos per actualia peccata magis magiſque peccato ſubjicimus, devincimus, & in eius ſervitutem obligamus: quam duplicem ſervitutem nonnulli allegoricè ſignificatam volunt per Ægyptiacam & Babylonicam captivitatem. Iſraelitæ enim in ſuis parentibus ingreſſi ſunt Ægyptum, ibique poſt delapſum ſeculorum opprimi cæperunt, & pro ſervis haberi. Idem populus propter ſua peccata per vim hoſtium in captivitatem abductus eſt Babylonicam. Captivitas autem de qua hic agitur, eſt poſterior illa: Nam lex membrorum quæ ex primæva origine nobis ineſt, belligerans cum lege mentis, iſta ſuperata, hominem ſub lege captivat legi peccati, illum inquam hominem qui antea in peccatis conceptus & natus erat. Et ut uno verbo dicam, natus in peccato & ſub captivitate peccati originaliter, captivatur ſub lege peccati per actualia peccata. Ex hiſce igitur apparet ſyllogiſmi noſtri propoſitionem eſſe veram, & inconcuſſam ſtare adverſus iſta objectamenta. Aſſumptio eſt in ipſo textu Apoſtoli. Vnde concluſio ſequitur, quod homo de

Et Epiphan. eius impartit. *Epiphanius hæreſi 64. lib.* „ *2. tom. 1 ex Methodio.* Quarum non „ corpus hoc mortem, ſed peccatum „ inhabitans ô ſtylaophon, dicit, a quo „ Deus ipſum per adventum ſuum li- „ beravit.

Argumentum ex verſ. 20. pro vera ſententia. Quare ex hoc verſu recte intellecto ita argumentor pro ſtabilienda mea ſententia. I. *Homines ſub gratia conſtituti non ſunt miſeri. At hic homo eſt miſer. Ergo non eſt ſub gratia conſtitutus.* Aſſumptio eſt in textu, & extra controverſiam. Ad propoſitionem dicet forte aliquis, quod homines ſub gratia conſtituti ex parte beati ſint, ex parte miſeri: beati, qua regeniti & gratiæ Chriſti participes; miſeri, qua adhuc reliquias peccati in ſe habent, cum quibus aſſiduo luctari debent. Quod certum eſt ſignum nondum plenæ & perfectæ fælicitatis. Fateor regenitos ad plenam & omnibus numeris abſolutam & perfectam fœlicitatem non pervenire dum in hac mortali vita degunt, at propterea miſeros dici reſpectu vitæ ſpiritualis, quam in fide filii Dei vivunt, legere me non memini: licet reſpectu huius animalis vitæ omnium hominum ſint miſerrimi. 1 Cor. 15. 19. Contrarium facile probari poteſt ex Scripturis Matth. 5. *Beati qui lugent, pauperes Spiritu, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, &c.* Sed inquiet aliquis, annon miſerum eſt cum reliquiis peccati certare, ab Angelo Sathanæ colaphizari, interdum vinci & graviter lædi? Optandum ſane ut illud neceſſe non ſit, ut iſtud nunquam fiat, ut ab Angelo Sathanæ liberari poſſint: at propter iſtam concertationem & colaphizationem miſeri dici non poſſunt certantes & colaphis percuſſi. At vinci ſane miſerum eſt. Verum nec illi miſeri dicuntur qui aliquando victi ſæpius victoriam a mundo, peccato, & Sathanæ reportant.

2. *Qui cupit liberari à corpore mortis iſtius, id eſt, à dominio & tyrannide peccati, ille non eſt ſub gratia, ſed ſub lege conſtitutus. At hic homo cupit liberari à dominio & tyrannide peccati. Ergo, &c.* *Alterum argumentum ex eodem verſu.*

Propoſitio vera eſt, quia homines regeniti & ſub gratia conſtituti, liberi ſunt a ſervitute & tyrannide peccati, non perfecte quidem, ſed eouſque ut dici non poſſint ſub peccati dominio & ſervitute eſſe, ſiquis Scripturis conſentaneè loqui velit. Quod vero hic homo cupiat liberari a corpore peccati inhabitantis & dominantis, jam ante probatum eſt. Ergo ſequitur concluſio.

Verſus 25. priore parte Chryſoſtomus legit, *Gratias ago*: ſic & Theophyl.

Ambroſius legit, *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum.*

Sic etiam Hieronym. legit adverſus Pelagianos.

Auguſtinus etiam legit, *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum.* Tomo 10. de verbis Apoſtoli ſerm. 5.

Epiphanius lib 2. tom. 1. ex Methodio contra Originem hæreſ. 64. legit, *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum.*

Eſt autem gratiarum actio, qua Paulus Deo gratias agit, quod ipſe in ſua propria perſona liberatus ſit ab illo corpore peccati, de quo egit, & cui obnoxius eſt homo iſte, cuius perſonam ſuſtinuit. qua gratiarum actione continetur implicite reſponſio ad exclamationem interrogatoriam; nempe gratiam Chriſti eſſe, quæ miſerum illum ſit liberatura a corpore mortis iſtius, a quo per legem liberari non potuit: quod nonnulla exemplaria directe & aperte

explicant, in quibus legitur: *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*, ſcilicet, Liberabit me, ſeu iſtum hominem a corpore mortis iſtius, quod eſt præcipue in hac tractatione Apoſtolo propoſitum probare.

Mente ſervit legi Dei, carne legi peccati.

Poſteriore parte eiuſdem verſ. 25. eſt brevis omnium dictorum velut recapitulatio, qua ſtatus hominis illius, de quo Apoſtolus hic agit, breviter definitur & deſcribitur, his verbis: *Nempe igitur ipſe ego mente quidem ſervio legi Dei, carne vero Legi peccati.* In harum phraſeωn recta explicatione magnum poſitum eſt momentum ad totius rei enucleationem & dilucidationem, quare iſtæ nobis diligenter ſunt inſpiendæ.

Qui hunc locum de homine regenito & ſub gratia conſtituto interpretantur hiſce phraſibus ſignificatum volunt, quod Paulus qua regenitus Deo ſervierit, qua vero non regenitus, ſed adhuc ex parte carnalis, ſervierit peccato: Mentem pro hominis parte regenita accipientes, carnem pro ea parte qua nondum eſt regenitus, & ſervire legi Dei idem putantes eſſe quod ſervire Deo, ſicut & ſervire legi peccati idem quod ſervire peccato. Verum neutrum ex Scripturis aliis aut ex hoc loco probari poteſt. Apoſtolus enim non mentis, ſed Spiritus voce ſolet appellare hominem qua regenitus eſt, & merito. Nam mens eſt regenerationis ſubjectum, Sp. ſanctus effector eiuſdem, ex cuius communione nominis quoque participatio naſcitur. Quin & ipſa mens carni tribuitur Coll. 2. 18. & *Gentes* dicuntur *ambulaſſe in vanitate mentis ſua.* Epheſ. 4. 17. *Idololatra traditi in reprobam mentem.* Rom. 1. 28. & *homines mente corrupti.* 1. Timoth. 6. v. 5. & 2. Tim. 3. 8. Quod vero non eadem ſint *Deo & legi Dei ſervire*, *peccato ſervire & legi peccati*, patet primo ex verborum ipſorum diverſitate. Diverſas enim phraſes diverſos ſenſus notare eſt veriſimile: ſiquis neget, illi incumbit probatio. Secundo, Ex dictis Chriſti negantis fieri poſſe, ut quis duobus dominis ſerviat Deo & Mammonæ, Deo & peccato. Si quis dicat hoc reſpectu diverſo fieri poſſe, nempe mente Deo, & carne peccato. Reſpondeo ſic Chriſti dictum generale eludi diſtinctiuncula iſta, magno pietatis & cultus divini detrimento; & quæ erit aperte feneſtra Libertinis & Pſeudo-Nicodemitis per iſtam diſtinctionem?

Non idem eſt Deo & legi Dei ſervire.

At dicet quis Apoſtolum hoc diſerte affirmare: quod nego; & phraſes recte explicatæ hoc declarabunt paulo poſt. *Servit enim hic homo peccato, & non Deo.* Tertio, Ex conſuetudine Scripturæ perpetua, quæ iſtas reſtrictiones non ſolet uſurpare quando quis Deo aut peccato ſervire dicitur. Quare quum hic uſurpentur, verſimile eſt, non idem iſtis diverſis phraſibus ſignificari.

Cæterum res ipſa, quæ hic agitur, plane ob oculos poſita, verum iſtarum phraſeωn ſenſum nobis aperire poteſt, adeo ut qui oculo probo, & ſolius veritatis indagandæ & cognoſcendæ cupido illam inſpiciet, habere queat quo ſibi ſatisfaciat.

Apoſtolus itaque *quatuor legum* hic mentionem facit, I. *Legis Dei*, II. *Legis peccati*. III. *Legis mentis*. IV. *Legis Membrorum*, quæ hoc pacto & opponuntur & conſentiunt.

Lex Dei & *Lex peccati* directe oppo-

opponuntur: ſic etiam *Lex mentis & Lex membrorum*.

Lex Dei & *Lex mentis* conſentiunt; ſi & *lex peccati* & *lex membrorum*.

Vnde & *Lex Dei & Lex membrorum* indirectè opponuntur: ſicut *Lex peccati & lex mentis*.

Verum hæc omnia ex adjecto hoc diagrammate intelligi planius poterunt.



Lex Dei & peccati hic præcipuam obtinent dignitatem: *Lex mentis & Lex membrorum* tanquam ancillatrices ponuntur, & ſervitium illis ſuperioribus præſtantes. *Mens enim condelectatur legi Dei, & lex membrorum* hominem *captivum reddit legi peccati*: quibus præſuppoſitis rem explico.

Explicatio Diagrammatis. Duo hic ponuntur Domini ab Apoſtolo inter ſe prorſus contrarii: & directe oppoſiti; *Deus & Peccatum*: Ille legitimus Dominus, hic Tyrannus, & per vim (culpa quidem hominis & juſto Dei judicio) dominium uſurpans in hominem. Vterque homini legem ponit, Deus ſuam, ut homo ipſi obediat in iis quæ præſcribit; *Peccatum* ſuam, ut homo ipſi obediat in cupiditatibus ipſius, quas lege quadam ſua proponit: Illa Lex Dei dicitur, hæc lex peccati. Illa Deus hominem (ſub lege poſitum) ad ſui obedientiam ducere conatur, hâc peccatum eundem ad ſui obedientiam impellere omni vi ſatagit & molitur. Deus præſcribit ſua lege ea quæ juſta, ſancta, & bona ſunt; peccatum ſua lege proponit ea quæ utilia, jucunda, & amœna ſunt carni. Habet jam uterque, tum Deus tum Peccatum in

iſto homine qui ſub lege eſt, aliquid, quod ipſorum cauſæ & propoſito favet, legique adſtidulatur. Deus habet mentem, vel legem mentis, Peccatum carnem, vel legem carnis ſeu membrorum: mentem, inquam, conſentientem legi Dei quod juſta, ſancta, & bona ſit; carnem adſentientem legi peccati, quod utilis, jucunda, & amœna ſit: legem mentis, quæ eſt notitia legis divinæ, eiuſque adſenſus; legem membrorum, quæ eſt adfectus & propenſio in illa quæ utilia, jucunda, & amæna ſunt carni, id eſt, in hæc mundana, terrena, & viſibilia. Hæ duæ leges dicuntur ἀντιστρατευόμενοι. verſ. 23. inſtar millitum qui belligerant, & in acie ſtant adverſus ſe invicem, ut alter alterum ſuperet, & victoriam Domino Imperatorique ſuo obtineat. Lex mentis militat legi Dei, lex membrorum legi peccati: illa, ut devicta carne & lege membrorum hominem ſubjiciat legi Dei, horſum ut homo ſerviat Deo: hæc ut lege mẽtis ſuperata hominem addicat & captivum tradat legi peccati, horſum ut homo ſerviat peccato. De homine eſt pugna, hunc ſibi Deus ſubjicere vult, vult & peccatum; Ille legem ſuam illi præſcribit, iſtud ſuam: uterque ſuo milite, quem in iſto habet, utitur ad victoriam ſibi comparandam. Hinc jam apparet quid iſtæ phraſes ſignificent. Mente ſervire legi Dei, eſt mente aſſentiente legi Dei operam ſuam militarem eidem legi Dei præſtare ad hominem Deo ſubjiciendum. Carne ſervire legi peccati eſt, carne aſſentiente deſideriis peccati operam ſuam militarem præſtare legi peccati, ad captivandum hominem legi peccati, peccatoque ſubjiciendum. Finis ergo pugnæ eſt, ut homo vel legi Dei, vel legi peccati ſubjiciatur, id eſt, vel ſecundum carnem, vel ſecundum mentem ambulet. Actio ad finem tendens eſt belligeratio; quæ hoſtilis quidem eſt & inimice inter partes pugnans, ſed ſuaſione utens erga hominem, ſine cuius aſſenſu neutra pars iſto fine potiri poteſt. Mens carni adverſa voluntati hominis ſuadet, ut quod juſtum, ſanctum, & bonum eſt faciat, repudiato delectabili: Caro menti repugnans eidem voluntati ſuadet ut poſt habito quod juſtum & ſanctum eſt, amplectatur quod in præſens delectationem & utilitatem adferre poteſt. Effectio mentis in voluntatem eſt volitio boni, & mali odium: Effectio carnis in eandem eſt volitio mali, & nolitio boni: quę eſt voluntatis nunc in hanc nunc in illam partem mutatio. At utrius partis effectio fortior ſit & potentior in hoc homine, declarat eventus. Hic autem eſt eventus pugnæ, non-patratio boni, non-omiſſio mali, ſignum impotentiæ mentis, illud jubentis, hoc vetantis; illud probantis, hoc improbantis: & patratio mali, omiſſio boni, hominiſque captivatio ſub lege peccati, demonſtrans in hoc homine peccati & carnis potiores eſſe partes & dominium, fruſtra renitente lege mentis. Cauſa iſtius eventus eſt legis per carnem debilitatæ impotentia. Rom. 8.3. & carnis in iſto homine vis & pertinax potentia, quæ efficit ut homo non ſecundum legem, ſed ſecundum carnem ambulet, non ſecundum legem mentis, ſed ſecundum legem membrorum. incedat. Quod ſi ad hanc pugnam accedat fortior vis ſpiritus Chriſti, qui non in tabulis lapideis litteram legis

inſcri-

inſcribat, ſed in tabulis cordis carneis amorem & timorem Dei imprimat, tum alium eventum non ſperare modo licet, ſed & certo obtinere datur; ut Apoſtolus indicat Rom. 8. 2. Fit enim ut illius ſpiritus vi homo captivatus jam ante legi peccati ab eo liberetur, & non ſecundum carnem, verum ſecundum ſpiritum ambulet, hoc eſt, motum, actum, & ductum ſpiritus ſancti in vita ſua ſequatur: qui motus, actus, & ductus in eundem quidem finem tendit, ad quem lex Dei & mentis hominem ducere conabantur, at impari ἐνεργείᾳ; utpote propter impedimentum legis peccati & membrorum conatum perficere non valentibus. Quæ etiam eſt cauſa quod ille homo non ſecundum legem ſeu mentem, ſed ſecundum ſpiritum ambulare dicitur; phraſi Apoſtolica cap. 8. ſæpe, & ſpiritu duci non lege. Gal. 5. 18. Non quidem quod ſecundum ſpiritum vivens non vivat ſecundum legem Dei; ſed quod non lex, ſed ſpiritus Chriſti cauſa ſit quod homo ſecundum legem Dei vitam ſuam inſtituat. Lex enim jubere novit, at juvare non poteſt, ut Auguſtinus ſæpe inculcat.

Hinc jam conſtare poteſt, ex hoc etiam verſu nihil ad contrariæ ſententiæ probationem adduci poſſe, ſed iſtam quæ de homine ſub lege locum explicat etiam hoc verſu ſtabiliri. Nam ille homo qua ſub lege eſt, mente legi Dei ſervit, qua vero carnalis carne ſervit legi peccati, & ita ſervit ut ſeipſum captivum reddat legi peccati, fruſtra reluctante mente & conſcientia ſua. Neque vel tantillum ſervit ſtabilendæ alteri ſententiæ, quod Apoſtolus dicit, *Ipſe Ego*. Nam & vocem, *ego*, jam antea ſæpe uſurpavit, etiam tum cum diceret *peccatum in ſe operari omnem cupiditatem*, verſ. 8. *ſe ſine lege quandoque vixiſſe* ſeu *vivum fuiſſe, adventu vero legis mortuum fuiſſe*. verſ. 9. *ſibi mandatum cedere ad mortem*. verſ. 10. *ſe per mandatum ſeductum & occiſum*. verſ. 11. &c. Pronomen vero *αὐτὸς*, adjunctum pronomini *ego*, indicat hoc Pronomen, *ego*, referendam ad illam perſonam de qua antea actum eſt. Eſt enim demonſtrativum proxime antecedentis, q. d. *Ipſe ego, de quo antea ſermonem habui*. quod etiam patet, quia concludit ex præcedentibus, illum hominem, cujus in ſe perſonam ſuſcepit ita poſtulante prudentia Spiritus, ſervire mente legi Dei, & carne legi peccati. Conſiderentur quæ Apoſtolus in ſuis Epiſtolis de ſeipſo ſcribit, & cum hiſce conferantur, & aperte clarebit Apoſtolum hic de ſeipſo, qualis tum erat minime egiſſe.

Iam vero, ſi lubet, congerantur omnia in unum & ob oculos ponantur, ut uno intuitu inſpici poſſint & judicari.

Homo ille de quo agit Apoſtolus quatenus eſt.

Quid diſtincte conveniat huic homini, tum qua ſub lege eſt, tum qua carnalis & mancipium peccati.

Sub Lege.	*Carnalis & mancipium peccati.*
Non agnoſcit, ſeu approbat quod perpetrat.	Perpetrat quod non agnoſcit ſeu approbat.
Vult quidem bonum.	At non facit bonum.
Odit malum.	Et facit tamen malum.

Conſen-

Conſentit legi Dei quod bona ſit.	Facit tamen quod non vult.
Habet velle bonum.	Sed comperit ſibi malum adjacere, & bonum perficere non invenit.
Non amplius ipſum malum facit.	Sed peccatum quod in ipſo habitat facit malum.
Delectatur quidem lege Dei ſecundum interiorem hominem.	Sed habet aliam legem in membris ſuis.
Secundum legem mentis ſuæ belligerat cum lege membrorum.	At lex membrorum ita belligerat contra legem mentis, ut hominem captivum reddat Legi peccati.
Vnde exclamat, quis me eripiet.	Ex hac miſeria & corpore mortis huius?
Mente igitur ſervit legi Dei.	Carne vero ſervit Legi peccati.

Hæc ita inter ſe oppoſita non ſunt disjungenda, dum iſti homini, de quo hic agitur, attribuuntur, ſed conjungenda ſunt, & junctim illi tribuenda. Sic enim poſtulat ratio ipſius ſubjecti, quod ſub lege eſt, & ſub peccati dominio: qua ſub lege eſt illa priora illi conveniunt, qua ſub peccati dominio hæc poſteriora. Modus vero quo Apoſtolus hæc inter ſe jungit, & juncta homini iſti attribuit, eſt per diſcretam enuntiationem, quod indicat particuli δὲ crebro uſurpata, quæ eſt ipſius μὲν poſtpoſitiva: altera autem ſine altera orationem integram non abſolvit, ſed μὲν notat aliquid ſecuturum, δὲ aliquid præceſſiſſe, cum quo prior vel poſterior pars orationis jungi debeat. Quod hic diligenter eſt obſervandum, quemadmodum etiam quod utraque pars non ſit eiuſdem ordinis & dignitatis, ſed poſterior præcipua ſit & principalis, ad cuius explicationem, illuſtrationem, amplificationem, altera illa prior tanquam πρότασις ad ἀπόδοσιν & redditionem adhibetur. Quare & illa poſteriora pertinent ad latiorem explicationem & probationem cauſæ propriæ ob quam homo ſub lege peccato reſiſtere nequeat, ſed peccatum illi dominetur: priora vero ad legis excuſationem pertinent ſive faciunt, ne illi merito culpa iſtius criminis tranſcribi poſſit. Ex quibus omnibus junctis concludi poteſt, quod homo, de quo Apoſtolus agit, ſit adhuc ratione prædominantis carnis & peccati inhabitantis in carne ipſius cenſendus in Carnalium numero: ſed qui propterea quod ſub lege ſit, atque ita ut lex in illo effecerit, quicquid per legem in homine peccatore ad gratiam Chriſti transferendo & traducendo effici ſolet, propediem ex carnalium numero ſit eximendus, & in gratiæ ſtatu collocandus: ubi non amplius auſpiciis & ductu Legis contra vigentes & viventes peccatorum affectus ſit pugnaturus, ſed gratiæ vi, Spiritu ſancti ductu & actu contra crucifixos & mortificatos affectus decertaturus, donec de iiſdem penitus mortificatis & ſepultis plenam victoriam reportabit. Hunc inconſiſtentum ſtatum, ut ſic loquar, qui conſi-

Inconſtans ſtatus hominis ſub lege.

conſiderabit, facile videbit quæ hic ab Apoſtolo ſcripta ſunt, ad iſtum ſtatum eſſe referenda. Diligenter enim & velut ex propoſito cavit ſibi, ne ullibi in ſtatus iſtius deſcriptione ſpiritus vocem uſurparet: qua tamen ſequente cap. 8. ſingulis pænè verſibus utitur, atque ita Apoſtolo huic eſt familiaris in omnibus Epiſtolis, ut perpetuo menti & ori ipſius obverſari videatur, præſertim ubi de regenitis, & illorum erga Deum & proximum officio agit, etiam ubi de lucta agit quam pii, cum carne & peccati reliquiis adhuc habent. Cujus vel ſolius rei cogitatio ſcrupulum injicere poteſt & debet, hunc locum de regenitis & ſub gratia conſtitutis interpretantibus, ſi modo veritatis cognoſcendæ ſyncero deſiderio flagrent, & illam ipſius cauſa ament, etiamſi cum præconceptis opinionibus non conſentiat.

Quomodo peccator à Deo ad pœnitentiam, fidē in Christum, fideique obedientiam adducatur.

Velim etiam diligenter conſiderari ab omnibus, quomodo Deus nos ad fidem in Filium ſuum, & fidei obedientiam adducat, quibuſque mediis utatur ad peccatorem convertendum. Scimus Deum uti verbo ſuo ad id efficiendum, ſcimus hoc verbum conſtare duabus eſſentialibus & integralibus partibus Lege & Euangelio; ſcimus legem prius prædicandam peccatori, ut illam intelligat & approbet, ad illam agnitam vitam ſuam exploret & examinet, examine facto pecatorem ſe & damnationem commeritum agnoſcat, ob peccatum doleat & triſtetur, idem exſecretur, liberatore ſe indigere intelligat, & ad eundem quærendum inſtigetur & compellatur. Ita vero per legem præparato, gratia Euangelii eſt annuntianda, quæ menti à Spiritu ſancto patefacta, & cordi per eundem obſignata, fidem in nobis gignit, qua Chriſto unimur, ut communionem cum illo habentes, remiſſionem peccatorum in nomine illius obtineremus, & vivificā vim Spiritus ex illo trahamus, qua caro cum concupiſcentiis mortificetur, & nos in novam vitam regeneremur, in qua fructus gratitudinis Deo proferre non velimus modo, ſed & poſſimus & faciamus, eodem Spiritu in nobis efficiente ut & velimus & perficiamus. Deſcribat jam mihi quis ex Scriptura proprios effectus, qui ex legis prædicatione exiſtant in animis illorum, quos Deus ad meliorem vitam convertere decrevit, & dabo illi hominem qualis nobis ab Apoſtolo ſub ipſius perſona hoc 7. capite deſcribitur. Sed an hi effectus per prædicationem Legis in iſto homine producuntur citra gratiam Chriſti & operationem Spiritus? Quis hoc affirmare audeat, niſi Pelagianæ doctrinæ ſatelles vel ex primis? Sed non continuo ſub gratia eſt, & Spiritu agitur, ducitur, regitur, qui per legis prædicationem, Spiritu ſancto benedicente & cooperante, ad Chriſti gratiam confugere compellitur. *Lex enim eſt pædagogus ad Chriſtum Finis legis eſt Chriſtus ad juſtitiam omni credenti; per legem eſt agnitio peccati.* Auguſtinus de hoc uſu legis lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium cap. 5. agit, dicens. *Ad hanc Dei gratiam Lex de prævaricatione terrendo tanquam pædagogus perducit, ut ſic conferatur homini quod ipſa conferre non potuit.* Paulo poſt: *Non ergo legem evacuamus per fidem, ſed legem ſtatuimus, quæ terrendo ducit ad fidem. Ideo quippe Lex iram operatur, ut territo atque* — *Auguſtinus.*

converſo ad juſtitiam legis implendam, Dei miſericordiam gratia largiatur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt Dei ſapientia, de qua ſcriptum eſt, Legem & miſericordiam in lingua portat: legem qua terreat, miſericordiam qua ſubveniat; legem per ſervum, miſericordiam per ſeipſum, &c.

Inſpiciatur idem Auguſtinus lib. de corr. & grat. cap. 1. ubi ita ait convenienter negotio quod agimus: *Dominus ipſe non ſolum oſtendit nobis à quo malo declinemus, & quod bonum faciamus, quod ſolum poteſt legis littera, verum etiam adjuvat nos ut declinemus à malo & faciamus bonum, quod nullus poteſt ſine Spiritu gratia: quæ ſi deſit, ad hoc lex adeſt ut reos faciat & occidat: propter quod dicit Apoſtolus;* littera occidit, Spiritus autem vivificat. *Qui ergo legitime lege utitur, diſcit in ea malum & bonum, & non confidens in virtute ſua confugit ad gratiam, qua præſtante declinet à malo & faciat bonum. Quis autem confugit ad gratiam, niſi quum à Domino greſſus hominis diriguntur, & viam eius volet. Ac per hoc & deſiderare auxilium gratiæ initium gratiæ eſt.*

Vide ulterius c. 5. eiuſdem libri. *Non vis tibi tua vitia demonſtrari: non vis ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quæras: non vis tibi tuipſe oſtendi, ut cum deformem te vides reformationem deſideres; eique ſupplices, ne in illa maneas fœditate.*

Et cap. 6. *Corripiatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur. Si tamen qui corripitur filius eſt promiſſionis, ut ſtrepitu correptionis forinſecus inſonante atque flagellante, Deus in illo intrinſecus occulta inſpiratione operetur & velle.*

Muſcul. loc. com. c. de leg. fol. 124. *Lex facit ut non modo intelligam, ſed & cum morſu conſcientiæ ſentiam & experiar eſſe in me peccatum.* Item: *propria legis effectio eſt, quod nos inexcuſabiliter peccati reos eſſe convincit, maledicto ſubjicit, & damnat.* Gal. 3. *& ſenſu peccati & condemnationis perculſos anxios reddit, ac gratiæ Dei appetentes. Hinc illud eſt Apoſtoli quod* Rom. 7. *diſputat, & tandem exclamat:* Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum.

Sed an ergo hoc opus eſt Spiritus regenerantis?. Quod ad finem fateor, quod ad effectum ipſum dicere non auſim. Mortificatio enim & vivificatio, quæ ſeu partes integrales totam regenerationem continent, per communionem mortis & reſurrectionis Chriſti in nobis peraguntur. Rom 6. Diſtinguit Apoſtolus Rom. 8. inter *Spiritum ſervitutis ad metum, & ſpiritum adoptionis.* verſ. 15. Illum *legalem* multi appellant, hunc *Spiritum Euangelii Chriſti.* Ergo illius operam huius præcedaneam facio utramque vero ad unum finem tendentem. Vnde apparet meam hanc. 7. capitis explicationem veræ doctrinæ de *lege legiſque uſu, & gratia Chriſti neceſſitate* contrariam non eſſe; ſed doctores Eccleſiæ qui ſecus illud interpretantur, de hoc negotio non cogitaſſe quum caput illud explicarent. Quum enim illud ipſum doceant ex Scripturis, quod ego hoc capite ab Apoſtolo agi exiſtimo, non in ipſa ſententia dogmatum diſſentimus, ſed tantum in eo, quod ipſi hunc locum ad iſtud doctrinæ caput pertinere non arbitrantur, quod ego iſthic ex profeſſo tractari affirmo, non tamen ego ſolus, ſed alii mecum, ut poſt videbimus.

Obiectio, ſi … triplicem … atum hom.

Si quis excipiat per iſtam meam explicationem triplicem poni ſtatum hominis, quum niſi duplicem Scriptura agnoſcat, & tria introduci hominum genera, cum Scripturis nonniſi duo nota ſint; nempe *ſtatus regenerationis*, *& qui regenerationem antecedit*; homines *fideles & infideles, regeniti & irregeniti*, &c.

Reſponſio. I. Reſp. I. iſta explicatione non poni tres ſtatus conſiſtentes, neque tria hominum diſtincta & perfecte oppoſita genera, ſed doceri quantum in homine lex efficere valeat, & quomodo idem per legem confugere compellitur ad gratiam Chriſti.

II. II. Dico ſtatum hominis qui hic deſcribitur non eſſe conſiſtentem, ſed gradum potius ab uno ad alterum ſtatum, à ſtatu impietatis & infidelitatis ad ſtatum regenerationis & gratiæ, à ſtatu vetere in Adamo, ad ſtatum novum in Chriſto: ſecundum quem gradum homo iſte renaſcens à nonnullis dicitur. Et ſane nimis magna eſt diſtantia unius ſtatus ab altero, quam ut tranſiri ab uno poſſit ad alterum ſine gradibus intermediis.

III. III. Nego abſurdum eſſe triplicem poni hominis ſtatum diverſi temporis habita ratione, nempe ante legem vel ſine lege, ſub lege & ſub gratia. Nã Apoſtolica Scriptura triplicis illius ſtatus facit mentionem duobus iſtis capitibus. 6. & 7. & ad Galatas 4. & 5. Auguſt. lib. expoſit. quarundam propoſitionum ex Epiſtola ad Romanos in cap. 3. *Itaque 4. iſtos gradus hominis diſtinguamus, ante legem, ſub lege, ſub gratia, in pace. Ante legem ſequimur concupiſcentiam carnis: ſub lege trahimur cum ea: ſub gratia nec ſequimur eam, nec trahimur ab ea. In pace nulla eſt concupiſcentia carnis. Ante legem ergo non pugnamus, ſub lege pugnamus*, &c. Inſpiciatur hic Bucerus in eundem hunc locum commentans. Ponit enim triplicem hominem, *profanum, & nondum credentem Deo*, *ſanctum & amantem Dei*, ſed *infirmum* ad prævalendum peccato, denique potentiore Spiritu Chriſti inſtructum, adeo ut non poſſit modo reprimere & damnare carnem, ſed etiam cum voluptate & ſtudio confirmato & perpetuo reipſa vivat vitam Dei. Quin & totus ipſius commentarius inſpiciatur, & apparebit inter illius & meam explicationem parum admodum intereſſe, quod ad rei ſummam attinet: quod etiam capite ſequenti ex locis eiuſdem commentarii adductis liquido probabo. Sed videamus annon ipſa Scriptura multis in locis tria hominum genera proponat, & triplicem ſtatum nobis deſcribat. Apoc. 3. 15. 16. Dicuntur eſſe, fervidi, frigidi, & tepidi. Chriſtus dicit ſe non veniſſe vocatum iuſtos, id eſt, qui ſe tales exiſtimabant, ſed peccatores, id eſt, qui ſe tales agnoſcebant, aut agnituri eſſent per prædicationem illius; & quidem ad reſipiſcentiam. Chriſtus vocat ad ſe *fatigatos* & *preſſos* onere peccatorum, ablegans à ſe *turgidos iuſtitiæ ſuæ faſtu, & ſuperbos*: Sic, *ſi cæci eſſetis peccatum non haberetis, nunc quum dicitis videmus, peccatum veſtrum manet*. Parabola *Pharizæi & Publicani* nobis *triplex hominum genus* inſinuat: In *Pharizæo unum, duo in Publicano*; unum *ante*, alterum *poſt iuſtificationem*. Et quis omnia recenſeat? Neque opus eſt: mirandum potius eſt, quum noſtrorum doctorum libri pleni ſint iſtis diſtinctionibus, quod hoc loco eædem illis in mentem non venerint, ubi iſtud negotium ex profeſſo tractatur.

 Licet

Veritas interpretationis huius capitis hactenus ab auctore deducta, probatur ex primis aliquot verſibus ſequentis capitis, collatis cum antecedentibus.

Licet autem & ex ſequentis octavi capitis primis verſibus eandem interpretationem meam confirmare, modo diligenter cum antecedentibus conferantur. Primo enim verſu infertur concluſio ex antecedentibus, præcipuo Apoſtoli ſcopo, quem hac tota Epiſtola propoſitum habet, conveniens & accommodata his verbis:

Nulla igitur eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, non ſecundum carnem incedentibus, ſed ſecundum Spiritum.

Quod concluſionem contineant illa verba, patet ex particula illativa, ergo, & concluſionem quidem non ex prima verſus ultimi capitis 7. parte deductam, ſed ex toto tractatu; qui conſtat hiſce duabus partibus: *Non per legem ſive naturæ ſive Moſis obtingere juſtitiam & vires peccatum vincendi, ſanctèque vivendi: ſed per fidem Euangelii Ieſu Chriſti gratis eadem contingere iis qui non operantur, ſed credunt in Chriſtum.* Duo autem iſta, *juſtificatio* quę conſtat remiſſione peccatorum, & Spiritus ſanctificationis quo peccatum vincere & ſanctè vivere poſſunt fideles, ſunt partes fœderis gratioſi in Chriſto nobiſcum initi: *Indam leges meas, &c. peccatorum eorum non amplius recordabor.* Quum itaque Apoſtolus hucuſque theſin illam probaſſet, quinque primis capitibus de juſtitia & remiſſione peccatorum, ſexto & ſeptimo de viribus peccatum vincendi & ſanctè vivendi: jam infert concluſionem: quod *nulla igitur ſit condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulant,* ſive *incedunt.* Emphaſi concluſionis exiſtente in his verbis, qui ſunt in Chriſto, &, ſecundum Spiritum incedunt, non ſecundum carnem, ad excluſionem eorum qui ſub lege ſunt, quibus certa eſt parata condemnatio, utpote extra Chriſtum exiſtentibus, & peccati dominio ſubjectis; ac ſi diceret Apoſtolus: Ex hiſce igitur apparet omnibus iis qui ſub lege ſunt, propterea quod legem neque præſtant neque præſtare poſſunt, condemnationem imminere, ſolis autem iis qui in Chriſto ſunt & ſecundum Spiritum incedunt immunitatem à condemnatione conceſſam eſſe. Quod autem emphaſis ſit in iſtis verbis, iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, ad excluſionem aliorum, apparet primo ex eo quod ea ipſa pars repetatur, licet aliis verbis, qui ſecundum Spiritum incedunt. Secundo, quod excluſio aliorum in repetitione aperte ponatur, non ſecundum carnem ambulantibus. Tertio, ex ipſa re quam Apoſtolus tractat, quæ hæc eſt, *Euangelium, non legem, eſſe potentiam Dei ad ſalutem credentibus, & non operantibus*: quare concluſio, ut reſpondeat propoſitioni, cum iſta oppoſitione legi & intelligi debet. Quarto, ex concluſionibus aliis in hac Epiſtola ſimili in cauſâ illatis: cap. 3. verſ. 28. *Colligimus igitur fide juſtificari hominem abſque operibus legis*: ſic etiam v. 27. eiuſdem 3. capitis: *Excluſa eſt gloriatio; per quam legem? operum? non; ſed per legem fidei*: ſic cap. 4. 24. *Scriptum eſt etiam propter nos, quibus futurum eſt ut imputetur,* nempe, *qui credunt in eum qui excitavit Ieſum ex mortuis*: & apparet illa *oppoſite* dici ad *excluſionem* alterius *oppoſiti*. Sic verſ. 5. cap. 4. *Non operanti, ſed credenti.* v. 13. *non per legem, ſed per juſtitiam fidei,* cap. 7. 4. *Morti-*

Mortificati eſtis legi, ut eſſetis Chriſti: ita etiam hic: *Nulla ergo eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, non ſecundum carnem incedentibus, ſed ſecundum Spiritum.* Vnde etiam apparet, quod illa verba; *Non ſecundum carnem*, &c. non pertineant, ad deſcriptionem vel ſubjecti vel attributi concluſionis præcedentis, quaſi deſcribantur qui ſunt in Chriſto; ſed quod ſint ipſum vel conſequens vel antecedens eiuſdem concluſionis paulo aliter enuntiatum. Quod etiam ex ipſis verbis liquet, Nam pronomen τοῖς iſti rei proprie ſerviens hic non eſt uſurpatum.

Docet hoc idem verſus ſecundus ſequens; ubi duo iſta junguntur, Lex Sp. vitæ, in Chriſto Ieſu, reſpectum habentia ad hæc duo, qui ſunt in Chriſto, & ſecundum Spiritum incedunt. Sed verſum ipſum inſpiciamus, qui ita habet.

Nam lex Spiritus vitæ in Ieſu Chriſto, liberavit me à lege peccati & mortis.

Antequam illum verſum conferamus cum antecedente, phraſes in illo uſurpatæ primum explicandæ ſunt. Lex itaque ſpiritus dicitur jus, poteſtas, & vis Spiritus ſancti; manet enim Apoſtolus in modo loquendi antea cap. 7. uſitato ubi peccato, menti, & membris legem tribuit, id eſt, poteſtatem & vim jubendi & impellendi. Spiritus hic dicitur vitæ, hoc eſt vivificus, phraſi Hebræis familiari, qui genitivos ſubſtantivorum pro adjectivis uſurpant; ut civitas Dei, homo Dei, Deus juſtitiæ, &c. Oppoſite autem & diſtincte ſic dicitur contra legem litteræ, ſeu litteram legis, quæ ad vivificandum imbecillis eſt, & nihil aliud novit quam occidere: juxta illud 2. Cor. 3 6. *Littera occidit, Spiritus autem vivificat*: item Gal. 3. v. 21. *Si Lex data fuiſſet qua poſſet vivificare, vere ex lege eſſet juſtitia.* Dicitur autem hæc in Chriſto Ieſu eſſe, non quia in perſona Ieſu Chriſti tantum ſit, ſed quia in Ieſu Chriſto tantum obtineri poſſit, ſecundum id quod dicitur Gal. 3. 2. & 5. *Spiritum non ex operibus legis, ſed per auditum fidei in Chriſtum* obtingere *credentibus*. Quemadmodum iſta phraſis (*in Chriſto*) ſæpiſſime in Apoſtolicis litteris uſurpatur. Quod vero & hoc loco iſta phraſis ita ſit accipienda, patet primo ex ſcopo Apoſtoli, qui eſt docere, non ex lege, ſed ex gratia Chriſti obtingere fidelibus juſtitiam & Sp. ſanctum, cuius vi poſſint peccato dominari, & membra ſua arma juſtitiæ Deo præbere.

Secundo ex collatione huius loci cum verſu primo. Tribuitur enim iis qui ſunt in Chriſto immunitas à condemnatione, propterea quod Sp. vivificus in Chriſto eos liberaverit à lege peccati & mortis.

Tertio quia Sp. vivificus non liberat à lege peccati & mortis, niſi qua communicatus eſt cum iis qui ſunt in Chriſto. Huic autem ſpiritui vitæ tribuitur, quod liberet illos, qui in Chriſto Ieſu ſunt, à lege peccati & mortis: hoc eſt, a vi vel tyrannide peccati dominantis & occidentis per legem: quæ liberatio opponitur captivitati ſub lege peccati, cuius mentio facta eſt cap. 7. verſ. 23. & corpori mortis cuius mentio ibidem facta eſt. v. 24. a qua lege peccati, & quo corpore mortis homo ſub lege exiſtens per legem Moſis & per legem mentis ſuæ, conſentientis legi Dei, liberari non potuit. Hinc vero optime probatur concluſio iſta, quæ verſu primo ex præcedentibus

eſt deducta. Nam liberatio a lege peccati & mortis opponitur condemnationi, & propterea illa poſita hanc tollit. Liberatio iſta tribuitur illis qui ſunt in Chriſto, & qui ſecundum ſpiritum ambulant: unde ſequitur illos a condemnatione immunes præſtari. Ratio autem cur iſti ſubjecto tribuatur illa liberatio, eſt a cauſa liberationis, Spiritu nempe vivifico, qui ſpiritus, ut in Chriſto exiſtens & obtinendus, eſt in iis qui ſunt in Chriſto. Quare non mirum quod propriam ſuam vim & efficaciam exercet in iis in quibus habitat: Cumque illa vis ipſi ita ſit propria, ut illam cum lege Moſis communem non habeat, hinc ſequitur, quod illi ſoli, qui in Chriſto Ieſu ſunt, & iſtius participes Spiritus, vel qui in Chriſto Ieſu iſtius Spiritus participes ſunt, liberi ſint a condemnatione, iis qui ſub lege ſunt manentibus ſub condemnatione, utpote, qui per legem membrorum ſuperati ſint & captivi traditi ſub lege peccati; fruſtra obtinente lege mentis legi Dei conſentientis. Diximus jam antea ex collatione hujus verſus; cum verſ. 23. capitis præcedentis irrefutabile argumentum deduci, ad comprobandum quod hoc loco & verſ. 23. dicto non agatur de eodem homine; ſed quod ibi de homine ſub lege, hic vero de homine ſub gratia exiſtente tractetur: propterea quod illo homo captivatus ſit ſub lege peccati & mortis, idque a lege membrorum, fruſtra obſiſtente lege mentis, hic vero vi Spiritus vivifici, quem in Chriſto Ieſu obtinuit, liberatus ſit ab eadem lege peccati & mortis.

Verſ. 3. Conſideremus verſum 3. quo eadem res planius nobis conſtare poſſit. Illo enim cauſa explicatur cur homines ſub lege exiſtentes, a dominio & condemnatione peccati immunes fieri nequiverint, hoc autem ipſum impetratum & effectum ſit per Chriſtum. Cauſa autem eſt quia liberatio a lege peccati & mortis, ſeu immunitas a condemnatione obtineri non potuit niſi condemnato peccato, hoc eſt, niſi peccatum jure ſuo quod habebat, & potentia ſua quam exercebat in homines ſibi ſubjectos, prius ſpoliatum eſſet. Habebat autem jus & vires dominandi & occidendi. At non potuit peccatum jure ſuo ſpoliari viribuſque ſuis privari per legem. Erat enim lex per carnem impotens facta ad id præſtandum. Quod cum Deus videret, & nollet miſerum humanum genus ſub tyrannide & condemnatione peccati perpetuo detineri, miſit filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, & quidem pro peccato, ſcilicet, deſtruendo, & condemnavit peccatum in carne filii ſui; qui peccatum in corpore ſuo tulit, & illi jus, quod in nos habebat, ademit, vireſque illius enervavit. Vnde apparet locum hunc, qui hactenus difficillimus habitus eſt, planum eſſe & perſpicuum, ſi modo recte diſponantur ſingula, hoc pacto: *Deus enim miſſo filio ſuo in ſimilitudine carnis peccati & pro peccato, condemnavit peccatum in carne, quod legi erat impoſſibile, quia erat infirmata per carnem.* Illud enim impoſſibile legi eſt *τὸ κατακρῖναι τὴν ἁμαρτίαν.* Hinc patet iſtum verſum breviter explicare totam cauſam, cur in homines ſub lege exiſtentes peccatum dominetur ad mortem, &, cur in eos, qui *in Chriſto ſunt & ſub gratia*, dominandi neque jus habeat neque vires. Quod breviter commonmon-

monſtrari poteſt ex collatione ante dictorum, cum hoc verſiculo. Illa enim verba: *Quod legi erat impoſsibile quia infirmabatur per carnem*, conveniunt cum hiſce: *quum eſſem in carne, affectus peccatorum, qui ſunt per legem, vigebant in membris meis*, verſ. 5. cap. 7; & cum 14. verſu: *Scimus legem ſpiritualem eſſe, at ego carnalis ſum*: item cum hiſce: *novi non habitare in me, id eſt, in carne mea bonum*: Iſta vero: *Deus in carne filii ſui condemnavit peccatum*, conſentiunt cum verſ. 6. cap. 7. *Nunc vero liberati ſumus à lege, mortuo eo in quo detinebamur*, id eſt, condemnato peccato quod nos ſibi ſubditos & devinctos tenebat: hic vero cauſa plenius explicatur, nempe, quod in carne Chriſti peracta ſit illa condemnatio.

Collatio primæ partis hujus verſus cum verſ. 5 & 14 capitis ſeptimi.

Item alterius partis ejuſdem verſus cum verſ. 6. ejuſdem capitis.

Verſ. 4.

Vnde etiam verſus quarti ſenſus plane hiſce antecedentibus conſentaneus deducitur: quod ſcilicet, eo ipſo facto, quod peccatum condemnatum eſt in carne filii Dei, jus legis completum eſt & conſummatum in iis qui in Chriſto ſunt, & ſecundum ſpiritum ambulant; ita ut non amplius ſub legis ductu ſint & regimine, ſed ſub ductu illius qui nos a peccato liberavit, & ſibi proprios aſſeruit. Quod ab Apoſtolo verſ. 4. cap. 7. aperte eſt ſignificatum his verbis: *Vos fratres mortificati eſtis legi in corpore Chriſti, ut eſſetis alterius qui ex mortuis excitatus eſt, ut fructum feramus Deo.* Nam hæ phraſes conveniunt, mortificati eſtis legi, & jus legis completum eſt in vobis. In corpore Chriſti eſtis mortificati legi, idem eſt, quod peccatum in carne Chriſti condemnatum eſt, ut jus legis impleretur in vobis. Completo vero & conſummato legis jure per condemnationem peccati carne Chriſti factam, ſumus alterius, id eſt, jus a lege in Chriſtum tranſlatum eſt, ut non amplius ſub lege, ſed ſub Chriſto, ſub gratia & ſub ductu Spiritus ipſius eſſemus & viveremus. Neque enim illa verba: ut jus legis compleretur ſeu compleatur in nobis, ita intelligenda ſunt, quaſi condemnato peccato in carne Chriſti, jus legis adhuc complendum ſit, ſed quod illo ipſo facto jus legis ſit impletum Quemadmodum & ſimiles loquendi formulæ in Scriptura quamplurimę uſurpantur, Matt. 1. 22. Illo enim facto *impletum eſt quod prædictum erat per Eſaiam*. Matt. 2. 23. Eo ipſo quod Ieſus Nazarethæ habitavit *impletum eſt quod prædictum erat fore ut Nazarenus vocaretur*. Matth. 4. 14. eo ipſo quod habitavit Ieſus Capernaumi & in finibus Zebulon & Nephthali *impletum eſt quod dictum erat, Terra Zebulon & Nephthali lux exorta eſt*. Matth. 8. 77. Ipſa curatione ægrotorum & ejectione Spirituum a Chriſto peracta *impletum eſt Eſaiæ vaticinium*. Sic Matt. 12. 17. Matth. 13. 35. & 26. 56. Quod etiam phraſi alia ſignificatur, *tunc impletum eſt*. Matth. 27. v. 9. Sic etiam hic licet mutare genus dicendi in conſimile; *Tunc impletum eſt jus legis in nobis*. Vide inſuper Matth. 27. verſ. 35. Luc. 21. v. 22. Iohan. 13. 18. & 17. 12. & 18. 9. & aliis locis infinitis.

Collatio hujus verſus cum v. 4. cap. vij.

Ex hac vero explicatione apparet totum hunc locum planum & perſpicuum eſſe, qui citra hanc interpretationem multis fuit tenebris obſitus, omnibus pene interpretibus id fatentibus & magnopere in hujus loci explicatione laborantibus. Quod ſi lubet jam omnia illa velut in faſciculum complecti, & breviter recapitulare, tum longe manifeſtius evadet

evadet quod dixi. Hoc autem ita faciamus.

Recapitulatio paraphraſtica eorum quæ 4. primis verſibus viij. capitis docentur, eorundemque cum præcedente capite connexio.

Quum ergo viderimus hactenus homines ſub lege exiſtentes ſub dominio & tyrannide peccati captivos detineri, hinc facile concludere licet ſolos eos, qui ſunt in Chriſto Ieſu, quique ſecundum ſpiritum & non ſecundum carnem ambulant, immunes eſſe ab omni condemnatione: quia lex, jus, poteſtas, & vis ſpiritus vivifici, qui in ſolo Ieſu Chriſto eſt & obtineri poteſt, liberavit iſtos tales à lege, poteſtate, & vi peccati & mortis, ab imperio dominioque peccati & condemnatione eiuſdem. Quod jure potuit Chriſtus per ſuum Spiritum, utpote in cuius carne peccatum ſit condemnatum, ut nullum jus amplius habeat, aut habere poßit in illos qui Chriſti ſunt. In qua quidem carne pater illum miſit, quia hoc ipſum legi erat impoßibile infirmæ ſcilicet per carnem. Atque ita factum eſt, ut jus legis, quod in nos habuit quum adhuc ſub lege eſſemus, completum ſit in iſtis talibus, qui Chriſti per fidem facti ſunt, ut in poſterum eius gratia & ſecundum Spiritus ſancti ductum viverent, agerentur & regerentur. Vnde certo concludere nobis licet, quod illis peccatum dominari nequit, & propterea illi ipſi membra ſua ſiſtere poßunt arma juſtitiæ Deo, tanquam qui ex morte peccati in vitam Spiritus ſunt tranſlati. Hæc autem ad verſum uſque 16. huius capitis perſequitur Apoſtolus, accommodate eidem ſcopo quem hactenus monſtravimus, memor iſtius adhortationis quam poſuit cap. 6. 12. & 13. ex cujus adjuncta ratione in prolixum hunc tractatum devenit. Sed hæc ſufficiant, ne nimis operoſi ſimus in re ita plana & perſpicua commonſtranda.

SECVNDA PARS.

Quod ſententia iſta, quæ caput VII. Epiſtolæ ad Romanos de homine non ſub gratia ſed ſub lege conſtituto, & de homine nondum Chriſti Spiritu regenito explicat, nunquam in Eccleſia Chriſti hæreſeos damnata fuerit, ſed ſemper adſtipulatores aliquos inter Eccleſiæ doctores habuerit.

Interpretationem huius capitis huiuſque allatam probant antiquiſſimi & præſtantiſſimi ex patribus.

NVnc ad alteram Propoſiti noſtri partem veniemus, quam hoc fine tractare viſum eſt, ut omnibus patere queat, illam quam defendo ſententiam, non nuper natam, aut ex cerebro meo confictam eſſe, neque ab hæretico aliquo mutuatam: ſed antiquam admodum eſſe, & à bona parte Doctorum primitivæ Eccleſiæ approbatam: quin ne ab iis qui locum aliter interpretati ſunt, euſque rejectam, ut hæreſeos nota inſigniri dignam judicaverint.

Irenæus.

Irenæus lib. 3. cap. 22. locum hunc ita citat: Propter hoc ergo ſignum ſalutis noſtræ, eum qui ex virgine Emanuel eſt ipſe Dominus: quoniam ipſe Dominus erat qui ſalvabat eos, quia per ſemetipſos non habebant ſalvari. Et propter hoc Paulus infirmitatem Hominis annuntians, ait: *Scio n. quoniam non habitat in carne mea bonum:* ſignificans quoniam non a nobis, ſed a Deo eſt bonum ſalutis. Et iterum: *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Deinde infert liberatorem: *Gratia Ieſu Chriſti Domini noſtri.*

Non

Non inquit Hominis regeniti, aut fidelis, aut Chriſtiani, ſed ſimpliciter Hominis; quo nomine neque Scriptura neque Patres ſolent appellare illum, qui Chriſtianus, fidelis, & regenitus eſt.

Tertullianus. *Tertullianus in lib. de pudicitia cap.* 17.
„ Nam etſi habitare bonum in carne
„ ſua negavit, ſed ſecundum legem
„ litteræ in qua fuit: ſecundum autem
„ legem Spiritus, cui nos annectit, li-
„ berat ab infirmitate carnis. Lex e-
„ nim, *inquit*, Sp. vitæ manumiſit te
„ à lege delinquentiæ & mortis. Licet
„ enim ex parte ex Iudaiſmo diſputa-
„ re videatur, ſed in nos dirigit inte-
„ gritatem & plenitudinem diſcipli-
„ narum, propter quos laborantes in
„ lege per carnem miſerit Deus filium
„ ſuum in ſimilitudinem carnis de-
„ linquentiæ, & propter delinquen-
„ tiam damnaverit delinquentiam in
„ carne.

Hic Tertullianus perſpicue adfirmat hunc locum explicandum de homine qui eſt ſub lege litteræ. Neque obſtat magnopere, ſi quis dicat hunc librum ab illo ſcriptum cum eſſet in hæreſi: in eo enim hæreticus non fuit, & apparet hinc illam ſententiam tunc obtinuiſſe, quod iſtud caput ita intelligendum eſſet.

Origenes. *Origenes in cap.* 7. *Epiſt. ad Rom.* Quod vero dicit, *ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccatum*: hic jam
„ tanquam Doctor Eccleſiæ perſo-
„ nam in ſemetipſum ſuſcipit infir-
„ morum; propter quod & alibi di-
xit; *factus ſum infirmis infirmus, ut in-*
„ *firmos lucrarer.* Et hic ergo infirmio-
„ ribus quibuſque (id eſt, carnalibus)
„ & qui ſub peccato venundati ſunt
„ efficitur Paulus carnalis, & ſub pec-
„ cato venundatus, & loquitur ea quæ
„ illis loqui moris eſt vel excuſatio-
nis vel incuſationis obtentu. Ait „
ergo tanquam ex illorum perſona „
loquens: *Ego autem carnalis ſum, venditus ſub peccato, hoc eſt*, ſecundum car- „
nem vivens, & in poteſtatem pec- „
cati, libidinis, & concupiſcentiæ „
pretio redactus. *Quod enim operor non agnoſco, &c.*

Paulo poſt: Et hic (id eſt, Paulus carnalis) dicit, *quia non jam ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum;* Paulus vero ſpiritalis in aliis dicit; *quia abundantius quam omnes iſti laboravi; non autem ego, ſed gratia Dei mecum,*
ut ergo iſte labores ſuos non ſibi, ſed „
gratiæ Dei quæ in ipſo operabatur „
aſſcribit: ita & ille carnalis opera „
non bona non ſibi, ſed peccato quod „
in ſe habitat & operatur adnumerat: „
Ideo ergo dicit *non jam ego operor illud ſed quod habitat in me peccatum. Non enim habitat in me, id eſt, in carne mea bonum.* Nondum enim in eo Chri- „
ſtus inhabitat, neque corpus eius „
templum eſt Sp. ſancti. Veruntа- „
men non uſquequaque hic cuius „
perſona proponitur alienus eſt a bo- „
nis, ſed propoſito quidem & volun- „
tate cæpit bona requirere. Nondum „
tamen poteſt bona rebus & operibus „
obtinere. Eſt enim talis quædam „
infirmitas in his qui initia conver- „
ſionis accipiunt, ut cum velint qui- „
dem ſtatim facere omne quod bo- „
num eſt, non ſtatim voluntatem ſe- „
quatur effectus, &c. „

Cyprianus de lucta carnis & ſpiritus agens ſerm. 6. de oratione dominica, item libello de ſingularitate clericorum adfert locum ad Gal. 5. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum*, &c. non hunc locum ad Romanos. Quod vero locum ad Rom. 7. de dominatu, & non tantum de inexiſtentia peccati intellexerit patet ex Cyprianus.

 prolo-

prologo de cardinalibus operibus Chriſti, ubi inter alia hæc dicit: ſi neſcio, quis hanc legem membris inſculpſerit, ut tam violenta dominatione, Spiritum opprimat, & melior digniorque natura deteriori ſuccumbat, patienter me ferre oportet, ſi operatorem univerſitatis non intelligo.

Et paulo poſt eodem prologo: Hæc lex peccati quare in his & ſimilibus legem juſtitiæ opprimat, & quare enervata ratio, cum ſtare poſſit, tam miſerabiliter ruat, difficile eſt aſſequi: maxime cum defectus iſte a damnationis ſententia pendeat, & hanc inevitabilem pœnam antiqua tranſgreſſio ſit ſortita.

Chryſoſtomus. Chryſoſtomus locum ex profeſſo tractans & explicans comment. in v. 1. cap. ad Rom. ita inquit, præcedentibus adſtipulans: *propterea & ſubnexuit dicens*: Ego vero carnalis ſum, *hominem deſcribens ſub lege & ante legem degentem.*

Et paulo poſt: Ipſum itaque peccatum naturali legi adverſatur. hoc enim eſt, quod dicit, *Legi mentis meæ*. univerſum etiam certamen & bellum, quum aciem peccati deinceps inducit, naturali legi imponit. Moſaïca quippe ex abundanti poſtremo adjecta eſt. Veruntamen neque iſtæ (docens illa quidem quæ fieri oporteat, iſta vero collaudans) quicquam in hac pugna adverſus peccatum exſecutæ ſunt. Tanta peccati tyrannis eſt, uſque adeo vincens & exſuperans. Quod quidem & Paulus ſignificat, quum adverſantis prædominantiſque peccati conflictum declarans, dicit; *ſed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captivantem me lege peccati.* Non enim ſimpliciter dicit, vincentem me, ſed captivantem me legi peccati. Neque dicit captivantem me impulſioni carnis aut naturæ carnis, ſed legi peccati, hoc eſt, tyrannidi & potentiæ peccati.

Paulo poſt: *Miſer ego homo, quis me eripiet ex mortis huius corpore?* Vides quanta ſit malitiæ tyrannis, quomodo mentem etiam condelectantem Legi Dei vincat? Non enim eſt, inquit, quod quis me dicat legem Dei odio proſequentem, & averſantem, a peccato captivatum eſſe. Condelector enim ac conſentio illi, atque ad illam confugio; Veruntamen illa neque ad ſe fugientem ſalvare potuit. Chriſtus verò ab illa fugientem ſalvavit. Agnoſcis; quæ ſit gratiæ excellentia?

Et in cap. 8. verſ. 2. difficile hoc bellum enecato peccato Sp. ſancti gratia diſſolvit, per quam factum eſt, ut certamen jam nobis ſit facile, quæ nos etiam primum coronat, multiſque deinde auxiliaribus copiis ſtipatos in prælia ducit.

Baſilius Magnus. *Baſilius Magnus lib. 1. de baptiſmate* fol. 409. Alibi vero objurgatorio magis modo idem nobis tradens, quid dixerit adducemus. *Scimus enim quod lex Spiritualis eſt, ego vero carnalis ſum venditus ſub peccatum: quod enim facio non probo, &c.* Et hanc ipſam ſpeculationem pluribus perſequens, quod impoſſibile eſt ſervire Domino, eum qui detinetur a peccato, maniſeſte nobis oſtendit liberatorem noſtrum ex hac tyrannide, dum dicit: *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore hoc mortis? Gratias ago Deo*, &c.

Paulo poſt: Neceſſe eſt igitur omnino tum ex relatis, tum ex ſimilibus, ſi modo non in vanum Dei beneficium ſuſcepimus, ut primum a

domi-

dominio Diaboli liberemur, *qui eum qui à peccato detinetur, ad mala quæ non vult perducit:* & tunc abnegatis omnibus præſentibus, & ſeipſo, coaffectione ad hanc vitam relicta, diſcipuli Domini fiamus, quemadmodum ipſe dixit: *Si quis venit ad me, abneget, &c.*

In Moralium ſumma 23. cap. 2. fol. 377. Quod is qui invitus trahitur a peccato, noſſe debet, quod ab alio præinexiſtente in ipſo peccato regitur, cui ultro inſerviens de cætero ducitur ab ipſo etiam ad ea quæ non vult. Ad Rom. 7. *Novimus autem quod lex Spiritualis eſt, ego autem carnalis ſum venditus ſub peccatum, &c.* uſque ad illa, *ſed inhabitans in me peccatum.*

Idem quæſtionum compendio explicatarum quæſt. 16. fol. 563. Anima quæ affectuum dominium patitur, neque ad ea quæ vult, libera eſſe ab illis permittitur, juxta illam ab Apoſtolo relatam ſpeculationem, qui dixit: *Ego autem carnalis ſum, venditus ſub peccatum. Non enim quod volo hoc facio, ſed quod odi hoc ago.*

Et rurſum; *Nunc autem non jam ego operor hoc, ſed inhabitans in me peccatum:* Deo ipſo etiam hoc in bonum nobis contingere permittente, ſi quomodo per ea quæ invita patitur anima ad intelligentiam deveniat dominantis, & cognita ſeipſa quod invita ſerviat peccato, reſipiſcat ex laqueo Diaboli, paratam petens miſericordiam Dei ad ſuſcipiendos legitime pœnitentes.

Theodoretus. *Theodoretus in 7. cap ad Rom. Ego autem carnalis ſum*] Introducit hominem ante gratiam ab animi motibus & perturbationibus obſeſſum. Carnalem enim vocat illum qui nondum Spiritualem gratiam eſſet aſſecutus.

Non enim quod volo hoc ago, ſed quod odi illud ago] Hoc a lege pulchre efficitur, nempe ut doceat quod ſit malum, & eius odium animæ inferat. Illa autem, *non volo &c. odi*, non neceſſitatem, ſed imbecillitatem ſignificant. Non enim neceſſitate aut vi aliqua impulſi peccamus, ſed a voluptate deliniti ea facimus, quæ ut ſcelerata & flagitioſa abhorremus.

Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem.] Interiorem hominem dixit mentem.

Video autem aliam legem in membris meis repugnantem.] Legem peccati peccatum appellat. Id autem operationem exercet, quando corporales quidem animi perturbationes exſiliunt, anima autem propter eam quam ab initio induit ſocordiam eas cohibere non poteſt: ſed propriam quidem libertatem abjecit, eis autem ut ſerviat ſuſtinet. Sed tamen quamvis ſerviat, odio habet ſervitutem, & laudat eum, qui ſervitutem accuſat. Hæc omnia cum diſſeruiſſet Apoſtolus, ut oſtenderet quales eramus ante gratiam, & quales poſt gratiam; & velut ſuſcepta perſona eorum, qui ante gratiam a peccato obſeſſi ſunt, tanquam a mediis hoſtibus circundatus, & in ſervitutem abductus & ſervire coactus, & nullum aliunde videns auxilium graviter quidem gemit & lamentatur: oſtendit a lege opem ferri non poſſe, & dicit: *Infelix ego homo, &c.*

In cap. 8. *Nihil ergo nunc condemnationis, &c.* neque enim nos nunc invitos vincunt animi perturbationes, quoniam divini gratiam Sp. accepimus.

Lex enim Sp. vitæ) ſicut legem peccati peccatum, ſic legem Spir. vitæ vivificum Spiritum appellavit. Eius inquit gratia per fidem in Ieſum Chriſtum duas tibi libertates donavit. Non ſolum enim peccati potentiam fregit, ſed etiam mortis tyrannidem deſtruxit.

Cyrillus. Cyrillus contra Iulianum lib. 3. fol. 184. b. *Quod enim impoſſibile legis in quo infirmabatur per carnem, &c.*) Igitur cum unigenitus propter nos homo factus eſſet, abolita quidem eſt Lex peccati in carne, & ſunt res noſtræ reductæ ut ad primam originem regrediantur. Etenim prævalebant mors, corruptio, voluptates, & aliæ concupiſcentiæ, quæ imbecillem & infirmam deprædabantur mentem adjutricem habentes corruptionem.

De Recta fide ad Reginas lib. 1. fol. 283. *Itaque ego ipſe mente ſervio legi Dei, &c. uſque ad 5. verſum cap.* 8.) Etenim manifeſte inter ſe pugnant caro & Spiritus, hoc eſt, prudentia carnalis & motus concupiſcentiarum nobis inſitarum, & virtus vitæ ſecundum ſpiritum. Licet divina Lex nos urgeat, ut debeamus eligere bonum, in contrarium tamen concupiſcentia carnis fertur. *Solutum autem nunc eſt quod obſtat, & infirmatur Lex peccati,* prævaluit vero Lex Spiritus. Ob quam cauſam? *Miſit enim Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, ut condemnaret peccatum in carne.* Iam quo pacto non fuit valde utilis verbi incarnatio. Condemnatum enim hic eſt in carne etiam noſtrum peccatum; Si autem verbum non eſſet factum caro, manſiſſent res noſtræ inemendatæ, & ſeviremus carne legi peccati, nullo in nobis illam abolente.

Idem Epiſtola priore ad Succeſſum. Fatemur ergo per Adæ prævaricationem humanam fuiſſe corruptam ſubſtantiam, & intelligentiam noſtram voluptatibus carnis & inſitis motibus arridentibus noſtræ naturæ velut tyrannica dominatione compreſſam. Vnde neceſſariarum fuit, ut pro ſalute noſtra, qui moramur in terra, Dei verbum homo fieret, & humanam carnem corruptioni deditam, & voluptatum illecebris ægrotantem, propriam faceret: Et quia eſt vita cunctorum, corruptionem quidem eius deſtrueret, compeſceret autem inſitos motus, eos videlicet, qui nos ad vitia voluptateſque præcipitabant. Sic enim oportebat mortificari in noſtra carne delicta. Meminimus autem & beatiſſimum Paulum *legem peccati appellantem inſitos nobis voluptuarios motus.* Quapropter quia humana caro facta eſt verbi propria, deſiit jam corruptioni ſuccumbere. Et quia peccatum non novit, tanquam Deus qui eum ſibi univit, & ut dixi propriam fecit, deſiit jam vitiis ac voluptatibus ægrotare. Nec hoc ſibi perfecit unigenitus filius Dei, verbum eſt enim quod eſt ſemper, ſed proculdubio nobis: nam ſi ſimiles ſumus ex Adæ prævaricatione ſubjecti, venient itaque nobis etiam bona, quæ in Chriſto ſunt, hoc eſt, incorruptio & abolitio peccatorum.

Macarius Ægyptius. *Macarius Homil. 1.* Adam tranſgrediens mandatum Dei, & obediens impio ſerpenti vendidit ſeipſum Diabolo: & ſic ille nequam induit animam eius, illam nempe creaturam præclaram, quam condiderat Deus ad imaginem ſuam, ut & Apoſtolus ait: *Exſpolians principatus & poteſtates, triumphavit de illis in*

cruce

„ *truce*. Hac enim de cauſa Dominus „ venit, ut expelleret illos & reciperet „ domum propriam, & templum pro- „ prium, videlicet hominem. Proin- „ de anima dicitur eſſe corpus tene- „ brarum & nequitiæ, quamdiu ſunt „ in ea tenebræ peccati. Quia illic „ vivit in ſeculo nequam tenebrarum, „ & illic detinetur captiva. Quemadmodum & Paulus appellans *corpus peccati & mortis*, ait, *ut deſtruatur corpus peccati*. Et rurſum: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ediverſo „ anima quæ Deo credidit, & liberata „ eſt à peccato mortificata vitæ tene- „ brarum, & lumen Sp. ſancti tan- „ quam vitam recepit, inde vivens ibi „ poſtea perſeverat: quia ibi regitur „ à lumine divino.

Hinc patet etiam Macarium illum locum intellexiſſe, de homine qui ſit ſubditus Spiritui tenebrarum, ſervus peccati, captivus Sathanæ, qui nondum ſit mortificatus peccato, nondum lumen Sp. ſancti accepit, hoc eſt, qui nondum eſt regenitus Sp. Chriſti.

Damaſcenus. Damaſcenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 23. hanc rem pulchre explicat, quare non pigebit prolixius illius ſententiam ipſius verbis deſcribere, prout ab eius Tranſlatore in latinam linguam fuit converſa.

Adveniens, inquit, lex Dei menti „ noſtræ, attrahit ad ſeipſam, & ſti- „ mulat noſtram conſcientiam; dici- „ tur autem & conſcientia noſtra Lex „ mentis noſtræ. Sed & ſuggeſtio „ maligni, hoc eſt, Lex peccati, adve- „ niens membris carnis ſe per hanc „ nobis immittit: nam ſemel tranſ- „ gredientes voluntarie legem Dei, & „ ſuggeſtionem maligni admittentes, „ dedimus illi ingreſſum, *mancipati à* „ *nobis ipſis peccato*: unde prompte ducitur corpus noſtrum ad illud: dici- „ tur ergo inhærens corpori noſtro „ odor & ſenſus peccati, id eſt, con- „ cupiſcentia & voluptas corporis, „ *Lex in membris carnis noſtra*. Lex igi- „ tur mentis, id eſt, conſcientia con- „ delectatur legi Dei, id eſt, mandato „ quod quidem vult. Lex vero pecca- „ ti, id eſt, ſuggeſtio per Legem quæ „ eſt in membris, id eſt, corporis con- „ cupiſcentiam & inclinationem & „ motum, & per irrationalem animæ „ partem militat adverſus legem men- „ tis meæ, id eſt, conſcientiam, & ca- „ ptivat me volentem Dei legem, & „ non agentem, & nolentem pecca- „ tum, ſecundum contradictionem per „ ſuadelam voluptatis & concupiſcen- „ tiam corporis, & partem animæ bru- „ tam rationiſque expertem, ut dixi, „ errare facit & ſuadet ſervire peccato. „ Sed Deus quod impoſſibile erat Le- „ gi, in quo infirmabatur lex per car- „ nem, mittens Filium ſuum in ſimi- „ litudinem carnis peccati (nam car- „ nem aſſumpſit, peccatum autem ne- „ quaquam) condemnavit peccatum „ in carne, ut juſtitia legis impleretur „ in iis qui non ſecundum carnem „ ambulant, ſed ſecundum Spiritum. „ Nam Spiritus correluctatur infir- „ mitati noſtræ, & præbet virtutem le- „ gi mentis animæ adverſus Legem „ quæ eſt in membris noſtris.

Theophylactus in 7. cap. ad Rom. Ego inquit carnalis ſum, hoc eſt, univerſa hu- *Theophylactus.* mana natura, cum qua ante ſanci- „ tam legem, tum quæ tempore Legis „ univerſam affectuum turbam ſibi „ aggregatam habuit. Non enim tan- „ tum mortales facti ſumus ex Adami „ prævaricatione, verum etiam affectus „ pravos natura ſub peccato vẽdita re- „ cipit juri plane & dominatui peccati „ ſubdita, ita ut caput erigere nequeat. „

Et paulo poſt: Hanc ergo infirmitatem Lex profectò ſanare non potuit, etſi quid agendum eſſet dictaret, Chriſtus autem accedens ſanavit. Hic igitur Apoſtoli ſcopus eſt, eorum quæ dixit & quæ dicturus eſt, demonſtrare humanam naturam immedicabilia paſſam, nec ab ullo alio ſanitati reſtitutam præterquam a ſolo Chriſto.

Et poſtea : *Infelix ego*] Naturalis Lex non potuit, ſed utramque peccati tyrannis vicit. Vnde igitur eſt ſalutis ſpes ? &c.

Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum] Ipſe enim præſtitit, quæ lex non potuit. Nam ipſe me ab imbecillitate corporis liberavit, vires illi aſpirans, atque confortans, ut non porro peccati tyrannide opprimatur.

Ambroſius. Ambroſius in Epiſtolam ad Romanos, ſive quis alius illorum commentariorum ſit auctor, ſive interpolator in cap. 7. *Hoc eſt venditum eſſe ſub peccato*, ex Adam qui prior peccavit originem trahere & proprio delicto ſubjectum fieri peccato, ſicut dicit Eſaias; venditi, inquit, eſtis peccatis veſtris. Adam enim vendidit ſe prior, ac per hoc omne ſemen eius ſubjectum eſt peccato. Quamobrem infirmum eſſe hominem ad præcepta legis ſervanda, niſi divinis auxiliis muniatur : hinc eſt, quod ait: *Lex Spiritualis eſt, ego carnalis*, &c. *hoc eſt*, Lex firma eſt & juſta, & caret culpa, homo autem fragilis eſt, & paterno ſubjugatus delicto, ut poteſtate ſua uti non poſſit circa obedientiam legis; ideo eſt ad Dei miſericordiam confugiendum, ut ſeveritatem Legis effugiat, & exoneratus delictis, de cætero, Deo favente, inimico reſiſtat.

Paulo poſt. : *Perficere autem bonum non invenio:*] Placet ergo quod a lege jubetur, & voluntas eſt faciendi, ſed ut impleatur poteſtas, & virtus deeſt; quia ſic preſſus eſt poteſtate peccati, ut non poſſit ire quo vult, neque valeat contradicere, quia poteſtatis eius alter eſt dominus.

Paulo poſt : Apoſtolus ut gratiam Dei referat, hæc exponit de quantis malis hominem liberaverit; ut quæ exitia ex Adam trahit, quæ vero beneficia per Chriſtum conſecutus eſt, cui nec lex ſubvenire potuit, demonſtraret. Inſpiciatur totus locus.

Hieronymus. *Hieronymus in Daniel. cap. 9. in iſta verba, peccavimus*, &c. Et certo tres pueri non peccaverunt nec eius ætatis erant, quando ducti ſunt in Babylonem, ut propter vitia ſua punirentur. Ergo quomodo hi ex perſona populi loquuntur, ſic illud Apoſtoli legendum eſt; *non enim quod volo hoc ago, &c.*

Auguſtinus. Sed veniamus ad Auguſtinum, & videamus quid ille de hoc loco ſenſerit; quandoquidem auctoritatis illius pondere mea ſententia gravatur, & premitur. Sic itaque loquitur.

Libri Expoſitionis quarundam propoſitionum ex Epiſtola ad Romanos. *Si autem quod nolo hoc facio, conſentio legi quod bona ſit.*] Satis quidem lex ab omni criminatione defenditur. Sed cavendum nequis arbitretur his verbis auferri nobis liberum voluntatis arbitrium, quod non ita eſt. Nunc enim deſcribitur homo ſub lege poſitus ante gratiam.

Paulo poſt : *video aliam legem in membris meis, &c.*] Legem peccati dicit qua quiſque carnis conſuetudine implicitus adſtringitur. Hanc repugnare ait legi mentis ſuæ, & ſe capti-

captivare ſub lege peccati. Vnde intelligitur ille homo deſcribi qui nondum eſt ſub gratia. Si enim repugnaret tantum conſuetudo carnalis, & non captivaret, non eſſet damnatio. In eo enim eſt damnatio quod obtemperamus & ſervimus deſideriis pravis carnalibus. Si autem exiſtant & non deſint talia deſideria, non tamen his obediamus, non captivamur, & ſub gratia jam ſumus, de qua loquitur, cum exclamavit liberatoris auxilium, ut poſſit per gratiam charitatis, quod per legem timor non poterat. Dixit enim, *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore morte huius?* Et ſubjecit: Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Deinde incipit deſcribere hominem ſub gratia conſtitutum, qui tertius gradus eſt illorum quatuor, quos diſtinximus.

Ad Simplicianum Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopum lib. 1. ſed tamen eadem ipſa verba Apoſtolica tenoremque ſententiarum, (ſcilicet cap. 7. ad Rom.) non contentus inquiſitione atque explicatione præterita, ne quid in ea negligentius præteriſſem, cautius attentiuſque rimatus ſum. Non enim ea tu percontanda cenſeres, ſi eorum intellectus facilis atque expeditus foret. Nam ex eo loco ubi ſcriptum eſt; (*quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? Abſit*) uſque ad eum locum ubi ait (*igitur lex, volenti mihi bonum*, &c. credo uſque ad illud: *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*) primum nos voluiſti enodare quæſtionem. Quo loco videtur mihi Apoſtolus transfiguraſſe in ſe hominem ſub lege poſitum, cuius verbis ex perſona ſua loquitur.

Hinc patet primo, quod Eccleſia de illius loci ſenſu nihil certi præſcripſerat tum temporis: nam Simplicianus Epiſcopus, & quidem in eadem Eccleſia, in qua Ambroſius antea Epiſcopatu functus erat, Mediolanenſis ſcilicet, Auguſtini ſententiam non perquiſiviſſet, ſi ex præſcripto de illo loco ſentiendum fuiſſet. Secundo, quod Auguſtinus re diligenter penſitata aperte dicit, de Homine ſub lege locum eſſe intelligendum.

Nota. Interpretationem huius loci non fuiſſe adſtrictam tempore Auguſtini.

Ibidem *Ego, inquit, vivebam ſine lege aliquando:* unde manifeſtat non ex perſona ſua proprie, ſed generaliter ex perſona veteris hominis ſe loqui.

Ibidem: Deinde ſubjungit cauſam cur ita ſit. *Scimus enim (inquit) quia lex Spiritualis eſt, Ego a. carnalis ſum.* In quo ſatis oſtendit legem non poſſe impleri niſi a Spiritualibus, qui non fiunt niſi per gratiam.

Et paulo poſt: Sane cum dixiſſet, *Ego enim carnalis ſum*, contexuit etiam qualis carnalis. Appellati ſunt enim ad quendam modum carnales, jam etiam ſub gratia conſtituti, jam redempti ſanguine Chriſti & renati per fidem; quibus idem Apoſtolus dicit. 1. Cor. 3. *Ego non potui vobis loqui, fratres, ut ſpiritualibus, &c.* Qui autem nondum eſt ſub gratia, ſed ſub lege, ita carnalis eſt, ut nondum ſit renatus a peccato, ſed venundatus ſub lege a peccato, quoniam pretium mortiferæ voluptatis amplectitur dulcedinem illam, qua fallitur & delectatur etiam contra legem facere, quum tanto magis libet, quanto minus licet, &c. Et poſtea conſentit ergo legi Dei, non in quantum facit quod illa prohibet, ſed in quantum non vult quod facit. Vincitur enim non-

„ nondum per gratiam liberatus,
» quamvis jam per legem & noverit ſe
„ male facere, & nolit. Quod vero
ſequitur, & dicit: *Nunc autem jam non ego operor illud, ſed id quod in me inhabitat peccatum*; *non ideo dicit, quia non conſentit ad faciendum peccatum, quamvis legi conſentiat ad hoc improbandum.*
„ Loquitur autem adhuc ex per-
„ ſona hominis ſub lege conſtituti,
» nondum ſub gratia, qui profecto tra-
„ hitur ad male operandum concupiſ-
« centia dominante atq; fallente dulce-
» dine peccati prohibiti, quãvis ex par-
„ te notitia legis hoc improbet. Sed
« propterea dicit, nõ ego operor illud,
„ quia victus operatur, cupiditas quip-
„ pe id operatur cui ſuperanti ceditur:
„ Vt autem non cedatur, ſitque mens
» hominis adverſus cupiditatem ro-
» buſtior gratiæ facit, de qua poſt di-
„ cturus eſt. Vide & ſequentia.

« Paulo poſt: *velle adjacet mihi*, ad
» facilitatem dixit. Quid enim faci-
» lius homini ſub lege conſtituto,
» quam velle bonum & facere ma-
lum? &c.

» *Ibidem.* Hoc autem totum dicitur
» ideo, ut demonſtretur homini ca-
„ ptivo non eſſe præſumendum de vi-
„ ribus ſuis. Vnde Iudæos arguebat
» tanquam de operibus legis ſuperbe
„ gloriantes, quum traherentur con-
» cupiſcentia ad quidquid illicitum
„ eſt, cum lex de qua gloriabantur di-
„ ceret, *non concupiſces*. Humiliter er-
» go dicendum eſt homini victo,
„ damnato, captivo, & nec ſaltem ac-
„ cepta lege victori, ſed potius præva-
„ ricatori, humiliter exclamandum
eſt: *Miſer ego homo.* &c.

Loca hæc Auguſtini cum meis conſentire [illegible] Iſta Auguſtiniana qui cum meis conferet, videbit prorſus inter ſe conſentire. Et ego huic ſententiæ Auguſtini ſubſcribo. Hinc etiam apparet neque tum quidpiam de illo loco ab Eccleſia præſcriptum eſſe, præſertim in iſtam partem, quod de homine regenito eſſet intelligendus & ſub gratia conſtituto.

Sed occurritur hic & objicitur, *Objectio.* quod Auguſtinus eundem locum poſterioribus annis aliter explicuerit, de homine nempe regenito & ſub gratia conſtituto, ut ſermone 43. 45. 47. de tempore, & multis aliis locis. Fateor ita rem habere, & po- *Auguſtinus poſtea aliter explicuit.* ſtea illa loca inſpiciemus, & quantum pro adverſaria ſententia ſtabilienda facere poſſint videbimus.

At Auguſtinus, inquiunt, illam *Imo retractaſſe priorem ſententiam.* ſuam ſententiam, quam explicavit libero Expoſitionum quarundam propoſitionum ex Epiſtola ad Rom. & lib. 1. ad Simplicianum retractavit & condemnavit: quare eius auctoritas ad ſtabiliendam illam ſententiam adferri nequit.

Reſpondere poſſem, primo, quod *Reſponſ. ſaltem hinc apparere interpretationem hujus capitis fuiſſe liberam.* ex eo conſtet, quia Auguſtinus principio ita ſenſerit, poſtea aliter, neutram ſententiam ab Eccleſia fuiſſe Catholici dogmatis loco habitam. Secundo, fieri poſſe ut Auguſtinus initio rectius quam poſtea ſenſerit, præſertim cum tum ſuum ipſius judicium ſecutus ſit, formatum ex accurata ipſius loci inſpectione & diligenti omnium ſententiarum collatione; poſtea vero motus ſit quorundam Sacræ Scripturæ tractatorum auctoritate, ut inquit lib. 1. Retract. cap. 23. licet addat ſe diligentius rem conſideraſſe: non enim conſideravit ſine præjudicio ex illorum tractatorum auctoritate concepto. Sed reſpondeo Auguſtinum nunquam illam ſuam ſententiam, qua de homine ſub lege conſtituto locum explicuit, retractaſſe aut con-

condemnaſſe, ſed hoc tantum quod dixerat; hæc verba non ex Apoſtoli perſona accipienda, qui jam Spiritualis erat, ſed hominis ſub lege poſiti & nondum ſub gratia. Duo enim dixerat Auguſtinus. Primo, locum illum Apoſtoli intelligendum de homine ſub lege conſtituto. Secundo, non eſſe intelligendum de homine ſub gratia poſito, neque de ipſo Apoſtolo, qui jam ſpiritualis erat. Illud Auguſtinus nunquam retractavit, *hoc poſterius* retractavit, quod planiſſime clarebit locum inſpicienti: quem hic adſcribere non pigebit, propterea quod Auguſtinus non omnibus ad manum ſit. Sic ergo inquit Auguſtinus lib. 1. Retractationum cap. 23.

Quid Auguſt. propter retractaverit, oſtenditur locus ex ipſo adducto.

Quum Presbyter adhuc eſſem, contigit ut apud Carthaginem inter nos qui ſimul eramus, ad Romanos Apoſtoli Epiſtola legeretur, & quædam interrogabar à fratribus, quibus quum ſicut poteram reſponderem, voluerunt ſcribi potius quæ dicebam, quam ſine litteris fundi: ubi quum iis obtemperarem liber unus acceſſit opuſculis meis. In quo libro: Quod autem ait, inquam, *Scimus quia Lex Spiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato*, ſatis oſtendit non poſſe impleri legem niſi à Spiritualibus, quales facit gratia Dei. Quod utique non ex perſona Apoſtoli accipi volui, qui jam ſpiritualis erat, ſed hominis ſub lege poſiti, nondum ſub gratia. Sic enim prius hæc verba ſapiebam, quæ poſtea lectis quibuſdam divinorum tractatoribus Eloquiorum, quorum me moveret auctoritas, conſideravi diligentius, & vidi etiam de ipſo Apoſtolo poſſe intelligi, quod ait, *Scimus quoniam Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum.* Quod in eis libris quos contra Pelagianos ſcripſi nuper, quantum potui diligenter oſtendi. In iſto ergo libro, & hoc quod dictum eſt: (*Ego autem carnalis ſum*, & deinde cætera uſque ad eum locum, ubi dicit, *Miſer ego homo &c.*) Dixi hominem deſcribi adhuc ſub lege nondum ſub gratia conſtitutum, benefacere volentem, ſed victum concupiſcentia carnis male facientem: A cuius concupiſcentiæ dominatu non liberat niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum dono Sp. ſancti, per quê diffuſa charitas in cordibus noſtris vincit carnis concupiſcentias, ne conſentiamus eis ad maleficiendum, ſed potius bona faciamus: Unde quidem jam evertitur hæreſis Pelagiana, quę vult non ex Deo nobis, ſed ex nobis eſſe charitatem, qua bene ac pie vivimus: Sed in illis libris quos adverſus illos edidimus, Etiam ſpiritalis hominis, jamq; ſub gratia conſtituti melius intelligi verba iſta monſtravimus, propter carnis corpus quod Spirituale nondum eſt, erit autem in Reſurrectione mortuorum: & propter ipſam carnis concupiſcentiam, cum qua ita confligunt ſancti, non ei conſentientes ad malum, ut tamen eius motibus quibus repugnantibus reſiſtunt, non careant in hac vita. Non eos autem habebunt in illa, ubi abſorbebitur mors in victoriam. Propter hanc itaque concupiſcentiam, motuſq; ipſos quibus ita reſiſtitur ut tamen ſint in nobis, poteſt quiſque ſanctus jam ſub gratia poſitus dicere iſta omnia, quæ hic dixi eſſe verba hominis nondum ſub gratia poſiti ſed ſub lege: quod hic oſtendere longum eſt, & ubi oſtenderim dictũ eſt.

Item lib. Retract. 2. c. 1. Librorum

evadet quod dixi. Hoc autem ita faciamus.

Recapitulatio paraphraſtica eorum quæ 4. primis verſibus viij. capitis docentur, eorundemque cum præcedente capite connexio.

Quum ergo viderimus hactenus homines ſub lege exiſtentes ſub dominio & tyrannide peccati captivos detineri, hinc facile concludere licet ſolos eos, qui ſunt in Chriſto Ieſu, quique ſecundum ſpiritum & non ſecundum carnem ambulant, immunes eſſe ab omni condemnatione: quia lex, jus, poteſtas, & vis ſpiritus vivifici, qui in ſolo Ieſu Chriſto eſt & obtineri poteſt, liberavit iſtos tales à lege, poteſtate, & vi peccati & mortis, ab imperio dominioque peccati & condemnatione ejuſdem. Quod jure potuit Chriſtus per ſuum Spiritum, utpote in cujus carne peccatum ſit condemnatum, ut nullum jus amplius habeat, aut habere poſſit in illos qui Chriſti ſunt. In qua quidem carne pater illum miſit, quia hoc ipſum legi erat impoſſibile infirmæ ſcilicet per carnem. Atque ita factum eſt, ut jus legis, quod in nos habuit quum adhuc ſub lege eſſemus, completum ſit in iſtis talibus, qui Chriſti per fidem facti ſunt, ut in poſterum ejus gratia & ſecundum Spiritus ſancti ductum viverent, agerentur & regerentur. Unde certo concludere nobis licet, quod illis peccatum dominari nequit, & propterea illi ipſi membra ſua ſiſtere poſſunt arma juſtitiæ Deo, tanquam qui ex morte peccati in vitam Spiritus ſunt tranſlati. Hæc autem ad verſum uſque 16. hujus capitis perſequitur Apoſtolus, accommodate eidem ſcopo quem hactenus monſtravimus, memor iſtius adhortationis quam poſuit cap. 6. 12. & 13. ex cujus adjuncta ratione in prolixum hunc tractatum devenit. Sed hæc ſufficiant, ne nimis operoſi ſimus in re ita plana & perſpicua commonſtranda.

SECUNDA PARS.

Quod ſententia iſta, quæ caput VII. Epiſtolæ ad Romanos de homine non ſub gratia ſed ſub lege conſtituto, & de homine nondum Chriſti Spiritu regenito explicat, nunquam in Eccleſia Chriſti hæreſeos damnata fuerit, ſed ſemper adſtipulatores aliquos inter Eccleſiæ doctores habuerit.

Interpretationem huius capitis hucuſque allatam probant antiquiſſimi & præſtantiſſimi ex patribus.

NUnc ad alteram Propoſiti noſtri partem veniemus, quam hoc fine tractare viſum eſt, ut omnibus patere queat, illam quam defendo ſententiam, non nuper natam, aut ex cerebro meo confictam eſſe, neque ab hæretico aliquo mutuatam: ſed antiquam admodum eſſe, & à bona parte Doctorum primitivæ Eccleſiæ approbatam: quin ne ab iis qui locum aliter interpretati ſunt, eouſque rejectam, ut hæreſeos nota inſigniri dignam judicaverint.

Irenæus.

Irenæus lib. 3. cap 22. locum hunc ita citat: Propter hoc ergo ſignum ſalutis noſtræ, eum qui ex virgine Emanuel eſt ipſe Dominus: quoniam ipſe Dominus erat qui ſalvabat eos, quia per ſemetipſos non habebant ſalvari. Et propter hoc Paulus infirmitatem Hominis annuntians, ait: *Scio n. quoniam non habitat in carne mea bonum:* ſignificans quoniam non a nobis, ſed a Deo eſt bonum ſalutis. Et iterum: *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Deinde infert liberatorem: *Gratia Ieſu Chriſti Domini noſtri.*

Non

Non inquit Hominis regeniti, aut fidelis, aut Chriſtiani, ſed ſimpliciter Hominis; quo nomine neque Scriptura neque Patres ſolent appellare illum, qui Chriſtianus, fidelis, & regenitus eſt.

Tertullianus. *Tertullianus in lib. de pudicitia cap.* 17. Nam etſi habitare bonum in carne ſua negavit, ſed ſecundum legem litteræ in qua fuit: ſecundum autem legem Spiritus, cui nos annectit, liberat ab infirmitate carnis. Lex enim, *inquit*, Sp. vitæ manumiſit te à lege delinquentiæ & mortis. Licet enim ex parte ex Iudaiſmo diſputare videatur, ſed in nos dirigit integritatem & plenitudinem diſciplinarum, propter quos laborantes in lege per carnem miſerit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis delinquentiæ, & propter delinquentiam damnaverit delinquentiam in carne.

Hic Tertullianus perſpicue adfirmat hunc locum explicandum de homine qui eſt ſub lege litteræ. Neque obſtat magnopere, ſi quis dicat hunc librum ab illo ſcriptum cum eſſet in hæreſi: in eo enim hæreticus non fuit, & apparet hinc illam ſententiam tunc obtinuiſſe, quod iſtud caput ita intelligendum eſſet.

Origenes. *Origenes in cap. 7. Epiſt. ad Rom.* Quod vero dicit, *ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccatum*: hic jam tanquam Doctor Eccleſiæ perſonam in ſemetipſum ſuſcipit infirmorum; propter quod & alibi dixit; *factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrarer.* Et hic ergo infirmioribus quibuſque (id eſt, carnalibus) & qui ſub peccato venundati ſunt efficitur Paulus carnalis, & ſub peccato venundatus, & loquitur ea quæ illis loqui moris eſt vel excuſationis vel incuſationis obtentu. Ait ergo tanquam ex illorum perſona loquens: *Ego autem carnalis ſum, venditus ſub peccato, hoc eſt*, ſecundum carnem vivens, & in poteſtatem peccati, libidinis, & concupiſcentiæ pretio redactus. *Quod enim operor non agnoſco, &c.*

Paulo poſt: Et hic (id eſt, Paulus carnalis) dicit, *quia non jam ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*; Paulus vero ſpiritalis in aliis dicit; *quia abundantius quam omnes iſti laboravi; non autem ego, ſed gratia Dei mecum*, ut ergo iſte labores ſuos non ſibi, ſed gratiæ Dei quæ in ipſo operabatur aſſcribit: ita & ille carnalis opera non bona non ſibi, ſed peccato quod in ſe habitat & operatur adnumerat: Ideo ergo dicit *non jam ego operor illud ſed quod habitat in me peccatum. Non enim habitat in me, id eſt, in carne mea bonum.* Nondum enim in eo Chriſtus inhabitat, neque corpus eius templum eſt Sp. ſancti. Veruntamen non uſquequaque hic cuius perſona proponitur alienus eſt a bonis, ſed propoſito quidem & voluntate cæpit bona requirere. Nondum tamen poteſt bona rebus & operibus obtinere. Eſt enim talis quædam infirmitas in his qui initia converſionis accipiunt, ut cum velint quidem ſtatim facere omne quod bonum eſt, non ſtatim voluntatem ſequatur effectus, &c.

Cy. *Cyprianus* de lucta carnis & ſpiritus agens ſerm. 6. de oratione dominica, item libello de ſingularitate clericorum adfert locum ad Gal. 5. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum*, &c. non hunc locum ad Romanos. Quod vero locum ad Rom. 7. de dominatu, & non tantum de inexiſtentia peccati intellexerit patet ex

" prologo de cardinalibus operibus " Chriſti, ubi inter alia hæc dicit: ſi " neſcio, quis hanc legem membris in" ſculpſerit, ut tam violenta domina" tione, Spiritum opprimat, & melior " digniorque natura deteriori ſuc" cumbat, patienter me ferre oportet, " ſi operatorem univerſitatis non in" telligo.

" *Et paulo poſt eodem prologo:* Hæc " lex peccati quare in his & ſimilibus " legem juſtitiæ opprimat, & quare " enervata ratio, cum ſtare poſſit, tam " miſerabiliter ruat, difficile eſt aſſe" qui: maxime cum defectus iſte a " damnationis ſententia pendeat, & " hanc inevitabilem pœnam antiqua " tranſgreſſio ſit ſortita.

Chryſoſtomus. Chryſoſtomus locum ex profeſſo tractans & explicans comment. in v. 11. cap. ad Rom. ita inquit, præcedentibus adſtipulans: *propterea & ſubnexuit dicens:* Ego vero carnalis ſum, *hominem deſcribens ſub lege & ante legem degentem.*

" *Et paulo poſt:* Ipſum itaque pecca" tum naturali legi adverſatur. hoc " enim eſt, quod dicit, *Legi mentis* " *meæ.* univerſum etiam certamen & " bellum, quum aciem peccati dein" ceps inducit, naturali legi imponit. " Moſaïca quippe ex abundanti po" ſtremo adjecta eſt. Veruntamen " neque iſtæ (docens illa quidem quæ " fieri oporteat, iſta vero collaudans) " quicquam in hac pugna adverſus " peccatum exſecutæ ſunt. Tanta pec" cati tyrannis eſt, uſque adeo vincens " & exſuperans. Quod quidem & " Paulus ſignificat, quum adverſantis " prædominantiſque peccati confli" ctum declarans, dicit; *ſed video aliam* " *legem in membris meis rebellantem legi* " *mentis meæ, & captivantem me lege pec*" *cati.* Non enim ſimpliciter dicit, vincentem me, ſed captivantem me " legi peccati. Neque dicit captivan" tem me impulſioni carnis aut natu" ræ carnis, ſed legi peccati, hoc eſt, " tyrannidi & potentiæ peccati. "

Paulo poſt: *Miſer ego homo, quis* " *me eripiet ex mortis hujus corpore?* Vides " quanta ſit malitiæ tyrannis, quomo" do mentem etiam condelectantem " Legi Dei vincat? Non enim eſt, " inquit, quod quis me dicat legem " Dei odio proſequentem, & aver" ſantem, a peccato captivatum eſſe. " Condelector enim ac conſentio illi, " atque ad illam confugio; Verunta" men illa neque ad ſe fugientem ſal" vare potuit. Chriſtus verò ab illa " fugientem ſalvavit. Agnoſcis; quæ " ſit gratiæ excellentia? "

Et in cap. 8. *verſ.* 2. difficile hoc bellum enecato peccato Sp. ſancti " gratia diſſolvit, per quam factum eſt, " ut certamen jam nobis ſit facile, quæ " nos etiam primum coronat, multiſ" que deinde auxiliaribus copiis ſti" patos in prelia ducit. "

Baſilius Magnus lib. 1. *de baptiſmate* *Baſilius Magnus.* fol. 409. Alibi vero objurgatorio magis modo idem nobis tradens, " quid dixerit adducemus. *Scimus enim quod lex Spiritualis eſt, ego vero carnalis ſum venditus ſub peccatum: quod enim facio non probo, &c.* Et hanc ipſam " ſpeculationem pluribus perſequens, " quod impoſſibile eſt ſervire Domi" no, eum qui detinetur a peccato, ma" niſeſte nobis oſtendit liberatorem " noſtrum ex hac tyrannide, dum di" cit: *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore hoc mortis? Gratias ago Deo,* &c.

Paulo poſt: Neceſſe eſt igitur om" nino tum ex relatis, tum ex ſimili" bus, ſi modo non in vanum Dei be" neficium ſuſcepimus, ut primum a " domi-

dominio Diaboli liberemur, *qui eum qui à peccato detinetur, ad mala quæ non vult perducit*: & tunc abnegatis omnibus præſentibus, & ſeipſo, coaffectione ad hanc vitam relicta, diſcipuli Domini fiamus, quemadmodum ipſe dixit: *Si quis venit ad me, abneget, &c.*

In Moralium ſumma 23. cap. 2. fol. 377. Quod is qui invitus trahitur a peccato, noſſe debet, quod ab alio præinexiſtente in ipſo peccato regitur, cui ultro inſerviens de cætero ducitur ab ipſo etiam ad ea quæ non vult. Ad Rom. 7. *Novimus autem quod lex Spiritualis eſt, ego autem carnalis ſum venditus ſub peccatum, &c.* uſque ad illa, *ſed inhabitans in me peccatum.*

Idem quæſtionum compendio explicatarum quæſt. 16. fol. 563. Anima quæ affectuum dominium patitur, neque ad ea quæ vult, libera eſſe ab illis permittitur, juxta illam ab Apoſtolo relatam ſpeculationem, qui dixit: *Ego autem carnalis ſum, venditus ſub peccatum. Non enim quod volo hoc facio, ſed quod odit hoc ago.*

Et rurſum; *Nunc autem non jam ego operor hoc, ſed inhabitans in me peccatum:* Deo ipſo etiam hoc in bonum nobis contingere permittente, ſi quomodo per ea quæ invita patitur anima ad intelligentiam deveniat dominantis, & cognita ſeipſa quod invita ſerviat peccato, reſipiſcat ex laqueo Diaboli, paratam petens miſericordiam Dei ad ſuſcipiendos legitime pœnitentes.

Theodoretus. *Theodoretus in 7. cap ad Rom.* Ego *autem carnalis ſum*] Introducit hominem ante gratiam ab animi motibus & perturbationibus obſeſſum. Carnalem enim vocat illum qui nondum Spiritualem gratiam eſſet aſſecutus.

Non enim quod volo hoc ago, ſed quod odi illud ago] Hoc a lege pulchre efficitur, nempe ut doceat quod ſit malum, & eius odium animæ inferat. Illa autem, *non volo &c. odi*, non neceſſitatem, ſed imbecillitatem ſignificant. Non enim neceſſitate aut vi aliqua impulſi peccamus, ſed a voluptate deliniti ea facimus, quæ ut ſcelerata & flagitioſa abhorremus.

Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem.] Interiorem hominem dixit mentem.

Video autem aliam legem in membris meis repugnantem.] Legem peccati peccatum appellat. Id autem operationem exercet, quando corporales quidem animi perturbationes exſiliunt, anima autem propter eam quam ab initio induit ſocordiam eas cohibere non poteſt: ſed propriam quidem libertatem abjecit, eis autem ut ſerviat ſuſtinet. Sed tamen quamvis ſerviat, odio habet ſervitutem, & laudat eum, qui ſervitutem accuſat. Hæc omnia cum diſſeruiſſet Apoſtolus, ut oſtenderet quales eramus ante gratiam, & quales poſt gratiam; & velut ſuſcepta perſona eorum, qui ante gratiam a peccato obſeſſi ſunt, tanquam a mediis hoſtibus circundatus, & in ſervitutem abductus & ſervire coactus, & nullum aliunde videns auxilium graviter quidem gemit & lamentatur: oſtendit a lege opem ferri non poſſe, & dicit: *Infelix ego homo, &c.*

In cap. 8. *Nihil ergo nunc condemnationis*, &c. neque enim nos nunc invitos vincunt animi perturbationes, quoniam divini gratiam Sp. accepimus.

Lex enim Sp. vitæ) ſicut legem peccati peccatum, ſic legem Spir. vitæ vivificum Spiritum appellavit. Eius inquit gratia per fidem in Ieſum Chriſtum duas tibi libertates donavit. Non ſolum enim peccati potentiam fregit, ſed etiam mortis tyrannidem deſtruxit.

Cyrillus. Cyrillus contra Iulianum lib. 3. fol. 184. b. *Quod enim impoſsibile legis in quo infirmabatur per carnem, &c.*) Igitur cum unigenitus propter nos homo factus eſſet, abolita quidem eſt Lex peccati in carne, & ſunt res noſtræ reductæ ut ad primam originem regrediantur. Etenim prævalebant mors, corruptio, voluptates, & aliæ concupiſcentiæ, quæ imbecillem & infirmam deprædabantur mentem adjutricem habentes corruptionem.

De Recta fide ad Reginas lib. 1. fol. 283. *Itaque ego ipſe mente ſervio legi Dei, &c. uſque ad 5. verſum cap. 8.*) Etenim manifeſte inter ſe pugnant caro & Spiritus, hoc eſt, prudentia carnalis & motus concupiſcentiarum nobis inſitarum, & virtus vitæ ſecundum ſpiritum, Licet divina Lex nos urgeat, ut debeamus eligere bonum, in contrarium tamen concupiſcentia carnis fertur. *Solutum autem nunc eſt quod obſtat, & infirmatur Lex peccati*, prævaluit vero Lex Spiritus. Ob quam cauſam? *Miſit enim Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, ut condemnaret peccatum in carne.* Iam quo pacto non fuit valde utilis verbi incarnatio. Condemnatum enim hic eſt in carne etiam noſtrum peccatum; Si autem verbum non eſſet factum caro, manſiſſent res noſtræ inemendatæ, & ſeviremus carne legi peccati, nullo in nobis illam abolente.

Idem Epiſtola priore ad Succeſſum. Fatemur ergo per Adæ prævaricationem humanam fuiſſe corruptam ſubſtantiam, & intelligentiam noſtram voluptatibus carnis & inſitis motibus arridentibus noſtræ naturæ velut tyrannica dominatione compreſſam. Vnde neceſſariarum fuit, ut pro ſalute noſtra, qui moramur in terra, Dei verbum homo fieret, & humanam carnem corruptioni deditam, & voluptatum illecebris ægrotantem, propriam faceret: Et quia eſt vita cunctorum, corruptionem quidem eius deſtrueret, compeſceret autem inſitos motus, eos videlicet, qui nos ad vitia voluptateſque præcipitabant. Sic enim oportebat mortificari in noſtra carne delicta. Meminimus autem & beatiſſimum Paulum *legem peccati appellantem inſitos nobis voluptuarios motus.* Quapropter quia humana caro facta eſt verbi propria, deſiit jam corruptioni ſuccumbere. Et quia peccatum non novit, tanquam Deus qui eum ſibi univit, & ut dixi propriam fecit, deſiit jam vitiis ac voluptatibus ægrotare. Nec hoc ſibi perfecit unigenitus filius Dei, verbum eſt enim quod eſt ſemper, ſed proculdubio nobis: nam ſi ſimiles ſumus ex Adæ prævaricatione ſubjecti, venient itaque nobis etiam bona, quæ in Chriſto ſunt, hoc eſt, incorruptio & abolitio peccatorum.

Macarius Homil. 1. Adam tranſgrediens mandatum Dei, & obediens impio ſerpenti vendidit ſeipſum Diabolo: & ſic ille nequam induit animam eius, illam nempe creaturam præclaram, quam condiderat Deus ad imaginem ſuam, ut & Apoſtolus ait: *Exſpolians principatus & poteſtates, triumphavit de illis in* Macarius Ægyptius.

cruce

» *truce*. Hac enim de cauſa Dominus
» venit, ut expelleret illos & reciperet
» domum propriam, & templum pro-
» prium, videlicet hominem. Proin-
» de anima dicitur eſſe corpus tene-
» brarum & nequitiæ, quamdiu ſunt
» in ea tenebræ peccati. Quia illic
» vivit in ſeculo nequam tenebrarum,
» & illic detinetur captiva. Quemadmodum & Paulus appellans *corpus peccati & mortis*, ait, *ut deſtruatur corpus peccati*. Et rurſum: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ediverſo
» anima quæ Deo credidit, & liberata
» eſt à peccato mortificata vitæ tene-
» brarum, & lumen Sp. ſancti tan-
» quam vitam recepit, inde vivens ibi
» poſtea perſeverat: quia ibi regitur
» à lumine divino.

Hinc patet etiam Macarium illum locum intellexiſſe, de homine qui ſit ſubditus Spiritui tenebrarum, ſervus peccati, captivus Sathanæ, qui nondum ſit mortificatus peccato, nondum lumen Sp. ſancti accepit, hoc eſt, qui nondum eſt regenitus Sp. Chriſti.

Damaſcenus. Damaſcenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 23. hanc rem pulchre explicat, quare non pigebit prolixius illius ſententiam ipſius verbis deſcribere, prout ab eius Tranſlatore in latinam linguam fuit converſa.

Adveniens, inquit, lex Dei menti
» noſtræ, attrahit ad ſeipſam, & ſti-
» mulat noſtram conſcientiam; dici-
» tur autem & conſcientia noſtra Lex
» mentis noſtræ. Sed & ſuggeſtio
» maligni, hoc eſt, Lex peccati, adve-
» niens membris carnis ſe per hanc
» nobis immittit: nam ſemel tranſ-
» gredientes voluntarie legem Dei, &
» ſuggeſtionem maligni admittentes,
» dedimus illi ingreſſum, *mancipati à*
» *nobis ipſis peccato*: unde prompte dicitur corpus noſtrum ad illud: dici- «
tur ergo inhærens corpori noſtro «
odor & ſenſus peccati, id eſt, con- «
cupiſcentia & voluptas corporis, «
Lex in membris carnis noſtræ. Lex igi- «
tur mentis, id eſt, conſcientia con- «
delectatur legi Dei, id eſt, mandato «
quod quidem vult. Lex vero pecca- «
ti, id eſt, ſuggeſtio per Legem quæ «
eſt in membris, id eſt, corporis con- «
cupiſcentiam & inclinationem & «
motum, & per irrationalem animæ «
partem militat adverſus legem men- «
tis meæ, id eſt, conſcientiam, & ca- «
ptivat me volentem Dei legem, & «
non agentem, & nolentem pecca- «
tum, ſecundum contradictionem per «
ſuadelam voluptatis & concupiſcen- «
tiam corporis, & partem animæ bru- «
tam rationiſque expertem, ut dixi, «
errare facit & ſuadet ſervire peccato. «
Sed Deus quod impoſſibile erat Le- «
gi, in quo infirmabatur lex per car- «
nem, mittens Filium ſuum in ſimi- «
litudinem carnis peccati (nam car- «
nem aſſumpſit, peccatum autem ne- «
quaquam) condemnavit peccatum «
in carne, ut juſtitia legis impleretur «
in iis qui non ſecundum carnem «
ambulant, ſed ſecundum Spiritum. «
Nam Spiritus correluctatur infir- «
mitati noſtræ, & præbet virtutem le- «
gi mentis animæ adverſus Legem «
quæ eſt in membris noſtris.

Theophylactus in 7. cap. ad Rom. Ego inquit *carnalis ſum*, hoc eſt, univerſa hu- *Theophylactus.*
mana natura, cum qua ante ſanci- «
tam legem, tum quæ tempore Legis «
univerſam affectuum turbam ſibi «
aggregatam habuit. Non enim tan- «
tum mortales facti ſumus ex Adami «
prævaricatione: verum etiam affectus «
pravos natura ſub peccato vėdita re- «
cipit juri plane & dominatui peccati «
ſubdita, ita ut caput erigere nequeat. »

Et paulo poſt: Hanc ergo infirmitatem Lex profectò ſanare non potuit, etſi quid agendum eſſet dictaret, Chriſtus autem accedens ſanavit. Hic igitur Apoſtoli ſcopus eſt, eorum quæ dixit & quæ dicturus eſt, demonſtrare humanam naturam immedicabilia paſſam, nec ab ullo alio ſanitati reſtitutam præterquam a ſolo Chriſto.

Et poſtea: *Infelix ego*] Naturalis Lex non potuit, ſed utramque peccati tyrannis vicit. Vnde igitur eſt ſalutis ſpes? &c.

Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum] Ipſe enim præſtitit, quæ lex non potuit. Nam ipſe me ab imbecillitate corporis liberavit, vires illi aſpirans, atque confortans, ut non porro peccati tyrannide opprimatur.

Ambroſius. Ambroſius in Epiſtolam ad Romanos, ſive quis alius illorum commentariorum ſit auctor, ſive interpolator in cap. 7. *Hoc eſt venditum eſſe ſub peccato*, ex Adam qui prior peccavit originem trahere & proprio delicto ſubjectum fieri peccato, ſicut dicit Eſaias; venditi, inquit, eſtis peccatis veſtris. Adam enim vendidit ſe prior, ac per hoc omne ſomen eius ſubjectum eſt peccato. Quamobrem infirmum eſſe hominem ad præcepta legis ſervanda, niſi divinis auxiliis muniatur: hinc eſt, quod ait: *Lex Spiritualis eſt, ego carnalis*, &c. *hoc eſt*, Lex firma eſt & juſta, & caret culpa, homo autem fragilis eſt, & paterno ſubjugatus delicto, ut poteſtate ſua uti non poſſit circa obedientiam legis; ideo eſt ad Dei miſericordiam confugiendum, ut ſeveritatem Legis effugiat, & exoneratus delictis, de cætero, Deo favente, inimico reſiſtat.

Paulo poſt: *Perficere autem bonum non invenio:*] Placet ergo quod a lege jubetur, & voluntas eſt faciendi, ſed ut impleatur poteſtas, & virtus deeſt; quia ſic preſſus eſt poteſtate peccati, ut non poſſit ire quo vult, neque valeat contradicere, quia poteſtatis eius alter eſt dominus.

Paulo poſt: Apoſtolus ut gratiam Dei referat, hæc exponit de quantis malis hominem liberaverit; ut quæ exitia ex Adam trahit, quæ vero beneficia per Chriſtum conſecutus eſt, cui nec lex ſubvenire potuit, demonſtraret. Inſpiciatur totus locus.

Hieronymus. *Hieronymus in Daniel. cap. 9. in iſta verba, peccavimus*, &c. Et certo tres pueri non peccaverunt nec eius ætatis erant, quando ducti ſunt in Babylonem, ut propter vitia ſua punirentur. Ergo quomodo hi ex perſona populi loquuntur, ſic illud Apoſtoli legendum eſt; *non enim quod volo hoc ago, &c.*

Auguſtinus. Sed veniamus ad Auguſtinum, & videamus quid ille de hoc loco ſenſerit, quandoquidem auctoritatis illius pondere mea ſententia gravatur, & premitur. Sic itaque loquitur.

Libri Expoſitionis quarundam propoſitionum ex Epiſtola ad Romanos. *Si autem quod nolo hoc facio, conſentio legi quod bona ſit.*] Satis quidem lex ab omni criminatione defenditur. Sed cavendum nequis arbitretur his verbis auferri nobis liberum voluntatis arbitrium, quod non ita eſt. Nunc enim deſcribitur homo ſub lege poſitus ante gratiam.

Paulo poſt: *video aliam legem in membris meis, &c.*] Legem peccati dicit qua quiſque carnis conſuetudine implicitus adſtringitur. Hanc repugnare ait legi mentis ſuæ, & ſe capti-

captivare ſub lege peccati. Vnde intelligitur ille homo deſcribi qui nondum eſt ſub gratia. Si enim repugnaret tantum conſuetudo carnalis, & non captivaret, non eſſet damnatio. In eo enim eſt damnatio quod obtemperamus & ſervimus deſideriis pravis carnalibus. Si autem exiſtant & non deſint talia deſideria, non tamen his obediamus, non captivamur, & ſub gratia jam ſumus, de qua loquitur, cum exclamavit liberatoris auxilium, ut poſſit per gratiam charitatis, quod per legem timor non poterat. Dixit enim, *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et ſubjecit: Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Deinde incipit deſcribere hominem ſub gratia conſtitutum, qui tertius gradus eſt illorum quatuor, quos diſtinximus.

Ad Simplicianum Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopum lib. 1. ſed tamen eadem ipſa verba Apoſtolica tenoremque ſententiarum, (ſcilicet cap. 7. ad Rom.) non contentus inquiſitione atque explicatione præterita, ne quid in ea negligentius prętеriſſem, cautius attentiuſque rimatus ſum. Non enim ea tu percontanda cenſeres, ſi eorum intellectus facilis atque expeditus foret. Nam ex eo loco ubi ſcriptum eſt; (*quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? Abſit*) uſque ad eum locum ubi ait (*igitur lex, volenti mihi bonum*, &c. credo uſque ad illud: *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*) primum nos voluiſti enodare quæſtionem. Quo loco videtur mihi Apoſtolus transfiguraſſe in ſe hominem ſub lege poſitum, cuius verbis ex perſona ſua loquitur.

Hinc patet primo, quod Eccleſia de illius loci ſenſu nihil certi præſcripſerat tum temporis: nam Simplicianus Epiſcopus, & quidem in eadem Eccleſia, in qua Ambroſius antea Epiſcopatu functus erat, Mediolanenſis ſcilicet, Auguſtini ſententiam non perquiſiviſſet, ſi ex præſcripto de illo loco ſentiendum fuiſſet. Secundo, quod Auguſtinus re diligenter penſitata aperte dicit, de Homine ſub lege locum eſſe intelligendum.

Nota. Interpretationem huius loci non fuiſſe adſtrictam tempore Auguſtini.

Ibidem *Ego, inquit, vivebam ſine lege aliquando*: unde manifeſtat non ex perſona ſua proprie, ſed generaliter ex perſona veteris hominis ſe loqui.

Ibidem: Deinde ſubjungit cauſam cur ita ſit. *Scimus enim (inquit) quia lex Spiritualis eſt, Ego a. carnalis ſum.* In quo ſatis oſtendit legem non poſſe impleri niſi a Spiritualibus, qui non fiunt niſi per gratiam.

Et paulo poſt: Sane cum dixiſſet, *Ego enim carnalis ſum*, contexuit etiam qualis carnalis. Appellati ſunt enim ad quendam modum carnales, jam etiam ſub gratia conſtituti, jam redempti ſanguine Chriſti & renati per fidem; quibus idem Apoſtolus dicit. 1. Cor. 3. *Ego non potui vobis loqui, fratres, ut ſpiritualibus*, &c. Qui autem nondum eſt ſub gratia, ſed ſub lege, ita carnalis eſt, ut nondum ſit renatus a peccato, ſed venundatus ſub lege a peccato, quoniam pretium mortiferæ voluptatis amplectitur dulcedinem illam, qua fallitur & delectatur etiam contra legem facere, quum tanto magis libet, quanto minus licet, &c. Et poſtea conſentit ergo legi Dei, non in quantum facit quod illa prohibet, ſed in quantum non vult quod facit. Vincitur enim non-

nondum per gratiam liberatus, quamvis jam per legem & noverit ſe male facere, & nolit. Quod vero ſequitur, & dicit: *Nunc autem jam non ego operor illud, ſed id quod in me inhabitat peccatum*; *non ideo dicit, quia non conſentit ad faciendum peccatum, quamvis legi conſentiat ad hoc improbandum.* Loquitur autem adhuc ex perſona hominis ſub lege conſtituti, nondum ſub gratia, qui profecto trahitur ad male operandum concupiſcentia dominante atq; fallente dulcedine peccati prohibiti, quãvis ex parte notitia legis hoc improbet. Sed propterea dicit, nõ ego operor illud, quia victus operatur, cupiditas quippe id operatur cui ſuperanti ceditur: Vt autem non cedatur, ſitque mens hominis adverſus cupiditatem robuſtior gratiæ facit, de qua poſt dicturus eſt. Vide & ſequentia.

Paulo poſt: *velle adjacet mihi*, ad facilitatem dixit. Quid enim facilius homini ſub lege conſtituto, quam velle bonum & facere malum? &c.

Ibidem. Hoc autem totum dicitur ideo, ut demonſtretur homini captivo non eſſe præſumendum de viribus ſuis. Vnde Iudæos arguebat tanquam de operibus legis ſuperbe gloriantes, quum traherentur concupiſcentia ad quidquid illicitum eſt, cum lex de qua gloriabantur diceret, *non concupiſces*. Humiliter ergo dicendum eſt homini victo, damnato, captivo, & nec ſaltem accepta lege victori, ſed potius prævaricatori, humiliter exclamandum eſt: *Miſer ego homo.* &c.

Loca hæc Auguſtini confirmare [illegible]

Iſta Auguſtiniana qui cum meis conferet, videbit prorſus inter ſe conſentire. Et ego huic ſententiæ Auguſtini ſubſcribo. Hinc etiam apparet neque tum quidpiam de illo loco ab Eccleſia præſcriptum eſſe, præſertim in iſtam partem, quod de homine regenito eſſet intelligendus & ſub gratia conſtituto.

Objectio.

Sed occurritur hic & objicitur, quod Auguſtinus eundem locum poſterioribus annis aliter explicuerit, de homine nempe regenito & ſub gratia conſtituto, ut ſermone 43. 45. 47. de tempore, & multis aliis locis. Fateor ita rem habere, & poſtea illa loca inſpiciemus, & quantum pro adverſaria ſententia ſtabilienda facere poſſint videbimus.

Auguſtinus poſtea aliter explicuiſſe.

At Auguſtinus, inquiunt, illam ſuam ſententiam, quam explicavit libero Expoſitionum quarundam propoſitionum ex Epiſtola ad Rom. & lib. 1. ad Simplicianum retractavit & condemnavit: quare eius auctoritas ad ſtabiliendam illam ſententiam adferri nequit.

Imo retractaſſe priorem ſententiam.

Reſpondere poſſem, primo, quod ex eo conſtet, quia Auguſtinus principio ita ſenſerit, poſtea aliter, neutram ſententiam ab Eccleſia fuiſſe Catholici dogmatis loco habitam. Secundo, fieri poſſe ut Auguſtinus initio rectius quam poſtea ſenſerit, præſertim cum tum ſuum ipſius judicium ſecutus ſit, formatum ex accurata ipſius loci inſpectione & diligenti omnium ſententiarum collatione; poſtea vero motus ſit quorundam Sacræ Scripturæ tractatorum auctoritate, ut inquit lib. 1. Retract. cap. 23. licet addat ſe diligentius rem conſideraſſe: non enim conſideravit ſine prejudicio ex illorum tractatorum auctoritate concepto. Sed reſpondeo Auguſtinum nunquam illam ſuam ſententiam, qua de homine ſub lege conſtituto locum explicuit, retractaſſe aut con-

Reſp. ſaltem hinc apparere retractationis huius caput fuiſſe liberam.

condemnaſſe, ſed hoc tantum quod dixerat; hæc verba non ex Apoſtoli perſona accipiendā, qui jam Spiritualis erat, ſed hominis ſub lege poſiti & nondum ſub gratia. Duo enim dixerat Auguſtinus. Primo, locum illum Apoſtoli intelligendum de homine ſub lege conſtituto. Secundo, non eſſe intelligendum de homine ſub gratia poſito, neque de ipſo Apoſtolo, qui jam ſpiritualis erat. Illud Auguſtinus nunquam retractavit, *hoc poſterius* retractavit, quod planiſſime clarebit locum inſpicienti: quem hic adſcribere non pigebit, propterea quod Auguſtinus non omnibus ad manum ſit. Sic ergo inquit Auguſtinus lib. 1. Retractationum cap. 23.

Quid Auguſt. propter retractaverit, oſtenditur locus ex ipſo adductus.

Quum Presbyter adhuc eſſem, contigit ut apud Carthaginem inter nos qui ſimul eramus, ad Romanos Apoſtoli Epiſtola legeretur, & quædam interrogabar à fratribus, quibus quum ſicut poteram reſponderem, voluerunt ſcribi potius quæ dicebam, quam ſine literis fundi: ubi quum iis obtemperarem liber unus acceſſit opuſculis meis. In quo libro: Quod autem ait, inquam, *Scimus quia Lex Spiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato,* ſatis oſtendit non poſſe impleri legem niſi à Spiritualibus, quales facit gratia Dei. Quod utique non ex perſona Apoſtoli accipi volui, qui jam ſpiritualis erat, ſed hominis ſub lege poſiti, nondum ſub gratia. Sic enim prius hæc verba ſapiebam, quæ poſtea lectis quibuſdam divinorum tractatoribus Eloquiorum, quorum me moveret auctoritas, conſideravi diligentius, & vidi etiam de ipſo Apoſtolo poſſe intelligi, quod ait, *Scimus quoniam Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum.* Quod in eis libris quos contra Pelagianos ſcripſi nuper, quantum potui diligenter oſtendi. In iſto ergo libro, & hoc quod dictum eſt: (*Ego autem carnalis ſum,* & deinde cætera uſque ad eum locum, ubi dicit, *Miſer ego homo &c.*) Dixi hominem deſcribi adhuc ſub lege nondum ſub gratia conſtitutum, benefacere volentem, ſed victum concupiſcentia carnis male facientem: A cuius concupiſcentiæ dominatu non liberat niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum dono Sp. ſancti, per quē diffuſa charitas in cordibus noſtris vincit carnis concupiſcentias, ne conſentiamus eis ad maleficiendum, ſed potius bona faciamus: Vnde quidem jam evertitur hæreſis Pelagiana, quę vult non ex Deo nobis, ſed ex nobis eſſe charitatem, qua bene ac pie vivimus: Sed in illis libris quos adverſus illos edidimus, Etiam ſpiritalis hominis, jamq; ſub gratia conſtituti melius intelligi verba iſta monſtravimus, propter carnis corpus quod Spirituale nondum eſt, erit autem in Reſurrectione mortuorum: & propter ipſam carnis concupiſcentiam, cum qua ita confligunt ſancti, non ei conſentientes ad malum, ut tamen eius motibus quibus repugnantibus reſiſtunt, non careant in hac vita. Non eos autem habebunt in illa, ubi abſorbebitur mors in victoriam. Propter hanc itaque concupiſcentiam, motuſq; ipſos quibus ita reſiſtitur ut tamen ſint in nobis, poteſt quiſque ſanctus jam ſub gratia poſitus dicere iſta omnia, quæ hic dixi eſſe verba hominis nondum ſub gratia poſiti ſed ſub lege: quod hic oſtendere longum eſt, & ubi oſtenderim dictū eſt.

Item lib. Retract. 2. c. 1. Librorum

quos Epiſcopus elaboravi, primi duo ſunt ad Simplicianum Eccleſiæ Mediolanenſis antiſtitem, qui beatiſſimo ſucceſſit Ambroſio, de diverſis quæſtionibus; quarum duas ex Epiſtola Pauli Apoſtoli ad Rom. in primum librum contuli. Harum prior eſt de eo quod ſcriptum eſt: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit*, uſque ad illud ubi ait; *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* In qua illa Apoſtoli verba; *Lex Spiritualis eſt, ego carnalis ſum*, & cætera quibus *caro contra Spiritum* confligere oſtenditur, eo modo expoſui tanquam homo deſcribatur adhuc ſub lege nondum ſub gratia conſtitutus. Longe enim poſtea, & Spiritalis hominis, & hoc probabilius, eſſe poſſe verba illa cognovi.

Hæc ſunt loca ad verbum deſcripta, quibus Auguſtinus retractat ſententiam ante explicatam. unde apparet illum ſuam priorem ſententiam non rejicere, neque condemnare falſitatis, erroris aut hæreſeos, ſed dicere tantum quod Etiam de homine regenito, ſpiritali, & ſub gratia conſtituto intelligi poſſit locus Apoſtoli, idque melius & probabilius, quam de homine ſub lege conſtituto: quam tamen ipſam ſententiam dicit Pelagianæ hæreſi adverſari. Verba vero iſta in Retractatione uſurpata docent locum Apoſtoli etiam de homine ſub lege conſtituto intelligi poſſe, ſed minus bene & minus probabiliter. Videmus ergo Auguſtini modeſtiam plurimum diſtare ab illorum vehementia, qui dicunt locum hunc debere intelligi de homine ſub gratia conſtituto, neque poſſe ullo modo de homine ſub lege poſito explicari citra hæroſin Pelagianam. Vide, ſi placet, eundem Auguſtinum tom. 10. de verbis Apoſtoli ſerm. 5. fol. 59. col. 3. *Tu mihi dic de te ubi nemo dubitat, quia loqueris de te.*

Modeſtia Auguſtini in interpretatione huius capitis.

Et paulo poſt Col. 4. *Si ergo de ſeipſo Apoſtolus dicit, ſi dico, non confirmo.*

At non decet, ut illi hanc poſteriorem ſive explicationem, ſive retractationem Auguſtini urgeant, qui cauſam illius repudiant, qua Auguſtinus aperte dicit motum ſe eſſe ut putaret locum hunc etiam de homine ſub gratia, & melius probabiliuſque explicari poſſe. Cauſam hanc eſſe dicit, propterea quod videret hunc hominem carnalem dici poſſe propter corpus carnis quod nondum Spiritale eſt, & quia in eo adhuc ſunt concupiſcentiæ carnis licet iis non conſentiat: & hæc eſt ſententia quoque Tractatorum quos Auguſtinus ſecutum ſe dicit. Noſtri vero qui hic ſe mihi opponunt, non ita locum explicant, quod velle bonum ſit velle non concupiſcere, & facere malum ſit concupiſcere; ſed actu ipſo malum facere vel patrare. Quare illis omnino auctoritas Auguſtini producenda non eſt, utpote cuius hæc mens eſt, ut poſtea clarius docebimus; locum hunc ſi de actualibus peccatis explicetur, non poſſe de regenito explicari, ſi vero de regenito explicandus ſit, neceſſario de concupiſcentiæ tantum internis motibus intelligendum eſſe: & propterea ego habeo Auguſtinum in priore ſententia mihi conſentientem, in poſteriore non admodum diſſentientem, illi vero utrobique habent ſibi Auguſtinum contrarium & adverſum.

Auguſtinus non de actualibus peccatis, ſed de interna concupiſcentia motibus locum hunc intelligit.

Beda in 7. cap. ad Rom. *Scimus*

Beda.

quod

quod lex Spiritualis eſt.) Forte ergo alius eſt aliquis, forte tu es. Aut tu es aut ego ſum. Si ergo aliquis noſtrum eſt, ipſum, quaſi de ipſo audiamus, & non irati corrigamus nos. Si autem ipſe eſt, non ſic intelligamus quod dixit: *Non quod volo.* &c.

Paulo poſt: Ergo quoniam rogavit Dominum ter, ut ab illo iſte ſtimulus auferretur, nec exauditus eſt ad voluntatem, qui exauditus eſt ad ſanitatem, forte non indecenter ipſe loquitur ubi dicit; *quia lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis.*

S. Paulinus. S. Paulinus in Epiſtola 2. ad Severum Sulpicium Presbyterum Turonenſem: Et recognoſco quoniam beatus ille vir mea potius infirmitate utitur, & de mea afflictione pro me dolens clamat: *Infelix ego homo.*

Nicolaus de Lyra. Nicolaus de Lyra in 7. cap. ad. Rom. *Scimus enim quia lex Spiritualis eſt*, & ordinans hominem ad ſequendum inſtinctum Spiritus vel rationis. *Ego autem carnalis ſum*, id eſt, ſequens carnis ſeu ſenſualitatis impulſum, & loquitur Apoſtolus ut ſupra dictum eſt in perſona generis humani lapſi, in quo plures ſunt ſequentes impulſum ſenſualitatis, quam rationis.

Paulo poſt: *Secundum interiorem hominem*, id eſt, ſecundum naturale rationis dictamen, quia ratio dicitur homo interior, & ſenſualitas exterior.

Paulo poſt: *Infelix ego homo.* Hic conſequenter petit liberari dicens in perſona generis humani: *Infelix ego homo* per corruptionem naturæ.

Et poſt: *Mente ſervio legi Dei, id eſt;* ſecundum inclinationem rationis: *Carne autem legi peccati*, ſequendo carnis inclinationem.

Gloſſa ordinaria. Gloſſa ordinaria. Ab hoc loco: *Scimus quia lex ſpiritualis eſt*, ad finem uſque huius capitis: Utrum ex propria an ex univerſalis hominis perſona hæc melius accipiantur, non omnino perſpicuum eſt.

Gloſſa Interlinearis. Gloſſa Interlinearis. *Ego autem carnalis ſum.)* impotens reſiſtere animæ vitio vel diabolo. *Venundatus ſub peccato.)* In primo parente, ut ſim vere ſub peccato ut ſervus. *Nunc autem jam non operor illud)* ſub lege ante tempus gratiæ. *Quoniam mihi malum adjacet.)* rationi, interiori homini prope eſt. *Video aliam Legem.)* fomitem qui regnat. *Repugnantem Legi mentis meæ.)* Legi & rationi meæ conjunctis in unum. *Captivantem me)* per conſenſum & operationem, quia conſuetudine dominatur. *Legi peccati.)* Peccatum enim lex quia dominatur. *Gratia Dei.)* non Lex, non vires propriæ; ſed quia gratia liberat. *Igitur ipſe ego.)* Rationalis & interior homo habens ut ante fomitem.

Hugo Cardinalis. Hugo Cardinalis in 7. cap. ad Rom. *Scimus enim quia lex Spiritualis eſt.)* Hæc eſt tertia pars capituli, in qua oſtendit, quod ea quæ præcipiebantur in lege Moyſi, non poſſunt impleri ſine lege Spiritus, id eſt, ſine gratia. *Ego autem ſum carnalis)* id eſt, fragilis & infirmus ad reſiſtendum Diabolo & concupiſcentiæ carnis. *Non enim quod volo)* ſecundum rationem, id eſt, approbo. Sed quod odio, id eſt, malum. Ex hoc autem infertur quod indiget Lege ſpiritali, per quam faciat id quod vult ſecundum rationem. *Nihil ergo condemnationis.)* præcedentia expoſita ſunt de captivitate mortalis peccati, ſub qua erat homo carnaliter vivens, & de captivitate venialis peccati hominis qui eſt in gratia: &

» quod Lex Spiritus ſive gratia liberat » à captivitate mortis, ex hoc infert, » *Nihil ergo damnationis*, id eſt, nullum » mortale peccatum ex quo eſt dam- » natio.

Thomas Aquinas utroque modo poſſe explicari cenſet verſ. 14. huius capitis, potius autem de homine regenito.

Thomas de Aquino in 7. cap. ad Rom. *Ego autem carnalis ſum.*] Oſtendit conditionem hominis, & poteſt hoc verbum dupliciter exponi. Vno quidem modo ut Apoſtolus loquatur in perſona hominis in peccato exiſtentis. Et ita hoc Auguſti- » nus exponit in libro 83. quæſtio- » num. Poſtea vero in libro contra » Iulianum exponit hoc, ut Apoſtolus » intelligatur loqui in perſona ſua, id » eſt, hominis ſub gratia conſtituti. » Proſequamur ergo declarando qua- » liter hæc verba & ſequentia diverſi- » mode poſſint utroque modo expo- » ni, quamvis ſecunda expoſitio me- » lior ſit.

Scio quidem eundum Thomam duo adnotare loca, quæ negat de homine non regenito explicari poſſe niſi exorte: at operæ prætium erit illa loca inſpicere, & rationes examinare quæ Thomam permoverunt ut ità ſentiret. Prior locus eſt verſ. 17.

Verſus autem 17. & 8 nonniſi coacte de homine ſub peccato intelligi poſſe.

Nunc itaque non amplius ego id perpetro, ſed peccatum quod in me habitat. Alter eſt v. 18. *Novi enim non habitari in me, id eſt, in carne mea bonum.* Priorem locum nonniſi exorte de homine ſub peccato exiſtente intelligi poſſe dicit, quia ipſe peccator perpetret illud peccatum, utpote qui ſecundum partem ſui principaliorem, rationem nempe & mentem in peccati perpetrationem conſentiat: hoc autem homini proprie tribuendum eſt, quod illi convenit ſecundum id quod homo eſt: at eſt homo mente & ratione.

Examinatio rationes ac hoc poſterius ſtatuat, & iis reſpondetur; & primo quidem quoad verſum 17.

At reſpondeo primo non tantum de homine ſub peccato exiſtente dici, quod peccatum non perpetrat niſi mente & ratione, quæ peccatum lege vetitum eſſe dictat, devicta per concupiſcentiam carnis, & voluntate conſentiente: ſed de regenitis etiam & qui ſub gratia exiſtunt: Illi enim peccatum actu non perpetrant niſi mente devicta, & per voluntatis conſenſum: atque ideo vanum eſt hac ratione inter eum qui ſub peccato eſt & ſub gratia diſtinguere velle.

Secundo, nego illos omnes qui ſub peccato ſunt mentis conſenſu peccare, hoc eſt, abſque ulla conſcientiæ repugnantia. Nam qui ſub lege ſunt, ubi peccant, contra conſcientiam & mente reluctante faciunt, quia vincuntur peccati tyrannide & concupiſcentia carnis.

Tertio, Etiamſi res ita haberet, tamen non ſequeretur quod de iſto homine nonniſi extorte dici poſſit, quod non ipſe ſed peccatum illud perpetret. Ratio ab ipſo Thoma adfertur. Nam facit hoc movente & compellente peccato quod inhabitat & dominatur. Effecta autem cauſis maxime principalibus adſcribi ſolent. Itaque abſque ulla torſione de homine ſub lege exiſtente locus iſte intelligi poteſt. Si quis dicat ex Auguſtini mente, nulli in peccatum actu conſentienti tribui poſſe, quod non ipſe ſed peccatum operetur illud, & propterea illud perpetrare non de conſenſu & operatione mali, verum de concupiſcentia eſſe intelligendum, atque ſic homini ſub gratia exiſtenti hoc convenire: huic reſpondeo, me antecedens negare ut ante dictum, ſed fateri ſi de concupiſcentia tantum & non de conſenſu & actuali peccati perpetratione hoc intelligatur, nullo modo,

modo, ne contorte quidem, ea de homine ſub lege & ſub peccato dici poſſe.

Deluditur quod verſum 18.

Poſteriorem dicit Thomas nonniſi exorte de homine ſub peccato explicari poſſe, propter correctionem additam, quam adferre opus non fuit ſi de homine ſub peccato ſermo eſſet, utpote in cuius nec carne nec mente bonum habitet. Reſpondeo falſum eſſe antecedens. Nam quod in mente hominis ſub lege exiſtentis bonum habitet & inexiſtat, ut Thomas vocem habitandi hic uſurpat, imo & dominetur, ut vox proprie accipienda eſt, jam ante commonſtravimus in v. 18. Ignorantia ergo iſtius rei Thomam ita ſentire & ſcribere fecit.

Sed inſpiciatur totus Thomæ commentarius in hunc locum, & apparebit omnia planiſſime de homine ſub lege explicari poſſe, admodum autem perverſè & contortè de homine regenito & ſub gratia conſtituto. Quod breviter ita monſtro, conjunctis compendio, quæ ille prolixius tractat, ut videre licet alibi.

Breviarium eorum quæ Thomas commentatur in hunc locum, cũ collectione inde deducta poſſe eum de homine ſub lege commode, id nonniſi coacte de homine ſub gratia intelligi.

Si carnalis dicatur homo iſte vel ratio quia à carne impugnatur; ſi operari idem ſignificat quod concupiſcere: ſi velle bonum & nolle malum pro completa volitione & nolitione ſumuntur, quæ perducant in electione particularis operationis; facere vero malum & non agere bonum ſecundum actionem incompletam intelligantur, quæ conſiſtit tantum in appetitu ſenſitivo, non perveniens uſque ad rationis conſenſum: Si captivatio illa fit tantum ad concupiſcentiæ motum; ſi liberatio à corpore mortis huius petatur ut corruptio corporis totaliter tollatur. Tum locus iſte de homine regenito, juſto, & ſub gratia conſtituto eſt intelligendus.

Si vero homo iſte vel ratio dicatur carnalis, quia carni ſubditur, conſentiens his ad quæ caro inſtigat; ſi operari idem ſit quod ipſo opere exequi; ſi velle bonum & nolle malum pro incompleta volitione & nolitione ſumuntur, quâ in univerſali bonum volunt, & malum nolunt homines, & non in particulari; facere vero malum & non facere bonum ſecundum actionem completam intelligatur, quæ exteriore opere exercetur per rationis conſenſum; ſi captivatio illa fit per conſenſum & operationem, ſi denique liberatio à corpore mortis huius petatur ut corruptio corporis menti non dominetur trahens eam ad peccandum; Tum de homine peccatore & ſub lege exiſtente locus eſt intelligendus.

Subſumamus vero nos: *At homo à carne impugnatus, vincens tamen in pugna, carnalis non dicitur; ſed eo nomine ille appellatur qui carni ſubditur conſentiendo: At hic de volitione & nolitione incompleta & imperfecta agitur, & de perpetratione mali bonique omiſſione actuali, non de actu ſeu motu concupiſcendi tantum.* (declarat hoç res ipſa. *Vult* [illegible] *& non facit; ergo volitio imperfe*[illegible]*. Captivatio illa non eſt ad motum tantum concupiſcendi, ſed per conſenſum & operationem: Nam ipſa concupiſcentia ſeu lex mentis captivat per belligerationem adverſus legem mentis; & liberatio hic poſtulatur à corruptione corporis ne menti dominetur, non ut illa totaliter tollatur. Agit enim gratias de impetrato voto Apoſtolus. Ergo locus iſte non de homine ſub gratia ſed ſub Lege exiſtente, non de homine per gratiam reparato, ſed per gratiam reparando eſt intelligendus. Propoſitio* ex Thoma eſt deſumpta. Nos, ex textu Adſumptionem addidimus.

Videamus etiam nonnullos recentiores Eccleſiæ Doctores.

Teſtimonia D.D. recentiorum.

Hai-

Haimo. Haimo. *Infelix ego homo.*) Ex perſona generis humani loquitur, vel ex perſona illorum qui recedunt à peccatis.

Bruno. Bruno. Nota quoniam Paulus ſignificative ſub ſua perſona de omnibus loquitur, aſſumens ſibi perſonam, nunc ante legem, nunc ſub lege.

Faber Stapulenſis. F. Stapulenſis. Paulus in ſe figurat carnalem hominem, & infirmitatem carnis ſentientem, quum minime talis eſſet: ſed ſecundum Spiritum prorſus vivens; ſed infirmis ſe transfigurat ut infirmum.

Eraſmus. Eraſmus in paraphraſi huius loci. Quandoquidem nunc docendi gratia perſonam ſuſcepi hominis adhuc vitiis & affectibus obnoxii.

Rom. 7. *Ego carnalis ſum venditus ſub peccato, &c.*) ita interpretentur, ut dicant Paulum illa non de ſeipſo, ſed in perſona hominis nondum renati loqui, &c. Withakerus controverſ. de Script. Interpretatione quæſtione. v. fol. 508.

Bucerus. Bucerus in 7. caput ad Romanos. Quæſt. qui cohæreat; Nos quod bonum eſt velle, *nec facere tamen*; *malum facere & id* tamen *non velle ſed odiſſe*, imo *malum facere & non facere*? utrumque enim Apoſtolus adfirmat. *Solutio.* Hęc ut vere & proprie dicta ſunt, ex eo intelligi poterit, ſi conſtet de quali homine Paulus hic exemplo ſui loquitur: deinde quid valeat peccatum originale. Si vero conſideramus quæ Apoſtolus hoc capite de ſe confitetur, liquet abunde, ut arbitror, illum exemplum proponere in ſe hominis, cui lex Dei cognita eſt & amatur. Nam ait, *legi conſentio quod bona eſt, & bonum volo malum, odi.* Item, *velle ad acet mibi*, & rurſum, *Mente ſervio legi Dei.* Iſta profecto non ſunt hominis profani, & nondum accedentis Deo, ſed ſancti & amantis Dei, trementiſque ad verba eius. Certis enim gradibus nos aſſerit Deus à morte in quam naſcimur. Primum fert nos aliquo tempore vivere in ignorantia, ſecuros de judicio ſuo. Hoc tempore *peccatum mortuum eſt*, &c. Quum viſum vero eſt Deo finem facere hujus ignorantiæ, immittit legem ſuam, donatque videre eam *ſanctam eſſe, juſtam & bonam.* Hinc neceſſe fit ut *Legi conſentiamus*, *velimus* quæ commendat, *abhorreamus* ab iis quæ damnat. Verum ſi non potenter nobis ſuccurrat Spiritus Chriſti, amor ille Dei Legiſque conſenſus adeo infirmus manet, & prævalet adeo adhuc in nobis vis peccati, ut ex correctione & imperio Legis pravæ cupiditates magis inardeſcant, faciamuſque ſubinde non concupiſcendo tantum, ſed etiam opere patrando, quod ipſi deteſtamur, & negligamus quæ non poſſumus non probare & velle. Hinc vero invaleſcit in nobis terror judicii divini qui nos plane examinat. Iſta omnia per Legem conficiuntur, ſed vitio noſtri ingenii depravati. Iam huius temporis conditionem deſcribit in ſe Apoſtolus præſenti capite. Sed dum Pater miſericordiarum Deus plenius ſe nobis impartire ſtatuit, & largiri Spiritum filii opulentius dignatur, vim peccati illam, quæ alioquin nos utcunque legi conſentientes contra legem juſque impellit, eo Spiritu ſuo reprimit & domat, verum de rebus judicium, & ſolidum honeſti amorem inſerit, adeo ut jam cum voluptate & ſtudio confirmato & perpetuo vivamus vitam Dei. Hanc conditionem ſanctorum deſcribit Apo-

ſtolus

ſtolus capite ſequente, prædicans ſe per *legem ſpiritus vitæ, quæ per Chriſtum* nob s donatur, *liberatum eſſe à lege peccati & mortis.*

Et paulo poſt: Vt ergo Apoſtolus hic inſtituit declarare quid lex in ſanctis per ſe efficiat, indeque comprobare eam quum maxime commodat, tamen non poſſe reddere juſtum coram Deo, ſed compellere ad Chriſtum, qui unus juſtificat: eam conditionem hominis Dei in ſuo exemplo hic profert & exponit quæ eſt mediæ ætatis ſanctorum, in qua Lex jam cognita quidem eſt, ſed nondum cordi ſolide inſcripta; quum ſcilicet *menti legi conſentitur*, ſed appetitu naturæ etiamnum repugnante, & ut contra præcepta legis facias impellente. In hac, inquam, conditione Apoſtolus exemplum ſe propoſuit, ut in ſe ipſo oſtenderet, quid lex valeat, & quam omnia mors ſunt, donec nos penitius movet Spiritus Chriſti: neque enim ad eum modum qui hic deſcribitur adhuc cum ingenio ſuo pugnabat. Prædicat enim mox ipſe ſe *liberatum per legem Spiritus à lege peccati & mortis:* & perfici in ſe jam juſtificationem Legis per Spiritum Chriſti, ſecundum quem vivat non ſecundum carnem, &c.

Wolfangus Muſculus. Wolfangus Muſculus in locis communibus cap. de legibus, titulo de vi & efficacia legis. Habet quidem lex juſtitiam & juſtificationem præcipiendo quæ ſunt juſta, verum impoſſibile eſt ut habeat juſtificando: Impeditur enim & inefficax redditur per carnem, hoc eſt, per corruptos & depravatos carnis affectus, per quos fit ut homo carnalis & mancipium peccati ſanctis, juſtis, & bonis mandatis obſequi nequeat.

Et paulo poſt: Vim & efficaciam legis quæ littera vocatur, geminam eſſe dicimus. Vna eſt, quam ipſa adfert de ſuo, & propria vocari poteſt: altera eſt, impropria, quam non de ſuo adfert, ſed carnis noſtræ vitio operatur. Propria eſt quod adfert cognitionem peccati. De hac Apoſtolus Romanorum 7. ſic loquitur: *peccatum non cognovi niſi per Legem; Nam concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret, Non concupiſces.* Et cap. 3. *per legem cognitio peccati, &c.*

Et paulo poſt: Deinde non ſolum de peccati cognitione loquitur, quæ conſtet intellectu, ſed potiſſimum de ea quæ vivo peccati ſenſu in carne noſtra capitur: hoc eſt, lex facit ut non modo intelligam, ſed & cum morſu conſcientiæ ſentiam & experiar in me eſſe peccatum. Item, propria eſt quod nos inexcuſabiliter peccati reos eſſe convincit, maledicto ſubjicit & damnat. Gal. 3. & ſenſu peccati & condemnationis perculſos anxios reddit, ac gratiæ Dei appetentes. Hinc illud eſt Apoſtoli quod Rom. 7. diſputat, & tandem exclamat: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum.*

Eodem cap. titulo de lege Spiritus. Poſtquam Apoſtolus Rom. 7. de vi & efficacia legis quæ operatur in carnalibus & animalibus hominibus diſputavit, capite ſequenti de gratia Sp. ſancti, quæ in Chriſtum credentibus datur ſubjiciens dicit: *Nam lex Spiritus vitæ liberum me reddidit à lege peccati & mortis, &c.*

Paulo poſt. Legem peccati Paulus intelligit vim & tyrannidem peccati in carne noſtra regnantis, qua ad pecccandum rapimur & impellimur.

limur. Lex mortis eſt qua peccatores æternæ morti deputantur. Lex itaque Sp. vitæ non hoc tantum in nobis agit, quod non condemnamur propter imputationem juſtitiæ quæ eſt per fidem in Chriſtum : ſed & vim peccati in nobis exſtinguit, ut jam non regnet in nobis peccatum, ſed virtus & gratia Chriſti, ſerviamuſque non amplius peccato, ſed juſtitiæ, nec morti ſimus obnoxii, ſed in veram vitam aſſerti.

Vide eundem Muſculum comment. in Epiſtol. ad Rom. in hunc locum.

Ad dilucidiorem huius rei explicationem obſervandi ſunt tres gradus ſanctorum, per quos ad pietatis perfectionem divinitus dicuntur. 1. eorum eſt qui inſtar ebriorum ſopito aliquandiu omni judicio & affectu bono in peccatis vivunt, nondum effectum ſuum in illis agente lege Dei. 2. Eorum eſt, qui utcunque ad ſe reverſi illuminato jam judicio rationis, & immutato affectu, quod bonum eſt cupiunt, atque ita Legi Dei conſentiunt, & condelectantur, & malum deteſtantur quidem, verum prævalente adhuc peccati tyrannide ad mala trahuntur inviti, ideoque bonum quod probant cupiunt & volunt, non faciunt, malum quod odiunt & fugiunt, hoc faciunt reclamante conſcientia, & longe aliud dictante animi ſententia, &c. Ad hunc gradum referenda ſunt quæ Paulus hîc ſuo exemplo diſputat. Tertius eſt eorum qui domita & victa per Spiritum ſanctum peccati vi & malitia in libertatem juſtitiæ adſerti ſunt, ut jam non obediant Legi peccati, ſed legi ſpiritus regnantis in membris ipſorum, & habeant utramque & volendi & perficiendi facultatem. De quo gradu aget capite ſequente, &c.

Ibidem : *Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Mira & repentina affectuum converſio. Iam deploravit ſe eſſe miſerum & captivum, & mox gratias agit. Hinc videmus Paullum uſurpare perſonam ſuam, non eam quam tunc cum hæc ſcriberet gerebat, ſed quam antea geſſerat.

Ibidem in 8. cap. *Nulla igitur eſt condemnatio.*] Vt antea deſcripſit conditionem hominis legali ſpiritu viventis: ita nunc eius qui Euangelico Spiritu præditus eſt deſcribit & declarat.

Horum quos produxi teſtium mutuus & concors conſenſus, meam ſententiam novitatis opinione & ſuſpicione facillime, ut puto, liberabit.

PARS TERTIA.

Nullam Hæreſin, neque Pelagianam, neque aliam ex iſta ſententia derivari aut confirmari poſſe: Sed ipſam illam ſententiam planiſſime Pelagianiſmo adverſari, eiuſque πρῶτον ψεῦδος præclare & ex profeſſo confutare.

DVæ ſunt partes iſtius Theſeos. Prior quod ſententia illa non ſit hæretica aut hæreſi affinis. Altera quod hæreſi Pelagianæ directe adverſaria, eamque ex profeſſo refutans.

Duo hac parte continentur. Primum eſt negativum, interpretationem hanc Pelagianæ hæreſi non favere.

Ad priorem quod attinet, quia illa negatione conſtat, neceſſe eſt ut ab affir-

affirmantibus infringatur probatione contrarii. Velim itaque ex illis audire, quæ ſit hæreſis cui iſta ſententia patrocinetur. Pelagianam procuIdubio proferent; At probationem requiro, qua in re huic ſententiæ cum Pelagianiſmo conveniat. Doceamus autem ex abundanti hanc ſententiam Pelagianiſmo non favere.

Recenſentur hæreſeos Pelagianæ dogmata præcipua ex Auguſtino

Auguſtinus lib. de hæreſibus & hypognoſticon hæc ponit Pelagianæ doctrinæ capita.

1. *Adam ſive peccaſſet ſive non peccaſſet moriturus erat.*

2. *Peccatum Adami nemini nocuit niſi ipſi ſoli: & propterea.*

3. *Parvuli non trahunt ex Adamo originale peccatum, neque perituri ſunt à vita æterna, ſi ſine Sacramento baptiſmatis ex hac vita migraverint.*

4. *Libido in homine naturale eſt bonum, neque eſt in ea quicquam cuius hominem pudeat.*

5. *Homo per Liberum arbitrium tanquam per ſe ſibi ſufficiens & velle poteſt bonum, & implere quod vult: vel etiam; meritis operum à Deo gratia unicuique datur.*

6. *Vita juſtorum in hoc ſeculo nullum omnino habet peccatum, & ex his Eccleſia Chriſti in hac mortalitate perficitur, ut ſit omnino ſine macula & ruga.*

7. *Gratiam coactus fateri Pelagius, dicit illam eſſe donum in creatione collatum, legis prædicationem, mentiſque illuſtrationem, ad cognoſcendum ea quæ bona & mala ſunt, quin & remiſſionem peccatorum ſiquis peccaverit · excludens ab ea charitatem, donumque & auxilium Spir. Sancti: ſine quibus bonum cognitum fieri poſſe dicit; etiamſi & hanc rurſum iſtam gratiam fateatur dari, ut facilius fiat, quod alioquin naturæ viribus fieri quidem, ſed difficilius poteſt.*

Iſta ſunt præcipua dogmata Pelagianæ hæreſeos, ad quæ alia, ſi quę ſunt, referri poſſunt. Nulli autem ex iſtis dogmatis patrocinatur ſententia, quæ caput. 7. ad Romanos de homine ſub lege conſtituto explicat, & iſthoc modo ut nos explicuimus, & Auguſtinus declaravit libro expoſitionis nonnullarum propoſitionum ex epiſtola ad Romanos, & lib. 1. ad Simplicianum. quod inductione probabitur.

Probatur inductione & collatione interpretationem hanc cum nullo ex iſtis dogmatis convenire.

1. *Aperte profitetur peccatum eſſe unicam & ſolam cauſſam mortis meritoriam, hominemque omnino moriturum non fuiſſe, ſi non peccaſſet.*

2. *Adamum peccando & ſe & poſteros omnes corrupiſſe, & iræ Dei obnoxios feciſſe*

3. *Omnes qui ex Adamo ordinaria via naſcuntur trahere ex ipſo originale peccatum, & reatum mortis æternæ. quod hac ſententia fundamentum ponit ulterioris explicationis. Illud enim originale peccatum hic dicitur* peccatum, peccatum ſupra modum peccans, peccatum inhabitans, peccatum adjacens, ſeu malum adjacens, lex in membris.

4. *Aperte dicit iſta ſententia* concupiſcentiam, *ſub qua etiam* libido *comprehenditur, eſſe malam.*

5. Dogma hîc ex profeſſo refutatur. *Docet enim Apoſtolus hîc juxta illam ſententiam, hominem naturalem bonum non velle niſi* ſub lege *ſit, & hoc* per legem *in illo produxerit* ſpiritus legalis: *& licet* bonum velit, *tamen nullo modo per liberum arbitrium, etiamſi à lege impellatur & adjuvetur poſſe id ipſum præſtare,* ſed gratiam Chriſti, nempe, *donum Sp. Sancti & charitatis ad hoc eſſe abſolute neceſſariam,* quæ *gratia non*

detur ſecundum merita, quæ nulla ſunt, ſed merè ſi: gratuita.

6. *Hic neque docetur neque refutatur per illam ſententiam, quia ſtatuit hic non agi de regenitis: at interea non negant illius Patroni verum eſſe, quod dicitur de imperfectione regenitorum in hac vita.*

7. *Etiam ex profeſſo per illam ſententiam refutatur: nam non modo non concedit difficulter fieri poſſe bonum ab illo homine qui eſt* ſub lege, *nondum* ſub gra- *tia poſitus, ſed negat ſimpliciter ullo modo fieri poſſe ut peccato reſiſtat, & quod bonum eſt faciat.*

Inſtantia duplex in contrarium.

Sed inſtabit tamen aliquis, & dicet *duplici nomine iſtam interpretationem Pelagianiſmo favere. Primo, quod homini nondum regenito & ſub gratia conſtituto quid boni attribuit. Secundo, quod Eccleſiæ locum adimit, quò imperfectionem regenitorum in hac vita, & luctam, quæ eſt inter carnem & ſpiritum, dum hic vivitur, probare ſolet.*

Reſponſio ad primam.

Reſpondeo quod ad primum, videndum primo, quid boni illa ſententia homini non regenito tribuat. Certum enim eſt non omne prorſus bonum qualecunque illud ſit, homini irregenito & ſub gratia nondum conſtituto adimendum eſſe: notitia enim veritatis Rom. 1. *opus legis ipſorum cordibus inſcriptum, cogitationum accuſatio & excuſatio, juſti & injuſti diſcrimen;* Rom. 2. *peccati agnitio, dolor ob peccatum, conſcientia anxietas, deſiderium liberationis, &c. bona ſunt, & tamen homini non regenito tribuuntur. Secundo,* Sciendum quod ſententia illa, quæ locum de homine ſub lege exiſtente explicat; bona illa non ex naturæ penu promat, ſed ex operatione Spiritus legis prædicatione utentis, eique benedicentis, deducat. Tertio, & hoc cogitandum, quod inter Eccleſiam & Pelagianos non hoc controverſum fuerit, an homini irregenito, & nondum ſub gratia ſed ſub lege conſtituto aliquid boni tribui poſſet, nec ne; ſed an citra gratiam eiuſque operationem aliquid boni homini tribui poſſet. Neque enim continuo ſub gratia eſt aut regenitus, qui aliquam gratiæ operationem recipit; gratia enim hominis voluntatem ſibi præparat, ut in ea habitare poſſit. Pulſat gratia fores cordis noſtri, ſed pulſans nondum inhabitat, neque dominatur; licet ita pulſet ut ſuaſione ſua fores ſibi aperiri faciat. Sed de his in primo capite noſtri tractatus ſæpe actum eſt.

Non omne bonum irregenito eſſe adimendum.

Reſponſio ad ſecundam.

Quod ad ſecundum objectamentum attinet, Reſpondeo Primo, locum hunc non eſſe ab Eccleſia allatum primis temporibus Eccleſiæ ad ſtabiliendam imperfectionem regenitorum in hac vita, & luctam inter carnem & ſpiritum, qualis eſt in regenitis. Nam monſtravimus ante antiquiſſimos Patres locum iſtum non de regenitis ſeu ſub gratia conſtitutis explicuiſſe. Licet poſtea ad hoc dogma ſtabiliendum uſurpare cœperit à nonnullis Doctoribus.

Secundo, Inconſequens eſſe, quod ſententia, qua locus aliquis ſecus explicatur quam à multis, imo ab Eccleſia ipſa ad hæreſin aliquam deſtruendam citatus eſt, propterea hæreſi affinis ſit, aut judicari queat, quia eripiat Eccleſiæ locum ad probandum dogma verum, & refutandam hæreſin uſurpari ſolitum. Secus enim nemo non ex noſtris Doctoribus hæreſi alicui & quidem valde enormi affinis merito judicabitur: & iſto jure Calvinus à Lutheranis

audiet

audit Arrianus, quia multa loca Scripturæ ab antiqua Eccleſia tum Græca tum Latina ad Trinitatem ſtabiliendam allata, illorſum non facere aperte ſcribat, & aliter interpretetur.

Tertio, Nullum Eccleſiæ iſtius loci ademptione detrimentum inferri, utpote ſatis copioſo aliorum locorum numero inſtructæ ad idem dogma comprobandum, & contrarium infirmandum: quod Auguſtinus abunde commonſtravit, ubi ex profeſſo de perfectione juſtitiæ in hac vita agit adverſus Cœleſtium.

Argumentis ſolidis & veritatem confirmandam & falſitatem refutandam.

Quarto, Etiam atque etiam diſpiciendum quibus locis Scripturæ & argumentis veritas comprobetur, & falſitas refutetur, ne ſi infirma, & minus valida, & aliquomodo dubia adferantur, Hæretici iſtis refutatis in ſpem veniant, & reliqua eiuſdem farinæ exiſtentia redargui & confutari poſſe. Neque n. exiguam facit veritati injuriam qui infirmis argumentis illam adſtruit; & τρόπος παιδείας docet neceſſariam concluſionem neceſſariis argumentis eſſe comprobandam. Nam concluſio ſequitur partem debiliorem. Quod vero hic locus controverſia non caret etiam apud Catholicos S. Scripturæ Tractatores, jam ante commonſtratum eſt.

Quinto, Vtut hic locus ita explicatus ex mea mente, Eccleſiæ ſervire nequeat ad probandam inperfectionem regenitorum in hac vita, ſervit tamen eidem ad dogma aliud & longe majoris momenti confirmandum adverſus Pelagianos: nempe, quod eſt de gratiæ Chriſti neceſſitate & legis impoſſibilitate ad peccatum vincendum ſeu vitandum, & vitam ex norma legis inſtituendam.

Dogma quod eſt de gratia Chriſti neceſſitate & legis impoſſibilitate ad peccatū vincendum, longe majoris habitum quod veteres momenti quam quod probat perpetuam Regenitorum in hac vita imperfectionē, probatur ex Auguſtino.

Quantum autem vetus Eccleſia diſcrimen poſuerit inter huius & illius quæſtionis ſeu dogmatis neceſſitatem, licet ex Auguſtini variis locis cognoſcere.

Libro de Nat. & Grat. contra Pelagianos, cap. 59. Quod vero contra eos diſputat (Pelagius) qui dicunt, & quis nolit ſine peccato eſſe, ſi hoc in hominis poſitum eſſet poteſtate? Recte quidem diſputat, hoc ipſo eos confiteri non eſſe impoſſibile, quia hoc vel multi vel omnes volunt: ſed hoc unde ſit poſſibile confiteatur, & pax eſt. Ipſa enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum, &c.

Ibidem cap. 60. Vtrum in hoc ſeculo fuerit, vel ſit, vel poſſit eſſe aliquis ita juſte vivens, ut nullum habeat omnino peccatum, poteſt eſſe aliqua quæſtio inter veros pioſque Chriſtianos: poſſe tamen eſſe certe poſt hanc vitam quiſquis ambigit, deſipit. Sed ego nec de iſta volo contendere. Quanquam mihi non videatur aliter intelligendum quod ſcriptum eſt: *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, & ſi quæ ſimilia: ut tamen poſſit oſtendi vel hæc teſtimonia melius aliter intelligi poſſe, vel perfectam plenamque juſtitiam, cui prorſus nihil addendum ſit, & vel heri fuiſſe in aliquo, dum in iſto corpore viveret, & hodie eſſe, & cras futuram; dum tamen longe plures ſunt, qui quum ſibi uſque ad ultimum vitæ huius diem neceſſarium eſſe non dubitent, ut veraciter dicant, *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: ſpem ſuam tamen in Chriſto atque in eius promiſſionibus veram, certam, firmam eſſe confidant, nullo

» tamen modo niſi adjuvante gratia
» Salvatoris Chriſti crucifixi, & dono
» Spiritus eius vel quoſlibet ad pleniſ-
» ſimam perfectionem, vel quenquam
» ad qualemcunque profectum veræ
» piæque juſtitiæ pervenire, qui nega-
» verit, neſcio utrum recte poſſit in
» qualiumcunque Chriſtianorum nu-
» mero deputari.

» De ſpiritu & littera cap. 2. Quin
» etiamſi nemo eſt, aut fuit, aut erit,
» quod magis credo, tali puritate per-
» fectus, & tamen eſſe, aut fuiſſe, aut
» fore defenditur & putatur, quantum
» ego judicare poſſum, non multum
» erratur, nec pernicioſe, &c. Sed illis
» acerrime reſiſtendum eſt ac vehe-
» mentiſſime, qui putant ſine adjuto-
» rio Dei per ſeipſam vim voluntatis
» humanæ juſtitiam vel poſſe perfice-
» re, vel ad eam tendendo proficere.

Vide inſuper lib. de Natur. & Grat. cap. 42. 43. 58. & 63. ubi bre-
» viter ita inquit: Nulla eſt vel non
» magna quæſtio, quis vel quando
» perficiatur, dum tamen ſine gratia
» Chriſti idipſum fieri poſſe minime
» dubitetur.

Item de peccat. merit. & remiſſ. lib. 2. cap. 6. 14. item lib. 3. cap. 13.

Marginal note: Cui conſentire videntur Patres Concilii Carthaginenſis in Epiſtola ad Papam Innocentium.

Quod autem hæc non Auguſtini modo ſententia fuerit, ſed & Eccleſiæ, audiamus Epiſcopos in Concilio Carthaginenſi congregatos ad Papam Innocentium ita ſcribentes: Sed quoquo modo ſe habeat iſta quæ-
» ſtio, quia etſi non invenitur homo
» in hac vita ſine peccato, id tamen di-
» citur poſſe fieri per adoptionem gra-
» tiæ & ſpiritus Dei, quod ut fiat co-
» nandum atque poſcendum eſt: tole-
» rabiliter in id quiſque fallitur; nec
» diabolica impietas, ſed error huma-
» nus eſt, elaboranda & optanda af-
» firmare, etiamſi quod affirmat oſten-
» dere non poſſit, id enim credit fieri
» poſſe, quod certe laudabile eſt velle.

Videmus ergo hunc locum ex mea mente explicatum Eccleſiæ ad longe maioris momenti dogma ſtabiliendum inſervire, quam ex ſententia illa altera declaratum. Sed, inquiet aliquis, ex illa ſententia quæ de homine ſub gratia locum explicat, utrunque dogma ſtabiliri poſſe: Reſpondeo, ut hoc concedam, nego tamen directe id fieri poſſe, ſed unum dogma, de imperfectione nempe regenitorum in hac vita directe inde probabitur, alterum per conſequentiam inde deductam; at multum intereſt an dogma loco Scripturæ propriè & ex propoſito Scriptoris explicato ſtabiliatur, an vero per conſequentiæ deductionem inde concludatur. Sunt enim loci nonnulli velut ſedes quædam, unde controverſiæ dijudicari debent, & huiuſmodi ad decidendas controverſias uſurpari ſolent firmiſſimè.

Marginal note: Alterum quod tertia hac parte continetur affirmatum eſt, interpretationem hanc ex profeſſo Pelagianæ hæreſi adverſari.

Venio ad ſecundam iſtius Theſeos partem, qua dixi hunc locum de homine ſub lege exiſtente explicatum directe & ex profeſſo Pelagianæ hæreſi contrarium eſſe: quod licet jam ex parte occaſione objectionis præcedentis commonſtrarim, tamen paulo latius docebo & confirmabo.

Ex Pelagianæ hæreſeos capitibus minime poſtremum eſt, ut ante vidimus, quo aſſeritur quod homo per liberum arbitrium tanquam per ſe ſibi ſufficiens implere valeat præcepta Dei, dummodo homo per legis doctrinam erudiatur, ut quid ſibi præſtandum, quid omittendum ſit, ſcire poſſit. Illud dogma ex hoc loco de homine ſub lege intellecto, non

Marginal note: Quod probatur ex eo quod

refu-

præcipuum dogma illius hæreſeos per hanc ipſam interpretationem ex profeſſo confutatur.

refutari modo apparet firmiter, ſed etiam ex ipſo ſcopo & propoſito Apoſtoli velut radicitus evelli atque exſtirpari. Apparet ex oppoſitione dogmatis iſtius & Apoſtolici contextus. Illud dicit, hominem per legis doctrinam inſtitutum ſolius liberi Arbitrii viribus peccatum vincere & legi Dei obedire poſſe. *Apoſtolus dicit, hoc liberi Arbitrii & legis viribus effici non poſſe.* Peccatum enim, *inquit*, vobis non dominabitur; non enim eſtis ſub lege ſed ſub gratia: Vnde conſtat, ſi ſub lege eſſent, peccatum illis dominaturum, quod 7. capite latius pertractat. Dicit Pelagius, homo poteſt citra gratiam Chriſti ſola inſtitutus doctrina *Legis per liberum Arbitrium facere bonum quod vult, malum omittere quod non vult. Dicit Apoſtolus hominem illum conſentire quidem legi quod bona ſit, at perficere bonum in ſe non invenire, ſed omittere bonum quod vult, facere malum quod non vult. Directe* itaque citra conſequentiam pugnat doctrina Apoſtolica adverſus dogma Pelagianum, & quidem ex ſcopo & fine quem Apoſtolus ibidem ſibi propoſuit. Ex huiuſmodi vero locis longe fortius convincuntur & convelluntur hæreſes, quam ex locis præter ſcopum & intentionem Scriptoris ad refutationem accommodatis, licet & hoc fiat juxta rectum ſenſum eorundem locorum.

Quod ipſum verum eſſe & Auguſtinus fatetur ſatis aperte locis aliquot qui hic citantur.

Fatetur ipſe Auguſtinus hunc locum de homine ſub lege explicatum hæreſi Pelagianæ adverſari. lib. de Nat. & Grat. cap. 54. Sed cur, inquit Pelagius, clamem jam baptizatus in Chriſto? Illi hoc clament qui nondum beneficium tale perceperunt, quorum in ſe voces figurabat Apoſtolus: Si tamen vel hoc dicunt. Sed naturæ iſta defenſio nec illos hac voce exclamare permittit. Neque enim in baptizatis natura eſt, & in non baptizatis natura non eſt. Aut ſi vel in illis vitiata eſſe conceditur, ut non ſine cauſa clament; *Infælix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius; eiſque ſubveniatur in eo quod ſequitur; Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum:* concedatur jam tandem humanam medico indigere naturam. Vnde apparet ex Auguſtini mente, hunc locum etiam de naturali homine intellectum dogma Pelagii deſtruere, quo ait hominem naturalem naturę viribus legem Dei præſtare poſſe.

Sic loco quem ante notavimus c. 2. ex l. 1. retract. c. 23. aperte dicit hunc locum de homine ſub lege explicatum Pelagianum hæreſin confutare, his verbis: Vnde quidem jam evertitur hęreſis Pelagiana, quę non vult ex Deo nobis, ſed ex nobis eſſe charitatem qua bene ac pie vivimus.

Item de Nat. & Grat. c. 55. Porro ſi ab iſtis vel hoc impetramus, ut nondum baptizati implorent auxilium gratiæ Salvatoris; non eſt hoc quidam parum adverſus illam falſam defenſionem, tanquam ſibi ſufficientis naturæ & poteſtatis liberi Arbitrii. Neque enim ſibi ſufficit qui dicit: *Infælix ego homo, quis me liberabit:* aut plenam libertatem habere dicendus, qui ſe adhuc poſtulat liberari. Contra duas Epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium lib. 1. c. 8. Hinc autem jam incipit (Apoſtolus) propter quod iſta conſideranda ſuſcepimus, introducere perſonam ſuam, & tanquam de ſeipſo loqui; ubi nolunt Pelagiani ipſum Apoſtolum intelligi, ſed quod in ſe alium hominem transfiguraverit ſub lege adhuc

» poſitum, nondum per gratiam liberatum: ubi quidem jam debent concedere, *quod in lege nemo juſtificatur*, ſicut alibi idem Apoſtolus dicit, ſed ad cognitionem peccati & ad ipſius legis prævaricationem valere legem: ut agnito auctoque peccato per fidem gratia requiratur.

Obiect. 6

At Pelagiani, inquit aliquis, non ſine cauſſa illum locum de homine non regenito ſunt interpretati: proculdubio ſciverunt illam interpretationem ſuæ ſententiæ, quam contra Eccleſiam defendebant, patrocinari. Reſpondeo primo, jam ante & reipſa, & Auguſtini teſtimonio commonſtratum eſſe, quod locus etiam de homine ſub lege & nondum regenito, intellectus Pelagianæ doctrinæ adverſetur. Secundo, Fieri poſſe, ut Pelagiani locum de homine ſub lege, & non ſub gratia conſtitutum explicandum putaverint, citra ullam conſiderationem controverſiæ quæ ipſis fuit cum Orthodoxis. Tertio, Non hoc poſſe patrocinari ſententiæ Pelagianorum, quod hic de homine ſub lege dicatur agere Apoſtolus, ſed quod talem hominis ſub lege exiſtentis deſcriptionem adferebant, quam ſciebant ſuæ ſententiæ adſtruendæ eſſe acaccommodatam. Dicebant enim hominem ſub lege eſſe qui naturæ viribus & inſtinctu, utpote quæ in Adamo corrupta non erat, poterat velle bonum & nolle malum, ſed prava conſuetudine ita erat peccati ſervitio mancipatus, ut reipſa & actu quod volebat bonum præſtare non poſſet, &c. Huic falſæ deſcriptioni occurri potuit, etiam non negando, quod de homine ſub lege hic ageretur, ſed illam deſcriptionem refutando. Nam hæretici non in omnibus & ubique ſunt Hæretici; & illorum mos eſt vera falſis permiſcere, & ex veris fundamentis ſæpe falſa adſtruere, fundamentis inquam veris arte quadam aut manifeſta violentia ad falſa adſtruendum detortis.

Reſponſio.

Objicitur præterea, fieri non poſſe ut hæc ſententia non ſit hæretica aut hæreſi affinis, quum videamus quendam Proſperum Dyſidæum hominem Samoſatenianum & multis hæreſibus inquinatiſſimum hoc cap. 7. ad Romanos de homine non ſub gratia ſed ſub lege exiſtente interpretatum; quod proculdubio non faceret niſi intelligeret ex eo ſe magnum ſuarum hæreſeon ſtabilimentum habere. Reſp. Ridicula ſane eſt iſta objectio. Quaſi vero qui Hæreticus eſt in omnibus errare debeat, & nihil verum dicere poſſit, aut ſiquid dicat id totum referendum ſit ad ſtabiliendam hæreſin. Hæretici etiam peſſimi in aliquibus Articulis cum Eccleſia ſenſerunt. Notum eſt Hæreticos antiquos multos locos adverſus Orthodoxos ita interpretari conatos, quin & interpretari ſolitos, ut hæreſi ipſorum nocere non poſſent, qui tamen loci etiam nunc à noſtris Theologis contra ſenſum Orthodoxorum, convenienter interpretationi Hæreticorum explicantur, nec tamen iſta de cauſa fautores Hæreſeon appellandi ſunt. Velim autem commonſtrari quam affinitatem hæc explicatio habeat cum Arrianiſmo vel Samoſatenianiſmo. Si idem qui Samoſatenianus vel Arrianus eſt etiam perfectionem juſtitiæ in hac vita urgeat, ille locum de regenitis intelligendum negabit, non qua Samoſatenianus vel Arrianus, ſed qua Pelagianus aut

Inſtantia, quod 1 reſp. Dyſidæus Samoſatenianus ſic explicet hunc locum.

Reſponſio. Nullos hæreticos in omnibus errare.

aut Celeſtianus. Si iſthoc pacto argumentari liceat, tum magno præjudicio gravabitur ſententia quæ de homine ſub gratia locum explicat, eo ipſo quod à Ieſuitis eorumque Coryphæis plærunque ita explicatur, qui jurati ſunt Eccleſiæ Chriſti & veritatis hoſtes; Pontificiæ vero, id eſt, Idololatricæ, tyrannicæ, & innumeris hæreſibus contaminatiſſimæ Eccleſiæ ſatellites fortiſſimi. Apage iſta argumenta ab animo & ore illorum, qui bona conſcientia veritatis defenſionem ſuſcepêrunt. Quis non videt illa uſurpari ad percellendos animos auditorum imperitorum, ut timore & ſtupore quodam præcæcati verum judicare non valeant, immo rem controverſam attingere non audeant, præ vano hæreſeos metu. Notæ ſunt illę artes peritioribus, nec nocere poſſunt niſi imperitis, & qui ultro errare ſtatuerunt. Commonſtravimus enim illud caput ita intellectum eſſe multis Eccleſiæ Doctoribus qui hoſtes ſe eximios Arrianiſmi & Samoſatenianiſmi, aliarumque Hæreſeon declararunt, & veræ de Patre, Filio, & Spiritu Sancto doctrinæ acerrimos propugnatores. Bone Deus! Quam latus argumentandi campus aperitur iis, qui gaudent Catholicæ doctrinæ aſſertores fortiſſimos in caſtra hæreticorum detrudere, hoc prætextu quod loca nonnulla Scripturæ ad hæreſin refutandam adferri conſueta ita interpretantur, ut ex iis hæreſes oppugnari non queant.

Ieſuitas Papæ ſatellites explicare de homine ſub gratia conſtituto.

Gravatur denique iſta mea explicatio quod diſſentiat à confeſſione omnium in Europa Reformatarum Eccleſiarum, pro qua ſtabilienda tam multi Martyres ſanguinem ſuum fuderunt. Dico & hoc argumentum non ad veritatem docendam, ſed ad inflammandos & excæcandos præ furore animos audientium uſurpari. Nego enim ullum in ulla confeſſione, Gallica, Belgica, Helvetica, Sabaudica, Anglicana, Scotica, Bohemica, Auguſtana, ſive quavis alia extare Articulum qui iſti interpretationi ſit contrarius, aut qui iſta interpretatione vel tantillum debilitetur. Fieri quidem poteſt, ut locus iſte in aliqua confeſſione uſurpatus ſit ad ſtabiliendum dogma, quod inde confirmari nequit, niſi de homine regenito & ſub gratia exiſtente explicetur: at quid hoc contra illum facit, qui idem dogma approbat, & mordicus accurateque defendit, multis aliis Scripturæ locis adductis! Solum hoc negans quod verum illud dogma iſto loco ſatis bene defendatur. Et quis unquam ſanguinem ſuum fudit, vel fundere coactus eſt, quia hunc locum de homine regenito & non ſub lege exiſtente explicandum putaverit! Libere dico, dum iſta audio, vix temperare poſſum & me continere, quin præ dolore palam exclamem, ut Deus illorum qui hæc talia docent miſereatur, bonam mentem & ſynceram conſcientiam illis immittat, ne adverſus conſcientiam ruentes tandem pœnas dent pro merito malignæ inſcitæ; aut ut illorum conatus impediat, & irritos ſaltem faciat, ne noceant veritati divinitus patefactæ & Eccleſiæ Chriſti. Secus enim hæc interpretari non poſſum quando ab hominibus ſcientia præditis proferuntur. Non omnia quæ confeſſionibus continentur æquè ſunt neceſſaria: non omnia, quæ continentur confeſſione aliqua, ſtabiliuntur ſanguine illorum, qui propter iſtam

Alia Inſtantia, quod hæc interpretatio diſſentiat à Confeſſ. Eccleſ. Reform. quæ Martyrum ſanguine confirmata eſt.

Reſponſ.

Nullum ullius Conf. Articulum huic interpretationi contrariũ eſſe.

Neminem unquam ſanguinem fudiſſe pro contraria interpretatione.

iſtam non totum ſed partem illius aliquam ad mortem rapiuntur. Et ſcimus multa Martyrum millia veritatem Euangelii ſuo ſanguine obſignaſſe, qui de hoc perfectionis vel imperfectionis juſtitiæ Articulo rogati nunquam fuerunt, nec quicquam cogitarunt. Loquor de hac quæſtione; *An qui per Christum juſtificati & ſanctificati ſunt, legem Dei in hac vita, auxilio Chriſti & gratia Spiritus implere poßint ſine ullo defectu?* Norunt enim omnes Chriſtiani ſe ſine *gratia Chriſti nihil prorſus boni facere poſſe.* Quare huiuſmodi argumentis ſuperſedendum eſt iis, qui bona conſcientia veritatem inquirunt, & inventam conſervare ſtudent.

Infiniti Martyres ne ſemel quidem rogatos fuiſſe ſuper Articulo de perfectione juſtitiæ.

PARS QVARTA.

Senſum iſtum, quem plerique moderni Doctores noſtri Apoſtolo hoc loco tribuunt, à nullo antiquorum Eccleſiæ Doctorum, ne ab Auguſtino quidem approbatum; à multis autem repudiatum & rejectum eſſe.

Antiquos qui caput hoc de homine ſub gratia interpretati ſunt, & modernos qui ita interpretantur, inter ſe maxime tamen diſſentire.

NOn dico iſta Theſi antiquorum Doctorum neminem locum iſtum de homine regenito & ſub gratia conſtituto interpretatum eſſe, jam ante enim faſſus ſum Auguſtinum & nonnullos alios ita explicuiſſe: ſed aio & affirmo noſtrorum interpretationem ab antiquorum iſtorum explicatione in re magni momenti diſſentire, & eouſque, ut ſuam ſententiam auctoritate Veterum, nonniſi per vim & contra ipſorum auctorum mentem confirmare poſſint. Quod ſatis accurate probatum iri exiſtimo, ſi commonſtretur, quod illa quæ huic homini ab Apoſtolo attribuuntur, longe alio ſenſu a noſtris accipiuntur, quam à veteribus, qui locum de homine ſub gratia explicuerunt, intellecta ſunt; & quidem ſenſu eouſque à veterum explicatione diverſo & diſſentiente, ut illi ipſi veteres attributa illa, ſecundum illorum modernorum ſenſum accepta, non homini regenito & ſub gratia, ſed ſub lege conſtituto convenire putaverint. Illud autem jam porro commonſtro hoc pacto.

Plærique ex noſtris illud bonum quod Apoſtolus ait velle ſe quidem at non facere, & illud malum quod nolle ſe dicit, at facere tamen, interpretantur de malo & bono actuali: malum explicantes factum ipſum quod ex concupiſcentia carnis contra Spiritus concupiſcentiam voluntate conſentiente patratur, bonum vero itidem de ipſo facto explicantes, quod ſecundum Spiritum quidem facere concupiſcit, ſed impediente carnis concupiſcentia actu ipſo non præſtat. Inſpiciantur Commentarii noſtrorum, & rem ita habere conſtabit: & qui mihi contradicunt hoc aperte enuntiant. Auguſtinus vero & omnes veteres quos videre mihi contigit, locum illum de homine regenito & ſub gratia conſtituto interpretantes, illud malum quod Apoſtolus ſe nolle ait at facere tamen, dicunt eſſe concupiſcere; bonum vero quod velle ſe ait at non perficere, interpretantur non concupiſcere, diſcrimen facientes inter hæc duo, concupiſcere & poſt concupiſcentias ſuas ire; non concupiſcere & poſt ſuas concupiſcentias non ire. Quemadmodum etiam Apoſtolus Iaco-

Quia illi per bonum quod Apoſtolus ſe velle ait & non facere, malum quod ſe ait nolle & facere, intelligunt non concupiſcere & concupiſcere tantum; hi vero bonum & malum actu patratum.

Iacobus id diſcrimen annotat cap. 1. v. 14. 15. *unuſquiſque tentatur dum à propria concupiſcentia abſtrahitur & inescatur. Deinde cupiditas poſteaquam concepit parit peccatum*, ſcilicet actuale: *peccatum vero patratum gignit mortem.*

Eam eſſe mentē veterū, probatur ex Epiphanio.

Epiphanius hæreſi 64. contra Originem lib. 2. tom. 2. Nam quod dictum eſt, Quod operor non cognoſco, & facio quod odio habeo: non de eo quod operati ſumus ac perfecimus malum accipiendum eſt, ſed de eo quod ſolum cogitavimus.

Et paulo poſt: Alioquin quomodo Apoſtolus malum quidem quod diſplicebat maxime feciſſet, bonum vero quod placebat minime, ſi non de extraneis cogitationibus dixiſſet, quas cogitavimus aliquando, & non volentes, non ſcientes ex qua cauſa?

Et paulo poſt: Nam hoc bonum eſt perfectum non ſolum à faciendo abſtinere, ſed etiam à cogitando: & quod volumus, hoc bonum non fit, ſed quod nolumus malum.

Paulo poſt: Quapropter velle quidem ut ne cogitemus ipſa in nobis ſitum eſt, verum efficere ac operari quo diſſipentur, ut ne rurſus in mentem nobis redeant, hoc in nobis non eſt ſitum, ſed ut utamur ipſis ſolum quodammodo aut non utamur, ut ſit ſententia dicti talis: *Non enim quod volo facio bonum*: Volo enim non cogitare quæ me lædunt, nam hoc eſt bonum & immaculatum, & quod dici ſolet citra reprehenſionem manibus ac mente factum quadrangulum. Et hoc quidem *quod volo bonum non facio*; *quod vero non volo facio malum*. Non volo cogitare, & cogito quæ non volo.

Paulo poſt, refutans qui de factis ipſis Apoſtoli locum interpretabantur, ſic inquit: Si vero quis verbis impetere auſus fuerit, quod Apoſtolus docet quod non ſolum in cogitando eſt malum, quod odio habemus & quod non volumus, ſed etiam in faciendo & operando ipſum: propterea quod dictum eſt, *Non enim quod volo facio bonum, ſed quod non volo malum hoc facio*; expetimus ſane ſi vera dicit qui hæc dicit, ut declaret quod erat malum quod odio habebat Apoſtolus, & non volebat quidem facere, faciebat autem, & quod *erat bonum quod volebat quidem facere, non autem faciebat.* Vide cætera quæ ſequuntur.

Ex Auguſtino.

Auguſt. lib. de nuptiis & concupiſcentia cap. 30. Tom. 7. Et ſequitur; *Invenio ergo legem mihi volenti facere bonum, quoniam malum mihi adjacet*, hoc eſt, invenio mihi legem eſſe bonum volenti facere quod lex vult, quoniam non ipſi legi, quæ dicit, *non concupiſces*, ſed mihi *adjacet malum*, quia & nolens concupiſco.

Ibidem cap. 31. Ad corpus ergo mortis huius pertinere intelligitur ut alia lex in membris repugnet quidem legi mentis, dum caro concupiſcit adverſus ſpiritum, etſi mentem non ſubjuget, quia & ſpiritus concupiſcit adverſus carnem, atque ita quamvis lex ipſa peccati captivum teneat aliquid carnis unde reſiſtat legi mentis, non tamen regnat in noſtro licet mortali corpore, ſi non obeditur deſideriis eius.

Et paulo poſt: Apoſtolus autem ſubjungit & dicit: *Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati*: quod ſic intelligendum eſt, mente ſervio legi Dei, non conſentiendo

legi peccati, carne autem ſervio legi peccati, habendo deſiderium peccati, quibus etſi non conſentio, nondum tamen penitus careo.

Lib. 1. cont. duas Epiſt. Pelagianorum cap. 10. An forte metuimus ea quæ ſequuntur: *quod enim operor ignoro; non enim quod volo hoc ago, ſed quod odi illud facio*, ne forte ex his verbis quiſpiam conſentire carnis concupiſcentiæ ad opera mala ſuſpicetur Apoſtolum? Sed conſiderandum eſt quod adjungit: *Si autem quod nolo hoc facio, conſentio legi quoniam bona eſt.* Magis enim ſe legi conſentire dicit, quam carnis concupiſcentiæ. Hanc enim peccati nomine appellat. Facere ergo ſe dixit & operari non affectu conſentiendi, & implendi, ſed ipſo motu concupiſcendi. Hinc ergo inquit *conſentio legi quoniam bona eſt. Conſentio*, quia nolo quod non vult. Deinde dicit; *Nunc autem jam non ego operor illud, ſed id quod habitat in me peccatum.* Quid eſt, *nunc autem*, niſi jam nunc ſub gratia quæ liberavit delectationem voluntatis à conſenſione cupiditatis? Non enim melius intelligitur, *non ego operor*, niſi quia non conſentit *exhibere membra ſua arma iniquitatis peccato*. Nam ſi & concupiſcit, & conſentit, & agit, quomodo non ipſe illud operatur, *etiamſi ſe operari doleat*, & vinci graviter ingemiſcat?

Paulo poſt: Hoc enim eſt perficere bonum, ut nec concupiſcat homo. Imperfectum autem eſt bonum, quando concupiſcit, etiamſi concupiſcentiæ non conſentit ad malum.

Paulo poſt: Atque inde concludit. *Igitur ipſe ego mente ſervio legi Dei, carni autem legi peccati:* Carne ſcilicet legi peccati, concupiſcendo, mente autem legi Dei, eidem concupiſcentiæ non conſentiendo.

Adverſus Iulian. Pelagianum lib. 1. cap. 26. Non ait facere, ſed perficere bonum, quia facere bonum eſt poſt concupiſcentias non ire: perficere autem bonum eſt non concupiſcere. Quod ergo eſt ad Galatas, *concupiſcentias carnis ne perfeceritis*: hoc è contrario ad Romanos eſt, *perficere autem bonum non invenio.* Quia nec illæ perficiuntur in malo, quando eis non accedit noſtræ voluntatis adſenſus: nec noſtra voluntas perficitur in bono, quamdiu illarum cui non conſentimus permanet motus. Ipſe autem conflictus, in quo etiam baptizati velut in agone decertant, *quum caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*, ubi & ſpiritus facit bonum opus non conſentiendo concupiſcentiæ malæ, ſed non perficit quia ipſa mala deſideria non abſumit: & caro facit malum deſiderium, ſed nec ipſa perficit, quia non ſibi conſentiente ſpiritu, & ipſa ad opera damnanda non pervenit. Iſte ergo conflictus non Iudæorum nec quorumlibet aliorum, ſed plane Chriſtianorum fidelium, & bene viventium in hoc certamine laborantium breviter oſtenditur ad Romanos, ubi ait, *Igitur ipſe ego mente ſervio legi Dei, carne legi peccati.*

Ibidem lib. 5. cap. 5. Noli ergo facere quod pati non vis, & dicere quod invitemus ad dulcia facta, quibus Apoſtolum recitamus dicentem: *Scio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum.* Etſi enim non hoc *perficiant bonum quod volunt*, ut non concupiſcant, faciunt tamen bonum ut poſt concupiſcentias ſuas non eant.

Ibidem

„ Ibidem lib. 6. cap. 11. Abſit ergo ut dicamus quod nos dicere inſimulas, Apoſtolum ſic iſta dixiſſe quaſi per ſe vellet intelligi, renitentem in ſcorto aliqua manu peſtiferæ voluptatis abduci: cum dicat: *non ego operor illud*: oſtendens carnis concupiſcentias ſolum impulſum libidinis operari, ſine conſenſione peccati.

De natura & gratia cap. 62. Abſtinet ſe ab omni re mala etiam qui habet peccatum, quod in ſe regnare non ſinit, cui ſurrepit improbanda cogitatio, quam pervenire ad finem operis non permittit. Sed aliud eſt non habere peccatũ, aliud non obedire deſideriis ejus. Aliud eſt implere quod præceptum eſt *Non concupiſces*, & aliud eſt per quendam abſtinentiæ conatum ſaltẽ id agere, quod item ſcriptum eſt: poſt concupiſcentias tuas non eas: nihil horum tamen ſcire ſe recte poſſe ſine gratia Salvatoris. Facere eſt ergo juſtitiam in vero Dei cultu cum interno concupiſcentiæ malo interna conflictatione pugnare, perficere autem omnino adverſarium non habere. Nam qui pugnat, & adhuc periclitatur & aliquando percutitur, etiamſi non ſternitur. Qui autem non habet adverſarium plena pace letatur. Et ipſe eſſe ſine peccato veriſſime dicitur in quo nullum habitat peccatum, non qui per abſtinentiam mali operis dicit: *Iam non ego operor illud, ſed id quod in me habitat peccatum.*

De tempore Sermone 55. Tom. 10. Non ergo quod vult agit Apoſtolus quia vult non concupiſcere & tamen concupiſcit, ideo non quod vult agit. Nunquid illa concupiſcentia mala trahebat Apoſtolum ſubjugatum ad concupiſcendum, ad fornicationem? Abſit. Non aſcendant tales cogitationes in cor noſtrum. Luctabatur, non ſubjugabatur. Sed quia nolebat & hoc habere contra quod luctaretur, ideo dicebat; *Non quod volo ago*, concupiſcere nolo & concupiſco. Non ergo quod volo ago, ſed tamen concupiſcentiæ non conſentio. Non enim aliter diceret, *concupiſcentias carnis ne perfeceritis*, ſi ipſe perficeret,

Paulo poſt: Quomodo ago bonum & non perficio bonum? ago bonum, quum malę concupiſcentię non conſentio, ſed non perficio bonum, ut omnino non concupiſcam. Rurſus ergo hoſtis meus quomodo agit malum & non perficit malum? Agit malum quia movet deſiderium malum, non perficit malum, quia me non trahit ad malum.

Paulo poſt: *Mente ſervio legi Dei*, non conſentiendo: *carne autem legi peccati*, concupiſcendo.

Serm. 13. de verb. Apoſt. Inde & iſte, *non quod volo ago: concupiſcit enim caro adverſus ſpiritum*, & nolo ut concupiſcat, pro magno habeo ſi non conſentiam, opto tamen ut caream. Ergo *non quod volo ago*. Volo enim ut non concupiſcat caro adverſus ſpiritum, & non poſſum, hoc eſt quod dixi, *non quod volo ago*.

Paulo poſt: Si ergo concupiſcit caro adverſus ſpiritum, ut in hoc ipſo non quod vis agas, quia vis ut non concupiſcat, & non potes, tene ſaltẽ in gratia Domini voluntatem, & in ejus adjutorio perſevera: dic ei quod cantaſti; *Greſſus meos dirige ſecundum verbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas?* Quid eſt, *ne dominetur mihi omnis iniquitas?* Audi Apoſtolum: *Non regnet peccatum in mortali corpore veſtro.* Quid eſt *non regnet?*

Obediendo deſideriis eius. Non dixit, noli habere deſideria mala. Quomodo enim in hac carne mortali, ubi *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*, non habeo deſideria mala? Illud ergo fac, *non regnet peccatum, &c.*

Ex Beda. Beda in 7. caput ad Romanos. Si autem ipſe eſt (ſcilicet Apoſtolus) non ſic intelligamus quod dixit, *Non quod volo ago, ſed quod odi illud facio*, tanquam vellet eſſe caſtus & eſſet adulter, aut vellet eſſe miſericors & eſſet crudelis, aut vellet eſſe pius & eſſet impius. Sed ad quid? Volo non concupiſcere & concupiſco.

Paulo poſt: Etſi concupiſcentiæ non conſentio, & poſt concupiſcentias meas non eo, tamen adhuc concupiſco.

Paulo poſt: Quid odi? concupiſcere. Odi concupiſcere, & tamen ago illud ex carne non ex mente.

Paulo poſt: Ipſum autem ago concupiſcere eſt, non concupiſcentiæ conſentire. Ne aliquis jam in Apoſtolo peccandi ſibi quærat exemplum, & det malum exemplum. Non quod volo ago. Quid enim lex dicit? Non concupiſces. Et ego nolo concupiſcere, & tamen concupiſco, quamvis concupiſcentiæ meæ aſſenſum non præbeam, quamvis poſt eam non eam. Reſiſto enim, averto mentem, nego arma, teneo membra, & tamen fit in me quod nolo. Quod non vult & lex, nolo cum lege. Quod non vult nolo. Ergo *conſentio legi.* Ego ſum in carne, ego ſum in mente. Sed magis ego ſum in mente quam in carne. Quia enim ego ſum in mente ego ſum in regente. Mens enim regit, caro regitur. Et magis ſum ego in eo quod rego, quam in eo quod regor. Quia ergo magis rego in mente.

Thomas in 7. caput ad Romanos. *Velle adjacet mihi*, ſcilicet per gratiam jam reparato, eſt ex operatione divinæ gratiæ, per quam quidem gratiam non ſolum volo bonum, ſed etiam aliquid boni facio, quia repugno concupiſcentiæ, & contra eam ago ductus ſpiritu: ſed non invenio in mea poteſtate quomodo iſtud bonum perficiam, ut ſcilicet totaliter concupiſcentiam excludam.

Diſcrimen inter duas illas diverſas explicationes boni *&* mali *tantum eſſe judicio antiquorum, ut ſecundum explicationem utramque regenito convenire nequeant, probatur ex Auguſtino.*

Quod vero duæ iſtæ attributorum illorum explicationes tam ſint diverſæ & diſſentientes ipſorum antiquorum, qui de regenito homine locum hunc explicuerunt, judicio, ut eadem ſecundum explicationem utramque regenito convenire non queant, imo ut ſecundum iſtam explicationem regenito homini, ſecundum alteram vero homini ſub peccato & ſub lege exiſtenti conveniant; jam porrò docebo ipſorum teſtimoniis.

Auguſtinus lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 10. Non enim melius intelligitur, *non ego operor*, niſi quia non conſentit exhibere membra ſua arma iniquitatis peccato. Nam ſi & concupiſcit, & conſentit, & agit, quomodo non ipſe illud operatur, etiamſi ſe operari doleat, & vinci graviter ingemiſcat?

Paulo poſt: Vnde propter tria iſta, duo ſcilicet de quibus jam diſputavimus, quæ ait, *Ego autem carnalis ſum, & venundatus ſub peccato*, & hoc tertium, *captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*, poteſt videri Apoſtolus eum deſcribere qui ſub lege adhuc vivit, nondum ſub gratia: ſed ſicut illa duo expoſuimus propter carnem adhuc corruptibilem dicta, ſic & hoc poteſt intelligi,

ut capivantem me dixerit carne, non mente; motione, non conſenſione, & ideo captivantem me, quia & in ipſa carne mea non eſt aliena natura, ſed noſtra.

Idem Serm. 5. de verbis Apoſtolis: Spiritualis enim quia ſecundum Spiritum vivit, adhuc autem ex parte mortalis carnis, idem ſpiritalis, idem carnalis. Ecce ſpiritalis, *mente ſervio legi Dei*; ecce carnalis, *carne autem legi peccati*. Idem ergo ipſe ſpiritalis & carnalis? Idem plane quamdiu hic vivit, ita eſt. Noli mirari quiſquis es, quicunque carnalibus concupiſcentiis cedis atque conſentis, qui eas vel bonas putas ad explendam libidinis ſaturitatem, vel certe ſic jam vides malas, ut eis tamen cedendo conſentias, & quo ducunt ſequaris, & ea quæ male ſuggerunt perpetres, totus carnalis es tu, tu quiſquis talis es totus carnalis es. Si autem concupiſcis quidem quod lex vetat cum dicit, *Non concupiſces*, ſervas tamen aliud quod item lex dicit, *poſt concupiſcentias tuas non eas*, mente ſpiritalis es & carne carnalis. Aliud enim eſt non concupiſcere, aliud poſt concupiſcentias ſuas non ire. Non concupiſcere omnino perfecti eſt, poſt concupiſcentias ſuas non ire, pugnantis eſt, luctantis eſt, laborantis eſt. Liceat mihi addere quod res poſtulat, & proprium illius eſt qui poſt concupiſcentias non ambulat; vincentis & ſuperantis eſt. Illud enim per pugnam quidem, per luctam, per laborem, ſed non niſi poſt victoriam obtinetur.

Apparet ergo ex mente Auguſtini, ſi hic locus de conſenſu & mali perpetratione actuali explicetur, nullo modo de regenito intelligi poſſe, ſed de homine ſub lege exiſtente, & mere carnali, ut ipſe loquitur.

Beda in 7. cap. ad Rom. *Scimus quia lex Spiritualis eſt.*] Forte ergo alius eſt aliquis, forte tu es; Aut tu es aut ego ſum. Si ergo aliquis noſtrum eſt, ipſum quaſi de ipſo audiamus, & non irati corrigamus nos. Si autem ipſe eſt, non ſic intelligamus quod dixit, *Non quod volo ago, ſed quod odi illud facio*, tanquam vellet eſſe caſtus & eſſet adulter, aut vellet eſſe miſericors & eſſet crudelis, aut vellet eſſe pius & eſſet impius. Sed ad quid? Volo non concupiſcere, & concupiſco. *Ex Beda.*

Aquinas omnium planiſſime has explicationes inter ſe opponit, & ſecundum unam homini regenito, ſecundum alteram ſub peccato exiſtenti convenire ait, quæ hic ab Apoſtolo homini, de quo agit, adtribuuntur. *Ex Th. Aquinate.*

Dicitur homo eſſe carnalis, quia eius ratio carnalis eſt, quæ dicitur carnalis dupliciter. Vno modo quod ſubditur carni conſentiens his ad quæ caro inſtigat. Secundum illud 1. Cor. 3. *Quum ſit inter vos zelus & contentio, &c.* Et hoc modo intelligitur de homine nondum per gratiam reparato. Alio modo dicitur ratio eſſe carnalis, ex eo quod à carne * impugnatur, ſecundum illud Gal. 5: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Et hoc modo intelligitur eſſe carnalis ratio etiam hominis ſub gratia conſtituti. Vtraque a. carnalitas provenit ex peccato.

** Abſurda eſt iſta notatio, neq; tolerandum ratio dicatur carnalis quia à carne impugnatur. Sic Paulus erit diabolicus quia impugnabatur à Satana.*

Palo poſt: Vnde dicit *quod enim operor ego non intelligo* ſcilicet eſſe operandum. Quod quidem poteſt dupliciter intelligi. Vno modo de eo qui eſt ſubjectus peccato; qui quidem in uni-

in univerſali intelligit non eſſe operandum peccatum, tamen victus ſuggeſtione dæmonis, vel paſſione, vel inclinatione perverſi habitus operatur illud: & ideo dicitur operari quod intelligit non eſſe operandum, contra conſcientiam faciens, ſicut Luc. 12. *Servus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens digne plagis vapulabit multis.* Alio modo poteſt intelligi de eo qui eſt in gratia conſtitutus, qui quidem operatur malum, non quidem exſequendo in opere vel conſentiente mente: ſed ſolum concupiſcendo ſecundum paſſionem ſenſibilis appetitus: & illa concupiſcentia eſt propter rationem & intellectum; quia prævenit eius judicium, quo adveniente talis operatio impeditur.

Paulo poſt: Dicit ergo primo quantum ad omiſſionem boni. *Non enim ago hoc bonum quod volo agere.* Quod quidem uno modo poteſt intelligi de homine ſub peccato conſtituto. & ſic hic hoc quod dicit ago, eſt accipiendum ſecundum actionem completam, quæ exterius opere exercetur per rationis conſenſum. Quod autem dicit volo, eſt intelligendum non quidem de voluntate completa, quæ eſt operis præceptiva, ſed de voluntate quadam incompleta, qua homines in univerſali bonum volunt, ſicut & in univerſali habent rectum judicium de uno, & depravatur talis voluntas in particulari, ut non agat quod in univerſali intelligit agendum, & agere vellet. Secundum a. quod intelligitur de homine per gratiam reparato, è converſo oportet intelligere per hoc quod dicit, volo, voluntatem completam perdurantem in electione particularis operationis, ut per hoc quod dicit, Ago, intelligatur actio incompleta, quæ conſiſtit tantum in appetitu ſenſitivo, non perveniens ad rationis conſenſum. Homo enim ſub gratia conſtitutus vult quidem mentem ſuam à pravis concupiſcentijs conſervare, ſed hoc bonum non agit propter motus inordinatos concupiſcentiæ inſurgentis in appetitu ſenſitivo. Et ſimile eſt quod ait Gal. 5. *Vt non quæcunque vultis illa faciatis.* Secundo, Quantum ad perpetrationem mali ſubdit; *Sed quod odio habeo malum illud facio.* Quod quidem ſi intelligatur de homine peccatore, per hoc quod dicitur, odio, intelligitur quoddã odium imperfectum, ſecundum quod omnis homo naturaliter odit malum; per hoc autem quod dicit, facio, intelligitur actio perfecta per operis executionem ſecundum rationis conſenſum. Nam illud odium in univerſali tollitur in particulari eligibili per inclinationem habitus vel paſſionis. Si vero intelligatur de homine ſub gratia conſtituto, per hoc quod dicit, facio, intelligitur è converſo actio imperfecta, quæ conſiſtit in ſola concupiſcentia appetitus ſenſitivi; per hoc quod dicit, odio, intelligitur odium perfectum, quo quis perſeverat in deteſtatione mali, uſque ad finalem reprobationem ipſius, &c.

Lex autem peccati captivat hominem dupliciter: uno modo hominem peccatorem per conſenſum & operationem: alio modo hominem ſub gratia conſtitutum, quantum ad concupiſcentiæ motum.

Gratia liberat à corpore mortis huius dupliciter. Vno modo, ut corruptio corporis menti non dominetur, trahens eam ad peccandum. Alio modo, corruptio corporis ut totaliter tollatur

» tollatur. Quantum ergo ad primum » convenit dicere peccatori: *gratia liberavit me de corpore mortis huius. id eſt*, » liberavit me a peccato, in quo eſt » anima inducta ex corporis corruptione. Sed ab hoc jam juſtus liberatus eſt. Vnde ei competit dicere quantum ad ſecundum: *gratia Dei liberavit me de corpore mortis huius*, ut ſcilicet in corpore meo non ſit corruptio » peccati aut mortis: quod erit in reſurrectione.

» Deinde cum dicit, *Ego ipſe igitur*] » infert concluſionem quæ ſecundum » duas præmiſſas expoſitiones diverſimode ex præmiſſis infertur. Secundum enim quod præmiſſa verba exponuntur in perſona peccatoris, ſic » inferenda eſt concluſio; Dictum » eſt quod gratia Dei liberavit me a » corpore mortis huius, ut ſcilicet ab » eo non deducar in peccatum. Ergo » quando ero jam liberatus mente ſervio legi Dei; ſecundum carnem autem legi peccati, quæ quidem in carne remanet quantum ad fomitem, » per quem caro concupiſcit adverſus » ſpiritum. Si autem præmiſſa verba » intelligantur ex perſona juſti, ſic eſt » inferendum: gratia Dei per Ieſum » Chriſtum liberavit me de corpore » mortis huius, ita ſcilicet, ut in me » non ſit corruptio peccati & mortis.

Ex Hugone Cardinali.

Hugo Cardinalis in 8. cap. ad Romanos. *Nihil ergo condemnationis*] » Præcedentia expoſita ſunt de captivitate mortalis peccati, ſub qua erat » homo carnaliter vivens: & de captivitate venialis peccati hominis qui » eſt in gratia. Mortale autem peccatum appellat quod ipſo opere exercetur, veniale quod conſiſtit in actu » & motu concupiſcendi, citra voluntatis conſenſum.

PARS QVINTA.

Quod ſententia iſta quæ hic de homine regenito & ſub gratia conſtituto agi affirmat, & ſimul bonum quod ille homo vult, & non facit, & malum quod non vult, facit tamen, interpretatur de malo & bono actuali: gratiæ injuria ſit, & bonis moribus noxia.

QVod gratiæ injuria ſit ita commonſtro.

Primo oſtenditur interpretationem quæ hodie obtinet, gratiæ injuriam eſſe, minus illi tribuendo quam par eſt.

Gratiæ injuriam facit, non tantum qui quod gratiæ eſt naturæ tribuit aut libero Arbitrio, ademptum ſcilicet gratiæ: ſed etiam qui gratiæ minus tribuit quam par eſt, & quam gratiæ vere eſt tribuendum. Hæc ſententia hoc poſteriore modo gratiæ eſt inimica, minus enim illi tribuit, quam gratiæ juxta Scripturam eſt adſcribendum. Nam Scriptura tribuit gratiæ non tantum quod in regenitis operetur velle bonum, ſed etiam facere. Phil. 2. 13. *quod eius vi vetus noſter homo crucifigatur, & peccati corpus aboleatur ſeu enervetur, ita ut non amplius ipſi obediamus in concupiſcentiis ipſius; quod per illam regeniti peccato mortui ſint, & in novam vitam reſurrexerunt, in qua non peccato ſerviunt ſed Deo; non ſiſtunt membra ſua arma injuſtitiæ peccato, ſed arma juſtitiæ Deo.* Rom. 6. *quod ſpiritus efficacia actiones corporis mortificent*, Rom. 8. *quod ſuppeditet regenitis non modo vires reſiſtendi mundo, Sathanæ, carni, ſed etiam de illis victoriam referendi.* Eph. 6. Iacob. 4. 1. Ioh. 4. 4. & 5. 4. &c.

At hæc ſententia tribuit gratiæ quod velle tantum efficiat in regenitis, non ipſum facere, quod impotentior ſit quam ut veterem hominem crucifigat; peccati corpus aboleat, carnem, mundum Sathanam vincat. Nam homo ille regenitus dicitur juxta iſtam ſententiam obedire peccato in concupiſcentiis ipſius, ambulare poſt deſideria carnis, licet id facere dicatur peccati violentia compulſus contra conſcientiam & renitente voluntate. Nam iſta interpretatio & additio modum obedientiæ, quo peccato obeditur, variat, ipſam obedientiam non negat. Quæ etiam cauſſa fuit quod Auguſtinus locum de concupiſcentia interpretatus ſit. Videbat enim ſi de actualibus peccatis interpretaretur, ſe gratiæ injuriam facturum. Velim hic diligenter conſiderari & etiam atque etiam perpendi, an lucta iſta, quæ hic deſcribi dicitur, Spiritui Sancto inhabitanti adſcribi poſſit, citra apertam gratiæ Chriſti & eiuſdem ſpiritus contumeliam & ignominiam, ſi hic luctæ ponatur eventus, ut homo ex carnis voluntate, non ex concupiſcentia ſpiritus operetur: quem eventum pugnæ illi ponunt, qui de actuali bono & malo locum interpretantur. Conſtabit ſana diligenter inſpicienti citra enorme Spiritus Sancti dedecus illi luctam iſtam attribui non poſſe. Quid enim? Lucta dicitur eſſe & belligeratio inter legem mentis, hoc eſt, Spiritum Sanctum inhabitantem, & legem membrorum; legi membrorum victoria tribuitur adverſus legem mentis: Nam captivum abducit hominem legi peccati, fruſtra obſiſtente & contra belligerante Spiritu Sancto inhabitante: annon hic Spiritus Sanctus impotentior eſſe dicitur quam lex in membris, id eſt, concupiſcentia carnis & peccatum inhabitans? Qui hoc negat, meridie ſolem lucere negat. Nulla enim hic mentio ceſſionis ſpontaneæ, ceſſationis à pugna, aut abjectionis armorum; quam diximus cauſſam eſſe, cur qui ſpiritu pugnare cœpit à carne ſuperetur. Sed neque poteſt illarum hic mentio fieri. Nam pugna dicitur eſſe & belligeratio non inter hominem utentem lege mentis & legem membrorum; ſed inter ipſam legem mentis & legem membrorum, cui legi mentis abjectio armorum tribui nequit, pugnat enim ipſa & per ſeipſam; neque poteſt illi tribui ceſſatio à pugna antequam fuerit victa & ſuperata; multo minus ſpontanea ceſſio; propterea quod nullo pacto inter duos iſtos belligerantes convenire poſſit. Vitam enim ſuam amittat eſt neceſſe, imo & deſinat eſſe, priuſquam ultro & ſponte carni rebellanti ſit ceſſura. Si quis dicat metaphoricum eſſe hoc dicendi vel loquendi genus, & per proſopopæiam attribui legi mentis & membrorum perſonam & propria perſonæ; proprie autem & citra tropum aut figuram hominem ipſum dici pugnare ſecum, ipſum, inquam, qua regenitus, pugnare ſecum qua non eſt regenitus. Reſpondeo hoc nihil obeſſe quin eodem modo res habeat. Nam regenitus qua talis, pugnat vi & robore gratiæ & ſpiritus Chriſti. Ergo ſi pugnans vincitur, ſuperatur gratia & ſpiritus Chriſti, quod ignominioſum eſt gratiæ & ſpiritui Chriſti. Si vero vincitur non pugnans neque durante conflictu, ſed poſtquam arma abjecit aut à pugna ceſſavit,

Luctam quæ hoc capite deſcribitur non poſſe Spiritui Sancto inhabitanti adſcribi citra apertam eius contumeliam.

Inſtantia.

Reſponſio.

ceſſavit, jam non hoc eſt quod hic agitur. Nam hic homo belligerans captivatur, non poſtquam belligerare deſiit. Nam actui belligerationis jungitur captivationis effectus & ἀποτέλεσμα, & quidem immediate. Pulchre autem iſta junguntur, & naturæ pugnantium inter ſe partium convenienter, ſi lex mentis, id eſt, conſcientia de legis æquitate & juſtitia convicta, cum lege membrorum certare dicatur. Illa enim pugnans & in ipſo conflictu vincitur, propterea quod imbecillior ſit, quam ut contra legem in membris, id eſt, concupiſcentias carnis & deſideria peccati conſiſtere poſſit, etiamſi omni conatu & totis viribus victoriam ex prælio auferre adnitatur.

Oſtenditur ſecundum eandem interpretationem bonis moribus noxiam eſſe, quippe hoc ſecum trahentem ut homo ſibi blandiatur in peccatis, ſi modo ea reluctante conſcientia ab ipſo committantur.

Quod vero bonis moribus ſit inimica & noxia iſta ſententia res ipſa docet. Nihil enim fingi poteſt magis noxium bonis moribus, quam dicere proprium eſſe regenitorum non facere bonum quod volunt, & facere malum quod nolunt. Inde enim neceſſario ſequitur, ut ſibi in peccatis ſuis applaudant illi, qui dum peccant, ſentiunt ſe id reluctante conſcientia, & renitente voluntate facere. Inde enim concludunt ſe eſſe regenitos, quia irregenitis non competat facere malum quod nolunt, & omittere bonum quod volunt; utpote qui pleno voluntatis conſenſu abſque ulla reſiſtentia bonum omittant, & malum perpetrent. Quod vere & ſancte affirmo me non ſemel expertum eſſe, quum nonnulli moniti ut caverent ſibi à perpetrando facinore aliquo, quod ſcirent lege prohibitum eſſe, reſponderent, velle ſe quidem, at cum Apoſtolo dicere debere, ſe bonum quod vellent perficere non poſſe. Veritatem dico in Chriſto & conſcientia mea mihi per Spiritum Sanctum hoc atteſtante, quod illud reſponſum accepi à quodam, non cum perpetratum eſſet crimen, ſed cum præmoneretur ne committeret. Novi etiam perſonam, *Nota bene.* quæ monita & reprehenſa ob factum quoddam, quod ſciebat à ſe contra legem Dei & conſcientiam eſſe perpetratum, reſpondit, quod quum id reluctante voluntate & non pleno conſenſu feciſſet, in eo ſe ſimile quid paſſum cum Apoſtolo Paulo, dicente; Malum quod nolo facio. Novi tum viros, tum mulieres, juvenes & ſenes, qui ubi caput hoc ſeptimum explicuiſſem iſto ſenſu quem hic defendo, aperte mihi confeſſi ſunt, ſe hactenus fuiſſe in ea ſententia, ſiquid mali actu perpetraſſent renitente mente, & quid boni omiſiſſent eadem reclamante, non magnopere hoc curandum, aut ex eo dolendum fuiſſe ſibi, quum exiſtimarent in hoc ſe Paulo Apoſtolo ſimiles eſſe; quare & gratias mihi egerunt toto pectore, ut dicebant, quod iſtac falſa opinione ipſos liberaſſem interpretatione mea.

Sed ne ego ſolus id dicere videar, & ſententiam iſtam, quæ de bono & malo actuali locum interpretatur, intellectam de homine regenito, bonis moribus & pietati adverſam, ſine ullo teſte aut adſtipulatore proclamare; age videamus quid nonnulli veterum ſuper ea re judicaverint.

Confirmat hoc ipſum Auguſtinus.

Auguſtinus tom. 10. Sermone 43. & 45. de Tempore, in hæc verba Apoſtoli: *Non enim quod volo facio bonum, ſed quod nolo malum hoc facio*, ita "inquit: Lectio divina quæ de Apo"ſtoli Pauli Epiſtola recitata eſt, quo"tieſcunque legitur, timendum eſt ne

Aaaaa male

male intellecta det hominibus quærentibus occaſionem. Proclives quippe ſunt homines ad peccandum, & vix ſe tenent. Vbi ergo audierunt Apoſtolum dicentem: *Non enim quod volo facio bonum, ſed quod odi malum hoc ago*, agunt malum, & quaſi diſplicentes ſibi quia agunt malum, putant ſe Apoſtolo eſſe ſimiles, qui dixit, *Non enim quod volo facio bonum, ſed quod nolo malum hoc ago*. Nonnunquam enim legitur, & nunc nobis ingerit neceſſitatem diſputandi, ne homines male ſumentes ſalubrem cibum vertant in venenum.

Paulo poſt: Modo autem in iſto bello ne male intelligentibus lectio iſta tuba ſit hoſtis non noſtra, unde ille incitetur, non unde vincatur, advertite obſecro fratres mei & qui certatis certate. Qui enim nondum certatis non eſtis intellecturi quod dico; qui jam certatis intellecturi eſtis. Vox mea in aperto, veſtra erit in ſilentio. Prius illud recolite quod ſcripſit ad Galatas, unde bene hoc poſſit exponi: Ait enim fidelibus loquens baptizatis, loquens quibus utique in ſancto lavacro omnia fuerant dimiſſa peccata. Eis tamen loquens, ſed pugnantibus loquens ait; *dico autem ſpiritu ambulate & concupiſcentias carnis ne perfeceritis*. Non dixit ne feceritis, ſed ne *perfeceritis*. Quare hoc? Sequitur & dicit: *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem. Hæc enim invicem adverſantur; ut non ea quæ vultis faciatis. Quod ſi ſpiritu ducimini non adhuc eſtis ſub lege utique, ſed ſub gratia*. Si ſpiritu ducimini. Quid eſt duci ſpiritu? Spiritui Dei conſentire jubenti, non carni concupiſcenti. Tamen concupiſcit, & reſiſtit, & vult aliquid, & non vis tu. Perſevera ut nolis tu. Deſiderium tuum tamen tale debet eſſe ad Deum, ut non ſit ipſa concupiſcentia cui reſiſtas. Videte quid dixerim. Deſiderium, inquam, tuum tale debet eſſe ad Deum, ut omnino non ſit ipſa concupiſcentia, cui reſiſtere oporteat. Reſiſtis enim & non conſentiendo vincis, ſed melius eſt hoſtem non habere, quam vincere. Hoſtis ille aliquando non erit. Refer animum ad vocem triumphi, & vide ſi erit. *Vbi eſt mors contentio tua?* Non erit. *Vbi eſt mors aculeus tuus?* Quæres locum eius & non invenies.

Et paulo poſt planius explicans mentem Apoſtoli, ne noxia ſint illius verba quærentibus occaſionem, ita inquit:

Non ergo quod vult agit Apoſtolus, quia vult non concupiſcere, & tamen concupiſcit, *ideo non quod vult agit*. Nunquid illa concupiſcentia mala trahebat Apoſtolum ſubjugatum ad concupiſcendum ad fornicationem? Abſit. Non aſcendant tales cogitationes in cor noſtrum. Luctabatur non ſubjugabatur. Sed quia nolebat & hoc habere contra quod luctaretur, ideo dicebat, *Non quod volo ago*. Concupiſcere nolo & concupiſco. *Non ergo quod volo ago*, ſed tamen concupiſcentiæ non conſentio. Non enim aliter diceret, *Concupiſcentias carnis ne perfeceritis*: ſi eas ipſe perficeret. Sed conſtituit tibi ante oculos tuos pugnam ſuam, ne timeres tuam. Si enim hoc non dixiſſet beatus Apoſtolus, quando videres moveri concupiſcentiam in membris tuis cui tu non conſentires, tamen cum eam moveri videres, forſitan deſperares de te, & diceres: Si ad Deum pertinerem, ſic non moverer. Vide Apoſtolum pugnantem,

& noli

& noli te facere deſperantem. *Video aliam legem inquit in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Et quia nolo ut repugnet, caro enim mea eſt, ego ipſe ſum, pars mea eſt, *non quod volo ago, ſed quod odi malum hoc ago*, quia concupiſco. Quod ergo bonum ago, quia concupiſcentiæ malæ non conſentio, ago bonum & non *perficio* bonum. Et concupiſcentia hoſtis mea agit malum, & non *perficit* malum. Quomodo *ago bonum* & non *perficio bonum*. Ago bonum quum malæ concupiſcentiæ non conſentio, ſed non perficio bonum ut omnino non concupiſcam. Rurſus ergo & hoſtis meus quomodo agit malum & non perficit malum.? Agit malum quia movet deſiderium malum. Non perficit malum, quia me non trahit ad malum.

Item Beda. Beda in 7. cap. ad Romanos: Ipſum autem *ago* concupiſcere eſt, non concupiſcentiæ conſentire. Ne aliquis jam in Apoſtolo peccandi ſibi quærat exemplum, & det malum exemplum. *Non quod volo ago.* Quid enim lex dicit? *Non concupiſces.* Et ego nolo concupiſcere & tamen concupiſco, quamvis concupiſcentiæ meæ aſſenſum non præbeam, quamvis poſt eam non eam.

Obiectio pro interpretatione vulgari: ſenſum poſſe eſſe regenitos non tam ſæpe & tamque perfecte bonum facere, & malum omittere quam volunt.

At dicet quis ad ſententiæ illius defenſionem, dupliciſque illius labis abſterſionem; nullam iſta interpretatione injuriam fieri gratiæ, aut noxam adferri bonis moribus: quin & vehementior aliquis in propugnanda ſemel concepta opinione calumniæ dicam mihi ſcribet: quandoquidem palam notum ſit, quod qui ita locum interpretantur, non omnis boni actualis præſtationem, & mali omiſſionem regenitis, & per conſequens gratiæ regenerationis adimant; ſed hoc tantum affirment, homines ſpiritu Chriſti regenitos interdum, imo & ſæpe, facere malum quod nolunt, & longe ſæpius omittere ſeu non facere bonum quod volunt, eoſdemque regenitos nunquam tam perfecte bonum quod faciunt præſtare, quam præſtare volunt, & nunquam tam perfecte malum omittere, quam perfecte omittere volunt. Neutrum autem negari poteſt ab iis, qui imperfectionem juſtitiæ in hac vita fatentur, & ſanctiſſimorum hominum exempla in Scripturis poſita accurate conſiderãt.

Reſponſ. gloſſam iſtam repugnare textui, quia hic continuus hominis, de quo tractatur, ſtatus deſcribitur.

Reſpondeo, hoc effugium iſti illius loci explicationi non patrocinari. Nam gloſſa iſta eſt textui, ut loquuntur, contraria. Non enim agitur iſto loco de eo quod aliquando accidit iſti homini de quo agitur, ſed quod plerunque ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον illi evenire ſolet: & continuus hominis, de quo tractatur, ſtatus deſcribitur. Quod ipſa verba & modus loquendi aperte declarant. Dicit Apoſtolus, **Ego non facio bonum quod volo, ego facio malum quod nolo.** Citra ullam diſtinctionem aut contractionem generalis dicti ad ſpecialem intelligentiam, ac ſi aliquando non faceret bonum quod vult, & aliquando faceret malum quod non vult, at ſæpenumero à malo exoſo abſtineret, & bonum volitum præſtaret: ſed ſimpliciter & indefinite enuntiat de malo exoſo, quod illud faciat, de bono volito, quod illud non faciat. Si vero iſta enuntiatione indefinita dicatur ſignificari, quod bonum volitum ſæpius præſtatur quam omittitur, malum exoſum ſæpius vitatur quam patratur (quod dicere neceſſe eſt, qui de homine regenito locum explicant, nam regenitus non ſecun-

dum carnem ambular, ſed ſecundum ſpiritum) tum dico ego, Apoſtolum neſciiſſe quomodo ſenſum ſuum enuntiaturus eſſet. Indefinitæ enim enuntiationis univerſalibus æquipollent, aut quam proximæ ſunt iiſdem; enuntiantes de ſubjectis attributa quæ omni & ſemper, aut plærunque & ſecundum partem potiorem inſunt. Sic de Cretenſibus dicitur quod mendaces ſunt. Athenienſes dicuntur leves & novarum rerum cupidi. Pœni, perfidi. Scriptura ſic loquitur, Iudæos rejectos eſſe propter majorem partem, non enim rejicit Deus populum quem præcognovit: Gentes in illorum locum aſſumptas. Nam data poteſtas & injunctum mandatum Apoſtolis prædicandi Euangelium omnibus nationibus, & pleræque ad fidem in Chriſtum jam olim converſæ fuerunt, aut porro convertentur. Neque agitur hoc loco de perfecta & muneris omnibus abſoluta boni præſtatione & mali omiſſione, ſed de patratione unius & omiſſionis alterius ſimpliciter. Dicit enim ſe malum facere, at non perfecte, ſi eſt regenitus. Secus tota & plena voluntate peccaret. Sed de hoc paulo poſt latius.

Quo modo Paullo loquendum fuiſſet, ſi ſenſum illum quē vulgo obtinet intendiſſet, idque conformiter ſtylo & loquendi formulis quas alibi paſſim de ſe loquens uſurpat.

Si vero Paulus iſto loco illum ſenſum haberet, quem illi interpretes Apoſtolo tribuunt, tum ita illi loquendum fuit, ſi ſibi conſentanea dicere voluit. *Scimus legem ſpiritualem eſſe & poſtulare à nobis omnibus numeris perfectam & continuam ſine ulla intermiſſione ſeu interruptione obedientiam. Ego vero nondum euſque carnem domui, neque conſque peccato dominatus ſum carniſque concupiſcentias fregi ſive ſubegi, ut illam perfectam & nunquam interruptam obedientiam legis præſtare queam. Nam accidit mihi aliquando, ut malum quod nolo faciam, & bonum quod volo omittam, imo ſentio me nunquam tanta perfectione, tanto zelo bonum facere, atque præſtare vellem, neque tanta perfectione malum omittere, quanta vellem. Sentio enim utrobique, etiam dum bonum facio & malum omitto, renitentem & reluctantem carnis concupiſcentiam, & egregie mecum agi exiſtimo, ſi in conflictu ſuperior evadam, hoc eſt, ne quod caro ſed quod ſpiritus concupiſcat, faciam.* Hic ſermo iſtam mentem decuit, & hic proprie eſt iſtius ſenſus index & interpres. Quod vero ita loqui decuit Apoſtolum, ſi conſentanea ſibi dicere voluit, docent multi loci quibus de ſe agit. 1. Cor. 4. 4. *Nullius mihi conſcius, ſed in hoc non ſum juſtificatus.* 1. Cor. 9. 26. 27. *Ego igitur ita curro, ut non in incertum, ſic pugilem ago, ut non aërem cedens: ſed contundo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne quomodo, quum aliis prædicarim, ipſe reprobus fiam.* 1. Cor. 11 verſ. 1. *Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti.* 2. Cor. 4. 18. *Non ſpectamus ea quæ cernuntur, ſed ea quæ non cernuntur; nam quæ cernuntur temporaria ſunt, at quæ non cernuntur æterna.* 2. Cor. 6. v. 3. & ſequentibus. *Nullam ulla in re præbentes offenſionem, ne vituperetur miniſterium.* &c. Gal. 2. 10. 20. *Ego per legem legi mortuus ſum, ut Deo viverem. Vna cum Chriſto crucifixus ſum. Vivo autem non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus, & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem Filii Dei.* Gal. 6. v. 14. *A me vero abſit gloriari niſi in cruce Chriſti, per quem mundus mihi crucifixus eſt & ego mundo,* &c. & multis aliis locis idem conſtat. Quum igitur iſta interpretatio loco non conveniat, non poteſt per illam ſententiam hæc a duplici iſto objecto crimine excuſari. Quare perſto in eadem accuſatione & dico.

Senten-

Argumentum ex iis quæ ſuperius dicta ſunt contra ſententiam vulgo obtinentem, in ſyllogiſmi formam redactum.

Sententia quæ regenito tribuit, quod plærunque malum quod non vult, faciat, bonum vero quod vult plærunque omittat, eſt gratia regenerationis injuria, & bonis moribus noxia. At ſententia quæ locum Apoſtoli. 7 Cap. de regenito explicat tribuit homini regenito iſta. Ergo iſta ſententia eſt gratia regenerationis injuria, & bonis moribus noxia.

Majoris lux tanta eſt ut non egeat illuſtratione aut comprobatione. Minor eſt in textu. Nam homini de quo agit Apoſtolus, ut commonſtratum eſt, tribuitur quod plærunque malum faciat & bonum omittat. Sequitur ergo concluſio. Apparet ergo me hoc objectamentum non per calumniam impegiſſe adverſariæ mihi ſententiæ, & ſancte affirmare poſſum me Deo juramentum de non calumniando jam ante præſtitiſſe, quam calamum in manus ſumerem. Quare etſi falſum eſſet objectamentum, per inſcitiam non per malitiam mihi excidiſſet.

Alia objectio pro vulgata interpretatione, eaque bimembris.

Verum enimvero excipiet quis theſin ſemel poſitam mordicus cuſtodire & retinere volens: Eſto ut illa quæ Apoſtolus iſti homini tribuit iſtam explicationem deſiderent, eſto etiam interpretatio ab aliis allata loco inconveniens; nihil tamen incommodatur bonis moribus, nihilque noxæ gratiæ adfertur per iſtam ſententiam, modo tota ſimul, ut par eſt, excipiatur, & una pars ab altera non ſeparetur. Poſito hoc, quod interpretatio iſta licet loco diſconveniens, ſcripturis tamen reliquis & analogiæ fidei ſit conſentanea. Volo illud (de poſteriore hoc deinde videbimus) ne nimis rigidus ſim, concedere. Fateor enim

Reſponſio ad primum membrum.

Auguſtini ſententiam quæ de concupiſcentiæ tantum actu & motu locum interpretatur, nihil neque gratię neque bonis moribus injuriæ aut detrimenti inferre, etiamſi de homine regenito locum explicet. Sed dico non eſſe in manu noſtra impedire, ubi impreſſum & inculcatum eſt mentibus auditorum vel lectorum, hic de homine regenito agi, ne illi reliqua, quæ iſti homini tribuuntur non iſto modo ſumant quo ſumenda ſunt, textui nempe & ſcopo Apoſtoli convenienter: & qualiter ſumuntur quum de homine ſub peccato & ſub lege exiſtente explicantur: præſertim hoc ſuadente affectu, & ad idem impellente concupiſcentia carnis: quemadmodum jam antea reipſa factum narravi: & certe non ſine culpa ipſius ſententiæ, etiamſi tota ſimul accipiatur. Non enim hoc tantum dicitur illa ſententia, quod regeniti interdum peccent, quod nunquam dum hic vivunt perfecte bonum faciant & malum omittant: ſed illud etiam additur, quod regenitorum proprium ſit non pleno voluntatis conſenſu peccare, inter peccandum velle non peccare, quandoquidem irregeniti pleno voluntatis conſenſu peccant, & abſque ullo voluntatis reniſu. Ex eo concludunt, qui ſe hoc loco excuſare volunt, dum peccant, inter peccandum voluntatis aliquam ſentiunt reſiſtentiam & conſcientiæ morſum, ſe non pleno voluntatis conſenſu peccare, & propterea hoc ipſum quoque quod ita peccant, ſignum eſſe regenerationis ſuæ. Quæ concluſio & gratiæ eſt injuria, & bonis moribus inimica. Gratiæ injuria, quia ponit illud eſſe regenerationis ſignum quod regenitis cum irregenitis nempe, ſub lege exiſtentibus eſt cõmune.

Inimica bonis moribus, quia nec tantopere vitatur peccatum ab eo qui ita exiſtimat, neque perpetratum magnopere contriſtat auctorem, utpote qui ex modo facti adhuc concludat ſe regenitum eſſe.

Reſponſio ad ſecundum membrum.

Sed conſideremus an illa, quæ allata ſunt ad ſententiam illam a duplici iſto crimine liberandam, reliquis Scripturis & analogiæ fidei conformia ſint, nec ne. Fateor quidem eſſe veriſſimum quod regeniti, dum in hoc mortali corpore vitam agunt, neque perfecte bonum faciant, aut malum omittant: Sed addo, eoſdem nunquam dum hic ſunt bonum perfecte velle, aut malum perfecte odiſſe. Fateor itidem regenitorum etiam optimos in multis offendere, aliquando & actu peccare, faciendo malum & omittendo bonum: nam regeniti non ſemper agunt ex regenerationis principio. Sed nego illos cum peccant nolentes peccare, etiamſi faciant renitente mente & conſcientia. Nam utut, dum lucta & certamen erat inter mentem & carnem, nollent malum ad quod caro incitabat, & vellent bonum à quo dehortabatur: tamen ad factum ipſum non progrediuntur niſi lucta finita, & mente ſeu conſcientia devicta, & voluntate carni conſenſum præbente, licet conſenſus ille non ſit citra conſcientiæ aculeum & morſum. Deinde nego, ex iſta oppoſitione mentis concludi poſſe, quod regenitus ſit qui ita peccat. Nam, ut jam ſæpe docuimus, & irregenitorum multis convenit renitente mente & conſcientia peccare: quin & ante docuimus, illam reſiſtentiam, quæ proxime peccati perpetrationem anteceſſit, non eſſe à Spiritu Sancto regenerante & inhabitante, ſed à mente de legis juſtitia & æquitate convicta. Durat enim illius conſcientiæ vita, & ex vita actus & motus, Spiritu Sancto vel extincto, vel ita contriſtato, ut motum & actum ad peccati impedimentum nullum adhibeat. Notum in homine animam quæ vegetativa eſt, prima & poſtrema vitæ munia obire, ceſſante jam, ut in phreneticis & maniacis, rationali, & ſenſitiva, ut in lethargicis. Velim hæc diligenter conſiderari, magnopere enim homini conducunt ad ſerium & certum de ſeipſo ſumendum examen, & regenerationis ſtatum recte cognoſcendum, & a ſtatu ante legem, & potiſſimum ſub lege diligenter interſtinguendum.

Regeniti non peccant non peccare volentes.

Non omnem reniſum interiorem contra peccatum eſſe ſignum quod quis regeneratus ſit.

Inſtantia.

Inſtabit tamen quis, & dicet excuſandæ aut defendendæ illius ſententiæ gratia, negari non poſſe quin regeniti velint plus boni quam faciant, & plus mali faciant quam velint.

Reſponſio.

Reſpondeo, hoc recte intellectum concedi poſſe. Eſt enim ambiguum. Nam pot:ſt hoc velle & nolle de completa aut de incompleta volitione & nolitione intelligi, ut Thomæ verbis utar, licet paulum diverſo ſenſu. Completam voluntatem appello quæ fertur in objectum particulare & particulariter conſideratum, approbans vel improbans illud ex præſcripto ultimi judicii rationis de eodem facti. Incompletam voluntatem appello, quę fertur in objectum idem ſed generaliter conſideratum, approbans vel improbans illud ex prę-ſcripto non ultimi judicii rationis de eodem facti. Et illa quidem completa ſimpliciter volitio & nolitio dici poteſt. Hæc vero incompleta deſiderii & optationis vocibus aliter exprimitur, & velleitas potius quam volun-

De voluntate completa & incompleta.

voluntas dicenda. Iam dico vere dici non poſſe regenitum plus velle boni completa voluntate quam præſtet, niſi neceſſitate aut vi quadam majore impediatur citra ſuam ipſius culpam, aut plus facere mali quam velit facere. Non enim coactus facit. Mercator merces in mare projiciens ut naufragium evadet, volens id facit, ſecutus hoc ultimum judicium rationis; præſtare merces ſuas perire quam ſe una cum mercibus. Sic David voluit completa volitione (non dico plena) congreſſum Bethſabeæ. Petrus volens completa volitione abnegabat Chriſtum. Si vero de incompleta voluntate intelligatur, tum concedo dici poſſe, quod regeniti vellent plus boni præſtare quam reipſa exequuntur, plus mali omittere quam omittunt. At hoc non eſt regenitorum proprium. Convenit enim hoc omnibus qui ita ſunt ſub lege, ut lex omnibus ſuis muneribus defuncta ſit in iſtis, omniaque in eis effecerit, Spiritu eam uſurpante, quæ per illam effici poſſunt & ſolent. Vellent quidem tum regeniti tum illi qui ſub lege ſunt, peccati adhuc in ipſis exiſtentis vel dominantis tantam vim & efficaciam non eſſe, cuperentque per concupiſcentiam & tentationem peccati ad mala non ſollicitari, non impelli, imo vellent & non concupiſcere: ſed actus ipſos malos, ad quos ſollicitantur à peccato vel inexiſtente vel inhabitante & dominante, non præſtant, niſi intercedente voluntatis conſenſu ab iſta peccati tentatione impetrato. Concupiſcentia enim peccatum non parit, niſi conceperit, concipit autem ex voluntatis conſenſu tanquam ex marito. Quamdiu autem voluntas ſuſpenſa hæret, in neutram partem inclinans, tamdiu nullus producitur actus. Quemadmodum in juſta bilance videmus, eius neutra pars ſurſum aut deorſum vergit, anteaquam in alteram partem ponderis facta ſit acceſſio, deprimens eandem & oppoſitam attollens. Omnis motus quiete tanquam fundamento nititur. Sic voluntas non movet in peccati partem niſi acquieſcens illius tentationi. Hæc planiſſima ſunt, & ipſa experientia condoceſieri poſſunt, ſi modo quis accurate ſeipſum omneſque ſuæ voluntatis motus penſitet. At hoc officium plærique fugimus, objici enim nequit citra animi ægritudinem, quam nemo ſibi lubens adfert. Vt vero peccatum conſenſum plenum à voluntate hominis, de juſtitia & injuſtitia actuum generatim edocti impetret, anteaquam homo ille dedoluerit, nullo modo eſt veriſimile. Quare in iſto diſcrimen regeniti & irregeniti, quum uterque peccat, ponendum non eſt. Pariter enim peccati tentationi in particulari iſto facto ſuccumbunt, ex eodem depravatæ naturæ principio ambo peccant, una eademq; utrobique eſt reſiſtentia cum peccatum perpetratur, a mente nempe & conſcientia de juſtitia vel injuſtitia facti convicta. Si enim ſpiritus eſſet illa reſiſtentia, peccatum tum ipſo actu non perpetraretur. An ergo nullum diſcrimen eſt regenitorum & irregenitorum quum peccant? Vt hoc non negem, dico ex Scripturis planis id diſcrimen eſſe proferendum: ſecus periculoſe admodum ſe fallet, qui aliam judicii normam ſequetur.

Regeniti completa voluntate non plus boni velle quam faciant nec plus mali facere quam volunt.

Examen ſui ipſius omnium quæ voluntatis motuum ſerio inſtituendum.

CONCLVSIO.

Tres habet loci interpretationes. Singularum examinatio & collatio.

COnferamus jam breviter tres illas expoſitiones huius loci, Auguſtini inquam poſteriorem, tum eiuſdem priorem, quæ & mea eſt & multorum, ut commonſtravi, primitivæ Eccleſiæ Doctorum, & nonnullorum etiam ex noſtris; denique illorum qui Auguſtino in eo aſſentiuntur, quod de regenito explicent, in eo vero ab eo diſſentiunt, quod bonum & malum non de concupiſcentiæ actu, ſed de malo & bono actuali interpretantur.

Primam quæ eſt Auguſt. poſterior, quæ de homine ſub gratia locum interpretatur, incommoda habere varia.

Auguſtinus ut locum iſtum de regenito homine & ſub gratia conſtituto interpretari poſſet, quod putabat ſibi adverſus Pelagianos diſputanti conducere, coactus eſt vim inferre Apoſtolicæ phraſi; & multa contra expreſſam Apoſtoli mentem & ſenſum interpretari.

Primum in ſenſu vocis carnalis.

Nam carnalem interpretatus eſt pro eo qui adhuc carnem mortalem circumgeſtat, qui nondum carne ſpiritalis eſt factus, & qui adhuc carnis concupiſcentias in ſe habet & ſentit. At de priore ſenſu hic nullo modo agitur, eſt igitur hoc præter propoſitum: Et peto ut Auguſtinus mihi commonitret locum in Scriptura ubi carnales dicuntur regeniti, & quidem propterea quod carnis adhuc concupiſcentias in ſe habent. Si Spiritales dicantur à Scriptura, quia ſpiritu actiones carnis mortificent, & poſt concupiſcentias carnis non eant, ſed ſecundum ſpiritum ambulent, tum ſane carnales dici nequeunt ob id quod illas concupiſcentias adhuc habeant. Dici poſſunt non perfecte ſpiritales, ob præſentiam concupiſcentiarum peccati, ſed carnales nequeunt, quia dominum illis eſt ademptum.

Item phraſin venundatus ſub Peccatum.

Simili modo torquere debet alterum attributum ***venundatus ſub peccatum***; quum illa phraſis proprie ſignificet qui mancipium peccati eſt, & peccato ſervit, ſive volens abſque conſcientiæ reſiſtentia, ſive contra mentem & euſque nolens. Non licet nobis diſtinctiunculas fingere, & ſecundum illas quaſdam voces attribuere perſonis, Scripturis iſto ſenſu non uſitatas, & perſonis iſtis a Scriptura tribui inſuetas.

Secundam in explicatione mali quod facere, boni quod ſe omittere Apoſtolus dicit.

Deinde ***malum*** quod facere ſe dicit Apoſtolus, interpretatur ***concupiſcere***, ***bonum*** quod omittere, non ***concupiſcere***. Abſurde & contorte.

Primo, quia κατεργάζομαι, πράσσειν, ποιεῖν non poſſunt ſignificare idem quod concupiſco: ſaltem Scriptura nullibi, quod ſciam, concupiſcere iſtis vocibus explicuit. Et Auguſtinus ipſe in definitione peccati diſtinguens inter iſta dicit, peccatum eſſe omne dictum, factum, concupitum adverſus legem Dei.

Bucerus in 7. cap. ad Roman. dicit fol. 396. « facere quidam in his pro concupiſcere accipiunt, ſed ſic non loquitur Paulus. Factum ipſum intelligit quod impulſu concupiſcentiæ fit contra id quod lex dictat, & mens legi conſentiens approbat. Eſt quidem concupitio actio concupiſcentiæ interna in animo concupiſcente: at voces iſtæ non internum actum concupiſcendi, ſed externum concupita faciendi proprie hic declarant. »

Secundo, *Peccatum dicitur illud malum facere & per mali perpetrationem ipſum*

ipſum hominem occidere. Non occidit autem peccatum per concupiſcentiam. Sic loquitur Iacobus cap. 1. verſ. 15. *Deinde cupiditas parit peccatum ubi concepit, peccatum vero per actum gignit mortem.* Sed occidit per peccatum actuale. Sic Apoſtolus hoc ipſo capite v. 5. *Quum eſſemus in carne affectus peccatorum qui per legem vigebant vel operabantur in membris noſtris ad fructificandum morti.* Loquor non ſecundum legis rigorem, ſed ſecundum gratiam Euangelii in Ieſu Chriſto.

Tertio, Malum & bonum, quorum hoc omittere, illud vero facere ſe dicit, ita opponuntur, ut malum ſit quod lege prohibitiva eſt prohibitum, quæ ſolet per negationem proponi, bonum vero ſit quod lege præceptiva eſt mandatum, quæ ſolet per affirmationem proponi. Contra illam legem peccatur commiſſione, contra hanc omiſſione, unde peccatum commiſſionis & omiſſionis appellatur. Illa *lex* ſi præſtatur *malum omitti* dicitur, huic ſi obediatur, bonum præſtari dicitur. Iā vero concupiſcere & non concupiſcere ita non opponuntur. Nam utut *concupiſcere* ſit lege prohibitiva prohibitū, *non concupiſcere* tamen non eſt lege præceptiva maudatum, neque poteſt mandari lege præceptiva; conſtat enim ipſum non concupiſcere negatione ſeu facti omiſſione, & omiſſione peccatur contra legem præceptivam. At concupiſcentiæ omiſſione contra legem poſitivam non peccatur, ſed prohibitiva impletur; obedientiaque, quæ conſiſtit in non concupiſcendo, bonum non præſtatur, ſed malum omittitur. Vt abſurditas iſta verbulo ſignificari poſſit, ita invertimus, quod Apoſtolus dicit: Bonum quod volo facio, id eſt, non concupiſco, & malum quod nolo non facio, id eſt, non concupiſco. Nam volo non concupiſcere; & non concupiſco; nolo concupiſcere, & non concupiſco. Ergo *idem actus* hic eſt boni præſtatio & mali omiſſio. Abſurdum. Et actus boni præſtatio dicitur, quod eſt actus mali omiſſio. Æque abſurdum. Vbi tuum acumen Auguſtine? ſit venia dicto. Bonus enim Philoſophus non ſemper eſt Philoſophus, & quādoq; bonus dormitat Homerus.

Quarto imperite dicitur nolo concupiſcere & volo non concupiſcere, quia concupitio actualis prior eſt volitione & nolitione, neque pendet actus concupiſcentiæ ex arbitrio voluntatis, quemadmodum vulgo & vere dicitur, primos motus non eſſe in noſtra poteſtate, niſi ab actu aliquo voluntatis occaſionentur, ut loquuntur Scholaſtici. Sed dicendum eſt, vellem non concupiſcere, hoc eſt, vellem immunis eſſe ab impulſu concupiſcentiæ: & illud eſt deſiderii, non tendentis in noſtri actus præſtationem vel omiſſionem, ſed alienum actum flagitantis ad noſtri liberationem ab illo malo, quod ad actum malum impellit, & a bono actu impedit; hunc probantes & improbantes illum.

Tertio coactus eſt id quod Apoſtolus dicit, *at bonum operari non invenio*, interpretari bonum perficere, id eſt, perfecte facere non invenio, ut patet ex locis, quos ex Auguſtino citavimus. Quæ interpretatio eſt abſurda, contorta, & ſententiæ auctoris contradictoria. Nam primo vox κατεργάζεσθαι non ſignificat perficere, hoc eſt perfectè facere, ſed operari, facere, efficere, perficere ut vox *Tertium in explicatione vocis operor.*

iſta plærunque uſurpatur, non pro perfecte facere, ſed effectum reddere. Patet quod dico ex ipſo textu. Nam eadem vox uſurpatur quum dicit Apoſtolus; *quod enim perpetro non agnoſco*; non tamen perfecte facit malum quod improbat. Item, *nunc itaque non amplius ego id perpetro, ſed peccatum quod in me habitat*. At peccatum non perpetrat malum in iſto homine perfecte, præſertim ſi regenitus eſt, ut Auguſtinus ſentit. Et ipſe contrarium dicit aperte, ut patet ex locis ſupra quarta parte citatis.

Secundo Synonyma illius verbi hic uſurpata, nempe *πράσσειν καὶ ποιεῖν* idem evincunt. Dicit enim Apoſtolus ſe *agere & facere malum quod non vult*, neque tamen perfecte agit malum illud; patet ex eo, quod addit, quod nolo: ergo non pleno voluntatis conſenſu illud facit; hoc enim Auguſtinus fatetur cum de regenitis locum explicat: non autem pleno voluntatis conſenſu facere, eſt non perfecte facere.

Tertio. *Bonum quod vult Apoſtolus at non perficit*, eſt non concupiſcere, juxta Auguſtinum. At quomodo hoc bonum quidem facit Apoſtolus, at non perficit? Eſt ergo duplex ſtatuenda concupiſcentiæ omiſſio; una imperfecta, quæ voce faciendi, altera perfecta, quæ perficiendi vocabulo appellatur: Dicit Apoſtolus ex Auguſtini ſenſu, volo non concupiſcere, & hoc bonum facio quidem, ſed non perficio. Unde patet abſurditas quam dixi.

Quarto. Huius hominis voluntati plus tribuitur boni, quam potentiæ & viribus ſeu efficaciæ eiuſdem; At voluntati illius perfecta volitio boni non tribuitur, neque tribui poteſt; Ergo eius potentiæ & efficacitati non poteſt tantum perfecta boni præſtatio adimi; adimitur ergo illi etiam imperfecta boni præſtatio, hoc eſt, negatur de eo non tantum quod bonum perficiat, ſed etiam quod faciat. Quare non de perfectione, hoc eſt, perfecta boni præſtatione locus eſt intelligendus.

Quarto *Peccatum inhabitans* interpretari coactus eſt pro inexiſtente tantum, & diſtinguere contra peccatum regnans & dominium exercens in hominem; quum phraſis inhabitandi, ut ſuo loco monſtravimus, dominium notet, & plenam ſupremamque poteſtatem inhabitantis. Apparet autem peccatum dominari in iſto homine: perpetrat enim peccatum in homine iſto id quod ipſe non vult, & captivum trahit hominem ſub ſuam poteſtatem.

Quartum in explicatione peccati inhabitantis.

Quinto, Legem mentis debuit interpretari legem ſpiritus, contradicente contrarietate quæ eſt inter attributum quod legi mentis, & quod legi ſpiritus attribuitur. Nam lex mentis dicitur v. 23. cap. 7. ſuperari in conflictu a lege membrorum, unde homo captivatur a lege peccati; & lex ſpiritus dicitur cap. 8. v. 2. *Liberare hominem à lege peccati & mortis*, hoc eſt, fortior eſſe & ſuperior in conflictu contra legem membrorum eaque victa & ſuperata hominem ex captivitate, in quam vi legis membrorum erat pertractus liberare.

Quintum in explicatione legis mentis.

Sextò, *Captivitatem ſub lege peccati* cogitur torquere ad ſtatum noſtrum primævum in Adamo, ex quo corrupti & ſub peccati & Sathanæ captivitate ſumus nati; quum hic de illa non agatur, ſed de alia quæ ex illa producitur, lege ſcilicet membrorum, quam ex Adamo traximus, contra *legem* mentis pugnante, eamque ſuper-

Sextum in explicando captivitatem hominum ſub lege peccati.

ſuperante, & hominem ſuo actu captivante ſub lege peccati. Illam enim ex Adamo habemus originaliter, hanc nobis ipſi ſuper inducimus noſtro actu Et licet de illo ſtatu ſermo eſſet, tamen propterea quod regeniti remiſſionem peccatorum acccepe-runt, & ſpiritu gratiæ Chriſti ſunt donati, captivi ſub peccato dici nequirent. Licet enim fomes extinctus non ſit, tamen vis dominandi & ſibi nos ſubjiciendi illi eſt adempta vi *regenerationis.*

Septimum in detorſione Exclamationis votivæ.

Septimo, Exclamationem votivam ad aliud deſiderium torquere cogitur quam de quo hic agitur, & cui gratiarum actio non reſpondet. Agitur enim hic de deſiderio quo poſtulat liberari à dominio peccati, quod vocat corpus mortis: & ille interpretari cogitur de deſiderio quo cupit liberari ex hoc mortali corpore, quo facto ſimul à peccati concupiſcentia liber erit. Gratiarum actio perperam ſubjicitur deſiderio votivo ante voti fruitionem. At hoc hic fit juxta Auguſtini interpretationem.

VIII.
In adſignanda homini regenito duplici ſervitute.

Octavo, Denique cogitur homini regenito duplicem ſervitutem aſſignare, unam qua Deo, alteram qua peccato ſervit, contra expreſſum Chriſti dictum: *Nemo poteſt duobus Dominis ſimul ſervire.* Quod diverſo reſpectu & ſecundum diverſas ſui partes homo Deo & peccato ſervire dicitur, non purgat ab objecta labe ſententiam. Primo, quia Scriptura illam diſtinctionem neſcit cum de regenitis loquitur; proferatur locus. Secundo, quia & ſi caro repugnet Spiritui ſeu menti concupiſcendo, tamen propter ſolam repugnantiam dici nequit homo carne ſervire peccato ſeu legi peccati. Hæc enim

Item, in interpretatione

Auguſtino ſunt eadem. Mentem etiam cogitur pro parte hominis regenita, ſeu pro homine qua regenitus eſt uſurpare, citra Scripturam & phraſin Scripturæ uſitatam, ut ante in 1. capite explicuimus.

mentis pro Spiritu.

Incommoda hæc ſufficere ad rejiciendã hanc primam interpretationem.

Hæ mihi juſtiſſimæ videntur cauſæ ſententiam Auguſtini repudiandi, & hic ab Auguſtino dormiente ad Auguſtinum vigilantem appellandi: quem non dubito etiam deſtitutum fuiſſe ab hac ſecunda ſua ſententia, ſi argumenta iſta conſideraſſet, præſertim ubi totius loci explicationem ita commodam vidiſſet, quę in nullo à Pelagianis torqueri ad ipſorum dogma probandum potuiſſet.

Secundam, qua eſt modernorum, & de homine ſub gratia latum quoque explicat, præter quædam cum priore communia, & peculiaria habere incommoda.

Noſtri vero, præterquam quod in nonnulla, quæ Auguſtini ſententiæ impegimus, incurrunt, nempe, quod carnalem eſſe & venundatum ſub peccato ſecus coguntur interpretari quam ſenſus Apoſtoli ferat; quod inhabitans peccatum inexiſtens dicunt, diſtinguentes id a dominante; quod legem mentis legem Spiritus ſignificare dicunt; quod exclamationem prave explicant; denique quod ſervitutem duplicem homini regenito tribuunt; etiam ipſi in nonnulla *peculiaria* ſua interpretatione incidunt, nec ſenſui *Apoſtolico* hoc loco, neque reliquis Scripturis conſentanea.

1. Quod id quod ad continuum hujus hominis ſtatũ pertinet, aliquando tantũ illi accidere dicat.

Primo enim, quod ex ſenſu Apoſtolico ad continuum illius hominis ſtatum pertinet, coguntur interpetari ac ſi aliquando id homini iſti accideret, contra expreſſam phraſin Apoſtoli dicentes. *bonum quod volo non facio; & malum quod nolo facio;* quæ phraſis huic ſenſui, quo aliquando quis malum facere dicitur & bonum omittere, nullo modo eſt conſentanea, ut ante commonſtravimus.

2. Quod non facio bonum

Secundo, Quod *non facio bonum*

 inter-

perperam explicet.

interpretari coguntur, non facio bonum ea perfectione qua debeo, ſeu non facio tantum boni quantum volo facere, neutrum ſenſui Apoſtolico convenienter, ut etiã antea vidimus.

III Quod regenitos nolentes peccare dicat.

Tertio, Quod regeneratos dum peccant actu, in ipſo actu peccandi nolentes peccare dicunt, contra omnem Scripturam, & ipſius actualis peccati naturam; quod ſi voluntarium non eſt, peccatum eſſe deſinit.

IV. Quod contradicentia de hoc homine prædicet.

Quarto, Quod contradicentia de hoc homine dicere compelluntur. Adimunt enim peccato inexiſtenti dominium in iſtum hominem, & tamen inhabitationem illi tribuunt, & tantam vim & efficaciam, ut ipſum contra voluntatem hominis perpetret in illo malum, eumque captivum reddat legi peccati: effecta ſane certiſſima peccati regnantis & dominium exercentis.

V. Quod quæ Scriptura ſimpliciter regenitis tribuit, cum reſtrictione de iis prædicet.

Quinto denique, quod multa loca Scripturæ quæ regenitis tribuunt bonum velle, lege Dei delectari, & ſimilia, coguntur interpretari per particulam reſtrictivam, ſecundum interiorem hominem, quum illa talia ſimpliciter illi homini à reliqua Scriptura tribuantur, propterea quod illa talia in homine regenito prædominentur. At non opus eſt omnia hic repetere, quæ jam antea adverſus illam ſententiã dicta & probata ſunt.

Illa vero ſententia quam ego explicui plana eſt & perſpicua, non coacta quippiam Apoſtolicæ phraſi affingere, aut in ulla alia Scripturæ loca impingere. Quod vel unico intuitu videre poteſt qui oculos ſuos in hæc duo conjiciet: quod ille homo de quo hic agitur ſub dominio peccati conſtitutus eſſe dicitur, & ſub lege, hoc eſt, in quo lex officio ſuo integro ſit defuncta. Qua enim ſub dominio peccati poſitus eſt, recte & citra ullam torſionem hæc dicuntur de eo, nempe quod carnalis ſit, *venundatus ſub peccatum; facere quod non vult, omittere quod vult, peccatum in ipſo habitare, non habitare in carne ejus bonum non adſequi ut quod bonum eſt faciat: Non facere bonum, facere malum; malum ipſi adjacere; Legem membrorum belligerare cum lege mentis, eamque vincere, & hominem captivum reddere ſub lege peccati, quam habet in membris ſuis, implicatum & conſtrictum teneri à corpore mortis hujus.* i. à corpore peccati, *carne legi peccati ſervire.* Qua vero ſub lege conſtitutus eſſe dicitur, recte & citra ullam torſionem in eum hæc ſequentia competunt. *Non agnoſcere* i. approbare *quod perpetrat; velle quod non facit: nolle quod facit, conſentire legi* Dei *quod bona ſit: non amplius perpetrare malum, habere in mente ſua bonum inhabitans, velle bonum quod non facit, nolle malum quod facit: condelectari legi* Dei *ſecundum interiorem hominem; lege mentis belligerare contra legem membrorum; deſiderare liberationem; Mente ſervire legi* Dei. Imo illa juncta, ut in Apoſtolico textu junctim poſita ſunt, nulli alteri homini convenire poſſunt, quam illi qua ſub lege eſt & ſimul ſub dominio peccati conſtitutus. Tantum autem abeſt, ut illi duo reſpectus cadere ſimul in unum hominem nequeant, ut ille qui ſub lege eſt neceſſario peccati dominium patiatur, lege, ſcilicet, exiſtente impotentiore quam ut peccatorem à peccati tyrannide exſolvere & liberare queat. Quod Apoſtolus hoc toto capite ex profeſſo tractat, & commonſtrat in perſona illius hominis, qui omnium excellentiſſimo modo ſub lege ſit poſitus, hoc eſt in quo lex non aliquod tantum ſuum munus expleverat, illud enim propoſito

Doctrina, quæ eſt Auguſtini patris, nec non & Arminii, quæque de homine ſub lege locum intelligit, plana & perſpicua eſſe, ex phraſi Apoſtolica, nec aliis Scripturis diſſonantem: hoc ipſum vel indicat etiam. Quod hic homo ſimul & ſub lege, & ſub Dominio peccati conſtitutus dicatur.

ſito

ſito non ſerviebat, ſed in quo omnibus ſuis muniis & actibus defuncta erat; hoc enim poſtulabat cauſæ, quam Apoſtolus tractabat neceſſitas. Nam legis impotentia doceri non poterat exemplo eius, qui non omnia in ſe haberet, quæ per legem effici ſolent. Semper enim objicere potuiſſent Iudæi, nonnullos alios per legis vim & efficaciam ulterius progreſſos eſſe. Hoc ſi juxta alia multa diligenter conſideretur, multum poterit ad perſuadendum, quod iſte præſens locus de homine ſub lege exiſtente ſit intelligendus. Et ego omnino mihi perſuadeo, ſi hæc talia in mentem veniſſent noſtris interpretibus, quum illum locum explicarent, omnino ita interpretaturos fuiſſe: Illa enim fuit illorum pietas & eruditio, ut ſecus mihi perſuadere non poſſim. At ſæpe evenit ut metus incidendi in errorem aut hæreſin, ſi locus aliquis ſecus, quam receptum eſt, explicetur, impediat, quominus locum diligentius inſpicere audeant, qui iſto metu ſunt correpti, & conſiderare annon & iſto modo qui hæreſi dicitur favere commodè & convenientèr analogiæ fidei explicari poſſit. Exiſtimo etiam multos interpretationem meam rejicere, qui nunquam cogitarunt, quomodo nobis homo ille, quem ego hic deſcribo, à ſcriptura definiatur. Quod ſi diligenter eſſent conati cognoſcere proculdubio inveniſſent iſta omnia commodiſſime de homine ſub lege exiſtente explicari poſſe. Addo, quod reipſa expertus ſum, multos eſſe qui non tantum non ſatis diligenter conſiderarunt, ſed ne quidem ſtudium conſiderandi adhibuerunt, quid hæc nomina proprie ſignificent, & quomodo inter ſe accurate diſtinguenda ſint; Nempe, *Naturalis homo, Carnalis homo, Externus homo, Vetus homo, Animalis homo, Terrenus homo, Mundanus homo*; item *Spiritualis homo, Cæleſtis homo, Internus homo, Novus homo, Illuminatus homo, Regenitus homo, &c.* Et quid inter actiones & opera *Spiritus lege utentis, Euangelium uſurpantis; præparantis ſibi domicilium, inhabitantis in ſuo templo: illuminantis, regenerantis, obſignantis: ad Chriſtum adducentis, cum Chriſto unientis, Chriſti beneficia communicantis, operantis, cooperantis, excitantis, adjuvantis, aſſiſtentis, confirmantis: habitus infundentis, actus bonos producentis*, accurate & prout decet diſtinguere ſtudio non habuerunt. Quæ omnia talia mihi eſſe videntur, ut ſiquis ſolidam rerum, quæ hic Apoſtolo tractantur, explicationem ſine his moliatur, tantundem mihi facere videatur, atq; ſi ſine lapidibus & calce eximium ædificium conſtruere conetur.

Hæc ego piis & doctis viris, eximiis Chriſti ſervis, dilectis in Chriſto fratribus & ſymmyſtis in opere Domini, obſervantia mihi debita colendis, ſyncera mente & candido animo offero, legenda, cognoſcenda, judicanda, probanda, improbanda unice ab iis & obnixe in nomine communis Salvatoris noſtri flagitans, ut me, ſi quid vel contra analogiam fidei, vel contra mentem & ſenſum Apoſtoli ſcripſiſſe comperérint, fraterne moveant, doceant, inſtruant: invenient, teſtor coram Deo, monitis, doctrinæ, inſtitutioni, non modo patulas & patientes aures præbiturum, ſed & obſecundaturum. Proteſtor etiam me impræſentiarum ſi quæ talia mihi exciderunt (nam ex parte cognoſcimus omnes) *illa non ſcripta, non dicta æſtimare. Si vero viderint eadem & reliquis Scripturis conſentanea, & Apoſtolicæ menti conformia eſſe; tum liceat mihi ab iiſdem petere &*

Clauditur tractatus adhortatione Symmyſtarum qua Auctor illis eum examinandum offert cum obteſtatione graviſſima, ut ſi erraverit fraterne moneant, ſin Scripturis & Apoſtolico ſenſui conſentanea dixerit, veritati commonſtratæ locum dent.

flagitare, ut veritati commonſtratæ locum concedant in Eccleſia Chriſti, quæ veritatis eſt columna & firmamentum. Spondeo non eſſe quod metuant, ne turbæ, lites, diſſidia, aut occaſiones tantorum malorum in Eccleſia Chriſti exoriantur ex collatione iſta. Agent cum eo, qui novit ex parte diſtinguere inter dogmata ſimpliciter neneſſaria & fundamentalia, & ea quæ parem neceſſitatem non habent, & fundamento ſuperſtruuntur; qui poſt neceſſariam veritatem paci Eccleſiarum omnia tribuenda cenſet; qui ferre poteſt à ſe diſſentientes in charitate Chriſti, modo ne illi dominari alienæ fidei attentent; qui neque ſua neque aliena, mutuæ collationis ergo ad ſe miſſa feſtinabundus in publicum proferre avet, ſed clauſa tenere novit, & in nonum annum premere ſciens, juxta proverbium antiquum, *diem unum alterius eſſe diſcipulum, poſteriores meditationes eſſe accuratiores & ſapientiores, ſeneſcere nos quotidie multa addiſcentes:* agent denique cum eo qui errare poteſt, hæreticus eſſe non poteſt, certe non vult. Sunt enim huiuſmodi amicæ, fraternæ & placidæ collationes inter eiuſdem fidei & religionis profeſſores inſtitutæ, non utiles modo, ſed & neceſſariæ Chriſti Eccleſiis, ad veritatem porro inveſtigandam, inventam firmiter retinendam & contra adverſarios fortiter defendendam. Ex hiſce veritatem invenire licet, utpote non vincendi, non theſeos ſemel conceptæ & ſuſceptæ defendendæ ſtudio, ſuſceptis. Ex illis autem non tam collationibus Chriſtianis, quam vehementibus, acribus, infeſtis concertationibus, quas agitari videmus à diverſæ religionis & profeſſionis aſſeclis & propugnatoribus, plærunque exiſtit quod vulgato proverbio dicitur, *veritas altercando amittitur.* Quod mirum non eſt, cum ipſa altercandi ratio & modus declarent frequenter, totum negotium citra *ſpiritum veritatis, charitatis, & pacis initio ſuſceptum eſſe & porro promoveri, tandemque,* quod neceſſe eſt, *ad triſtem & Eccleſiis Chriſti lamentabilem cataſtrophen perduci.* Nec temere ſibi quis perſuadeat, *doctrinam Eccleſiæ,* dum iſta *in hac terra deget, & inſcios infirmos, & malos* in medio ſui habebit, tam recte habituram, ut veritatis ulteriore ex Scripturis, qui fons eſt ſapientiæ inexhauſtus, indagatione non indigeat, dogmatum ex Scriptura exſtructorum examine carere poſſit, & opus non habeat adverſus veteres novo modo interpolatas, novaſque hęreſes quotidie inſurgentes magis magiſque vi & pondere ſolidorum argumentorum confirmari & defendi. Non eſt *arrogantiæ* ſtudium illud ſuſcipere, ſed *vera & ſolida in Deum pietatis,* quæ jubet & præſcribit, ut, quandoquidem *Evangelii adminiſtratio nobis eſt concredita, dona Dei in nobis exſuſcitemus, talenta divinitus conceſſa augere ſtudeamus,* & in *pura conſcientia & timore Domini* ſacroſancto hoc miniſterio perfungamur, ad nominis ipſius ſanctificationem, Eccleſiæ Chriſti exædificationem, & regni Sathanici & Antichriſtiani demolitionem & exſtirpationem: Quod nobis concedere dignetur Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, per & propter Filium ſuum unigenitum, in vi & efficacia Spiritus ſui ſancti. Amen.

FINIS.

IACOBI
ARMINII
S. S. Theol. Doctoris eximij,

EPISTOLA

Ad Hypolytum à Collibus, illuſtriſſimi Principis Palatini FRIDERICI quarti ad Ordines fœderatos Belgii Legatum, ſcripta:

Nec non

Articuli diligenti examine perpendendi, eo quod inter ipſos Reformatæ Religionis Profeſſores de iis aliqua incidit controverſia.

In quibus

Suam de præcipuis doctrinæ Chriſtianæ capitibus ſententiam plenius declarat.

Ampliſſimo, Nobiliſsimo viro, D. Hippolyto à collibus Illuſtriſſim. Principis Palatini ad Ordines fœderatos Belgii Legato, ſalutem & bene agere P.

AMPLISSIME Vir, Nobiliſſime Domine, Quum nuper ad Colloquium tuum admiſſo benevole exponeres, quæ de ἑτεροδοξίᾳ mea in nonnullis Fidei noſtræ Articulis Heydelbergæ ſparſa intellexeras, non hoc ſolum fini, ut ipſe coram veritatem rei cognoſceres, ſed multo magis ut operæ tuæ interventu ſiniſtrius de me conceptæ ſuſpiciones aliorum animis eximerentur, ſiquidem id veritas poſtularit: ſedulo & ſerio hoc conabar, ut ad ſingula, quæ T. D. proponebat, aperte reſpondendo ſententiam meam modo ſuper iſtis capitibus patefacerem. Præterquam enim quod ex officio hominis Chriſtiani, maxime Theologi, idipſum facere tenebar, exigebat hoc jure meritiſſimo tanta æquanimitas & benevolentia erga me uſurpata. Fuit autem, quod Divinæ erga me benignitati acceptum fero, eouſque grata T. A. mea explicatio, ut conſultum arbitrata ſit eadem ſcripto à me conſignari & ad ſe tranſmitti: tum ut certius ipſe & firmius de re, maturè penſitata, judicare poſſes, tum ut cum aliis communicata calumniam confutarent, & innocentiam meam tuerentur. Hoc ego, tuæ prudentiæ conſilium ſecutus & eadem ſpe fretus, jam hiſce literis ago, quas rogo ut A. T. eadem æquanimitate legere dignetur, qua coram loquentem audivit: inveniet in iis, niſi me animus vehementer fallit, quod omnem de me ſuſpicionem ſiniſtram non modo obliterare ſed prorſus eradicare poſſit, animis illorum, qui ſciunt quemque optimum ſuæ ſententiæ interpretem eſſe, & cuique de ſua mente ſanctè coram Deo teſtanti, fidem maximè adhibendam eſſe. Capita de quibus Amp. T. quærebat, hæc fuere, quantum mihi memoria ſuppeditat: de Filii Dei divinitate, de Providentia, de Prædeſtinatione divina, de gratia & libero arbitrio, denique de juſtificatione: præter iſta quæ ſententias noſtras ad interrogata DD Ordinum de modo habendæ Synodi concernebant: quæ poſtrema, quia reverendum & Clariſſimum Virum Ioannem Wtenbogardum Hagæ comitanæ Eccleſiæ adminiſtrum æquè ac me tangunt, illi explicanda relinquo, qui tuæ Amp. propior eſt. De Capitibus iſtis doctrinæ omnibus fidenter dico, me nunquam quicquam vel in Eccleſia

ſolita, aliter explicui. Sed ex illis omnibus nulla. Veriſimilitudine quippiam deduci poſſe, quod ſanæ & orthodoxæ fidei ſit adverſum. facili momento ex ipſis V. & N. Teſtamenti libris, ex tota antiquitate, & ſententia priſca tum Latinæ tum Græcæ Eccleſiæ, quin & noſtris Doctoribus condocefacere poſſum. Hanc poſtremam occaſionem fruſtra arripi docuit D. Pareus in defenſione Calvini contra Calvinum Judaizantem Hunnij: ille me ab huius operæ neceſſitate liberavit. In prima confutanda, ut laborem ſumam operæ pretium non eſt: qui norunt Patrem in Filio Mundum ſibi reconciliaſſe, & reconciliationis verbum per ſpiritum adminiſtrari, illi ſciunt in diſpenſatione ſalutis, Ordinem eſſe conſiderandum inter Perſonas Trinitatis, & attributa non eſſe confundenda, niſi in hæreſin Patripaſſioniſtarum incidere velint. De ſecunda occaſione, quæ Vocem αὐτόθεον concernit, laborioſior paulo eſt ſuſcipienda reſponſio, propterea quod non pauci ſunt, qui ſecus arbitrantur: quos tamen de Trinitate non male ſentire judicat Eccleſia noſtra. Illi ſic ſtatuunt, propterea quod una ſit eſſentia Patris & Filij, eaque à nullo originem habeat, Filium illius reſpectu recte αὐτόθεον, id eſt, à ſe Deum appellari. At reſpondeo, eſſentiam Filij à nullo eſſe, vel à ſe, non idem eſſe, quod Filium à ſe vel a nullo eſſe. Filius enim non eſt eſſentia proprie & formaliter loquendo, ſed habens eſſentiam certo ὑπάρξεως modo. Regerunt, Filium dupliciter conſiderari, qua Filius, & qua Deus: qua Filius eſt, eſſe à Patre & à Patre eſſentiam habere, qua vero Deus eſt, habere eſſentiam à ſe vel à nullo (quod rectius dicitur. A ſe enim habere implicat Contradictionem.) Reſpondeo me iſtam diſtinctionem quidem admittere, ſed ulterius illam extendi quam fas ſit. Nam qua Deus eſt, habet eſſentiam divinam, qua Filius eſt, habet illam à Patre, hoc eſt. Voce Dei ſignificatur generatim, id quod eſſentiam Divinam habet citra certum ſubſiſtendi modum: at voce Filii ſignificatur certus modus habendi, nempe per communicationem à Patre, id eſt, per generationem. Conſiderentur hæc bis terna inter ſe συςοίχως oppoſita, Deitatem habere, Deitatem habere à Patre, Deitatem habere à nullo. & Deum eſſe, Filium eſſe, Patrem eſſe. & conſtabit hæc inter ſe mutuo ſic ſibi reſpondere Deitatem habere & Deum eſſe. Deitatem habere à Patre, & Filium eſſe. Deitatem habere à nullo, & Patrem eſſe, conſentanea eſſe, quamquam voce Patris ut affirmativo, non id ſignificetur quod eſſentiam habet à nullo: id enim voce Ingeniti Patri tributa ſignificatur quamquam nec ſtricte. ſed tantum non habere eſſentiam per modum generationis. At Patris vox idipſum concludit vi ſua, quum

 neceſſe

neceſſe ſit, ubi ordo eſt, ab aliquo primo initium fieri. ſecus erit confuſio in infinitum procedens: qui autem primus eſt in ordine ſecundum originem; ille à nullo habet originẽ qui ſecundus eſt, ille originem habet à primo, qui tertius, ille habet originem à primo & ſecundo. vel à primo per ſecundum, ſecus collateralitas eſſet, quæ tot faceret Deos, quot ponerẽtur collaterales perſonæ; quum unitas Deitatis in Trinitate per ſolam rationem originis & ordinis ſecundum originem defendatur adverſus Antitrinitarios. Sed ut conſtet, quid antiquitas de hac re ſenſerit, nonnulla loca ex Patribus tum Græcis tum Latinis huic rei accommoda adducam. Baſilius Magnus. Nos juxta habitum cauſarum ad ea quæ ex ipſis ſunt Filio Patrem præpoſitum eſſe dicimus. *Ibidem.* Quoniam à Patre principium eſt Filio, juxta hoc major eſt Pater, velut cauſa & principium. Quapropter & Dominus dixit: Pater major me eſt, eo quod Pater eſt videlicet. Patris autem vox quid aliud ſignificat, quam cauſam & principium eius qui ex ipſo genitus eſt. *Idem.* Pater eſt radix & fons Filii & Spiritus Sanct. *Ibidem.* Quum dixero unam eſſentiam, non duos ex uno diviſos intelligo, ſed ex principio Patris Filium ſubſiſtentem, non Patrem & Filium ex una Eſſentia ſuperiore. Non enim Fratres dicimus, ſed Patrem & Filium confitemur. Eſſentia autem idemtitas eſt, quoniam ex Patre Filius eſt, non præcepto factus, ſed ex natura genitus, non diviſus à Patre, ſed manente perfecto, perfecte relucens. Ne autem ex his quæ dicimus criminari poſſitis; Duos deos prædicat, multitudinem Deorum annuntiat. Non duo ſunt Dii, neque enim duo Patres. Qui duo principia introducit, duos Deos prædicat. *Idem.* Via cognitionis Dei eſt, ab uno ſpiritu per unum Filium ad unum Patrem. Et vice verſa, naturalis bonitas, & naturalis ſanctificatio, & regia dignitas, ex Patre per Filium unigenitum ad Spiritum tranſit. Sic & Perſonas confitemur, & pium Monarchiæ dogma non labefactatur *Nazianzenus.* Ipſum eſſe commune & æquale eſt Filio cum Patre, licet alioqui hoc à Patre Filius habeat. *Ibidem.* Idem ut ſeipſo majus ſit ſibique ipſi æquale, qui fieri poſſit? Nonne ergo perſpicuum eſt, Majoris vocem (ſcilicet quæ Patri tribuitur reſpectu Filii) ad cauſam, Æqualis autem (quæ Filio tribuitur ad Patrem) ad naturam referendam eſſe. *& paulo poſt.* Quod ratione humanitatis Pater Filio major intelligendus ſit vere quidem dici poteſt, ſed non perinde honorificè: Quid enim mirum Deum Homine majorem eſſe. *Ambroſius.* Quamvis Christus nos redemerit,

Everſionis lib. 1.

Sermone adverſus Stabellianos & Arium.

De Spiritu Sancto cap. 18.

Sermone 4. de Theologia.

In 5. Cap. 2. Corint.

merit, Omnia tamen ex Deo, quia ab ipſo eſt omnis paternitas: ideo que neceſſe eſt præferri perſonam Patris. *Videatur idem in 15. cap. 1. ad Corinthios.* *Auguſtinus.* Si gignens ad id quod gignitur principium eſt, Pater ad Filium principium eſt, quia gignit eum. *Idem.* Non dixit, Quem mittet Pater à me, quemadmodum dixit, Quem ego mittam à Patre. Videlicet oſtendens quod totius Deitatis principium eſt Pater. *Idem.* Illud ideo dictum eſt de Patre, Ipſe facit opera, quod ab illo ſit etiam origo operum, à quo eſt exiſtentia cooperantium Perſonarum, quia & Filius de illo natus eſt, & Spiritus Sanctus principaliter de illo procedit, de quo natus eſt Filius, & cum quo illi communis eſt idem Spiritus. *Idem.* Deus quidem Pater non de alio Deo Deus eſt; Deus autem Filius de Patre Deo Deus eſt. Sed tantus iſte de illo, quantus ille de nullo. *Hilarius.* Deo, ex quo omnia ſunt Deus nullus eſt, qui ſine initio æternus eſt. Filio autem Deus Pater eſt, ex eo enim Deus natus eſt. *Alibi.* Veræ Fidei profeſſio eſt, ita Deum ex Deo natum, ut lumen ex lumine, quod ſine detrimento ſuo naturam ſuam præſtat ex ſeſe, ut det quod habet, & quod dederit habeat, &c. *Ex hiſce locis apparet ſecundum ſententiam priſcæ Eccleſiæ, Filium etiam, qua Deus eſt, ex Patre eſſe, utpote qui Deitatem ſuam, ſecundum quam Deus dicitur, à Patre naſcendo acceperit: quamquam nomen Dei modum iſtum ὑπάρξεως non indicet. Deinde Patrem propterea quod principium ſit Filii & Spiritus Sancti, totius Deitatis principium dici, non quidem quod Deus principium habeat, ſed quod illa à Patre Filio & Spiritui ſit communicata. Tantum abeſt ut recte dicatur, Filium Dei, qua Deus eſt à nullo eſſe, & ratione eſſentiæ ſuæ à ſe vel à nullo eſſe: Ratione enim eſſentiæ à Patre eſt, qui à Patre eſſentiam naſcendo accepit. Exiſtimo igitur eos, qui cum orthodoxa antiquitate ſentire & loqui volunt, ab iſtis loquendi modis abſtinendum eſſe: quia & Tritheitarum & Sabellianorum contrariis hæreſibus videntur patrocinari. Videatur* Theodorus Beza *Præfatione ad Dialogos Athanaſii de Trinitate,* Calvinum *excuſans, quod duarum vocularum, Filius eſt per ſe, & Filius eſt à ſe, diſcrimen, non ita ſolicite obſervaverit. Siquis hic præterea quidpiam a me deſideret, non detrecto placidam ſive ſcripto ſive ſermone collationem. Pergo ad alia in quibus brevior ero. De providentia Dei ſentio: illam omnibus rebus adeſſe & præeſſe, eiuſque gubernationi, conſervationi, directioni, omnia ſecundum eſſentias, quantitates, qualitates, relationes, actiones, paſſiones, loca, tempora, ſitus,*

Lib. 5. de Trinit. cap. 14.

Lib. 4. de Trinitat. cap. 10.

Tom. 10. fol. 11. Col. 1.

Contra Maximinum lib. 3. cap. 23. Col. 2.

Lib. 4. f. 60

Lib. 6. fol. 87.

2. De providentia Dei.

 habitus,

habitus, ſubeſſe. Non excipio ſingularia, non ſublunaria, non vilia, non contingentia, non liberas voluntates hominum vel Angelorum, bonorum vel malorum. Et quod amplius eſt, ne ipſa quidem peccata, providentiæ divinæ gubernationi adimo, ſive eorum initium, ſive progreſſum ſive finem conſideremus, circa initium peccati hoſce actus providentiæ Dei tribuo. primo, permiſſionem, eamque non otioſam. ſed quæ quatuor poſitivos actus junctos habet. 1. conſervationem creaturæ ſecundum eſſentiam, vitam, potentiam. 2 curam ne major potentia vel æqualis opponatur. 3. objecti, in quod peccatum admittetur, oblationem. 4. deſtinatam concurſus ſui, quæ propter ſecundæ cauſæ à prima dependentiam neceſſarius eſt, conceſſionem. Secundo argumentorum & occaſionum ad peccatum patrandum ſolicitantium adminiſtrationem. Tertio, loci, temporis, modi & ſimilium circumſtantiarum determinationem Quarto concurſum ipſum Dei immediatum ad actum peccati. Circa Peccati progreſſum tribuo Divinæ gubernationi etiam quatuor actus. Primus eſt, directio peccati jam incepti in certum objectum, quod creatura peccans vel non petivit vel non præciſè petivit. Secundus eſt directio peccati in finem, quem ipſe Deus vult, ſive creatura illum intendat ſive non intendat, imo vero alium & prorſus contrarium intendat. Tertius eſt temporis præſcriptio & determinatio, quamdiu velit ſeu permittat durare peccatum. Quartus eſt magnitudinis definitio, quâ modus ponitur peccato ne excreſcat & vires majores ſumat. Hoſque omnes actus tum circa principium tum circa progreſſum peccati conſidero, ratione ipſius actus & ἀνομίας diſtincte, quod neceſſarium & utile eſſe judico. Denique circa finem & complementum peccati tribuo providentiæ divinæ, vel punitionem ex ſeveritate, vel remiſſionem ex gratia, quæ circa peccatum verſantur, qua peccatum eſt & legis tranſgreſſio. Duo autem ſollicite caveo offendicula, ne Deus peccati author ſtatuatur, & ne voluntati humanæ ſua libertas auferatur, quæ duo ſi quis vitare noverit, nullam ille excogitabit actionem, quam non libentiſſimus patiar providentiæ Dei adſcribi, modo juſtè habeatur excellentiæ divinæ ratio. Hanc autem meam ſententiam repetitis de eadem materia theſibus publice diſputatis explicavi planiſſimè, unde & merito mirari me dico. unde mihi calumnia iſta, quod de providentia Dei pravè ſentio, adſparſa ſit.

Adamus an neceſſario peccarit.

Si ſuſpicari liceat, puto ex eo natam, quod negavi, Adamum reſpectu decreti divini neceſſario peccaſſe: quod ipſum adhuc conſtanter nego. & puto tolerandum non eſſe niſi vox neceſſario, quod a nonnullis fit, pro infallibiliter accipiatur. Quamquam enim iſta permutatio

vocabu-

vocabulorum etymo non conveniat, neceſſitas enim eſt affectus entis, infallibilitas vero mentis: tamen facile fero illam, modo incommoda illa, quæ ante dixi, fideliter caveantur. Prædeſtinationis articulum quod attinet, de eo ſic ſentio, illam eſſe decretum Dei æternum & gratioſum in Chriſto, quo ſtatuit fideles juſtificare, adoptare & vita æterna donare: infideles vero & impœnitentes condemnare: quemadmodum theſibus publicè de eadem re diſputatis explicui, in quibus nemo quidpiam reprehendit; tanquam falſum: tantum id a nonnullis judicatum fuit, non omnia continere quæ ad decretum illud pertinent; imo vero prædeſtinationem, de qua hodiè maximè controvertitur, theſibus iſtis non tractari. quod equidem fateor. viſum enim mihi fuit de prædeſtinationis decreto agere, quod eſt fundamentum Chriſtianiſmi, ſalutis noſtræ & certitudinis de ſalute, de quo Apoſtolus agit cap 8. & 9. ad Romanos & 1. ad Epheſios. At tale decretum non eſt illud, quo Deus ſtatuit ſingulares aliquas perſonas ſalvare, & quo id faciat, fide donare: alios vero condemnare & fide non donare: quam dicunt multi eſſe illam prædeſtinationem, de qua dictis ſcripturæ locis agitur quod ego nego. concedo eſſe aliquod decretum Dei æternum, ſecundum quod media ad fidem & ſalutem neceſſaria adminiſtrat; idque prout novit juſtitiam, hoc eſt miſericordiam & ſeveritatem ſuam decere; ſed de eo nihil amplius ſcire neceſſarium arbitror, quam fidem eſſe purum putum donum gratioſæ miſericordiæ Dei; incredulitatem vero partim culpæ & malitiæ hominum, partim juſtæ Dei vindictæ peccatores deſerentes, excæcantes, obdurantes eſſe tribuendam. Cæterum de prædeſtinatione illa, qua Deus ſingulares perſonas aliquas ſalvare & fide donare, alias vero damnare & fide non donare decrevit, tam varie ſentitur etiam à noſtræ Profeſſionis doctoribus, ut ipſa diverſitas ſententiarum facile declaret quam difficulter de ipſa quidpiam ſtatui poſſit. Alii objectum Prædeſtinationis generatim conſideratæ, id eſt Electionis & Reprobationis ſtatuunt hominem peccatorem lapſum in Adamo. alii ſtatuunt hominem conſideratum ut conditum, & in puris naturalibus conſtitutum. Alii ut condendum, vel ut nonnulli ut ſalvabilem, damnabilem, creabilem, labilem. Alii ſtatuunt objectum Electionis & Reprobationis, quam non Electionem & Præteritionem appellant, hominem communiter & abſolutè, Reprobationis vero quam prædamnationem & affirmativam reprobationem appellant, hominem peccatorem, & reum in Adamo. Denique alii putant objectum communiter prorſus conſiderandum eſſe, hominem condendum, conditum, lapſum. Novi, quum iſta diverſitas objicitur, 3. De Prędeſtinatione.

objici-

objicitur, reſpondèri in ſumma rei eſſe conſenſionem, quamquam diſcrimen aliquod ſit in circumſtantiis. Sed ego commonſtrare poſſem, ſententias iſtas in multis ad rem ipſam; & ſubſtantiam Prædeſtinationis iſtius facientibus diſſidere, conſenſionem vero non eſſe niſi in animis ſic ſententium paratis ferre eouſque diſſentientes: qui conſenſionis modus in Eccleſia Chriſti maxime eſt neceſſarius: utpote citra quem pax omnino ſervari nequeat. utinam ego etiam tam benevolos illorum animos erga me & meam ſententiam experiri poſſim: qui nihil definio, in ea quam tractavi Prædeſtinatione, quod non omnibus æquè probatum ſit; tantum in eo differo, quod nullam illarum ſententiarum ſecura conſcientia aſſeveranter profiteri audeo. Cujus etiam mea conſcientiæ rationem reddere paratus ſum, ubi id neceſſitas poſtulabit, & commode fieri poterit.

4. De gratia & libero arbitrio. *De gratia & libero arbitrio ſic doceo ſecundum ſcripturas & conſenſum orthodoxum. Hoc ſine illa nullum verum & ſpirituale bonum incipere aut perficere poſſe. Gratiam, & quidem quæ Chriſti eſt & ad Regenerationem pertinet (ne cum* Pelagio *ludere dicar in voce gratiæ) dico neceſſariam eſſe ſimpliciter & abſolutè, ad mentis illuminationem, affectuum ordinationem, & voluntatis ad bonum inclinationem. illa eſt, quæ operatur in mentem, in affectum, in voluntatem: quæ menti infundit bonas cogitationes, affectui inſpirat bona deſideria, voluntatem flectit, ad exequendum bonas cogitationes & deſideria bona. Hæc prævenit, comitatur, ſubſequitur. Hæc excitat, adjuvat, operatur ut velimus, & cooperatur ne fruſtra velimus. Hæc tentationes avertit, in tentationibus adſiſtit & opitulatur, contra carnem, mundum, & Sathanam ſuſtinet, in lucta victoria potiri concedit: victos & lapſos reſuſcitat, ſtabilit & novis viribus inſtruit, cautioreſque reddit. Hæc ſalutem inchoat, hæc promovet, hæc perficit & conſummat. Fateor mentem Hominis animalis & carnalis eſſe obſcuratam, affectus pravos & inordinatos, voluntatem immorigeram, hominemque in peccatis eſſe mortuum: Et addo illum doctorem mihi maxime probari, qui gratiæ quam plurimum tribuit: modo ſic cauſam gratiæ agat, ne juſtitiæ Dei noxam inferat, & ne liberum arbitrium ad malum tollat. Quid amplius à me deſiderari poſſit non video. Monſtretur, & aſſentiar, vel aſſentiri non debere commonſtrabo. Neque hic igitur videre poſſum, quo jure mihi calumnia impacta ſit, quum Theſibus de libero arbitrio diſputatis hanc meam ſententiam ſatis dilucide explicuerim. Poſtremum caput eſt de juſtificatione, de qua hæc mea eſt ſententia: fidem eamque ſolam, quamquam*

5. De juſtificatione.

ſola

ſola ſine operibus non eſt, ad juſtitiam imputari. hac ſola nos coram Deo juſtificari, abſolvi à peccatis, & juſtos cenſeri, pronunciari, declarari à Deo, de gratiæ tribunali ſententiam ferente. Quæſtionem de juſtitia activa & paſſiva, ſive mortis & vitæ Chriſti non ingredior, ambulo in latitudine; Chriſtum dico mihi factum eſſe à Deo juſtitiam. factum pro me peccatum, ut ego per fidem ſim juſtitia Dei in illo. Nec tamen detrecto ſuper ex ipſa quæſtione cum fratribus conferre, modo fiat citra acerbitatem, citra opinionem neceſſitatis, ex qua vix fieri poteſt, quin animorum exiſtat diſtractio, & exacerbatio, potiſſimum ſi inter fervidos & zeli vehementiores incidat diſputatio. Hoc autem culpant nonnulli, quod ipſum fidei actum, id eſt τὸ credere dico imputari in juſtitiam, idque proprio ſenſu, non metonymice: fateor ſanè præeunte mihi Apoſtolo cap. 4. Epiſtolæ ad Rom. & ſæpius iſtam phraſin uſurpante. At quod inde concludunt, nempe ſic Chriſtum, eiuſque juſtitiam à juſtificatione noſtra excludi, eamque dignitati Fidei noſtræ tribui, minimè concedo deduci ex mea ſententia poſſe. Vox enim imputandi ſignificat fidem non eſſe ipſam juſtitiam, ſed gratioſe pro juſtitia haberi; quo ipſo dignitas omnis à fide aufertur, niſi quæ eſt per gratioſam dignationem Dei. Gratioſa autem illa dignatio & æſtimatio non eſt extra Chriſtum, ſed reſpectu Chriſti, in Chriſto, & propter Chriſtum: quem conſtituit Deus placamentum per fidem in ſanguine ipſius. Dico igitur fidem imputari nobis in juſtitiam, propter Chriſtum & juſtitiam eius: in qua enunciatione fides eſt objectum imputationis, Chriſtus vero & obedientia eius cauſa juſtificationis impetratoria ſeu meritoria, qui Chriſtus cum obedientia ſua objectum eſt fidei noſtræ, at non objectum juſtificationis ſeu imputationis divinæ, quaſi Deus Chriſtum eiuſque juſtitiam nobis imputet in juſtitiam, quod fieri nequit, quum obedientia Chriſti ſit ipſiſſima juſtitia ſecundum ſe veriſſimum rigorem legis ſumpta. Non nego autem Chriſti obedientiam nobis imputari id eſt pro nobis & noſtro bono præſtitam cenſeri, quia hoc ipſum, quod Deus noſtro bono & pro nobis juſtitiam Chriſti præſtitam eſſe cenſet, cauſa eſt, cur Deus fidem noſtram, quæ Chriſtum, eiuſque juſtitiam habet pro objecto & fundamento, nobis in juſtitiam imputet, noſque fide ex fide, per fidem juſtificet. Si quis mihi in hac ſententia mea errorem monſtraverit, lubens agnoſcam, errare enim poſſum, hæreticus eſſe nolo. Et hæc quidem ſunt capita, quorum à T. Ampl. mentionem factam eſſe memini, cum meis ad illam explicationibus ex animi ſinceritate prolatis, quales etiam illas haberi velim ab omnibus, qui illas videbunt.

bunt.

bunt. Utinam à fratribus meis, eiuſdem religionis profeſſione mecum in Domino ſociatis hoc impetrare poſſim, ut ſaltem aliqua conſcientia Dei me tangi credant, quod ſane charitas Chriſti facile ab iis obtinere debet, ſiquidem eius ingenium & indolem meditari velint. Quæ mihi utilitas poteſt exiſtere ex diſſenſione mera animi libidine ſuſcepta, ex Schiſmate in Eccleſia Chriſti, cuius me membrum ex gratia Dei & Chriſti profiteor, ſuſcitato. Si per ambitionem aut avaritiam me eo incitari exiſtiment, ſyncere dico in Domino, non noverunt me. Ab hac ita me immunem profiteri poſſum, ut me nunquam eius illecebris titillari contigerit, quamquam aliquo prætextu illam excuſare aut palliare poſſem. Illam non habeo, niſi honeſtam, horſum me impellentem, ut veritatem divinam omni molimine inquiram ex Scripturis Sanctis, inventam placide & citra contentionem proferam, abſque eo ne ulli præſcribam, aut conſenſum extorquere laborem, multo minus ut alienæ fidei dominari velim, & eo fini ut etiam ipſe aliquas Chriſti animas lucrifaciam, & bonus ipſi odor ſim, & probum nomen in Eccleſia Sanctorum. Quod ipſum me ipſius gratia poſt longi temporis patientiam impetraturum ſpero: quamquam jam opprobrium ſim fratribus meis, περικάθαρμα καὶ περίψημα iis, qui unum Deum Patrem, & unum Dominum Chriſtum, in uno Spiritu, eadem fide mecum colunt & invocant, ſpemque unam mecum habent hæreditatis cæleſtis, per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti obtinendæ. Dabit mihi Dominus ſpero (& utinam mihi ſanctus & felix ille dies illuceſcat) ut in nomine Domini placide inter nos conveniamus, & collationem Chriſtianam de rebus ad religionem pertinentibus inſtituamus: in qua ſpondeo per gratiam Dei me illam animi moderationem & amorem erga veritatem & pacem demonſtraturum, qui à Chriſti ſervo merito poſtulari & exſpectari debeat. Quieſcant interea Fratres mei, & me quietum ſinant, ut ego quieſco, & nullum illis negotium aut moleſtiam faceſſo: ſi ſecus de me exiſtiment, inſtituant actionem; non defugiam authoritatem judicis competentis, non deſeram vadimonium. Si animos eorum qui me audiunt, eminus per calliditatem præoccupari putant, ſicque rem per aſtutiam adminiſtrari, ut neque conſultum putent coram judicio me convenire, neque ſatis tutum arbitrentur ſtudioſum juventutem mihi committi, ideoque nigram, quam meritus ſim, notam nomini meo adſpargendam, ut illi abſterreantur, quod ni fiat colloquii dilationem certum periculum adlaturam, ecce offero me ut una cum ipſis compellem, ſolicitem, ſupplicem eos, quos penes poteſtas eſt conventus huiuſmodi indicendi, vel concedendi, ne diu-

tius

tinus nos in iſto angore & inquietudine animi verſari patiantur, ſed præproperum remedium vel ipſi adferant vel adferri patiantur ſuo tamen ſcitu & ductu. Nulli ego conventui me ſiſtere detrectabo, ſive omnium noſtri Belgii fœderati miniſtrorum, ſive nonnullorum & ſingulis provinciis convocandorum, ſive etiam omnium Hollandiæ & Weſt-Friſiæ (ad quam provinciam Academia noſtra Leydenſis pertinet) ſive nonnullorum ex iis conſcribendorum, modo tota res ſub conſcientia legitimi noſtri Magiſtratus peragatur, imo vero neque præſentiam virorum doctorum ex aliis locis advocandorum defugio, aut reformido, modo æquis conditionibus, & iiſdem quibus ego ſubeſſe debebo legibus, collationi interfuturi ſint. Verbo dicam. Agatur conventus, multorum, paucorum, modo aliqua ſpes affulgeat ſucceſſus, ſpes inquam, quam ego refutare firmis argumentis non potero, ecce me paratum & promtum, hoc ipſo die, hac ipſa hora: tædet enim & piget quotidie calumniarum adſpargi novis quiſquiliis, & neceſſitate onerari abſtergendi. Hac ſanè parte hæreticorum ſum diſſimilis, qui aut conventus Eccleſiaſticos refugerunt, aut hoc effecerunt, ut aſſeclarum numero fidere, & certam victoriam exſpectare poſſent. Sed finio Satis enim diu Vir Ampliſſime & Nobiliſſime Domine tuas aures detinui, & tempora tua gravioribus negotiis impendenda, moratus ſum. Ignoſcat T. A. ſcriptionis libertati, quam nonnulla mihi neceſſitas expreſſit, & mihi, quantum veritas divina & Chriſtianæ Eccleſiæ pax & concordia permittent, patrocinium ſuum præſtare non dedignetur. Deum Opt. Max. oro & veneror, ut T. A. diu incolumem ſervet, Spiritu prudentiæ magis magiſq; inſtruat, quo legationem injunctam & illuſtriſſimi Electoris Palatini *vota obire, eaque feliciter obita ad ſuos remeare concedat pius, benignus. Lugduni Batavorum 5. Aprilis* Anno 1600.

T. Ampl. ſtudioſiſſimus IACOBVS ARMINIVS
Theologiæ in Academia Leydenſi Profeſſor.

Superſcriptio.

*Ampliſſimo & Nobiliſſimo Viro D. Hippolyto à Collibus
Illuſtriſſimi Principis Palatini ad Ordines
fœderatæ Belgicæ Legato.*

s'Graven-Hage.

Arti-

Articuli nonnulli diligenti examine perpendendi, eo quod inter ipſos Reformatæ Religionis Profeſſores de iis aliqua incidit controverſia: illi autem partim aſſeverantur vel negati, vel affirmati ſunt, partim dubitanter vel affirmati vel negati, quod & certis indiciis ſignificatum ſingulis articulis additis.

DE SCRIPTVRA, ET TRADITIONIBVS HVMANIS.

I.

NOrmam veritatis Theologicæ non eſſe duplicem, aliam primariam, aliam ſecundariam, ſed unam & ſimplicem S. Scripturam.

II. Scripturam eſſe normam omnis veritatis Divinæ, ex ſe, in ſe, per ſe, & perperam dici, normam eſſe quidem, ſed intellectam ſecundum ſenſum confeſſionum Belgicarum Eccleſiarum, vel *Heydelbergenſis* Catechiſmi explicatam.

III. Nullum ſcriptum ab hominibus, vel uno, vel paucis, vel multis conſcriptum (præter iſtam ſcripturam) eſſe *αὐτοπιστὸν* vel *ἀξιοπιστὸν*, ideoque nec examini, per ſcripturas faciendo, exemtum.

IV. Perperam dici, quod Confeſſio, vel Catechiſmus in dubium vocentur, quum examini ſubjiciuntur: eum nunquam extra dubitationis aleam poſitæ fuerint, vel poni poſſint.

V. Tyrannicum & Pontificium eſſe, conſcientias hominum ſcriptis humanis alligare, & impedire quo minus legitimo examini ſubmittantur, quocumque prætextu idipſum fiat.

DE DEO SECVNDVM Naturam conſiderato.

I.

DEum eſſe bonum naturali & interna neceſſitate, non libere: quæ vox inſulſe explicatur per incoactè & non ſerviliter.

II. Deum futura præſcire ex infinitate eſſentiæ, & ſupereminente perfectione intellectus, & præſcientiæ ſuæ, non qua voluit aut decrevit ut illa neceſſario fiant, quanquam non

non præſciret niſi futura eſſent, & ſi futura non eſſent niſi Deus decreviſſet illa vel efficere vel permittere.

III. Deum amare juſtitiam, & creaturas, magis tamen juſtitiam quam creaturas: unde duo ſequuntur.

IV. Primum, Deum creaturam non odiſſe, niſi propter peccatum.

V. Secundum, Deum nullam creaturam præciſe ad vitam æternam amare, niſi conſideratam ut juſtam, ſive juſtitia Legali, ſive Euangelica.

VI. Voluntas Dei & recte, & utiliter in Antecedentem, & conſequentem diſtinguitur.

VII. Diſtinctio voluntatis Dei in beneplaciti & ſigni rigidum examen ferre non poteſt.

VIII. Iuſtitia punitiva, & miſericordia neque ſunt, neque poſſunt eſſe cauſæ προηγούμεναι moventes, aut finales primi decreti, aut primi operis illius.

IX. Deus in ſeipſo, & perfectionis ſuæ notitia beatus eſt. Nullius ergo rei indigus eſt, neque eget ullius ſuæ proprietatis per opera externa demonſtratione: quod ipſum tamen ſi faciat, conſtat ex eo puræ & liberæ voluntatis eſſe, quanquam ordinem quendam ſecundum varios bonitatis egreſſus, ſapientiæque & juſtitiæ præſcriptum obſervari, in declaratione iſta oporteat.

DE DEO SECVNDVM relationem inter perſonas conſiderato.

I.

Filium Dei neque à Patribus Deum à ſe dictum eſſe, & periculoſe id dici. Proprie enim ſignificat Filium eſſentiam Divinam non habere ab alio: per catachreſin vero eſſentiam quam habet Filius, non eſſe ab alio, quia mutatur ratio ſubjecti, Filius enim & eſſentia Divina ratione differunt.

II. Eſſentia divina Filio eſt à Patre communicata, idque proprie & verè. * Quare perperam dicitur eſſentiam divinam proprie quidem dici communem eſſe Filio & Patri, at improprie dici eſſe communicatam: non eſt enim communis niſi qua eſt communicata. ** Trelcat lib. 2. Inſt. fol. 18.*

III. Filium Dei recte dici αὐτόθεον, quà illa vox accipitur pro eo, quod eſt ipſe Deus, vere Deus: at vero male iſto nomine appellari, quatenus ſignificat eſſentiam non habere communicatam a Patre, habere tamen communem cum Patre.

IV. Ambiguè dicitur, Filium quoad eſſentiam eſſe a ſeipſo, & propterea periculoſe. Neque tollitur ambiguitas, ſi dicatur, Filium quo ad eſſentiam abſolutam, ſive abſolute conſideratam eſſe a ſeipſo. Accedit quod iſta loquendi genera & nova ſunt & ἀδολεσχίαν habent.

V. Perſonæ Divinæ non ſunt τρόποι ὑπάρξεως ſeu modi eſſendi vel exiſtendi, vel modi eſſentiæ Divinæ. Sunt enim res cum modo eſſendi, vel exiſtendi.

VI. Perſonæ Divinæ diſtinguntur diſtinctione reali, non rei gradu ac modo.

VII. Perſona eſt ipſum individuum ſubſiſtens, non proprietas characteriſtica, neque principium individuans, quanquam illud individuum non ſit, neque ſit perſona ſine proprietate characteriſtica, ſeu principio individuante.

VII. Annon ſit utile Trinitatem conſiderari, tum ut in ipſa natura ſecundum coëſſentialem relationem perſonarum Divinarum exiſtit: tum ut in œconomia ſalutis a Deo Patre in Chriſto per Spiritum Sanctum peragenda eſt patefacta. Et annon illa conſideratio ad religionem univerſe, eamque quæ Adamo ſecundum Legem præſcripta eſt pertineat. Hæc vero ad Euangelium Ieſu Chriſti proprie, non tamen excluſa illa, quam dixi univerſe ad omnem religionem pertinere. Ergo etiam ad Chriſtianam.

DE DECRETIS DEI.

I.

DEcreta Dei ſunt actiones Dei ad extra, quanquam internæ & propterea a libera Dei voluntate factæ, citra ullam neceſſitatem abſolutam. Videtur tamen Decretum unum alterius requirere poſitionem, propter æquitatis quandam condecentiam, ut Decretum de condenda creatura rationali: decretum de eadem ſalvanda, vel damnanda ſub conditione obedientiæ vel inobedientiæ. Poteſt etiam actus creaturæ a Deo ab æterno conſideratus aliquando occaſio, aliquando etiam cauſa eſſe προκαταρκτικὴ decreti alicuius faciendi, eouſque ut ſine illo actu neque decretum fieret, neque fieri potuiſſet.

II. An actus creaturæ Deo neceſſitatem poſſit imponere decreti alicuius faciendi, & quidem talis decreti & non alterius: idque non modo ſecundum actum aliquem peragendum circa creaturam & actum illius, ſed etiam ſecundum certum modum quo ille actus perficiendus eſt.

III. Vna eademque eſt numero volitio, qua Deus aliquid decernit & ſtatuit facere vel permittere, & qua idipſum quod decrevit, facit vel permittit.

IV. De uno eodemque & uniformiter conſiderato objecto non poſſunt eſſe duo Dei decreta, ſeu duæ volitiones, vel reipſa, vel ſecundum ſpeciem ullam contrariæ: ut velle hominem ſub conditione ſalvare, & tamen præciſe & abſolute condemnare.

V. Decretum nullam rei vel eventui alicui per ſe neceſſitatem ponere. Si autem aliqua eſt ex decreto Dei naceſſitas, illa exiſtit per interventum potentiæ Divinæ, & quidem quando Dei viſum eſt potentia irreſiſtibili uti ad efficiendum quod decrevit.

VI. Non recte ergo, Voluntas Dei eſt rerum neceſſitas.

VII. Neque bene dictum, Omnia evenire neceſſario reſpectu Decreti Divini.

VIII. Tot diſtincta Dei Decreta a nobis concipiuntur, & neceſſario ſunt concipienda, quot ſunt objecta, circa quæ Deus decernendo verſatur: aut quot axiomata, quibus decreta enunciantur.

IX. Quamvis decreta Dei omnia ab æterno facta ſunt, ordo tamen quidam prioris & poſterioris, ſecundum illorum naturam & mutuum inter ipſa reſpectum eſt ponendus.

DE PRÆDESTINATIONE ad ſalutem, & damnatione, in ſummo gradu conſiderata.

I.

DEcretum Dei ordine primum non eſt Prædeſtinationis, quo præordinavit ad fines ſupernaturales, quo ſtatuit ſalvare & condemnare, miſeri. ordiam & juſtitiam punitivam declarare, gloriam ſalutiferæ gratiæ ſapientiæque & poteſtatis liberrimæ iſti gratię correſpondentis illuſtrare.

II. Objectum Prædeſtinationis ad fines ſupernaturales, ad ſalutem & mortem, ad miſericordiæ & juſtitiæ punitivæ, vel gratiæ ſalutiferæ, ſapientiæ, poteſtatiſque Dei liberrimæ demonſtrationem, non ſunt creaturæ rationales indefinitæ præſcitæ, ſalvabiles, damnabiles, creabiles, labiles, reparabiles.

III. Neque ſubjectum, ſingulares quædam ex illis taliter conſideratis.

IV. Diſcrimen vaſorum ad decus & dedecus, id eſt miſericordiæ & iræ, non pertinet ad ornamentum ſeu perfectionem univerſi, vel domus Dei.

V. Peccati in mundum ingreſſus, non pertinet ad pulchritudinem univerſi.

VI. Creatio in recto juſtitiæ originalis ſtatu, non eſt medium ad exequendum decretum Prædeſtinationis, ſive electionis, ſive reprobationis.

VII. Horrendum eſt dicere, Reprobationis viam eſſe Creationem in recto juſtitiæ originalis ſtatu: & eo ipſo ponuntur duæ Dei contrariæ circa unam; eandemque rem volitiones. *Gom. in Theſib. de Prædeſt.*

VIII. Horrendum eſt, Deum non tantum ad damnationem, ſed etiam damnationis cauſas prædeſtinaſſe quoſcumque libuit. *Beza vol. 1. fol. 417.*

IX. Horrendum eſt, Homines nudo Dei arbitrio citra proprium meritum in æternam mortem prædeſtinari. *Calv. Inſt lib. 3 cap. 2. 3.*

X. Item, Hominum alios ad æternam vitam, alios ad æternam mortem creatos eſſe.

XI. Non bene dictum, præparationem ad interitum, non alio transferendam, quam ad arcanum conſilium Dei.

XII. Permiſſio lapſus in peccatum non eſt medium exequendi decretum Prædeſtinationis, ſive electionis, ſive reprobationis.

XIII. Inſulſe dictum, Permiſſum reprobatorum meritum eſt medium ſubordinatum, ipſos ad exitium deſtinatum deducendi.

XIV. Falſum eſt, cauſam & materiam Prædeſtinationis efficientem & ſufficientem ſic in Reprobatis inveniri.

XV. Electi non dicuntur vaſa miſericordiæ ratione mediorum ad finem. ſed quia miſericordia eſt cauſa προηγουμένη, qua ipſum Prædeſtinationis ad ſalutem decretum eſt factum.

XVI. Injuria non exigua Chriſto infertur qua Mediatori, quum dicitur cauſa ſalutis deſtinatæ ſubordinata.

XVII. Angelorum & Hominum Prędeſtinatio tantum differunt inter ſe, ut nulla Dei proprietas utrique

utrique præfici poſſit, quæ non ὁμωνύμως accipiatur.

DE CREATIONE, ET Maxime Hominis.

I.

CReatio rerum ex nihilo eſt actus primus externus, omnium actuum externorum Dei, neque poteſt ullus actus illo prior eſſe, vel ut prior concipi, eſtque Decretum de creando, omnium decretorum Dei primum, quia proprietates ſecundum quas, ille omnia agit & operatur in primo ſuæ naturæ momento, & primo egreſſu circa nihilum verſantur, quum ad extra feruntur.

II. Deus duplicem Creaturam rationalem & divinorum capacem fecit, unam puta ſpiritualem & inviſibilem, Angelos: alteram vero partim corpoream, partim ſpiritualem, viſibilem, & inviſibilem, Homines: idque videtur univerſi hujus perfectio deſiderare.

III. An non decuerit Dei ſapientiam multiformem, & conveniens fuerit diſcrimini, quo in ipſa creatione diſtincti ſunt, ut Deus in modo & ratione vitę æternæ his & illis impartiendæ, aliter cum his, quam cum illis ageret. videtur ſanè.

IV. Duæ autem univerſæ rationes a nobis mente percipi poſſunt, ut una ſit per ſtrictam legis poſitæ obſervationem, citra ſpem veniæ, ſi tranſgreſſio fieret: altera vero per remiſſionem peccatorum Quanquam etiam illis, quibuſcum ſtricte & ſecundum rigorem agere non voluit Deus decreto peremptorio lex, naturæ ipſorum conveniens fuerit præſcribenda, & obedientia citra promiſſum veniæ poſtulanda.

V. Imago & ſimilitudo Dei, ad ad quam homo conditus eſt, partim ad ipſam hominis naturam pertinet, adeo ut ſine ea homo nequeat eſſe homo: partim vero conſiſtit in illis, quæ ſupernaturalia, cæleſtia, ſpiritualia concernunt. Illa ſunt Intellectus, Affectus, Voluntas quæ libera eſt: iſta vero agnitio Dei & Divinorum, juſtitia, ſanctitas, &c.

VI. Fides, qua Adamus credidit in Deum non eſt eadem, quod ad eſſentiam & objecta adæquata attinet, cum fide, qua idem credidit in Deum poſt promiſſionem de ſemine benedicto, & qua nos credimus Euangelio Chriſti.

VII. Citra læſionem Dei, Adami, & ipſius veritatis, dici poteſt, Adamum non accepiſſe, neque habuiſſe in primævo ſtatu, potentiam proximam, quidvis intelligendi, credendi, faciendi, quod illi intellectu, creditu, factu, in quovis ſtatu, ad quem vel ſuo facto, vel Dei dono pervenire potuit, neceſſarium eſſe potuit: quanquam potentiam remotam habere debuerit; ſecus aliquid eſſentiale ipſi homini increandum fuiſſet.

VIII. Libertas arbitrii conſiſtit in eo, quod homo poſitis omnibus requiſitis ad volendum vel nolendum, indifferens tamen ſit ad volendum vel nolendum, ad volendum hoc potius, quam illud. Hæc indifferentia tollitur per determinationem præviam, qua voluntas circumſcribitur, & determinatur præciſè ad unam, vel alteram partem contradictionis vel contrarietatis: & propterea non conſiſtit illa prædetermi-

minatio cum libertate voluntatis, quæ non potentiam modo liberam, ſed uſum liberum poſtulat in ipſo exercitio.

IX. Neceſſitas interna tam repugnat libertati, quam externa, imo vero externa neceſſitas ad agendum non neceſſitat niſi interveniente interna.

X. Adamus, vel habuit, vel paratam habuit ſufficientem gratiam, ſive habitualem ſive aſſiſtentem ad obediendum mandato ſibi poſito, tum ſymbolico, & ceremoniali, tum morali.

DE DOMINIO DEI IN creaturas, & præcipue in Hominem.

I.

DOminium Dei in creaturas nititur communicatione boni, quod ipſis impartitus eſt: quod bonum quum infinitum non ſit, non eſt ipſum Dominium quoque infinitum. Dominium autem infinitum eſt, ſecundum quod Deo fas ſit & liceat Creaturæ mandare, inferre omnia eius opera, uti in omnibus, quæ ſua omnipotentia mandare & inferre illi poſſet, eiuſque operam exercere.

II. Non extendit ſe ergo euſque Dominium Dei, ut Creaturam rationalem, æterna morte afficere poſſet, vel æternæ morti deſtinare citra ipſius Creaturæ meritum.

Gom Theſ. de Praedeſt. III. Falſum ergo, Deum, ſi quas Creaturas (indefinite præſcitas) deſtinavit & creavit ad exitium citra ullam peccati tanquam cauſæ meritoriæ conſiderationem, tamen injuſtitiæ accuſari non poſſe, eoquod abſolutum jus Dominii in illos habeat.

IV. Et falſum, Lumine gloriæ nos intellecturos, quo jure poſſit Deus immeritum damnare: quemadmodum lumine gratiæ nunc intelligimus, quo jure Deus ſalvet immeritos & peccatores, quod tamen per lumen naturæ non capimus. *Luth. de Serv. Arb.*

V. Longe, falſius, Hominem teneri in hac voluntate Dei acquieſcere, imo vero & Deo gratias agere, quod ſe fecerit inſtrumentum gloriæ divinæ, per iram & potentiam in ſuo exitio æterno demonſtrandæ.

VI. Deum de ſuo facere poſſe quicquid vult. at non velle neque poſſe velle de ſuo facere quicquid ſecundum infinitam potentiam & abſolutam de ſuo facere poſſet.

DE PROVIDENTIA DEI.

I.

PRovidentia Dei eſt ſubordinata Creationi: & propterea neceſſe eſt, ut in Creationem non impingat: quod faceret ſi uſum Liberi arbitrii inhiberet in homine, vel concurſum ſuum neceſſarium illi denegaret, vel ipſum hominem ad alium finem vel exitium dirigeret, quam qui conditioni & ſtatui in quo creatus eſt, ſit conſentaneus, hoc eſt, ſi ſic regat & gubernet hominem ut vitioſus neceſſario fiat, quo Deus gloriam ſuam per peccatum eius, tum juſtitiæ, tum miſericordiæ, patefacere poſſit, juxta Conſilium æternum ſuum.

II. Ad providentiam Dei pertinet agere & permittere: quæ duo confunduntur, quum permiſſio eo prætextu, quod otioſa eſſe non poſſit, in actionem mutatur.

III. Providentia divina non determinat voluntatem liberam ad unam Contradictionis, vel contrarietatis partem, determinatione ſcilicet præcedente ipſam volitionem actualem: alioquin cum voluntate ipſa concurrens Volitionis ipſius concomitans cauſa eſt, & ſic voluntatem una cum ipſa Voluntate determinat, actione non prævia, ſed ſimultanea, ut loquuntur.

Vrſin. de Provid. Tom. I. fol. 178. IV. Permiſſio Dei, qua permittit aliquem labi in peccatum, non recte definitur gratiæ divinæ ſubſtractio, qua Deus (dum voluntatis ſuæ decreta per creaturas rationales exſequitur) aut voluntatem ſuam, qua illud opus fieri vult Creaturæ non patefacit, aut voluntatem eius ad obtemperandum in ea actione divinæ voluntati non flectit.

DE PRÆDESTINATIONE in ſtatu primævo conſiderata.

I.

DEum ex Hominibus conſideratis in puris naturalibus (vel citra ſupernaturalia, vel cum ſupernaturalibus) conſtituiſſe ſingulares homines quoſdam decreto electionis ad ſupernaturalem felicitatem evehere, alios vero in natura relinquere, verum non eſt.

II. Et perperam dicitur, Ad rationem univerſi pertinere, ut aliqui homines à dextris, aliqui à ſiniſtris collocentur, quemadmodum ratio Architectonica poſtulat, ut nonnulli lapides in ſiniſtro, alii in dextro latere collocentur domus ædificandæ.

III. Permiſſio, qua Deus permittit, ut aliqui à fine ſupernaturali aberrent, male iſti Prædeſtinationi ſubordinatur: pertinet enim ad providentiam, Creaturam rationalem, ſuæ naturæ convenienter, ad ſupernaturalem felicitatem deducere.

IV. Permiſſio etiam, qua Deus permiſit primos homines in peccatum labi, perperam iſti Prædeſtinationi ſubordinata eſſe dicitur.

DE PECCATI CAVSA univerſe.

I.

QVanquam peccatum non niſi à creatura rationali patrari poſſit, & propterea eo ipſo peccatum eſſe deſinat, ſi Deo adſcribatur eius cauſa, tamen quadruplici argumento videtur noſtris Doctoribus impingi poſſe, quod ex ipſorum doctrina ſequatur, Deum Autorem eſſe Peccati.

II. Ratio prima, Quia docent Deum præciſe ſtatuiſſe (citra peccati præviſionem) gloriam ſuam per juſtitiam punitivam, & miſericordiam in nonnullorum ſalute, & aliorum damnatione declarare: vel ut alii, Deum ſtatuiſſe gloriam ſuam illuſtrare, per gratiæ ſalutiferæ, ſapientiæ, iræ, potentiæ & poteſtatis liberrimæ demonſtrationem, in nonnullorum ſingularium hominum ſalute, & aliorum damnatione æterna, quod ſine peccati in mundum

dum ingreſſu fieri nequit, neque factum eſt.

III. Ratio ſecunda: Quia docent, Deum ut ad illum ſummum & poſtremum finem pervenire poſſit, ordinaſſe, ut homo peccaret & vitioſus fieret, quo viam ſibi Deus patefaciat exſequendo iſti decreto.

IV. Ratio tertia: Quia docent, Deum homini gratiam ad vitandum peccatum neceſſariam & ſufficientem, vel denegaſſe, vel ſubſtraxiſſe antequam peccaret: quod tantundem eſt, atqui ſi homini legem poſuiſſet, ipſi ſimpliciter, ſecundum naturam ipſam præſtitu impoſſibilem.

V. Ratio quarta: Quia tribuunt Deo nonnullas actiones, partim externas, partim mediatas, partim immediatas, quibus poſitis non potuit non peccare neceſſitate conſequentis, & rem ipſam antecedente, quæ libertatem omnino tollit, citra quam tamen homo peccati perpetrati reus cenſeri nequit.

Calv. Inſtit. lib. 2. 23. VI. Ratio quinta: Addi poſſunt eiuſmodi teſtimonia, ubi expreſſis verbis dicunt Reprobos peccandi neceſſitatem evadere non poſſe: præſertim quum ex Dei ordinatione injiciatur huiuſmodi neceſſitas, & ſimilia.

DE LAPSV ADAMI.

I.

ADam potuit perſtare in bono, & non peccare, idque actu ipſo, ratione eventus, non tantum potentia, propter Decretum aliquod Dei præcedens, in actum non deducenda, aut potius impoſſibili ut in actum perduceret, per ipſum præcedens decretum.

II. Adam libere & voluntarie peccavit citra ullam neceſſitatem vel internam vel externam.

III. Adam non eſt lapſus ex decreto Dei, non ex ordinatione, non ex deſertione, ſed ex pura puta permiſſione Dei, quæ nulli vel ad ſalutem vel ad mortem Prædeſtinationi ſubordinatur, ſed ad providentiam pertinet, quatenus illa contra Prædeſtinationem diſtinguitur.

IV. Adam non eſt lapſus neceſſario, neque decreti, neque ordinationis, neque deſertionis, neque permiſſionis reſpectu. unde conſtat, quid judicii de eiuſmodi dictis fieri debeat.

V. Fateor ſane in hanc, qua illigati ſunt, conditionis miſeriam, Dei voluntate decidiſſe univerſos filios Adæ, &c. *Calvin. lib. 3. Inſt. cap. 23.*

VI. Diſertis verbis hoc exſtare negant decretum fuiſſe à Deo, ut ſua defectione periret Adam.

VII. Deus præſcivit, quem exitum eſſet habiturus homo, quia decreto ſuo ſic ordinavit.

VIII. Deus non modo caſum primi hominis prævidit, ſed arbitrio quoque ſuo diſpenſavit.

DE PECCATO Originis.

I.

PEccatum originis non eſt illud actuale peccatum, quo Adam legem de arbore ſcientiæ boni & mali tranſgreſſus eſt, & propter quod nos omnes peccatores conſtituti ſumus, & rei facti condemnationis & Mortis.

II. An peccatum originis ſit tantum carentia juſtitiæ originalis, & ſanctimoniæ primævæ cum inclinatione ad peccandum, quæ & antea in homine fuit, licet non ita vehemens, æquè & inordinata ut nunc eſt, propter amiſſum favorem Dei, maledictionem eiuſdem, & amiſſionem eius boni, quo in ordinem redigebatur: An vero contrarius quidam habitus juſtitiæ & ſanctimoniæ infuſus (vel ingreſſus acquiſitus) poſt peccatum perpetratum.

III. An peccatum originis Homines faciat reos iræ Dei, quum jam ante propter peccatum actuale Adami peccatores conſtituti ſint, & rei damnationis facti.

IV. Adamus conſideratus in hoc ſtatu, poſt peccatum, & ante reſtitutionem, non fuit obligatus ad pœnam & obedientiam ſimul, ſed tantum ad pœnam.

DE PRÆDESTINATIONE Hominis, partim in ſtatu primævo, partim in lapſu conſiderati.

I.

Trelcat. Poſt. l. 2. de Præd. PErperam dicitur de Prædeſtinationis (ut Reprobationi opponitur) materiam eſſe hominem communiter, ſeu abſolute, ſi præordinatio finis reſpiciatur: ſi vero mediorum ad finem eſſe hominem, à ſe & in ſe periturum & reum in Adamo.

II. Æque malè Reprobationem aliam eſſe paſſivam ſeu negativam, aliam affirmativam, ſeu activam: illam eſſe ante omnes res, & cauſas in rebus, aut à rebus exſtituras, præcognitas aut conſideratas, actum-cum eſſe reſpectivum peccati, & Prædamnationem dici.

III. Diſpiciatur quomodo iſti doctrinæ convenienter dicantur hæc ſequentia: Impulſiva cauſa Prædeſtinationis illius eſt benevolus affectus voluntatis Dei in Chriſto & Prædeſtinatio eſt actus Dei æternus, quo ſtatuit aliquas creaturas gratiæ & gloriæ ſuæ participes facere in Chriſto.

IV. Inſulſe dicitur, Iuſtam deſertionem Dei, qua gratiam homini Reprobato non confert, & quæ ad Prædeſtinationem eiuſque exſecutionem pertinet, eſſe explorationis. Et hoc ipſum cum ante dictis conciliari nequit.

DE PRÆDESTINATIONE poſt lapſum conſiderata.

I.

AN Deus ex humano genere lapſo, ſeu maſſa corruptionis & perditionis, nonnullos ſingulares præciſe elegerit ad vitam, & alios præciſe reprobarit ad mortem, citra ullam alterius boni, vel mali conſiderationem: quod ex decreto juſto, tum gratioſo, tum ſevero ſit conditio requiſita in objecto quod Deus electurus vel ſalvaturus vel reprobaturus & damnaturus eſt.

II. An ullus homo propter ſolum peccatum Adami damnetur morte æterna.

III. An ſic electi ſalventur neceſſario propter efficacitatem gratię, quæ ipſis deſtinata eſt tantum ut non poſſint non illi aſſentiri, utpote quæ eſt irreſiſtibilis, &

IV. An ſic reprobati damnentur neceſ-

neceſſario, propterea quod aut nulla illis deſtinata ſit gratia, aut non ſufficiens, ut illi aſſentiri, & credere poſſint.

V. An potius juxta *Auguſtinum* ſic electi certo ſalvantur, propterea quod Deus decreverit gratiam illis adhibere prout congruum novit ut illi perſuadeantur & ſalventur; quanquam ſi interna gratiæ efficacitas ſpectetur poſſint per illam non promoveri, &

VI. An ſic Reprobati certo damnentur, propterea quod Deus illis non applicat gratiam prout congruam novit: quanquam interea gratia ſufficienti ſic afficiantur, ut poſſint aſſentiri & ſalvari.

DE DECRETIS DEI ſalutem Hominum peccatorum concernentibus ex proprio ſenſu.

I.

PRimum decretum de ſalvandis hominibus peccatoribus eſt, quo ſtatuit Deus Filium ſuum Ieſum Chriſtum conſtituere Salvatorem, Mediatorem, Redemptorem, Sacerdotem, & qui peccata expiet, & Salutem amiſſam merito obedientiæ ſuæ recuperet, & diſpenſet efficacia ſua.

II. Secundum decretum eſt, quo Deus ſtatuit Reſipiſcentes & Fideles in gratiam recipere, eouſque perſeverantes ſalvare in Chriſto, propter Chriſtum, & per Chriſtum. Impœnitentes vero & incredulos ſub peccato, & ira relinquere, & condemnare tanquam à Chriſto alienos.

III. Tertium Decretum eſt, quo ſtatuit Deus media ad Reſipiſcentiam & Fidem neceſſaria, ſufficientia, efficacia adminiſtrare. Et hæc adminiſtratio dirigitur juxta ſapientiam Dei, qua novit quid miſericordiam & ſeveritatem deceat: & juxta eiuſdem juſtitiam, qua ſapientiæ ſequi & exſequi paratus eſt.

IV. Hinc ſequitur quartum decretum de hiſce ſingularibus perſonis ſalvandis & illis damnandis: quod nititur præſcientia, & prævisione Dei, qua ab æterno prænovit quinam eſſent per talem adminiſtrationem gratiæ prævenientis auxilio credituri, & ſubſequentis perſeveraturi, qui vero non credituri & non perſeveraturi.

V. Hinc dicitur Deus noſſe qui ſint ſui, & huius certus eſt numerus tum ſalvandorum tum damnandorum, & quod & qui, id eſt, ut loquuntur & materialiter, & formaliter.

VI. Illud ſecundum decretum eſt Prædeſtinatio ad ſalutem, quæ eſt Fundamentum Chriſtianiſmi, ſalutis & certitudinis de ſalute, Materia Euangelii, Summa Apoſtolicæ doctrinæ.

VII. Illa vero Prædeſtinatio, qua Deus dicitur decreviſſe creaturas ſingulares perſonas ſalvare, & fide donare, neque fundamentum Chriſtianiſmi eſt, neque ſalutis, neque certitudinis de ſalute.

DE CHRISTO.

I.

AN peccato in mundum ingreſſo, non fuerit aliud remedium expiandi peccatum, ſeu ſatisfaciendi Deo, quam per mortem Filii Dei.

II. An humana natura in Chriſto quippiam habeat a λόγῳ immediate (id eſt citra interventum Spiritus Sancti) quam ſolam ſubſtantiam.

III. An ſancta Chriſti ex Spiritu Sancto conceptio, & ex virgine Maria nativitas horſum tendat, ut naturæ noſtræ corruptio tegatur, ne in conſpectum Dei veniat.

IV. An ſancta Chriſti vita, in qua omnem juſtitiam juxta præſcriptum legis moralis de Charitate Dei, & Proximi implevit, horſum tantum faciat, ut Chriſtus ſit Sacerdos purus & innocens, & victima incontaminata: an vero etiam ut illa juſtitia, noſtra coram Deo ſit juſtitia, & hac ratione pro nobis, id eſt, nomine noſtro, vice noſtra, ab ipſo præſtita.

V. An quæ Chriſtus paſſus eſt antequam ante tribunal Pilati ſtatueretur, concurrant cum iis, quæ poſtea paſſus eſt, ad peccatorum purgationem, redemptionem, expiationem, reconciliationem cum Deo.

VI. An oblatio, qua Chriſtus ſe patri obtulit victimam pro peccato, ita facta ſit in cruce, ut Chriſtus ſeipſum & ſanguinem ſuum Patri in cælo non obtulerit.

VII. An oblatio, qua Chriſtus ſe Patri ſuo in cœlis ſanguine proprio adſperſum præſentat, non ſit actio perpetua & continua, cui interceſſio innititur.

VIII. An redemptio ſanguine Chriſti parta, non ſit omnium ſingularium hominum communis, ſecundum amorem & dilectionem Dei, qua Mundo Filium ſuum dedit: quanquam juxta decretum peremptorium de ſolis Fidelibus ſalvandis, ad nonnullos tantum pertineat.

DE VOCATIONE PECcatorum ad communionem cum Chriſto, & participationem bonorum ipſius.

I.

Homo peccator habet poſt peccatum perpetratum eam legis notitiam, quæ ſufficit illi accuſando, convincendo, & condemnando: eaque ipſa notitia poteſt Deo vocanti illum ad Chriſtum, ſervire, ut eum ad pœnitentiam, & Chriſtum confugere compellat per eandem.

II. Homo irregenitus poteſt plura opera mala externa omittere quam omittit, & plura opera externa, mandata a Deo, præſtare, quam præſtat, id eſt, locomotivam aliter & melius regere, quam regit: quanquam ſi id faceret, nihil eo ipſo mereretur.

III. Vocationis diſtributio in internam, & externam, non eſt diſtributio generis in ſpecies, ſive totius in partes.

IV. Vocatio interna contingit etiam iis, qui non aſſentiuntur vocationi.

V. Omnes irregeniti habent liberum arbitrium, & potentiam Spiritui Sancto reſiſtendi, gratiam Dei oblatam repudiandi, conſilium Dei adverſus ſe contemnendi, Euangelium gratiæ repudiandi, ei qui cor pulſat non aperiendo, idque actu ipſo poſſunt facere, citra diſcrimen ullum

ullum Electorum, & Reproborum.

VI. Quoſcunque Deus vocat, illos ſerio vocat, voluntate deſiderante illorum Reſipiſcentiam & ſalutem: neque eſt ulla Dei de illis vel circa illos, quos vocat uniformiter conſideratos volitio, iſti voluntati vel affirmativè, vel negativè contraria.

VII. Deus non tenetur omnes modos poſſibiles ſibi uſurpare ad omnium ſalvationem: officio ſuo functus eſt, quando vel unum, vel plures uſurpavit ad ſalvandum.

VIII. Vocationi Divinæ, quum primum ſit, & repulſa non eſt, finis non eſt, neque proximus, neque à Deo intentus, ut homo reddatur inexcuſabilis.

IX. Doctrina quæ horſum tantum patefit, ut reddat auditores inexcuſabiles, non poteſt reddere inexcuſabiles, neque jure, neque efficacia.

X. Ius Dei, quo poteſt poſtulare fidem in Chriſtum, ab iis, qui potentiam credendi in eum non habent, & quibus gratiam ad credendum neceſſariam & ſufficientem dare recuſat, citra meritum ob gratiam repulſam, non nititur eo, quod Deus dederit in Adamo, in primævo ſtatu, & in eo omnibus hominibus potentiam credendi in Chriſtum.

XI. Ius Dei quo poteſt condemnare eos, qui repudiant Euangelium gratiæ, & quo actu ipſo condemnat immorigeros, non nititur eo, quod potentiam credendi in Adamo acceptam ſua culpa amiſerint.

XII. Neceſſario ponenda eſt gratia ſufficiens, quæ tamen effectum non ſortitur culpa eius cui contingit: ſecus juſtitia Dei in condemnatione infidelium defendi non poteſt.

XIII. Efficacitas gratiæ ſalutaris non conſiſtit cum omnipotente actione Dei, qua ſic agit intus in mente & in corde hominis, ut cui illa actio imprimitur ille non poſſit non aſſentiri Deo vocanti, ſeu quod idem eſt, gratia eſt non vis irreſiſtibilis.

XIV. An gratia efficax, & ſufficiens recte diſtinguantur, ſecundum vocationem congruam, & non congruam: ut efficax illa dicatur, qua utitur Deus ſecundum propoſitum præciſe ſalvandi ſingularem aliquem hominem, prout novit congruum ut ille moveatur, & perſuadeatur ut obtemperet; Sufficiens vero illa dicatur, qua utitur non ex propoſito tali, quanquam ex amore generali erga omnes homines illa afficiat nonnullos, quorum tamen peremptorio decreto ſtatuit non miſereri.

XV. Efficacitas, quæ diſtincta eſt ab efficientia ipſa, à ſufficientia differre non videtur.

XVI. Qui vocationi Dei obtemperant, illi libere aſſentiuntur gratiæ, ab ea tamen excitati, impulſi, tracti, adjuti & eo ipſo momento quo aſſentiuntur, poterant non aſſentiri.

XVII. Homo ſe habet in initio converſionis ſuæ merè paſſive, id eſt, quanquam actione vitali, id eſt ſenſu percipiat gratiam vocantem, tamen non poteſt non illam accipere, & ſentire, at ubi ſentit gratiam mentem & cor afficientem, libere aſſentitur, ita ut poſſit non aſſentiri.

DE

DE POENITENTIA.

I.

DOctrina de pœnitentia non eſt legalis, ſed Euangelica, id eſt, non ad Legem, ſed ad Euangelium pertinet: quanquam Lex ad pœnitentiam ſollicitet & impellat.

II. Agnitio peccatorum, dolor ob peccatum, deſiderium liberationis, cum propoſito vitandi peccatum, Deo grata ſunt tanquam converſionis initialia.

III. Non ſunt propriè loquendo ipſa carnis ſeu peccati inhabitantis mortificatio, ſed neceſſario præcedanea.

IV. Pœnitentia fide in Chriſtum prior eſt: poſterior vero illa Fide qua creditur, Deum velle pœnitentem in gratiam recipere.

V. An pœnitentia Iudæ recte legalis dicatur.

VI. An Pœnitentia ſeu reſipiſcentia Tyriorum & Sidoniorum de qua Chriſtus *Matth.* 11. ſimulata & ficta, an vera fuiſſet.

DE FIDE.

I.

FIdes Iuſtificans non eſt, qua quis credit ſibi propter Chriſtum remiſſa eſſe peccata: illa enim fides ſequitur ipſam juſtificationem ſeu remiſſionem peccatorum, quæ eſt effectus Fidei juſtificantis.

II. Fides juſtificans non eſt qua quis credit ſe electum eſſe.

III. Omnes homines non tenentur credere ſe electos eſſe.

IV. Notitia & Fides qua quis ſcit & credit ſe credere, natura prior eſt ea ſcientia & fide, qua quis ſcit & credit ſe electum eſſe.

V. Vnde judicium fieri poteſt, de eo quod aliquando dicitur, fidelem & electum teneri credere ſe electum eſſe.

VI. Fides juſtificans eſt qua creditur in Ieſum Chriſtum, tanquam in Salvatorem Credentium univerſe & ſingulorum, etiam ipſius qui credit & per Chriſtum in Deum juſtificantem impium.

VII Fides Euangelica & ſalvificans tantæ eſt excellentiæ, ut excedat totam naturam hominis, & omnem eius intellectum etiam Adami in ſtatu integritatis conſtituti.

VIII. Deus non poteſt jure Fidem in Chriſtum poſtulare ab eo quem voluntate abſoluta, ſive citra ullius peccati conſiderationem, ſive ut in Adamo Lapſum reprobavit: ideo quod Chriſtum ipſi prodeſſe noluit, ſeu potius ut Chriſtus illi non prodeſſet voluit.

IX. Fides eſt donum Dei gratioſum & gratuitum, datum ſecundum adminiſtrationem mediorum ad finem neceſſariorum ducentem, hoc eſt, quam poſtulat juſtitia Dei vel in partem miſericordiæ vel ſeveritatis, non datum ſecundum præciſam voluntatem ſalvandi ſingulares aliquot homines. Eſt enim conditio in objecto ſalvando requiſita, & prius quidem conditio quam medium ad ſalutem obtinendum.

X. Fides ſalvifica eſt Electorum Dei, non eſt omnium, perverſorum, & ſceleratorum hominum, non repellentium ſermonem gratiæ, & vita æterna ſe indignos judicantium, non Spiritui Sancto reſiſtentium, non conſilium Dei adverſus ſe ſpernen-

ſpernentium, neque eorum qui non ſunt ordinati ad vitam æternam. Nemo credit in Chriſtum niſi qui antea per prævenientem gratiam diſpoſitus & paratus eſt vitam æternam accipere, ea conditione qua Deus eam dare vult, juxta id *Ioan.* 7. Si quis voluerit eius voluntatem exequi, cognoſcet de doctrina utrum ex Deo ſit, an ego ex me ipſo loquar.

DE REGENERATIONE & Regeneratis.

I.

REgenerationis, quæ in hac vita fit per Spiritus Chriſti ſubjectum proximum, eſt mens & affectus hominis, ſeu voluntas ſecundum modum naturæ conſiderata: non voluntas ſecundum modum libertatis conſiderata: non corpus hominis, quanquam homo per mentem & affectum Regeneratione renovatus, actu bene velit, & per inſtrumenta corporea bene operetur.

II. Quanquam regeneratio non uno momento, ſed certis gradibus & intervallis perficiatur, tamen ſimulatque ſecundum eſſentiam, hoc eſt, per renovationem mentis & affectuum perfecta eſt, hominem facit ſpiritualem, potentem, ad peccato per gratiam Dei aſſiſtentem reſiſtendum: unde etiam à prædominante in eo ſpiritu ſpiritualis dicitur non carnalis, quanquam adhuc habet in ſe carnem contra ſpiritum concupiſcentem; dicuntur enim illa oppoſitè carnalis & ſpiritualis, & ſecundum partem potiorem & prædominantem.

III. Regeniti poſſunt plus veri & Deo placentis Boni præſtare quam præſtant, & mali omittere quam omittunt: ideoque ſi non præſtant & omittunt quod debent, id non ulli Dei decreto aut gratiæ inefficacitati, ſed ipſorum regenitorum negligentiæ tribuendum eſt.

IV. Qui dicit regenitos poſſe per Chriſti gratiam Legem perfecte præſtare in hac vita, ille non Pelagianus eſt, neque gratiæ Dei facit injuriam, neque juſtificationem ex operibus ſtabilit,

V. Regeniti poſſunt ex propoſito, & contra conſcientiam peccare, & conſcientiam ſuam ſic per peccatum vaſtare, ut ab ea nihil audiant, niſi condemnationis ſententiam.

VI. Regeniti poſſunt peccatis ſuis Spiritum Sanctum contriſtare, adeo ut ille ad tempus uſque, dum ad pœnitentiam ſe reduci patiantur, vim & efficaciam ſuam in illis non exſerat.

VII. Regeniti nonnulli ſic peccant, ſic vaſtant conſcientiam, ſic Spiritum Sanctum contriſtant.

VIII. Si David eo momento quo peccarat in Vriam per adulterium & homicidium mortuus fuiſſet, fuiſſet condemnatus ad æternam mortem.

IX Peccata regenitorum & electorum Dei vere odit Deus, & quidem tanto magis, quanto qui peccant plura a Deo acceperunt beneficia, & majorem vim reſiſtendi peccato.

X. Diſtinctiones iſtæ, quibus dicitur homo peccare plena, aut non plena voluntate, vaſtare conſcientiam penitus, aut non penitus ſed ex parte, peccare ſecundum partem

irregenitam, eo ſenſu quo à non nullis uſurpantur, ſunt noxiæ pietati, & bonis moribus.

DE PERSEVERANTIA Sanctorum.

I.

AN verè Fideles poſſint excidere totaliter & finaliter.

An reipſa nonnulli à fide totaliter & finaliter excidant.

III. Sententia quæ negat verè Fideles & Regenitos vel excidere poſſe vel reipſa excidere a fide totaliter & finaliter numquam fuit ab Eccleſia, ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad hæc noſtra ſecula pro Catholica habita, neque quæ contrarium affirmat pro hæretica æſtimata, imo vero affirmans ſemper plures in Chriſto adſtipulatores habuit quam negans.

DE CERTITVDINE ſalutis.

I.

AN quis Fidelis certus eſſe poſſit ſe a Fide non defecturum citra ſpecialem revelationem.

II. An Fideles credere teneantur ſe a fide non defecturos.

III. Affirmatio utriuſque quæſtionis nunquam pro Catholico dogmate habita fuit in Eccleſia Chriſti: nunquam etiam negatio utriuſque iſtius quæſtionis hæreſis judicata eſt ab Eccleſia Catholica.

IV. Perſuaſio, qua quis fidelis ſibi certo perſuadet ſe a fide deficere non poſſe, ſaltem ſe non defecturum a fide, non tam ſolatio ſervit adverſus deſperationem ſeu dubitationem Fidei & Spei adverſam, quam ſecuritati ingenerandæ, quæ ſaluberrimo timori, quo ſalutem noſtram operari jubemur, & qui in hoc tentationum loco magnopere eſt neceſſarius, directe adverſatur.

V. Qui exiſtimat ſe fide deficere poſſe, ideoque metuit ne deficiat, neque deſtituitur ſolatio neceſſario, neque propterea animi anxietate torquetur. Sufficit enim ſolatio præſtando, & anxietati excludendæ ſcire ſe nulla vi Satanæ, Peccati & Mundi, nullaque carnis propriæ affectione aut imbecillitate a fide defecturum, niſi ipſe ultro volens tentationi cedat & ſalutem ex conſcientia operari negligat.

DE JVSTIFICATIONE Hominis peccatoris, ſed fidelis coram Deo.

I.

AN juſtitiæ Dei non potuerit ſatisfieri niſi Legi ſatisfieret.

II. An idem ſit juſtitiæ Dei in Chriſto ſatisfactum eſſe, & Legi per Chriſtum eſſe ſatisfactum.

III. An juſtitia Legalis & Euangelii eſſentia differant, an vero eadem ſit utriuſque eſſentia, id eſt, materia, obedientia Deo præſtita, & forma univerſalis, conformitas cum Lege neceſſaria.

IV. An juſtitiæ Chriſti, qua juſti conſtituuntur Fideles tres ſint partes: Prima, Sanctitas naturæ Chriſti quæ juſtitia habitualis dicitur. 2. Perpeſſiones, quas noſtra

cauſa ab infantia ad mortem ſuſtinuit, quæ obedientia paſſiva ſeu mortis dicitur. 3. Legalis moralis (adde & ceremonialis) per totam vitam uſque ad mortem perfectiſſima, imo plus quam perfecta impletio, quæ obedientia activa ſeu vitæ dicitur.

V. An actus obedientiæ a Chriſto præſtitæ, qua juſtificamur, non fuerunt ipſi impoſiti ſecundum peculiare mandatum Patris & peculiare pactum a Patre cum ipſo initum, quo illos actus obedientiæ præſcripſit & ſtipulatus eſt, addita promiſſione, fore ut æternam redemptionem iis acquireret, & ſemen videret, quod iſta obedientia per ſcientiam ſui, id eſt fidem in ſe juſtificaret.

VI. Ad quod munus Chriſti, actus iſti obedientiæ pertineant.

VII. An juſtitia Chriſti ſit juſtitia Fidelis ſeu Electi antequam Deus illi ipſam imputet.

VIII. An Deus illam ipſi imputet antequam per fidem juſtificet.

IX. Vel quod idem eſt, An objectum circa quod Deus verſatur juſtificando, ſit Electus, in ſe quidem injuſtus, at in Chriſto capite ſuo juſtus: ita ut juſtum illum judicet, quia jam in Chriſto juſtus ſit, id eſt, quia in fideiuſſore & Capite ſuo pœnam luerit ſibi debitam, vel obedientiam præſtiterit a ſe debitam.

X. Vel, An Electus in Chriſto pœnam luerit & obedientiam præſtiterit reipſa; an vero æſtimatione Divina tantum, & an æſtimatio Divina, qua luiſſe & præſtitiſſe æſtimatur, ſit actus præcedens juſtificationem.

XI. An actus acceptationis, quo Deus obedientiam Filii ſui acceptarit non præcedat oblationem, qua Filium ſuum in juſtitiam offert per Euangelium.

XII. An acceptata juſtitiæ Chriſti imputatio ſit ipſa juſtificatio, an juſtificationi præcedanea.

XIII. An actus apprehenſionis, quo fides Chriſtum, eiuſque juſtitiam, vel Chriſtum in juſtitiam apprehendit, non ſit prior juſtificatione ipſa.

XIV. Si actus ille prior ſit juſtificatione, quomodo fides ſit inſtrumentalis cauſa juſtificationis noſtræ, hoc eſt, ſimul inſtrumentalis cauſa apprehenſionis præcedaneæ juſtificationi, & juſtificationis ipſius ſuccedaneæ iſti appræhenſioni. Vel,

XV. An non fides prius apprehendat Chriſtum oblatum in juſtitiam, quam fides imputetur in juſtitiam.

XVI. In hoc enunciato, Fides imputatur credenti in juſtitiam, an vox Fidei proprie ſit accipienda pro actu inſtrumentali, quo Chriſtus in juſtitiam apprehenſus eſt: an improprie, id eſt, metonymice pro ipſo objecto quod Fides apprehendit.

XVII. An hæc phraſis, Fides accipitur relative, inſtrumentaliter, idem ſit cum hac, Fidei voce ſignificatur metonymicè ipſum Fidei objectum. Vel,

XVIII. An idem ſit, Fide juſtificamur correlative, & qua illa eſt inſtrumentalis actio, qua Chriſtum in juſtitiam apprehendimus, & obedientia ſeu juſtitia juſtificamur.

XIX. An recte dici poſſet juſtitia Chriſti gratioſe imputari in juſtitiam, vel gratioſe haberi pro juſtitia.

XX. An non quum ſic dicit Apoſtolus, Fides imputatur in juſtitiam, intelligendum id ſit de imputatione, quæ fit ſecundum gratiam, & non ſecundum debitum.

XXI. An id cuius participes ſimus per Fidem ſeu Fide effectum inſtrumentale Fidei dici poſſet.

XXII. An quum Deus decreverit neminem ex gratia & miſericordia juſtificare, niſi credentem in Chriſtum, ideoque per Euangelii prædicationem Fidem in Chriſtum poſtulet ab eo, qui juſtificari deſiderat, non poſſit dici, Deum ſecundum Euangelium gratioſe judicantem verſari circa fidem, tanquam circa conditionem requiſitam & præſtitam ab eo, qui coram throno gratiæ judicandus & juſtificandus comparet.

XXIII. Quod ſi dici id poſſet, quod crimen ſit dicere, Fidem per gratuitam & gratioſam acceptationem pro juſtitia haberi propter obedientiam Chriſti.

XXIV. An recte dicatur, Si perfecta eſſent hominum renatorum opera, poſſent iis juſtificari, quanquam multa mala opera patrarint, quum remiſſionem illorum obtineant.

DE OPERIBVS BONIS fidelium.

I.

AN de bonis operibus fidelium vere dicatur, immunda eſſe inſtar panni menſtruati, eiſque competat dictum illud *Eſai.* 64. Omnes juſtitiæ noſtræ, &c.

II. Quo ſenſu recte dicatur, Fideles in quovis opere bono peccare mortaliter.

III. An opera bona fidelium in judicium Dei veniant, quatenus ſunt Fidei teſtimonia tantum: an etiam quatenus à Deo præſcripta & mercedis promiſſione ſancita & decorata, quanquam merces iis non detur niſi ex gratia, miſericordia juncta, & propter Chriſtum, quem Deus conſtituit & propoſuit propitiatorium per fidem, in ſanguine ipſius ideoque & cum intuitu ad fidem in Chriſtum.

DE ORATIONE.

I.

AN oratio ſeu invocatio Dei tantum habeat rationem cultus Deo præſtandi ad honorem illius: an etiam medii neceſſarii ad impetrandum id quod petitur, & quidem medii quod Deus prævidit uſurpatum iri antequam præciſe decerneret bonum illud dare poſtulanti.

II. An fides, qua precandum eſt, ea ſit, qua orans certo credit ſe adepturum eſſe id quod petit: an vero qua certo perſuaſus eſt ſe petere juxta voluntatem Dei, & adepturum quod petit, ſiquidem Deus novit conducere ſuæ gloriæ & ſaluti petentis.

DE INFANTIBVS FIdelium quando ad Baptiſmum offeruntur.

I.

AN Fidelium libri, quum ad Baptiſmum offeruntur, conſide-

tantur

rantur ut Filii iræ, an ut filii Dei & gratiæ: & ſi utroque modo, an reſpectus ille ſit ſecundum idem tempus, an ſecundum diverſa tempora.

DE COENA DOMINI.

I.

AN proximus & maxime proprius ideoque immediatus finis Cœnæ Dominicæ, tum qua inſtitutus eſt, tum qua uſurpatur non ſit memoria ſeu commemoratio vel annunciatio mortis Domini, & quidem cum gratiarum actione, pro eo quod Deus Filium ſuum pro nobis in mortem dedit, eiuſque carnem edendam & ſanguinem bibendum dedit per fidem in illum.

DE MAGISTRATV.

I.

MAgiſtratum ſummum non recte dici Politicum aut Secularem, quia illæ voces Eccleſiaſticæ & Spirituali Poteſtati opponuntur.

II. Penes Magiſtratum ſummum eſſe αὐτοκρατορικὴν, ſub Deo tamen poteſtatem curandi, gubernandi ſubditos, quoad animalem & ſpiritualem vitam.

III. Religionis curam à Deo ſummo Magiſtratui eſſe commiſſam magis quam Sacerdotibus & Eccleſiaſticis Perſonis.

IV. Penes Magiſtratum eſſe Leges de Politia & Eccleſiaſtica condere, non tamen niſi rogatis iis & conſultis, qui rerum ſpiritualium ſunt peritiſſimi, & peculiariter Eccleſiæ docendæ deſtinati.

V. Magiſtratus officium eſſe Miniſterium Eccleſiaſticum conſervare & tueri. Verbi Miniſtros præeunte legitimo preſbiterii examine præficere, ut officium faciant curare, rationemque adminiſtrationis poſcere, negligentes monere & incitare, qui bene præſunt præmio afficere, pertinaciter negligentes aut ſcandalum Eccleſiæ ponentes removere.

VI. Etiam Concilia ſive Vniverſalia, ſive Nationalia, ſive Provincialia convocare, autoritate ſua moderari vel per ſe, vel per deputatos ad iſtud munus idoneos.

VII. An utile ſit Conventibus ſeu Comitiis Eccleſiaſticis illos præficere quorum intereſt, ut res Religionis & Eccleſiaſticæ potius hoc quam illo modo habeant.

VIII. Ad hæc munera obeunda neceſſe eſſe ut Magiſtratus intelligat ea religionis myſteria, quæ ad ſalutem hominum abſolute ſunt neceſſaria: non enim poteſt hac parte alienæ conſcientiæ inniti ac fidere.

IX. Magiſtratum Chriſtianum in Conciliis Eccleſiaſticis quibus intereſt, & præeſſe, & ſententiam deciſivam, & definitivam pronuntiare, ſeu jus deciſivæ & definitivæ ſententiæ dicendæ habere.

DE ECCLESIA ROMANA.

I.

AN ſit diſcrimen faciendum inter Curiam Romanam, id eſt

Pontificem Romanum, Cardinales & alios juratos ipſi aſſeclas & ſatellites regni ipſius, & Eccleſiam quæ Romana dicitur.

II. An populus illi qui à Pontifice Romano deceptus, illum pro ſucceſſore Petri & Capite Eccleſię habet, nullo modo Eccleſia Chriſti dici poſſit. Sive,

III. An Deus iſti populo libellum repudii miſerit, ita ut illum pro ſuo prorſus non agnoſcat, non magis quam *Mahumetanos*, aut *Iudaos*.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

—11—

Digitized by Google

Digitized by Google